Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Opervm omnivm reverendi viri Philippi Melanthonis, pars prima [-qvarta] ...

https://hdl.handle.net/1874/430993

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board


F. fo.



17.

c.

2.



quecũq; feci. Numquid ipse est xp̄c.
Exierunt de ciuitate. & ueniebant
ad eũ. Interea rogabant eũ disci
puli. dicentes. Rabbi. manduca.
Ille aut̄ dixit eis. Ego cibũ habeo
manducare. quẽ uos nescitis. Dice
bant ergo discipuli ad inuicem.
Numquid aliquis attulit ei man
ducare. Dicit eis ihs. Meus cibus est
ut faciam uoluntatẽ eius q̄ misit
me. ut ꝑficiam opus eius. Nonne
uos dicitis qd̄ adhuc quattuor
menses sunt & messis uenit. Ecce
dico uobis. leuate oculos uros̄ &
uidete regiones. quia albe sunt
iam ad messem. Et qui metit mer
cedem accipit. & congregat fruc
tum in uitã eternã. ut & qui se
minat simul gaudeat. & q̄ mitit
In hoc enim est uerbũ uerũ. q̄a
alius ẽ qui seminat. & alius est q̄
metit. Ego misi uos metere. qd̄

in die festo. Et ipsi uenerant ad diẽ
festũ. Venit ergo iterũ in chanan
galilee. ubi fecit aquã uinum.
Et erat quidã regulus. cui⁹ filius
infirmabatur capharnaum. hic
cũ audisset quia ihs aduenirет
a iudea in galileã. abiit ad eum
& rogabat eum ut descenderet
& sanaret filiũ eius. Incipiebat
enim mori. Dixit ergo ihs ad eũ.
Nisi signa & prodigia uideritis.
ñ creditis. Dicit ad eũ regulus.
Dnẽ descende. prius quã moriat̄
filius meus. Dicit ei ihs. Uade. fili
us tuus uiuit. Credidit homo
sermoni quẽ dixit ei ihs. & ibat.
Iam aut̄ eo descendente. serui
occurrerunt ei. & nuntiauerunt
dicentes. quia filius ei⁹ uiueret.
Interrogabat ergo horã ab eis.
in qua melius habuerit. Et dixe
runt ei. Quia heri hora septima.

Miscellanea Theologica
Folio nº. 85.

~~N. 18. B.~~

N° 47. K.

OPERVM REVERENDI VIRI PHILIPPI MELANTHONIS,

PARS SECVNDA,

CONTINENS ENARRATIONES ALIQVOT LIBRORUM Testamenti veteris, & nonnulla alia opuscula, quæ Catalogus indicabit, qui sequitur.

Cum Indice copioso rerum & sententiarum insignium.

SI DEVS PRO NOBIS, QVIS CONTRA NOS? ROMAN. VIII.



Ex Donatione Hub. à Diesbach.

Cum Gratia & Priuilegio ad annos quindecim.

VVITTEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES CRATO.
ANNO M. D. LXII.

ACADEMIA RIGENSIS



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO AVGVSTO, DVCI SAXONIÆ ELECTORI, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCHALLO, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Burggrauio Magdeburgensi, Domino suo clementissimo, S. D.

INTER PRAECEPTA VITAE POLITICAE, QVAE VEtustas graui autoritate tradidit, hoc quoq; sæpè repetitum est, Non temerè mutandas esse veteres leges. Multa extant in hanc sententiam sapienter dicta & præcepta grauiter. Celebratum est multorum scriptis vetus illud, τὸ κακὸν ἓν κείμενον μὴ κινήτεον, *cui versiculus Phocylidis congruit:* μὴ κινεῖν καμαρίναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων. *Et Menandro est,* νόμοις τοῖς ἐγχωρίοις ἑπέσθαι καλὸν, *& Moribus antiquis res stat Romana virisq;. Recitat & Demosthenes in Oratione contra Timocratem legem, quæ fuit apud Locros. Vt si quis nouam legem laturus esset, suaderet eam publicè collo in laqueum inserto, vt si non placuisset lex, ciues mox strangularent autorem. Deniq; omni tempore omnes sapientes gubernatores, quanto potuerunt studio, cauerunt non necessarias mutationes Legum & Rerumpub. ac iubent aliqua parua incommoda condonari consuetudini, ne mota Repub. vt ægro corpore, maiora mala accidant, & cum Platone, vt deliri patris, sic desipientis patriæ mores tolerandos esse monent, quia experientia docet verè dictum esse à Xenophonte,* πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι, *id est, omnes Rerumpub. mutationes adferunt cædes, tantoq; magis, quantò maiora accendunt dissidia publica, in quibus ferè profert & effert sese petulantia & improbitas leuium et malorum ingeniorum.* ἐν γὰρ διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς. *Etiam optimo consilio institutæ, multumq; ac sapienter deliberatæ, & prouidè cautéq; susceptæ, deniq; cum manifesta vtilitate publica coniunctæ, consensuq; publico receptæ atq; approbatæ mutationes, periculosæ sunt, & interdum detrimenta afferre solent, quæ longo vix tempore sarciri ac sanari possunt.*

Hac sapientia politica multi præstantes viri initiò mutationis, quæ à Luthero facta est, decepti, quod & nunc alibi fit, emendationem omnem vehementer & improbârunt & dissuaserunt, moti non superstitione, aut ambitione aut auaricia, sicut promiscuum & prophanum vulgus sacrificulorum, qui reduci in Ecclesiam genus doctrinæ suis commodis offecturum, & ocium interturbari suum, ac labefactari dignitatem grauiter ferebant, sed magnitudine periculorum atq; incommodorum, quæ sequutura inde prospiciebant. Impietatem enim crassorum ac manifestorum abusuum, qui planè inueterârant, & doctrinam atq; inuocationem Filij Dei aboleuerant, excusare non poterant.

Pericula ergo exaggerabant illi, quæ præ foribus erant, quæq; hæc mutatio esset cumulatura cum pernicie Reipub. Christianæ, & pacem laudabant atq; concordiam, seditiones vituperabant, Ecclesiæ Romanæ autoritate & antiquitate amplificata: νεοτερισμῷ *contrà, qui introduceretur, priuata paucorum audacia condemnato, tanquam face discordiarum, quibus esset conflagraturus orbis terrarum. Cardinalis Campegius cùm ostendisset longa Oratione, hanc mutationem dissociaturam esse atq; diuulsuram orbem Christia-*

 num,

num, quem autoritas Romanæ Ecclesiæ religionis eiusdem vinculo & rituum conformitate huc vsq; consociasset, & idcircò patefacturam esse hostibus Christiani nominis aditum ad Europam, quem coniunctio consensusq; Regum potentissimorum hactenus præclusisset, cuius fuerit neruus Religio Romana. Hæc ergo cùm vehementer exaggerasset, tandē erupit in hæc verba. Non est bonum, Non est bonum, labefactari autoritatem & dissolui harmoniam pulcerrimæ Monarchiæ, quæ sola fuit hactenus custos & εὐταξίας in Ecclesia et Pacis publicæ in Imperio. Et similia audita sunt ex alijs quasi præsagia malorum, quæ inde exoritura essent. Vt enim reuera maior vis est religionum, quàm rerum cæterarum, quæ omni tempore animos hominum non prorsus feros vehementer commouerunt, & ad sese totos conuerterunt delibutos aliquo sensu metuq; numinis diuini, sic earundem quàm aliarum legum mutatio difficilior est ac periculosior, tantóq; magis, quò altius conceptæ à primis annis atq; ætate confirmatæ opiniones in animis insederunt atq; inueterârunt, præsertim si nascatur ex ea mutatione laxatio aliqua disciplinæ & licentia, afferens morum deprauationem.

Etsi verò hæc de dignitate veterum constitutionum, de pace, de tranquillitate, de concordia orbis Christiani, suo loco rectè dicuntur. Neq; fuit ex nostris quisquam aut tam stolidè incogitans & rudis, aut tam ab omni humanitate alienus, vt vel non intellexerit, vel non curârit, quantum difficultatum & periculorum hæc emendatio allatura esset, non debuit tamen hæc Philosophia transferri ad obruendam gloriam Dei. Doctrinæ errores & Idolatriæ dissimulari nequaquam debent, vel si fractus illabatur orbis. Sicut Christus inquit, Si quis negauerit me coram hominibus, hunc negabo coram Patre meo, qui in cœlis est.

Quare cùm doctrina Pontificum esset impia, & leges stabilirent opiniones impias & Idola, necesse fuit anteferri mandatum Dei, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Item, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Item, Blasphemia non remittetur neq; in hoc mundo, neq; in futuro seculo. Primum præceptum, Non habebis Deos alienos, longè anteferendum fuit omnibus rebus humanis, legibus hominum, imperijs, ordinariæ potestati, paci, patriæ, concordiæ. His nominibus etsi nihil est augustius, debet tamen maior esse grauiorq; autoritas mandati diuini præcipientis, vt fugiamus Idola.

Sed hæc ipsa necessaria emendatio, quæ sustulit recentia Pontificum dogmata ac decreta, non inuexit in Ecclesiam nouum & vetustati ignotum doctrinæ genus, sed reuocauit ac restituit puritatem primæ antiquitatis Propheticis & Apostolicis scriptis analogon, sicut collatio Ecclesiarum inde vsq; à temporibus Apostolorum testatur. Ecclesia Romana discessit à doctrina & vestigijs Apostolorum, & condidit dogmata & ritus fundamento contrarios, quæ nostræ Ecclesiæ cùm ex fontibus scriptorum Apostolicorum & puriore antiquitate euidenter refutassent, rectè reprehenderunt & repudiârunt, non expectata autoritate eorum, qui erant in ordinaria successione, cùm hostes essent, & pios veritatem amplectentes crudelitate manifesta & insidys oppugnarent.

Nec terruit pios vel conspectus periculorum, quæ inde emersura & in nos redundatura esse, vel tetra species scandalorum, quorum causam aduersarios in hanc mutationem collaturos esse apparebat. Sed confirmârunt animos omnium contra pericula & scandala certitudo & antiquitas doctrinæ, veritatis euidentia, consensus cum scriptis Propheticis & Apostolicis, ac testimonijs Ecclesiæ omnium temporum, quæ fundamentum

tum retinuerunt, exempla Apostolorum ac cæterorum, qui ab illis doctrinam acceperunt, deniq; seueritas vocis diuinæ, pronunciantis blasphemiam esse, si quis agnitæ veritati contradicat aut aduersetur. Sensimus factæ mutationis incommoda. Non tamen propter circumfusa vndiq; pericula professionem & confessionem doctrinæ, quam eramus amplexi deseruimus. Et ne nunc quidem malorum finem prospicimus: Sed anteferimus mandatum Dei, & auxilio Spiritus sancti præparamus animos ad excipiendos ac perferendos omnes casus. Illis ipsis verò periculis publicis & scandalis, quæ non à nobis, sed hostibus veritatis Euangelicæ extiterunt, opponimus vocem Christi, qui se profitetur afferre doctrinæ genus tanquam ignem, qui sit accensurus ingentes discordias. Necesse est enim existere certamina de cultu Dei, quia Diabolus ardet horribili odio Dei, & quantum potest delere verbum Dei conatur, & incitat impios aduersus Ecclesiam, ac trahit secum florentissima regna. Sed cum his hostibus scimus belligerari Filium Dei, & tueri ac protegere cœtus ipsum rectè agnoscentes & inuocantes, sicut dixit, Nemo rapiet Oues meas ex manibus meis. Nec lætentur impij successibus in hac vita, neq; ex euentuum dissimilitudine iudicium fiat de vera doctrina & Ecclesia, quam in hac vita cruci subiectam esse scimus. Manent impios suæ pœnæ etiam in hac vita, & post hanc vitam æternorum suppliciorum horribiles cruciatus.

Quemadmodum autem initiò, cùm nouitas repurgatæ doctrinæ offendisset potentum animos, extiterunt sapientuli quidam è satellitio Pontificum, qui vt augerent et confirmarent odia doctrinæ in animis Potentum, omnem discordiarum & malorum publicorum causam contulerunt in susceptam ex verbo DEI emendationem doctrinæ μὴ ἐπανόρθωσιν, sic nunc postquam Dei beneficio perrupit lux veritatis, & mendacia Pontificum penè elisit atq; obtriuit, aliud nouum prodit Gnathonum genus, qui cùm non reperiant, quod victrici veritati obtendant, Ecclesias nostras nouo calumniarum genere deformant, fidem & autoritatem certæ & immotæ doctrinæ derogaturi exaggeratione dissidiorum, quæ à Diaboli furoribus & hominum malicia orta sunt.

Sed his calumnijs, quæ falsò tribuuntur doctrinæ, opponimus vocem Christi, qui prædixit vtrumq; sub extremam delirantis mundi senectam, & maiores dogmatum confusiones in Ecclesia futuras esse, & tamen mansuram esse aliquam Ecclesiam Deum rectè agnoscentium & inuocantium. Oportet, inquit, venire scandala, intelligens præcipuè scandala doctrinæ impiæ & falsorum cultuum. Sed væ autoribus. Causas ergo dissidiorum isti Gnathones tribuant non veræ doctrinæ, sed suæ malitiæ ac peruicaciæ, & Diabolo autori hæresium, μὴ ἀκαταστασίας, qui cùm oderit gloriam Dei, superba & venenata ingenia incitat & armat, vt spargant falsa dogmata, quibus aspergatur aut obruatur gloria Dei. Omni tempore, vt in Rerumpub. sic multò magis in religionum mutationibus commouent sese mala ingenia, aliàs alijs causis impulsa, quæ sententias rectè traditas veteratoriè lacerant & conuellunt, cuius rei exempla vidit ætas Apostolorum. Sed an propterea Ecclesia nulla est, aut nullum est certum doctrinæ genus? Si quis ita nunc ita ratiocinaretur, vt olim clamârunt aliqui, Doctrinam Christi & Apostolorum pestem esse generis humani, quòd sit fax seditionum & lerna hæresium, è qua infinitum chaos mirabilium errorum pullulârit, is quomodo quæso exciperetur? Qua ergo refutatione digna est malicioſa impudentia & virulenta maledicentia illorum, qui doctrinæ nostrarum Ecclesiarum, quæ est ipsa vox Christi, Prophetarum & Apostolorum, tribu-

unt falsa commenta, tribunitia consilia, iniustas criminationes & seditiosas molitiones malorum, quasi inde virus suum hauserint? Vt ergo Iohannis Euangelistæ scripta refutant blasphema deliria Ebionis & Cerinthi, ac cæterorum, qui ea retexuerunt, sic cùm sit duratura Ecclesia vsq; ad finem mundi, excusabunt Ecclesias nostras scripta nostrorum contra has & similes alias criminationes, & refutabunt veritati obiecta mendacia. Intuemur has distractiones cum magno dolore, sed prohibere aut tollere nequimus. Extant tamen sæpè repetitæ in scriptis nostrorum refutationes blasphemiæ Serueti, Campani, Conyzæ, Thammeri, Stancari & similium contra Trinitatem & Filium Dei. Extant testimonia eorundem contra Anabaptistarum, Stenckfeldij & similium furores, contra Antinomorum vetera & recentia deliria, contra Pontificiorum σοφίσματα καινὰ ὑφὴ ἀρχαῖα, deniq; contra multos alios nouarum deprauationum Architectos, de præcipuis omnibus veræ doctrinæ partibus. Nec dubito aliquibus ex primis susceptæ emendationis autoribus ideo vitam in longius tempus prorogatam, & vires suffectas fuisse diutius, vt supereſſent aliqui, qui & doctrinam, si quid hæreret aut petulanter conuelleretur, copiosius declararent, & ab Ecclesia adhuc tenera nouarum opinionum impetus atq; conflictus depellerent, & de motis controuersijs posteritati certa explicata ac firma testimonia traderent. Quotiescunq; enim nouæ lites Ecclesijs nostris motæ sunt, toties ex illa ipsa ceu agitatione contrariarum opinionum ac ventilatione plus veritati lucis, plus doctrinæ certitudinis accessisse res docet, adeò vt non modò non labefactârit fundamenta vllus hostium quorumcunq; impetus, vt contrariorum refutatio ea firmius communierit. Si tantopere placet aduersarijs prætextus dissidiorum, ostendant, non quid quisq; malicioſè culpet & reprehendat in scriptis eorum, qui restitutam ex verbo Dei doctrinam contra aduersarios defenderunt, sed vbi illa ipsa doctrina à voce Christi & Apostolorum dissentiat. Sed extant, vt dixi, luculentæ refutationes veterum & recentium deprauationum in scriptis nostrorum, quæ ad omnem posteritatem testabuntur de Ecclesia horum temporum & harum regionum, qualis fuerit, quale sit professa genus doctrinæ, quas habuerit causas discedendi à Romana Ecclesia, deniq; qualia ediderit & reliquerit testimonia.

Hoc consilio recudimus scripta PHILIPPI MELANTHONIS, qui proximus à Luthero rebus vniuersis adfuit & præfuit, vt posteritatem doceant, de causis, initijs, progressu, momentis mutationum, deq; certaminibus et periculis, quæ sustinuerunt hæ Ecclesiæ, & redarguant accusationes falsas, quibus inde vsq; ab initio emendationis partim ab hostibus, partim ab apostatis impetitæ sunt. Non autem recudimus uniuersa. Nam & quæ ante tricesimum annum scripsit, ipse supprimi atq; aboleri voluit, quòd iuuenilia essent & inelaborata, & in ijs, quæ post annum tricesimum ex interuallo sæpè repetiuit, delectum adhiberi voluit, non quòd aliqua inesset posterioribus dissimilitudo rerum, cùm vbiq; recitet eandem doctrinam verbis penè ijsdem, sed quòd alia aliis maturiora esse iudicaret. Solebat enim materias easdem & argumenta eadem sæpè repetere, non eò tantùm, quòd dies diem doceret, & cum ætate ex certaminibus assiduis atq; exercitijs quotidianis fidei, inuocationis, & doctrinæ cresceret iudicium, sed vt res illæ essent in manibus iuniorum, quib. præcipuè seruire cupiebat, & vt à multis ac frequenter relegerentur. More autem Socratico de ijsdem eadem, & maximopere studebat dicere & dicebat semper, nisi propter deprauationes, mutilationes, & detorsiones Sophisticas aduersariorum cogeretur vel formulas nouas vel explicationes illustriores quærere, vel ordinem instituere alium

ere alium & concinniorem, vel explere, si quid videretur deesse siniſtrè iudicantibus. Interdum semina nouorum errorum, quæ spargebantur, afferrebant ei vel occasionem vel necessitatem integra doctrinæ capita retexendi, vt cùm Seruetus bellum inferret Filio Dei. Osiander inuaderet in capita doctrinæ de Iustificatione hominis coram Deo. Item cùm nouum exurgeret Antinomorum genus, qui nouam obedientiam in renatis non esse necessariam contenderent. Item cùm noui quidam in Ecclesys nostris sese ostentarent Hypocritæ, qui reprehenderent consilia, quæ distinxissent inter res necessarias & non necessarias, scilicet inter puritatem doctrinæ necessariã & non necessarios ritus ἀδιαφόρους. Item qui homines in lapides conuerterunt Enthusiastica metamorphosi, aliter quàm Deucalion & Pyrrha, quos lapides in homines commutasse Poëtæ fabulantur. Item qui cum Lege Euangelium confunderent, non internoscentes pœnitentiæ concionem, quam tradit Euangelium, ab ea quæ propriè Legis voce denunciatur, cuius est interpres Euangelium. Hæc certamina, cùm mota essent, multa copiosius, multa clarius, & quasi noua forma orationis explicare cogebatur in posterioribus, vt illorum recentium errorum fontes ac refutationum fundamenta planius demonstraret. Ne verò vel enarrationum vel commentationum varietas & multitudo molesta esset lectori, vel præberet etiam occasionem malicioſis decerpendi & exagitandi aliquid calumnioſè, trademus posteritati, quod & ipse fieri voluit, sola postrema scripta magna ex parte, quæ maturrima sunt & absolutissima, dexteritate explicationum, perspicuitate ac simplicitate orationis, certitudme testimoniorum, euidentia refutationum, integritate doctrinæ. Si quid tamen in prioribus inuenerimus, quod desit postremis, ne illud quoq; Ecclesia desideret, præstabimus.

Nunc alteram partem scriptorum eius in lucem emittimus, complectentem enarrationes aliquot librorum Veteris Testamenti, quotquot extant, & quædam opuscula alia. Inter enarrationes Veteris Testamenti etsi eximia sunt pleraq;, tamen maximè insignis est explicatio Psalmorum & Prouerbiorum, quæ scripta sunt opera duorum præstantissimorum & sapientissimorum Regum in genere humano Dauidis Patris & Salomonis Filij. In Psalmis non tantùm dicta & sententias interpretatur, sed & vsum ostendit in quotidiana vita, in inuocatione, in consolatione, & exemplo summi Regis inuitat lectorem ad ardens studium precandi, ad patientiam in cruce & afflictionibus, ad quærendas consolationes & auxilia non apud homines, sed in solo verbo Dei. In Prouerbijs exprimit imaginem Regis sancti, quales fuerunt Reges Cyrus, Darius, & Salomon ipse ac plures alij, non tantùm ornati & instructi virtutibus politicis & humana sapientia, sicut Alexander, Iulius, Augustus, Antoninus, Sed qui sunt domicilium Dei, quorum mentes illuminat & regit Æterna sapientia, quæ est Filius DEI λόγος, simul Spiritu sancto accendens & confirmans corda eorum, ac præstans successus atq; euentus secundos in gubernatione. Deniq; ostendit qualia debeant esse in tota vitæ externæ consuetudine vera membra Ecclesiæ.

Hanc editionem Illustrissime Princeps Elector, Domine Clementissime Tuæ Celsitudini offero & commendo, cùm propter exempla summorum Regum Dauidis & Salomonis, tùm propter autorem, erga quem scimus omnes fuisse clementiam & beneuolentiam Celsi. Tuæ eximiam, & propter Ecclesias Cel. Tuæ, quas nullo potuisset Deus beneficio afficere & ornare maiore, quàm quòd in his doctrinam repurgari suam ac restitui, indeq; propagari voluit, vt huius summi beneficij Ecclesiæ C.T. autores essẽt cæteris.

Quod beneficium, etsi sunt, qui si possent, cuperent cum ipsa doctrinæ luce obliuione perpetua obruere ac sepelire, plurimi tamen grata mente agnoscunt ac celebrant. Et viuet memoria rei tantæ, donec supererit Ecclesia in genere humano. Hæc verò monumenta qualis fuerit & quàm constans atq; consentiens in his terris vox doctrinæ inde vsq; ab emendatione, quàm grauiter veteres & recentes præstigias refutârit, quanta perspicuitate controuersias illustrârit, posteritati referent atq; confirmabunt.

Commendo autem C. T. Academiam, vt quemadmodum hactenus C. T. præcipua eam cura & affectione clementer complexa est ac fouit, sic porrò eam sibi curæ esse patiatur. Postremò oro ardentibus & veris gemitibus Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, λόγον & εἰκόνα ἀϊδιον τοῦ ἀϊδίου πατρὸς, sedentem ad dextram Patris, & dantem dona hominibus, vt in his regionibus colligat sibi æternam Ecclesiam voce & ministerio Euangelio, & sanctificet eam Spiritu suo sancto, & vt colligi possit, leniat ærumnas ac calamitates publicas, & concedat cœtui docentium ac discentium tranquilla hospitia. Seruet etiam regat ac protegat C. T. vt illustria ornamenta veræ sinceræq; pietatis, ardentis studij erga religionem, animi & ingenij heroici, sapientiæ & virtutum tanto Principe dignarum & autoritatis, quibus excellit C. T. prosit ad gloriam Dei & ad salutem multorum. Datæ VVitebergæ Idibus Augusti, Anno M. D. LXII.

Celsitudini Tuæ

deditissimus

Caspar Peucerus D.

PHILIPPO MELANTHONI,

SACRARVM LITERARVM SOLERTISS. ET FIDELISS. EXPLICATORI, VERITATIS COELESTIS PATRONO IN primis strenuo, opt. disciplinarum & artium cùm instauratori, tùm conseruatori: Qui omnem doctrinam quasi uagam & dissipatam collegit, & ad certam rationem reuocauit: Viro pietate, studio puræ religionis, sapientia, uirtute, humanitate, benignitate erga omnes præstanti, feliciter & sanctè mortuo 13. Cl. Maij, cùm uixisset annos 63. M. 2. D. 2. H. 1. in Academia Vuiteber. cui ille totis Annis 42. operam nauasset, H.M.P.C.

VITAM fortunasq; suas studiumq; laboris,
Quiq; operæ sanctam, consilijq; fidem,
Impendit diuina tuis Ecclesia rebus,
Teq; pius uaria iuuit & auxit ope:
Hac in parte sibi post mortẽ structa MELANTHON,
Communi in luctu, busta PHILIPPVS habet.
Quæ templi foribus magni uicina LVTHERI,
E regione solum, quod tegit ossa, uidet.
Bretta hunc uitales natum produxit in oras,
Bretta Palatini limes amœnus agri.
Vnde propinqua petens adijt, bonitate suorum,
Diuerso Aönidum templa sacrata loco.
Ludus eum puerum accepit Phorcenidos urbis,
Eytelbergiaci mox schola gymnasij.
Doctrinæ hinc fecit iuuenem alma Tubinga Magistrum,
Eximium laudis geßit ubi ille decus.
Inde triumphator Monachorum CAPNIO iußit,
Albidos hunc ripam uisere Saxonici.
Tunc noua dux Fridericus ubi collegia Musis
Romani fundans ensifer imperij,
Vndiq; conductis præstanti laude parabat
Artis & ingenij reddere clara uiris.
Hìc socio ipso annis uiginti octoq; LVTHERI,
Vuittembergiacæ res fuit ampla scholæ.
Quam septem bis adhuc prouexit dẽinde gubernans,
Fluctiuagam ut uastum per mare nauta ratem.
Heu tempestates quas hic perpessus, & ad quàm
Sæuos hæc scopulos acta carina fuit.
Quantum externi odij, quantum inuidiæq; suorum,
Ingratorum hominum quæ maledicta tulit?
Ipse tamen quamuis reflantibus undiq; uentis,
Directum est, retinens uera, secutus iter.
Fortia nec clamor latrantis pectora turbæ,
Non uulgus strepitu mouit inane suo.
Summa petit liuor, Nemo hunc superare nisi ipse
Posset, si studijs ocia suppeterent.
Ista sub obliquo nõrunt quoq; Sole locati,
Quiq; sub opposito forsitan axe iacent.
Scripta sed illius memorabilia inter, & acta
Plurima, quæ solidæ nomina laudis habent:
Vnum opus eximium est, fidei confessio sanctæ,
Ante tuos CAESAR CAROLE lecta pedes.
Languida qua Christi iam dudum Ecclesia nitens,
Rursum audet uultus tollere læta suos.
Concurrant inimici omnes licèt undiq;, hic unus
Confutare potest improba dicta liber.
Ac tua nunc terris floret bona fama PHILIPPE,
Viuit & æternum Spiritus ante Deum.
Corpus at exanimum tumulo hoc requiescit humatum,
Condecorant gratæ quem monumenta scholæ:
Ille quod expletis senio, curisq; grauatum,
Sexaginta annis exuit atq; tribus:
Sic, morbo ut paucis nisi debilitante diebus,
Muneris officium fecerit omne sui.
Atq; olim æthereas ueniet reuocatus in auras
Integer, & mortis liber ab inde metu.
Sancte uir, & salue pater optime, te tua semper
Nos soboles merita relligione colet.
Doctrinæ nobis ueræ tu doctor & autor,
Hæc tua claræ ætas munera lucis habet.
Salue iterum atq; iterum, tua nos immota manebit
Semper apud memores gloria, nomen, honos.

IOACHIMVS CAMERARIVS.

VITEBERGÆ ANNO M. D. LXII.

EXPLICATIONES ALIQVORVM LOCORVM SCRIPTVRÆ.

Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valdè bona* 242. 44.
2. *Erunt duo in carnem vnam* 243. 3. 368. 36. 517. 30.
17. *Ambula coram me, & sis immaculatus* 563. 34.
48. *Benedicat pueris istis Deus & Angelus &c.* 319. 34.
Exodi. 7. *Ego indurabo cor Pharaonis* 237. 13.
20 *Puniens in tertiam & quartam generationem* 360. 27.
33. *Posteriora mea videbis* 319. 41.
Deut. 24. *Non occidentur patres pro filijs* 360. 27.
32. *Mihi vindictam, & ego retribuam* 368. 9.
Tobiæ 4. *Eleemosyna liberat à morte & purgat peccata* 305. 10.
Iob. 9. *Verè scio quòd non est iustus coram Deo homo* 279. 23.
Psal. 2. *Omnis qui credit in eum non confundetur* 359. 39.
7. *Iudica me Domine secundum innocentiam meam* 206. 4.
35. *Homines & iumenta seruabis Domine* 241. 30.
36. *Subditus esto Deo & spera in eum* 821. 1.
38. *Aures perfodisti mihi* 594. 24.
40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem* 305. 18.
44. *Vnxit te Deus oleo lætitiæ propter consortes tuos* 602. 4.
45. *Et concupiscet Rex decorem tuum, quia ipse est Deus tuus & adorabis eum* 320. 22.
50. *Cor mundum crea in me Deus* 335. 6.
Ibid. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci vt iustificeris in sermonibus tuis* 455. 41.
82. *Ego dixi Dij estis* 256. 28.
88. *Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meam nõ amouebo ab eis* 374. 19.
110. *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinẽ Melchisedech.* 32. 42.
111. *Initium sapientiæ timor Domini* 659. 33.
118. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes* 666. 34. 668. 24. (853. 14.
Ibid. *Feci iudicium & iusticiam* 279. 27.
119. *Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini* 563. 41.
130. *Sustinuit anima mea in verbo eius* (660. 1. 671. 6. 359. 41.
142 *Non erit iustus coram te omnis viuens* 279. 21.
Prouerb. 8. *Deus creauit me initium viarum suarum* 314. 19.
10. *Omnia delicta operit caritas* 20. 33.
16 *Homo præparat animam, Deus gubernat linguam* 240. 32.
Ibid. *Omnia facit propter seipsum, etiam impium ad diem malum* (898. 21. 241.
20 *Vt oculus videat & auris audiat Deus facit vtrumq;* (2. 899. 16. 499. 12.
24 *Septies in die cadit iustus & resurgit* 916. 16.

	26.	*Ne respondeas stulto secundum stulticiam suam*	920. 26.
Eccles.	9.	*Nescit homo an amore vel odio dignus sit*	309. 4
Siracid.	15.	*Deus reliquit hominem in manu consilij sui*	271. 30
Esaiæ	2.	*Conflabunt gladios in vomeres*	404. 23
	7.	*Vocabitur nomen eius Emmanuel*	320. 9
	33.	*Regem in decore suo videbunt*	375. 1
	45.	*Ego DOMINVS faciens pacem & creans malum*	239. (8.
	48.	*Propter nomen meum longè faciam furorem meum*	374. (16.
	52.	*Mundamini qui fertis vasa Domini*	176. 39
	53.	*Ponet animam suam peccatum*	330. 26
	58.	*Omnis qui credit in eum non confundetur*	359. 39
	59.	*Hoc fœdus meum cum eis, Spiritus meus qui est in te, & verbum quod posui in ore tuo*	333. 21
Iere.	10.	*Scio Domine non est hominis via eius, nec viri dirigere gressus suos* (240. 14 269. 35 341. 30	
	17.	*Peruersum est cor hominis & ærumnosum*	353. 32
	33.	*Hoc est nomen quod vocabunt eum Iehoua iusticia nostra*	320. (1.
Thren.	3.	*Quis dixit ex ore altissimi nec bona nec mala veniunt*	237. 41
Daniel	2.	*Lapis abscissus de monte sine manibus*	425. 17
	4.	*Redime peccata tua Eleemosynis* 304. 6	432. 23
Oseæ	6.	*Misericordiam volo non sacrificium*	364. 16
	11	*Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus ego sum & non homo* (660. 33	
Amos	3.	*Non est malum in ciuitate quod non fecit DOMINVS*	237. (32
Abac.	2.	*Iustus fide sua viuet*	781. 11
Sophon.	1.	*Scrutabor Ierusalem lucernis, & visitabo super viros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis, non faciet benè Dominus, & non faciet malè*	239. 1
Aggæi	2	*Adhuc semel & commouebo cœlum & terram*	530. 18
Zacha.	7.	*Veritatem & pacem diligite*	535. 37
	12.	*Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum* (22. 538. 25	331.
Malach.	1	*A Solis ortu usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo & oblatio munda* (11. 547. 43	196.
Matth.	5.	*Si quis adegerit te ad mille passus eas vnà duo millia*	4. 43.

10. *Nonne duo passeres asse veneunt* 241. 14

Ibi: *Si quis dederit potum aquæ vni ex minimis habebit mercedem* (305. 16

11. *Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare* 331. (15

16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (62. 21

19. *Si vis in vitam ingredi serua mandata* 306. 4

20. *Sedere ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis* (325. 20

22. *Præceptum de dilectione proximi simile est primæ tabulæ, quare dicatur* 255. 27 356. 10. 364. 5

24 *Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto* (471. 26

28. *Baptisate eos in nomine, Patris, Filij, & Spiritus sancti* 226. (30

Marci 13. *De die illo vel hora nemo scit, neq; Filius nisi Pater* 325. (24

Lucæ 6. *Benedicite maledicentibus* 639. 11

Ibi: *Date & dabitur vobis* 305. 15 374. 42

7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* 306. 26

10. *Hoc fac & vives* 20. 34

Iohan. 1. *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi* 833. 42

Ibi: *Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Christum facta est* (272. 11 281. 44. 350. 27

4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate* 832. (38

5. *Pater non iudicat quenquam &c.* 225. 14

6. *Hunc Pater signauit Deus* 466. 6

8. *Quando mendacium loquitur Diabolus, ex proprijs loquitur* 339. (10

9. *Peccatores Deus non exaudit* 167. 33

13. *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* 103. (27

14. *Pater maior me est* 224. 32. 323. 29

Ibi: *Si quis diligit me sermonem meum seruabit* 282. 14. 659. 45 (670. 30

15. *Sine me nihil potestis facere* 239. 41. 898. 44

Ibi: *Ego sum vitis, vos palmites* 239. 41

17. *Hæc est vita æterna vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum* 325. 30

Vlt: *Pasce oues meas* 64. 44

Roma. 1. *Vt sit Deus iustus & iustificans* 456. 2

Ibi: *CHRISTVS est prædestinatus esse filius DEI* 330. (4

3. *Nunc sine Lege iusticia Dei manifestata est* 272. (17

Ib: *Omnes peccauerunt & carent gloria Dei* 285. 26

4. *Lex iram efficit* 252. 25 286. 4

Ibi: *Operanti merces non imputatur secundum gratiam* 281. (26

Ib. *Ideo ex fide secundum gratiam vt sit firma promissio* 281. (30

Ibi: *Credidit Abraham Deo &c.* 781. 2

6. *Non estis sub Lege, sed sub gratia* 281. 36 294. (10

7. *Peccatum per legem fit excellenter peccatum* 286. 8

Ibi: *Ego aliquando sine lege viuebam* 252. 31

Ibi: *Paulus ait sibi datos cruciatus seu aculeos in carne* 410. (41

8. *Si secundum carnem viuetis moriemini* 172. 32

Ibi: *Debitores sumus non vt secundum carnem viuamus* 288. (38

Ibi: *Propter peccatum corpus morti destinatum est* 590. 5

12. λογικὴν λατρείαν *iubet Paulus offerre* 547. 30

1. Cor. 1. *Christus est Dei potentia, id est, saluationis* 328. 17

Ib. *Christus est nobis factus à Deo sapientia, iusticia, sanctificatio & redemtio* 317. 43. 327. 26

3. *Saluabitur, sic tamen quasi per ignem* 144. 15

Ibi: *Fundamentum aliud ponere nemo potest, præter id, quod positum est &c. Superædificant alij aurum &c.* 121. 33

7. *Cœlebs curat ea quæ sunt Domini* 110. 40

Ibi: *Qui in circumcisione vocatus est, non accersat præputium, qui in præputio non accersat circumcisionem* 4. 44

11. *Qui comederit &c. aut biberit, de particula disiunctiua.* 188. (39.

Ibi: *Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur* 167. 6

12. *Idem Deus agens omnia in omnibus.* 239. 36

13. *Si habeam omnem fidem, dilectionem autem non habeam, nihil sum* 303. 41

Ibi: *Dilectio est patiens, benefica, non æmulatrix &c.* 311. 1

	15	*Aculeus mortis peccatum est, potentia verò peccati lex est*	286. (9.
	Ibi.	*Tradet regnum Deo & Patri.*	324. 36
2. *Cor.*	1	*Dedit vobis arrabonem Spiritum in cordibus vestris*	331. (24.
	3.	*Cùm fuerit ingens gloria veteris testamenti, multò maior erit gloria noui testamenti*	579. 23.
	Ibi:	*Transformamur in eandem imaginem tanquam à Domini spiritu*	(334. 10. 346 40.
	5.	*Eum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum*	330. 20.
	12.	*Omnia hæc efficit vnus & idem spiritus*	333. 13.
Galat.	3	*Lex est data in manu Mediatoris*	319. 43.
	Ibi:	*Disciplina est pædagogia in Christum*	345. 36.
	4	*Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena Elementa*	4. (2.
Ephes.	1	*Electi secundum propositum Dei, qui facit omnia secundum consilium voluntatis suæ*	239. 36.
		Placuit Deo cuncta redigere ad vnum caput	325. 15.
	3	*Vt habitet Christus per fidem in cordibus vestris*	288. 29.
Phil.	2	*Cum timore & tremore salutem vestram operamini*	785. 22
	Ibi:	*Gestu inuentus est vt homo*	324. 32.
	Ibi:	*Qui cùm esset in forma Dei &c.*	225. 21, 324. 6.
	Ibi:	*Deus qui efficit vt velitis, efficiet etiam vt perficiatis.*	269. 9.
Coloss.	2	*In ipso habitat plenitudo diuinitatis corporaliter*	(291. 39. 217. 19.
	Ibi:	*In Christo consummati estis*	(317. 17. 294. 21.
1. *Thes.*	5	*Incessanter orate*	429. 17.
1. *Tim.*	3	*Episcopus sit vir vnius vxoris*	113. 7
	5	*Primam fidem irritam fecerunt*	180. 15
2. *Tim.*	1	*Non dedit vobis Spiritum timiditatis sed roboris*	331. 34
	4	*Increpa oportunè, importunè &c.*	897. 6
Ebræ.	3	*Considerate Apostolum &c. & summum sacerdotem qui est fidelis ei qui fecit eum*	329. 1
	4	*DEVS fecit Christum Sacerdotem summum*	330. (16
	5	*Omnis Pontifex ex hominibus assumtus pro hominibus constituitur*	(196. 4

1. Pet.	2.	*Subditi eſtote Dominis non ſolùm æquis & bonis, ſed etiam aſperis*	366. 13.
	Ibid.	*Offerte hoſtias ſpirituales placentes propter Chriſtum*	375. 4.
	3.	*Baptiſmus ſtipulatio bonæ conſcientiæ*	546. 42.
	4.	*Vniuerſa delicta operit dilectio*	305. 38.
2. Pet.	1.	*Firmam facite vocationem veſtram*	785. 23.
1. Ioh.	2.	*Concupiſcentia carnis non eſt ex Patre ſed ex mundo*	339. 17.
	3.	*Qui non diligit manet in morte*	303. 25.

INDEX.

A

Abſolutionis petitio & generalis confeſſio teſtantur in Eccleſia recipi lapſos 160. 30.
Abſolutio eſt uox miniſterij Euangelici priuatim applicans remiſſionem petenti 161. 24.
Abſolutio uox eſt diuiuæ autoritatis ſonans in miniſterio 161. 33.
Abſolutionem irritam eſſe niſi contritio ſit ſuffici ens error Monachorum 161. 39.
Abſolutio priuata admonet nos, Euangelium con tinere promiſſionem remiſſionis peccatorum 162. 11.
Abſolutio duplex eſt 306. 41.
Ab exitu ex Aegypto uſq; ad Chriſtum natum quot ſint anni 527. 41.
Abyſſus in Geneſi aquæ ſunt 379. 41
ἀκκισμὸς quid ſit 913. 40
Actio Dei generalis ſeu præſentia uniuerſalis quę ſit 233. 16.
Actiua uerba Ebraica phraſi ſæpè ſignificant permiſſionem 237. 13.
Actio Dei ſpecialis eſt ſanctificatio 233. 40.
in Actionibus bonis concurrunt Dei auxilium & noſter conatus 584. 2.
Actionum felicium cauſa principalis quæ ſit (898. 39.
Adoratio quid ſit 212. 11
Adonai appellatio propriè Deo tribuitur 602. (36.
ἀδραξεσαρ quid nominarint Ethnici 893. 10.
Aegypti reges 491. 4.
Aeoles ab Eliſa filio Iauan orti 501. 8.
Aequalitas de qua Euangelium concionatur qualis ſit 585. 27.
Aeſopus Soloni eunti ad Crœſum præceptum dedit 913. 3.
Affectus impediunt iudicium de ueritate 895. (13
Afflictionum quatuor genera 165. 24.
Afflictiones corporales quo conſilio Deus imponat 429. 8.
Afflictionum cauſæ quæ ſint 448. 6. 825. 27
Afflictiones Eccleſiæ teſtimonia de doctrina & ſacrificia Deo grata 600. 20
Afflictiones piorum an uocentur ſacrificia 744. (34.
Afflictionum utilitas 825. 40
Agnitio uera Dei primum & ſummum bonum eſt 931. 22.
ἀγάπη miſſa dicta in Aegypto 545. 25.
Alcimi pontificis fraus 507. 10.
Albertus magnus imperitus ſacrarum literarum (57. 38.
Alexandri teſtimonium ante Athanaſium de Logo 216. 18.
ab Alexandri morte uſq; ad primum annum Auguſti quot anni ſint 459. 37.
Alexander cœpit regnare III. Olympiade 460. (10.
inter Alexandrum & Herodem quot ſint anni (460. 14.
in Alexandro admiranda uis naturæ 482. 17
Alexandri familia in ſummas incidit calamitates 482. 33.
Alexandri duces quomodo inter ſe mutuis cædibus graſſati ſint 484
A Longimano ad Chriſtū quot ſint anni 541. 27
Allegorijs in ſacris literis quando utendum 33. (13.
Ambitio uicioſa quæ ſit 913. 35
Ambroſius de ieiunio durius loquitur 121. 41
Ambroſij doctrina de Trinitate & de iuſtificatione uera 135. 18
Ambulare in uijs Domini intelligendum eſt iuxta Euangelium 687. 45
Amos, Micheas & Ionas Prophetæ eadem ætate uixerunt cum Eſaia 400. 2
Anathema ſit qui dicit Deum impoſſibilia præcepiſſe dictum Hieronymi contra Manichæos (270. 18
Anathema ſit ſi quis dicit, Legem poſſe fieri ſine gratia 271. 9. 348. 42
Animæ iuſtorum non diſcedunt ad cruciatus ſed ad gaudium ſpirituale & ad pacem 143. 31
Antichriſti nomine ambo regna comprehenduntur Mahometicum & pontificium 452 1
Antiochus Epiphanes cœpit regnare anno 137. poſt Alexandrum 449. 27
Antiochus non interfectus, ſed domi ex lapſu mortuus 452. 45
Antiochus σωτὴρ 486. 25

Antiochus magnus & Seleucus frater 487. 19.
Antiochus θεός 486. 25
Antiochus Epiphanes 489. 32
Antiochus ἱέραξ 486. 40
Antiochus magnus cum Ptolemæo Philopatore de Syriæ urbibus dimicauit 487. 29
Antiochus magnus ſpoliaturus templum quod dam in Syria à ſuis interfectus eſt 488. 4
Antiochus Epiphanes ſpoliat templum Ieroſolymæ 489. 41.
Antiochus Epiphanes profanat templum collocata in eo ſtatua Iouis Olympij 490. 4
inter Antiochi poſteros poſt profanatum templũ fuerunt continua parricidia 490. 30
Apoſtoli an mutarint Baptiſmum, cũm iubent baptiſare in nomine Chriſti 186. 16
ἀπλαγήκοτας impios Paulus cur uocet 157. (11. 353. 21.
Appetitiones differunt 372. 5
Appelles Lyſippum adhibuit iudicem ſuarum picturarum, & contra Lyſippus Apellem in ſtatuaria arte 925. 23
ἀρὰι, diræ, uerba fuerunt excommunicationis 162. 44
Arius negauit λόγον eſſe natura Deum, dixit eſſe creaturam ex nihilo factam 216. 2
Artiſtona apud Herodotum congruit cum uocabulo Eſther in Bibliis 462. 29
A Sennaherib uſq; ad excidium Ieroſolymæ quot ſint anni 528. 30
Aſperſio quæ fiebat hyſſopo qualis metaphora & unde ſumta 618. 4
Athenæ à Lyſandro captæ 464. 34
Auguſtam uocatur Lutherus ad Campegium 40. 7.
Auguſtinus poſt uotum coniugia contracta rata eſſe uoluit 107. 45. 140. 24
Auguſtinus de ſatisfactionibus 122. 12
Auguſtinus de peccato originali acrius contendit quàm reliqui 125. 1
Auguſtini teſtimonia uera contra Arianos, Manichæos, Donatiſtas & Pelagianos 136. 29
Auguſtinus de imagine Dei quomodo loquatur 243. 33
Auguſtini dictum: Tolle iura imperatorum, & nemo poteſt dicere hæc uilla mea eſt 369. (30.
Auditores diſcernendi ſunt, dociles & pertinaces (918. 19
Autoritas ſeu maieſtas in principe Dei ſingulare donum eſt 499. 4

B.

Baptiſare in nomen Chriſti eſt fieri Chriſti membrum de effectu intelligunt Apoſtoli 186. 18
Baptiſmus teſtimonium quod Spiritus Sanctus ſit Deus 226. 30.
in Baptiſmo reatus peccati tollitur, morbus manet 247. 20
Baptiſmi uerba explicat 332. 16
Baptiſmus quid ſit 833. 4
Baptiſatos ab Hæreticis cenſet Cyprianus rurſus baptiſandos eſſe 132. 4
Baſilius compellat Martyres 101. 40
Baſilius fundamento addidit Monaſticen, quod eſt ſtipula 121. 44.
Baſilij teſtimonia de trinitate & pœnitentia utilia 133. 13
Baſilius & Nazianzenus in fine concionum de ſanctis ſolent eos compellare 134. 9
βαυκοπανοῦργος Ariſtoteles quos uocet 913. 42
Beatus in Pſalmo ſignificat placentem Deo (763. 35
Bella legitima pertinent ad officium magiſtratus (259. 19
Benedicere quid ſit 385. 30
Berith Ebræum, id eſt, teſtamentum quid ſignificet 546. 15
Benedictio Abrahæ Pſal. 110. eſt annunciatio gratiæ & æternorum bonorum 651. 12
Benedictus in dicto Pſalmi: Benedictus qui uenit in nomine Domini, quid ſignificet 669. 4
Benedictio ſignificat aliquando ubertatem diuinitus donatam 697. 3
Benedictio Melchiſedech quid ſit 732. 43
Benedicentur in prima promiſſione quomodo intelligendum 864. 39
Benedictio in 118. Pſalmo quid ſit 866
Beneficentia erga quos præcipue exerceri debeat (790 16
Beneficentia promiſſiones habet præmiorum & in hac uita & poſt hanc uitam 792. 8
Beneficentia quomodo fiat cultus Dei 915. 12
Bernhardus melius ſenſit, quam alij eo tempore, tamen aſſenſit multis erroribus 123. 39
Bernhardi longa concio coniungi oportere contritionem & fidem 159. 3
Bibere pro affligi uſitata phraſis Ebræa 741. (4
Bibliorum translatio ſub Ptolemæo Philadelpho 491. 37
Blaſphemia & ſeditio omnium ſumma crimina 633. 6
Bogeſes Perſicus Satrapa templum ſpoliauit, & ingens tributum toto ſexennio exegit 542. 1
Bona attributa hominibus in creatione 242. (32.
Bona opera teſtimonium ſunt de fide 28 17
Bona opera quomodo fieri poſſint 290. 14
Bona opera non ſunt meritum remiſſionis peccatorum 295. 7
Bona opera ſanctorum merentur præmia, corporalia & ſpiritualia in hac uita 298. 22
Bona corporalia cur promittantur Eccleſiæ cum ſit ſubiecta cruci 764. 4

C.

Calamitatum principalis cauſa 583. 1
Calamitatibus premuntur & pij & impij ſed diſſimiliter 584. 27

Caligulæ ſtatuæ in templo Ieroſolymitano 471 (4
Calix in ſcripturis ſignificat ſuam cuiuſq; portionem ſiue bonam ſiue malam 828. 18
Candor quid ſit 885. 4
contra Calumnias conſolatio tradita in Salomone 920. 6
Canon Græcus dicit offerri pro Prophetis & Apoſtolis, ſed intellígit gratiarum actionem 105. 25
Canones uetuſti primas aut ſecundas nuptias non improbant, tantùm à miniſterio remouent cõiuges 108. 1
Canones pœnitentiæ conditi in Nicena Synodo 126 18
Canonicas pœnas Cyprianus nimium exaggerat 132 7
Canones ueteres diuerſi ſunt in prohibitione coniugij 174. 2
Canon Latinus nona rapſodia 199. 12
Caro & ſpiritus apud Paulum quid ſignificent 291. 6
Carthaginenſis V. Synodus prohibuit ſacerdotũ coniugium 127. 39
Carthaginenſis Synodus noluit prouocationem Epiſcoporum fieri ab alijs ad Romanum 128. (4
Caſſander Antipatri filius interfecit Olympiadem Alexandri matrem 482. 42
Caſtellani locus in Bigotium 116. 14
Caſtitas in Scipione & Ioſeph quid differant 300. 22.
de Caſtitate mandata Dei & pœnæ libidinum 109. 10
Caſtitatem ueram deſcribunt teſtimonia diuina non rancidi canones 110. 2
Caſtitas eſt conſuetudo coniugalis, dictum Paphnutij 175. 20
Caſtitatem uult intelligi Deus, ut ſciamus ipſum caſtum eſſe 883. 27
Caſtitas quid ſit 934. 28 368. 33
Caſtitatem uelle Deum quæ res oſtendant præcipue 368 19
κατηχεῖν uox quid ſignificet 34. 33
Cauſæ ſecundæ non agunt ſine prima ſcilicet ſuſtentante 239 26
Cedar Pſalmus nominat Arabes à filio Iſmaelis 680. 34
Ceremonias aliquas non eſſe abolendas 22. 1
Cerremoniæ quid ſint 22. 3
Ceremoniæ niſi ſint impiæ ſunt tolerandæ 22. 30
Ceremoniæ ἐπιλαμίων ortæ a ſanctis Patribus 100 16
Ceremonia in actione Sacramentum eſt, non panis ad alium uſum circunlatus 104. 34
Ceremoniæ in Dionyſio initia Monachatus (131 1
Ceremoniæ ueteris teſtamenti non placebant ſine fide 192 8
Ceremoniales leges Moſi quid fuerint 250. 34
Ceremonias non prodeſſe ex opere operato 753. (19
Ceremoniæ quomodo proſint 753. 21
Ceremonijs anteferenda opera dilectionis 768 (26
Ceremonias eſſe ſacrificia propiciatoria error dãnatus a Prophetis 834. 23
Ceremoniæ Leuiticæ cur inſtitutæ 836. 24
Ceremoniæ inſtitutæ propter duas cauſas 897. (26
Ceremoniæ inſtitutæ a Deo quomodo placeant 898. 15 704. 11
Ceremoniæ & forenſes leges cur traditæ 350. 25
Ceremoniæ Moſaicæ quæ ſunt iuris poſitiui ſunt abolitæ 362. 27
Ceremoniæ Moſaicæ ſunt abolitæ, præceptum de Sabbato eſt ceremoniale &c. reſponſio 362. (41
Ceremoniæ aliquo modo diſciplinæ nerui 613. 2
Ceremoniarum uerus uſus quis eſſe debeat 613. (25
Ceremoniæ ſine fide nihil differunt ab Ethnico cultu 613. 30
Ceremoniæ non ſunt cultus Dei ſine uero timore & uera fide 620. 15
Ceremoniæ non ſunt inſtitutæ ut mereantur remiſſionem peccatorum 620 17
à Ceremonialibus an tantũ nos liberauerit Chriſtus 137 28
Chalcedonenſis Synodus damnauit Eutychen 126 29
Chriſtus hortatur ad continentiam, ſed idoneos ad cœlibatum 110 36
Chriſtus mortuus ſecundum humanam naturam non diuinam 224 23
Chriſtus eſt creatura, propoſitio reiecta 201 40
Chriſtus eſt potentia Dei, Potentia Dei eſt nota gentibus &c. Reſponſio 214 40
Chriſti recordatio quæ fit in cœna qualis eſſe debeat 737 21
Chriſtus lapis angularis non tantum propter doctrinam, ſed etiam propter efficaciam 854 27
Chriſti miniſterium quomodo differat a miniſterio Prophetarum & Miniſtrorum 854 32
Chriſtus caput Eccleſiæ aſſidue efficax in ſanctis 855 38
Chriſtus & Eccleſia ſubiecti ſunt cruci, & diſſimilis eſt ſtatus imperijs mundi 842 17
Chriſtus caput Eccleſiæ efficacia, perfectione, merito & ordine 318 25
Chriſto patiente Deus patitur, &, Baptiſta patiente Deus patitur, ingens diſſimilitudo inter propoſitiones 322 2
Chriſtus natus in quarta Monarchia durante adhuc politia Moſaica 425 1
Chriſti regnum non politicum ſed ſpirituale 425 (33
de Chriſti aduentu & eius uictorijs & propagatione Euangelij prophetia 19. Pſal. 567 21
Chriſti hoſtes qui ſint 719 3
Chriſtus quando uocatur rex uel Sacerdos in æternum,

ternum, intelligitur de persona Christi, non de propagatione successorum 728. 35
Christum esse æternum Dei filium testimonia ex ueteri testamento 728. 40
Christi regnũ nõ est mundana dominatio, quia dicitur, quod sit futurum æternum 730. 10
Christum regnantem alia dicta scripturę pingunt, alia humiliatum 225. 5
Chrysostomi errores 134. 26
Chrysostomus in commentarijs in Paulum de iustificatione quomodo loquatur 134. 36
Cimmerij à Gomer propagati 680. 37
à Cithim factum sine dubio μακέτης 511. 12
Cithim uocabulum quid significet 501. 1
Cithæi olim fuerunt in locis uicinis Macedoniæ (501. 14
Ciuilia onera & seruitus ciuilis ferenda, non errores in doctrina Ecclesiæ 503. 5
Cladium futurarum prædictiones cur traditæ à Deo 502. 6
Clementia quid sit 422. 16
Cleopatra soror Ptolemæi Dionysij sibi mortem conscíuit 494. 28
Coccinum & uermiculus in Esaia quid significent 404. 5
Cœlibatus qua de causa defendatur à Pontificijs (111. 12
Cœlibatus perpetui lex admodum recens 146. 8
Cœlibatus defenditur quia commodior est ad potentiam & splendorẽ Pontificum retinendum 168. 31
Cœlibatus pugnat cũ iure naturali & diuino, & ueteris Ecclesiæ consuetudine 169. 23
Cœlibatus initia quæ & quando fuerint 171. 39
Cœna Domini 104. 21
Cœna Domini instituta ad fidem in uiuentibus exercendam 104. 25
Cœna una cõmunis apud ueteres, annis fere quadringentis sine priuatis 105. 19
Cœnæ Dominicæ usus quomodo prosit conscientijs 182. 32
Cœna Domini proprium noui testamenti sacramentum 183. 1
Cœnam patres cur sacrificium uocent 195. 36
Cœna sacrificium εὐχαριστικὸν non est ex opere operato 195. 42
Cœna Domini sanctissima libatio 734 6
Cœnę Domini principalis usus quis sit 737. (16. 754. 11. 545. 4. 837. 9
Cœna Domini fit etiam gratiarum actio & confessio 737. 23
Cœna Domini quomodo fiat sacrificium 737. (30
Cœnę Domini usus in ministro Ecclesiæ & populo nihil differt 737. 41
Communicatio Idiomatum non est Physica confusio naturarum 321. 43
in Communicatione Idiomatum formæ loquendi traditæ à uetustate 322. 19 222. 2
Cõmunicatio Idiomatũ quid sit 222. 6 321. 40
Conciliorum recentium errores 88. 8
Conciliorum & præceptorum distinctio inuentum scholasticorum 85. 37
Concordię studium quale esse debeat 695. 12
de Concordia aliter humana doctrina docet, aliter diuina 697. 20
Concupiscentia inordinata quid sit 262. 44
Concupiscentiæ uocabulum quomodo usurpetur 372. 4
Confessio generalis & petitio absolutionis retinenda in Ecclesia 160. 17
Cõfessio id est enumeratio singulorum delictorũ orta ex consuetudine ἐπιτιμίων 160. 9
Confessiones & satisfactionum leges carnificinæ conscientiarum 99. 7
Confusiones in imperijs à conseruatione societatis ac operib. Dei in ipsis discernantur 257. 5
Confessionem esse necessarium cultum 824. 36
Confessio in Psalmis significat gratiarum actionem 852. 16
Confessio edenda in supplicijs 600. 24
Confusiones postremi temporis politiæ Mosaicæ ante natum Christum 542.
Coniugij prohibitionem Paulus cur uocet doctrinam dæmoniorum 171. 20
Coniugium sacerdotum cur non sit prohibendũ (107. 13
Coniugalis consuetudo castitas est 109. 10
Coniugium Sacerdotum quo fine defendatur (111. 5
Coniugium uituperat Hieronymus 135. 39
Coniugum consuetudine Gregorius Papa interdixit Diaconis Siculis 141. 40
Coniugium quid sit 169. 34
Coniugij fines 169. 37
Coniugij præcipuus finis 170 1
Coniugij prohibitio doctrina est dæmoniorum (171. 17
Coniugium est uitæ genus Deo placens 175. 7
Coniugalis consuetudo non est immundities (176. 35
Coniugium sacerdotum quando prohibitum in Germania 172. 35
Coniugium multis & magnis miraculis ornatum à Deo 177. 7
Coniugalis amor imago amoris Christi erga Ecclesiam 177. 18
Coniugium sacerdotum Reges suis decretis abolere non possunt 179. 29
Coniugium & castitas doctrina propria solius Ecclesiæ Dei 260. 8
Coniugium in nullo unquam regno prohibitum præterquam in Pontificio 452. 22
de Coniugio communis doctrina 688. 17
Coniugium sacerdotum prohibitum in V. Synodo Carthaginensi 127. 39
Conradi Imperatoris factum laudabile 889. 38
Conradus imperator coegit pontificem ut permitteret Imperatorib. ius dicendi Episcopos Germaniæ 71. 4
Consilia & labores felices sunt quando Deus nos adiuuat 686. 19

Consecrata sine uerbo Dei non sunt discernenda à profanis 436. 39
a Consecratis uerbo Dei populus debebat abstinere propter uerbum Dei nisi in necessitate aliqua 437. 8
Consiliorum & iudiciorum collationem necessariam esse 925. 5
Consuetudinem pro lege uult haberi Tertullianus 131. 27
Constantinopolitana synodus damnauit Eunomium qui negabat S. S. esse personam & Deum 126. 29
Constantinus & Theodosius idolorum templa clauserunt & deleuerunt 257. 34
Contareni Cardinalis uerba 148. 16
Contingentia & causa peccati 235. 16
Contigentia quæ nominentur 341. 3 236. 8
Contingentiæ primus fons libertas uoluntatis in Deo 236. 9
Contractus Deo placere 770. 44
Contractibus concedit Euangelium uti 771. 16
Contractus redemtionis cuius sunt tres formæ licitus est 771. 39
Concionatoris officia 30. 1
Contritio uera quid sit 455. 34
Contritionis ueræ causæ 156. 34
Contritio aliqua necessaria est 156. 38
Contritionem oportere sufficientem esse error papisticus refutatur 157. 28
Contritionem mereri remissionem peccatorum horribile mendacium 157. 34
Conuersio uera ad Deum & uera consolatio non fiunt solis uiribus humanis 267. 11
Conuersus retinens fundamentum debet credere se placere Deo 307. 16
in Conuersione quæ causæ concurrant 158. (16 268. 36. 347. 38
Conuicia priuata aut non aut paucis refutanda sunt 921. 6
Corpus humanũ per se nõ est persona 219. 30
Cor in Prophetis significat seriam appetitionem (265. 5
Cornelij exemplum non confirmat papisticam sententiam, bona opera mereri remissionem peccatorum (20. 20
Creare quid sit 218. 19 314. 14.
Creatio opus est Patris, Filij, & Spiritus sancti 231 (14 337. 22
Creationis causa finalis. 231. 36. 242. 14. 336. 40
Creatas esse res omnes ex nihilo 232. 22
Creationis impulsiua causa, liberrima Dei uoluntas 242. 17
Creationis causa efficiens 231. 13
Creatas esse res omnes libera uoluntate à Deo 232. 30
Creauit Deus cœlum & terram: Cœlum hic quid significet 378. 40
Cultus Dei quid sit 164. 18. 356. 16
Cultus superstitiosi non placent Deo 174. 31
Cultus nullus, nulla ceremonia in nouo testamento ualet ex opere operato 191. 30
Cultum in Ecclesia instituere sine mandato Dei impietas est 142. 36
Cultus spirituales scriptura requirit 796. 15
Cultus ueri qui sint 796. 2. 810. 30
Cultus ueri non præstantur sine Euangelio 796. (15
Cultus idolatrici qui sint 807. 13
Cultuum uerorum effectus seu fructus qui sint (811. 23
Cultus præcipui Ecclesiæ qui sint 853. 6 666. (12
Cultus excogitati à Pontificibus & qua arte 453. (4
Cultus Christo debiti & honores debiti regibus politicis differunt 606. 31
Cultuum uerorum & ceremoniarum discrimen illustre tradit 50. Psal. 612. 17
Cultus ueri & ceremoniarum discrimen sæpè repetitum in Prophetarum concionib. 613. 37
Cultus externi nihil sunt sine interiore cultu 703. (5
Cultus noui testamenti quomodo discernendi sint à cultibus Leuiticis 722. 6
Cultus noui testamenti spontanei sunt, spirituales & ueri 722. 25
Cynesias Poeta festa contraria publicis celebrabat (612 22
Cyprianus de satisfactionibus durius loquitur (100. 10
Cyprianus quo tempore uixerit 131 46
Cyprianus de mortuis 132. 44

D.

Dæmoniorum doctrinam prohibitionem coniugij quare uocet Paulus 171. 20
Danielis historia de quibus rebus sit testimonium 418. 12
Daniel quando sit abductus in captiuitatem 421. (45
Daniel petit propter Dominum se exaudiri 456. (27
Danielis precatio confirmat sententiam Pauli de iusticia fidei 456. 46
Darius cuius mentionem faciunt Esdras & Zacharias est Artaxerxes Longimanus 531. 7
Dauid & Scipio quibus rebus differant 290. 3 (848. 14
Dauid in lapsu ante pœnitentiam non habebat S. S. & fidem 684. 5
Dauid cur prædicet suam innocentiam, cum nemo sit sine peccato 637. 22
in Dauide exemplum patientiæ subditorum erga magistratum 625. 14
Dauidis & Themistoclis dolores differunt 597. (5
à Dauide ad euersionem urbis Ierosolymæ quot sint anni 472. 16
Defensio necessaria concessa est 889. 44
Defensio petenda præcipue propter gloriam Dei (560. 9
Defensio iusta est contra atrocem iniuriam 625. (22

Demadis dictum de Alexandro 482. 1
Demades in exilio interfectus
Determinatio diuina est immutabilis. Omnia fiunt determinante Deo, responsio 239. 11. (341. 12
Determinatio diuina est immutabilis ratione cõsequentiæ 341. 15
Deum uere nosse quid sit 2. 32
Deus ad nullam creaturam alligandus est sine suo uerbo 104. 29
Dei mandatum anteferendum periculis mutationum 147. 36
Definitio Dei 210. 26 313. 29
Deus non recte agnoscitur sine noticia mediatoris 211. 28
Dei propria appellatio Iehoua 212. 17
Deus est agens liberrimum, sustentat creaturas do nec uult 233. 3
Deus agens liberrimum 338. 6
Deus peti uult beneficia corporalia & spiritualia etiamsi promisit ea se daturum 455. 22
Deos Maosim Daniel quos uocet 505. 28 (519. 18
Deus non est causa peccati 236. 19
Deus punit perseuerantes in impietate, est igitur prouidentia 588. 39
Deus ut adiuuet causas iniustas non est petendum 638. 22
Deum esse quæ argumenta ex natura sumta ostendant 338. 17
διαθήκη Græcum quid significet 546. 17
Dicere in Psalmo dixit Dominus est decretum facere 644. 45
Dicta aliqua non loquuntur de Essentia filij sed de officio 325. 20
Dicta aliqua loquuntur de generatione æterna filij, aliqua de generatione uisibili, aliqua de aduentu ad ministerium 229. 22
Dicta aliqua loquuntur de regnante Christo, aliqua de humiliato 225. 5
Dicere in Genesi quid significet 380. 20
Dicta de omnipotentia Christi testimonia sunt quod sit Deus 317. 3
Dilectio quid sit 695. 9
Dilectio retinetur studio retinendę pacis 695. 7
Dilectio tegit delicta quomodo explicandum (890. 18
Dilectio Dei quid sit 359. 19
ā Diluuio Nohæ ad bellum Troianum quot sint anni 477. 46
Discordia quæ mala excitet 695. 17
Disciplina peccatum est per accidens non per se (248. 19
Disciplina externa non est impletio legis 346. 46
Disciplina quid sit 248. 15 265. 41
Disciplina propter quatuor causas præstanda (252. 14 266. 9 345. 8 352. 26
Dionysius non meminit oblationis corporis domini 130. 27. 199. 10
Dionysij liber de Ecclesiastica hierarchia propter historiam utilis 130. 17
Dionysius de Chrismate perinde loquitur ut de baptismo 131. 4
Discordiæ natæ in Ecclesia post repurgatam doctrinam quando obijciuntur, quid respondendum sit 114. 22
Diuinitas mittens discernenda ā persona missa ad ministerium & humiliationem 323. 33
de Dinortijs actum in Synodo Mileuitana 128. (24
Docendi duplex genus in Ecclesia interpretatio scripturæ & methodus 514. 9
Docendi modi duo sunt Methodus & præcepta (875. 21
Doctoris in Ecclesia officium quod sit 866. 28
Doctores in Ecclesia pugnent de rebus necessarijs (920. 41
Doctrinæ corruptelæ sunt uiolatio primi & secundi præcepti decalogi 496. 37
Doctrina quæ reijcit Prophetas & Apostolos non potest esse uera 508. 9
Doctrina de uera inuocatione cur diligenter inculcanda sit 103. 41
Doctorum impiorum imago ex Psal. 36. 587. 24
Dodonæi ā Dodanim filio Iauan orti 501. 8
Dolorum in contritione possunt esse uariæ occasiones 156. 43
Dolor sine fide quo magis crescit, eo magis merguntur animi in exitium 157. 31
Dominiorum distinctio diuinitus sancita est 261. (37.
Dominiorum distinctionem sancit septimum præceptum decalogi 260. 34 369. 15
Dominiorum distinctionis origo non ab autoritate humana est, sed ā Deo 369. 38
Distinctio dominiorum approbatur testimonijs 883. 42
Domini appellatio Psal. 110. de quibus rebus nos moneat 717. 1
Donec particula Ebraica Phrasi quid significet 718. 37
Donum per gratiam apud Paulum quid significet 281. 20
Dubitationes tres præcipuæ exercent animum (785. 44
Duces ex stirpe Dauid præfuerunt post reditum ex Babylone sine titulo regio usq; ad Machabæos 506. 43

E.

Ebionis & Cherinthi hæresis 215. 32
Ebionis doctrina 87. 9
Ebrardi ducis VVirtebergensis expostulatio cum sacrificulo quodam præstigiatore 105. 6
Eccius concedit propositionem, gratis iustificamur, sed non concedit hanc, sola fide iustificamur 204. 12
Ecclesia sola monstrat remedia contra humanam ignorantiam & infirmitatem 930. 15
Ecclesia uera non est certa multitudo seu Episcoporum seu Pontificum 851. 33
Ecclesiæ collatio cum alijs regnis 850. 11
Ecclesiæ definitio sumta ex 118. Psalmo 850. (22

Ecclesia apud Prophetas & Apostolos quomodo definiatur 851. 13
Ecclesia differt à politijs humanis quomodo 851 (20
Ecclesiæ gloria qualis sit 852. 4
Ecclesiæ liberationum causæ 642. 9
Ecclesiæ caput Christus, efficacia, perfectione, merito & ordine 318. 25
Ecclesiæ ueteris mos publicus ferè nobiscum consentit 101 30
Ecclesia quid sit 89. 15 119. 33 539. 17 (573. 37
Ecclesiarum status ante Lutherum qualis fuerit (96. 36
Ecclesia non semper pariter floret, sed sæpè admodum exigua est 119. 39
Ecclesia diluuij tempore & post diluuium 119. (41
Ecclesia ubi & apud quos sit 120. 14
Ecclesia retinet doctrinam Euangelij seu articulos fidei 121. 9
Ecclesiæ fundamentum articuli fidei 121. 35
Ecclesia uera etiam habet sua errata obscurantia articulos fidei 123. 1
Ecclesia an erret: Explicatio quæstionis 123.32
Ecclesiæ autoritas an debeat opponi petulantib. ingenijs 124. 3
Ecclesia audienda ut doctrix, sed non propter autoritatem Ecclesiæ credendum est 124. 19
Ecclesia prima ualet ut testis apostolorum in dogmatibus non de humanis traditionibus (124. 34
Ecclesiæ duplices ærumnæ, crudelitas hostium, & ira Dei castigantis Ecclesiam 847. 3
Ecclesia cur sit subiecta cruci 164. 26. 842. (20. 621. 44
Ecclesia rectè facit quærens mitigationem pœnarum per bona opera, argumentum detortum ad satisfactiones refutatur 166. 27
Ecclesia propter nullam causam potest mutare mandata Dei 186. 14
Ecclesiæ Dei uox omnibus temporibus eadem est 402. 17
Ecclesiæ regimen dissimile est humano 409. 13
Ecclesiasticæ res per contractus transferri possunt ab ijs qui legitime eas administrant, ex probabili causa, sicut aliæ res fisci 437. 21
Ecclesiæ signum præcipuum professio Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ 444. 42
Ecclesiæ species qualis fuerit inde usq; ab initio (446. 29
Ecclesia non est talis cœtus qui errores defendit & addit pertinaciam blasphemam aduersus Deum 511. 12
Ecclesia Græca testatur adhuc hodie sacerdotes posse esse maritos 170. 11
Ecclesia nec materiam nec formam Sacramentorum mutare potest, dictum uetustatis 184.10
Ecclesia sola retinuit doctrinam legis integram (249. 40
Ecclesia quare dicatur regnum Christi 268. 7
Ecclesia alligata ad uerbum Dei 549. 13
Ecclesia distincta ab impijs 562. 26
Ecclesiæ membra sunt qui uera fide inuocant Deum, & propter Deum diligunt proximum (563. 28
in Ecclesia qualis populus sit 573. 25
Ecclesiæ bona quæ accipit à Deo 573. 32
Ecclesia sæpius experitur inconstantiam principum quam alij 845. 23
Ecclesia durius premitur ut agnoscat iram Dei aduersus peccatum 590. 2
Ecclesiæ omnium temporum imago 44. Psalm. (599. 36
Ecclesiam Deus cur uelit seruare 600. 2
Ecclesiæ corpus seruatur etiam in hac uita 621. (37
Ecclesia discernitur ab imperijs mundanis, & externa seruitus à cultibus cordis accensis ā Spiritu sancto 645. 33
Ecclesia principaliter uocatur ad æterna bona (658. 40
Ecclesia est subiecta cruci & tamen non destituitur bonis præsentibus, ista recte consentiunt inter se 659. 20
Ecclesia in doctrina de prouidentia differt ab Ethnicis dupliciter 663. 13
Ecclesiæ solius gloria quæ sit 813. 22
Ecclesiæ species quæ sit 853. 1 858. 16
Ecclesiæ unitas in qua re consistat 853. 41
Ecclesia non est extra hoc ministerium quod prædicat filium Dei 854. 7
Ecclesia in terra caput non habet 855. 18
Ecclesiæ caput filius Dei 855. 23
Ecclesia non est alligata ad certum locum, aut personarum successionem certam, sed ad uerbum Dei 856. 21
in Ecclesia gradus seu ordines non discernuntur iure diuino 857. 20
Ecclesia plerunq; est sine ulla humana certa defensione 858. 11
Ecclesiam non uult Deus niti præsidijs humanis (858. 13
Ecclesiæ gloria quæ sit, distincta in septem gradus (858. 43
Ecclesia certo scit se curæ esse Deo, ab eo exaudiri & saluari 859. 5
Ecclesiæ doctrina omnium antiquissima 859. 23
Ecclesia sola habet uaticinia certa 860. 15
Ecclesiæ recentiorem emendationem esse à Deo rationibus ostenditur 860. 32
Ecclesiæ uirtutes sunt magna gloria 861. 4
Ecclesiam subiectam esse cruci congruit ordini iustitiæ in Deo 894. 3
Ecclesia iusta incoatione & imputatione non consummatione 894. 21.
Ecclesiæ doctrina differt ab humana sapientia (917. 37
Ecclesia est ubi doctrina est de Deo 918. 34
Ecclesia cur sit subiecta cruci intelligere, peculiaris sapientia est ignota rationi 842. 19
Edicta impia uiolari necesse est 442. 5

Egredi filio tribuitur & Spiritui ſancto 229. (33
Egreſſio altera eſt ā potentia cogitante, altera eſt ā uoluntate 229. 37
ἐγκρατῆται Monachi 171. 42
Elam Ebræi Perſiam uocant 448. 20
Eleemoſynæ quæ requirantur 789. 3
Eleemoſynæ piorum & impiorum quomodo differant 789. 13
Eleemoſynarum modus ex Paulo 791. 8
Electio in homine & euentus differunt 898. 30
Elenchus in definitione fidei apud Paulum quid ſignificet 13. 1
Eliæ dictum de fine mundi 525. 13
Eliſabeth uxor Buceri 112. 26
Eliſæus poſt Eliam quam diu rexerit Eccleſiam (929. 5
Encęnia celebrata 25. Nouembris 506. 3
in Enumeratione ſingulorum delictorum tres errores 160. 32
Enumeratio ſingulorum delictorum non eſt præcepta iure diuino & eſt impoſſibilis 160. (43
Epheſina Synodus damnauit Neſtorium 126. (33
Ephi menſura apud Iudæos unius medimni Attici (543 40
Epiphanis duæ expeditiones quibus uenit Ieroſolymam 450. 1
Epiphanis ſæuitia in Iudæos 501. 46
ἐπιτίμια in Eccleſia nec culpæ nec pœnarum remiſſionem merentur 100. 18
ἐπιείκεια quid ſit 259. 39. 889. 33
ἐπιχαιρεκακία uicium uicinum inuidentiæ 915. 1
Epiſcopis defendentibus errores, qui aduerſantur nequaquam peccant 917. 21
Eſaias gubernauit Eccleſiam circiter 80. annos (929. 11. 399. 44
Eſaias quo tempore uocatus 399. 35
Eſaias interfectus ab impio rege Manaſſe 400. (38
in Eſaia quæ ſint præcipuæ conciones 401. 5
Eſſentia & relatio in filio an differant realiter 218. (38
Eſſentia Patris & Filij eadem, ſed idem non gignit ſeipſum, reſponſio 219. 4
Eſſentia quid ſignificet in Eccleſia 313. 43
Eſſentiam diuinam unicam eſſe teſtimonia 212. (2
Eſſentia generat, Eſſentia generatur, an recte dicatur 218. 25
Eſſentia diuina eſt incommunicabilis 219. 9
Euangelium quid ſit 1. 35. 273. 37
Euangelio non crederem niſi me Eccleſiæ moueret autoritas, Auguſtini dictum explicatur (125. 30
Euangelium non concedit libertatem docendi contra mandata Dei 185. 35
εὐαγγελίζειν quid ſignificet apud Græcos 272. 4
Euangelij ſumma, Gratis propter obedientiam Mediatoris non propter noſtra merita accipimus remiſſionem peccatorum 285. 2
Euangelij uox ſemper addenda legalibus dictis 306. 8
Euangelij miniſtris qualis obedientia debeatur (367. 4
Euangelij uox non attraxit Turcos in Pannoniam ut εἰδωλομανία longi temporis 513. 38
Euangelij promiſſio & multis & ſingulis applicari poteſt 162. 4
de Euangelij efficacia & de miniſterio Euangelij concionatur 19. Pſal. 568. 8
Euangelij uoce Deus uere efficax 579. 19
Euangelium concedit uti legibus politicis cum ratione congruentibus 917. 17
Euentuum bonorum cauſæ quæ ſint 891. 14
εὐχαριστία ritus cœnæ cur uocatus 545. 22
Euchariſtiam non eſſe adminiſtrandam, niſi adſint quibus ea diſtribuatur 203. 30
εὐχαριστικὰ ſacrificia 195. 20
ἀξελθεῖν & ἐκπορεύεσθαι differunt 229. 38
Excluſiua ſola fide conditionem meriti excludit non reliquas uirtutes 302. 12
Excommunicati excluſi erant à ſocietate ſacrorū, menſæ & aliorum officiorum 162. 42
Excommunicationis & receptionis ritus ſemper fuerunt in Eccleſia 160. 14

F.

Facultatum uſus qualis eſſe debeat 790. 5
de Fama regula apud Siracidem pertinet ad ſecūdum præceptum 362. 13
Faſtus quid ſit 913. 24
Feſti diei celebratio uera quæ eſſe debeat 867. (20
Fici folium quo texerunt nuditatem primi Parentes quid ſignificet 388. 34
Fici folium typus externæ iuſticiæ, id eſt, diſciplinæ 345. 3
Fides non oritur niſi Spiritu ſancto mouente corda 2. 1
Fides quid ſit 9. 24 12. 28 441. (19 821. 36 283. 31 359. 10 393. 3
Fidei cauſa Spiritus ſanctus 9. 33. 13. 34
Fidei obiectum 10. 4
Fidei officium 10. 39
Fides iuſticiariorum non fides dicenda eſt ſed opinio 13. 17
Fides quomodo accendatur in homine 14. 12 359. 13 282. 45
Fidem opera ſequuntur, non opera fides 14. 35
Fidei effectus ſeu fructus 15. 1
Fide iuſtificamur, propoſitionem Origenes intelligit κατὰ σωεκδοχήν 129. 16
Fidem iuſtificare teſtimonia apud Auguſtinum 139. 1
Fides facit ut contritio fiat timor filialis 158. 23
Fide accipitur Spiritus ſanctus qui incoat nouam obedientiam 158. 23
Fidei uocabulum quid ſignificet 282. 34
Fides & aſſenſio eſt & fiducia acquieſcens in Deo (283. 36

Fides & Spes differunt 284. 2 310. 11
Fide iustificamur,& per misericordiam iustificamur idem est dicere 284. 7
Fide iustificamur,propositionis confirmatio apud Paulum 285. 37.
Fide iustificamur proppositio correlatiue intelligenda (284. 24 302. 36
Fides petitione bonorum corporalium exercetur generaliter & specialiter 299. 3
Fides in diabolis qualis sit 302. 3
Fide sumus iusti,quia apprehēdit misericordiam, non quia opus est 303. 1
Fides qua homo iustistificatur quomodo differat ā notícia historiæ 302. 13
Fide iustificamur & dilectione sumus iusti correlatiuæ propositiones 303. 11
Fides nō tantū notícia sed etiam fiducía 302. 34
Fides impetrat ingentia beneficia 441. 22
Fides prælucere & gubernare debet expectationē corporalium beneficiorum 428. 38
cū Fide non pugnat conditio addita petitioni rerum corporalium 428. 43
Fides correlatiue intelligenda quando mentio fit promissionis aut misericordiæ 457. 44
Fides necessaria in usu sacramentorum 545. 2
Fides præluceat petitioni auxilij 629. 2
Fides & inuocatio Dei quid sit in ueris certaminib. discendum est 615. 31
Fide applicanda promissio & doctrina Psalmorū (654. 1
Fides in petendo promissiones intueatur 692.20
Fides res contraria operi operato 736. 18
Fides uera quomodo exístat in animis 776. 34
Fides lucere debet in omni inuocatione & omni exercitio fidei 776 44
Fidei doctrina quare obscurior sit in hac corruptione naturæ 778. 42
Fidem Paulus quid uocet 779. 31
Fides quid sit intelligitur in ueris pauoribus conscientiæ 779. 40 822. 45 843. 14
Fidem significare fiduciam misericordiæ promissæ argumentis ostenditur 780. 8
Fidei uocabulum interdum sumitur pro notícia 781. 19 (785. 12
Fidē cū mala conscientia cōsistere impossibile est
Fides discrimen facit inter inuocantes pios & impios 842. 42
Fiducia in solum Deum collocanda est 844. 5
Fiducia prælucet petitioni & expectationi rerum corporalium 778. 31
Fiducia bonę cōscientię an probanda sit 556. 9
Fiducia est actus spei non fidei,responsio 283. 42
Fiducia petitionis non debet niti propria dignitate,sed mediatore Christo 103. 25
Filius, id est, secunda persona diuinitatis quid sit (213. 9 315. 5
Filij nomina λόγου & imago quomodo sint intelligenda 213. 30
Filius cur λογὸς dícatur 213. 34 315. 25 326.21
Filius quare dicatur sapientia Patris apud scriptores uetustos 214. 12
Filius apud Esaiam nominatur mirificus & consiliarius 214. 31
Filius una λατρείᾳ adorandus,nec alia debent à natura diuina peti,alia ab humana 222. 42
Filius umbraculum est propiciatione, perpetua intercessione & gubernatione 291. 27
Filius apud Esaiam cur consiliarius dicatur 316.2
Filius agit per se nō à se,regula Augustini 323. 26
Filius cur dicatur imago patris 316. 9 326. 42
Filium Deum esse confirmant dicta de præsentia eius in Ecclesia ante natiuitatem 318. 16
Filium λόγον esse ὑποστάμενον 316. 18
Filius cōsiderandus dupliciter,uel ut persona missa,uel quo ad essentiam diuinam 324. 41
Filij Dei appellationes 326. 15
de Filio propositiones usitatæ in Ecclesia 329.13
Filius & Spiritus sanctus docent sed quo discrimine 332. 42
Filius destruit opera diaboli merito & efficacia (334. 24
Filium Dei semper adesse Ecclesiæ 451. 4
Filius Dei cum mittitur cur ungi dicatur 466. 5
Filij & Spiritus sancti actiones in ministerio quomodo congruant 700. 24
Filij missio testimonium quod Deus curet homines 787. 1
Fines pręcipui omnium actionum qui esse debeāt (683. 7
Firmamentum quid significet in Genesi 381. 25
Fœdus uocabulum quid significet 546. 24
Fontes, riuulos pro doctrina & munere docendi usurpat scriptura 604. 16
Forenses leges,Mosi quid fuerint 250. 38
Formica, lepus, locusta, aranea, utilia mouent in uita 932. 19
Fractio panis Ebraica phrasi significat generaliter conuiuium 187. 5
Francisco non ingenium sed iudicium defuit 57. (34
Funerum ceremoniæ apud Dionysium 130. 33

G.

Gangrena Synodus uidetur collecta fuisse propter Montanum,Marcionem & alios 127. 18
Gangrensis Synodus edidit decretum contra probitionem coniugij Sacerdotum 170. 19
Generalis actio Dei confertur cū speciali 588. 27
Generalis confessio semper fuit in Ecclesia 160.19
Generalis confessio retinenda propter absolutionem priuatam 161. 18
Getici regis humanitas erga Lysimachum captū (484. 31
Gignere quid sit 314. 17
Gilead mons ultra Iordanem 643.
Gloria uera quid sit 886. 21
Gloria uere est ubi in ipsis factis glorificatur Deus & ueri cultus exempla ostenduntur 751. 3
Gloriatio bonæ conscientiæ in reconciliatis Deo placet 638. 11
γνῶμαι & παροιμίαι differunt 875. 34
γνωμολογίαι Ethnicæ multum differunt ā dictis Salomonis in Ecclesia traditis 876. 44
Gog & Magog apud Ezechielem 445. 14

Gog & Magog in montibus Israel perituros esse quid significet 447. 37
Gonsagæ præsulis Mediolanensis factum 901. 21
Gratia quid significet 271. 15 281. 11
Gratia & donū per gratiam quid significet 281. 16
Gratiam non mereri nos nostro conatu 4. 11
cur Gratiæ agendæ sint in Ecclesia tres sunt causæ (748. 14
Gratiarum actio uera qualis sit 749. 17
Gratiarum actio tantum uox est credentiū 841. 15
Gratiarum actio & petitio auxilij sunt inter præcipuos cultus Dei 572. 29
Gratiarum actionis formæ directæ ad tres personas diuinitatis 655. 29
Gratiarum actio in genere quid sit 656. 30
Gratis particula excludit opinionem meriti, non contritionem & cæteras uirtutes 157. 36
Gratis particula retinenda propter quatuor causas 206. 22 287. 17
Gratis donari remissionem peccatorum quare ita sentiendum sit 778. 7
Gratitudo quid sit 258. 22. 361. 39
Gratitudo constat ex duabus uirtutibus 684. (33. 709. 33
Gratitudinem quare Deus postulet 709. 41
Gregorius septimus, uetuit ne a quoquam ὁικουμενικὸς Pontifex appellaretur 70. 11
Gregorius Pontifex inijt Pontificatum anno Christi 590. 141. 1
Gregorij tempore qui errores hæserint in Ecclesia (141. 34
Gregorius mouetur spectris ut comprobet oblationem sacramenti pro mortuis 142. 18
Gregorij tempore qui ducebant uxores in Latina Ecclesia tantū à ministerijs remouebantur 169 24 (40
Gregorij Neocæsariensis confessio de λόγῳ 215.
Grynæi historia in cōuentu Spirensi 476. 26
Gubernatores nō condant leges, quæ impediunt ueram inuocationem Dei 107. 7
Gubernatores prudentes considerant ubi sit pugnandum 926. 34

H.

Haggæus & Zacharias eodem tempore cœperūt uaticinari 463. 4
in Haggæo tres insignes loci 529. 29
Hannibal hospes Antiochi Magni hortatur ut bellum inferat Romanis 487. 45
Hæmorrhoides serpentum genus apud Nicandrum 149. 24
Henrici Lucelburgensis Imp. historia 370. 7
Henricus Sutphaniensis interfectus à ministris Episcopi Bremensis 506. 30
Hebdomades 70. apud Danielem 458. 18
Hebdomadum Danielis initium unde sumamus (460. 4
Hebdomadum computatio 460. 13
Hebdomades Danielis testimonium certissimum Messiam uenisse 461. 10 (463 15
Hebdomadum Danielis cōputatio ex Metasthene
Hermanni Episcopi Colonensis consilium quale fuerit 106. 36
Heroici uiri, autoritate armantur a Deo 438. 28
Hieronymi uersiones & historica utilia 135. 35
Hieronymus contra Pelagianos recte censet renouationem nō fieri tantum uirib. liberi arbitrij (136. 20
Hieronymus ciborum discrimina laudat tanquā cultus 136. 13
Hildebrandus fuit Gregori: 7. papa, qui primus sacerdotum cōiugia distraxit in Sicilia 172. 34
Hircanus Matathiæ nepos fouit Sadducæos 512. (42 (527. 16
Historia collectionis Ecclesiæ cur considerandа
Historiam perpetuam usq; ad Messiæ aduentum Deus cur extare uoluerit 478. 16
Homo nō potest tollere peccatum & mortē 265. (18
Homo etiam non renatus potest utcunq; regere locomotiuam 265. 30
Homines tantum seruari cum seruiunt Ecclesiæ Dei 620. 41
Homines duos uoluit esse Deus ut esset Ecclesia (688. 19
Homines cur principaliter conditi & deinceps redemti sint 868. 11
Homines natura ad imitationem ducuntur, & imitatione discunt 884. 16 (13
Honos in 4. precepto tria cōplectitur 256. 1 365
Honos & obedientia non tollunt æqualitatem essentiæ & potentiæ 324. 1
Honorans est minor honorato, Filius honorat patrem, Ergo, Responsio 323. 39
an Hostibus liceat mala imprecari 628. 27
Humana natura in Christo est & manet creatura (203. 2.
Humanæ naturæ miseria quanta sit 269. 15
Humanæ societatis conseruatio testimonium de Deo 312. 33
Humilitas quid sit 691. 18 893. 16
Hypocritæ à pijs differunt 582. 41

I.

Iason 500. talentis emit summum sacerdotium ab Epiphane 542. 10
à Iauan propagati Iones 477. 36
Idolum ab Epiphane collocatum in templo Ierosolymis anno 145. post Alexandri mortem (450. 23 506. 1
Idolum uocant abominationem Ebræi 471. 38
Idolum uastans in Daniele quid significet 472. 1 (505. 36
Idolatria uocantur omnes cultus sine uerbo Dei instituti 807. 40
Idolorum defensores non sunt membra Ecclesiæ (565. 21
Iehoua propria appellatio ueri Dei 212. 17
Ieremiæ testimonium de duabus naturis in Christo 219. 10
Ieremias interfectus 411. 24
Ierosolymæ excidium & aliarum urbium differunt 412. 18

Ieroſolymæ duo montes Moria & Sion 696. 32
Ieſus ſummus Sacerdos ſub Ocho in templo interfectus eſt 541. 42
Illuminator ſignificat præbentem lucem, id eſt cõſolationem & conſilium 866. 13
Imago Dei in homine quid ſit 242. 21 383. 31
Imaginem Dei renouari in nobis quid ſignificet (243. 15
Immaculati in Pſalmis qui uocentur 670. 25
Imperij primus gradus autoritas parentum 363. (8
Imperia diuinitus conſtitui 426. 36
Imperia adminiſtrare pijs licet 426. 39
Imperia moderata eſſe debent 933. 12
Impios certo puniri aut in hac uita, aut poſt hanc hanc uitam oſtendit 37. Pſal. 585. 28
Indulgentiæ quid ſint 79. 7
Indulgentiæ unde natæ 79. 12
Indulgentiæ cauſa certaminis inter Lutherum & Pontificios 39. 37
Indulgentias quid uocarint in Eccleſia 163. 9
Infantes in Eccleſia educatos Gregorius Papa noluit poſtea deſerere uitam Monaſticam 142. 14
Infirmi & perſecutores diſcernantur 439. 28
Ingratus mendax eſt & iniuſtus 709. 36
Inimicis an liceat maledicere 638. 39
Iniuriæ priuatæ quando remittendæ 889. 45
Iniuriarum priuatarum condonationes propter quas cauſas faciendæ ſint 890. 6
Inuidi qui ſint 914. 27
Inuidentia iniuſta eſt, quia nec Deo nec hominib. tribuit debitum 914. 40
Inuocatio Sanctorum 100. 43
Inuocatio uera, arx piorum 102. 15
Inuocatio fiat ut ſe patefecit Deus 102. 24
In adoratione ſtatuarum quanta ſint peccata 102. (30
Inuocatio ſanctorum abducit homines ā uero mediatore 102. 40
In inuocatione quæ cogitanda ſint 103. 1 (210. 17
Inuocationis ueræ forma 103. 3
Inuocans naturam inuiſibilem tribuit ei omnipotentiam 104. 1
Inuocatio ſanctorum tempore Baſilij & Nazianzeni paulatim in Eccleſiam irrepſit 134. 11
Inuocationem mortuorum damnat Epiphanius (134. 21
Inuocationem Sanctorum confirmauit Gregorius Papa 141. 28
In inuocatione Ethnici errant de eſſentia & uoluntate Dei 211. 12
Inuocatio filij & omnipotentia oſtendunt quod ſit natura Deus 217. 8 316. 26
Inuocatio S. S. teſtimonium eſt quod ſit Deus (226. 37
in Inuocatione intueamur perſonas & cogitemus beneficia earum 334. 3
Inuocatio uera quæ ſit 361. 10
Inuocatio uera eſt petere propter filium mediatorem 473. 20
Inuocatio uera à Pontificijs dupliciter obruta 503. 29
Inuocatio uera quæ fide fit, non eſt irrita 615. 23
Inuocationis ſpecies ſunt duæ, petitio & gratiarum actio 656. 20
Inuocatio præcipuus cultus Dei 656. 21
In inuocatione ſemper cogitandum de promiſſionibus 657. 1
Inuocatio piorum nititur miſericordia 805. 3
Inuocatio uera non poteſt exiſtere niſi cum adeſt fiducia miſericordiæ promiſſæ 822. 7. 823. (20
Inuocationem ā confeſſione impoſſibile eſt diuelli 823. 14
In inuocatione quæ coniungenda ſint 823. 46
Inuocatio & auxilium Dei comprehendatur quoties laboris fit mentio 885. 32
Inuocationis ueræ doctrina cur diligenter inculcanda 103. 41
Inuocatio mortuorum non toleranda 102. 11
Ionathas exemplum humilitatis 893. 22
Ionica gens bis domita ā Cyro 479. 5
Iouiniani lex de uirginum collegijs 112. 9
Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis 69. 23
Irenæus accepit doctrinam ā Polycarpo 216. 12
Iudæi ſub Adriano profligati 469. 2
Iudæa grauiter afflicta tempore Antiochi Magni (488. 6
Iudaicæ ſeruitutis initia ſub Regibus Syriacis (488. 17
a Iuda Macabæo uſq; ad Chriſtum natum quot ſint anni 490. 23
Iudaicus populus quare fuerit ſegregatus a cæteris gentibus 755. 14
Iudicare in Pſalmo miſerere ſignificat accuſare, tribuere iniuſticiam 617. 11
in iudicando qui ordo ſeruandus ſit 901. 37
Iuramentum pertinet ad inuocationem 254. 2
Iuramentum quid ſit 254. 3. 361. 13
in Iuramentis conditionales phraſi Ebræa, ſumuntur pro negatiua particula 692. 35
Iuſticia Chriſtiana quid ſit 1. 26. 2. 20
Iuſticia Chriſtiana non eſt omnium ſed paucorum 3. 18
Iuſticiam humanam pædagogiam uocat Paulus (3. 26
Iuſtificari quando dicamur 19. 1
Iuſtificationem Baſilius detrahit operibus & tribuit fidei 133. 15
Iuſtificari apud Paulum quid ſignificet 204. 16
Iuſtificare ſignificat accipere remiſſionem peccatorum & acceptationem 204. 23
Iuſticia particularis quid ſit 259. 34 889. 15
Iuſticia in Philoſophia quid ſignificet 278. 11
Iuſticia carnis non eſt iuſticia coram Deo 278. 39
Iuſtificatio quid ſit 279. 8 280. 41
in Iuſtificandi uerbo ſemper intelligatur relatio ſcilicet remiſſio peccatorum 280. 10
Iuſtificatus, iuſtus, iuſticia interdum legaliter uſurpantur interdum de iuſticia imputata 279. (16

Iuſtificari Paulo aliud eſt quam Oſiandro 280. 2
Iuſticia interdum de bonis operibus iuſtorum dicitur 279. 26
Iuſtus coram Deo ex Euangelio quí ſit 279. 42
Iuſtificatío ſic fit, ut ſimul fiant regeneratio & uiuificatio 287. 45
in Iuſtificatione etſi plures uirtutes concurrunt, tamen non ſunt cauſa aut meritum iuſtificationis 302. 3 (5
Iuſticia externa gubernatio eſt locomotiuæ 352.
Iuſticia originalis quid ſit 375. 29
Iuſticia alia eſt perſonæ, alia cauſæ 556. 11
Iuſticiam facere Pſal. 15. quid ſignificet 564. 5
Iuſtis debet bene eſſe, Eccleſia eſt iuſta &c. Reſponſio 610. 6 894. 12
Iuſti in Pſalmis quí dícantur 629. 1
Iuſti cur tam ſint ærumnoſi 580. 43
Iuſtificari in Pſalmo miſerere quid ſignificet 616. 39 (677. 43
Iuſticia bonæ conſcientiæ neceſſaria in nobis
Iuſticiã & iudicium facere quid ſignificet in Pſalmis 678. 1
Iuſticia duplex, alia perſonæ, alia bonæ conſcientiæ 637. 27
Iuſticia bonæ conſcientiæ quid ſit 637. 28
Iuſticia perſonæ quid ſit 637. 36
Iuſticia bonæ conſcientiæ omnibus neceſſaría (637. 47
Iuſticia bonæ conſcientiæ neceſſaria apud Deum & homines 638. 5
Iuſticiæ cauſæ mentio, eſt confeſſio neceſſaría propter alios 661. 3
Iuſticia legis quare non ſit ſpontanea 721. 39
Iuſticiæ laus non tribuitur Deo niſi poſt agnitionem gratiæ ipſius 767. 42
Iuſticiæ laudem ſola Eccleſia Deo tribuit 767. 43
Iuſtificationis doctrina integre explicata 777. 17
Iuſticia iudicis quid ſit 889. 16
Iuſticia ſeuera & æquitas utraq; eſt iuſticia & habet extrema eadem 889. 19
Iuſtificationis doctrinę quę argumenta opponantur ab aduerſarijs & eorum refutatio 302 1
in Iuſtificationis doctrina diſſenſiones príncipaliter unde oriantur omnib. temporib. 278. 5

L.

Labores & conſilía quando & quomodo ſint felices 686. 20
Laodicena Synodus damnauit Nouatianos 127. (27
Latro conuerſus in cruce habet nouam obedientiam & bona opera 295. 39
Legis & Euangelij doctrina tenenda in lectione ſacrorum librorum 36. 36
Lege humana non uoto prohibetur coniugium (176. 36
Leges alię ſunt diuinę, aliæ humanæ 250. 3
Leges ceremoniales & forenſes Moſi ſunt abolitæ (250. 46
Leges Moſaicæ quæ & cur abrogatæ 251. 3
Legis Moralis triplex uſus 252. 8. 351. 42
Legem cur Deus notam eſſe uoluerit etiam in hac imbecillitate 251. 31
ã Legis dãnatione quomodo liberemur 253. 37
Legi diuinæ qui contraria docent ij nequaquam ſunt populus Dei 246. 26
Legem moralem non docendam eſſe, dicere, manifeſta impietas & inſania eſt 273. 8 (289. 17
Legis uoce opus ad prædicationem pœnitentiæ
Legis diuinæ tres partes 350. 14 (350. 20
Leges forenſes & ceremonię Moſi deletę cũ politia
Legem dicere non docendam eſſe in Eccleſia furor execrandus eſt 353. 46
Leges morales non ut ceremoniales in caſu neceſſitatis omitti poſſunt 364. 23
Legis diuinæ tabulæ duæ de quibus rebus præcipiant 355. 25 (366. 35
Legum politicarum uiolatio peccatum mortale
Legum politicarum & traditionum humanarum in Eccleſia diſſimilitudo 367. 12 (28
Leges politicæ & leges diuinæ quid differant 371
Legis noticia ubi tantum eſt ibi manet perpetua dubitatio 442. 30
ã Lege data ad excidium Ieroſolymæ extremum quot ſint anni 458. 41
Legis & Euangelij principalis differentia 732. 30
Leges nõ mutandas eſſe, ſed ferenda etiam aliqua incommoda, quæ non ſunt coniuncta cũ impietate 912. 18

Legum honeſtarum fons eſt Decalogus 901. 8
Legis noticiã ſola Eccleſia integre retinuit 249.
Legis particulam retinent Ethnici 877. 1 (40
λειτουργία ſacramentum cœnæ cur dictum 545. 9
Leuiticæ ceremoniæ non merebantur remiſſionẽ peccatorum 191. 1
Leuiticæ ceremoniæ cur inſtitutæ 836. 24
Lex eſt ſpiritualis, Origenes tantum intelligit de Allegoria 130. 1
Lex Moralis quid ſit 250. 8. 351. 23
Lex Moralis cũ ſit natura nota & ei ſatisfieri ab hominib. nõ poſſit cur ſit promulgata 251. 20
Lex ſine agnitione filij Dei ne quidem incoari poteſt 253. 42. 358. 17
Lex naturæ quid ſit 263. 15
Lex Dei quare ſæpe ſit repetita in Eccleſia 264. 14
Lex eſt teſtimonium de Chriſto 252. 3 (17
Lex & Euangeliũ differũt genere & differẽtijs 273
Lex nõ poteſt fieri ſine gratia dictũ uetuſtatis 348. 46 (353. 3
Lex poſt lapſum iudicium Dei aduerſus peccatũ
Lex cur ſemper in hac uita docenda ſit 354. 14
Lex Moralis poſtulat integram conformitatem hominis cum Deo 355. 24
Lex Moralis quare repetita ſit uoce diuina 354.
Lex naturæ quid ſit 384. 25 (32
Lex concionatur de corde non de externis tantum actionibus 615. 19
Libidinibus contaminati aut fiunt Epicurei aut incidunt tandem in deſperationem 109. 19
Liberare ã lege quid ſignificet 137. 37
Libertas Chriſtiana liberat pios ã Leuiticis ceremonijs & ab humanis traditionibus 185. 40

Libertatem regendi locomotiuam quare Deus in hominib. uoluerit reliquã esse 265. 32. 344. 37
Libertas reliqua post lapsum 340. 41
Liberum arbitrium quid significet 343. 34
an Libertas sit uoluntatis humanæ cum quæritur, quæritur an & quatenus uoluntas humana legi Dei satis facere possit 344. 4
Libertas reliqua externis duabus causis impeditur 346. 3
Liberationis exempla cogitanda ut nobis quoq; promitti auxilium statuamus 378. 39
Liberationum in uniuersum qui fines principales sint 702. 3
Liberationes Ecclesiæ de quibus rebus principaliter testimonia sint 749. 27
Liberalitatis modus præscriptus à Salomone 773
Libidines quare tam sæuere Deus puniat 260. 20
Libidines quare expressa uoce prohibitæ sint in Paradiso 368. 39
Lignum scientiæ boni & mali 386. 34. (20
Lignum uitæ 386. 33
Linguæ uicia quæ sint 890. 42
Literæ & Spiritus discrimen apud Augustinum utile 137. 3
Litera in scriptura quid significet 344. 44
Locrensium exemplum de non mutandis legibus ex Demosthene 912. 1
Logos assumsit humanam naturam integram & incorruptam habentem omnes uires & appetitiones naturæ proprias & ordinatas 324. 23
Logos apud Iohannem quid significet 216. 24
λογικὴ λατρεία apud Paulum quid significet 703 (29. 834. 8
Longimanus amplexus fuit doctrinam populi Iudaici 462. 43
Longimani beneficentia erga populum Dei 481 24 (912. 36
in Loquendo apud potentes cautio adhibenda est
Lutheri disputatio cum Eccio Lipsiæ habita anno 1519. 40. 34
Lysimachus interfectus à Ptolemæo κεραύνῳ 484. (47

M.

Macedo id est ortus à Cittim 680. 46
Magistratus politici officia quatuor 257. 35
Magistratus officium excipitur à quinto præcepto 259. 12
Magistratus bonus quid sit 366. 3
Magistratum singuli interficere possunt si sint ab eo affecti atroci iniuria 366. 26
Magistratus bona Ecclesiastica nõ debet ad se trãs ferre defraudatis Ecclesijs 437. 41
ad Magistratum politicum pertinet cura iuuandi propagationem Euangelij 574. 2
Magistratus sit custos uitæ innocentum 915. 33
Magistratui cur subiecerit Deus reliquam multitudinem 916. 26
Magistratus exercens sæuitiam, iniuriæ tolerandæ sunt à ministris quia nõ gerunt gladium 917. 30
Magistratu inferente atrocem iniuriam, concessa est contra eum defensio 917. 11
Mahometus Heraclij tempore seditionem mouit, anno Christi 623. 444. 35
Mahometicæ sectæ addictos non esse Ecclesiam Dei 508. 9
Mahometus Antichristi nomine comprehendendus est 509. 25 (33
Mahometus cœpit regnare 630. anno Christi 525
Mahometica potentia quibus initijs cœperit & creuerit 869. 34
ã Mahometicis & Pontificijs eadem flagitia confirmantur 870. 40
Mahometi regno ut aduersemur Spiritus sancti testimonia monent 871. 2
Malum culpæ & pœnæ differunt 237. 35
Maledictiones in lege additæ propter duas causas 157. 4
Malachias quo tempore uixerit 541. 30.
Maledicere impijs est precari ut Deus reprimat errores & errorum propugnatores 639. 2
Maledictiones impiorum in Prophetis uox S. S. ferentis ultimã sententiã de blasphemis 639. 4
Maledicta quando refutanda sint, quando non (920. 29
Maledictio æterna quid sit 389. 28
Mambre oppidum Hebron est 647. 20
Mansuetudo quid sit 259. 36. 895. 8
Manichæi quomodo negarint humanæ uoluntatis libertatem 87. 37
ã Manasse sub Alexandro templum in Samaria cõditum 542. 2
Mandare quando de Deo dicitur, significat suo decreto efficere 697. 5
Maosim Deos quos uocet Daniel 505. 28. 519. 18
Maosim uocabulum alludit ad uocabulum Missæ 520. 21
Marcionis & Manichæorum furores de principijs (336. 17
Mariæ statua quæ colebatur ã mulieribus in Syria, de qua Epiphanius 101. 20
Marius militem absoluit qui tribunum militarem interfecerat 625. 18
Marẽ & fœminam cur Deus esse uoluerit 688. 20
Maris unius & unius fœminæ copulationem Deus cur esse uoluerit 688. 22
Massilia condita ab Ionibus 479. 9
Matrimonium cur sequendum 8. 4
Matathias pater Macabæorum 450. 25. 507. 5
Matrisfamilias honestæ uirtutes 933. 38
Mediator non est mediator sui ipsius, Resp. 224. 5
Melchisedech filius Nohæ Sem 647. 4
Mendacium quid sit 371. 6
à Mendacijs figuræ discernendæ 370. 43
Mendacitas sine probabili causa furti quædam species est 791. 19
Mens & cor in scriptis Propheticis & Apostolicis quid significent 344. 1
Messias nominatur filius Dei & discernitur à filijs adoptionis 218. 15. (223. 33
Messias inuocandus in quantum mediator est
Messiam inuocandum esse ubiq; docẽt Prophetæ
Messiæ liberatio qualis sit 406. 29 (319. 27

Messiæ regnum quale sit 473. 28. 601. 19
Messiæ descriptio in 2. Psalmo 550. 9 (12
Messiæ regnum quale futurum sit ex 2. Psal. 550.
Messias benedictus, id est placens Deo 601. 45
Messiam Deum & hominem esse testimonium in in psal. 46. 602. 34
Messiam nõ habiturum regnum politicũ 606. 20
Messias dat æterna bona, est igitur Deus & omnipotens 606. 25 (645. 11
Messias cur in Psalmo dicatur Dominus Dauidis
Messiam non esse sacerdotem Leuiticum aut typicum 649. 36 (853. 32
Messiã esse caput anguli quomodo intelligẽdũ sit
Michael dux filius Dei 475. 2
Mileuitana Synodus defendit doctrinam de peccato originali, de gratia & iustificatione 128. 19
Minister in absoluendo applicat singulis promissionem 158 33
in Ministerio quomodo simul sint tres personæ 288. 21
Ministerium personæ Christi non definit sicut Leuiticum 650. 2
Ministerium in hac uita semper durat & conseruatur 729. 42
Ministerium externum & sacerdotium differunt 735. 20
in Ministerio efficacia propter quas causas diligẽter discenda & cogitanda sit 579. 29
Ministris Euangelij qualis obedientia debeatur (367. 4
in Ministerio Filij & S. S. actiones quomodo congruant 700. 24
Misericordia quoties nominatur simul intelligi oportet promissionem & mediatorem 284. 17
Misericordiæ mentio ubi fit in Psalmis intelligatur de gratuita misericordia 514. 42
Misericordiam lex & Euangelium dissimili ratione Deo tribuunt 733. 3
Misericordiam & bonitatem facere quid significet in scripturis 880. 33. 900. 27
Miseriæ ipse sine fide & inuocatione non sunt cultus Dei 560. 43
Missio & obedientia non tollunt æqualitatem potentiæ 223. 24 (135. 8
Missę priuatę nullæ fuerunt tempore Chrysostomi
Missæ Canon reprehendendus est 144. 31
Missę neq; priuatæ neq; uenales fuerunt ante Gregorium 146. 6
Missam seu usum sacramenti non esse sacrificium rationibus ostenditur 190. 16
in Missa manifesta & multiplex idolatria 193. 1
Missas quibus de causis Pontifices & uulgus retineat 198. 9
de Missa Theatrica 197. 36. 208. 36
Missa uocabulum Ebręum contributionẽ significat 545. 16
Missa uel cœna Domini an sit Sacrificium 736. 7
Missa applicatio pro alijs tanquam idolatrica abominanda est 736. 20 809. 45
Missarũ cultꝰ idolatricꝰ in uniuersũ propter duas causas Missæ applicatio pugnat cum institutione Christi (192. 31
contra Missæ applicationem argumẽta 207. 27
Missę applicatio dupliciter pugnat cum Euangelio 207. 16 (192. 37
Missæ applicatio est contra naturam sacramentorũ
Monachorum cœtus institutí à Basilio 133. 30
Monasticã nimiũ cõmendat Chrysosto. 134. 28
Monachatus errores de uotis, cultu sanctorum, quibus occasionib. & quando creuerint 141. 8
Monarchiarum series in Prophetis cur recitetur (402. 28
Monarchiarum pictura in Daniele cap. 7. 443. 13
Monarchiam quintam nõ esse futuram 447. 26
Monarchia Persica durauit circiter ducentos annos 448. 27 (846. 13
Monarchia quarta maxime sæuijt in Ecclesiam
Montani & Marcionis flagitia apud Epiphanium 171. 33 (647. 21
Moria locus in quo Christus crucifixus est
Mors & morbi testimonia iræ Dei aduersus peccatum 100. 25 743. 3
Mors filij testimoniũ de ira Dei aduersus peccatũ
Mori in scripturis quid significet 387. 18
Mortuorum fiebat mentio in publicis precibus olim in Ecclesia 101. 13
Mortificatio & uiuificatio apud Paulum sunt uocabula ueræ conuersionis 159. 7
Moschi à Mesech propagati 680. 40
Munditiem ueram, id est, non ceremonialem quam uõcent 176. 44
Mundus cõditus propter hominem, homo ut Deus ei communicet sua bona 231. 37 (36
Mutuatio piorum & impiorum differunt 770.
Mutuatio quid sit 772. 31
Mutuatio debet esse gratuita 772. 33
qui Mutuo non dant, an illi peccent 773. 8

N.

Nasci & procedere quomodo differant 228. 40. 315. 19 (126. 37
Naturę duę in Christo uere & substantialiter unitę
Naturę duę sunt in Christo nato ex uirgine 217. 6
Naturam humanam quam λόγος semel assumsit nunquam deserit 220. 18
Naturæ in Christo ita unitæ ut tamen suas proprietates utraq; retineat 221 31
Naturarum proprietates significantia uocabula discernantur à uocabulis officij 223. 12
Naturalia quæ sunt præcepti sunt immutabilia, non quæ sunt bona utilia 260. 45
Naturalia sunt immutabilia sine Euangelio & auxilio diuino 309. 42
Naturalis notitia ostendit quod & qualis sit Deus 313. 6
Natura diuina non patitur, Christus est passus &c. Responsio 321. 6
Natura diuina moritur, propositio non est recepta in Ecclesia 321. 30
Naturarum proprietates discernendæ 323. 5
Nazianzenus patre Episcopo natus 110. 25
Nazianzenus habet testimonia de Trinitate, alia dogmata leuiter attingit 133. 42

Neceſſitas Stoica refutatur 233. 31
Neceſſitatis quatuor genera uel gradus 235. 20 (342. 22
Neceſſitas non ſignificat coactionem ſed ordinem ā Deo ſancitum 288. 37. 295. 16
Nehemias Danielem ſenem uidit Adoleſcens, Alexandrum ſenex uidit 459. 27
Neſtorius quas propoſitiones negauerit 222. 13
Neſtorius non retinuit unitatem perſonæ in filio 322. 37
Nicena ſynodus approbauit canones pœnitentiæ 122. 35
Noticiæ in mente reliquę poſt lapſum 248. 7
Noticia uera de Deo pars eſt legis naturę 263. 24
Noticię in hac naturæ prauite obſcuriores 264. 3
Noticię ordinatę nō ſunt ex natura bruta 312. 23
Noticia ſumta ex motuum cœleſtium ordine non gignit Eccleſiam 567. 39
Nouæ obedientiæ incoatio meretur mitigationē pœnarum temporalium 166. 41
Nouum teſtamentum requirit cultus ſpirituales (191. 32
Nouum teſtamentum quid ſit 546. 36
Noui teſtamenti cultus quomodo diſcernendi ſint ā cultibus Leuiticis 722. 6
Noui teſtamenti cultus ſpontanei ſunt ſpirituales & ueri 722. 25
Noua obedientia quomodo neceſſaria ad ſalutē 205. 46
Noua obedientia cur uocetur iuſtitia 281. 1
Noua obedienria incoata quomodo placeat 292. 25 (295. 5
Noua obedientia ſeu bona opera cur facienda
Noua obediētia neceſſaria propoſitio uera 295. 13
Noua obedientia neceſſaria neceſſitate ex ordine conuerſionis 296. 5
Noua obedientia neceſſaria neceſſitate ordinis, cauſæ & effectus 295. 25
Noua obedientia neceſſaria neceſſitate retinendæ fidei 296. 1
Noua obedientia neceſſaria neceſſitate uitandi pœnas 296. 11
Nouæ obedientiæ dignitas eſt quod placet Deo & eſt ſacrificium 297. 12
Noua obedientia neceſſaria neceſſitate debiti ſeu mandati 295. 33
Nouam obedientiam eſſe neceſſariam 781. 40
Noua obedientia non placet propter ſuam dignitatem 782. 33
Nouam obedientiam placere propter Mediatorem 783. 12

O.

Obedientia ſpiritualis quid ſit 769. 16 (769. 20
Obedientia piorū ab impiorum differt tripliciter
Oblationis uocabulū unde profectum 122. 16
Oblationis nulla fit mentio apud Dionyſium in Eccleſiaſtica Hierarchia 130. 27
Oblationes pro defunctis, pro natalitijs apud Tertullianum fuerunt ἀγάπαι 131. 38. 197. 15 (28
Oblationis & ſacrificij uerba apud Cypriānū 132.
Oblationis & ſacrificij uocabula Auguſtinus mitigat, ut oblationem pro memoria oblationis per Metonymiam accipiat 132. 27
Oblationem Irenæus clare gratiarum actionem uocat 132. 32
Oblationē Sacramenti pro mortuis impiam eſſe rationibus oſtenditur 142. 32
Oblatio & applicatio Miſſæ ſimpliciter pugnat cum doctrina de iuſticia fidei 192. 17
de Oblatione corporis & ſanguinis Chriſti facienda pro mortuis, opinio, irrepſit Gregorij Papę temporibus 141. 30 (195. 32
Oblatio in cœna nō eſt ſacrificiū propiciatorium
Oblationem in Miſſa impiam eſſe 208. 15
Oblationem ā manducatione nō recte diſcernunt aduerſarij 738. 1
Oeconomia Deo placens quæ ſit 687. 21
Officia œconomica & politica uere ſunt cultus in reconciliatis 364. 28
Officiorum gradus ordinati & diſtincti ā Deo 885. 27
Officium petere ad quod mediocriter idoneus ſis iuſtum eſt 913. 28 (us 130. 41
Oleo perfundebantur cadauera ut narrat Dionyſi-
Onera duriora ferenda, modo ſint tolerabilia, nec ſint atroces iniuriæ 917. 1
Onias pontifex ab Iaſone fratre infidijs petebatur 496. 12 (164. 9
Opera non mandata ā Deo non ſunt cultus Dei
Operibus eſt promiſſa uita æterna, ergo opera merentur uitam æternam, Reſponſio 205. 29
Opera ad extra ſunt indiuiſa ſaluatio eſt opus ad extra, Ergo, Solutio argumenti 224. 13. 231. 23
Opera extraordinaria ſunt teſtimonium quod Deus ſit agens liberum 234. 12
Opera primi præcepti 253. 15
quæ Opera docenda & facienda ſint 289. 5
Opera quæ impediunt Miniſterium Euangelij nō ſunt facienda ſeptimo die 362. 38
omnia Opera ſanctorum in fide facta εὐχαριστικὰ ſunt 546 5
Operum bonorum doctrinam explicat 15. Pſal. 563. 14 (761. 41
Operum doctrina incoanda eſt a doctrina fidei
Opera placent non propter propriam perfectionem, ſed propter Chriſtum 762. 4
Opera bona propter quas cauſas facienda 762. 14
Opera ā Deo mandata facienda ſunt 781. 46
Operum bonorum ſumma continetur in Decalogo 782. 8
Opera debere fide fieri dupliciter intelligendum eſt 788. 9
Opera referenda ad gloriam Dei 788. 25
in Operibus fides debet intueri promiſſiones (788. 28
Opera duplicia ā Deo mandata ſacramenta & ſacrificia 833. 1
Opera Moralia quo fine placeant 898. 12
Opus externum nullum placet Deo ex opere operato 547. 26
Oratio de purgatorio exhibita à Græcis in Synodo Baſileę, reliqua adhuc in Bibliotheca Phorcenſi 144. 13

Ordo corporum mundi testimonium de Deo 312
Origenes prorsus lapsus 122. 40 (29
Origenis errores 129. 11
Originale peccatum quid sit 339. 42
Orimasda ignis sacer apud Persas 544. 18
Ornatus sanctus in Psal. usurpatur pro uestitu pōtificiali 722. 35
Ornatus pontificis in uetere Testamento ministerium significat 722. 41
Osiander nomen iusticiæ transtulit ab effectibus ad causam 279. 27
Ossa in Psal significant robur & maxima præsidia, Reges 624. 36
οὐσία & ὑπόστασις differunt 212. 42

P.

Pædagogia nō est iusticia coram Deo 4. 1 (12
Palæologi attraxerunt Turcos in Europam 599.
Panis extra institutam actionem res aliena ā Sacramento 104. 30
Panes propositionis singuli fiebant ex duabus decimis Ephi 543. 39
Panibus propositionis alebatur sacerdotis familia 544. 2
Panormitanus & Chrysostomus improbant enumerationem singulorum delictorum 161. 8
Paphnutius in Synodo Nicena solus obstitit ne fieret decretum ut Sacerdotes abstinerent ā suis coniugibus 122. 32
Pardalidum natura 448. 32
Pardi & Pantheræ natura conuenit Græcis ingenijs 443. 23
παρεμβάλλειν in Psal. quid significet 710. 28
Particula disiunctiua Paulus cur usus fuerit, qui ederit de pane hoc, aut biberit 189. 10
Passio Christi quare proponenda 742. 31
Passionis meditatio triplex 742. 33
Patefactio Dei ante & post lapsum 336. 41
Pater prima persona diuinitatis quid sit 213. 4. (314. 9
Patientia quid sit 359. 44
Patrum scripta cum sint dissimilia, uidendum est quæ scripturæ cōgruant, quæ non 138. 34
Patrum testimonia de integrę cœnæ usu 183. 19
Pauli & Danielis testimonia contra prohibitionē coniugij 181. 4
Paulus disiunctiua particula usus, qui edit aut bibit &c. 189. 10
Pauli doctrina de iusticia fidei consentit cum doctrina Prophetarum 457. 20
Pax quomodo retinenda 896. 19
Peccati causa non est Deus 236. 19
Peccatum esse in infantibus baptisatis 247. 9
Peccatum Patres quid uocent 86. 26
Peccata post baptismum Cyprianus censuit remitti per Eleemosynas 132. 14
Peccatum originis recte explicat Augustinus (136. 43
de Peccato & iusticia fidei doctrina arcana & peculiaris sapientia ueræ Ecclesiæ 137. 22
Peccatum originale quid sit 245. 45. 376. 7
Peccatum originale ubi sit 246. 12
Peccati distinctio 247. 41
Peccata actualia quæ proprie dicantur 248. 25
Peccati finis destructio humanæ naturæ 246. 41
Peccatū aliud originale, aliud actuale 248. 27
Peccata cōtra primum præceptū decalogi 253. 25
Peccatum originis est in omnibus hominibus 244. 32 (245. 16
Peccati definitio congruens originali & actuali
Peccati causæ efficientes 246. 22. 339. 33
Peccatum ueniale quod sit 248. 29
Peccatum affectatæ ignorantiæ & omissionis (249. 22
Peccati formale est reatus 246. 31
Peccatum mortale actuale quod sit 248. 47
Peccata contra quartum præceptum 258. 9
Peccata in sanctis reliqua, sed non contra conscientiam 299. 37. 706. 37. 784. 18
Peccatum Deus nec uult, nec efficit, nec adiuuat, nec approbat 339. 1
Peccatum recte dicitur defectus seu priuatio 339. (40
Peccatum actuale etiam est priuatio 340. 27
Peccati uocabulum quid significet 375. 18
Peccati causa non esse Deum testimonium illustre 5. Psal. 553. 24
Peccatum hærens in renatis causa est cur puniantur 590.
Peccatum originis quid sit ostenditur in Psalmo Miserere 617. 37
Peccati regnantis & non regnantis distinctio unde sumta 678. 41
Peccata obseruare quid sit 689. 27
Peccata regere quid significet in Psal. 705. 18
Peccatum imputare quid significet 705. 31
Peccata an ā Deo remittantur sine compensatione (166. 8
Peccatum ueniale & mortale quid differant 783. (34
Peccata mortalia in impijs quæ sint 784. 20
Peccata mortalia in sanctis quæ sint 784. 29
Pelagij sententia non Euangelica sed Philosophica (136. 35
Perdiccas interfectus a suis equitibus 483. 22
Persicorum regum catalogus 461. 29
Persica consuetudo circumferendi sacrum ignem 104. 45 (34
Persona quid significet in doctrina Ecclesiæ 212.
Persona quid sit 212. 40. 219. 29. 514. 2
Personæ diuinitatis quomodo sint patefactæ 210. (38
Personarum duplex discrimen 229. 1
Personæ diuinitatis tres sunt, nec plures nec pauciores 213. 25
Persona terminat dependentiam naturæ assumtæ, uetus dictum 220. 28
Personarum diuinitatis discrimina 228. 26
Personæ diuinitatis quo ordine sint in conuersis (268. 10
Personarum diuinitatis discrimen ex appellationibus sumatur 331. 9. (331. 16
Personæ diuinitatis quo ordine sint in ministerio

Personæ & res in ordine politico discernantur 365 (33
Petendum non est ut Deus adiuuet causas iniustas (638 22
Petrus Alexandrinus Episcopus contendit lapsos recipiendos esse 125. 7
φιλονεικία quid sit 896. 34
Phocas Imperator confirmauit tyrannidem Pontificum Romanorum 70. 16
Pij cur affligantur, non pertinet ad iudicium politicum 611. 1
Pœna æterna & culpa simul tolluntur propter mediatorem 163. 28 (632. 5
Pœnæ corporales pijs aut mitigãtur aut tolluntur
Pœnarum causæ 4. præcipuæ sunt 922. 9
Pœnæ sunt à Deo, & sunt testimonia de prouidentia 899. 37
Pœnas purgatorij nullas esse, ostenditur 142. 28
Pœna æterna quid sit 163. 31
Pœnæ atroces atrocium delictorum testimonia de Deo 312. 36
Pœnarum corporalium exequutio differt 372. 34
Pœnarum mitigatio quare petenda ex 6. Psal 554 (26
Pœnæ impiorum in hac uita testimonia de alio uenturo iudicio 636. 28
Pœnæ quæ irrogantur Dauidi & alijs non sunt satisfactiones, nec compensationes, nec merentur remissionem peccatorum 434. 35
Pœnitentia quid sit 77. 22. 388. 40
Pœnitentia tota & bonis operibus merentur pij mitigationem pœnarum præsentium 99. 43
Pœnitentiæ locus non est post mortem 143. 39
Pœnitere Deus quando dicatur 397. 24 (41
Pœnitentiam publicam olim quid uocarint 159.
Pœnitentiæ concio est uniuersalis etsi non omnes conuertuntur 623. 36
Pœnitentiæ ueri fructus in quibus lucet & exercetur fides 434. 2
Politicarum rerum ordo est opus Dei 892. 31 257. 18
Politia Mosi quare constituta sit 350. 25. 411. 38
Politiæ Mosi uinculum fuerunt ceremoniæ & leges forenses 350. 37
Politia Mosaica quamdiu durauerit 351. 11
Politia Mosaica quare destructa 351. 19
Politias non casu constitui, docet 21. Psalmus (569. 39
Politia Mosaica quare principaliter destructa 251. (13
Politiam Mosaicam Deus quare uoluerit deleri (459. 1
Polycrates Episcopus Ephesi ait, se septimum esse natum ex parentibus Episcopis 172. 16
Pontificium Romanorum autoritas quo pacto & quando creuerit 69. 19
Pontificiæ impietatis neruus est lex de cœlibatu (181. 21
Pontifici Romano addicti nunc retinentur partim superstitione, partim magnitudine utilitatum (453. 18.
à Pontificio agmine cur sit discedendum 510. 22
Pontificium agmẽ non esse Ecclesiam Dei 515. 2
Pontificij errores de Missa & de traditionibus humanis 516. 1
Pontificiorum errores contra manifesta testimonia scripturæ 515. 2
Pontifices & Reges ungebantur 466. 4
Popilius legatus Romanus uetuit ut Epiphanes bellum inferret Aegyptijs 450. 13
Portæ imperia seu regna significant Ebræa phrasi (850. 5. 682. 16
Posteritas felix inter magna bona recensetur in Psal. 660. 12
Potestas clauium nec imponit nec remittit pœnas temporales 166. 22
Potentia Dei est nota gentibus, Christus est potentia Dei, Responsio 214. 40. 328. 22
Præceptum primum initium est obedientiæ in cæteris præceptis 253. 28
Præceptum primum decalogi quos cultus præcipiat 252. 42. 356. 24
Prædictiones de fine politiæ Mosaicæ 351. 1
Prædictiones cladium cur traditę à Deo 502. 6
Præsentiæ modi 219. 36
Præsentiæ modus in Sanctis in hac uita separabilis 220. 10
Præsentia Dei in uera inuocacione tripliciter sentitur & discitur 292. 13
Præsentia Dei assidua comprehendatur in cogitatione de creatione 337. 26
Præsentia & efficacia filij Dei in ministerio 363. (18
Præsidijs quib. licitum est uti Christianis 603. 26
Precationum formæ 230. 3
in Precatione debemus intueri promissiones Ecclesiæ factas 748. 16. 673. 37
Precatio est oblatio pro mortuis sancita in 4. Synodo Carthaginensi 128. 13
Principes in suis ditionibus debent hostes Euangelij eijcere ex possessionibus facultatum Ecclesiarum 437. 32
Principum officium esse ut impiam doctrinam & impios cultus aboleant 429. 32
Principes non constituant religiones suo arbitrio (607. 26
Princeps prudens ad durabilitatem impiorum quid præstet 926. 17
Principium in primo capite Geneseos quid significet 378. 12
Primi homines iusti erant Deo inhabitante in ipsis 337. 5
Principum exempla plurimum ualent in utramq; partem 928. 2
Principes imitentur Solem, Plutarchi dictum 914. 1
Procedere quid sit 228. 45
Professio doctrinæ manifesta quare edi debeat (576. 18
Prohibitio nuptiarum Monachis & Virginibus quæ uota fecerant primum facta in Chalcedonensi Synodo 127. 4

Promissio-

Promiſſiones Euangelij propriæ ſine conditione petendæ 824. 6
Promiſſiones corporales petendæ cum conditione 824. 10
Promiſſione amiſſa baptiſmus eſt irritum & inane ſignum 833. 6
Promiſſis humanis ubi & quatenus ſit aſſentiendum 884. 39
Promiſſiones de bonis corporalibus cur ſint traditæ Eccleſiæ 889. 34
Promiſſiones corporales ſunt commonefactiones de æterna promiſſione 888. 44
Promiſſiones de auxilio diuino & mandata de inuocatione cur traditæ 891. 35
Promiſſiones non pertinent ad non credentes 851. (38
Promiſſiones corporales referendæ ad promiſſionem gratiæ 274. 5
Promiſſio gratiæ & concio pœnitentiæ utraq; uniuerſalis 268. 30
Promiſſiones duplices ſunt 274. 2. 298. 1. 532. 33. 411. 32. 428. 33.
Promiſſiones corporales duplices ſunt, ſpeciales & generales 275. 8
Promiſſiones corporales intelligendæ cum additione crucis 375. 46
Promiſſiones bonorum corporalium quare traditæ ſint 276. 30. 373. 36. 298. 29
Promiſſiones ſpeciales diligenter diſcernendæ à generalibus 277. 29
Promiſſionem Paulus correlatiue connectit cum fide 283. 22
Promiſſionem reconciliationis oportet eſſe certam, declaratio Syllogiſmi apud Paulum (286. 3
Promiſſio gratiæ retinenda etiam amiſſis omnib. bonis corporalibus 277. 46
Promiſſio diuina eſt immutabilis, Eccleſiæ ſunt promiſſa bona corporalia &c. Reſp. 277. 34
Promiſſiones cur additæ bonis operib. 305. 35
Promiſſiones & comminationes omnibus legib. cur ſint additæ 360. 7
Promiſſiones & comminationes additæ legi diuinæ quid proſint 372. 29
Promiſſio gratiæ propria Euangelij 373. 25
Promiſſio bonorum corporalium duplex eſt 373. (28
Promiſſio conſeruationis corporis Eccleſiæ gratuita 374. 15
Promiſſiones additæ operibus ratæ fiunt in his qui iuſtificati ſunt fide 375. 3
Promiſſiones in Moſe de politia certa ſpeciales ſunt non generales 375. 10. 533. 1
Promiſſiones ratæ propter Mediatorem non bene meritis aut ſanctis 615. 42
Promiſſiones conſiderandæ ſunt quoties miſericordiæ fit mentio 622. 17
Promiſſio gratiæ credentibus omnibus rata & firma eſt 658. 42
Promiſſionum corporalium, & promiſſionis gratiæ illuſtre diſcrimen traditur 658. 39
Promiſſiones præſtat Deus, ſed non modo cogitato à ratione humana 408. 5
Promiſſio omnis requirit fidem 432. 41
Promiſſiones bonorũ corporaliũ corpori Eccleſię præſtantur etiãſi non ſingulis ſemper 659. 13
Promiſſio corporalium bonorum tradita propter promiſſionem gratiæ 661. 11
Promiſſiones gratiæ & legales quomodo differãt (690. 26
Promiſſione gratiæ amiſſa, amittuntur etiam cæteræ 693. 31
Promiſſiones de Chriſto ſunt gratuitæ 752. 34
Promiſſionibus corporalibus inuolutæ ſunt æternæ 764. 8
Promiſſiones corporales dupliciter intelligendæ ſunt 764. 16
Promiſſa bona quia nõ contingũt in hac uita, ſunt teſtimonium reſtare aliam uitam 764. 33
Promiſſiones corporales admonent nos de ueris & æternis bonis 764. 45
Promiſſiones corporales neceſſario requirunt primo agnitionem Dei 765. 24
Promiſſioni de miſericordia incluſę ſunt promiſſiones de gratuita remiſſi: peccat: 767. 20
in Prophetarũ enarratione quę conſideranda ſint (541. 13
Propheta quid ſit 398. 43. 531. 36
Prophetarum præcipuum munus 399. 11
Propheticorum ſcriptorum & tragediarum ingẽs diſcrimen eſt 401. 23
Prophetica gubernatio diſſimilis gubernationi impiorum 403. 5
Prophetæ ex lectione quæſiuerunt conſolationem (455. 17
Prophetæ inde uſq; ab initio generis humani cur fuerint miſſi 398. 7
Propheticam gubernationẽ quid uocet Salomon (929. 18
Propiciatoriũ ſacrificium unum tantũ eſt 195. 13
Proprietates aliquæ in Chriſto perſonæ conueniunt non alterutri naturæ 323. 9
Pſalmi ſapientia & uox Dei 697. 38
Pſalmorũ diſcrimina 698. 2. 514. 20. 548. 33
Pſalmorum duo genera 643. 28
Pſalmi graduum à loco dicti ſunt 679. 39
in Pſalmis narrationes ſunt exẽpla promiſſionum 630. 16
Pſalmi & promiſſiones principaliter loquuntur de Eccleſia 604. 36
in Pſalmorum fine additæ precationes oſtendunt exempla ad cęteros quoq; pertinere 578. 42
Pſalmi qui requirunt ueros cultus, referendi ſunt ad doctrinam Euangelij 796. 29
Ptolemæus Lagi filius præcipuus inter duces Alexandri 491. 18
Ptolemæus Philadelphus magnis beneficijs Iudęos affecit 491. 42
Ptolemæus κέραυνος uxorem duxit ſororem Arſinoen non Philadelphus 492. 5
Ptolemæo εὐεργέτῃ Iudæa tributum pendere coacta fuit 492. 22

Ptolemæus Φιλοπάτωρ dictus ironice 492. 27
Ptolemæus Epiphanes defensus ā Romanis 492. (15
Ptolemæus Philometor 492. 24
Ptolemæus Physcon dictus ā Sagina uentris 493. (13
Ptolemæus λάθυρος unde dictus 403. 42
Ptolemæus λάθυρος coegit coctis carnibus fratrum Iudæos uesci 494. 8
Ptolemeus Auletes unde dictus 494. 20
Ptolemæus Auletes propter crudelitatem eiectus ex Aegypto per Gabinium postea restitutus fuit 494. 23
Ptolemæus Dionysius Pompeium fugientem ex Pharsalica pugna interfecit 494. 25
Ptolemæus Lagi per fraudem in Sabbato Ierosolymam ingressus, tyrannidem exercuit & tributum indixit 542. 3
Prouerbium quid sit 875. 40
Prouerbiorum liber quid contineat 876. 16
Prouidentiam esse asseuerat 37. Psal. 588. 27
Purgatorij sermones percrebuerunt Augustini tẽpore 140. 13
Purgatorij mentio orta ā spectris 144. 6

R.

Ratio humana propter calamitates in quibus sunt boni, tollit prouidentiam & deinde studium recte faciendi 588. 11
Redemtorem generis humani quare oportuerit esse Deum & hominem 220. 41
Refutatio argumentorum quæ pro oblatione in Missis adducuntur 209. 26
Regum propria functio beneficentia erga oppressos 433. 29
Regum prima pœna autoritatis amissio 438. 23
Regnum Christi quid sit 121. 14
Regnum Christi in hac uita 324. 46 451. 18
Regnum Christi in uita æterna 325. 8
Regnum Christi Paulus quid uocet 363 12
de Regno Christi cum Prophetæ loquuntur, complectuntur integram instaurationem 465. 31
Regni & Sacerdotij descriptio in Psal. Dixit Dominus 644. 20
ad Regnum Christi quæ pertineant 715. 43
Regnum Christi quale sit, & quæ sint beneficia Regis 718. 5
Regnum Christi quale sit intelligere ad quid prosit 718. 14
Regnum Christi quid sit, integra definitio 740. (6
Regnum Christi Ecclesia quare dicatur 268. 7
Regnum pontificium superstitione constitutum (453. 23
Regnum pontificiũ non est Ecclesia 454. 14
Regnum Othomannicum quo anno Christi cœperit 447. 19
Regnum populi Iudaici qua re antecellat omnib. alijs regnis 640. 12
Rhamnus genus spinæ in Psalmo 636. 1
Rhamnum ueterem superstitio finxit prodesse cõtra fascinationes 636. 6
Reconciliatio sit ut restituatur conformitas cum Deo 295. 7
Religio quid sit 10. 17
Remissio peccatorum contingit propria cuiusq; fide 736. 15. 143. 11
Remissio culpæ discernenda ā remissione pœnarũ temporalium huius uitæ 164. 24
Remissio peccatorum gratis datur propter Christum non pendet ex merito contritionis (162. 1. 157. 46
Remissionem peccatorẽ impossibile est contingere ullis propter opus cuiusquā sacrificuli 143. 7
Remissionis peccatorum quando fit mentio, includatur doctrina de mediatore 705. 4
Renatos posse amittere gratiam & Spiritum sanctum probatur 249. 4
Riphæi ā Riphat propagati 680. 38
qui Ritus proprie sint Sacramenta 544. 27
Ritus ἐπιλαμίων in ueteri Ecclesia quales fuerint (159. 38
Ritus missæ apud Dionysium 130. 20
Ritus usitati Augustini tempore ne ipsi quidem Augustino placuerunt 139. 46
Ritus si seruentur facile repullulant prauæ opiniones 148. 47 (640. 11
Rosam quare Psal. uocet regnum populi Iudaici

S.

Sabbati præceptum quomodo abolitum 362. 41
Sabbati appellatio complectitur uniuersam publici ministerij conseruationem 254. 29
Sabbati obseruatio quo ad speciem abrogata (255. 2
Sacerdos quid sit 32. 40
Sacerdotum collegia in quem usum condita fuerint 42. 3
Sacerdotum coniuges Eccius Lupas uocauit 107 (42
Sacerdotes Apostolorũ tẽpore & diu post in Græca & Latina Ecclesia fuerunt mariti 172. 14
Sacerdotibus licet habere coniuges 170. 6
Sacerdotes in lege certo tempore abstinebant ā consuetudine coniugum, ergo nunc etiam, Responsio 176. 8
Sacerdotib. lex Dei cõcedit coniugiũ 176. 27
Sacerdotes an post ordinationem possint ducere uxores 178. 29
Sacerdotium Messiæ differt a sacerdotio Leuitico duabus rebus 646. 40. 729. 2 732. 18
Sacerdotis nomen principaliter conuenit filio Dei (647. 32
Sacerdos summus quid sit 647. 41. 725. 10
Sacerdotis summi definitio quomodo congruat Christo 648. 1
Sacerdotes participatione qui sint 648. 38
Sacerdos typicus quid sit 649. 29
Sacerdotium Messiæ quare conferatur ad Sacerdotium Melchisedech 651. 10
Sacerdotij & regni Christi doctrina ad quid prosit 716. 6. 735. 7
Sacerdotis officia tria sunt 725. 14 (725. 38
Sacerdotes non sunt qui tantum legem docent

Sacerdotis officia principaliter conueniunt Christo 726. 12
Sacerdotium Leuiticum cur institutum 729. 7
Sacerdos secundum ordinem Melchisedech quid sit 730. 24
Sacerdotium Leuiticum quid fuerit 730. 29. (733. 3
Sacerdotes primum quales fuerint 731. 18
ad Sacerdotes etiam pertinent sententiæ generales de coniugio 170. 26
Sacerdotium uerum est concionari de uoluntate Dei remittentis peccata & de auxilio Dei 732 (47
Sacerdotium noui testamenti differt à Leuitico, ut Euangelium à Lege 733. 3
Sacerdotium noui testamenti quid sit 733. 6
Sacerdotium Christi ā nostro quibus modis differat 735. 24
Sacerdotij honorem Christus quomodo nobis impertiat 735. 29
ad Sacerdotium Christi quæ pertineant 715. 38
Sacramenta duo tantum, Baptismus & Cœna domini 77. 17
Sacramenta sunt certi generis actiones 104. 27 (106. 10
Sacramenti uerus usus qualis sit 105. 35
Sacramenta extra institutam actionem nequaquā retinent Sacramenti rationem 106. 10. 193. 12
Sacramenti usus prodest tantum ijs qui utentes eo recordantur mortem & beneficia Christi 143. (15
Sacramenti integrum usum cur aduersarij nolint restitui 182. 10
de Sacramentorum uero usu quare recte docendi sint homines 182. 4
Sacramentum corporis & sanguinis institutū esse pro tota Ecclesia, confirmatur 183. 4
a Sacramento abstinere non est liberum 185. 11
Sacramenta sunt actiones ipsæ directæ ad eū finē ad quem institutæ sunt 186. 36
Sacramentum gestatum in calathis utramq; partem significat, quod testantur dicta apud Eusebium & Hieronymum 187. 19
Sacramenta signa gratiæ 544. 25
Sacramenta quid sint 544. 29. 833. 2
Sacramenta instituta propter publicas & priuatas causas 544. 32
Sacramenta publice cur instituta 544. 33
Sacramenta sunt testimonia uoluntatis Dei erga nos 544. 45
Sacramenti cœnæ nomina multa sunt 545. 8
Sacramentorum usus applicatio promissionis ad nos 547. 5
Sacramenti applicatio non fit pro alijs 547. 20
Sacramenti partis unius repositionem impiam esse ostenditur 209. 1
in Sacramentis principaliter intueamur promissionem 833. 9
Sacramentorum principalis usus 837. 6
Sacramenti unius partis sumtio pugnat cum manifesto mandato Dei 184. 17
Sacras res an liceat transferre ad profanos usus 436. 38
Sacrificij & oblationis uocabula ubi leguntur, intelligatur aut signum sacrificij & oblationis aut gratiarum actio 132. 38
Sacrificiorum duæ species 195. 10. 833. 25
Sacrificium patribus in doctrina cœnæ significat gratiarum actionem 197. 3
Sacrificium propiciatorium unicum tantū mors Christi 190. 22. 833. 28
Sacrificium iuge oportere esse in Ecclesia 194. 12
Sacrificia in ueteri testamento significant mortem Christi 195. 3
Sacrificium quid sit 545. 29. 833. 12
Sacrificiorum species Osiander tres constituit (545. 31
Sacrificia pro peccatis quid fuerint in ueteri testamento 545. 38. 190. 33
Sacrificiorum alia distinctio 546. 2
Sacrificia uera sunt in corde 615. 15
Sacrificia cur reijciat & approbet Psalmus miserere 620. 14
Sacrificia quomodo Deus probet, quomodo non probet 702. 38
Sacrificia a Deo instituta & facta in fide placent 703. 4
Sacrificia Patrum ab initio mundi quid profuerint 726. 33
Sacrificia in ueteri testamento non merebantur remissionem peccatorum 726. 36
Sacrificia ueteris testamenti typi fuerunt Christi & eius mortis 726. 37
de Sacrificijs falsam opinionem populi sæpe taxarunt Prophetæ 727. 1
Sacrificium Christi quale sit & quomodo prosit (727. 21
Sacrificij honorem Christus quomodo nobis impertiat 728. 7
Sacrificia Christi ā nostris quomodo differunt (735. 47
Sacrificia quæ ualeant ex opere operato nō habet nouum testamentum 737. 35
Sacrificia non sunt ea opera quæ non sunt mandata ā Deo 833. 18
Sacrificiorum finis 833. 20. 835. 15
Sacrificium propiciatorium quid sit 833. 22
Sacrificium sine cultu mentis Deus non approbat (834. 6
Sacrificium εὐχαριστικὸν 835. 5
Sacrificium εὐχαριστικὸν quomodo placeat 835. 8
Sacrificium Christi fit nostrum applicatum fide (835. 38
Sacrificium εὐχαριστικὸν complectitur omnia opera & cultus mandatos ā Deo 836. 1
Sacrificium εὐχαριστικὸν perpetuum est uita Christiana 836. 8.
in Sacrificio εὐχαριστικῷ considerandę semper causæ efficientes & finales 836. 14
Sacrificia non sunt opera traditionum humanarum 836. 19
Sacrificium laudis quid uocet Paulus 832. 20

Sacri-

Sacrificiorum & obedientiæ quis finis esse debeat 832. 28
Sacrificia propiciatoria non sunt ne quidem opera mandata à Deo 836. 22
Sacrificia propiciatoria Leuitica quædam dicebantur propter similitudinem & significationem 836. 47
Salem duo oppida fuerunt, alterum postea Ierusalem dictum est 647. 47
Salem apud Iosephum quæ urbs sit 732. 12
Salis & nitri naturæ similes sunt 918. 8
Salomon & Phocylides quo pacto differant 872. (25
Samosatenus negauit in narratione Iohānis λόγον intelligi personam seu ὑφεστάμενον 215. 37
Sapientiam in Prouerbijs uetustas intellexit filium loquentem ad Ecclesiam 887. 1
Sanctorum exempla imitationis causa & propter alias causas considerandæ sunt 104. 8
Sancti quare affligantur 421. 12
Sancti perpetuo quomodo regnabunt 426. 8
Sanctum significat attributum usib. Dei 701. 27
Sancti quomodo luctentur aduersus desperationem 799. 11
Sanctos habere peccata, cur hoc necesse sit inculcari in Ecclesia 826. 24
Sanctorum mors testimonium est de uita & iudicio post hanc uitam 829. 23
Sanctorum sacrificia sunt præcipua sacrificia & cultus Dei 830. 23
Sanctificare quid sit 385. 34
Sanctificetur nomen tuum quid significet 863. (27
Sanctificatio diei festi quid proprie significet (867. 12
Sanguines significat reatum pœnæ homicidij in 50. Psal. 619. 31
Satisfactiones necessario taxandæ 99. 32
Satisfactionum ritus seruati Cypriani tempore 100. 4
Satisfactiones Canonicæ quid fuerint 100. 37 (163. 19
Satisfactionum doctrina falsa & impia est 143. (47
Satisfactiones uocarunt in Ecclesia id quod Græci ἐπιτίμια 159. 43
Satisfactionum uel ἐπιτιμίων causæ quæ fuerint (160. 3
Satisfactio Canonica olim publicum spectaculum 162. 27
Satisfactio in distinctione partium pœnitentiæ aduersarijs quid significet 162. 17
Satisfactiones mereri remissionem pœnarum purgatorij, uel aliarum pœnarum huius uitæ, sententia pontificiorum falsa & impia 163. 16
Scandalo crucis doctrina & consolatio opponenda 588. 5
Scipio posterior & Polybius legati missi ad Ptolemæum Physconem in Aegyptum 493. 25
Scopas uictus ab Antiocho Magno 488. 14
Scoti doctrina maxime confusa 57. 32
Scripturæ quatuor sensus 33. 5
Scripturę sententia certa ac perspicua 84. 41
Scriptorum ueterum autoritas quæ esse debeat (100. 46
Scripta quæ nostræ Ecclesiæ in explicatione doctrinæ sequuntur 96. 11.
Scriptoribus ueterib. quid tribuendū sit 128. 37
Scythæ propagati à Magog 680. 38
Seditiosi contra magistratus qui sint 917. 5
Seleuco & eius posteris femur natiua ancora insignitum fuit 486. 10
Seleucus beneficus erga Iudæos 486. 20
Seleucus καλλίνικος 486. 33
Seleucus φιλοπάτωρ ignauus quæstor 488. 25
Seleucus Philopator spoliari templum in urbe Ierosolyma iussit 489. 15
Sem cur uocatus rex iusticiæ & pacis 734. 19
Sententiæ in dubijs rebus etiam ualent propter autoritatem magistratus 916. 43
Sententiæ uniuersales considerandæ, ut nos ipsos quoq; in eas includamus 578. 33
Sermonis communicatio quare attributa homini 925. 2
Sichem hospitium Abrahæ uenientis in Canaan (642. 38
Simonides non rectè respondit Hieroni quærenti quid esset Deus 930. 2
Somnia quibus credendum est 424. 11
Somnij de Monarchijs interpretatio apud Danielem 424. 29
Spes quid sit, & quomodo differat à fide 284. 3 359. 26
Spiritus sanctus adest in ipsa actione cum baptisatur homo 104. 30
Spiritus sanctus quid sit 213. 16. 225. 41. 315. 12
Spiritum sanctum esse personam testimonijs ostenditur 226. 3. 332. 1
Spiritum sanctum fuisse antequam carnem induit filius Dei 227. 2. 333. 15
Spiritus uocabulum in genere significat agitationem 226. 2
Spiritum sanctum esse Deum testimonia ueteris Ecclesiæ 228. 1
Spiritus sanctus in quocunq; esse dicitur, ibi est per uerbum dictum Athanasij 288. 25
Spiritus uocabuli significata 330. 44
Spiritus sanctus discernitur à donis creatis à Paulo 333. 13
Spiritus sanctus sanat uoluntatem & affert initia libertatis 348. 22
Spiritus Dei in scripturis Spiritum sanctum significat 380. 9
Sponsiones periculosas esse 884. 28
Stare regnum Ebraica phrasi significat florere (480. 33
σοργὴ in uiro ad mulierem imago est amoris in filio Dei ad naturam assumtam, & deinde totam Ecclesiam 688. 25
Successus in imperijs, salutarem gubernationem, Dei opera & beneficia esse 569. 2
Superbia quid sit 893. 24 691. 13

Superbia fons inuidentiæ 914. 32
Suchot locus ultra Iordanem ad torrentem Iaboc (642. 46
Superstitiones soluunt uota 112. 6
Symbola panis & uini Christus cur distincta esse uoluerit 188. 7
Synecdoche est in dictis de fractione panis 187.12
Synodi piæ audiendæ ut Ecclesia 125. 13
Synodus Nicena pontifici Romano occidentalium Ecclesiarum permisit curam, orientalium alijs assignauit Episcopis 65. 45
Synodus Neocæsariensis uetant ne Sacerdotes accedant ad conuiuia secundarum nuptiarum 126. 5
Synodus Nicena contra Arrium & Catharos 126. (9
Synodus Nicena decreuit ut Alexandrinus Episcopus præesset Ecclesijs orientis 126. 15
Synodus Mileuitana egit de diuortijs 128. 24
Synodus Ephesina damnauit Nestorium 126. 33
Synodus Antiochena ante Nicenam conuocata contra Samosatenum 127. 16
Synodus Ancyrana memorabilem habet constitutionem de coniugio sacerdotum 127. 22
Synodus Carthagi: V. prohibuit sacerdotum cõiugium 127. 39
Synodus Carthag: noluit prouocationem Episcoporum fieri ab alijs ad Romanum 128. 4
Synodus Chalcedonensis damnauit Eutychen (126. 41
Syricius Romanus primus ausus fuit diuellere cõiugia 172. 21
Syriæ Reges 485. 39
Syria ã Romanis occupata 491. 3

T.

Taulerus ante nostram ætatem reprehendit errores in Ecclesia 511. 8
Temperantia quid sit 259. 41
Templis dedicatis pij uti possunt si ea teneant sine furto aut aliorum iniuria 437. 1
Templum Ierosolymis profanatum ab Epiphane collocato ibi idolo Iouis Olympij 450. 19
Templum recuperatum ã Macabæis anno 148. post Alexandri mortem 450. 31
Templi sub Nabugdonosor destructio facta est 47. Olympiade 460. 18
Templum 46. annis ædificatum esse cur dicatur in Iohanne 463. 9
Templum sub Iuliano cœptum instaurari 469.4
Templum ab Onia Iuniore in Aegypto conditum Heliopoli contra expressum mandatum Dei 496. 19
Templum Daniel cur uocet fortitudinem seu arcem 505. 12
Tenebræ usitata phrasi Ebræa significant afflictiones 766. 16
Tentationi de indignitate opponenda est particula gratis 631. 38
Tentationes tres præcipuæ & consolationes contra eas 786. 5
Tertulliani dictum, Rectum esse quodcunq; primum est 119. 12
Tertulliani uera sunt testimonia contra Marcionẽ, Praxeam & alios 131. 13
Tertullianus impie damnauit secundas nuptias (122. 42
Tertium præceptum concionatur de conseruatione externi & publici ministerij 254. 28
Tertium præceptum partim est morale, partim uero ceremoniale 255. 5
Tertium præceptum decalogi quo ad genus est naturale, sed quo ad speciem est ceremoniale 362. 34
Testamenti ueteris & noui discrimen in Esaia (404. 23
Testamentum uetus quid fuerit 536. 36
Testamenti uocabulum quid significet 546. 28
Theocritus, Callimachus, Apollonius apud Philadelphum uixerunt 492. 11
Theologiæ discendæ ratio 35. 1
Thomas inter Scholasticos sæpissime inter se pugnantia dicit 57. 31
Thraces ã Thyras filio Iaphet propagati 680. 37
Tiberij uexilla in templo erecta fuerunt 471. 2
Tiberius Gracchus Carthaginẽ instaurauit 528. (41
Tiberij secũdi Imperatoris liberalitas erga pauperes 792. 36
Timor seruilis discernatur ã filiali 157. 20
Timor Dei in Psalmis generaliter significat uerũ cultũ Dei 587. 17. 659. 33. 687. 43. 762. 36
Timere Deum in scripturis significat seruire Deo seu colere Deum 759. 27. 878. 42
Timor Domini significat ueram conuersionem ad Deum 900. 25
Timor Dei quid sit 358. 47 359 7
Toletana Synodus sub Honorio de doctrina utiliter multa cõstituit, de ceremonijs non itẽ 127. (32
Traditiones non æquentur fundamento, sed dicantur res adiaphoræ 854. 23
Traditiones humana autoritate factæ intelligendę sine opinione cultus & necessitatis 367. 9
Traditionum uiolatio extra casum scandali non est peccatum mortale 366. 41
Traditiones humanas ualde confirmauit Hieronymus 135. 38
Traditiones humanas seruare pro cultu Dei impietas est 4. 35
Traditiones aliquę citra peccatum seruari possunt 4. 39. (4. 42
Traditiones sine peccato pacis studio retinendæ
Traditiones quæ sine peccato seruari non possunt 5. 2 (916. 8
Traiani uox alloquentis magistrum equitum
de Transubstantiatione decretũ factũ anno 1215. Innocentio tertio Pontifice 447. 16
Trepidationes & circumcursationes oriuntur ex diffidentia 844. 29
de Trinitate certamina in Ecclesia quæ fuerint (215. 30

Turcicum

Turcicum uel Othomannicum regnum quo anno Christi cœperit 447. 19
Turci ā Caucasi rupibus initio progressi 445. 15
Turcico regno non esse assentiendum 870. 20
Tuiscones ab Ascanes propagati 680. 38
Tyrannus quid sit 366. 21
Tyranni à gubernatione remouendi per ordinarios magistratus 366. 23
contra Tyrannum inferentem manifestam & atrocem iniuriam subdito concessa est defensio (625. 15
Tyranni grassantes in Ecclesiam etiam in hac uita dant pœnas 621. 27
Tyrus ab Alexandro expugnata 536. 18

V.

Vaticinia de regnorum euersionibus cur ā Prophetis recitentur 401. 10
Vaticinia multipliciter erudiunt & confirmant Ecclesiam 443. 2
Vbera in Salomone significant σοφγ̃ρ 883. 17
Venire in nomine Domini quid significet 864. 2
Verbum Dei ideo traditum ut de eius uoluntate certi simus 807. 17
Vera uirtus quid sit 346. 38
Veri usus nominis diuini qui sint 253. 44
Veritas neruus iudiciorum 262. 23
Veritas quid sit 262. 20 370. 30
Veritas & iudicium in Psalmis quid significent (755. 41
Veritas & candor uicinæ uirtutes 890. 36
Vetus testamentum quid sit 546. 34
Victoriæ finis 422. 13
Viduæ appetentes coniugium de quibus Paulus loquitur, an uota fecerint 180. 12
Vindicta priuata prohibetur in præcepto, Non occides 368. 2
Virginitatem Paulus cur laudet 175. 25
Virtus in homine non renato ualde exilis 346. 23
Virtutes quare uelit notas esse Deus 361. 21
Virtutum omnium intellectus cur mentib. hominum inditus sit 883. 25
Virtutes in sanctis quibus causis concurrentibus fiant 619. 15
Vita æterna quid sit 2. 25
Vita iustificati spiritu non est pauor aut sensus iræ Dei 143. 27
Vita æterna dicitur merces, Ergo nouitas est meritum, Responsio 205. 24
Vitæ actiones quomodo regendæ sint 686. 25
Vicia contraria secundo præcepto 254. 15
Vicia quid sint 346. 24
Viuificatio opus totius Trinitatis quo ordine fiat (323. 22
Vngendi Phrasis unde sumta 602. 18
Vnitas quando tribuatur Deo, & quando discernantur personæ 212. 30
Vnio duarum naturarum hypostatica seu personalis in filio 219. 26
Vnio hypostatica quid sit 220. 25
de Vnione hypostatica modi loquendi usitati in Ecclesia 220. 30
Vocatio gentium testimonium est, remissionem peccatorum dari propter filium Dei gratis, nō propter legem 607. 4
Vocatio Principum testimoniū, munus principum approbari ā Deo 607. 10
Vocationū gradus ordinati ā Deo 885. 21
Voluntas in conuersione non est ociosa 271. 39
Voluntas Dei reuelata in lege & Euangelio cognoscenda 308. 12
Voluntas humana exuere prauitatem non potest (347. 12
Voluntas humana credere de promissione diuina non potest 347. 20
Votum non debet esse uinculum iniquitatis 112. (7
Votum non est uotum nisi sit uoluntariū 137. 38
Vota impia & facta contra mandata Dei sunt irrita 174. 18
Vota confirmata in Synodo Mileuitana 128. 28
Vsura quid sit 772. 36
Vsuræ quare prohibitæ 772. 38

Z.

Zacharias quo tempore uixerit 531. 42. 541. (28
Zelus quid sit 259. 37

FINIS.

EPITOME RENOVATÆ EC- 1
CLESIASTICÆ DOCTRINÆ.

PHILIPPVS MELANTHON.

DE RELIGIONE SEV EVANGELIO, SEMper uariè iudicatum est, ut testatur Paulus, cùm querítur Iudæis esse scandalo, Græcis uideri stultíciam. Deinde in his, qui religionem amplecti uidentur, sunt qui uentris commodis ducuntur. Nam bona pars Episcoporum ac Príncipum patrocínatur Pontifící, priuati commodi causa, multos ex plebe uidemus Luthero fauere tanquam libertatis autori, pertęsos morum ueterum. Professores quosdam ambitio, aut spes quæstus inuitat ad docendum nouæ doctrínę genus, quo se ad uulgus uenditent, paucos incitat ad doctrinam operum tuendam hypocrísis. Longè pauciſſimi metu diuini iudicíj, tùm cognoscere religionis dogmata, tùm sequi studeni in instituenda uita. Porrò, cùm nullo peccato perinde offendatur Christus, atqꝫ Euangelíj contumelia, cauendum est ne quid in negocio Lutherano (ut uocant) statuatis, quod officiat Euangelíj gloriæ. Notum est, quid interminetur Christus blasphemis, cùm inquit, Qui ceciderit super lapidem hunc, confringetur, super quem uerò ceciderit is, conteretur. Debet autem in talibus negocíjs scríptura consuli, quemadmodum præceptum est Esaíę quarto, Ad legem & ad testimonium. Ferè deprauatos mores maiorum, malè intellecta patrum scripta, & fallax rationis iudicium, ad hanc controuersiam iudicandam afferunt. Paulus uerò ad scripturam nos reuocat, cùm ait scripturam diuinitus esse inspiratam, ut doceat, arguat & erudiat nos íjs de rebus, quæ ad pietatem pertinent. Et Petrus iubet sequi scripturam tanquam prælucentem nobis in his tenebris.

Dissimilia hominum de religione iudicia

Duo sunt loci de quibus hoc tempore potíssimum disceptatur. Prior est qua in re sit Christiana iustícia. Posterior, quid sit de humanis traditionibus sentiendum. Sunt autem permulti qui iudicant, non de re, sed de uerbis controuersiam esse, & præter necessitatem seri contentiones à stultis, aut etiam ambitiosis hominibus. Verùm exposita causa, apparebit fuisse magnas & graues causas, & necessarias renouandæ Ecclesiasticæ doctrinæ. Dicam itaqꝫ de priore loco, qua in re Christianam iustíciam, seu ueram pietatem esse sentiam.

Duo capita præcipua primi certaminis.

In fine Euangelíj Lucæ præcipit Christus prædicari omnibus gentibus pœnitentiam & remissionem peccatorum. Vnde colligi potest, quid Euangelium sit, quæ ue sit ea iustícia, quæ Christi & Apostolorum ministerio, orbi innotuit. Est itaqꝫ Euangelium prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum. Iustícia uerè Christiana est, cùm confusa conscientia, per fidem in Christum erigitur, & sentit se accípere remissionem peccatorum propter Christum, Id non fit simulatione pœnitentiæ aut fiduciæ, imò cum Euangelium ueritatem doceat, hypocrísin & simulationem tùm in pœnitentia, tùm in fiducia damnat. Sed Spiritus sanctus in humanis cordibus retegit peccatum, & perterret ac confundit conscientias, & incitat ad confidendum Christi promissis, qui & satisfecit pro nostris peccatis, & pollicetur gratis remissionem peccatorum.

Nec metus ille diuini iudicíj, nec fiducia, qua erigitur et serenatur conscí-

entia ſumitur, niſi Spiritus ſanctus corda moueat. Quemadmodum teſtatur Chriſtus Ioannis ſexto, Nemo uenit ad me, niſi quem Pater traxerit. Et Eſaias. Non aſcendit in cor hominis &c. Et Paulus, Homo naturalis non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Quanquam enim audias diuinas comminationes, aut promiſſiones, tamen pectus non aſſentitur, ut ut ſimules, ſi non acceſſerit Spiritus ſanctus. In rebus ſecundis ſomniamus leniorem eſſe Deum, quàm qui grauiter nobis iraſci poſſit. In rebus aduerſis crudeliorem eſſe iudicamus, quàm qui nos reſpiciat, quantumuis implorantes à ſe auxilium. Deniq; ne unquam quidem ſeriò ac uerè ſentimus nos Deo curæ eſſe, ut illi dicunt Ezech. ſeptimo. Non uidet Dominus nos, deſeruit Dominus terram. Proinde Spiritus ſanctus oſtenſo peccato, & iudicio Dei incutit terrorem conſcientijs per prædicationem pœnitentiæ. Et ſubleuat rurſum per Euangelium, id eſt, per annunciationem remiſſionis peccatorum.

Porrò ubi uim tùm iræ Dei, tùm miſericordiæ cor agnouerit, ibi demùm ueram de Deo opinionem concipit, qua ſe credit ei, ſperat, reijcit ſe in eum in rebus aduerſis, metuit eum. Deniq; agnoſcit uerè eum & reſpicere nos & iudicare & ſeruare. In hunc modum Spiritus ſanctus parit in cordibus fidem, timorem Dei, deiectionem noſtri, caſtitatem, modeſtiam & ſimiles fructus, qui recenſentur ad Galatas 5. Fitq; id quod prædictum eſt in Hieremia, ut inſcribatur Lex non tabulis ſaxeis, ſed cordi digito Dei. Eſt hæc ſummatim iuſticia Euangelica ſeu Chriſtiana, confuſa conſcientia, ſubleuari nos per fidem in Chriſtum, per quem agnoſcimus uim miſericordiæ Dei. Sic definiuit uitam æternam Chriſtus Ioannis 17. Hæc eſt uita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

Vita æterna eſt iuſticia Euangelica.

Porrò uita æterna eſt illa ipſa iuſticia, quam prædicat Euangelium, quam ponit Chriſtus ſimpliciter in cognitione patris, & ſui. Neq; uerò id eſt noſſe Deum, quod hypocriſis & humana ratio ſimulat cùm nominat Deum. Neque item id eſt noſſe Deum, ut uulgò docent, præcepta eius noſſe, aut utcunque ſimulare. Norant enim ludæi nomen Dei, norant legem, imitabantur ut ſimiæ. Et tamen Chriſtus negat eos noſſe Deum, cùm inquit Ioannis octauo. Eſt pater meus, qui me glorificat, quem uos dicitis, quòd Deus noſter eſt, nec nouiſtis eum. Qui uerè norunt, cùm reformidant uerè iudicium eius, tùm eriguntur in rebus aduerſis, ut ab ipſo opem ſecuri expectent. Parit enim fides tranquillitatem in corde & ſecuritatem, quam certè liberi arbitrij uires, nullo modo præſtare poſſunt. Et tamen hic ueriſſimus Dei cultus eſt, iuxta Pſalmum quadrageſimum nonum. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & honorificabis me. Non uocat cultum Dei, miſſas aut alias ceremoniolas, aut opera. Sed inuocare Deum in rebus aduerſis. At in rebus aduerſis ratio ſentit planè ſe negligi, nec reſpici à Deo. Fides autem cor incitat, ut de Deo benè ſentiat, ut ſentiat ſe Deo curæ eſſe.

Adumbraui utcunque qua in re ſit Chriſtiana ſeu Euangelica iuſticia. Scio autem partim hæc obſcura, partim ridicula uideri. Sed quid facias, Euangelium ſcandalo eſſe ludæis, & uideri ſtulticiam gentibus, multò antè prædixit Paulus. Verùm hi qui hæc rident, ſciant Chriſtum iudicaturum eſſe, & de blaſphemis ſupplicium ſumturum. Et cùm declarauerit antea in euerſis Hieroſolymis quantum iraſcatur blaſphemis, non conniuebit ad noſtram impietatem.

Vide au-

Vide autem quantum sit solatij miseris conscientijs in hac prædicatione, cùm intelligunt ipsissimam iusticiam esse, credere quòd per Christum remittantur peccata, sine nostra satisfactione, sine nostris meritis. Noui, qui ante cognitionem huius doctrinæ, cum satisfactionibus ac commentitijs operibus, non posset erigi conscientia, planè spem omnem suæ salutis abiecerant. Hi postquam Euangelium illuxit orbi clarius aliquantò, rursus ingenti animo concepere spem salutis. Nec spem modò concepere, sed uires etiam, seu robur aduersus peccata. Tantum retulerit rectè cognoscere Euangelium. Offenduntur plericq; cùm audiunt fidei tantùm tribui, maluntq; opera exigi. At nos non de ea fide lòquimur, quam simulat ratio, quæ publicè est omnium. Sed de uera cognitione Dei, quæ, parit timorem & cæteros bonos fructus. Præterea requirimus pœnitentiam, quæ certè à malis operibus, si modò non simulatur, reuocat nos. Hanc iusticiam, quam descripsi, requirit Christus. Ceremonias & similia non requirit, cùm ait, Regnum Dei intra uos est. Quare nec Moysi ceremonias exigit, & liberum nobis fecit, uti ceremonia nostra, uidelicet Eucharistia, cùm uolumus.

Iusticia Christiana est credere remissionem peccatorum per Christum.

DE IVSTICIA HVMANA.

PAulus ait non omnium esse fidem. Quare Christiana iusticia non est publicè omnium, sed paucorum, quos Deus uelut è mundo euocat. Quid igitur facias, dices, de eis, qui non habent iusticiam Christianam? An peccabunt & audebunt omnia impunè, donec Deus eos immutet? Nequaquàm, Paulus enim docet legem esse iniustis positam.

Est itaq; præter Christianam iusticiam, iusticia humana, qua coërceri impij debent. Hanc ego iusticiam soleo pædagogiam uocare, secutus Paulum, qui ad Galatas tertio ait, legem pædagogum esse in Christum, & puerum tantisper sub lege debere, tanquam sub tutoribus esse, dum grandescat in Christo. Hæc pædagogia politica quædam iusticia est, quæ mores format, & ritus & humana ac ciuilia officia continet, pueros assuefacit ad cultum Dei, docendo, exercendo, stolidum uulgus à uicijs cohibet, sicut & Salomon præcipit prouerbiorum uigesimo sexto. Flagellum equo, chamus asino, & uirga in dorso stulti, Et Prouerbiorum uigesimo tertio. Ne subtrahas à puero disciplinam: si enim percusseris uirga non morietur. Huc pertinet etiam ius gladij, qui, ut Paulus ait, debet esse timori malis, honori bonis. Hæc politica iusticia prudenter est à religione seu Euangelica iusticia discernenda. At plerique hodie ita prædicant Euangelicam, ut noua impietas nascatur. Nam impij quidam homines simulant fidem, & de Christi nomine gloriantur, & securitatem quandam carnalem concipiunt, à qua in magna uicia præcipitantur, nec coërceri se debere arbitrantur. Negligitur & puerorum institutio, & hoc genus alia, cùm tamen subiecerit Deus huic pædagogiæ omnes, qui uel non sunt in Christo, uel imbecilles sunt, iuxta illam Pauli sententiam ad Galatas tertio & quarto. In Lege præceptum fuit, ut ædium uestibulis inscriberetur Decalogus. Item uestium fimbrijs. Talia officia quid aliud quàm pædagogia erant, qua coërcerentur & frenarentur pueri, & reliqui similes pueris? Ad hunc modum etiamnum erudienda, regenda, & coërcenda erat multitudo legibus & certis officijs. Et opinor olim hoc consilio condita esse Monasteria, ubi pueri iuxta

Iusticia humana pædagogia.

hanc pædagogiam instituerentur. Sed talis pædagogia quanquam diuinitus præcepta sit, tamen non iustificat coram Deo. Sed, ut Paulus ait, sunt egena elementa mundi, hoc est, ordinationes, quæ necessitati humanæ seruiunt, nec merentur gratiam aut remissionem peccatorum, aut ut contingat Spiritus sanctus. Sic enim Paulus dicit ad Ephesios secundo, Gratis saluati estis per fidem &c. Imò ubi accesserit opinio, quòd ea sit iusticia Christiana, peccatur, quemadmodum in Monasterijs pædagogiam uidemus uersam esse in impium & commentitium cultum Dei.

Discrimẽ Theologiæ Christianæ & Aristotelicæ in doctrina de iustificatione.

HActenus meam sententiam exposui. Reliquum est, ut indicem, ubi dissentiatur ab Aristotelicis theologis, faciam autem hoc breuissimè. Docent mereri nos nostris uiribus & nostro conatu gratiam, peccata remitti propter satisfactiones nostras, quibus dogmatibus planè obscuratur satisfactio Christi. Quid autem conscientia solatij aut spei habeat, si ex nostris meritis, non ex gratia per Christum, pendet salus? Ferè item nec in pœnitentia, nec in iustificatione requirunt Spiritum sanctum, sed rationis conatu contenti sunt. Qui tamen nihil aliud nisi mera hypocrisis est, sicut testatur Paulus cùm ait, Non ascendit in cor hominis &c. Item, Omnes uacui sunt gloria Dei.

Potest hinc cognosci, in uerbis tantùm, an re controuersia sit, Euangelium propter Christum gratuita remissione peccatorum erigit conscientias, Aristotelici doctrina meritorum adigunt ad desperationem, Euangelium docet per Spiritum sanctum purgari corda & renouari, ut agnoscant Deum, fidant Deo, & timeant Deum, Aristotelici rationis hypocrisi hæc perfici posse putant. Est autem obscurum discrimen, propterea quòd oculis carnis cerni non potest.

DE POSTERIORI LOCO.

QVanquã superior locus obscurior sit disputatione de humanis traditionibus, tamen nescio qui fiat, ut hæc disputatio maiores motus in orbe excitet. Et cùm Lutherus magis urgeat illa quæ suprà dixi de pœnitentia, de gratuita remissione peccatorum, de fide & spe, & moneat ibi summam esse religionis, tamen non parum multi sunt, qui existimant nihil docere Lutherum nisi humanarum traditionum contemtum. Atq; hi se ualdè pios esse putant, ubi in sacerdotes fortiter debacchati sunt, aut contra morem carnes ederunt. Ego meam sententiam breuiter recensebo.

Impietas est traditiones humanas facere cultus Dei.

Dominus apud Esaiam inquit, Frustra se coli mandatis hominum, & repetiuit hanc sententiam Christus apud Matthæum. Quare impietas est, traditionem ullam humanam instituere, aut seruare pro cultu Dei, seu ut ea obseruatione iustificeris. Satis clara est Christi sententia, frustra se coli mandatis hominum.

Libertas Christiana in traditionibus humanis non impijs.

Sunt autem quædam traditiones, quæ citra peccatum seruari possunt, ut quæ de uestitu uel cibis, aut similibus nugis constitutæ sunt. De his satis est iuxta Euangelium sentire, quòd non iustificent seruatæ, neque obsint neglectę, iuxta Pauli sententiã, Ne decretis ueximini. Et tamen pacis studio retulerit seruari ciuiliter, iuxta regulam, Si quis adegerit te ad mille passus, eas una duo millia. Item, Qui in circumcisione uocatus est, non accersat præputium, qui

in præ-

in præputio non accersat circumcisionem. Sunt aliæ quæ citra peccatum seruari ne possunt quidem. Cuiusmodi est impurus ille cœlibatus, qui crudeliter & impiè exigitur à Papa. At Christus negat omnibus esse datum. Et Paulus scripsit, melius esse nubere quàm uri. Proinde nihil morentur hanc traditionem hi quorum uires non suppetunt cœlibatui. Neq; enim ulla traditio humana contra uerbum Dei constituere potest. Non est omnibus datum. Nec uota ualent his in rebus, quæ sine peccato præstari non possunt. Quid enim si uoueris cædem te facturum esse. At in eorum uotis, qui cœlibatum præstare non possunt, qui ue per obseruationem illam Monasticen se iustificari iudicant, peccatum est. Quare rescindenda sunt, præsertim cùm Paulus apertè dicat, Spiritus mendaces esse qui prohibent matrimonium. At horum spiritum, principes, qui tuentur Papæ legem, lictores & satellites sunt. Et quemadmodum ait Michas, Princeps postulat, & iudex obsequitur. O miserandam conspirationem. O infelix fœdus, cùm uideant principes Papam cum Deo palàm bellum gerere, cùm in propatulo sit simpliciter religionem ab illo contemni, non commouentur tamen ut suæ saluti potius consulant quàm seruiant illius furori. Saxea pectora nimirum illis sunt, qui Dei uoluntatem usq; adeò nihil morantur.

Supereſt res Missaria de qua hic non attinet disputare cùm negociationem in Missis & eorum mores, qui rem missariam prophanant, ne Papistæ quidem ipsi probare possint. Et tamen neque hanc corrigi patiuntur.

Habes quid sentiam de renouata Ecclesiastica doctrina. Neq; sum ueritus ne grauiter ferres hæc ad te scribi, cùm de religione deceat cuiusuis iudicium cognoscere, & tu iusseras ut ad te perscriberem, peccaret ne, qui Eucharistia non uteretur. Non potuit autem de ceremoniarum usu commodè dici, deq; libertate illa quæ nobis ius facit utendi ceremonijs, aut non utendi, nisi totam causam complecterer, iam & officij mei esse putaui, monere quæ & tuæ salutis referre uidebantur, & publicæ tranquillitatis. Horatius iubet acpicere, etiam si cœcus iter monstrare uelit. Quare te quoq; rogo, ne sit molestum hæc cognoscere qualiacunq;, quæ certè pio studio ad te perscripsi. Vides quàm periculosa dissensione conflictetur orbis terrarum. Et certatur ferè de ceremonijs tantùm, & de traditionibus humanis. Vbi si palummodo sana consilia admitterent Principes, sarciri pax posset. Multitudo nonnunquam utrinq; irritatur, à seditiosis concionatoribus. Nam & qui Papæ patrocinantur impijs concionibus & libellis, tantùm exacerbant animos hominum. Et quidam pseudolutherani prophanis & seditiosis clamoribus dum gratificantur multitudini alioqui cupidæ nouarum rerum, passim seditiones excitant. Neq; enim fieri potest unquam, quin priuatis cupiditatibus nomen Euangelij prætexatur. Vidi qui decimas qui alia negabant præstari debere Magistratibus, aut his quibus Magistratus adsignauere. Tales interea utrinq; concionatores nascuntur, dum cessant Principes honestis consilijs opem adferre Reipub. Nam qui simpliciter opprimere Euangelium conantur, nihil promouebunt. Sic est Euangelium, non potest humana ui opprimi. Rursus hi qui nimium multitudini, uel metu, uel stultitia permittunt, non prouehunt Euangelium, sed alunt furorem multitudinis in publicam perniciem. Et cùm abutitur multitudo uerbo Dei, plus lædit Euangelij gloriam quàm qui aduersan-

Causæ dissidiorum.

tur. Proinde Principes oportuit & facere copiam docendi Euangelij (quod cũm rectẽ traditur, pacem & tranquillitatem docet, non excitat seditiones) & coërcere furorem multitudinis, quæ impio prætextu Euangelij tumultuatur, ac in aliorum fortunas impetum se minatur facturam. Nam in hoc gerunt arma Principes, ut sint timori malo operi. Vtar enim Pauli uerbis. Dei donum pax est, & eximium quidem, nec poterit conseruari, si in opprimendo Euangelio Principes DEVM à se alienarint. Sacræ historiæ regem Iosaphat prædicant, quòd constituerit Leuitas, qui religionem docerent. Huius exemplo debebant Principes curare moderatos & bonos uiros, qui sacra docerent, nec pueri negligendi erant, quòd ea ætas rerum publicarum ueluti seminarium sit. Erantq; artes illæ omnes conseruandæ summa cura, quas uel religio, uel puerilis institutio requirit. Desiderabant hæc longiorem orationem, sed ego breuior fui, cũm arbitrarer te commonendum tantùm esse, commendo itaque religionis causam conscientiæ tuæ, cuius si rationem habueris, mauoles Iosaphat imitari, quàm Pharaonem. Opto autem ut Christus Spiritum tibi suppeditet, & uoluntatem optimè consulendi, & tuæ & publicæ saluti, ne uel Euangelij cursum moreris, néue sæuias in eos, quos necessitas & conscientia cogit alicubi à Pontificijs legibus discedere.

RATIO

RATIO BREVIS SACRA- RVM CONCIONVM TRACTANDARVM,

A QVODAM DOCTO ET PIO RHAPSODO, PHILIPPI MELANTHONIS FAMILIARI, CONGESTA.

QVIA HÆC NOSTRA PRÆSENS DISPVTATIO, TVM DIALEctices, tùm etiam Rhetorices uerum uſum indicabit, omníſq; ex illarum artium, quibus dicendi ratio ã prudentib. uiris tradita eſt pręceptis proficiſcitur, ſunt nobis principio illarum artium generaliora uocabula, quibus ſæpius nobis utendum erit, explicanda, ne imperitus lector in re perinde difficili ſtatim in ipſo ueſtibulo impingat. Quemadmodum enim ad ciuitatem aliquem iter facturo multum proderit, ſi earum, per quas iter faciendum eſt, uillarum & pagorum teneat nomina: ſic infeliciter in his artibus uerſabitur, qui quę ipſarum ſint nomina, ignorabit. Et quemadmodum, priuſquam faber domum ædificare diſcat, inſtrumentorum tùm nomina, tùm uſum inquirit: ſic principiò diligenter uidendum, quid in his artibus exordium, quid propoſitionem docti homines adpellarint. *Nominum artis expoſitio.*

Dixerunt exordium (ut inde auſpicemur) ingreſſum quendam ad rem de qua dicturus ſis, cùm ceu uia ad eam rem quam tractaturi ſumus, ſternitur. Vt ſi in Euangelio de nuptijs in Cana, ſic pręfationem inſtituas: Videtis quàm uariè Satan, ne in hunc ordinem nos conjũciamus, impediat. Vtitur primò ſpecie iuſticiæ & ſanctitatis, quòd Monachi & Sacerdotes, qui ſuam ſanctitatem omnibus probatam uolunt, ceu peſtem matrimonium abominentur. Noſtram carnem quoq; & ſenſum ſic malignus ſpiritus exagitat, ut malint homines cùm magna ualetudinis, & rei domeſticæ, & famæ iactura, incertam libidinem, quàm coniugium ſequi. Cùm ergo commendatiorem nobis eum ordinem hoc Chriſti exemplo euangeliſta eſſe uoluerit, diligenter obſeruanda hiſtoria hæc eſt, ut nos contra tam uarias Satanæ technas, carnisq; noſtrę libidinem defendere, ſanctumq; matrimonium ſequi poſſimus. Huiuſmodi præfationes, quibus paramus nobis aditum ad rem, Exordia Rhetores dixerunt. Quibus in ſacris concionibus utuntur, ea ferè ſemper attentionis loco abſoluuntur: Docilitatem & beneuolentiam, qui reliqui exordiorum loci ſunt, ferè negligunt. Dicitur autem is attentionis locus, cùm nos de magnis, neceſſarijs, notis, ac ignotis, item de utilibus dicturos pollicemur &c. His enim fit, ut attentius nos audiant homines. *Exordium.* *Exordij exemplum.*

Narrationem uocant, cùm ſimpliciter res aliqua, ut uel geſta, uel gerenda eſt, exponitur. Vt ſi narres hoc Euangelion ſimpliciter, ſicut ab Euangeliſta deſcriptum eſt. *Narratio.*

Propoſitionem, dixerunt eam ſententiam, quæ potiſſimum tractatur, & ad quam confirmandam adhibentur rationes. Qui ante hoc tempus docuerunt, hac ferè ſunt uſi ratione, priuſquàm Euangelium recitarent: generalem aliquam ſententiam propoſuerunt, quam bono nomine thema appellabant. Eam ſententiam deinde per totum ſermonem tractabant, quæ propriè propoſitio eſt. Et uix commodius uertas Græcum nomen thema, quàm propoſitio- *Propoſitio.*

nem. Propositio erit in eo, quo suprà usi sumus exemplo, amplectendum esse matrimonium Christianis.

Argumenta. Iam statim mens circumspicit huius sententiæ rationes. Quarè est sequendum matrimonium? Docent autem sacræ literæ, ideò sequendum esse, quia creauerit Deus masculum & fœminam, propter creationem Dei, & necessitatem. Atq; hæc potissima est ratio, quòd sic conditi à Deo simus. Rationes igitur, quæ sic ad probandum adhibentur, argumenta dicuntur. Totum autem locum, confirmationem uocarunt.

Confirmatio. Sunt autem aliæ quoq; rationes, quæ quanquam remotiores sunt, non tamen parum ad persuadendum faciunt. Dignitas scilicet huius ordinis, quòd à Deo sit institutus. Iam hoc addas, Monachos suos ordines, propter eos qui primi autores fuerunt, sanctè coluisse, & fecisse maximos. Matrimonium autem non Franciscum, non Dominicum, sed ipsum Deum habuisse autorem.

Ornamenta. Amplificationes. Præstare igitur longè omnibus ordinibus. Hinc ornamenta & amplificationes adpellantur. Huc adhibendę sunt sententiæ ē sacris literis, quæ ad dignitatem matrimonij faciunt.

Confutatio. Iam si illorum qui matrimonium improbant, refellas sententiam & rationes, eam partem confutationem dixerunt. Hoc autem obseruandum est, singulos locos, tùm exordium, tùm confirmationem, tùm ipsa argumenta &c. singulas habere propositiones. Nomine enim propositionis dupliciter utun-

Propositio latè sumta. tur. Aliàs propositionem uocant eam sententiam, ad quam omnia argumenta referuntur, quæq; per totum sermonem tractatur & exponitur. Aliàs generaliter omnem sententiam propositionem uocant, cui rationes subijciuntur. Habent autem suas rationes exordia, habent suas rationes singula argumenta: ea igitur sententia, ad quam illæ referuntur, propositio uocatur, quòd scilicet quemadmodum quæ propriè propositio dicitur, per totum orationis tractatur corpus, ita hæc suum peruagatur locum, & sicut illa in tota oratione, sic hæc in sua parte dominetur.

Epilogus. Epilogum dixerunt, cùm iam ad finem festinat oratio, & aut breuiter repetuntur totius argumenti, quod tractasti capita, aut excitantur animi hominum, uel uehementiore, uel mitiore aliqua oratione. Simpliciter, Epilogus est conclusio habitæ orationis. Quemadmodum autem singulæ orationis partes, suas habent propositiones, sic etiam suos epilogos habent. Is autem qui uniuer-

Peroratio. sam orationem claudit, peroratio proprio nomine adpellatur.

Exposuimus hactenus nomina, quibus paulò pòst sæpius in exemplis sumus usuri. Iam ipsam rem tractandarum sacrarum concionum, quantum patiuntur nostri ingenij uires, aperiemus. Libet autem principio sic omnes con-

Duplicia Themata, Simplicia, Composita. ciones distinguere, quòd aut simplex nomen aliquod explicent, ut si de iustitia, de religione, de fide, de operibus caritatis, doceas: Aut integram aliquam orationem, quam Dialectici compositam quæstionem adpellant. Vt si doceas, iusticia est ex fide. Iusticia non est ex operibus. Religio est donũ Dei summum, non paratur nostris uiribus. Sacramenta sunt ad confirmandam fidem, non tantùm sunt ceu notæ, quibus distinguantur Christiani à non Christianis.

De generibus concionum, didactico & deliberatiuo. Sunt autem composita themata duplicia, quædam enim simpliciter docent, qualia illa sunt quæ suprà proposui. Quædam uel adhortantur uel dehortantur, ut si dicas, literas esse discendas, esse amplectendum matrimonium,

caritatis

caritatis opera non esse intermittenda &c. Tractantur autem huiusmodi concliones longè alia ratione, quàm illa quæ docent tantùm, sicut uidebimus.

Iam singulorum exempla proponemus, ut habeas quod in simili tractatione possis imitari. Quanquàm autem omnia è Dialecticorum præceptis petita sint, et possit exercitatus aliquis illis contentus esse, quia tamen nulla istinc exempla ad hunc usum proposita sunt, spero fore, ut aliquid ex hac tamen nostra traditione fructus capias. Ac primò quidem de simplicibus thematis agemus.

DE SIMPLICIBVS THEMATIS.

CVm igitur una aliqua uox explicanda est, primò omnium de definitione erit constituendum. Deinde quærendæ causæ, pòst partes, ultimò officia, seu usus. Quemadmodum autem speculum benè politum, certissimè reddit formam: ita non potest certius uideri quid res sit, nisi eam definitione circumscripseris. Si quis tibi magnificè prædicaret ingentem aliquem thesaurum, tu autem neq; quid aurũ, neq; quid argentum esset, nosses, uana nimirum, quantumuis magnifica, esset prædicatio. Ita is demum rectissimè docebit, qui primò quid res sit, deinde usum rei explicarit.

Si igitur institutus esset sermo de fide, primò omnium quærendà erit definitio, quid sit fides. Nisi enim definitionem præmiseris, quæ ceu uiam reliquæ definitioni sternat, nihil intelligẽt auditores. Non possunt autem hic tradi certa definitionum præcepta. Nam aut ea ex Dialectica petenda sunt, aut si qui rudiores sunt, integras definitiones ex Philippi locis, item ex Colos. petent, ubi certas & absolutas omnium Christianæ religionis capitum descriptiones inuenient. Fides igitur est affectus, qui certò assentitur promissionibus Dei, & comminationibus. *Definitio.* *Fides quid sit.*

Iactum iam est aliqua ex parte fundamentum. Pergamus, iam & causas quoq; uideamus, nam hoc secundo loco est agendum. Porrò cùm causas quærimus, ferè quærimus unde res aliqua ducat principium, aut sicut Dialectici dicunt, quam habeat causam efficientem: ut si quæram de causa caloris, dicam uel solem, uel ignem esse. Materiam enim propriè accidentia non habent: & causa finalis sub postrema quæstione, ubi de officio quæritur tractatur. Formam quoq; in accidentibus non curamus, quòd ipsa accidentia sint formæ. Fidei iam causa est Spiritus sanctus, qui primò mentes cognitione peccati, & iudicio Dei terret. Postea affectum in nobis creat, ut credamus: & quòd uera sint quæ promittit Deus, & quòd ea ad nos pertineant. Postulat Dauid à Deo mundum cor, ergo clarè patet nostras uires fidem efficere non posse. *Causæ.* *Materia.* *Finis.* *Forma.*

Sic tũm definitiones, tùm causæ petendæ ex sacris literis sunt. Solę enim illæ docent, quid fides, quid religio sit, habentq; exempla fidei. Omnes omnium gentilium libri nihil hac de re tradunt: & quòd nostra ratio, si in sacris uersetur rebus, in tenebris (quod aiunt) saltat, neq; quicquam harum rerum intelligit. Qui igitur sacrarum literarum diligens lector fuerit, tùm ex collatione multarum sententiarum, tùm exemplis sanctorum facilè & quid fides sit, & quæ eius causæ, perspiciet.

In talibus disputationibus impropriè materiæ nomine utuntur, cùm dicunt materiam non ex qua aliquid sit, sed circa quam rem uersetur, item in quo hæreat subiecto. Sic medicinæ materiam dicunt morbos, quòd scilicet circa mor- *Materia.*

ca morbos medicina uerſetur,eoſq; curet,non quōd ſicut ex lapidibus domus, ita ex morbis medicina conſtet. Videbimus aūt & nos materiam quoq; fidei, quæ ex definitione colligitur. Cùm enim ſtatuimus fidem eſſe aſſentiri promiſſionibus & comminationibus diuinis, ſequitur fidem uerſari circa illas duas res,eſſeq; externum hoc uerbum materiam fidei, in qua ſe ſic exerceat, ut in curandis morbis medicus. Subiectum autem, uel in quo hæreat fides, eſt animus ſeu mens,non manus aut oculi &c. Videmus autem hic quām longè fides diſtet ab operibus,cūm hæc in intimo corde ſit repoſita,illa in externis corporis partibus hæreant, manibus,pedibus, lingua &c.

Vbi cauſas tractaueris, uidendum quoq; eſt, quas ea es habeat partes, una ne ſit,an plura contineat. Eſt autem tām neceſſaria hæc pars,quām definitio: neq; enim fieri poteſt, ut rectē is doceat, qui non diuidit commodē. Nam ſi de religione (quam conſtat eſſe cultum Dei) inſtituta eſſet diſputatio, neq; eam in ſuas partes, fidem ſcilicet & timorem,diuideres, ſed alterum omitteres: mala nimirum ea eſſet tractatio. Debet autem hic tertius locus eō quoq; nobis eſſe commendatior, quōd ex eo petantur plerunq; definitiones.

Religio quid. Rectē enim is definiet religionem, qui dicit eſſe cultum Dei, qui ſit in timore & fiducia in Deum poſitus. Et intelligi poteſt quid ſit corpus humanum, ſi dicas eſſe quod conſtet ex capite,collo,pectore,uentre,manibus,& pedibus &c. Verùm nō omnia nomina ſic diuiduntur: pleraq; enim unam tantùm & ſimplicem rem ſignificant, quæ nullas partes ſeu ſpecies habet. Sic fidei nomen ſimplex eſt,neq; in plura diuiditur, ſed ſimpliciter uerbis Dei aſſentiri ſignificat. Nam quōd fidem in ueram & falſam diuidunt, non puto neceſſe: neq; enim eſt fides,quę ſit falſa. Nam quōd Monachi & iuſticiarij in ſua opera confidunt,ea non eſt fides: natura enim fidei in uerbo hæret, non in operibus, ſicut eſt in definitione. Poſſunt tamen iſta quoq; adhiberi amplificandi & docendi gratia. Si enim longius in una re commoreris, altius infigitur ea animis hominum. Et hoc faciendum eſt iis qui docent, ut ſubinde inculcent animis illos abuſus qui in Eccleſia fuerunt: adfert enim ea res lucem rationi, & facit quoq; commendatiorem ueram doctrinam. Verùm ea de re infrā in exemplo copioſius agemus.

Officium. Poſtremus locus ſimplicium thematum tractandorum,hic eſt, uidere officium ſeu uſum rei, uocarunt Dialectici effectum. Item, finalem cauſam **Wo zu ein ding nütz vnd gut ſey.** Aedium uſus hic eſt, defendere nos ab iniquitate aëris,item ut & nos & noſtra in illis tutō eſſe poſſimus. Sic fidei quoq; aliquis erit uſus: neq; enim res aliqua eſt, cuius non ſit certus uſus & finis: uerùm & hæc pars non aliunde quām ex ſacris literis eſt petenda. Cùm enim ratio fidem prorſus ignorat, de uſu quoq; ipſius nihil certi ſtatuere poteſt. Verùm fidei officium ſic deſcripſit Abacuc 2. Iuſtus ex fide uiuet. Item arbitramur hominem iuſtificari ex fide in Chriſtum &c. Hoc enim proprium fidei officium eſt,purificare cor,ut Petrus dicit in Act. noſq; iuſtos facere ea iuſticia, quā Deus probat: atq; hic primus fructus eſt, quem & alius ſequitur, ut habeamus uitam æternam,ut poſſimus conſiſtere Deo iudicante, ut Satanæ poſſimus inſidias præuidere, ſuperare, & contemnere.

Poſſunt ad hunc locum annumerari etiam caritatis opera, quæ tām certē fidem ſequuntur, quām lux ſolem: Atq; hic uides ad quos promiſſiones omnes pertineant,nempe ad eos tantùm qui credunt. Quanquam enim extera

na ope-

na opera æternæ uitæ promiſſiones habeant, non tamen eæ ſunt accipiendæ, niſi de ijs quæ ex fide proficiſcuntur: ſola enim fides promiſſionem uitæ habet, ciuilis operum iuſticia promiſſiones temporales tantum habet, ſicut ſcriptum eſt: Qui fecerit hæc, uiuet in eis &c. Hoc quidem modo ſimplices quæſtiones omnes explicandæ illi erunt, qui certi aliquid ita docere uult, ut intelligi ab auditoribus poſſit.

Ornamenta. Amplificationes.

Cæſa autem iam eſt materia, ē qua domum extruemus, ligna, lapides, omnia deniq; pro rei uſu ſunt comportata: nihil deeſt amplius, quàm ut tūm poliantur, tūm aptē compingantur. Neq; enim ſi hæc ita communiter pro concione dicas, intelligent auditores, & ceu rudis, & nondum elaborata materia, aſperiora erunt hæc: quām quæ animis hominum adhæreſcere poſſint: inſtrumentis iam opus erit, quibus materies poliatur. Adferendum ad hæc eſt iam dicendi genus popularius ac copioſius, & quemadmodum impulſa uela uentis, nauem ſine negocio ferunt, ſic ad hæc commodē proponenda tale orationis genus requiritur, quo ceu uento aliquo inſpiratę res, ſine negocio ullo in auditorum animos ferantur. Sunt tenues illæ rerum ceu notæ aptis ſimilitudinibus exornandæ, contrarijs ſententijs augendæ, diſtinguendæ exemplorum copia, neq; illorum quicquam, quæ ad orationem augendam ornandamq; uidentur conferre, prætermittendum eſt diligenti doctori.

Parabitur autem talis dicendi facultas, ſic, ſi ad magnum dicendi uſum diligentem Ethnicorum ſcriptorum adhibueris lectionem. Quemadmodum enim fieri impoſſibile eſt, uel mediocriter pingere ex ſolis prçceptis, ſi non habeas magiſtrum, qui manum in ducendis lineis primō dirigat, deinde niſi exempla propoſita ſequaris: ſic cūm nulla alia eloquentiæ exempla, nullos alios magiſtros, quàm ut ueteres illos habemus, niſi ad illorum exemplum nos comparauerimus, eandemq; quā ipſi in dicendo ſecuti fuerimus rationem, nil promouebimus. Quia aūt longē felicius is, qui in docendi officio eſt, promtum dicendi continuum uſum, diſpoſitionem orationis alicuius in Vergilio, aut alio ſcriptore intelliget, quām qui ſine illo dicendi uſu, eam quantumuis diligenter legit: neutiquam committere debet, qui publicè ſacras res docent, ut non aliquando ad illos ſolos eloquentiæ magiſtros recurrant, cūm hoc etiam confirmare auſim, cūm ad docendum uocati ſint, debere illos ex officio hæc ſtudia ſequi, quæ rationem benè & rectè dicendi tradunt. Verūm quoniam rudioribus rationem quandam tractandarum ſacrarum concionum tradere ingreſſi ſumus: iam integram ſubijciemus declamationem, ſeu concionem de fide. Sic enim fiet, ut melius ſuperior ratio intelligatur, & poterit quoq; uſui eſſe in alijs exemplis tractandis: nam rationem amplificandi, de qua ſuprā nihil traditum eſt, iam in ipſa quoq; tractatione addemus.

EXEMPLVM SIMPLICIS THEMATIS DE FIDE.

Hiſtoria ſit de Leproſo, Matth. 8.

RArius utimur in hoc genere declamationum exordijs. Sic enim ſimpliciter proponi ſolet, prædicare nobis hoc Euangelium fidem. Nos igitur fidem iam tractabimus, atq; hæc eſt propoſitio, ſcilicet ea ſententia, quæ per totum ſermonem unica tractatur, ſeu cūm quid dicturi ſimus, proponimus. Verūm ne quid hic deſideretur, ceu in iuſta declamatione, addemus quoq; corpori caput: Exordium.

Exordij exemplum.

put:sic enim poteris præfari: Recitaui historiam: uidetis autem nihil in his duobus,tũm in leproso,tùm in centurione,quàm fidem prædicari. Meritõ igitur & nos, quid & qualis fides sit, tractauerimus. Neq; autem uanum hoc Christi præconium putabitis: nam cùm & Dei sit filius, & præceptum diuinitus habeamus,Hunc audite: Non oscitanter accipienda est hæc prædicatio, sed summo studio ac diligentia æstimanda ac ponderanda. Facit nobis sæpẽ fidem eruditi & ampli alicuius uiri prædicatio,& nonnunquam fit,ut quæ antea contemsimus, mutata sententia admirari, ac laudibus uehere incipiamus, postquàm commendatio prudentis hominis accesserit: quantò æquius est mirari nos ea, quæ à Christo prædicantur? Quia autem minus hæc fidei prædicatio animos nostros commouet,uidemus nimirum quàm altè nobis doctrina operum sit infixa. Si enim hoc aut illud opus, quod oculis cerni,aut manibus tangi poterat,commendasset,citius ea ferirent nostros animos.Iam cũm fidem prædicet, quæ in corde sepulta, sensus nostros effugit, nemo admiratur, nemo complectitur,cùm tamen ideõ Christus eam prædicauerit,ut excitaret animos nostros, & ab ista operum specie reuocatos, in illum nos portum duceret, in quo tuti ab omnibus tũm mundi, tũm satanæ impulsibus tutõ consistere possemus. Vt igitur & nos incipiamus admirari ista,& certius quid fides sit discamus, exponam quàm potero planissimẽ, quid & qualis illa sit: quod uel hoc nomine cautius ac diligentius est faciendum,quòd prioribus seculis ab impijs doctoribus prædicata sint opera, ut uix è mentibus hominũ opinio ista reuelli possit, operibus non tribuendam iusticiam. Et nostros animos etiam nunc inuitos ad se rapiunt opera,adeõ difficilè est certò statuere solam fidem iustificare.Spero autem ex illa tractatione omnia fore clara & aperta.

Amplificatio à minori.

Id uidendum est, ut exordio ceu uia sternatur ad ingrediendũ in disputationem,ne caput à corpore dissentiat.

Primus locus quid sit assensus.

At primò quidem longẽ falluntur illi, qui putant fidem esse opinionem quandam temerẽ conceptam, aut quam citra uerbum Dei homo sibi confinxit. Vt enim ipsa inter se nomina longissimè dissita sunt, sic quoq; longẽ diuersissimæ res sunt opinio & fides. Est enim fides certus quidam assensus cordis, quo assentimur tùm Dei promissionibus, tũm etiam comminationibus. Quàm igitur certi oculi sunt, si sani sint, de colore quem uident, tam certõ sentit cor Deum adesse, Deum curare nos ac gubernare, nobis benẽ uelle, remittere peccata, atq; ignoscere: re uera autem odisse peccatum, neq; impunitam fore impietatem. Quia autem tàm promissiones quàm comminationes credendæ sunt, erigimur promissionibus, cùm sentimus iram ac iudicium Dei, cũm Satan nos tentat, cùm nostra nos conscientia arguit & accusat. Et contrà non tentati comminationibus cohibemur, ne dissoluti ociosiq; uiuamus, ne uel gloria uel ambitione præcipitemur: sic utrinq; retinemur in uerbo per fidem,ne uel desperatione uel præsumtione uincamur.

Diligenter autem notandum est, quòd omnia hæc tam certò statuat & credat animus,quàm admotum ignem sentimus calefacere & adurere. Neq; est fides existimanda ea,quæ non totum pectus occupauit & radices iam egit, ut quemadmodum antiqua quercus aduersus uentorum impetus consistit inconcussa: ita fides tentata,nihil de misericordia Dei dubitet. Atq; hunc certum assensum explicauit Christus Matthæi 7. de domo extructa super petram. Et autor Epistolæ ad Hebr: sic definit, fidem esse elenchum rerum non apparentium. Tàm enim certõ adesse in tribulatione auxilium diuinum sentit fides,quàm certò nostra concludit ratio,Bis duo esse quatuor. Elenchum enim

Sententiæ quæ sunt ceu testimonia, eæ petuntur ex sacris literis.

uocat

uocat certam demonſtrationem, qua conuictus animus aſſentiri cogitur: ſicut cogitur animus conſentire denarium numerum maiorem eſſe quaternario. Non autem longius nobis exemplum eſt petendum. Videmus in hoc Centurione, quàm ſit firmus & certus aſſenſus fides: ſic Eſaias, ſic Ezechias, contrà quàm uiderent oculi, quàm audirent aures, quàm mens colligeret, in ipſa deſperatione auxilium diuinum, ceu longè uenientem imbrem uidet, qui reſtinguat Aſſyrij ardorem & libidinem. Poſſumus autem nos quoq; fidei noſtræ periculum facere, tùm cùm aduerſa aliqua fortuna iactamur: neq; enim fieri poteſt, ut qui adſpirat ad Chriſtum, non ſuos patiatur, ſicut ille ait, manes. Quòd ſi ſuccumbimus tentati uel hac uel illa calamitate, uidemus quàm longè ab illo firmo aſſenſu abſimus. Precabimur igitur Deum cum diſcipulis: Domine adauge nobis fidem.

Sed obijciat aliquis: Eſt quoq; fides in iuſticiarijs, certè enim ſic illi ſentiunt, Deo placere ipſorum opera: quia autem certò ſic credunt, igitur placent ea opera reuera Deo, ſic enim ſcriptum eſt: Sicut credis, ita fiat tibi. Reſpondeo, Noſtra opera non ſunt fundamentum, quo innitatur fides, ſed uerbum Dei. Non igitur fides illa dicenda eſt, ſed opinio. Neq; enim fixa eſt in firmo & certo fundamento. Noſtra opera, & opera carnis, peritura ſunt. Verbum autem Dei perpetuum eſt, neq; fallere nos poteſt. Videas etiam hoc noſtro tempore ſub Papa multos, qui ſanctiſſimam agant uitam, neq; malignus animus eſt, faciunt omnia ea mente, quòd putant ſe Deo gratificaturos. Non autem ille animus, ſeu, ut uocant, intentio bona, eos excuſabit: nam illa ipſa bona intentio arena eſt, & quicquid ſuperſtruitur, corruet, neq; conſiſtere poterit. Verbum autem unicum Chriſtum proponit nobis propiciatorem. In eum igitur fides dirigitur, & in illo promiſſiones omnes inueniuntur, quæ tùm ad ſpiritualem, tùm corporalem uitam pertinent. Fidem igitur formant non opera noſtra, non noſter animus, ſed uerbum illud quod legitur, quod auditur. Illud enim ſolum uoluntatem Dei nobis explicat, ſicut dicit Ioannes, Qui in ſinu Patris eſt, is enarrauit nobis: & nobis, non quod ratio, non quod noſter animus ſuaſerit, nõ quod mundus magnificat & prędicat, ſequenda ſunt, ſed unicum hoc uerbum: omnia enim alia fallunt, & ſunt incerta, hoc uerbum fallere non poteſt.

Commodius hic tractari potuit materialis cauſa. Materia circa quã uerſatur fides, non ſunt opera, ſed uerbum Dei: uerſatur enim circa uerbũ Dei.

Eſt autem magna quæſtio, num ſit in homine liberum arbitrium, quo ſe comparet ad gratiam. Verùm nos ſic ſentiemus, fidem non noſtris uiribus parari, ſed eſſe ſummum & maximum Spiritus ſancti opus & donum, neq; poſſe ita omnibus Dei uerbis aſſentiri cor, niſi diuina ui excitetur. Sic Dauid orat: crea in me Deus cor mundum: Spiritus ſancti hoc opus eſt, noſtra corda infidelitate & impietate oppreſſa, euoluere, ſicq; parare, ut certò aſſentiri uerbis Dei poſſint.

Cauſæ fidei.

Videmus igitur quàm longè errent iſti, qui ſe ad gratiam parare uolunt, cùm hoc totum Spiritus ſancti ſit opus. Quemadmodum igitur nunquàm niſi artificis manus accedat, è cæſa materia domus fit: ſic quoq; niſi cor prius à Spiritu ſancto, ceu rudis materia ſolet, formetur & innouetur, non poteſt credere Deo. Et ne quis ſe hic fallat, ratio illa naturalia dona quæ habet, non poteſt exuere, oculi uident, aures audiunt animus cogitat, affectus impellunt, & ſi quę ſunt aliæ actiones in corpore humano, illæ eximi non omnes poſſunt. Iam fides hoc agit, ut contrà quàm oculi uident, contrà quàm aures audiunt, contrà quàm ra-

Poſſũt hic plura adhiberi exempla, ut in morte uita ſperanda & credenda eſt, in

peccato retinenda iusticia.

quàm ratio colligit,aliquid ſtatuat.In exemplo hoc erit clarius. Videt Ezechias ingentem Aſſyrij exercitum iam ferè ipſis portis inſiſtere,audit blaſphemias ab impio Rapſace, legit literas : ipſe ſuam infirmitatem, & quòd neutiquam tantis copijs par eſſe poſſit,colligit. Contra tamen illa omnia ſic ſentit : Nemo eſt qui te oppugnat,hoc quod uides non eſt exercitus armatorum,ſed ſunt culmi agrorum,conuicia iſta Rapſacis ſunt fabulæ ementitæ de ijs quę in alio cogitantur mundo : & ſanè ſi hæc ſine uerbo ſtatueret Ezechias, inſanus meritò uideri queat.Et apparet mundum nihil aliud iudicare fidem, quàm inſaniam & furorem ex uino conceptum. Habet autem Ezechias uerbum, illi innititur contra omnem rationem & ſenſum, adeò prorſus immutatur & nouatur cor.

Neqꝫ eſt quòd putemus noſtris uiribus fidem effici, cùm ea omnes noſtras uires,& excellentiſſima in homine dona uincat ac mutet. Spiritus ſanctus primò cognitione peccati terret animos : pòſt cum deſperatione luctantibus uerbum aliquod offert, quod ita animis imprimit, ut ceu in lapides impreſſæ notæ,euelli denuò non poſſit. Illud uerbum ſic eſt in corde efficax, ut Satan, peccatum,mortem,& quicquid malorum eſt, uincat, id quod paulò pòſt commodiore loco tractabimus.

Tenetis iam aliqua ex parte quid ſit fides, quòd ſcilicet ſit firmus, & certus aſſenſus,quo cor credit Deo,tùm promittenti,tùm comminanti,quem Spiritus ſanctus donat & largitur : neqꝫ ergo ex noſtris operibus ſperanda iuſticia eſt. Et ſi qui ſunt qui in operibus iuſticiam ponunt, illi non minus quàm Lucifer diuinitatem affectant : hoc enim tribuunt ſuis operibus,quod Spiritus ſancti opus & donum eſt. Atque huc faciunt gratiarum actiones ſanctorum.Nam cùm Deo iuſticiam acceptam referunt,teſtantur eam non ſuis operibus,ſed ex mera gratia Dei ſe conſecutos: neqꝫ enim pro merito gratias agimus, & qui ſe ab alio accepiſſe fatetur, nullas proprias iactat opes. Diximus autem imitari prorſus,& quaſi refingi ſenſus omnes poſt conceptam animo fidem,uerùm illud opera non poſſunt.

Tales ſunt in Epiſtolis Pauli & in Pſalmis.

Sed eſt aliqua quoque nota,qua certò diſtinguitur fides ab operibus, quę quanquam ſuperius nonnihil à nobis oſtenſa ſit, commodius tamen hic repetitur. Nam qui operibus iuſticiam tribuunt, aut ſentiunt quòd opera ſequatur fides, illi hoc non uident, quòd fides tantùm in animo hæreat,opera autem in corporis actionibus externis:neqꝫ enim ire,palpare,uidere,dare,accipere, confirmare,negare,fidei,ſed corporis actiones ſunt. Fides autem in animo conſtit,& moderatur actiones corporis pro libito : ſic ſequuntur opera fidem, & non econtrà.Id quod Chriſtus quoqꝫ teſtatur:Non quod intrat in os &c. Animus inquit,ſi ſit malus,malas quoqꝫ parit actiones, & impellit ad peccandum: quemadmodum enim ueneni uis, quæ in oculis Baſiliſci eſt, corrumpit & necat ea, ad quæ fuerit delata : ſic prauus animus ſuo obtutu, ſiue manus, ſiue pedes fuerint,inficit,ita ut non poſſint non peccare.Econtrà autem cor per fidem purgatum & mundificatum,ſic regit & gubernat actiones humanas omnes,ne quid delinquant. Quantùm igitur anima à corpore, tantùm fides ab operibus diſtat : & quantò maior eſt dignitas animi quàm corporis, tantò minus cum fide conferenda ſunt opera.

Altera pars materiæ, in quo ſubiecto tractat, fides ſcilicet in animo, opera autem in manibus, pedib. &c. ergo.

Quartus locus effectus ſeu officia fidei,quid fides præſtet nobis. Eſt aũt hic locus copioſiſſimè tra-

Porrò quemadmodum diuerſæ cauſæ ſunt operum & fidei (opera enim animus, fidem Spiritus ſanctus parit) & quemadmodum in diuerſis ſubiectis,ut ſic dicam,hærent : ſic quoque effectus longè diuerſiſſimi ſunt. Fides igitur hoc

tur hoc efficit,ut nos iuſtificet,ſicut in Romanis eſt: Arbitramur hominem iuſtificari ex fide. Item Abacuc 2. Iuſtus ex fide uiuit. Item, Quicunq; in me crediderit,nõ guſtabit mortem in æternum. Item, Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluus erit. In fide propoſita nobis eſt perpetua uita. Quanta autem hæc ſit, uerbis dici non poteſt. Sed tamen ſi cum æterna morte ac pœna incredulitatis eam conferas, uidebis aliquantõ propius, quid ſit. Hic uerborum adhibenda eſt maior copia, item collatio æternæ uitæ cum hac corporali uita, item uoluptatum ac bonorum corporalium cum futuris ac ſpiritualibus &c. In his elocutio potiſſimum dominatur.

ctandus propterea, quod ex effectibus dignitatem & magnitudinem rei colligamus.

Wenn man weis wo zu ein ding gut iſt / ſo helt man es deſter werder.

Opponunt autem ſe uitæ,mors,peccatum & Satan. Satan nos ad peccandum allicit, peccatum nos damnat, mors totos abripit. Conſiſtit autem contra hæc fides, quæ uerbo credit, promittit fore ut uiuamus in ſempiternum.

Hic ſi enumeres tentationum uaria genera, quibus fidem oppugnat Satan, item quibus ad peccandum irritet, uides quantum ſe dicendi aperiat pelagus. Fides oppugnatur deſperatione & peccatis. Peccata quibus tentamur, etiam uaria ſunt. Eum qui in officio uerbi eſt, ſolicitat ambitio & gloria, ſenes auaritia, iuuenes libido ſtimulat. Iam alij paupertate, alij morbis, alij fame, alij alio tentationis genere uexamur. In his omnibus uincit fides, nulla alia re quàm quòd uerbo per Spiritum ſanctum confirmata, firmiter innititur & hæreſcit.

Amplificatio per enumerationem rhetoricam.

Tertius fructus fidei eſt oratio, in quam ceu in copiæ cornu omnes diuitiæ ſunt concluſæ: fides enim ſola orat, oratio autem impetrat. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dicit Chriſtus, certõ accipietis, Ioan. 14. & 16. In nomine Chriſti orare eſt credere promiſſionibus, quæ propter Chriſtum ã Deo patre nobis ſunt factæ.

Quod igitur tantùm malum eſſe poſſit, quod opprimere poſſit credentem? Non fames, non tribulatio, non anguſtia, non nuditas. Quemadmodum igitur uim à ſe armis miles depellit, ſic fides oratione, mala omnia uincit, hac pugnant Chriſtiani. Quia autem promiſſa uictoria uerbo Dei eſt, longè certius uincunt quàm mundus. Huc exempla ex ſacris literis afferenda, ſicut in Hebræis: Vicerunt fide patres regna. Nobile eſt, qualis eſt uictoria Ezechiæ. Eſa. 38. & ſimiles: Gedeonis, Samſonis 2c. Hic quoq; immenſus campus ſe aperit, quo expacieris.

Amplificatio.

Quartus fidei fructus ſunt omnis generis bona opera: ea ſunt Rhetorica enumeratione recenſenda. Sunt autem huc quoq; adducendæ promiſſiones, quæ ſunt de operibus, qualis illa: Remitte nobis debita noſtra, ſicut &c. Item, Quicquid feceritis minimo ex meis. Item, Vos ægrotos non uiſitaſtis &c. Non dediſtis panem eſurienti. Sic etiam operibus factæ promiſſiones, in fidem recidunt: Hæc omnia fides in credentibus gignit. Opera autem iuſticiariorum tantùm abeſt, ut idem efficiant, ut etiam ferè diuerſa pariant. Nam cùm ſint opera ſine fide peccata, mortem pro uita ſortiuntur.

Secundõ, conſcientiam magis inquietam reddunt: neq; enim certõ ſtatuere animus poteſt, ſi uerbum Dei in tentatione non habeat, hoc uel illud opus Deo placet. Tertiõ, inflant opera, & faciunt magis ſuperbos: non ergo orant pro remiſſione peccatorum. Quartõ, iuſticiariorum opera non ſunt caritatis officia, ſed conſiſtunt in quibuſdam externis ritibus, & moribus, ſic nihil ſimile eſt,

Peroratio in qua præcipua capita repetuntur.

le est. Aestimare iam quisque potest, quàm sint pernicioſi eiuſmodi docto-res, qui à fide quæ ſola promiſſiones in Chriſto conſequitur, ad opera & ad no-ſtra merita animos auertunt.

Sola enim fides iuſtos facit. Eam autem non noſtra opera, non noſtræ ui-res, ſed Spiritus ſanctus in animis efficit. Et nititur fides non ratione noſtra, ſed uerbo. Verbum autem unicum Chriſtum ſaluatorem nobis proponit: in illo, ſicut uidemus, abſconditos habent fideles omnes diuinitatis theſauros, æternam uitam, præſidium contra omnia mala, certam uictoriam in omnibus periculis, & quicquid tandem ubicꝫ eſt boni. Nos, quorum adhuc infirmior fi-des eſt, oremus ut Deus aliquando noſtri miſertus, in animos noſtros ſuum ſpiritum infundat, ut & tam opulentis promiſſionibus credere, & dignè Deo obedire poſſimus, Amen.

Tractaui iam per ſuos locos, ſimplicius fortè & rudius, quæſtionem ſim-plicem: in illa autem poſteriore parte longior eſſe nolui, ſed ſatis duxi ceu digi-to indicare locum, è quo eruere tùm rerum, tùm uerborum ingentem copiam poſſis. Iam breuiter unum aut alterum exemplum eiuſdem generis ſubijciam, pòſt ad compoſita themata accedemus.

DE THEMATE COMPOSITO.

FEci ſuprà duo genera thematum compoſitorum: alia enim docent, alia uer-ſantur in locis ſuaſorijs, cùm adhortamur aut dehortamur, commendamus aut uituperamus aliquid: Neqꝫ enim neceſſarium fore duxi, quamuis peculia-ris & ab alijs diuerſa tractatio ſit, eiuſdem generis exemplum proponere, ubi ſimpliciter tractatur ſcriptum: cùm enim nihil eo genere uulgarius ſit, nihil quoqꝫ facilius eſt. Dico autem id, cùm tractatur textus eo ordine ſimpliciter, quo ſcriptus eſt de uerbo ad uerbũ. Quia aũt etiam in ea tractatione nonnun-quam uel ſimplex aliquod thema, uel locus communis explicatur, poteſt ea tractatio ex his, quæ nos tractauimus, exemplis peti, neqꝫ ideo neceſſe eſt pe-culiaria eius rei præcepta tradere: hoc tamen admonendum eſt, ut etiam in il-la ſimplici tractatione, quantum fieri poteſt, omnia in certum ordinem cogan-tur, ut ceu membra membris ſubiecta, inter ſe omnia conſentiant, & ut poſſit certi aliquid inde diſci. Eius rei optima exempla ſunt paſſim in ſermonibus à Luthero ſcriptis. Videbis autem in illis quàm diligenter omnes rerum, perſo-narum, locorum, temporum circumſtantias rimetur, pręſertim in hiſtorijs tra-ctandis, & quomodo ſingula penè uerba ponderet, id quod mirabilem rebus lucem affert, & ad copiam orationis plurimum facit. Hæc igitur iam de eo ge-nere ſufficiant: nos ad ea quæ maiore artificio conſtant, & quæ difficiliora in-exercitatis uidentur, accedemus.

Simplex tra-ctatio textus.

Ordo certus.

Themata com-poſita dupli-cia.

Non difficile eſt diſtinguere ea, quæ docent, ab ijs quæ hortantur aut de-hortantur: ea enim quæ docent, plerunqꝫ ſunt aut de fide, aut iuſtificatione, aut de lege, aut de remiſſione peccatorum, ac ſimilibus: Ideò enim hæc tractantur, ut inſtituantur animi hominum in uera fide. Nos hanc ſententiam pro exem-plo tractabimus, ad Rom. 3. Statuimus autem hominem iuſtificari ex fide in Ie-ſum Chriſtum, ſine operibus. In his atqꝫ ſimilibus exemplis principiò omnium diligenter explicandi ſunt illi termini, ex quibus potiſſimum ſententia con-ſtat, quales hic ſunt, iuſtificari, & fides. Neqꝫ enim unquam rectè ſententia ali-qua explicabitur, niſi prius partes, ex quibus conſtat, diligenter expoſueris.

Partes expli-candæ.

Non

Non autem neceſſe eſt tam copioſē omnia perſequi, ut ſuprà in ratione ſimplicium thematum oſtendimus: ſed complecti breuiter ceu uno faſce complicatam ſententiam debemus,eamq; proponere. Explicatis igitur iam principalioribus thematis partibus, ſententia quàm ſimpliciſſimē poteſt, ponenda eſt. Fides illa nos iuſtos facit coram Deo,non noſtra opera.

Explicanda ſententia.

Eſt autem hæc interpretatio ſententię longius trahenda,propterea quōd firmius ea adhæreſcant animis,quæ pluribus uerbis dicuntur. Vbi autem ſententiam ſic explicaris, colligendæ ſunt ex ſacris literis aliæ ſententiæ, quibus ceu rationibus & argumentis expoſitionem tuam comprobes. Quōd ſi quæ obſcuriores ſunt, illę quoq; indicandæ & tractandę ſunt.Debet autem ſummè caueri ab iſs qui ſacra docent, ne multam ſententiarum congeriem connumerent. Hoc faciendum eſt, ut paucæ atq; illæ aptiſſimæ & conuenientiſſimæ & quoq; apertiſſimæ producantur,in quibus explicandis ſemper oratio ad inſtitutam ſententiam eſt dirigenda: ſatius eſt enim unum & alterum clarum teſtimonium & firmum produxiſſe, quàm multas, quæ ad inſtitutum non ita multum faciebant,ſententias allegaſſe. Nam præter quàm quōd incertis & malè detortis ſcripturis non confirmantur animi hominum: obſcuratur etiam res magis ac magis illa ſententiarum copia. Iudicium igitur aliquod requiritur, ut uideas quæ nam maximē ad inſtitutam propoſitionem tuam faciant: & non ut quæq; ſeſe prima obtulerit ſententia proferenda eſt, ſed ut quæq; plurimum lucis attulerit, plurimumq; ualuerit. Videmus autem hoc quoq; in doctorum hominum diſputationibus & ſcriptis. Ii plerunq; unam aut alteram ſententiam habent apertam & grauem, quam aduerſariorum infinitis rationibus & ſcripturis opponunt, id quod nobis quoq;, cùm imperitam plebeculam docemus,faciendum eſt: facilimē enim ea intelligent, quæ minimum obſcuritatis habent,et ſi non obruantur animi numero ſententiarum, firmius eas retinebunt.

Quærendæ rationes ſeu teſtimonia è ſacris literis.

Cùm igitur noſtram inſtitutam propoſitionem confirmamus, illæ ſententiæ quibus utimur, certæ eſſe & apertæ debent: quemadmodum enim in iudicijs illi teſtes quorum ſuſpecta fides eſt, reijciuntur: ſic quoq; in oratione non niſi illa adhibenda ſunt, quæ ſunt apertiſſima, & minimum ambiguitatis habent.

Sententiæ quæ afferendæ.

Proximus locus ſunt exempla, quę quamuis non tantum probent quantum ſententiæ, tamen ad probandum nonnihil faciunt, & maximē orationi afferunt lumen: præcipuē autem in ſuaſorijs ſermonibus dominantur. Quemadmodum autem in colligendis ſentētijs præcepi, ſic & hic moneo, ut ea tantùm exempla afferamus, quæ ſint apertiſſima. Præterea hoc quoque monendum eſt, in narrandis hiſtorijs magnam circumſtantiarum curam eſſe debere, ut omnia quàm commodiſſimē referantur. Nam cùm illis oratio multum augeatur,ad perſpicuitatem quoq; plurimum conducunt. Non autem fidei tantùm, ſed incredulitatis quoq; exempla ſunt producenda, & non tàm Abrahæ fides prædicanda eſt, quàm etiam Cain & Iudæ incredulitas ac etiam deſperatio damnanda.

Exempla.

Poſtremus locus ſunt contrariæ ſententiæ, ſeu confutatio eorum quæ opponi poſſunt: qualia ſunt,Caritas operit delicta. Exemplum Cornelij,ſententia Iacobi,& ſimilia. Sunt autem ſemper obſcuriora per clariora exponenda: quōd ſi quæ omnino diſſentiant, ea ſunt interpretatione aliqua mitigan-

Contrariæ ſententiæ.

da: uerũm infrã agemus de contrarijs ſententijs. Ad hunc ferè modum Thematum alterum genus tractatur, quòd uocatur Dialecticon. Debet autem nobis hæc ratio ideò eſſe commendatior, quòd ferè in omni ſermone ea utamur, & apud ueteres, qui rectiſſimè locuti ſunt, ad hunc modum grauiſſimas res explicarunt. Ciceroni autem præ reliquis in uſu fuit hæc ratio. Principio propoſitionem ponit, illi plerunq; rationem ſubijcit, nonnunquam etiam illius rationis aliam affert rationem, tandem exempla addit &c.

Literæ humaniores.

Quia autem nobis ſic loquendum eſt, cũm uulgò ſacras res tractamus, ut quãm plurimum nos intelligant: & dicendi ratio apud illos ſolos, qui olim ſcripſerunt in Latina lingua extet: impium eſt ſic contemnere humaniorum literarum ſtudia, ut plerique nunc faciunt: quin potius Deo agendæ erant gratiæ pro illa commoditate, quòd etiam gentilium ſcriptorum lectio, ad uerbum Dei felicius & clarius docendum conducat.

EXEMPLVM.

Vſus copiam parit.

NOn puto opus eſſe, quemadmodum in ſuperiore exemplo fecimus, ſic etiam nunc inſtitutum locum copioſius tractare. Nam ſi rerum copia adſit, & habeas in animo meditatum quid dicas, facilè ſe uerba quibus dicas, offerent: præſertim autem magnus uſus ſatis uerborum pariet. Et ut maximè omnia annumeraremus uerba, quæ fortaſſe in mentem non peſſimè dicturo uenire poterant, tamen nihil inde quãm res diſci poterunt: Vaniſſimum enim illorum ſtudium eſt, & ſimul tùm laborioſiſſimum, qui præſcripta uerba ediſcunt: rem nobis benè meditatam oportet, præterea ordinem quo tractare ſingula uolumus. Et tùm ſicut corpus umbra ſequitur, ita ipſa ſe ultrò offerent uerba, iuxta uerſiculum Horatij in arte poëtica,

Ordo.

Verbaq; præuiſam rem non inuita ſequuntur.

Dixi ſuprã in concionibus ſacris rarius nos exordijs uti, aut ſi utamur, ea plerumq; adhiberi, ut animi hominum magnitudine rei, de qua dicturus es, excitati fiant attentiores: ſi igitur omnino præfatione etiam hoc in loco uti uoles, ſic poteris ordiri.

Exemplum declamationis.

Nullum in ſacris articulum eſſe, qui obſcurior ſit, quãm hic de iuſtificatione. Addes deinde rationes. Primò, Neq; enim eſt alia res æquè rationi noſtræ ignota atque hæc: cũm enim diuinæ literæ ſtatuant iuſtificari nos fide, non poteſt ratio humana rebus non apparentibus inniti. Secundò, accedunt huc humanæ traditiones & doctrinæ, quæ alioqui procliues animos fortius impellunt, & docent iuſticiam operum. Si longior eſſe uelis, potes addere exempla: hinc natas omnes hæreſes iuſticiariorum, hinc Monachorum uitam, hinc omnis generis ſuperſtitionem manaſſe &c. Addes tandem concluſionem. Cũm nullus ſit obſcurior in ſacris literis humanæ rationi locus quãm hic, & tamen non ſine diſcrimine & periculo ſalutis ac animę errare hic poſſimus: apparet non oſcitanter hanc Chriſtianæ religionis grauiſſimam ſententiam eſſe tractandam &c. Sic abſoluiſti exordium, iam ad rem accedere potes in hunc modum. Sententia Pauli hæc eſt.

Articulus iuſtificationis.

Expoſitio partium ſententiæ.

Statuimus autem hominem iuſtificari ex fide in Ieſum Chriſtum ſine operibus Legis, Priuſquam autem eam tractare incipiam, uobis iſta duo ſpectanda ſunt, quid iuſtificari, quid fides ſit: quæ uocabula ſi rectè intelligantur, planio-

planiorem nobis ſententiam reddent. Iuſtificari tùm dicimur, cùm non imputat Deus peccatum, & nos iuſtos reputat, ſicut Pſalm: 32. ſcriptum: Beatus uir cui non imputat Dominus peccatum &c. Hoc ſi doceas, aliquanto pluribus uerbis utendum eſt: nos enim non iuſti aut beati ſumus, cùm hoc uel illud facimus, ſed cùm Deus nobis non imputat peccatum, cùm fauet nobis &c. Differunt enim inter ſe, iuſtum eſſe coram Deo: &, iuſtum eſſe per externa opera inter homines. Fides autem (cui Paulus hoc tribuit, quòd nos iuſtos faciat) eſt, cùm ſimpliciter uerbo Dei innitimur, & ſentimus Deum tùm promittentem, tùm minantem ueracem eſſe. Quia autem promittit Deus remiſſionem peccatorum, gubernationem, fauorem ſuum ac gratiam, his promiſſionibus fides aſſentitur, utcunq; externa facies rerum diſſentiat. Et quia comminatur impijs mortem, infelices exitus, iram &c. ideò fides cauet, ne quid committat &c. *Duplex iuſticia.*

Iam igitur cùm & quid iuſtificationem, & quid fidem Paulus uocet, ſciamus, ipſam ſententiam Pauli facilè intelligemus: ſic enim ſanctus Paulus pronunciat, iuſticiam quàm Deus probat & exigit, eam non contingere per aliam rem quàm per fidem. Si credas Deo, ſi illi tùm promittenti, tùm comminanti, fidem habeas, iuſtum te eſſe non humana quadam iuſticia, quæ non in animo, ſed in externis actionibus ſita eſt, ſed diuina: eſt enim longè aliud Dei iudicium, quàm hominum ſit iudicium. Nam cùm nos non pronunciare poſſumus, niſi de ijs quæ ad animum per externos ſenſus delata ſunt, de externis actionibus quas oculi uident, aures audiunt, manus palpant &c. Deus, ſicut Prophetа inquit, corda & renes ſcrutatur, & non, quod manus & pedes agant, ſed quod cor ſentiat inquirit. *Expoſitio ſententiæ.*

Eſt igitur humana iuſticia ceu ſordes argenti, ſi cum uera & diuina iuſticia conferas. Hæret in manibus, pedibus, lingua, hæc in intimo cordis ſepulta, Deo ſuum honorem tribuit: ſentit enim uerè remiſiſſe peccata gubernare nos &c. Sic Propheta Abacuc quoq; fidem prædicat, cùm inquit: Iuſtus ex fide ſua uiuet. Quæ ſententia planè cum hoc Pauli dicto conuenit, niſi quod uerborum mutatus eſt ordo: Sic enim intelligendus Propheta eſt. Sola fides uitam confert & uiuificat, impij morte æterna puniuntur. Vita autem ſolis promittitur iuſtis. Apertum igitur iam eſt, quòd cùm fidei tribuit uim iuſtificandi, tribuat ſimul iuſticiam. Dixi autem iam ſuprà quid fides ſit, ſcilicet aſſentiri diuino uerbo. *Teſtimonia ſacrarum literarum.*

Sic Dauid: Beati, quibus remiſſa eſt tranſgreſſio, & quibus non imputat Dominus peccatum. Eſt generalis ſententia, quòd omnes homines ſint peccatores, & damnati. Omnes homines habent peccatum, inquit: Beati autem illi ſunt, quibus peccatum non imputat Deus, Qui ſunt ergo iſti? Illi nimirum, qui credunt Deo promittenti, quòd uelit ipſorum miſereri ac ignoſcere: tolle fidem, & omnes æquè erunt peccatores. Et addit clarius: In cuius ſpiritu non eſt dolus, quaſi dicat: Dico de beatitudine, aut iuſticia, quæ non hæret in exterioribus corporis membris, ſed quæ in intimis uiſceribus latet, & quæ tàm certò aſſentitur Deo promittenti, quàm aſſentiuntur oculi, cùm aliquid admotum propius, clarius cernere poſſunt: In ſpiritu eius non eſt dolus &c.

Huc innumeræ aliæ ſententiæ pertinent. Pſalm. 2. Beati qui confidunt in eo. Tribuit beatitudinem non alij rei quàm fidei. Porrò beatum eſſe, uitam

habere: idem ſunt, ſunt effectus iuſticiæ. Iuſticiæ autem effectus eſt fides. Meritò igitur & illa fidei tribuitur, tanquam propriæ, quamuis remotiori cauſæ, ſic uides quàm pulcrè Pauli ſententia cũ aliis, qui multis ſeculis ante ipſum ſcripſerunt ſanctis Prophetis conſentiat. Sentiamus igitur & nos ſic, non contingere uitam, non contingere iuſticiam, quam probet & requirat Deus, niſi per fidem in Chriſtum Ieſum, quem propoſuit nobis Deus propiciatorium &c.

Habemus autem huius ſententiæ innumera, tũm in ueteri, tùm in nouo teſtamento exempla, ubi Deus promittit remiſſionem peccatorum, gratiam, uitam, non hoc aut illud facientibus, ſed ſimpliciter credentibus uerbo: ſic Abrahamum prædicauit ſcriptura, & eius exemplo Paulus quoq; utitur. Sed pleniſſima conſolationis ſunt exempla in nouo teſtamento, quibus plerumq; ceu Epiphonema additur: fides tua te ſaluum fecit: Quia credidiſti, ideò remiſſa ſunt tibi peccata tua, & ſimilia.

Contrariæ ſententiæ.

Porrò in exemplis quoq; ea deligenda ſunt, ſicut antè admonui, quę ſunt aptiſſima & maximè conuenientia. Sed opponuntur ſententijs ſententiæ, quæ uidentur contrariæ & exemplis contraria in ſpeciem exempla. Sic Cornelij prædicantur opera, priuſquam baptizatus eſſet, & in Chriſtum credidiſſet. Item hæc ſententia: Hoc fac, & uiues, in Euangelio. Item, Caritas operit delicta. Et paſſim multæ ſunt ſententiæ, quæ, quod nos fidei tribuimus, tribuunt externis operibus. Ad Cornelij Exemplum ſic reſpondendum eſt: Non commendatur tantùm propter opera, ſed quia timuerit Deum. Neq; dici poteſt, nullam habuiſſe fidem, cùm Lucas ſcribat eum oraſſe. Eſt autem oratio tantùm fidei opus. Argumento autem eſt, quòd ſine hæſitatione, ut Pauli uerbo utar, orauerit, quòd exaudita oratio fuerit.

Principium igitur iuſtificationis, & ceu fundamentum diuinitus iactum habuit, inde bona opera, ſicut naturaliter fit, ſecuta ſunt. Cognitio autem nondum fuit perfecta, id quod & ipſe ſenſit: neq; enim niſi id ſenſiſſet, à Deo pleniorem religionis cognitionem poſtulaſſet. Porrò, per prædicationem de Chriſto cognitio illa abſoluitur, fides confirmata perficitur & conſummatur. Sic rectè ad hoc exemplum reſponderis, quòd habuerit fidem Cornelius, ſed eam tamen adhuc imperfectam. Quemadmodum autem granum ſynapi excreſcit, ſic illa fides non potuit non per uerbum creſcere, & maior firmiorq; fieri. Sententia Salom. Delicta operit caritas: intelligitur de alienis peccatis, ea caritas tegit, non de noſtris. Sententia Chriſti: Fac ea, & uiues, eſt de tota Lege, ſpiritualiter ſcilicet impleta: ſunt enim in decalogo quoq; præcepta timoris & fidei, quæ qui præſtiterit, is uitam habet: ſic uides ubiq; fidei tribui iuſtificationem, neque eſſe aliam rem qua Deo ſuum cultum præſtare poſſimus, quàm fidem.

Peroratio qua redit ad ſententiam inſtitutã.

Si igitur, Deo placere, Deum colere, iuſtè & ſanctè uiuere, uitam denique æternam ingredi uis, non hoc aut illud tibi opus faciendum eſt, ſed credendum & ſentiendum, quòd Deus omnia quæ promiſit, largiri nobis per Chriſtum uelit, quòd uelit noſtri miſereri, remittere peccata, ignoſcere, gubernare, defendere nos à peccatis, morte, & inferno: pro nobis rogare Patrem, in tentationibus & calamitatibus nos conſolari, & erigere per ſuum ſpiritum: quæ omnia immenſa bona diuinæ miſericordiæ ſunt. Vult autem ea nobis dare non pro magnis operibus, non pro noſtra iuſticia: ſunt enim multi inopes, qui emere non poſſent, & maxima pars hominum incautior immergitur & obruitur pec-

Amplificatio.

tur peccatis,cùm illis actum esset,si aut opibus, aut nostra iusticia uenalia tanta bona essent. Hoc optimus pater exigit,quòd si ipse faueat,omnes præstare possumus, ut sentiamus uera esse, quæ promittit. Cordis nostri assensum uult, & hanc fiduciam,ut omnia bona in ipso solo sita nobis esse persuadeamus,eaq; expectemus. Et quemadmodum hunc sensum in pueris uidemus, quòd sentiant sibi præsidium contra omnia mala in parentibus esse situm: sic nos quoq; uult nulla in re alia, in nullis alijs opibus hærere, quàm in seipso, qui omnia præstare,quorum usus indiget, & possit & uelit.

Hic uidemus quàm longè illi errent, qui docent,uitam aut iusticiam contingere per opera, & quandam ciuilitatem ex religione faciunt. Habent quidem opera externa suas promissiones,sed temporales tantùm. Deus dat iustis coram mundo, pacem, opes, famam bonam, sicut quoq; iniustis sunt suæ pœnæ,furibus crux, homicidis mors,&c. Quemadmodum autem fur & homicida,si credit,saluatur: sic illa ciuilis iusticia non prodest ad uitam æternam, nisi ad eam accedat fides. Fidei alia sunt proposita præmia, quàm sunt illæ fluxiles & perituræ commoditates: æterna uita,æternum gaudium,bona conscientia, tutus in omnibus aduersitatibus receptus,certum auxilium, illa sunt fidei præmia,quæ ciuili iusticia nemo impetrabit. Quemadmodum enim ubi argenteis numismatis res ueneunt, nullus cupreorum nummorum, si quis eos importet, usus est: sic longè inferior ciuilis iusticia est, quàm quæ tanta bona consequi possit aut mereatur.

Antithesis,quã do subijcitur contraria sententia. At quid docent & faciunt Monachi etc.

Nulla est maior impudentia & impietas, quàm, cùm uidemus nostram tantam esse infirmitatem,ut ne minimo affectu moderari possimus, tamen tantùm nostris tribuere uiribus,quòd possint summa illa dona mereri: hæc est illa Luciferi ambitio, qui sedem Dei affectauit. Quin nos agnoscamus peccatores, & sentiamus non ad benè operandum, sed tantùm ad peccandum uim in nobis esse,& rogemus à Deo gratiam & misericordiam, ut in nobis peccati dominium tollat,& fidem per suum Spiritum inserat, qua tantorum bonorum participes fieri possimus: siquidem sola est, qua iustificamur tali iusticia, quam Deus probat & commendat. Amen.

Videre est in hoc exemplo, quòd commodè tractari non possint composita themata,nisi antea benè cognitis partibus, ex quibus constant, subiecto scilicet & prædicato.

Quemadmodum igitur monui antea,priusquam tractationem instituas, diligenter uocabula, quæ constituunt sententiam, considerabis, eaq; per illos locos, quos suprà in simplicibus thematibus ostendi, duces: Sic enim fiet, ut certius ipsa intelligere,& solidi aliquid docere queas: id quod omni modo faciendum est. Quia enim salus hic agitur animæ, & res est cum perfectissimo Rhetore, cum nostra scilicet conscientia, sunt deligenda certissima, quibus cùm uel peccatum,uel conscientia nos tentat, resistere Satanæ possimus. In fidei igitur causis solo scripturæ uti possumus testimonio, neq; possunt aliquæ à nobis excogitatæ rationes afferri, quòd animalis homo non sentiat quæ Dei sunt. Si autem de æternis rebus disputes,de ceremonijs & similibus,possimus quoq; argumentis à nobis inuentis uti: quamuis quoque illæ ferè uel ex historijs sacrarum literarum, uel ex sententijs sint petitæ, si diligentius ea consideres. Sit exempli gratia propositum thema, non omnes ceremonias abolendas.

ALIVD

ALIVD EXEMPLVM, NON OMNES ceremoniæ abolendæ.

PRincipiō quid ceremoniæ ſint, diligenter uidebis, quidam ſcilicet externi ritus inſtituti pro infirmis, & quos Paulus dicit, lacte ali. Deinde quoque prædicatum uidendum eſt, non ſunt abolendæ. Hic ſtatim in mentem tibi uenit, quōd illa tantūm abolenda ſint, quorum aut nullus uſus eſt, aut quæ ſunt contra mandatum Dei. Conferendum igitur iam prædicatum cum ſubiecto eſt, uidendumq̄ an nullus ceremoniarum uſus ſit, aut contra Deum ſint. Quōd ſi deprehenderis aut inutiles aut impias eſſe, conſtitues abolendas. Sin autem quarundam uſus quidam eſt, & neceſſariō exiguntur, diuerſum conſtitues.

Quia autem ceremoniæ generale nomen eſt, multis ſpeciebus commune, & propoſitio particularis: ſunt colligendæ illæ ſpecies, & uidendum quæ ſint impiæ, quæ nam inutiles &c. Iam igitur ad tractationem accedemus, ſiquidem particulas propoſitionis aliquo modo expendimus. Dixi autem primō ſententiam ſimpliciſſimē referendam, eſſe quaſdam ceremonias, quæ non ſint abolendæ. Requiritur autem ſtatim hic ratio, quare non ſint abolendæ, uerūm eam antē oſtendimus, quōd ſcilicet & quidam illarum uſus ſit, & quædam neceſſariæ ſint.

Non poſſunt omnes ceremonię tolli, quia Baptiſmus & Euchariſtia ſunt à Chriſto inſtitutæ ceremoniæ, ſeu externi ritus. Hæc eſt prima ratio, quæ eſt certa & neceſſaria. Sed quid dicimus de ceremoniis ab hominibus inſtituris? Quales ſunt certi dies, quibus uerbum docetur, quidam in Eccleſia ritus, quōd canuntur Pſalmi, quōd eſt quædam forma communicandi &c. Illæ quoq̄ ſunt neceſſariæ: debet enim certum tempus eſſe, quo conueniant homines ad audiendum uerbum. Et Paulus præcepit, omnia facienda in Eccleſia εὐσχημόνως. **Fein ordentlich/das es wol ſtehe.**

Sed præter has aliæ multę ſunt, quibus in noſtris Eccleſiis hodie utimur, quæ non ſunt tām neceſſariæ, quām illæ ſuperiores. Sunt´ne illæ quoq̄ tolerandæ? Reſpondeo, ſi non ſint impiæ, quales illæ ſunt quæ inſtitutæ ſunt ad iuſtificationem à Papis, & ſi ſit earum quidam uſus, quōd aut religionem commendent uulgo, aut pueros, quorum maximē gratia inſtitutę ſunt, retineant in uerbo, & doceant, non ſunt abolendæ: uidemus enim in quibuſdam Eccleſiis, ubi nullæ amplius, præter ſacramenta, ceremoniæ ſunt, nunq̄ fuiſſe contemtiorem religionem, quām nunc: eſt enim opus quadam externa ſpecie, quę commendet & auguſtiorem uulgo religionem faciat, quōd rei magnitudinem & dignitatem per ſe uidere nequeant. Et non debet nos eius profectus pœnitere, quem pueri dum in templis Pſalmos canunt, dum Biblia legunt, faciunt.

Impium quoq̄ eſt ſentire, omnes ceremonias inſtitutas eſſe ab impiis Pontificibus. Fuerunt nonnulli prudentes & ſancti uiri, qui ſenſerunt uulgi ita ſupinos & demiſſos animos, ut nunquam ſint dignitatem & amplitudinem religionis animaduerſuri, niſi aliqua externa & oculis expoſita ſpecie remorati & detenti animi, ſenſim magis ac magis attollerentur, & admirari eam diſcerent. Hæ ferè ſunt rationes, quibus colligitur, non poſſe nec debere omnes ceremonias tolli, propterea quōd quædam ſunt mandatæ & neceſſariæ, quædam quamuis mandatæ non ſint, nihil tamen impietatis habeant, & multum proſint infirmioribus animis.

Tertius

Tertius locus iam sunt exempla. Habes autem præclarum locum de ceremoniarum usu, Iosue 22. Ne uestri pueri dicant nostris: Non estis participes Domini &c. Pro pueris & infirmis istiusmodi sunt instituti ritus. Et Ezechias tũm serpentem abiecit, cũm in superstitionem & impietatem uergere res uellet, antè non.

Quartus, sententiæ, uel contraria exempla diluenda, quale Ezechiæ est, qui serpentem est demolitus. Facilis autem solutio est, fuisse abolendum, quia in impietatem res cesserit. Nos autem eas tantũm ceremonias asserimus, quæ & piæ sunt & prosunt in fide, quæ sunt institutæ ad docendum rude uulgus &c.

Vltimò subijcitur epilogus, cuius formam è superiore exemplo petere licet: sic in his thematibus quæ docent, ille ordo conseruandus est, ut primò ipsa uocabula explices. Secundo explices simpliciter sententiam. Tertio quæras rationes. Quarto exemplis illustres. Quinto confutes contraria. *Docẽdi modus simplicior.*

Aliam rationem tradunt Dialectici: Habent enim illi quosdam locos, ẽ quibus peti argumenta liceat, & deinde formas proponendorum argumentorum & connectendorum præscribunt. Verùm ego hanc ideò sequi malui, quòd sit planior & simplicior, præsertim in ijs, qui non magnum usum Dialecticorum præceptorum habent. Secundo, quòd uideam eloquentissimos uiros in grauissimis causis, hac ratione esse usos: & quòd non ita longè quoque à Dialecticorum præceptis distet. Nam & hic causas rerum quærimus, & argumentamur ab exemplis, quos locos illi quoque proposuerunt. Est ferè eadem ratio tradita ab Erasmo in 2. lib. Copiæ de expolitione, ea commodè cum his conferri potest. *Dialecticus ordo.*

DE CONTRARIIS SENTENtijs explicandis.

QVia in hoc genere sæpẽ contrariæ sententiæ explicandæ sunt, operæpretium facturum me existimaui, si illarum tractandarum qualemcunq; formulam præscriberem. Vulgaris est regula, sed bona, & apprimè ad hunc locum utilis, monstrationem procedere à notioribus ad ignota. Item ignota per notiora explicantur. Hoc igitur faciendum est in contrarijs sententijs, ut semper eam quæ obscurior est, conferamus cum aliqua apertiore & clariore, eamquè ex illa explicemus. Exempli gratia, clara & apertissima hæc est: Statuimus hominem iustificari ex fide absq; operibus legis. Item, si ex gratia, ergo non ex operibus. Sin ex operibus, iam euacuata est gratia &c.

Hæ sententiæ sunt apertissimæ, necq; est quòd aliquis in illis hæsitet. Si igitur incidant quædam sententiæ, quæ operibus id tribuant, quod Paulus operibus adimit, illæ sunt secundum Pauli sententias explicandæ, & interpretatio addenda est, qua mitigatur nonnihil. Hoc omnino non faciendum est, ut ex obscurioribus clariores interpreteris: quemadmodum enim numeros ac rationes obscuriores arithmetici docent, ex notis numeris explicare: ita hic faciendum est, notiores sententiæ interpretationem ac sententiam ad ignotiores afferre debent, & non econtrà.

Quòd si expositione aliqua mitigari non possint, sicut illa Iacobi: Videtis quòd ex operibus iustificatur homo, & non ex fide solùm: istiusmodi simpliciter non sunt recipiendæ, uerùm istarum non sunt multæ. Inuenies semper plu-

per plures ſententias, quæ ueram ſententiam probent, quàm quæ improbent, & ferè ſemper fieri, ut quæ contrarię prima facie eſſe appareant, eæ, ſi ordinem & ſeriem textus diligentius inſpicias, non diſcordent, ſed aut per antecedentia aut ſequentia ſint explicata. Atq; hanc rationem componendarum contrariarum ſententiarum tradunt Rhetores.

Verùm Theologi etiam quandam addiderunt, hanc ſcilicet, quòd ſemper poſterius uerbum ſit corrigendum ſecundum prius. Sic legimus in libro Regum, Samuelem mortuum collocutum cum Saule: quia autem præceſſit, uerè mortuum Samuel, eſt concludendum Phantaſma Diabolicum, non Samuelem Sauli eſſe uiſum. Sic Balamo primò interdicitur, ne aſcendat ad Regem, deinde permittitur illi ut aſcendat, & tamen pœnam admiſſi peccati pendit. Hinc colligendum, quòd primum uerum uerbum fuerit, alterum non, ſed tentatio quædam, qua ideò tentatus eſt, quia priore uerbo non contentus fuerat. Sic Abraham habuit promiſſionem de filio Iſaac, quem cùm immolare iubetur, tentatur eius fides, neq; uult Deus, ut eum occidat. Sic in ſimilibus locis cogitandum.

DE ALTERO GENERE *compoſitorum thematum.*

De genere deliberatiuo.

ALterum compoſitorum thematum genus eſt, quod ad perſuadendum, adhortandum, dehortandum, laudandum, uituperandum, adhibetur: eiuſmodi omnia illa ſunt, quibus ad bona opera, ad pacem, ad coniugium, ad ueram pietatem adhortamur, quibus dehortamur à uicijs, ab impietate, auaritia, luxuria, ebrietate, ſeditionibus, rixis, & ſimilia. Eſt autem facilior horum tractatio, ideò quod ſuperiorum cognitio tota è ſacris literis petenda eſt. De his autem noſtra ratio iudicium ſuum diuinitus formatum & ſimul natum, quod aut honeſta, aut turpia, bona aut mala ſint, affert. Si igitur contra ebrietatem dicturus ſis, omnia quæ dici poſſunt, exceptis ſententijs ſacris, quæ Dei iram minantur, à quouis gentili dici potuerunt: Sunt enim effectus ebrietatis damna & incommoda, item magna turpitudinis pars rationi ac oculis ſubiecta. Deme igitur ſententias ſacras, & tam benè contra ebrietatem Cicero declamabit, quàm Chriſtianus quidam. Duplex ergo eſt ad hęc tractanda adferendum inſtrumentum: Sacræ ſententiæ quæ bonis operibus promittunt præmia, & uicijs minantur iram Dei. Item noſtræ rationis iudicium, & experientia, quæ cùm de externis rebus iudicare debet, tanquam in ſuo regno ſtatuere aliquid certi poteſt. Neq; in his, ſicut in ſuperioribus fallitur: ſunt enim expoſiti oculis effectus. Sicut igitur certò de colore iudicare oculi poſſunt, ſic etiam ebrietatis damna & turpitudinem perſpiciunt. Quæ ſi dicendo exaggeres, & ceu uno faſce conuoluta latius auditorum oculis ſpectanda euoluas & explices, apta ea ad dehortandum, aut perſuadendum erit ratio.

Loci ſuaſorij.

Loci per quos huiuſmodi themata tractantur, ferè hi à Rhetoribus præſcripti ſunt, honeſtum, utile, facile, neceſſarium. Qui igitur diligenter ſimplicium thematum locos didicerit, is faciliorem ad hęc quoq; aditum habebit: nam ferè ex illis nati ſunt, ſicut commodè indicabimus.

Honeſtum uocarunt, cùm aliquid aut Deo probatur, aut cum noſtra ratione & iudicio conſentit. Sic inhoneſtum homicidium dicitur, quòd prohibuerit id Deus, & noſtra nos conſcientia poſt admiſſam cædem damnet & accuſet,

cuſet, ſicut in homicidis uidemus. Sic honeſta dicitur religio, quòd Deus eam probet & exigat, & noſtra ratio ſtatuat Deum colendum &c.

Nos quia ſæpius in docendo ad hunc locum recurrimus, pro exemplo tractabimus hanc ſententiam: Bona opera eſſe præſtanda. Tractaturus igitur hanc ſententiam primò omnium explicabit definitione ſubiectum: hoc enim in omni diſputatione, cuiuſcunq; tandem generis ſit, faciendum eſt, ut hæ uoces quæ potiſſimum tractantur, definitione circumſcribantur, ut ceu in certo loco conſiſtere auditor poſſit, neq; huc illuc ue incertus animus de principali termino, ut ſic uocem, uoluatur. *Exemplum.*

Statim autem poſtquàm admonuiſti quid bona ſint opera, nempe ea, quę proximo, non nobis, aut Deo qui ijs non eget, bona ſint: aduertendus animus & cogitatio ad honeſti locum eſt. Dixi autem honeſtum dici, quod tùm Deus præceperit, tùm etiam noſtra ratio probet. Congerenda igitur una aut altera ſententia eſt aperta & propria, qua Deus opera à nobis exigit: deinde ratio quoq; noſtra quid ſentiat conſulenda: ex illa enim omnes ſententiæ, quæ paſſim apud Gentiles de moribus extant, natæ ſunt. Faciunt autem & illæ, ſi modicè & ſuo loco aſpergantur, commendatiorem & elegantiorem orationem.

Aperta ſententia, quæ bona opera exigit, illa eſt in Lege, quam Chriſtus quoq; repetit: Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Item innumeræ aliæ. Faciendum autem eſt, ut pauciſſimis, ſicut iam ſæpè monui, ijſq; grauiſſimis utamur. Et delectus quidam adhibendus eſt, ne ex tantis opibus ea, quæ uiliſſima ſunt, & minimi precij, ſtultè delegiſſe uideamur.

Suprà in ſimplicibus thematis de definitione, & cauſa efficiente præcepimus: ex ijs duobus locis naſcitur ferè locus honeſti, ſi diligentius conſideres. Notabis autem quòd argumenti tantùm nomen honeſtum ſit, neq; diſcturo publicè hoc nomine utendum eſt, Opera ſunt honeſta. Sicut quoq; nemo ſanus cùm docet, iam propoſitionis, iam confutationis nomine utitur. Sed illa nomina ideò ſunt reperta, ut commonefacerent, quid in dicendo ſequendum, aut quò noſter animus referendus eſſet.

Stultum igitur eſſet declamantem dicere: Opera ſunt honeſta, ergo præſtanda. Quin ſic potius propones: Bona opera nullo modo Chriſtianis omittenda ſunt, quia ea exigit Deus, & quoq; noſtra ratio nos commonet, ne quem lædamus. Hæc erit huius loci ab honeſto propoſitio. Habent enim ſinguli loci ſuas partes, ſicut in principio huius operis indicaui. Confirmationis deinde uice ſubijciendæ ſunt ſententiæ, in quibus Deus præcepit bona opera: illæ ſunt exponendæ, illuſtrandæ amplificationibus & exemplis aggerandæ &c. Deinde concluſio ſubijcienda, ergo non ſunt omittenda opera. In hanc ſunt ſimilia conferenda, item omnia genera amplificationum, ſicut infrà fortaſſe oſtendam.

Dixi quid ſit honeſtum. Iam igitur & quid utile uocarunt, explicandum. Quamuis autem ipſum nomen ſatis apertum ſit, quia tamen omnia craſſiſſimè tradere decreui, & illud explicare non grauabor, ne quid imperitior harum artium requirat. Suprà in ſimplicibus thematis, poſtremus locus erat officium ſeu effectus. Inter locum igitur utilitatis & effectuum nihil aliud intereſt, quàm quòd hoc nomine Dialectici, illo Rhetores utantur, cum uſum rei conſideramus, quid conferat, cùm quid hoc aut illud feciſſe proſit, quid obſit neglexiſſe &c.

Sunt & in hoc loco, ut eō grauior fiat oratio, ſacræ ſententiæ, quæ præmia bonis operibus promittunt, conquirendæ. Habent autem uarias promiſſiones bona opera,& ad plura proſunt.Primō igitur loco illi effectus ſunt ponendi,qui ſunt grauiſſimi. 1. Pet:2.Cōfirmate fidem ueſtram per bona opera. Item,Ite in ignem æternum,qui me non pauiſtis,non uiſitaſtis. Hic æterna uita bonis operibus promiſſa eſt. Item corporalis promiſſio: Quicunq; fecerit hæc,uiuet in eis.Item,Qua menſura menſi fueritis &c. Sic confirmant opera fidem noſtram,promiſſionem uitæ æternæ habent,habent promiſſionem omnium bonorum corporalium, ſicut Pſalmus dicit: Nunquam uidi ſemen iuſti panem quærere,impius autem & opulentus perit.

Hi affectus ſunt amplificandi collationibus, item aliis ornamentis. Item circumſtantiæ tractandæ.Quicunq; fecerit hæc minimo ex meis, mihi fecerit. Non homo, ſed Chriſtus,cui illa omnia fiunt, reſpiciendus. Eſt circumſtantia perſonæ, quam licet amplificare bono ornamento, quo ſæpē Lutherus utitur. Si Chriſtus adhuc eſſet uiuus,omnes ad illum curreremus &c. Propior autem iam eſt,cum ſe in omnes illos,qui noſtra opus habent ope, concluſit, & apertē dicat ſibi fieri, quicquid minimo ex ſuis fiat.

Hi duo loci copioſiſſimē ſemper ac ferē ſoli tractantur. Eſt autem planē contrariorum eadem diſciplina: quemadmodum enim honeſta, Deo uolente & mandante,item approbante noſtra conſcientia fiant,ita turpia & inhoneſta Deus prohibuit,& noſtra ratio damnat. Similiter quemadmodū illa proſunt, ſic hæc obſunt: & ut bonis operibus promittit Deus uitam æternam, ſic uicia punit æterna morte & ira ſua. Præterea ſint quæ uiciorum incommoda, illa non eſt huius loci,aut inſtituti recenſere:ſunt enim quibuſuis nota. Hoc tamen obſeruandum eſt, quōd & illa nonnunq; ſacræ literæ referant, addant tamen aliquid maius, quàm humanæ literæ aut ratio, ſcilicet iudicium Dei & iram Dei. Sic Salomon tribuit ebrietati,quōd pariat tumultus,addit tamen hoc facere quoq; ſubſannatores,qui Deum magis ac magis laceſſant,ruere ē peccato in peccatum. Illa diligenter ſunt uidenda, ſuisq; illuſtranda coloribus.

Reliqui ſunt duo loci, facilitas & neceſſitas, ij plerunq; adhibentur loco amplificationum. Vt ſi dicas de bonis operibus: Tanta commoda promittit Deus bona facientibus,quàm autem paruo nobis illa conſtabunt:Non exigit, ut opes tuas profundas temerē,uult te dominum eſſe tuorum fontium, riuulos tantūm uult te foras deducere,prohibet illam turpem auaritiam.Si re non potes,iuua conſilijs,labore,opera tua &c.Similiter & neceſſitatis locum tractant. Hæc quidem facientibus,bona opera ſunt promiſſa,quę niſi ſponte fecerimus, cogemur cum noſtro malo. Habet Magiſtratus ius,homicidas,adulteros,fures,necandi. Quōd ſi conſultō ab his uicijs abſtinere non uoles, fer tuam poenam.Recidunt ferē hæc in honeſti locum, quōd Deus præcepit, cui ſit parendum, & in locum utilitatis, ſicut uides.

Amplificatio à contrario.

Hoc poſtremō monendum,nullum amplificationum genus neq; facilius neq; uberius eſſe, quàm ſi contraria ſeu Antitheſes ſubijcias, ut ſi dicas de præmijs,quæ propoſita ſunt bonis operibus,ſubijcias pœnas malis operibus propoſitas.Hæc Deus nobis propoſuit & promiſit.Quōd ſi nihil tantis promiſſionibus commouemur, at horribiles pœnæ nos à peccando retrahant: æterna enim morte puniet peccata,ſicut dicit.Pręterea ira ſua uiuos etiamnum ac mala conſcientia torquebit & premet,omnia illius erūt aduerſa. Obijcietur ipſorum

rum uita uarijs periculis, morbis, inopia, ignominia prementur &c. Nomen impiorum ad posteros radicitus euertetur & peribit.

Ex his Antithesibus tantùm lucis accedit orationi, præterea quoq; tantùm ad persuadendum faciunt, quantūm nullum aliud genus amplificationum. Faciendū igitur est, ut semper ad contrarias sentētias nos referamus. Sic ubi uituperasti ebrietatem, subijcienda laus est sobrietatis &c. Quia autem hoc postremū genus plurimum ornamētorum recipit, diligenter uenanda nobis sunt ea tùm ex Oratoribus, tùm ex Poëtis Latinis, apud quos omnis dicendi ratio sepulta est. Neminem igitur Theologum pudeat nonnunquam uel orationem aliquam Ciceronis, uel Virgilij poëma manibus circumferre. Nam qui diligenter dicere uolet, ille statim deprehendet, maiorem omnino illarum literarum esse usum, quām uulgus Theologorum nostri seculi intelligat. Subijcio iam & huius postremi generis exemplum, sicut superiorum quoq;.

EXEMPLVM GENERIS DELIBERATIVI.

MOnet S. Paulus Timotheum, ut moneat, urgeat, increpet, instet, omnemq; denicq; lapidem moueat, ne ocio ac desidia fractæ mentes minus dignē Christo uiuant. Quoniam autem iam passim tantus religionis est contemtus, & pauciſſimi sunt qui id operibus, quòd ore profitentur, præstent: committendum mihi non fuit, quin ad bonorum operum curam aliquando uos excitarem, præsertim cum ultrō ad nos id deferat is, in quo nunc uersamur, locus. Dixit Christus, Postremis temporibus refrigescet caritas multorum. At uerius dicas, neminem sui proximi agere curam, si (ut nunc mores hominum sunt) rem rectè æstimes: adeò omnes paribus studijs, in suam rem ac quæstum omnia faciunt. At sic Christianos uiuere conueniebat, ut alter alterius onera portaret, inopia aliorum re subleuanda, non fraudandi & spoliandi homines, affecti animo consolandi, peccata tegenda, & similia caritatis officia præstanda proximo erant: sic enim à Christo, cuius religionem et nomen profitemur, edocti sumus. Ne igitur & nos ea in parte negligentiores essemus, instituendam cohortationem ad bona opera statui.

Exordium à sententia.

Contraria sententia.

Verùm ne quis erret, bona opera ea appello, quæ ex fide in Christum profecta proximo nostro prosunt, quibus is qui nostra opera aut re opus habet, iuuatur. Illa non sunt bona opera, extruere templum, celebrare Missam, orare tot Psalmos: neq; enim ex his aliqua ad homines manat utilitas.

Sunt autem ideò præstanda bona opera, quia Deus ea præcepit. Christus enim ex lege hoc repetit: Quòd tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Sunt innumeræ aliæ sententiæ, quibus bona opera à nobis exiguntur: illæ sententiæ explicandæ sunt copiosius. Deinde adijciendę amplificationes ab illius persona qui mandat. Regi edicenti aliquid non obtemperare, capitale est: hic maior omnibus Regibus est, neutiquam igitur ipsius contemnenda iussa &c.

Ab honesto.

Amplificatio à persona mandantis. Est collatio à minori.

Atq; aliqua excusatio ualeret, si impossibilia aut magna exigeret. Iam autem cùm non plus postulet, quām quòd quisq; sine suæ rei maiore iactura præstare possit, nulla ualebit excusatio. In multis hominibus tanta ambitio est, ut quacunq; re possint, captent beneuolentiam potentiorum, nonnūquam etiam uitæ & possessionum omnium discrimen subeunt. Quæ igitur illa dementia ne an impietas est, cū tam parua officia à nobis Deus, qui omnia largiri potest, exigat, non illi gratificari? præsertim cum longē maiora nobis proposita sint præmia, quām si in familiaritatem alicuius Principis aut Regis asciscaris.

Alia amplificatio à facili.

Quæ enim est collatio æternæ uitæ cum operibus mundi? Atqui æterna uita proposita est benè operantibus, iuxta illud Christi: Ite in ignem æternum. Item, Fac hæc, & uiues. Illa præmia quia promissa sunt bonis operibus, tũm demum consequimur, ubi proximum iuuerimus, & firmiter crediderimus præstaturum Deum ea quæ promisit. Vita igitur æterna operibus datur, non ex merito, sed ex promisso. Promissiones autem tantũm fide accipiuntur, ne quis hic quippiam calumnietur.

Vtile.

Hic ingens aperitur dicenti campus, in quem expacietur collatione bonorum huius seculi cum æterna uita, quę clarior erit, si pœnam neglectorum officiorum, caritatis, mortem asseras. Comparas aliquot aureos, quibus proximum iuuare poteras, eumq; negligis: pœna igitur te manet, æternus ignis. Confer igitur iam lucrum quod fecisti, cum iactura & damno quod patieris. Est exemplum diuitis in Euangelio &c. Qui sic instituit orationem illi nullo modo uerba deesse possunt. Est autem frequentissimum amplificationum genus collatio similium & dissimilium: mihi sufficit ista extremo digito tantum notare, aliàs in immensum creseceret argumentum.

Bona opera confirmant fidem.

Bona opera præterea nos, quoties de fide nostra tentamur, consolantur, & testimonium contra Satanam dicunt, sicut Petrus inquit: Confirmate uocationem uestram. Item Christus: Bona arbor bonos parit fructus: sunt enim bona opera ceu Sacramenta quędam, quæ nos confirmant esse in Ecclesia, Deum nos curare, nostri misereri &c. Sicut Christus quoq; docet: Remittite, & remittetur uobis. Neq; sanè parua hæc bonorum operum utilitas est: quoties enim accidit, cũm propter peccata in desperationem coniecti homines, mortem sibi conscisscant: aut ex desperatione, in omne flagitiorum genus se conijciant? Diuersum bona opera faciunt, & infirmam conscientiam, ceu testes iusticiæ consolantur, & certos nos de nostra uocatione & electione quoq; faciunt. Confer huc omnes mundi thesauros, & non poterunt infirmam conscientiam consolari: opera autem bona possunt, sunt igitur præstanda, & omnibus uiribus annitendum est, ut nostra fides per ipsa confirmetur, reddaturq; certior.

Bona corporalia.

Amplificatio per enumerationem bonorum corporalium.

Magna autem & hæc sunt, quanquam nullo modo cum superioribus conferenda, quòd rerum corporalium quoq; promissionẽ uberrimam bona opera habent, Vis ditescere, benè fac proximo: uis habere sanum corpus, bene fac proximo: uis prudentiam, sapientiam, benè fac proximo: uis gloriam & bonam famam, benè fac proximo: uis bonam uxorem, ac obsequentes liberos, benè fac proximo: uis in omnibus rebus successum, benè fac proximo.

Habent enim omnium corporalium bonorum promissionem bona opera, sicut dicit Moyses: Qui fecerit hæc, uiuet in eis. Porrò uiuere Hebraica consuetudine, est benẽ & commodè uiuere: non autem commodè uiuitur sine pecunia, uictu, bona ualetudine, prudentia &c.

Poterant hic singulorum produci promissiones: extant enim in sacris literis. De bona fama dicit Salomon: Benedicetur liberali in populo. De commodo uictu, Dauid: Nunquam uidi semen iusti quærere panem. Sæpius omnia ceu uno fasce colligata promittuntur, Psal. 25. Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius possidebit terram. Complectitur hic opes, pacem, prudentiam, sapientiam, copiosam sobolem, & infinita bona. Similiter Psalm. 34. Timete Dominum sancti eius: nihil enim deerit timentibus eum. Opulenti redigen-

redigentur ad inopiam,& esurient,sed quærentibus Dominum,non deerit ullum bonum.

An non igitur tantis promissis aliquando ceu à ueterno excitati, bona operabimur? Stultum dicas, si quis ad ciuitatem aliquam uiæ ignarus, iter faciat, neq; tamen commonstranti rectam & compendiariam semitam obtemperet,sed in deuia consultò erret. Quantò autem nos non solùm stultiores, sed etiam ingratiores sumus, qui cùm ditescere, cùm commodè uiuere optemus, non tamen ea uia insistimus,quæ maximè compendiaria est. Sed hæc est ratio, quòd non possumus Deo promittenti fidem habere, & immensam illam bonitatem non potest capere cor nostrum. Nos sic cogitamus, tùm ditesces, cùm plurimum comparseris, cùm sedulò incubueris faciendo operi, & rectè sanè. Neq; iubet prodigere Deus, & uult quoq;, ut laboremus, sed hoc addit, comparcendum alijs,alijs laborandum, non nobis, & tum nos consecuturos omnia bona. Hanc rationem nos non capimus, & tamen uerum est, sicut quoq; Germanicum prouerbium monet: *Simile.*

Vnrecht gut faselt nicht/
Kirchen gehn saumet nicht/
Almusen geben armet nicht.

Imò est certissima ratio ditescendi,si quàm plurimum,tùm re, tùm consilio, proximum adiuueris.

Est in fabulis,habuisse quosdam uasa,quæ nunquam exhaurirentur, sicut dicunt de Othmari uasculo. Item habuisse quosdam diuinas uirgulas: de ijs cùm audit uulgus maximas ea fuisse putat opes. At mihi crede, largiri liberaliter pauperibus, iuuare, consolari inopes: hæc sunt uirgulæ illæ diuinæ, hæc sunt uasa, quæ nunquam tota exhauriuntur, in his copiæ cornu est, sicut poëtæ finxerunt,& qui non credit, is Deum mendacij arguit. *Amplificatio à fabula.*

Si igitur cupis aliquando esse in montibus illis, qui toti aurei sunt, ut dicunt de Indicis ijs, quos custodiunt Gryphes, crede Deo, & iuua proximum quacunq; ratione poteris,& certò omnia quibus opus habes, adijcientur tibi. Hoc tamen faciendum est,ne tempus & modum,quo id fiat,Deo statuas: nam illa esset auaricia, non fides: fides expectat & sperat, & fert moram patienter.

Si quis ergo est, qui tantis præmijs, tantis opibus non allicitur ad benefaciendum, is meritò omni genere malorum punitur: quid enim optatius uita æterna? quid receptu tuto in tentationibus nostræ fidei suauius? quid bonis corporis splendidius? illa omnia promittit Deus.Credamus igitur illi,& iuuemus nostrum proximum: nisi enim id fecerimus,omnia diuersa patiemur,mors æterna nos uorabit,& mala conscientia terrebit, neq; ullam unquam commodam habebimus horam,& cætera. *Epilogus.*

DE OFFICIIS CONCIONATORIS, PHILIPPI MELANTHONIS DISSERTATIO.

SCRIPTORES INITIA ARTIVM EX ARTIFICVM OFFICIIS ducunt, postea uiam quærunt ac rationem, qua officia illa perficiantur. Qui enim de Principis institutione scribunt, initiō partiuntur officia Principis, ut pacem domi legib. ac iudicijs, in bello armis defendat. Medici priusquam præcepta de dieta, aut morborum remedijs tradunt, officia commemorant, sanitatem conseruare, & morbos curare, Quare nos etiam traditurí quædam præcepta concionatoribus, Primūm, quæ sint officia ostendemus. Præcipuum est docere, quæ sit uis & natura religionis. Alterum est, hortari, tùm ad fidem, tùm ad bonos mores: frustra enim adhortatio suscipitur apud eos, quibus ignota est uis & natura religionis. Atq; hæc officiorum genera esse nominanda duximus, quæ fortasse aliquis in multas species secare possit. Nam adhortatio obiurgationem complectitur, & illi contrariam consolationem, sed iudicium adhibendum est in enumerandis speciebus: non modō, ne multitudo perturbet discentem, sed etiam, ne quam speciem ex Rhetoricis huc transferamus, alienam à concionatoris instituto.

Ecclesiastæ præcipuū munus docere.

DE GENERIBVS CONCIONVM.

EX officijs concionatoris facilè, quot sint genera concionum, colligi potest: Sunt enim hæc tria, Didacticum, Epitrepticum, quod ad credendum: Paræneticum, quod ad mores hortatur. Bona pars concionatorum solùm hoc postremum genus tractat, quōd qui sine fidei cognitione prosequuntur, tantùm philosophantur, non tradunt Christi doctrinam: neq; ego prætermitti uolo, sed duo genera priora multō sæpius tractanda sunt. Nam cùm Euangelium multa supra captum rationis posita præcipiat, non potest intelligi, qui sit uerē Dei cultus, nisi quid doceat Euangelium, teneamus.

Vides autem nos ex Rhetorica, quoniam ratio concionandi illius artis quædam uel pars, uel imago est, quædam concionum genera mutuatos esse. Quare mirari possit aliquis, cur non omnia causarum genera inde, quod alij quidam fecerunt, ad concionatores etiam transtulerim, præsertim cùm laudatione crebrō uti cogantur, cùm interdum etiam litigent, Ego uerò demonstratiuum genus planè repudiandum esse duxi. Quanquam enim in suasorijs concionibus aliquando obiter inter argumentandum laudatione utendum sit, tamen nunquam concionis principale genus laudatio esse debet. Nunquam laudabit personam ullam concionator oratorum more: prorsus enim explodendæ sunt ex Ecclesijs orationes illæ, in quibus Christus ita prædicatur, tanquam in declamatione Camillus aliquis aut Themistocles, quo genere concionum nunc in Italia delectantur, & ineptissimo eo usi sunt, qui beatam Mariam, aut alios sanctos ornare conati sunt. Videmus Nazianzenum ac Chrysostomum nonnunquam ut in ludo declamare, & Christum laudare, cùm oportuit non de Christi facto, sed de consilio dicere, & quid credere, quid sperare nos uoluerit Christus, ostendere.

Genus demonstratiuum.

Quōd uerō prætermisimus iudiciale genus, hoc in causa est: quia commodè uidebam contentiones concionum Didacticum genus posse complecti, ma-

Genus iudiciale.

cti, maximè cùm non utatur concionator locis Dicanicis, ſed magis autoritate ſcripturæ pugnet, ad quam locos Didacticos adhiberi, ut infrà oſtendemus, oportebit. Et alio quodam litigare modo concionatorem decet, quàm oratorem in foro. Hanc habet curam præcipuam, ut planè & præcipuè doceat, ut conſcientias diligentiſſimè muniat: id non poteſt effici, niſi certiſſimis & planiſſimis ſcripturæ teſtimonijs, nec ualent hic coniecturæ aut ſtrophæ, quæ ſæpè plurimum oratori in ciuilibus cauſis proſunt.

DE GENERE DIDACTICO.

NEmo poteſt ritè docere, niſi Dialecticæ peritus ſit. Ea enim ars eſt perſpicuè docendi, neq; ob aliam cauſam inuenta eſt ullam, niſi ut uiam & rationem res obſcuras explicandi teneremus. Hæc uerſatur uel circa ſimplices, ut ſi de fide dicendum ſit: uel circa coniunctas, ut ſi diſputandum ſit, utrum fides iuſtificet an opera. Quæ autem ſint inſtrumenta utriq; parti, Dialectica conſulenda eſt. *Thematum diuerſitas.*

Sed quoniam genus hoc concionum præcipuum eſſe diximus, partes etiam quærendæ ſunt, ut quàm latè pateat, intelligi melius poſſit. Nam hic maximè utilis erit Eccleſiæ, qui hoc genus rectiſſimè tractare poterit: quod plurimi aut omnino non attingunt, contenti inculcare præcepta de moribus, ſummam doctrinæ Chriſtianæ nuſquam tradunt, aut extremis tantùm digitis leuiter perſtringunt. Porrò duæ ſpecies ſunt huius generis, interpretatio & methodus: nam in alijs artibus ratione quæruntur artium initia & cauſæ, in ſacris literis fieri id non debet. Tota enim doctrina Chriſtiana diuinitus tradita eſt, & mandata literis à Prophetis & Apoſtolis, id ſcriptum ſequendum eſt. *Generis Didactici partes.*

Quare non magnus labor eſt concionatori, inuenire quid dicat: prudentia adhibenda eſt, ut deligat ex tanta copia, quæ maximè uidentur profutura. Qua in re primum eſt, ut rectè intelligat ea quę tractanda ſuſcipit. Nemo enim de ea re, quam ipſe penitus non habet cognitam, docere alios perſpicuè poteſt. Notus eſt Horatij uerſiculus. *Cognitio ſcripturarum.*

Verbaq; præuiſam rem non inuita ſequentur.

Neque uerò ſtudio tantùm conſequetur, ut intelligat ſacras literas, ſed opus eſt, ut doctore Spiritu ſancto experiatur uim earum in uarijs uitę caſibus. Proximum eſt, ut uiam quandam & rationem interpretandi ſciat, quæ traditur in ijs literis, quibus prima puericia ad eloquentiam inſtituitur. *Inſtrumenta interpretandi.*

Oportet noſſe ſermonis genus interpretem: eſt enim ſua quædam phraſis ſacrarum literarum, quam intelligere hi, qui non ſunt rectè à puericia inſtituti, non queant. Nec ſatis eſt linguas utcunq; callere, ſed ut rectè iudicare poſſit, magnum habeat etiam Dialecticę ac Rhetoricæ uſum.

Hæc inſtrumenta qui ad enarrationem attulerit, cùm integrum aliquem librum in manus accipiet, initiò conſtituet, qui ſit ſtatus ſcripti: deprehenſo ſtatu, ſeriem propoſitionum atq; argumentorum obſeruet, ubi autor expacietur in aliquam Parecbaſin, ubi cauſam agat.

Hanc imaginem totius corporis animo ſuo prius includendam putet, ut quomodo conſentiant omnia, norit, quàm ad populum efferre cœperit. Idem faciet, ſi non integrum librum uolet enarrare, ſed locũ aliquem, ſeu par-

tem,uel Pauli,uel Prophetæ cuiuſpiam,uel,ut fit in noſtris Eccleſijs, Euangelicæ hiſtoriæ.

Cùm ad hunc modum ſe præparauerit interpres, poſtea populum ſimili conſilio docebit. Dabit operam ut imaginem ſcripti populi oculis ſubijciat: qua in re non tanta ſubtilitate opus eſt, quanta uel domi, uel in ſcholis uti ſolemus. Sed maximè fugienda eſt nimia ſubtilitas: quia ſæpè tenebras offundit populo,& ſine fine Logomachias gignit. Propoſitionem igitur propriſs uerbis & ſignificantibus populo recitabit: hanc ſæpè repetet, ſæpè inculcabit, ut quid agatur teneant, & ſciant quid expectare in toto ſcripto debeant.

Definitio. Diuiſio. Cætera ad Dialecticum, ſeu Rhetorem pertinent: fortaſſe propoſitio ſtatim definitionem aut diuiſionem requiret,id uidere prudentia quædam eſt. Poſtquàm definitione ac diuiſione obſcuræ uoces explicatæ ſunt, argumenta enarrentur: ſed hic delectus adhibendus eſt,ut populo,cùm meminiſſe omnia non poteſt,una aliqua ſententia,unum aliquod teſtimonium,ſeu argumentum illuſtrius commendetur,quod ſtudeant meminiſſe in omni uita. Hoc enarrandi genere Lutherus in Galatis uſus eſt, ac paſſim aliàs: ueteres nunquam, quòd ſciam,ſatis feliciter tractarunt. Origenes in Euangelijs delectatur allegorijs,diſcedens à germana ſententia textus, quod eſt uicioſiſſimum interpretandi genus. In Epiſtola ad Romanos planè nullam habuit curam coniungendi membra diſputationis.

Loci ſimplicium thematũ. Sæpè accidit,ut de una uoce proponatur, ut de fide,de pœnitentia,de patientia, de ſacerdotio, de coniugio. Quod cùm fit, ſequendæ ſunt quæſtiones quid ſit, quæ cauſæ, quæ partes, qui effectus, quæ ſint cognata, quæ ſint pugnantia.

Alicubi narrantur exempla & hiſtoriæ, ubi interpres obſeruabit, ad quos locos cõmunes transferre exemplum conueniat. Nam in præceptis aliarum artium exempla traduntur,ut præcepta fiant illuſtriora. Ita in ſacris literis traduntur exempla,quę uel fidem erigant,uel timorem incutiant,& de certis officijs nos doceant. Sed uidere,qui loci maximè congruant, nemo poteſt, niſi teneat ſummam doctrinæ Chriſtianæ, ſeu methodum, quæ ex Epiſtola ad Romanos rectiſſimè cognoſci poteſt.

Quidam in hiſtorijs omnes minutiſſimas particulas excutiunt: id fortaſſe in ſcholis,aut in paucis quibuſdam locis fieri utiliter poteſt. Cæterùm non ubiq; decet, ac uanam quandam ingenij oſtentationem habet. Loci præcipui animaduertendi ſunt,quos in exemplo uidetur uoluiſſe pingere Spiritus ſanctus,nec procul accerſenda ſunt aliena à propoſito,nec allegoria comminiſcenda eſt ſine neceſſitate.

Quàm ineptè tractatus eſt à nonnullis locus: Tu es ſacerdos in ęternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Si quis propriam ac ſimplicem definitionem ſacerdotij quærat, plana res erit: eſt enim ſacerdos propriè, qui placat iram Dei. Sacerdos ſecundum ordinem Leui eſt, qui Legem docet: ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech eſt, qui benedicit nobis, ſicut Abrahæ benedicebat Melchiſedech. Hæc autem propriè competunt in Chriſtum, placare iram Dei,& benedicere nobis,& polliceri Dei fauorem & auxilium. Frigebit prorſus interpretatio, ſi omiſſa ſententia, quam ipſa parit litera, ut uocant,adfingas neſcio quæ ſomnia. Habes enim grauiſſimos locos,quòd ſit ſacerdotium Chriſti remittere peccata. Item, quomodo conſequamur remiſſionem

nem peccatorum, seu iustificationem, utrum placante Christo, an placantibus nobis iram Dei. Sed hæc nemo feliciter tractabit, ut antea dixi, nisi probē teneat methodum, seu summam doctrinæ Christianæ, ad quam utinam Hieronymus in Prophetis sæpius respexisset.

DE QVATVOR SENSIbus scripturæ.

VNa est & simplex scripturæ sententia, quam adfert Grammatica enarratio. Hæc una cùm sit certa, maximē docere & confirmare conscientias potest: si quid præter hanc fingitur, quoniam incertum est, nō potest satis munire conscientias. Sequamur igitur semper iuxta Grammaticæ seu Rhetoricæ præcepta, propriam & natiuam sententiam.

Docuerunt trifariam unamquamq; sententiam peruertere, sed huiusmodi metamorphoses nullo modo ferendæ sunt. Interdum allegoria uti concessum est, si id uerecundē & ratione quadam fiat, & in talibus locis, quos constat ideō traditos esse, ut rectē aliquid significarent, ut si quis propiciatorium & arcam interpretetur. Et tamen allegoriam tractantibus, id quod sæpē iam dixi, summam Christianæ doctrinæ tenere opus est, alioqui non potest fieri, quin recta uia deerrent. Sicut uidemus hallucinatos esse, qui per Aharonem significari Romanum Pontificem scripserunt, qui, quia rex sacrificans à Deo punitur, nescio quid de ordinibus comminiscuntur, cùm exemplum ostensum sit, ne cultum Dei sine mandato diuino ullum instituamus. Lex habebat certas ceremonias diuinitus traditas, itaq; humano consilio non licuit Regi sacrificare, cùm lex prohiberet.

Videndum est, quid sit consentaneum scripturæ: nam si pugnet allegoria cum apertis scripturis, explodenda erit, Habent aliquid gratię in omni sermone figuræ, tanquam uarij gestus, & adferunt lumen in dicendo, sed si in loco usurpentur. Verùm non est mediocris prudentiæ intelligere, ubi deceat allegoria. Quare non uelim audire concionatores in hoc genere: habeant magnū numerum testimoniorum in unaquaq; causa, certorumq;, sine figura apertē comprobent institutum, his uti malint, quàm illis allegoriarum delicijs, quæ, ut in speciem blandiuntur nobis, ita diu placere non possunt.

Iam hoc in allegorijs seruetur, ut sicut aperta significatio una est, ita non plus una significatione latuisse in litera putetur, ut mactatio agni phrasis nihil significat nisi Christi mortem.

Quare nihil opus est sensu, quem uocarunt Anagogicum: & Tropologiam, cùm iuxta consuetudinem Græcorum significet omnem figuratum sermonem, isti uocarunt tantùm, cùm exemplum ad mores accommodatur: quod cùm fit, non mutatur significatio uerborum historiæ, tantùm simile exemplum ostenditur, quōd imitari nos conueniat. Sicut in humanis literis exempla proponuntur, ut si quis exemplum commemoret mulierculæ, quæ patrem, quem Triūuiri Romæ fame necari iusserant, in carcere uberibus suis aluit. Cùm adhortamur liberos, ut pietatem parentibus præstent, similitudo mouet animos, uerba historiæ in aliam significationem transferre nihil opus est.

Cùm recitamus, Christum dedisse Didrachmum, & hortamur ut illius exemplo Magistratus uereamur, non mutantur historiæ uerba, sed propter facti similitudinem, accommodantur ad præsentem causam, ut Abraham

deseruit

deseruit patriam, ita nos relinquere potius omnia debemus, quàm offendere Deum: exuere amorem rerum præsentium debemus, & sequi uoluntatem Dei.

In talibus locis nihil opus est mutare historiæ uerba, sed à simili talia argumenta ducuntur. Hæc duximus adscribenda esse, quanquam olim è scholis ac templis omnia illa Monachorum de quatuor sensibus explosa sint: tamen quia nõnulli plus satis hanc prodigiosam uarietatem in interpretando amant, propter autoritatem ueterum, quorum aliqui allegoriis immodicè delectantur, uolui lectorem monere, ut ad Metamorphoses illas iudicium adhiberet.

DE METHODO.

ALtera pars Didactici generis est methodus. Voco autem methodum cum doctrinæ summa iusto ordine contrahitur. Hæc quanquam est posterior superiore illa specie, quia ex scripturarum lectione colligenda est: tamen usu concionatori propemodum prior est: sicut enim architectus totius ædificij formam inclusam in animo ponit, ita artium doctores oportet eas artes quas tradunt, totas animo complecti, ut initia seriemq; omnium præceptorum ostendere queant: Ac cæteræ artes, quoniam ratione deprehenduntur facilius percipi possunt. At Euangelium quia multum supra iudicium rationis posita continet, difficulter percipitur: hoc plus laboris suscipere concionatorem oportet, ut res obscurissimas clarè explicet: id ita faciet, si tùm demum ad docendum accesserit, cùm ipse totam religionis doctrinam animo comprehendit.

Delectus Ecclesiastæ.

Verùm nescio qui fiat, ut cùm manuum opificium exercere nulli liceat, nisi didicerit, ad concionandum admittuntur omnes sine delectu. At Paulus præcipit, ut sit Episcopus ad docendum idoneus. Talis autem erit, qui sententiam religionis rectè tenet, & in uita, doctore Spiritu sancto, uim eius expertus est.

Adhæc, qui uiam quandam docendi nouit (porrõ docendi uiam nosse nemo potest, nisi à prima pueritia rectè sit institutus, & in illis artibus diu multumq; uersatus, quæ præcepta eloquentiæ continent) is demum ex tota scriptura summam doctrinæ sciet in compendium contrahere. Hic dabis operam, ut & populus doctrinam Christianam comprehendat uniuersam. Videtur hoc Ecclesiam quõdam seruasse, ut rudibus, priusquam ad Baptismum admitterentur, summa doctrinæ traderetur, qui ob eam causam appellati sunt Catechumeni. Nam κατηχεῖν non simpliciter docere significat, sed propemodum prælegere & audire reddentes dictata. Atq; utinam esset mos retentus in Ecclesia, exigendi à singulis rationem doctrinæ: diligentius enim consideramus, & altius introspicimus quæ recitare cogimur. Deinde ubi creuerunt Canones, et natæ sunt disputationes eorum qui scripserunt commentarios in Longobardum, propter tot Canonum aceruos, & infinitas rixas scriptorum, populus non potuit doctrinam Christianam in exiguum compendium contrahere: ita accidit, ut quod potissimum doceret Euangelium, non perspicerent.

Idem enim in hoc genere propemodum fit, quod in alijs artibus, ubi qui non uident præceptorum quæ regiones, initia, ac fines, etiamsi perpetuò discant, nihil adsequuntur: & haud scio, an initiò Lutheri libelli ideò cum tanto fauore excepti sunt, quia uidebantur ostendere præcipuos doctrinæ Christianæ locos & quæstiones ad pietatem non inutiles.

BREVIS

BREVIS DISCENDÆ THEO- 35
LOGIÆ RATIO, AVTORE
PHILIPPO MELANTHONE.



LLVD INITIO PRÆSTANDVM EST, VT TEXTVM BIbliorum familiarem habeas. Qua in re meum consilium est, ut manè post quàm surrexisti, & uesperi cùm cubitum ire uoles, legas tanquam orandi causa unum atque alterum caput. Ita tota Biblia ordine legenda: & si quis occurrit obscurus locus, quærendus est interpres. *Textus Bibliorum.*

Et simul obiter sunt excerpendæ præcipuæ sententiæ, quæ sunt in locos communes dirigendæ, qui contineant summam doctrinę Christianæ. Nomenclaturam talium locorum alicubi edidi, & sumi possunt ex meis locis.

Præterea danda opera est, ut informes tibi methodum aliquam, in qua sit summa doctrinæ Christianæ. Et ad hanc accommodanda est Epistola Pauli ad Romanos: hæc enim propemodum est methodus totius scripturæ, quia disputat de iustificatione, de usu Legis, de discrimine Legis & Euangelij, qui sunt præcipui loci doctrinæ Christianæ. Quanquam & Christus tradit methodum his uerbis, cùm iubet prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum: hic enim pœnitentiam seu timorem, seu contritionem & fidem complectitur, quæ credit remitti peccata. *Summa doctrinæ Christianæ. Ordiendum à Noui testamenti lectione.*

Sumas igitur certam aliquam tibi horam, aut si libet, duas, ad legendam Epistolam ad Romanos. Hic diligenter expendendæ sunt omnes sententiæ, et considerandum, quid in utranque partem dici possit. Et quærenda certa Pauli sententia, obseruanda series argumentorum & propositionum: hac lecta, postea accipienda est in manus Epistola ad Galatas, cùm commentario, qui & ipse ueluti methodus est. Post hanc & Colossenses legendi cum commentario meo, in quo etiam uolui complecti præcipuos locos. Iuberem & meos communes locos legere, sed multa sunt in illis adhuc rudiora, quæ decreui mutare. Facilè tamen intelligi potest, quid mihi ibi displiceat ex meis Colossensibus, ubi locos aliquot mitigaui. His diligenter lectis, habebis quasi summam doctrinæ Christianæ. Facilè igitur intelligi iam cæteræ Epistolæ Pauli poterunt, quia subinde idem docet.

Deinde legendum Euangelium Matthæi aut Lucæ. Atq; hic uidendum quomodo accommodanda sint omnia, et in locos illos communes includenda, ubi Christus loquatur de pœnitentia seu timore, ubi de fide, ubi de oratione, ubi de caritate, ubi de rebus externis seu ciuilibus, de Magistratibus, ubi de traditionibus humanis, ubi de Sacramentis, ubi discernat Legem ab Euangelio, Euangelium à politica prudentia, ubi de cruce loquatur, ubi commendet ministerium uerbi, ubi Ecclesiam describat.

Postea legendum Euangelium Ioannis, quod magna ex parte continet conciones Christi de fide & iustificatione.

Instruendus est & libellus articulorum fidei, de trinitate, de creatione, de duabus Christi naturis, de peccato originali, de libero arbitrio, de iustitia, de Ecclesia, de clauibus. Hic libellus penè similis erit locis communibus. Sed tamen breuiter debet tenere sententias, quæ probent articulos seu dogmata, sicut *Liber articulorum fidei.*

ego

ego instituí Enchiridion, cuius exemplum ab ijs qui audiuerunt, petere potes.

Postquam sic præparatus es in nouo testamento, cognoscendum est & uetus. Et accipiendus in manus unus aliquis liber, qui diligenter legatur.

Quo ordine legendum sit uetus testamentum.

Vellem initiō legi Genesin cum enarratione, postea Deuteronomion cum enarratione, deinde Psalterium. Et in ijs diligenter uidendum est, quomodo & hæc quadrent ad locos illos communes, qui summam doctrinæ Christianæ continent. Nam in ijs libris eadem est de fide, de timore, de cruce doctrina, quæ est in Euangelio. Nec tantùm excerpendæ sententiæ de moribus sed maius quiddam requirendum est, uidelicet doctrina de priori Tabula, de timore Dei, de fide seu fiducia & iusticia erga Deum. Quærendæ promissiones & comminationes.

Hæc tùm demum intelligi poterunt, cùm aliquis in uita usus accedit, cùm tentatio exercebit animum, & orare coget: necp unquam tamen desunt orandi occasiones.

Ac diligenter, in Psalterio discernendi sunt Psalmi. Alij continent prophetias, alij sunt deprecationes tantùm, alij continent præcepta, alij continent promissiones. Hæc genera facilē animaduertet, uel mediocriter peritus literarum communium, & sciet quomodo reponendi sint in locos communes, de quibus suprā dixi. Post Psalterium legendi sunt Prophetæ cum enarrationibus, ut Ionas, Zacharias &c. hic uidebis quomodo autor illarum totam rem ad communes illos locos transferat, de quibus suprā dixi.

Proderit etiam conferre alios interpretes, ut uideas quàm inepti sint illi, qui non norunt rem ad illos locos de fide &c. reuocare. Deinde lecturus reliquos Prophetas, non difficulter intelliget eos: sciet enim eos partim arguere peccata, seu legem docere, partim uaticinari de Christo, seu Euangelium tradere & consolari conscientias.

Referet tamen omnia aut ad doctrinam de pœnitentia, aut de fide seu fiducia erga Deum, aut de cruce, aut de alijs locis cognatis. Nonnihil tamen adiuuabitur in ijs etiam à diuo Hieronymo, nonnihil à Lyrano, qui satis diligens est in historia. Et qui sciet omnia ad locos communes referre, huic nihil opus est quærere multos sensus. Hoc potius agat, ut certam quandam sententiam constituat, quæ certò conscientiam docere possit de uoluntate Dei: est enim ad usum & ad tentationes comparanda cognitio. Quare non est contaminanda illis ridiculis allegorijs, qualibus delectatur Origenes.

Quo fructu historiæ sint cognoscendæ.

In legendis historijs sacris in primis obseruandum est discrimen Legis & Euangelij, & tenenda noticia libertatis Christianæ, ne somniemus oportere nos omnia illorum opera imitari, Ac diligenter discernenda fides est ab operibus. Fides Dauid, Ezechiæ, & similium imitanda est. Opera non possunt esse similia, sed sua sunt pro uniuscuiusq uocatione. Semper igitur animo intuendi sunt principales loci, pœnitentia & fides, seu timor & fides, quos nobis commendat Christus, cùm iubet prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum. Sunt & eligenda exempla politica, quæ docent, qualia Magistratuum debeant esse officia. Non est negligenda temporum supputatio, & cætera quæ Grammatici aut Rhetores iubent obseruare. Interim cùm sic uersaris in Bibljs, interdum legendum est aliquid Augustini: nam is longē præstat alijs ueteribus, præsertim in ijs quæ scripsit contra Pelagianos de spiritu & litera.

Item

Item contra Iulianum. Inſpiciendus aliquando Hieronymus & alij, ac obſeruandum quid ijs deſit, aut in qua parte ualeant: multa enim continent, quæ prudens lector non aſpernabitur, tametſi leuiter attigerint doctrinam de iuſticia fidei.

Legendi & ueteres canones, ut ſciamus quid decreuerit & conſtituerit Eccleſia, eligendi ſunt, qui cum Euangelio conſentient. Multi ſunt politici de ordinationibus Eccleſiaſticorum rituum, qui quibus de cauſis facti ſint, exponendum eſt, ut ita accipiantur quemadmodum cæteræ humanæ leges, ne ue tribuatur illis ritibus, quòd mereantur iuſticiam coram Deo. *Quo iudicio cognoſcendi canones ueteres.*

Denicp in tota doctrina Eccleſiaſtica diligenter obſeruandum eſt, quæ pars ad ſpiritualem uitam propriè pertineat, quæ pars doceat de ciuili conſeruatione, & de politicis rebus. Sciendum quid ad Euangelij doctorem pertineat, & doctrina Euangelij procul ſeiungenda eſt ā politica. Necp tamen improbandæ ſunt res politicæ, ſed ut aliæ bonæ creaturæ honore adficiendæ. Et quia ſæpè accidit, ut defendenda ſint dogmata Chriſtiana, præpares te ad id quocp.

Aliquid operæ collocandum eſt in humanis literis, & exercendus ſtylus, ut cùm opus erit, perſpicuè explicare poſſimus controuerſias religionis. Et prodeſt aliquando ſumere aliquam controuerſiam, eamcp acuendi & exercendi iudicij gratia præſcribere. Ac ſuppeditant nobis multa argumenta hęc tempora, Potes Anabaptiſtas refellere, qui contendunt ā facultatib. diſcedendum eſſe, eascp in commune conferri oportere, Item, non eſſe iuramentum præſtandum Magiſtratibus, Item iuſticiam non contingere ex fide, ſed ex noſtris afflictionibus. *Cognitio literarum humaniorum.*

Eſt etiam & ad perfectè intelligendas ſcripturas & refutandos hæreticos, cognitione linguarum opus. Multæ enim controuerſię dijudicari poſſunt, rectè cognita natura ſermonis & figurarum. *Cognitio linguarum.*

Necp tamen de natura ſermonis, et de figuris iudicare poterit quiſquam, niſi legerit eloquentium hominum ſcripta, Ciceronis, Liuij, Vergilij, Terentij, Ouidij, Quintiliani. Addendi ſunt & Græci, Homerus, Herodotus, Demoſthenes, Lucianus.

Adhæc accedat ſtylus ſeu exercitium ſcribendi, quæ res uel in primis acuit iudicium. Si quid ex philoſophia aut iure uolet Theologus ſumere, uideritne ineptè commiſceat doctrinam ſpiritualem cum politica, &c. *Exercitium ſtyli.*

Cæterùm Dialectica perinde opus eſt, ut Grãmatica & Rhetorica. Nam cum ijs ita coniuncta eſt, ut diuelli ab eis non poſſit. Ego tamen optarim, Theologos non negligere Philoſophiam, quia nõnulli uituperant alias artes, cùm non norint, qui ſi noſſent, pluris facerent. Sed hic magnopere opus eſt cauere, ne ineptè confundatur doctrina Chriſtiana & Philoſophia.

Quare ſcire oportet eorum regiones & interualla. Idem de Iuriſconſultorum diſputationibus iudico, quas aliquando inſpicere conducet.

DIDIMI FAVENTINI AD VERSVS THOMAM PLACENTINVM ORATIO, PRO MARTINO LVTHERO THEOLOGO.

Insinuatio.



VO MINVS, PRINCIPES MODIS OMNIBVS SVMMI, VEREAR ne me parum æquis animis in hoc audiatis iudicio, in quo & uiolatæ maiestatis & impietatis, uir iuxtã pius ac eruditus, & optimus ciuis, incredibili flagitiosorum hominum audacia reus agitur, Cùm alia in causa sunt, tùm maximè sapientia bonitasq; uestra, & ipsius rei, quæ controuertitur conditio. Viderer enim de sapientia moderationeq; uestra dubitare, si uos atroci inimicorum oratione sic ã reo abalienari potuisse arbitrarer, ne quam tantorum criminum excusationem admitteretis, quæ quõ sunt atrociora, eò benignius, addo etiam diligentius, audiri reum, & communis naturæ sensus & sanctissimè leges uestræ censent. Imò cùm crudelem istorum orationem heri tam patienter audiretis, in spem adducebamur, fore ut non paulò uos liberalius pro se dicenti reo adcommodaretis, cui tanto impensius fauere, quàm nephario calumniatori, cõuenit, quantò seruare adflictos quàm perdere, & humanius, & honestius est. Augebat spem, quõd ipso etiam uultu palàm declarabatis animos uestros, nihil istorum Tragicis clamoribus ã statu suo dimotos, tantisper suspendere iudicium, donec quid ã nobis responderetur cognosceretis. Neq; uerò dubito, quin haud obscurè intellexeritis istorum orationem, magis è maleuolentia odioq; nostri, quàm uestræ dignitatis, ac patriæ salutis studio natam esse, quod quàm callidè simulent qui in hoc ausi sunt concilio tàm multa impudenter, tàm multa stultè dicere, uos uideretis. Quid enim uel fingi potest impudentius tot istorum, tamq; insulsis mendacijs? Quid stultius quàm hoc loco, & his iudicibus, graui, ut uideri uolunt, causæ, tam ridicula, de Sophisticis quæstionibus, indulgentijs & similibus nugis admiscere? His orationis figuris siue ludificare uos, siue eloquentes uideri uoluere certè constat patientia uestra accusando abusos, quibus quantõ iustius nos piam defensuros causam feretis? Diuum Stephanum furente Synagoga dicere etiam princeps sacerdotum fortiter iussit. Quantò minus uos conuenit, qui nobiscum communibus sacris inaugurati estis, Lutherum ne de sacris disserat, arcere? Et hactenus quidem imploramus humanitatem uestram, ut liberaliter audiamur. Cæterùm tantum abest, ut aliquid in iudicanda causa misericordiæ dari petamus, ut nihil perinde optemus, atq; ut seueriſſimè iudicetur. Iam nunc etiam uos Germaniæ Principes, per communia sacra, per fasces uestros, obtestor & adiuro, ne uelitis in hoc negocio aliud spectare, quàm quod iubent sanctissimæ literæ diuinitus proditæ, adeoq; quod dignitas uestra, quod communis omnium gentium salus postulat. Nam & eiusmodi causæ genus est, quod magnopere referat uos penitus cognoscere & excutere, quod in eam pleraq; de religione, de pietate inciderint. Certè sinistram de sese Lutherus suspicionem tacitus deprecari, quàm purgare malebat. Sed prauam de rebus sacris, de salutis nostræ monumentis opinionem nisi refellat, proh quantùm uobis, & uniuersæ reipublicæ damnum dederit? Existimationis suæ iacturam gaudebat malorum criminatione fieri, sed cœlestis doctrinæ, quam sanguine suo Dominus noster Iesus Christus orbi terrarum consecrauit, autoritatem istorum calumnijs minui, id uero

uero non modò Lutherus meritò dolet, ſed dolere debent quotquot Chriſti nomen profitentur. Quem utinam tàm ſinceris mentibus agnoſcerent aduerſarij, quàm impudenter ſe pro religione, pro ſalute patriæ, pro maieſtate ueſtra, pro focis, pro aris, dicere mentiuntur. Vehementer enim miſeret me cœcitatis eorum, quoties cogito quanto furore, quantis tumultibus dominum, & illius Chriſtum inuadant. Proinde quæſo ſapientiſſimi Principes, me pro Luthero dicentem non modò non grauatim, ſed & diligenter & ſolicitè audite. Nam cùm pro Luthero dicimus, pro ſacris ueſtris, pro Chriſti doctrina, qua nihil habet orbis terrarum auguſtius, dicimus. Iſti ſe uobis ſimulata patriæ caritate, ementitis odioſis aduerſus Lutherum calumnijs inſinuare conantur. Hunc quatenus poſtulant cauſæ rationes, commendatum uolo. Neque enim conſilium eſt hoc loco de Lutheri laudibus quidquam immodicè dicere, Sed cauſam ita tractabimus, ut non dubitem probè intellecturos uos, Iſti ne conſultum Eccleſiæ uelint, an Lutherus, iſtis ne ſalus Chriſtianorum animorum, an Luthero curæ ſit, iſti ne maieſtatem ueſtram uiolent, an Lutherus, iſtos ne damnari impietatis, an Lutherum oporteat. De ſe ut mali ſentiant, negant referre noſter, ſiquidem & Paulus odor mortis erat ad mortem, perituris. Cauſam optat probari bonis, non alia ratione, quàm, quòd Chriſtianam exiſtimat. Atque huius ſententiæ ſuæ ardet ubiuis gentium rationem reddere, quantò magis hic coram uobis? quorum auita pietas tot monumentis celebratur. Premi ſe queruntur aduerſarij, Lutherani ingenij uiribus, quòd in cauſa fuit, cur hoc loco nobis reſpondendi prouinciam ille demandarit, noluerit̃q; omnia quæ ad rem facerent, ne cauſarentur iſti ſibi fraudi fuiſſe compoſitam Lutheri orationem, dilucidè, ac ſimpliciter, planeq; pro ingenij noſtri modulo, qui non poſſumus, niſi τὰ σῦκα, σῦκα adpellare, exponi. Satis ſciebat enim eſſe quandam, ut Cicero ait, ita perſpicuam ueritatem, ut eam infirmare nulla res poſſit. Porrò cùm nihil ſit aut uerius aut ſimplicius Chriſtianis dogmatis, non erat, cur illius formidaret eloquentiam, nedum non hirciſſantem perſonati iſtius Italogermani orationem, Scilicet ex una Demoſthenis & duabus Ciceronis paginis tàm ſcitè conſutam, ut continere non potuerim, quin cùm diceretur, exclamarem uetus illud. Quàm benè compoſtæ lexes? Itaque crimina obiecta, & ſimpliciter & modeſtè refutabimus, ne cùm aduerſarijs impudentia certare uideamur, docebimusq; nihil alienius à Luthero unquam fuiſſe, quàm quod illorum furioſæ uoces queritantur, Lutherum perturbare Eccleſiæ pacem, euertere imperium ueſtrum, ſcindere inconſutilem domini tunicam, & hoc genus alia. Et ut inde ordiamur, unde omnis hæc Tragœdia orta eſt, Anno ab hinc tertio Romanenſes indulgentiæ, quas uocant, in Saxonas ac Myſos, neſcio quorum præpoſtera liberalitate, profundebantur. Conductus erat, qui populo rei nimirum precioſæ auctionem faceret, Dominicaſter quidam mercis ſuæ, ut ne quid in demortui manes dicam inhumanius, præco immodicus. Ibi cùm boni quidam indignè ferrent his artibus compilari patriam, Iniquius ferens Lutherus ſimplicium animis illudi, & in templo Dei hos, ut Nazianzenus ait, χρισοκαπήλους pro ſacra doctrina, prodigioſa mendacia, pro CHRISTO Romanenſes Bullas, docere. Facturus boni paſtoris officium, propoſuit quædam de indulgentijs paradoxa, idq; modeſtè, nihil ſtatuens aut decernens, ſed diſputans tantùm, pro more ſcholarum. Admonuit & modeſta concione uulgum Ec-

Occaſio certaminum ab indulgentijs.

cleſiæ,ne nimium tribueret Romanenſibus mercibus. Paulò pòſt & paradoxa ſua, edito reſolutionum, ſic enim inſcripſit, libro, confirmauit, quæ cùm iam pro roſtris omnibus Dominicaſter ille ne quicquam inſectaretur, cœptum eſt & Romanis armis bellum geri. Romam Pontificijs literis accerſitur Lutherus, quo ferè tempore comitia Auguſtæ Sueuorum habebat Maximilianus Cæſar. Quò cùm & Romani Epiſcopi Leonis x. Legatus Thomas Caietanus purpuratus Dominicaſter ueniſſet, Auguſtam iam uocatur Lutherus, redditurus ſententiæ ſuæ rationem, coram Pontificio Legato. Is, cùm pertinaciter imperaret palinodiam, infecta re diſceſſum eſt. Hic quid peccauit Lutherus? Romanenſibus prædonibus Germanicam Eccleſiam mendacibus doctoribus liberauit: Tu uero quàm bellè uindices indulgentias poſt hac uidero. Iam uolitabat per hominum ora Lutherus, probabant quæ de indulgentijs prodiderat optimi quiq;, & in his etiam Principes quidam, Epiſcopi damnabant, non niſi qui uentri ſuo malè metuebant fratercu-
li quidam. Et actum uidebatur de indulgentijs, cùm eam rurſus Camarinam mouet Eccius, quem hic uidetis in latere Rhadini, inflatum heſterno uenas, ut ſemper laccho, hærere, non ille quidem, ut arbitror, fame adactus, ſed ambitione, ne, gliſcente indies Lutherani nominis gloria, triumphi quos iam ſibi peperat, obſcurarentur. Erant, qui triſtem Theologiæ ſcholaſticæ ruinam miſeratum, cui tot palmas debebat, ſuſcepiſſe rem affirmabant. Iam enim ea docendi ratio, unde, uelut ex fonte quicquid eſt in Chriſtianiſmo malorum dimanauit, labefactari cœperat, ubi pœnitentiæ, quam uocant, & condonationum formulæ conuulſæ ſunt. Nec obſcurè ſeſe iactabat ipſe Theologiæ ſcholaſticæ uindicem, ſedis Romanæ: Eccleſiaſticarum Synodorum defenſorem, nihil dubitans ſe uelut Atlantem quendam cœlum iam humeris ſuſtinere. Et fauebant inſanis hominis conatibus ferocientes fraterculi, Scholaſtici Theologi, adeoq; examen illud perditorum hominum quod à Rhadino ſtare uidetis, alij uentris, alij gloriæ ſuæ periculum proſpicientes, niſi uinceret Eccius. Conuenit autem ut de ſumma rerum ſcholaſtico certamine decerneretur. Edita ſunt themata, de libero arbitrio, de Chriſtiana gratia, de indulgentijs. Nam de his hactenus diſceptatum erat. Quibus Eccius dogma de Romani Epiſcopi Monarchia plauſibile addidit, callido nimirum conſilio, nempe ut Romani Pontificis autoritate facilius opprimeretur Lutherus, quando illum nihil non poſſe uulgo perſuaſum eſt. Diſputatum eſt Lipſiæ Myſorum frequenti theatro. Sed quòd fieri ſolet in huiuſmodi certaminibus, dum aure populari inſeruitur, utrinque magis fortiter, quàm Theologicè res acta eſt. Qua fide diſſeruerit Eccius, teſtantur editi diſputationis commentarij. Nam ibi primùm & inſcitiam, & animi ſui maliciam prodidit. Poſt eam diſputationem dentatis chartis res agi cœpit, ubi cùm extra controuerſiam ſuperior eſſet Lutherus, ringi aduerſarij ac rumpi, iungere copias, famoſis ſcriptis uulgus abalienare, corrumpere amicorum quorundam iudicia, audere quicquid ingeniòſus liuor: Nam huius artes ego qui cum memorem? ſuppeditabat. Scribit in Lutherum Eccius. Scribit Emſerus ille, quo heri Rhadinus ſuſurronis uice utebatur, uir, ſuo iudicio eloquẽs, noſtro tàmer uditus, quàm eloquens. Scribit & Franciſcanus quidam, cuius nomen iam non teneo, multis certè dignus Anticyris, tamen erant qui hanc corniculam neſcio quorum ueſtiri plumis aiebãt. Scribunt & plerique alij ſucceſſu eodem omnes. Doctorum interim ac bonorum

Lutherus Auguſtam euocatus ad Campegium.

Eccius renouat certamen.

Lipſica diſputatio.

Hieronymus Emſer.

Ochſafardus.

omnium

omnium ſuffragijs uincit Lutherus, imõ uero, diuino beneficio, uincunt ſacræ literæ, quibus ille ſolis fidit. Intellexiſtis, ut arbitror, quanta neceſſitas hunc adegerit, primùm ad ſuſcipiendam cauſam, poſtea etiam ad tuendam, quòd nuſquam conquieſcebant hi, qui uentri ſuo, glorięq; malè metuebant. Atq; his quidem tantis conatibus hactenus inimici fruſtrati, quo cõſilio, qua ſpe in hoc ueniant iudicium, æſtimare Principes non poteſtis? Nam cùm nulla uel conſcientiæ, uel cauſæ fiducia, uel uincendi ſpe hunc accuſent, fuit eis in conſilio criminãdi inſontem libido quædam, ne nimis lęta contingeret uictoria Luthero. Quomodo.n. conſcij ſibi ſint, qui tãm multa palãm mentiri audẽt? aut quomodo fidant cauſæ? Cùm conuicijs, magis quàm argumentis uincant. Aut uincere ut ſperẽt toties uicti? qui ueſtra patientia ad audienda conuicia tam inuerecundè abutuntur. Hic uobis æſtimandum relinquo, num patriæ ſalutis ac maieſtatis ueſtræ ſtudium uerè iactent, qui eum accuſant, qui patriam, Romanenſibus fraudibus liberauit, qui ſeculorum aliquot errorem, unus his temporibus auſus eſt conuellere, qui Chriſtianam doctrinam impijs Pontificum conſtitutionibus, & nugacibus ſcholarum Sophiſmatis propè extinctam, in lucem reuocauit. Nam has laudes docti tribuunt Luthero, non ego tantùm, & uerè tribui intelligetis, cùm ad accuſationum capita reſpondero. Hæc præfari libuit, ne hunc tumultus huius autorem eſſe putaretis, quem planè iſtorum furoribus debetis, qui iam annos plus tres nihil non agunt, nihil non moliuntur, ut extinguatur Lutherus, non ut quieta ſit respublica Eccleſiæ, ſed ut ipſi in quietam Eccleſiam tyrannide ſua liberè graſſari queant. Sunt autem capita accuſationis hęc ferè. A Luthero Philoſophiam ac Theologiam ſcholaſticam improbari, maiorum noſtrorum inſtituta reprehẽdi. Magiſtratus petulanter inceſſi. Indulgentias: Item pœnitentiæ formam damnari, negari pia eſſe, quæ aduerſus Turcas bella ſuſcipiuntur: Romani Pontificis monarchiam labefactari: Scribi & pugnantia quædam. In quibus criminibus ut ſunt friuola multa, ita ſunt & quæ diſſimulare parum pium uiſum eſt, ac principio quidem ille graui, ſi dijs placet, oratione, uos ad conſeruanda religioſa maiorum inſtituta, ad uindicandam ſacerdotum dignitatem inhortatus eſt. Eam puto qualis qualis eſt: Nam id agemus poſtea, & Luthero patrocinari. Nam quid hic aliud agit, niſi ut, quæ benè ac religioſè à maioribus conſtituta ſunt, ne patiamini nouis impiorum dogmatis ac legibus antiquari. Neque enim pro pijs ueterum inſtitutis, ſed pro ſtultis traditionibus ac tyrannicis legibus, quibus recens nati Pontifices & Theologiſtæ diuina & humana omnia turbarunt, dimicant aduerſarij, ego maiorum ueſtrorum inſtituta uoco, quæ ab illis ad Euangelicam regulam ſancita ſunt. Quòd ſi in illorum monumentis numerant inimici quæ contra diuinas literas iam undecunq; recepta ſunt, uidete de imaginibus ueſtris, de maiorum ueſtrorum pietate, quàm Chriſtianè ſentiant? qui maieſtatis ueſtræ ſtudium tam inuerecundè ſimulant. Scilicet Hirce fauere Germanæ gloriæ eſt, Germaniæ nomine per fraudem abuti ad tuendas Pontificum tuorum & ſtultarum ſcholarum traditiones. Quantò rectius de maioribus ueſtris ſentit, qui iubet caueri, ne quiduis ſalutaribus illorum monumentis accenſeatur, qui cenſet ab illis ea tantùm conſtituta eſſe, quæ à ſacris dogmatis non ſunt aliena. Neq; enim negare potes Hirce multa defendi à te, quæ ignorarit uetuſtas. Nam recens doctrinæ genus eſt ſcholaſticum illud, quod tantopere prædicas. Nuper leges editæ ſunt de indulgentijs, de formulis pœnitentiæ, de Monar-

Docti quid tribuant Luthero

Capita accuſationis.

Primum caput quo confutatur adhortatio aduerſarij.

Scholaſticum genus doctrinæ nouum eſt.

chia Romani Episcopi. Et quia tu hoc loco de sacerdotum dignitate præci-
puè uidebaris dicere, quæso te ista ne fuit Collegiorum quæ uocant Eccleſia-
sticorum ac sacerdotum conditio quondam quæ nunc est? Condiderunt
maiores, studiosorum collegia, ubi Christianæ literæ docerentur, eaq; an-
nuis prouentibus donarunt, unde alerentur qui docebant. Nunc uidetis
Principes, non esse collegia, quæ uocant, sacerdotum, nisi ociosorum homi-
num, nolo enim quicquam durius dicere, cauponas. Itaque hoc Hirciens ille
uos hortatur, ut religiosa maiorum instituta conseruetis, ego adhortor, quæ ut
à maioribus uestris iuxta Euangelicam doctrinam constituta sunt, ea germa-
nè Christianis animis uindicetis. Imò ut ne permittatis, quæ impiorum Pon-
tificum & Theologastrorum tyrannidi debemus, sanctissimis maioribus ue-
stris tribui. Iam uerò si contendant inimici, omnia ea esse illis constituta, quæ
defendunt, quæso malè de uobis meretur, qui conuellit errorem in re sacra.
Certè rationem pietatis uestræ nullam habent, qui maiorum imagines à uobis
pluris fieri censent, quàm diuinas leges. An uerò parum pius dici Iosias rex de-
bet, qui auitum Baalis cultum è Iudæa sustulit? An pij parum maiores uestri,
qui Christianismo Idolorum cultum, quem à patribus suis religiosè traditum
acceperant, mutarunt? adeò iuxta impium est atq; stultum, humanis aut opi-
nionibus, aut adfectibus sacra metiri, quæ non ad qualiacunque hominum fa-
cta, sed ad literas diuinitus proditas exigenda sunt. Qui in foro uersantur ne-
gant exemplis iudicandum esse, sed legibus! Et ut ait Demosthenes,
οὐχ ὡς γέγονε πολλάκις, ἀλλ' ὡς προσήκει γίγνεσθαι, quantò minus sacra, hominum insti-
tutis æstimemus, in quibus, fieri non potest quin hallucinentur humana inge-
nia, nisi diuinis literis, ceu filo regantur. Itaq; uidetis Principes, quàm impia
oratione agat uobiscum Hircus iste, cùm conseruari iubet, quæ defendit, non
ob aliud nisi quia à maioribus ita recepta sint. Interim non docens, quibus
autoribus, aut qua ratione recepta sint. Atqui uestrum est, iudices, illa studio-
sè inquirere. Sunt enim, ut dixi, quæ tuentur inimici, pridem recepta, solis
Pontificibus autoribus, & in hoc, ut tyrannicis legibus, ceu compedibus uin-
cta Germania in Romani Antichristi potestate esset. Iubet Lutherus, id quod
& uelle uos pietas uestra arguit, ueterum instituta, ad Euangelicas literas exi-
gi, conseruariq; quæ cùm his consentiunt, quæ dissentiunt, Christiano spiri-
tu aboleri.

Nam & falli maiores uestri potuere, & fallere uoluptas fuit Romano
Antichristo, ac circuncidere Germanos, ut de eorum carne, ut Paulus ait, glo-
riaretur. Nolo hic cauillari, quàm stultè maiorum uestrorum pietatem præ-
dicet, quos negat Idolis diuinum numen tribuisse, cùm in hac natione tantùm
superstitionis fuisse constet, ut humanis etiam hostijs litatum sit. Nolo cauil-
lari, quæ de titulis Romani imperij, ad Germanos translatis memorat. Nam
hi utrum fauentibus an iratis superis Germaniæ contigerint, alij uiderint. Mi-
hi certè hoc astu à Romanis Pontificibus hæc primùm natio sub iugum mis-
sa uidetur. Hoc unum ago, ut cùm ille maiorum instituta iactet, & patiamini
ea ad diuinas leges exigi, & diligenter consideretis, quæ nam, qua ratione,
quo consilio constituta sint. Alioqui cur non Idolis initiamur, quorum
cultum patres nostri à maioribus ueluti per manus quondam acceperunt,
si mores potius, quàm sacræ leges, spectandi sunt. Iam uerò quid adeò ue-
terum instituta caussetur aduersarius, uideamus, non ut salua sit Eccleſiastica

ueterum

ueterum disciplina, quam certè optarim iam olim dormitantibus Episcopis extinctam, restitui: non ut reuocetur in lucem docendi ratio, quæ à maioribus tradita est. Sed ut ne quid triste patiantur sacerdotes. Lutherum enim in hos uideri ferrum strinxisse, debacchariq; in sacrosanctum sacerdotum ordinem. Et cur non ipsum audimus Hircum eleganter, ita me ament Musæ, τραγίζοντα, cùm ait, Sed tamen hunc hominem uideo libris quibusdam editis, manu, pede, lingua, omniq; potentia conari, sacerdotalem ordinem, omnibus quidem inuisum & ignominiosum facere, uos autem Principes Germanos regali sacerdotio infensos reddere. Hæc ille, me Hercules, omnia uenustè, sed neq; uerè neq; candidè, adeoq; pro calumniatoris artificio. Nam quòd Lutherum agitare animo causaris, ut extinguatur sacerdotium, è libris eius cognoscere non potuisti, siquidem nulla est aduersum sacerdotes ab hoc conscripta litera, nisi, tu ad sacerdotes pertinere putas, quæ in Romanenses tyrannos scripta sunt. Quibus ego saluis, non uideo saluam sacerdotum dignitatem esse posse. Palàm ergo mentiri ausus es, cùm editis libris, traduci sacerdotum ordinem finxisti. Quibus nam hoc libris agit Lutherus? Non ne hos fidei tuæ erat indicare? Num sacerdotum maiestatem lædit, qui indulgentias, qui receptos de sacris rebus errores conuellit, qui hactenus in eos tantùm stylum distrinxit, qui Christianam doctrinam suis traditionibus conspurcarunt, qui salem illum Euangelicum impijs dogmatis infatuarunt. Nec de priuato sacerdotum luxu uspiam uel literam scripsit. Bellum est Luthero cùm praua doctrina, cùm impijs dogmatis, non cum priuatis sacerdotum uicijs, quæ certè non dissimularet, si ordini parum æquus esset. Tantùm alicubi Pontificiam auariciam taxat, nempe quam in consilio habet Roma, impia omnia audendi & constituendi. Aut nega Euangelium esse Luthero prædicandum, aut permitte impiam doctrinam, & aduersantem CHRISTO conuelli. Nuper errorem de Liturgia, seu de Missa, quam uocant, indicauit: quæ res uulgò ad sacerdotes omnes pertinere uidetur, ubi adeò non sunt offensi, qui boni sunt, ut testati sint aliquot, multa sese debere Luthero, quo autore tandem sanctorum mysteriorum fructum cognoscant, & reclamant non nisi qui rem sacram in quæstu habent, adeoquè ij qui se tua uoce declarant malè metuere uentri suo. Nam hi sunt qui fingunt Lutherum aduersari ordini sacerdotum. Excogitauit enim hanc calumniam, Principes, ista impiorum & sceleratorum factio, qui malè metuentes gulæ suæ, hunc opprimi uolunt, quocunque tandem modo: Inimici non sanè Lutheri, sed crucis CHRISTI, ut Paulus ait, quorum Deus uenter est: nam ut ex animo Lutherus uult, Ecclesiasticæ disciplinæ consultum, ita nihil tam anxiè deprecatur, quàm ne ui, ac tumultu, imò ne ullis humanis præsidijs res tentetur, supplicationib. ac uotis deuocandum cœlo spiritum censet, quo inflammentur mortalium animi ad rem Ecclesiasticam instaurandam. Sic enim ait in libro quem ad Germanos proceres scripsit, RECITA, Adeò non est quod hic sibi metuat ordo, tantùm formidant famelici quidam, qui hactenus impostoris, & impia doctrina rem fecere, ne suo sibi aliquando succo seu cochleis uiuendum sit, ut Plautini parasiti uerbis utar. Opinor intelligere uos Principes, quàm falsò hic Lutherum Hircus calumniatus sit: Nunc uestrum est iuxta sacrosanctas leges uestras in calumniatorem animaduertere. Porrò de sacerdotio post hac dicemus, ubi commemorabimus, quę contra doctrinam Euangelicam con-

Luthero bellũ est cum praua doctrina.

tra maiorum uestrorum instituta, contra Synodorum leges nouarit in Europa Romanus Antichristus. Iam & uaticinari Hircus cœpit, cùm Euangelico ense in patriæ perniciem accingi Lutherum prædicit, ruituramq; canit Germaniã, si audiat hunc scripturæ sensa suo more explicantem. Agite hoc illud, Principes, sceleratis dolet, redire in lucem Euangelicam doctrinam, quæ certum exitium non patriæ, nam hoc falsò fingunt, sed suo regno, suæ tyrannidi minatur. Quid enim felicius contingere queat patriẹ, quàm si antiquatis istorum traditionibus, ad Euangelium, ad Christianas delicias reuocetur? O prorsus beatos, si rursus ille nobis sol illucescat, Christus noster, quem impiæ hominum traditiones hactenus annos fermẽ quadringentos obscurarunt. Atq; ò utinam ō utinam non frustretur conatu suo Lutherus, qui planè non aliud ardet, nisi ad studium Euangelij pias mentes inuitare, & hos conatus cùm damnare palàm isti non ausint, caueri iubent, etsi dijs placet uestra causa illacrymantes, ne fallat enarratione scripturarum Lutherus. O homines pios patriæ amantes. Sed hos iudices fallere qui potest? & meminisse uos uelim, Principes, ita proditas esse diuinas literas, & ut intelligantur: Voluit enim cognosci cœlestis spiritus, et ut sint amussis uice, ad quam exigamus omnia hominum cõsilia & facta. Eas ipsi, Christiani enim estis, cognoscite, nec ita Luthero credite, ut non malitis scripturæ ueritatem cominus contemplari, quæ una cura quòd studium præcipuum esse Principum debebat. Sic enim Iosuæ mandat Dominus, Non recedat uolumen Legis huius ab ore tuo, sed meditare in eo die ac noctu. Nec aliud uerentur inimici, ne quas ignorant & contemnunt ipsi, uos aliquando tractare scripturas incipiatis, à quibus neminem arcet Apostolus, cùm omnes uult uaticinari. Falli ergo Lutherana interpretatione non potestis, si scripturas ipsi, quod titulis uestris ac sacris debetis, accuratè cognoueritis. Salutis periculum minantur inimici, si Lutherum audiatis. Imò uerò de salute uestra actũ est, nisi huius causæ iudices diuinas literas feceritis, quẹ ut certam nobis uictoriam promittunt, ita si damnarint, iudicium enim apud uos esto, & retractabit sua candidè Lutherus, & legum uestrarum iram experiri nihil contabimur. Modò ne muliebribus minis, ne superstitiõe aliqua, à uero alienati, sed fortiter, quòd Germanos, sapienter, quòd Christianos decet, iudicate. Nolo quidquam tribui priuatis adfectibus, ut faueat nationi Germanicæ Lutherus, quem non dubito patriæ quod debet, persoluere, nihil puto referre, sed ut uero, ut Euangelio faueat. De causa sacrarum literarum Principes iudicabitis, non de priuato ullius in uos studio. At uidete quàm argutè, quàm callidè doceat hunc inimico in patriam animo esse, nempe quod sacra tua FRIDERICE pientissime Princeps, Nam in prouincia tua publicè Christianas literas docet, uiolarit: quod indulgentiarum autoritatem eleuarit, quẹ Pontificum liberalitate Saxoniæ tuæ donatẹ sunt. Id uerò, quis nõ uidet, quàm festiuum, quàm elegans commentum sit, & te non parum multi animaduerterunt heri Illustrissime Princeps subridentem, cũ hoc ille tam lepidum ἐνθυμημάτιον ἐξετράγιζε, undiq; circumferens oculos, ac circumspectans illum gregem suum, gratulantem tibi tam elegans inuentum, ipse sibi sic adplaudens, ut ardentem flammam facilius uidereretur in ore retenturus fuisse, quàm hoc tam bonum (ut ueteri uerbo utar) dictum. Scilicet sapientiæ ac pietatis tuæ rationem prudenter habuit, qui te Pontificium indulgentias, & impias Saulis hecatombas diuinis legibus præferre uoluit. Quas certè, quæ est pietas tua, nunquam passus fuisses prophanari, nisi

Responsio de obiectione quod Lutherus uiolarit sacra sui Principis.

Euange-

Euangelij autoritate uictus, intellexisses meras sceleratorum Pontificum imposturas esse, indulgentiarum nundinationes. Macte animo sapientissime heros, quando hoc exemplo declarasti, quanti sacræ doctrinæ autoritatem facias, fortiter illam & in hoc iudicio adsere ac tuere. Impietatis accusatur Lutherus, qui salutem tuam uotis, quę pro te fiebant in auctione indulgentiarum defraudarit, qua is calumnia liberari à te non dubitat, cùm scias preces hac emtas arte, neutiquam salutares esse. Amat enim Dominus, ut Esaias ait, iudicium, & auersatur in holocausto rapinam. Porrò, quomodo uerisimile est Lutherum indulgentias, aut malignitate animi damnasse, cùm id coëgerit Euangelij autoritas? aut te conniuente damnare potuisse, si uel suspecta fuisset eius uoluntas. Et quid ego ridiculus cauillum excuso tàm ineptum, tàm friuolum, satis enim puto innumeris argumẽtis doceri posse, quàm pio sit in patriam animo. Certè boni ac pij ciuis officium nondum in eo desiderasti FRIDERICE, & haud scio, an hoc te insulso scommate perstringi uoluerint isti, Quid enim non audet liuor? quod non multò antẽ Lutherum aut in crucem sustuleris, aut inimicis prodideris pro libidine cruciandum. Hactenus quia ad confusaneam inimicorum orationem respondemus, multa nos etiam confudimus, sunt & quæ distulimus posthac tractanda. Nunc cùm sycophantias quasdam, quibus animos isti uestros solicitabant, refutauerimus, Ipsa rerum capita aggrediemur. Audistis in causa pietatis non debere maiorum instituta ualere, nisi quatenus regula Euangelica permittit. Audistis uanas & ementitas esse calumnias, quibus ab hoc inimici sacerdotes, quibus Illustr. Principem, Senatus huius Nestorem abalienare conabantur. Nunc quæso de grauioribus criminibus, dicentem me fauore studioq; uestro adiuuate. Est. n. difficile mihi cùm tàm maligno genere hostium certamen, qui utrum indoctiores sint, an impudentiores, constituere non possum. Primùm. n. Theologiæ scholasticæ uindicandæ negocium tale datum est, qui nisi uersifex esset, nõ crederetur unquam uel à limine salutasse literas, Tantùm abest, ut Philosophicarum aut Theologicarum rerum peritum putetis. Nam cùm malẽ consutis uersiculis apud Sophistas eloquentiæ laudem meruerit, desumsit sibi insectandi Lutheri prouinciam expedito sanè ad calumniandum ingenio. Cæterùm ad causæ defensionem nihil afferens præter impudentiam, ut planè uideam uerum esse, quod à Thucydide, graui imprimis historico dictum est, τὴν ἀμαθίαν θράσος ἀπεργάζεσθαι, hic enim ut indoctissimus, ita impudentissimus omnium est mortalium quos uiderim, De syllabarum numeris, de arsi, de thesi, de ecthlipsi, de cæsuris, disputare debebas, non de Theologicis ac Philosophicis rebus quæ ignoras. Tuæ partes erant docere, unde sit elegis, unde phalæcijs nomen, non quæ literæ Christianismum forment. Non quòd te à sacris arceam, qui per charites saniorem tibi mentem optarim, sed quòd intelligam te de ijs disputare, idq; animo parum pio, quę nunquam οὐδὲ ἄκρῳ δακτύλῳ, ut Græci dicunt, attigisti. Et ut de Philosophia primùm disseram, de Theologia scholastica postea, Inuitus meherculè de thematis tàm friuolis dico, sed aduersario obsequendum est, cui, si uobis uidebitur prolixior æquo oratio mea, imputabitis. Non damnat Lutherus eam Philosophiæ partem, quæ Mathemata, quæ gemmarum, plantarum & animantium naturas descripsit. Nam horum cognitionem fatetur ad sacra necessariam esse, soletquè in loco uti, quoties res postulat, probat inquam pinguem illam rerum descriptionem, cuius autores ha-

Responsio de reiecta à Luthero philosophia.

res habemus, apud Latinos Plinium, apud Græcos Athenæum, Addo, si uis, Aristotelem, Theophrastum, Dioscoriden, ut Poëtas interim taceam. Breuiter collaudat Lutherus, quæ de rerum natura ferè sunt à medicis conscripta, Damnat autem, si ignoras, eam philosophiæ partem, quæ de rerum principijs, uentorum ac pluuiarum causis prodigiosas nugas comminiscitur, adeoq; quicquid id est, quod Aristoteles uocat physica ἀκροάματα, καὶ τὰ μεταφυσικά. Damnat quicquid de moribus à Philosophis proditum est. Cuius sententiæ rationem quando postulant inimici, breuiter exponam. Atque hic mihi nolim ueterum calculos suffragari, quorum alij legibus, alij conscriptis orationibus, alij poëmatis philosophiam damnarunt, homines ingenioſi quantùm intelligo, uidebant enim hoc sapiendi genus inutile rebuspublicis esse, uidebant anxia & curiosa disceptatione mascula iuuentutis ingenia eneruari, uidebant perpetuis digladiationibus uerum obscurari magis, quàm explicari. Proinde eiecerunt urbe Philosophos Romani, item messani Lacones ne admisere quidem unquam. Inclytus rex Antiochus seueriſſimo decreto animaduerti iussit & in adolescentes qui philosophabantur, & in patres, qui id permittebant liberis. Et cur non ipsius decreti uerba subijcio. ἀντίοχος φησία. ἐγράψαμεν ὑμῖν καὶ πρότερον, ὅπως μηδεὶς ἢ φιλόσοφος ἐν τῇ πόλει, μηδ' ἐν τῇ χώρᾳ. πεισθέντες δὲ οὐκ ὀλίγους εἶναι, καὶ τοὺς νέους λυμαίνεσθαι, διὰ τὸ μηδὲν πεποιηκέναι ὑμᾶς, ὧν ἐγράψαμεν, πρὶ τότων ὡς ἂν οὖν λάβητε τὴν ἐπιστολὴν σάυταξον κήρυγμα ποιήσασθαι ὅπως οἱ μὲν φιλόσοφοι πάντες ἀπαλλάσσωνται ἐκ πόλεως τόπων ἤδη, πόλεως δὲ νεανίσκων ὅσοι ἐὰν ἁλίσκωνται πρὸς τότοις γινόμενοι διότι κρεμήσωνται, καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν ἐν αἰτίαις ἔσονται ταῖς μεγίσαις. Audistis seueram clarissimi Regis legem, cuius si in Christianismo exemplum aliquod habuissemus, non dubium est, quin & sacra doctrina sincerior hoc tempore esset, & cum doctrinam mores imitentur, adhuc esset reliqua Ecclesiæ nonnulla disciplina, quæ iam ita cum doctrina Christiana, nouis Theologorum dogmatis, quæ è Philosophia nata sunt, & impijs Pontificum constitutionibus extincta est, ut ne nomen quidem Ecclesiæ mereatur horum temporum confusio. Nolo inquam mihi ueterum calculos suffragari, qui uideri fortasse possunt philosophiam temerè, non iudicio damnasse. Autorem enim habet sententiæ suæ Lutherus grauem, & cui non est fas refragari, diuum Paulum, Is caueri iubet, ne quis nos per philosophiam deprædetur. Neq; uerò hunc uerisimile est à literarum genere, uoluisse nos auocare, quod utile erat ad formandas Christianas mentes. Quare uideamus quale nam id artium genus sit, quod à tanto, tamque graui Apostolo improbatum est, & primùm quidem non puto, ne ab inimicis quidem magnifieri, partem, quæ de rerum principijs, de uentis, de uacuo, de infinito disputat. Nam in tota ἀκροάσει physica, quid audias aliud, quàm uerborum portenta, hyle, materia, forma, idea, priuatio, infinitum, & hoc genus innumera, quę loquacibus hominibus garriendi materiem subministrant, & ingenia iuuenilia contentione, & περιεργίᾳ eneruant. Quantò satius enim fuerit rerum naturalium causas, ac rationes à medicis, si qui pinguissimè rem agunt, petere? Nam cùm in hoc discendum sit, ut ne dubitemus de ijs quæ discere cœpimus, in hoc isti discunt, ut dubitent. Explicanda est studio humana mens, ex opinionum ambagibus. At isti hoc unum student, ut animos implicent opinionibus. O sapientes homines, & dignos prorsus philosophorum nomine. Adeoq; in tota Physica acroasi numen istorum Aristoteles, ueterum tantùm opiniones de rerum causis recensет, aliud præterea non agens, imò quæ à ueteribus ciuiliter dicta erant, malignè interpretans, carpit & arrodit.

dit. Quis enim putet sic insaniisse Platonem, ut seriò docuerit triangulum esse primum rerum naturalium elementum? at hoc dogma, quàm longa disputatione insectatur Aristoteles? qui ingenij laudem, nisi calumniando, consequi nullam potuit. Quid attinet huius generis plura exempla producere, cùm nusquam non sit sui similis Aristoteles? Neqꝫ dubitò quin de Physicis disputationibus mecum sentiant inimici, neqꝫ enim negare possunt & friuola & stulta isthic pleraque doceri, nec digna esse in quibus tantum perdant ocij, ac temporis Christianæ mentes. Vt asini caput negant nitro lauandum esse, ita non puto operæprecium ullum in tam stultis nugis, rem precioſsimam ocium perdi. Iam si dogmata conferamus, non ne innumera sunt isthic, quæ cum diuinis literis pugnant? Mundum æternum esse, immutabiles esse cœlestium orbium motus, animam hominis unà cum corpore interire, & hoc genus alia, quibus imbuti iuueniles animi, cùm ad diuinas literas accedant, nimirum ab equis ad asinos desilire sibi uidentur, uelut anteà in ijs uersati, quæ ingenium, quæ eruditionem alant, nunc uulgare & idioticum sapiendi genus meditaturi, in quo experiri uim ingenij nusquam possint. Atqui hanc opinionem ad diuinorum oraculorum studium adferre quis non uidet pernicioſsum esse? nempe in quibus uelut ἐκτύποις sese diuinitas expressit. Et cùm in illis nugari adsueuerint, fieri quomodo potest, ne & hic in sacris nugentur? Sed quid hic moror, quin potius de ea parte disseramus, sine qua Theologiam mancam putauerunt πρὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, & de moralibus. De Deo, de ijs quę Deo tribuuntur ab hominibus, de unitate, de intellectu, de uoluntate, de simplicitate, disserunt Metaphysici, quos uocant, quam partem Theologia scholastica sibi totam uindicauit, in qua regnare sibi uidetur. Hinc natæ sunt factiones illæ, Thomistarũ, Scotistarum, Occanistarum, uelut ex Chao demorgogoneo. Hic Theologorum uulgus studia in contraria scinditur, dum hic rem ratiocinabilem, illæ realitates, breuiter dum suum quisqꝫ dogma adserit. Quod sapiendi genus, quàm nihil sit ad Christianas mentes formandas accommodatum, audite. Primùm n. cõstat irreligioſsum esse de diuina maiestate, deqꝫ ijs, quæ Deo propriè tribuuntur, adeò iuueniliter digladiari, & haud scio, an humanæ curioſsitati tribuendum sit, quòd abscondita illa & inadita creaturis mysteria quærimus, uoluit sanè cognosci se Deus, sed ut cognosceretur delapsus est in carnem, imò caro factus est. Nam cùm immensa illa maiestas comprehendi non posset, eam induit personam, quam complecti mens humana utcunqꝫ potuit: uulgaris enim patrum sententia fuit, non uicturos, qui Deum uidissent. Atqꝫ id est, ni fallor, quod ait Paulus, placuisse Deo per stulticiam prædicationis saluos facere credentes: quia in Dei sapientia non cognorit mundus DEVM per sapientiam. Scopus nobis propoſitus est Christus, in quem oculos defigere humana mens feliciter posset. Quem scopum cùm contemnimus, euolaturi ad cœlestia, fieri non potest, quin periclitetur, quin erret uagabunda ratio, id quod accidisse uidemus isti Theologorum generi, cùm adfingit Deo nouam quisque formam, qui cùm sit simpliciſsimus, istorum opinionibus ita dissectus est, ut non magis uarius sit apud poëtas Proteus. Sed ut donem pium esse incomprehensibilia illa mysteria uestigare, Certè & pium est & periculoſsum, humanis argutijs potius, quàm diuinis scripturis rem tantam tentare, quòd hanc lucem & natura reformidet ratio, & alioquí adeò nusquam constet sibi hominis ingenium, ut ne chamæleon quidem sit mutabilior. An non uidemus ut Philo-

De scholastica Theologiæ fontibus & impietate ex Metaphysicis.

sophorum

ſophorum gregibus hic conatus ceſſerit? qui cùm non poſſent animo complecti maieſtatem tantam, uulgo negarunt eſſe diuina. Palàm enim ἄθεοι ſunt Stoici & qui Democritum ſecuti ſunt, Epicurei. Item Cyrenaici. ἄθεος eſt & ueſter ille, Hirce, Ariſtoteles, quo duce, O Titanicam audaciam, cœlum oppugnatis. Sequebantur hi rationis humanæ methodos, quærebantq; immenſum illud, quod audierant, θεὸν dici à maioribus. Quod cùm comprehendere non poſſent, uani facti ſunt, ut ait Apoſtolus, diſceptando. Horum ſunt illæ ueſtræ Apodeixes de infinitate, de unitate Dei, de diuina cognitione, de fato, de contingentibus, deq; alijs hoc genus quæſtionibus, quibus cùm non aliud aſſecuti ſint iſti, niſi ut eſſe diuina prorſus negarent, uos extra periculum eſſe quomodo ueriſimile eſt, qui eandem, quàm iſti, uiam ingredi ſoletis? Non accuſo iam theologaſtrorum barbariem, non confuſa illa et impedita Sophiſmata, quæ nemo ſanæ mentis non improbat, ſed illam ipſam ſapientiam ſermonis, illam inquam accuſo, qua una uobis de Chriſtianis rebus benè meriti uidemini, qua Chriſtianas mentes à ſcripturis ad rationes reuocaſtis, qua gladium ſpiritus è manibus ſimplicium extorſiſtis, quo aduerſum Satanæ aſtus armari ſolebant, aduerſus quem, quæſo quid humanis argutijs profeceris? Non poſſum equidem non uehementer probare, quòd à Theologo quodam primi nominis apud Græcos dictum eſt πίσις ἄγέτω πλέον ἡμᾶς ἢ λόγος, nec enim capiunt lucem tenebræ. Ni ſol noſter Chriſtus præeat humanis tenebris, fieri planè non poteſt, quin palantes animi paſſim errent & à uero excidant. Quo duce cum careat iſtud Theologorum genus, quas non opiniones, quæ non portenta: Imò quæ non Idola confingit, quum uarias diuini numinis formas delineant, cùm hic eſſentiam diuinam re ipſa à relationibus, ille ratione diſtinguit, cùm hic aliquot realitatum myriadas in eo numerat, ille realitates inter Platonicas Ideas ridet. Quæſo quorſum iſta tam putida? quæ Paulus teſtatur ad ædificandam fidem, nihil conducere. Eſt, n. alia quædam ſpiritus doctrina, alia quædam lux, qua tenebræ mentium noſtrarum diuinitus diſcuti ſolent. I nunc Hirce, & nega Idolatriam eſſe ſcholaſticen doctrinam, cui tàm uarias, tàm abſurdas de Deo opiniones debemus. Quid quòd diuini ſermonis dulcedinem ſentire non poteſt mens humanis argutijs uiciata? Non enim percipit animalis homo, quæ ſunt Spiritus. Intelligere uos opinor Principes, quàm non ſit ex re Chriſtianorum diuina myſteria ad philoſophicas rationes referre, quę ut eſt humani ingenij cœcitas, ferè aut incertæ ſunt aut prorſus uanæ. Non ignoro autem eſſe aliquod apud Patres exemplum talium diſputationum, quo ſe tueri fortaſſe inimici queant. Sed & illos optarim diuina purius tractaſſe, quanquam bonè Deus quantò parcius, quàm iſti philoſophantur? Et hactenus de metaphyſicis, de quibus equidem plura uellem dicere liceret. Sed aliò properat oratio, dicendum enim hic eſt de parte Philoſophiæ, quę mores format, unde non paulò clarius intelligetis, quàm non conueniat philoſophiæ, aut humanæ rationi, cum Chriſtiana doctrina. Damno enim μεταφυσικὰς θεωρίας, quòd periculi plenum arbitror, myſteria cœleſtia ad noſtræ rationis methodos exigere. Ethica uerò quod planè ex diametro cum Chriſto pugnāt. Id quod nolim à me rhetoricè magis, quàm uerè dici, putetis. Optabile certè fuerit, hoc me errare loco, Sed heu nimium uera eſt oratio mea. Neq; uerò ſimpliciter hic peccatum eſt, ſed poſtea quàm recepta ſunt philoſophorum Ethica, alius ex alio, ut ſolet, error ſubinde natus eſt, adeoq; obſcurata, ò horrendas tenebras, uniuerſa

Ex Ethicis.

Chriſti

Christi doctrina. Quam calamitatem Ecclesiæ cur non pij omnes perpetuis lacrymis deploramus? cur non assiduis gemitibus placamus Deum, ut uel tandem in uiam reuocet Ecclesię reliquias? In quas tot iam secula grassantur impij doctores, suis linguis, ut ait Propheta, mendacium narrantes. Periclitantur in priore Philosophiæ parte disputatores tantùm. Quod mali dederunt Ethica, id in uniuersam Ecclesiam uulgatum est. Non hic periculum accuso, sed præsentem calamitatem deploro, quæ eiusmodi est, ut multò minore rerum Christianarum damno interim uel Maxentij, uel Diocletiani, qui in Ecclesiam ferro deseuiere, regnasse uideri possint, quàm regnarunt doctorculi isti, qui noua dicendi ratione reperta Euangelium obliterarunt, Christo è simplicium animis reuulso, Aristotelem inseruere. Deploret Aegyptiacam seruitutem, deploret Assyrium iugum Iudæa. At quantò illa tolerabiliora erant nostris malis, cùm in corpora tyranni regnum suum exercerent. Hi Satanæ angeli, piorum animos subegere. Hic Ecclesiæ Mosi zelum, Hic Helię spiritum optarim, qui hos pseudoprophetas iugulet & confodiat. An non tandem uidemus cur tàm solicitè caueri præcipiat hominum doctrinas Paulus, tàm grauis Apostolus, certè præuidens animo miseranda nostrorum temporum fata, cùm ait: Videte ne quis uos deprædetur per philosophiam, & inanem deceptionem. Scilicet ad uos ista Hirce non pertinent, qui Aristotelem, qui hominum somnia docetis, atq; ita pertinaciter tuemini, ut ne locum quidem Christo in scholis uestris esse uelitis. At cognoscite Principes obiter, quæ Lutherum necessitas adigat ad damnanda philosophorum Ethica. In Christiana doctrina loci morales, ut puto, summi tres sunt. Lex, Peccatum, Gratia, ē quibus, ceu fonte, quæ de uicijs ac uirtutibus, de Sacramentis, de conscientiæ casibus disputantur, deriuari solent. Hos isti locos, ut ad philosophica dogmata reuocarunt, hoc unum in tractandis officij partibus egerunt, ut ne non conueniret spiritui, diuinæ scripturæ autori, cum Aristotele. Nam in legibus, libet enim de ijs primùm dicere, quàm multa nouata sunt? ubi bonam legum partem ueluti nõ necessariam, Consilia, sic enim uocant, interpretantur. Leges esse uoluit necessarias Christus: Ne quis uel concupiscat aliena, Ne quis stomachetur, uel tacitus aduersus fratrem: Ne quis uim ui arceat, ne ue iniuriam iniuria retaliet, iuxtà inimicos atq; amicos diligi, ne cum fratre iudicio contendat frater, ut elargiamur in quosuis egentes pecuniam, ut mutuò demus, nulla spe recuperandæ sortis, Breuiter, ut quæ nobis fieri uolumus, eadem faciamus alijs. Quæ cùm isti negent necessariò fieri debere, primum antiquata est Christiana caritas, antiquata sunt omnia humanitatis officia, deinde iurgijs, litibus, cædibus, fœnori, & quibus non malis uia facta est? Horum impia deuterosi, pium est irasci, iudicio contendere, belligerari, fœnerare, negare egenti beneficium. Neq; uerò omnia hic attingo, sed tantùm paucarum legum capita, è quibus cognoscatis, quàm non Christiana, deinde & quàm pernicioſa sit istorum traditio, quæ nepharijs flagitijs, fœnori, litibus, bellis autor est. Quid si sublimia illa attingam, de absoluto ac uerè pio Dei cultu, de sanctificando diuino nomine, de sabbato, quas leges isti planè ad scenicam quandam hypocrisim, & stultas ceremonias referunt, ut à Iudaismo nequeas Christianismum discernere. En uobis legis doctores, qui ex præceptis consilia fecere, id quod manifestius est, quàm ut negari possit. Et ni uererer, ne uobis molestum esset audire, impias istorum sententias, commemorarem integras hac de re disputationes. Sed in

Legem, Peccatum, Gratiam tres locos Christianæ doctrinæ scholastici reuocarunt ad Philosophiam.

De Lege.

promtu est,cognoscere secundam Aquinatis Thomæ,qui impiæ doctrinæ antesignanus est.Nolo hic mihi sanctitatis nomen obsit,quod quo iure illi tribuerint Romani Põtifices,ipsi uiderint. Atq; hunc quæso de eleemosyna loquentem audite.Non omnis necessitas obligat ad præceptum,sed illa sola, sine qua is, qui necessitatem patitur, sustentari non potest. In illo enim casu locum habet,quod Ambrosius dicit,Pasce fame morientem, si nõ paueris,occidisti. Sic ergo dare Eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate, aliàs dare eleemosynas est in consilio, Hactenus Thomas. Audistis consilium esse non præceptum, iuuare egentem, nisi cùm animam inter dentes tenet, similia scribuntur de uindictis & alijs hoc genus. An adhuc dubitamus exclamare cum Esaia. Sacerdotes & Prophetæ nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt uino, errauerunt in ebrietate, nescierunt uisionem,ignorauerunt iudicium,omnes mensæ repletæ sunt uomitu sordium, hoc est, scholasticis dogmatis. Vestras leges Principes, capitale est uiolare. Quantõ minus ferendi sunt,qui diuinas leges, publica, ut uideri uolunt, autoritate figunt ac refigunt pro libidine sua? Et fieri non potest, quin mutatis legibus, & ritus Ecclesiastici nouentur, quin à pietate ad ceremonias, à ceremonijs ad superstitiosum cultum eatur,qui ubi mortalium animos occuparit,iam de sacris actum est.Non obscurè puto intelligi, quàm non conueniat humanæ rationi, aut philosophiæ cum legibus diuinis. Lex diuina diligi iubet inimicos,ratio odisse,quam secutæ scholæ legem diuinam abrogarunt. Lex diuina iubet de quibusuis benè merendum esse, Ratio negat benè faciendum, nisi ijs qui officio compensent officium,ut Hesiodus præcipit,χρὴ δόμεν ὅσκερ δῶ, καὶ μὴ δόμεν ὅσκεν μὴ δῶ. Sunt animi motus quidam, quibus sibi uel maximè placet ratio,quales sunt, quibus ad gloriam, aut fallacem illam animi tranquillitatem, quam Democritus εὐθυμίαν, alij ἀναλγησίαν uocarunt,fertur. At quale cum ijs diuinæ legi bellum est? quæ nusquam non accusat hanc humanæ naturæ improbitatem? Quid multa commemoro,cùm palàm damnet humanam rationem diuinum oraculum. Sic enim ait, Loquere filijs Israël, & dices,ut faciant sibi fimbrias per angulos quatuor palliorum, ponentes in eis uittas hyacinthinas: Quas cùm uiderint,recordentur omnium mandatorum domini, ne sequantur cogitationes suas & oculos,per res uarias fornicantes. Iam quid quæso fuerat opus diuinis legibus, si eadem ratio docebat? Sin diuersa, cur admiscuistis Theologię? cur falsis uera diluistis? cur à diuinis legibus, quas cœlestis spiritus, & uestium fimbrijs, & ædium uestibulis inscriptas, in oculis,interq; manus haberi uoluit, ad humanas traditiones simplicium mentes auocastis? Quid adhuc Principes dubitatis humanæ rationi, philosophię, scholis theologorum tribui quantũ debeat? quib.adeò nihil cũ Christo conuenit,ut solis magna ex parte horũ temporum calamitatẽ debeamus. De peccati uerò ratione adeò nõ conuenit Euangelio cũ philosophia, ut teterrimas ferè pestes optimarum uirtutum loco numeret philosophia. Diuinæ literæ uicios am esse censent ipsam hominis naturam. Philosophi & horum sectatores scholastici negant quicquam posse absurdius confingi.Diuinę literæ quosuis concupiscentiæ adfectus dãnant. Hi à philosophis & pseudotheologis magna ex parte in medijs rebus numerantur, hoc est, in ijs, quæ nec uirtutis, nec uicij nomen merentur, porrò palàm ob oculos ponunt diuinæ literæ uniuersas peccati formas,philosophia humanã mentem,ceu præstigijs quibusdam ludificatur,ne morbos suos deprehen-

De peccato.

deprehendat. Plato, quẽ uos, Hirce, ceu numẽ quoddã adoratis, ego uerò iã cũ Antisthene σάτωνα uoco, in Alcibiade suo priore, cẽset philosophię summã continere delphica illa sententia γνῶθι σεαυτὸν, ac philosophiam planè rationẽ cognoscendi sui esse, quam laudem sæpe nosipsi audiuimus ei ab Aristotelicis theologis tribui. Quantò rectius aũt in diuinis literis ceu in speculo nos contemplemur, quę solę, perspicuo nosmet nobis ob oculos ponũt. Nã philosophia, quod pollicetur, cẽ non præstet, constare puto, cũm ad fœdissima quædam uicia conniueat. Non ago modò quàm pudenda flagitia probet Aristoteles tũ in Ethicis suis, tũ in politicis, præsertim eo loco, ubi disputat ex re ciuitatum uideri, ne sit plebeijs hominib. numerosa soboles, sed tacita quędã animorum uicia probari à ratione humana, adeoc̃ ab uniuersa philosophia queror, quæ nisi per diuinas literas, nunc̃ deprehendas, imò in uirtutibus etiam ponas. Id quod non dubiũ est accidisse etiam sanctulis plerisc̃, nimiũ rationi humanę tribuentibus. Quin potius Prophetæ credimus, humani cordis nequitiam inperscrutabilem esse. Hic uobis æstimandũ Principes relinquo, quid damni dederit hæc istorum de peccato doctrina, cũ non aliud docuere peccatum esse, c̃ quod philosophi uicium. Penè prętereram locum de Aristotelica mediocritate, quẽ & Lactantius animaduertit à Christo dissidere. Nã ut in medijs numerat adfectus Aristoteles, ita si mediocriter adficiare, uirtutem putat. Sin mediocritatis fines egressus fueris, uicioſum censet, cùm doceat Christus omnem concupiscentiæ affectum turpem esse. Contrà boni spiritus affectum quò uehementior est, ac uiuacior, eò meliorem esse. Adeò nec turpes adfectus excusat mediocritas, nec ornat honestos. Porrò hanc de mediocritate sententiam sic arripuere isti, ut etiam requirant eam in uirtutibus quas theologicas uocant, nimirum, ne Deum immodicè ardeamus. O homines iuxtà stultos ac impios, qui requirunt in amando Deo mediocritatem. Hactenus disseruimus de legibus, ac peccato, ut pugnent quę à philosophis, quæ à theologis scholasticis prodita sunt, cum diuinis literis. Superest tertius de gratia, quam uocant, locus. In hoc multò fœdius, magno haud dubiẽ multorum malo, erratum est. Censent Philosophi absolutam uirtutem in homine adsuetudine parari, Contrã diuinæ literæ docent humana omnia polluta esse peccato, nec purgari nisi spiritu, quem CHRISTVS emerueric generi humano. Omnia philosophi uiribus humani ingenij tribuere, diuinæ literæ omnia ademerunt, in comparanda absoluta, & germana uirtute. Hic scholæ Theologorum philosophos secutæ, uirtutem parari posse uiribus humanis docent. Spiritum accedere, ut sese in nobis iam nostro marte purgatis oblectet, non ut suo numine transformet, ac purget animos. Quo dogmate quis non uidet Christum uulgò obscuratum esse, quem cũm exhibeant diuinæ literæ autorem boni spiritus, & purificatorem humanarum mentium, isti planè repudiant, cùm nihil non pudet eos humanis uiribus arrogare. Hinc prodigiosæ illæ de donis, de fructibus, de theologicis, de cardinalibus uirtutibus disceptationes, ubi omnia tribuuntur naturæ, Christo nihil. Donorum enim quæ uocant, & uirtutum cardinalium planè fatentur seminaria quædam in natura esse. Theologicas uerò uirtutes, ne quid diuino spiritui relinquant, fingũt alias diuinitus in nos effundi, alias à nobis parari. Deinde, planè ociosas in nobis stertere eas, quæ diuinitus inspiratæ sunt, uigere uerò, quas nos parauimus. Quod dogma, ut ueteres taceam, nuper contra Lutherum ausus est uinosus Lapitha, Sophista Eccius proponere disputandum, in hanc sententiam.

De Gratia.

Nobilior est fides infusa q̃ꝫ acquisita, tamen ut ita dicã, FIDES ACQVISITA EST ACTIVIOR, hæc enim illius uerba sunt. Quæso uos Principes, quid magis impium, quid magis blasphemum uel excogitari unquam aut à Marcione, aut à Pelagio potuisset? An non uidemus quid infusæ fidei tribuerit in Euangelio CHRISTVS, cùm ait Petro, Beatus es Simon Barlona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. An non hic tribuit fidei confessionem, Spiritui Patris? aut uim fidei cui tribuit, quum ait, omnes à Deo doceri. Hoc genus sexcenta licet reperire in istorum commentarijs, quos pro sacrosanctis habent. Porrõ magis obscurant Christum, cùm condonationem peccati, non tam gratiæ, quàm expiationibus humanis, quas satisfactiones uocant, tribuunt. Pium dogma est, placari Deum si quis per Christum constanter credat, condonari peccatum, ut Paulus ait: Omnis qui credit in illum non confundetur. Scholasticum dogma est, humanis satisfactionibus expiari delictum. Videbatur enim æqua esse debere bonorum ac malorum operum compensatio. Quæso ex hoc dogmatum genere, diuina beneficia quæ orbis terrarum per CHRISTVM accepit, quomodo cognoscemus? An non obliterata est Christi gratia, quum non illius sanguine, sed nostris piaculis, placari Deum tradunt. An non Christiani spiritus uis obscurata est, quum docent ueram absolutamq̃ꝫ uirtutem posse humanis animis contingere, citra diuini spiritus adflatum? Iam & nominibus gratiæ, fidei, caritatis, ac spei sic abusi sunt, ut nihil minus in diuinis literis significent, quàm quod istis, in disputationibus suis. Adeõ non modò Christi doctrinam, sed & sermonem dedidicimus. Nam ubi gratia, quod Christo fauoris uocabulum est, formam animi, ut isti disputant, signat? aut unde sunt fidei infusæ & acquisitæ, formatæ & informis appellationes natæ? Vnde ille item caritatis ordo, quem præscribunt? Aut quo autore docent humanis meritis in spem salutis erigi Christianas mentes? Imò unde prophana illa meriti appellatio, qua nihil impudentius aut magis impiè confingi potuit? Hactenus admonuimus, & paucis quidem, quàm nihil conueniat, neq̃ꝫ legibus Christianis, neq̃ꝫ peccati, neq̃ꝫ uirtutum formis, quas præscribit Euangelium cum philosophicis literis, adeoq̃ꝫ cum Theologia scholarum, quas uocant. Nunc restat, ut ipsi cogitetis, quàm multa in ritibus, in formis sacramentorum, nouata sint, posteaquàm diuinæ literæ contemni cœpere. Primùm enim legibus diuinis uelut exautoratis, bone Deus, quis aceruus legum successit, ut quemadmodum Græci dixere, ἔστι πύλος πρὸ πύλοιο, πύλος γὲ μεὺ ἐστὶ καὶ ἄλλος, non absurdè de tot constitutionum rapsodijs, & nobis dicere liceat, ἐστὶ νόμος πρὸ νόμοιο, νόμος γὲ μεὺ ἐστὶ καὶ ἄλλος, dum quidlibet statuunt, mutant, probant, reprobantq̃ꝫ Pontifices, quorum tyrannidi uiam fecit theologia scholicorum, cùm diuina dogmata antiquari passa est. Neque enim ualituræ erant Pontificum constitutiones, nisi prius sublato scopo, quem imitandum & sequendum ciuibus suis Christus fixit. Neque uerò Pontificijs tantùm legibus onerata est respublica Christiana, sed accesserunt Theologastrorum sententiæ, de conscientiæ casibus inextricabiles, ubi nusquam non ex quæstione quæstio nascitur. Huius nisi conscientias quorundam miserè adflictas testes habeo, fidem faciant uel bibliopolia, ubi tantũm summarum, sic enim uocant, tantùm commentariorum in quartum sententiarum est reperire, ut eorum nomenclaturam facere nemo possit. Atq̃ꝫ hæc sunt Principes illa conscientiarum cauteria, quę iam olim prudenter caueri

Theologastrorum sententiæ de multis casibus conscientiæ inextricabilibus.

caueri iussit Apostolus. Neq; enim ulla ratione certius CHRISTVM discas, quàm illo ipso doctrinę genere, quo solo aiunt theologastri formari posse, utar enim interim ipsorum uerbis conscientias, id quod ita sibi persuaserunt, ut plericq; religiosuli, non ob aliud uideantur iniqui efflorescentibus Euangelicis literis, nisi quòd uerentur, ne scholicis disputationibus antiquatis, & conscientiarum corrigendarum ratio defutura sit. Porrò, quomodo conscientias erudiant, qui nec diuinas leges, nec peccati formas, nec Euangelium norũt, æstimare facilẽ potestis, & non obscurẽ docent exempla. Iam si libet, & quę uocant sacramenta contẽplamini, in quib. ubi à baptismo pœnitentia, utar enim uulgi uocabulo, seiungi cœpit, utriusq; fructus obscurati sunt, & ex baptismo frigidæ ceremoniæ factæ sunt, ex pœnitentia non aliud nisi conscientiarum carnificina, & ratio compilandę Christianæ plebis. Missam uerò quam in prophano quæstu habeant, quid attinet admonere? At huius impietatis planẽ autores sunt scholastici Theologi, qui formam pœnitentiæ nouarunt, qui ex Missa sacrificium fecerunt, cuius fructus in quosuis dispensari pro arbitrio sacrificantis possit: nec enim obscurum est quid hic commenti sint, & stolidus iste Aquinas & Scotus, uir hoc nomine longẽ dignissimus, & cùm Euangelio duo tantùm signa diuinæ gratiæ tradita sint, addiderunt isti Ordinem, ne nesciremus interesse inter rasos, & reliquum uulgus, & matrimonium, ut obnoxios sibi huius ordinis homines facerent, & nescio qua de causa, Confirmationem & unctionem. Iam ex horum doctrina, innumeræ hominum factiones, innumera schismata, Sacerdotum & Monachorum, prodiere, quorum professioni eatenus cum Christo, quatenus cum doctrina Euangelica conuenit. Obiter perstrinximus argumenta quędam sententiæ Lutheri, cur is & Philosophiam, & Philosophorũ fecem theologiam scholasticam damnet, atq; ex ijs puto non obscurè intelligi, quod toties, tantoq; animi æstu dicimus, Philosophię ac scholasticis literis deberi quicquid est in Republica Christiana, publicorum ac priuatorum malorum. Latius enim uagatur huius pestis contagio, quàm ut eam quisquam cogitatione animi consequi, nedum oratione complecti, queat. Prostituit inquam, prostituit Ecclesiam Philosophia, ut cum infandis etiam Sodomæ libidinibus certemus. Et inuexit in Ecclesiam idola sua philosophia, ut Samariæ simulacra etiam superauerit impietas nostra. Et hanc mordicus tenent, ac tuentur, qui se Ecclesiæ patronos & Episcopos Theologi religiosẽ nuncupari uolunt, quam utinam ita sit in manu nobis exterminare è Christianis rebus, ut & hæc oratio & hæ lacrymæ deuouent & execrantur. Quorsum enim Principes præpostera illa diligentia? Quorsum uesana curiositas, qua nequid ignorare uiderentur isti, omnium mysteriorum cœlestium exactas rationes uestigare conati sunt? Adorari & credi uolũt sublimia de trinitate, de prouidentia, de incarnatione uerbi mysteria, rationibus humanis penetrari non uolunt. Atq; utinam saltem Aristotelẽ suũ audissent, hac parte, ubi tam pueriliter desipuere, ait enim ille, τὸ ἀκριβὲς οὐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον. Quorsum uerò hęc stultitia, malle ad naturæ leges, quàm ad diuinas exigi, hominum mores? cùm falli iudicium naturæ possit, diuinæ legis non possit, An uerò non fefellit uspiam Philosophos ratio, quæ eis tot sectarum, tot dissensionum autor est. Quorsum hæc amentia, absolutam uirtutem, humanis conatibus potius, quàm diuini spiritus operæ tribuere, cùm & Philosophi quidam innasci uerius, quàm parari nostro sudore uirtutem docuerint? Hic uestram fidem, ue-

ſtram pietatem implorat Eccleſia, ut hactenus philoſophię, & humanarum traditionum captiuam, uel tandem ab hac tam miſera & bis Babylonica ſeruitute adſeratis. Id quod faſcibus ueſtris, & Deo, ueſtri regni ſeruatori debetis. Non dubito Principes quin aliquam tanti mali partem uideatis, ſed uereor ne qui minus uideant, quãm uellem ego, qui non aliud æquẽ optarim, atq; hanc cauſſam dignam, ut eſt, uideri omnium Prophetarum lamentis. Sed quid ego tãm multa? Ingenioſum pictorem Timanthem aiunt, cũm in tabula quadam Agamemnonis uultum, filiæ aris deſtinatæ miſerantis cædem, exprimere ſcitẽ non poſſet, uelaſſe. Quo exemplo nos etiam fortaſſe decebat ſilere potius, quàm tam grauis cauſę magnitudinem, ingenij culpa deterere, præſertim cũm apud eos res agatur, quorum prudentia tali monitore non habet opus. Sed huc me impia aduerſarij adegit oratio, illi ſi quid à nobis per imprudentiam fortaſſe peccatur imputabitis. Porrõ ut aliquando ad tuam Hirce orationem ueniam. Nam hoc loco quo philoſophiam uindicas, mirum eſt quàm eleganter rhetoriceris, ac primũm quidem uideri uis Lutherum alienum à philoſophicis uirtutibus, et eiuſmodi quodam animi impetu ferri, quem moderari philoſophicæ literæ nequeant. In quo ſi non erras, aut tu parcè philoſophatus uideris, qui tàm impotenter tàm crudeliter in Lutherum, & in hunc totum gregem noſtrum debaccharis, aut magiſtra philoſophia non aliud didiciſti, niſi fallere, quiritari, συκοφαντεῖν: nam has uirtutes præ ſe fert oratio tua, certiſſimus animi index. Et philoſophatum te non ſegniter crediderim, ſi philoſophiam docent ſyllabarij grammatici in proſodijs, quarum cum tu tot iam annos profeſſor ſis, nunc repente uelut è terra natus prodis philoſophus. Ecce autem nobis Thaletem iſtum, quàm doctè philoſophatur, quum ex Luthero Cynicum facit, cui ut reſpondeam Cynico ſyllogiſmo. Quæſo te Hirce Lutherum eſſe ais, quod es, an non? Iam quando nihil uis tibi cum illo commune eſſe, non ne bipes Lutherus eſt? ergo tripedem aut quadrupedẽ eſſe te conſequitur. Huc nobis Elenchos Ariſtotelicos, huc omnem farraginem ſophiſmatum Eccianorum producito, ni libet eſſe quadrupedi, ut ne quid poſthac abſurdius colligatur. Ignoſcite Principes ioco, qui è Cynico dolio profectus eſt. Sed ut redeam ad rem, Philoſophicas uirtutes deprecatur Luherus, ita ut ex animo malit Chriſtianas. Quod ſi pro ſtercore ducit diuus Paulus eas uirtutes, quas diuina lege præeunte ſibi Phariſæus pararat, quantò minus mirabitur Lutherus philoſophicum illud decorum & philoſophicos mores, quos, ſi Chriſtianus eſſes, aut Chriſtum noſſes, parcius certè laudares. Atq; hoc illud, hoc illud eſt Principes, quod antẽ dixi philoſophando Euangelium obſcuratum καὶ καταβραβευθῆναι τὸν περιούσιον χριστοῦ λαόν. Nec minus impium eſt quõd philoſophiam, fœdiſſimorum flagitiorum ſeminarium, expultricem uiciorum nuncupas. Neq; enim patiar in Chriſtiana cauſa premi me Ciceronis autoritate, quo te tueri fortaſſe poſſis, quõd eius uerba recenſueris. Et inſanas hoc genus ac ſcenicas philoſophiæ laudes utinam ignorarent qui Chriſtum profitentur. Permittit adimi ſibi philoſophiæ titulos Lutherus, modõ Chriſtianum eſſe ſinas. Imõ uerõ Chriſtianus non eſt, qui philoſophi ſibi titulos arrogat. Sed elegantius philoſophatur Hircus, ubi ex Luthero Arietem facit. Nam cũm toties ac tam uariẽ transformat Lutherum, palàm ſe declarat Anaxagora magiſtro uſum, quo didicit, è quouis quiduis fingere. Et ut donemus, qualicunq; omine, Luthero arietis nomen tribui, quem Hircum dabis qui huius uim frangat? Vaticinatur enim

enim Propheta de hirco quodam, qui arietem subigat. Eum tu hircum Christum esse uis? Sic enim ais, Vicit hircus, uicit Christus. At uide quàm prudenter interpreteris uaticinium, quum ex Danielis hirco Christum facis? Nam hirci imperium canit uates uix paucorum annorum futurum. Quis enim nescit, quàm breui tempore res Macedonis Alexandri, quem hircus ille designat, floruerint? At Christi imperium perpetuum est. Ergo impia est collatio tua Sycophanta. Iam quod hircum esse uis Romanum Pontificem, ut adsentiar tibi, Romanæ libidines atq; tyrannides faciunt, quę hircum illum orbi accommodè exprimunt. Sed & hic metuendum tibi omen erat, ne quod æternum uultis Pontificium, cum Macedonico illo regno, quod subitò unius principis ætate & constitutum est & cecidit, comparares. Tibi uerò mores tui hirci nomen fecere, quod in causa est, cur ita, quando arietem esse Lutherum uoluisti nuncuperis. Quo nomine fortasse uictoriæ omen accipis, sed nobis à te periculũ nõ est, Deinde ut uincas, habes omen, infelicis & nõ duraturæ uictorię, hoc est, ut uincas Lutherum, nondum Christum, pro quo hic dimicat, uicisti. Caussaris autem à Luthero philosophiam incessi, eamq; Augustini testimonio adseris, odioseq; multa de Mathematicis disciplinis congeris, quasi uerò non aliud philosophiæ complectatur nomen, nisi quæ uulgò mathemata uocant, aut ex mathematis æstimari tota possit, quæ uetustas quidem inter πρῶτα & elementa philosophiæ recensuit, cæterùm in fastigio collocans ea artium genera, quæ ad formandos mores, ad constituendam πολιτείαν, ad cœlestium cognitionem accommoda uidebantur. Atqui audistis Principes quatenus Lutherus probet philosophiam. Nam quæ naturas animantium, plantarum, gemmarum explicant, ijs ipse quoq; in tractandis scripturis libenter utitur, Tantùm abest, ut damnet. Mathematica rudimentis puerilibus permittit. Damnat autem, & Christiano quidem spiritu metaphysicas illas disputationes, & Ethicas philosophorum paræneses, quæ ut receptæ sunt à nostris, quæ non portenta Theologi, quos uocant, commenti sunt? Nolo hic cauillari quàm frigidè philosophiam uindices Hirce, Nam hoc uno exemplo satis declaras, quàm feliciter in philosophorum scholis uersatus sis. Etenim cùm dicẽdum tibi esset de uniuersa philosophia, tu uix quasdam eius minutias hic attingis, Mathematicorum, animantium, plantarum & gemmarum cognitionem necessariam esse, qualibuscunq; argumentis doces, Id quod & Luthero uidetur, Sed Ethicem illam tuam, adeoq; ταυτὴν τὴν τοῦ λόγου σοφίαν, qua tandem ratione adseris? nulla certè. Iam uero bellè uidemus te philosophari, qui tam scitè elenchorum Aristotelicorum artificio uteris, cùm partem caussæ, ita probas, ut uniuersam uidearis probare. Siccine putas nos hirce expertes tuæ philosophiæ, ut hæc à nobis deprehendi non posse confidas? Siccine audes abuti his iudicibus, ut speres hac techna sapientissimorum Principum animos capi posse. An ignoras quod apud Fabium est, eruditis stultos uideri, qui stultis eruditi uideri uolunt? nam de hoc senatu quid sentiebas, Hirce, quum præstigijs orationis tuæ eum elusurus esses? Quin tu memineris & apud quos & aduersum quos dicas. Res est tibi, si nescis, apud oculatum iudicem, non apud cœcutientes Midas, & cum aduersario, qui nec ingenio, nec eloquẽtia, nec eruditione tibi cessurus sit. Age Hirce, quibus argumentis, quibus sophismatis doces Ethicen, aut metaphysicen, aut physicen illam, ut ab Aristotele conscripta est, theologicis rebus commodare? Hic uerò suffragatores tuos consule, & imprimis macilentum illum

& claudum Latonium, heroum ultimum, qui pridem in feliciſſimo triumpho linguas duxit. Aut ſi libet Eroſtratum, nam Thomiſta eſt & ſecundam magiſtri ſui probè tenet. Quin ſi uis & pinguem illum Hirquitallum, nomen enim nunc non teneo, qui neſcio quam Thomæ partem uerboſiſſimo planeq; Thomiſtico commentario illuſtrauit. Hos iube, ut inueniant quod pro ijs philoſophiæ partibus quas accuſamus, ſolidè & theologicè dici poſſit. Num Principes obſcurum, quo conſilio aut qua ſpe in hoc iudicium uenerint, qui cauſam fallendo & tergiuerſando agunt? philoſophiam tueri ſe fingunt, cùm infimam philoſophiæ partem & frigidè quidem defendunt, interim ne uerbo quidem attingentes eam, de qua controuerſum faciunt. Sed hoc admonuiſſe ſatis eſto. Iam q̃ hic ceu parricidiũ inſectatur, quòd appellari ſe Danielem paſſus eſt, Lutherus, hic non debet culpam, ſi qua eſt, alienam præſtare. Quanquàm non uideo quid peccarit Epiſtolæ autor, quum particula, ueluti, adiecta comparationem temperauit. Et quid uetat Babylonico exilio, Eccleſiæ Chriſtianæ captiuitatem conferre, adeoq; Danieli, ſi quem cœlo uindicem mittat ſpiritus Domini. Quando in confeſſo eſt planè Eccleſiæ ſeruitutem, Babylonica illa ſignificatam à Prophetis, qua de re poſthac agemus. Iam quòd ambitioni uertis quòd illam Epiſtolæ chartam tolli non iuſſit, quis neſcit, quàm hoc non ſit in Lutheri manibus. O ſapientem uirum, qui hinc Lutheri animum æſtimas. Quis enim non uidet, modeſtius diſſimulari alienas laudes poſſe, quàm redargui. An uerò diſcerpere debuit Hieronymus tot laudatorum ſuorum Epiſtolas? aut eruere debuit oculos Antonio heremitæ Didymus ille Alexandrinus, quum ab eo tantopere in os laudaretur. Videte Principes, quàm friuolas undecunq; conſuant iſti calumnias, ne malam cauſam non malè uideantur agere. Porrò autem cùm licere uobis uelitis, alios angelicos, alios ſeraphicos, alios, quòd uix tolerabile eſt irrefragabiles, uocare. Liceat iſti quiſquis fuit autor Epiſtolæ, Danielis nomine non peſſimè abuti. Vtinam mihi liceat de Luthero magnificè aliquid & ut ſentio, quod ordini tuo Hirce, egregiè doleat, dicere. Spiritus eſt enim Domini, quem laudamus, non Lutherus, nec ille modò, qui Danielem, ſed qui & Heliam excitauit aduerſus ſacerdotes Baal, perinde atq; hunc uidemus aduerſus pſeudotheologos inflammatum. Sed ad cauſam redeo, Philoſophos inquis reſpuit Lutherus, ne ſi hos admittat, errores ſui deprehendantur. Bellè uerò cum Chriſtiana Eccleſia agetur, ſi hæreſes, Nam & hæreticum Lutherum eſſe uultis, philoſophorum dogmatis reuellendæ ac redarguendæ ſunt. Si unus Ariſtoteles erroribus Eccleſiæ refutandis ſatis eſt, quin tollitis è medio diuinas literas, quin pro Chriſto Ariſtotelem adoramus, Quin huic ſtatuas & aras, Gentium ritu ponimus, ac dicamus? Ni puderet in tantis ineptijs diutius commorari, pluribus reſponderem. Sed ex ijs quæ de philoſophia, deq; Theologia ſcholaſtica hactenus dicta ſunt, non dubito aliqua ex parte cognoſci poſſe, qua fronte, quàm impudenter iſte tantùm tribuat ſcholaſticis, ut uocant, literis. Negas tot ſecula errare patres potuiſſe. At cùm palàm doceant diuinæ literę erratum eſſe, quid ſeculorum conſpirationem cauſſaris? niſi doceas ἀναμαρτήτους fuiſſe doctorculos illos, non perſuadebis, quod uulgò dici à uobis ſolet, Eccleſiam non poſſe errare. Quid enim manifeſtius eſt, quàm homines errare poſſe. De Eccleſia uerò paulo pòſt in rebus Pontificijs dicetur. Thomam inquis Chriſti ac Pauli calculis probatum, hic uerò locus arguit aut hanc cauſam non defendi à te ſeriò, adeoq; ipſum obliquè rideri Aquinatem,

tem, cuius autoritatem mendacio tãm impudenti adseris. Nam ut de Christo taceam, quis ignorat quãm multis locis à Paulo discrepet enarratio Thomæ, imõ quoties in re Grammatica in illius commentarijs peccatum est? quum autoris sermonem non adsequitur, aut planè cœcum esse te, qui speres tam absurdo commento iudicum animos fallere. Quin tu huic senatui producebas & illam malè Grammaticam planeq; Romanensem de Thomæ autoritate, Innocentij Papæ sententiam, quam illius ubiq; libris inscribunt Thomistæ, sed quæ nondum ne Scotistis quidem benè credulis hominibus persuasit, abiurato magistro suo ad Thomam descisscere. Flagitium censes Thomam contemni, parricidium uerò Augustinianos à Luthero, cũm ex Augustini factione sit & ipse, reijci. Aegidium, item Argentinensem Thomam, & nescio quos alios, carni, inquis, propriè parcendum erat. Nę tu planè ex Aristotele sapis, qui carnem propriam anteferri iubes ueritati Euangelicæ. Nescis à Christo dictũ, Qui diligit patrem aut matrem plus me, non est me dignus. Sed Aristotelicum Aristotelicæ sententię monebimus, nec enim sapit Christus palato Aristotelicis argutijs infecto. Audin tu ergo, quod est à sophista tuo in rapsodijs Ethicis dictum, δόξαι δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι, καὶ δι' ἐπιστροφὴν τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν ἄλλως τε φιλοσόφους ὄντας. Quantò minus parcat suis in re Christiana Lutherus, cui tot Sacramentis, tot initijs addicti sumus. Non ignoro scholicis istis morem esse, uel contra animi sententiam tueri magistri dogma contra diuersam factionem. Sed ut Paulus ait, Christiani talem consuetudinem non habemus. Apage sis in ueritatis disputatione humanos affectus & factionum studia. Omnes enim in Christo unum sumus. Iam quòd rhetoricaris falli posse Lutherum. Meminit humanæ conditionis Lutherus, et errare se posse fatetur, sed fallere non possunt diuinæ literæ, ad quas istorum commentarios exigit. Iam uerò satis liquet, & hos ipsos tibi doctorculos ignotos esse, cũm alienis eos præconijs celebras. Nam quos singulis titulos tribuisti, è Ioanne Pico suffuratus es, iuuene felicis ore, si ingenium, id quod futurum fuisse multa arguunt, ni mors anteuortisset, ad sacras, quãm ad philosophicas literas, conferre maluisset. Non agam autem quãm ineptis laudibus singulos uehas. Solidam eruditionem Thomæ tribuis, cũm nullius dogmata sæpius inter se pugnent. Subtilitatem Scoto, adeò non explicanti sua, ut & à tenebris nomen meruerit: nullius enim confusior quãm huius doctrina est. Aegidio autem exactam disputandi rationem adeò non tribuo, ut nihil hoc pinguius credam fingi posse. Francisco ingenium fuisse satis constat, iudicium defuisse declarant disputationes de Scoticis formalitatibus, quas pertinacius, quãm par erat, uindicat. Et dispeream, si tu huius unquam uel chartam uidisti autoris, adeò à Thomistarum tuorum scholis alieni. De Alberto, tam barbaro tam imperito rerum sacrarum, quid potest commodius dici de eo, quod uulgò solet: In toto non est corpore mica salis: atque horum quidem comparatione, Lutheri autoritatem censes eleuari, quos luce meridiana clarius est, bis sedecim pedibus ab hoc uinci, si de ingenij acrimonia, de eloquentia, de humanioribus & Cyclicis disciplinis contendatur. Nunc cùm sacrarum literarum agatur causa, non hominum autoritate, non autorum numero, sed diuinæ scripturę sententijs certandum est. Damnantur istorum scholæ, non quòd parum ingeniosæ sint, quòd orationis ornamentis careant, quòd obscuræ & impeditæ, sed quòd impiæ sint. Damnantur autem non à Luthero, sed ab ipsis diuinæ scripturæ sententijs, quas liberum est cuiuis cum illorum

dogmatis

dogmatis conferre. Spiritui ſancto iraſcere, non Luthero, ſi quid hic offende-
ris. Quantō enim ō ſuperi mallet Lutherus nihil ā uobis peccatum eſſe, quibus
cūm ipſemet aliquantiſper inſaniſſt, quum palæſtram diſceptationum ueſtra-
rum meditatus eſt. Sed quām Tragicè exagitas quod ā noſtro dictum eſt, Cau-
ſam erroris dediſſe Ariſtotelis philoſophiam. Id uerō declarauimus paulō an-
tè, Theologiam adulteratam eſſe, poſtquam admixta eſt philoſophia. Neq;
enim ex re chriſtiana fuit ſublimia illa myſteria diuinitatis ad rationis metho-
dos uocare, quæ labi, errare, falli, circumſcribi, capi, uerti, reuertiq; tam multi-
fariam ſolet, ut nihil incertius ſit, quām quas putant certiſſimas, demonſtratio-
nes illæ metaphyſicę, quibus ex caducis & fluxis rebus æterna colligunt. Quid
quod in legibus, in peccati, in iuſtificationis formulis toties, ut diximus, erra-
tum eſt, quia rationem libuit potius, quām præſcriptum Euangelium ſectari.
Sed reuincendi ſunt, inquis, ratione hęretici, ac gentiles philoſophi, quaſi uerō
diuino ſermone humana ſomnia efficaciora ſint. At uerō quos tandem cōfuta-
ſtis philoſophos, aut hæreticos? Nam hoc palām eſt, quōd ex Chriſtianis hæ-
reticos ac philoſophos, iſto doctrinæ genere feciſtis. Sed ut cauſæ ſuæ fidem
faciat, perſonatos ſcholicorum ſuorum manes in forum producit, qui ſe ipſi tu-
eantur. Ancillari, inquiunt, coëgimus Theologiæ philoſophiam. Imō uerō,
philoſophiæ Theologiam, cūm philoſophando obliteraueritis Euangelium.
Humanum, inquiunt, intellectum captiuum facere conati ſumus in obſequium
Chriſti. Quid audio? mentem Chriſtus occupauit, quæ non probat, niſi quod
adſequitur humana ratio? Iam ita quæſiſtis in pleriſq; rationem, ut cedere
oportuerit philoſophiæ Chriſtum, id quod ſuprā declarauimus. Scilicet obno-
xiam feciſtis rationem Euangelio, delire Thoma, & tu ſomniator Scote, cūm
docuiſtis, citra diuini ſpiritus auxilium, poſſe ſingula letalia peccata uitari.
Agnoſcis Thoma placitum tuum? Sic enim ais, Antequam ratio, in qua eſt
peccatum mortale, reparetur per gratiam iuſtificantem, poteſt ſingula peccata
mortalia uitare. Hoccine eſt in Chriſti obſequium uincire intellectum huma-
num? Diuerſa enim docuit ille, ut apud Ioannem ſcriptum eſt, cūm ait, Sine
me nihil poteſtis facere. Quæ eſt igitur inſania docere, quōd citra Chriſti
ſpiritum uitari peccatum poſſit? Tu uerō Occhame, deliciæ quondam noſtrę,
quid ſentiebas quum diſputares. Gratia opus eſſe ad iuſtificationem, neq; ra-
tionem, neq; ſcripturam, neq; experientiam teſtari. Agnoſcis opinor dogma
tuum. Num Principes difficile eſt iudicare utram utri captiuam fecerint, qui
in his locis uel primarijs Euangelij ā Chriſto ad Philoſophiam defecere. Quo-
modo autem patrum Eccleſiaſticorum rationem habuiſſe uideri poteſtis, qui
adeō nouum & diſſimile illorum Theologiæ genus reperiſtis? Quid enim
illis cum Ariſtotele commune unquam fuit? Sed quis non rideat, quōd alitam
pacem ſcholaſticis literis fingitis, in qua tot ſectæ, quot ſcriptores ſunt. An ue-
rō pacis literę ullę eſſe poſſunt, pręter Euangelicas quas illæ prodidit, qui unus
pacem orbi μνκμόσωορ ſui donauit. An non uidemus in Academijs publicorum
ſtudiorum uel ſolos omnium diſſenſionum ac tumultuum autores eſſe Theo-
logaſtros? Nam ubi Euangelium non eſt, eſſe Chriſtus non poteſt? ubi Chri-
ſtus non eſt, ibi quid niſi errorem, ambitionem, & quicquid eſt uiciorum repe-
rias? neq; uerō pax cenſenda eſt, quōd annos iam quadringentos nullę uiden-
tur hæreſes fuiſſe, nulla dogmatum bella in Eccleſia. Nam & hæreſes ipſi com-
muni in ſcholis decreto profeſſi eſtis, niſi hæreſes uocare non licet, quæ contra

Theologaſtri autores diſſenſionum in Academijs.

Euange-

Euangelium prodita sunt,& cũm pro Euangelio reluctari Pontificum,& Prin cipum tyrannidi debuissetis,contra Euangelium ã tyrannide stetistis. Ibi cũm liberẽ degrassari in pietatem tyrannis licuerit, quicunq; tandem fuere, quo rum scelere, factum est, ut prisca Ecclesiæ statuta legesq; paulatim extinctæ sint. Vos socordiam uestram,pacis studium interpretamini. An nescitis non pacem in terras, sed gladium missum esse? Sed de hoc pacis genere paulò pòst plura dicemus,quandoquidem & nullo discrimine pacem temerè iactari ã uo bis intelligo, & malè audire Lutheri doctrinam quod mutari uelit, quæ citra tumultum fortassẽ conuelli nequeant. Rursum inquiunt,testis doctrinę nostrę multitudo est.Huius si tu suffragium caussareris, Hirce,quis non rideret? nunc cùm hæc ab ipsis autoribus dicuntur,Cogitate Principes quantũ cordis,quan tũ iudicij sit ijs, qui in re sacra multitudinis testimoniũ ualere uolũt,uel uetusta sententia Græci cuiusdam docet, quãm sit nulla huius testimonij fides,qui ait, πλείονας κακοὺς εἶναι. Mentis ne sanæ putemus esse, qui uestro exemplo sic argu mentetur, Plures esse impios & ignorantes Christi, quàm Christianos, dam nandum igitur Christianismum esse. Vtinam Principes,tam stultè omnia ab istis doceri credatis, quàm hæc dici uidetis. Sed & de multitudinis suffragio postea. Testis,inquiunt Romanorum Pontificum autoritas. O Attico fide liorem testem,quomodo enim dissentiret ab ijs,quos tyrannidos suæ uindices tam strenuos habebat.Sed quæso te Occhame de pontificum autoritate in dia logis tuis quid sentis? Aut quomodo scholasticæ doctrinæ patronum nunc Romanum Pontificem imploras, in quem tam atroci scripto quondam Baua ro tuo Imperatore, debacchatus es. Iam quod Christi testimonium allegant, doleo nomen eius impiæ doctrinæ prætexi qui suam uocem à suis, non Ari stotelis somnia agnosci uoluit. Sed quod Christi testimonium est? Laborum, inquiunt,præmia in terris,multiplices honorum titulos, largitus est. Vel hinc est olfacere Principes,quàm nihil sapiant Christiani,qui in Euangelij disputa tione honores,gloriolam, opes caussantur, quæ quãm non pertineant ad uerè Christianam mentem, intelligunt, qui crucem à Christo pijs propositam sci unt. Heus Paule, doctrinam tuam è Christo non fuisse, horum Theologastro rum iudicio, arguent tot plagæ, tot ignominiæ, deniq; mors illa infamis, qua Christum proximè pijs expressisse hactenus uisus es. Non fuisti inquam Pau le Magister noster,& quod abominabilius est,sordida manuum opera uictum tibi quæsisti,In tali cùm Christum theologi isti non agnoscant, qui sciemus un de profectum sit Euangelium tuum? Si Christianos faciunt Theologastri, purpura,mitra, tituli uestri, & illa insana stipendia, quibus saginamini, nihil Christianius reperiemus Sybaritis illis, ac Milesijs hominibus, ut ferunt, pro digiosæ luxuriæ. Et quia ab opibus, ac delicijs uestris æstimari doctrinam uultis, quæso Paulum audite huius iudicij uestri βάσανον, cùm scribit multi am bulant, quos sæpè dicebam uobis, Nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi,quorum finis interitus, QVORVM DEVS VENTER EST, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt. Paulus dolet esse qui rem uentris agant. Vos autem de uoluptatibus uestris Christiani, si Dijs placet,uideri uultis. Num obscurum est, alium Christum, alium Christianis mum doceri,ab istis benè pinguibus magistris,quàm docuit ille quondam Eu angelus noster Paulus.Sed ut gestiebat,ut exultabat Hircus, cùm illorum ora tioni adplaudens, suum adijceret uelut ἐπιφώνημα, Insurgat, inquiens, Martinus

contrà,

contrà,plus ne iſte ſolus, quàm decem millia poterit? Audi Hirce, unius Chriſti potior eſt, quàm decem myriadum calculus. Non enim quod plurimis, ſed quod optimis,adeoq; quod Chriſto placuit, in hac cauſa ualeat. Plus, inquis, uni contentioſo,quàm tot pacificis credetis? Quid ni Principes? plus uni Luthero, quàm tot mutis canibus? quam enim Hircus pacem uocat, eam auerſatur is qui dixit. Non ueni pacem mittere,ſed gladium.Plus,inquis,impudenti,quàm uerecundis?Etiam per gratias.Nam uerecundos tu uocas,quos Euangelij puduit. Noluit hoc nos modo uerecundos eſſe Chriſtus, cùm ait, Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cùm uenerit in maieſtate ſua, & patris & ſanctorum angelorum. An plus etiam, inquis,ſuperbo quàm manſuetis? maximè. Nam Euangelio piè ſuperbit Lutherus,& quomodo ſuperbiebat Paulus,cùm Cephan, minimè ignobilẽ Apoſtolum palàm inceſſeret. Iam quos tu manſuetos, Paulus inflatos ac ſuperbos uocat, in Epiſtola ad Timotheum priore, nempe eos qui non acquieſcunt ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Rurſum, plus ne, inquis, præcipiti, quàm ſolidiſſimis? At hic non uideo, cur præcipitem magis Lutherum uoces, quàm ſcholaſticos tuos, qui primum literarum diuinarum, deinde & ſpiritualium adfectuum rudes de diuinis rebus commentari auſi ſunt. Et hi tibi ſolidiſſimi uidentur, cùm prorſum ab aranearum telis, hoc eſt, humanis argutijs pendeant. Quod ſi olfacere poſſes Hirce, quàm frigidè, quàm aniliter, quàm ſtultè de maximis rebus garriant, haud dubiè neophyti tibi uiderentur, quos nunc ſolidiſſimos cenſes.Eſt ingenio minimè ſtupido Lutherus,& ſpiritu neutiquam ignauo,hic cur tibi præcipitantior uideatur non uideo, niſi quòd eum à ſocordia tua uis æſtimari,quod quàm iniquum ſit,quis neſcit? Plus uerò etiam ſtulto inquis,quàm ſapientiſſimis? omnino.Nam quantò tutius eſt credere ſtulticiæ ſpiritus, quàm carnali ſapientiæ. Si qua enim fuit omnino in iſto genere prudentia certè carnalis fuit, & ab omni guſtu ſpiritus aliena, id quod palàm teſtantur libri. An ignoras ſtulta mundi elegiſſe Deum,ut ſapientiam confundat.Sed cur ſtultus uidetur Lutherus? quia ſermonem crucis prædicat. Is uerò quibus nam ſtulticia eſt? non ne pereuntibus? En Hirce, ut omineris tibi, cùm hunc arguis ſtulticiæ. Sed ò ſalutarem ſtulticiam multis Gentibus, uobis etiam qui de ſapientia gloriamini,pertimeſcendam.Sanctiſſimis autem potius credatur,quàm prophano. Imò prophano potius,quàm angelis cœleſtibus, Si Euangelium aliud docuerint, quàm quod diuinis literis proditum eſt.Iam cùm uniuerſum iniquum ſit & ſtultum, ab hominum autoritate, genus doctrinæ æſtimare,ſanctitatis titulos fruſtra mihi memoras,quos,ipſi uos Scotiſtæ ac Thomiſtæ ridetis, quoties hoc iſti argumento, Thomæ ſui dogmata uindicant.Næ tu autem egregiè ſapis,qui de doctorculorum tuorum ſanctitate tam audacter pronuncias, in quibus adeò nihil Chriſti doctrina arguit. At Chriſti ſpiritum Lutheri doctrina refert. Eſt in tuis genus ſapiendi animale, quod cùm à prophana mente proficiſcatur,non patiar autores diuinos uocari. Sed quid hæc tecum Hirce? qui à ſpiritualium rerum ſenſu tam alienus es. Quin pergimus ad reliqua.Credi uis plus columbis,quàm ſerpenti Huſſitico. Imò Hirce plus Luthero, quàm tui generis hypocriticis columbis credi iubeo. Serpenti inquis? Rectè, Nam ſerpentum prudentiam uoluit Apoſtolos imitari Chriſtus, quo exemplo libenter patiar hunc à te ſerpentem uocari, cuius uos prudentia hactenus tam miſerè cruciat, cùm nihil non cautè,nihil non ſa-

pienter

pienter facit ac dicit, atqꝫ ita dimicat nobiſcum, ut obiecto ſuo corpore, id quod ſerpens ſolet, capitis, hoc eſt, Chriſtianę doctrinæ gloriam adſerat. Quod uerò & Huſſiticum, addis, inuidioſè quidem, ſed citra contumeliam. Quantò rectius enim de pietate ſenſit uir ille, quàm uniuerſa ſcholaſticorum factio? In ſumma parum religioſum putas Hircę, à tam grauibus autoribus diſſentire. Ergo & extingui uis ſpiritus, contra Apoſtoli oraculum, ſi nihil cenſes docendum, quàm quod ab illis poſteritas accepit. Cur illis ipſis non præcipiebas, ne quid præterea, quæ ab Apoſtolis à ſacroſanctis patribus acceperant, conſcriberent? At iniquum erat alienæ induſtriæ modum præſcribere. Cur igitur in Luthero uis æquum eſſe, quod in alijs iniquum uidebatur? Malebam, inquis, Lutherus Pythagoreum egiſſet. Egiſſet ille quidem, ſi ſcholici iſti, aut nihil aut ſaniora docuiſſent. & ijs quidem, quantò utilius fuerat Pythagoricam ἐχεμυθίαν imperatam, hominibus adeo ineptè, adeo frigidè, adeo impiè garrulis, Porrò, non uult Apoſtolus extingui ſpiritus, ſed probari, Idem nunc ego, ſi nulla alia re, certè Paulinæ uocis oraculo à uobis impetrari poſſe confido, ut iſtorum doctorculorum & Lutheri ſpiritus diſcernatis, iudicetisqꝫ non iuxta autorum nomina titulos ue, ſed iuxta Chriſtianas literas. Nihil obſit Luthero, quòd tantæ multitudini ſolus aduerſatur, nihil quod contentioſum, quod impudentem, quod ſuperbum, quod ſtultum, quod ſerpentem, & quid non? iſti appellant, nempe, non tam Lutheri, quàm ipſius euangelicæ ueritatis inimici. Vincat ſi ex Deo eius ſpiritus eſt, ſi cum Chriſti literis conſentiunt eius dogmata, quem unum profitetur, ut cum Ariſtotele, cum Thomaſtris, cum inſanis põtificum conſtitutionibus conueniant, non laborat. Iudicabitis autem eò fortius, quòd non Lutheri priuatim, ſed ueſtra, ſed Chriſtiani populi res agatur, ſi qua publicę ſalutis uos, ut debet & principes & Chriſtianos, cura tangit. Hactenus contra ſcholaſticam doctrinam, & philoſophiam ſatis multa dixi, quædam obiter attingens conuicia, quibus Lutherum proſcidit mendaciſſimus omnium mortalium, Hircus. Cætera quia & leuiora, & ad cauſſam non ita multum facere uidebantur, ut auribus ueſtris parceremus conſultò præteriuimus, maximè cùm ita uiuat Lutherus, ut eum pœnitere ſui nondum debeat.

DE CAVSSA PONTIFICIA.

NVnc uenio ad eam actionis partem, de qua certiſſimam uictoriam ſibi promittunt inimici, nempe ad cauſam pontificiam, ubi cognoſcetis principes, haud paulò certius, quàm magnæ, quàm pię rationes impulerint Lutherum ad ſuſcipiendum hoc Chriſtianum bellum, ut uobis, ut orbi terrarum pontifices impoſuerint, ut ſuis traditionibus ac legibus, ſua tyrannide Chriſtianiſmum extinxerint, breuiter cognoſcetis, quod ſit illud abominabile Antichriſti regnum, de quo tam multa ſacri uates, & ipſe Chriſtus uaticinati ſunt. Quæſo autem in cauſa pia, adeoqꝫ ueſtra, ea me facilitate audiatis, quam hactenus expertus ſum. Ac primùm quidem peccari à Luthero cenſet Hircus, quòd contra fas, contra leges ſedem pontificiam, penes quam, iuxta Chriſti ſententiam, uult rerum Chriſtianarum ſummam eſſe, imperat. Sed quatenus liceat magiſtratum à ſubdito corripi, poſtea exponam, ubi docuero qualis hic ſit magiſtratus, quale regnum, quod ſic pertimeſcit tot ſecula infelix Europa. Nam Luthero interim arbitror licere Euangelium uel reclamantibus non modò iſtis ficticijs pontificibus, ſed etiam dæmonibus, prædicare. Doce-

bimus autem id quod in hac re potissimum est, primo loco. Non esse debere penes Rom. Pontificem rerum Christianarum summam: deinde obiter capita malorum recensebimus, quæ huius tyrannidi debemus, ex quibus colligere poteritis, quàm nihil Christi referant, qui se illius uicarios religiosè nominari præcipiunt. Et quia de diuino iure disputatio est, mitto hominum sententias aut commenta, mitto uulgi opinionem de consuetudine. Neq; enim de eo contenditur quod fit, sed quod fieri debebat. Iuris controuersia est, non humanarum uel opinionum uel consuetudinum. Quanquam si quis ex ueteribus optimorum ac sapientissimorum sententias, & res gestas diligenter consideret, nihil alienius intelliget fuisse quondam à rebus Christianis, hoc papistico regno, uel ut ipsi uocant, Romano primatu. Sed quid est hominũ opinionibus in uniuersum & inconstantius, & uanius? Quare operæprecium facturus mihi uideor, & pro Christiano officio, si ex illis ipsis literis causæ meæ argumenta petam, ad quas exigi omnia, quæ in res humanas incidunt, diuinus spiritus uoluit. Porrò priusquam sententiæ nostræ rationem reddamus, eos scripturæ locos explicabimus, quibus Hircus Petro primas uindicat.

Ac primum quidem Christi uerba expendemus, postea commentariorum sententias excussuri. Quanquam quid attinet dicere de commentarijs, si ipsam Euangelij historiam fauere sententiæ nostræ constiterit? Quid autem minus est accommodum ad probandum Petri primatum, quàm id quod est apud Matthæum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tam licenter enim, tam impiè hoc loco sunt abusi pontifices, ut uel hoc unum indignos arguat Christianorum episcoporum nomine, quorum inprimis erat scripturæ sensum & optima fide, & proprijssimè reddere. At hi quid egerunt hic aliud, nisi ut nę intelligendo nihil intelligeretur? Et tu mihi Cardinalem Turrecrematensem allegas, hominem cum ipso Cardinalis nomine suspectum, tum egregiè indoctum. Quin Aluaros etiam, & Caietanos allegabas, qui quid non tribuunt Romano Antichristo? Et hos calumniatores diuinæ scripturæ fertis principes? quorum leges calumniari capitale est, ubi res tantum aut corpus periclitatur, hic quantò conueniebat uos seuerius agere, ubi in discrimen animæ adducuntur? Cui enim non imposuit, per diuinæ sententiæ impiam expositionem, nedum insulsam, Roma? At quàm multos, quàm egregios Euangelij locos ad tyrannidem suam pari audacia & stultitia detorsit. Sed quid moror, detrahamus aliquando τὼν λεντοτὼν Cumano isti asino, imò Romano lupo, qua se iam annos circiter quadringentos impudenter uendităt orbi terrarum. Et priusquam ego de his scripturæ locis differam, exhibeo uobis Lutheri librum planè Christianum aduersus Petri primatum, in quo copiosissimè tractauit, quæ de hæc causa omnino dici poterant. Ab eo commentario requiretis, si quid in hac oratione desideraueritis. Volebat hoc scripturæ loco summam Euangelij & compendiariam uiam humanæ salutis indicare Christus, uolebat explicare illud patribus promissum, & Prophetarum oraculis significatum Euangelium: breuiter, uolebat nouum condere, abrogato ueteri, testamentum. Hactenus mortalitas legem didicerat, & legis iusticiam & legis præmia. Hic Christus Euangelij iusticiam, & illius comitem uitam perpetuam reuelabat. Nam cùm Euangelium sit illa salutaris denunciatio, qua promittitur gratia, uita, salusque ijs qui fide cohærent cum Christo: Euangelica uerò iusticia, non aliud nisi fiducia in Christum: Videte

sanctissimum

ſanctiſſimum myſterium, idq; abſconditum tot ſeculis, ut aperiat, ut explicet. Et quia de myſterio abſcondito diſputamus, adferte principes ſpiritus aures, quibus ſpiritus diuini ſermonem audiatis. Nam Papiſtis iſtis Chriſti ignorantibus, non ſunt niſi carnis aures, qui audientes audiunt, & non intelligunt, ut Prophetæ uerbis utar. Quid enim Papæ cum Euangelio? Quid Beliali cum Chriſto? Quid tenebris cum luce?

Et principio duo hominum genera eſſe indicat hic ſcripturæ locus, Alterum eorum, qui ut ex carne nati ſunt, ita ſunt caro, quorum & incertæ & uariæ ſunt de Chriſto opiniones, adeoq; carnales, cũm alij eum Ioannem Baptiſtam eſſe, alij Heliam, alij alium quempiam ex Prophetis arbitrentur. Alterum eorum, qui Chriſtum agnoſcunt, fatenturq; filium Dei uiui eſſe. Hi uerõ ſunt noui teſtamenti populus, à quibus non aliud requiritur, niſi Chriſti cognitio, ſeu fides. Porrõ, fidem eſſe ſummam iuſticiæ noſtræ: Liceat enim mihi uti in hac cauſa Chriſtiana Chriſtianis uerbis, Chriſtus teſtatur cùm reſpondet. Beatus es Simon. Beatum enim pronunciat eum qui Chriſtum agnoſcit. Nondum auditis principes, Beatus es Papa Romane uaſtator orbis terrarum. Sed beatus eſt Simon, uerùm cur? quia Chriſtum agnoſcis. Sed ſolum Simonem inquies, beatum pronunciat Chriſtus, quæ circumſtantia docet eum cæteris præferri? Nequaquam, Nam quod hunc ſingulariter beatum pronunciat, cùm antè omnes interrogaſſet, quid de ſe ſentirent, mihi uidetur à ſingulis Chriſtianis apertam ac peculiarem confeſſionem exigere. Ideo eum qui iam reſponderat beatum dicit, idem dicturus quicunq; faterentur, quod Petrus confeſſus erat.

Habetis principes qui ſit populus noui Teſtamenti, nempe qui Chriſtum agnoſcit. Habetis quæ ſit Euangelica iuſticia, nempe fiducia in Chriſtum. id quod in illa egregia ad Romanos Epiſtola Paulus agit, cùm inquit: Corde creditur ad iuſticiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem. Nunc uidete unde hæc noui teſtamenti familia nata ſit. Nam cùm ait, Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt, oſtendit è ſpiritu non è carne natam eſſe, ſiquidem quos delegit Deus eos regenerat per ſpiritum ſuum, & Chriſto per fidem inſerit, ceu ramum arbori. Iam quia confeſſus erat Chriſtum, Simon Petrus uocatur, hoc eſt, ſaxum. Quæ appellatio credentium communis eſt, quandoquidem & fides communis eſt. Quod addit autem, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, tam non poteſt pertinere ad Simonem, quàm abſurdum eſt Eccleſiam ſuper hominem extructam eſſe. Si Eccleſia, credentium numerus eſt, ut hic locus docet, adeoq; eorum quibus Chriſtum pater cœleſtis reuelauit, quæſo quid ineptius, quid ſtultius uel cogitari poteſt, quàm Eccleſiam, quæ credentium conſenſio eſt, incumbere in homuncionem Simonem, maximè cùm in poteſtate ſua fidem humanus captus non habeat, regenerenturq; à Deo, quotquot Chriſto accenſentur. Aut nega Eccleſiam gigni ſpiritu, aut nega carni Simonis incumbere. Verbo fidei Eccleſia ceu ſeminario concepta eſt. Idem uerbum fidei petra eſt, ac rupes cui incumbit. Fundamentum enim Chriſtum eſſe Paulus ſcribit ad Corinthios, Sed nihil hæc ualeant quantauis luce clariora argumenta, ſi non id quod ſequitur, fidem facit uel aduerſarijs, nihil in hac ſententia de primatu Petri dictum eſſe, quam nobis ceu μακροῖς ἄυλοις nunquam non intonant Papiſtici canones. Nam quod ait, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Quæſo te, quæ

illa petra est, quæ immobilis aduersum Satanæ impulsus constitit. Petrus ne? at hic postea statim lapsus est, ita ut, negarit etiam Christum, Papa ne? Sed quid stultius quàm negare, aliquid aduersus Papam licere Satanæ? Porrõ fundamentum fides est in Christum, quæ peccati & mortis uim sola superat. Id quod testatur Christus inquiens. Qui credit in filium habet uitam æternam. Sunt enim portæ inferorum, regnum peccati ac mortis. Quod si contendes ad Papam ista pertinere, dabis nobis, omnes qui in Papam, ut ita dicam, ædificati sunt, saluos fieri.

Ergo hæc de Ecclesia Christi, non Papæ, de populo noui testamenti, de Euangelij potentia intelligemus, polliceri Christum credentibus uitam, polliceri superaturos per fidem suos regnum diaboli, id est, peccati & mortis. Hæc principes germana est huius loci sententia, quam inimicorum etiam conscientia probet necesse est. Quid hic de primatu Romano, quid de tyrannide Pontificia? Nemo enim tam amens est, nemo aut tam impiẽ stolidus, aut tam stolidẽ impius, qui non intelligat ad Petrum detorqueri nulla ratione posse, quod dictum est, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam: alioqui cur non saluantur omnes, quos fulcit Petrus? Necesse est igitur de fide intelligamus, quæ cùm sola, ut isti loquuntur iustificet, sola à peccato & morte uindicat. Aut si Petrus à peccato & morte liberat, quin Christo longum ualere dicimus, & puppas Romanas adoramus. Atque hanc principes sententiam sic tueor, ut ei neque Origenis neq; Ambrosij, neque Hieronymi, neque Chrysostomi, neque cuiusuis ueterum diuersa scribentis opinionem præferri patiar. Nam cùm ipse per sese locus euangelicus satis clarus sit, cur me patiar friuola expositione humano glossemate, à manifesta Euangelij sententia auelli. Sic illi docebant, ut esset penes sedentes, ut Pauli uerbo utar, criticos iudicium. Idem ego penes uos de mea sententia esse uolo, Quam ubi scripturis, aut euidentibus argumentis intellexero confutatam, cedam per gratias, pro Christiano officio, quisquis monuerit. Sed in tam clara luce non uideo quomodo extorqueri mihi omnino hæc sententia queat. Hic Hirce expedi arma, & ingenium, ut hunc Euangelij locum doceas ad Romanum primatum pertinere. Etenim Chrysostomo, aut Ignatio, aut quibus uis autorum non credam, nisi quatenus permittit scriptura. Et tu cùm de diuino iure differeres, quid hominum sententias producebas, quas, nisi insanis, non ignoras nihil facere ad disputationem de iure diuino. Non arbitror de sententia, Tu es Petrus & super hanc petram &c. longiorem à me disputationem requiri, quandoquidem admonui nihil eo loco agi de primatu cuiusuis, sed de natura fidei, ex qua una pendet Ecclesia, quæ una est iusticiæ Christianæ & colophon & summa, atq; ad hanc pertinere, quod dictum est, aduersus eam non prævalituras inferorum portas, alioqui omnino non intelligo quorsum referre debeat, quod de portis inferorum dicit Christus. Nam satis constat, quõd à peccato ac morte neminem Papa uindicat. Qua de re si quis tamen desiderat copiosiorem disputationem legat ea, quæ contra Romanensem Bullam à Luthero de hac causa conscripta sunt. Porrõ nihilo prudentius aut religiosius allegant locum, qui est in ultimo Ioannis capite, ubi Christus ait Simoni, Pasce oues meas, qui quàm nihil ad rem faciat pontificiam, ut multa præteream, paucis docebimus. Nam cùm pascendi uerbo docendi prouinciam Christus signarit, impossibile est Petrum hic præfectum esse uniuersæ Ecclesiæ, cum

impossibile

impossibile sit, uniuersum orbem ab uno homuncione doceri, seu regi, ut interim donem regendi significationem uerbo pascendi comprehensam. Nam quod cauillari queant, Petri uicem defungi reliquos Episcopos, suffrigidum est, quando & citra Petri autoritatem tam multi ā Paulo eruditi prędicarunt, nisi quis ignorat Priscillam, Aquilam, Apollon, ut plerosque alios omittam. Satis arbitror liquere, quām inscitè detortus sit iste Ioannis locus ad Romanam tyrannidem. Nam hoc agebat Christus, qualem oporteat esse Episcopum, nempe amantem domini, non statuebat autem de primatu Petri. Iam cūm palām sit, euangelicas sententias, & ineptè & impiè ad pontificium regnum detortas, nolim Principes obesse mihi hominum hac de re opiniones. Miseram enim Rempublicam Christianam, si ex mutabilibus hominum dogmatis pendeamus. Cæcos nos, si diuinis oraculis humana somnia æquemus. Quid enim futurum sit in republica Christiana, imō quorsum Christianismus iam sit prolapsus cogitate, per stultam istam persuasionem probandi omnia, quæ uel per febrim somniarunt in scholis Sophistæ, uel per tyrannidem confinxerunt scelerati & insani pontifices? Absit autem ut illa sacra anchora doctrinæ euangelicæ eripiatur, ad quam unam in tanta humanarum opinionum tempestate confugere tutō licet. Absit ut nobis obscuretur illa cynosura, ne non sit certum aliquod signum, ad quod in tantis errorum undis inuoluti recto cursui restituamur. Non patiar igitur premi me quorumuis scriptorum uel opinionibus uel autoritate, quandoquidem Euangelicæ literæ in diuersum trahunt, Tantum abest, ut aut Chrysostomo, aut Cyrillo, aut alijs, quos citas, nouitijs scriptoribus cedam. Quid, quōd parum bona fide illorum testimonia citas. Sed quid miremur hominum scriptis abuti eum, qui diuinis literis tam fœdè abutitur. Nullo .n. negocio tum Chrysostomi, tum Cyrilli, tū Theophili, tum Augustinę sententiæ ad causam meam & aptius quidem detorqueri queant, quām ad tuam. Nec enim continuō primas in Ecclesiastica administratione tribuit Petro, qui eum uel os, uel caput Apostolorum nominat. Sed mihi non libet ingenioso esse in hominum scriptis uel defendendis uel excusandis. Alioqui, si quorumuis scripta recipienda sunt, cur non ubique uos sine delectu omnia Hieronymi, Augustini, item Græcorum recipitis? Cur Luthero negatur quod uobis in putidis scholis uestris, & illis Herculanis λούτροις donare nos oportet, ubi nemo ueterum est in quo non multa damnetis? Augustinus uobis excessiuè, ut uestro uerbo utar, locutus est, Hieronymus in plerisque est durior. Origenis omnia prudenter & cautè legenda sunt. Christus etiam aliās consulit, aliās præcipit. Consulit enim quoties non quadrat ad uestra dogmata Euangelium. Christus loquitur de meritorio, non de bono moraliter. Et in huncmodum quid non iuxtā impijs ac stultis glossis excusatis: unus Aristoteles nusquam peccauit, nusquam hallucinatus est, huius philosophia ad Thomæ dogmata per omnia quadrat. Atque hæc cùm à uobis autoritate publica in scholis fiant, in Luthero displicent. At quod hoc tandem flagitium est? homunculi placitum non recipere? Sed habet etiam Lutherus suæ sententiæ patronos, neutiquam uulgares, & ut omittam Clementem illum Alexandrinum historiæ Ecclesiasticæ scriptorem, qui Iacobo primas tribuit: Quid de Nicena Synodo respondebitis, quæ Pontifici Romano occidentalium ecclesiarum permisit curam, orientalium alias alijs adsignauit Episcopis? An potuit Synodus mutare, aut adime-

Contra primatum Papæ.

mere, quod per Christum traditum erat? Quod si uulgare illud, Pasce oues, ad unum Petrum pertinet, iam pronuncio hæreticam Synodum Nicenam, quæ iure suo Romanum Episcopum spoliat. Et ne quid cauillari possis Hirce, ecce hic principes ipsam uobis Græce scriptam constitutionem exhibeo. RECITA τὰ ἀρχαῖα &c. At non spoliat, inquis, sed uicarios surrogat? Sed quomodo uicarios in eum locum surrogat, ubi nunquam quidquam licuit Romanis Episcopis. Deinde non debebant occidentales commendari Romano, si totius orbis Ecclesijs à Christo præfectus est. Ergo aut Nicena Synodus contra Euangelium decreuit, aut Romano Episcopo non debentur primæ in Republica Christiana. Præterea eadem Synodus omnibus Ecclesijs Hierosolymitanam prætulit, quod citra iniuriam Romanæ certè fieri non potest, si illa princeps omnium est ac regina. Nam qui fieri potest, ut rectè Hierosolymitana præferatur humana constitutione, si penes Petri sedes Euangelicæ literæ uolunt primas esse. Ecce autem uobis ipsum Synodi Nicenæ decretum. RECITA ἐπειδὴ σωνήθεια κεκράτηκε. Quid enim æquius, quàm eam omnibus præferre, cuius liberalitati orbis terrarum Euangelium debet. Non fert arrogantiam Corinthiorum Paulus, quod non sit profectum ab ipsis in orbem terrarum Euangelium. Nos Romanam feremus? Hierosolymis istam ignobilem gentium Ecclesiam præferemus? Habetis sapientissimi principes duo sanctissimæ Synodi decreta, quorum uisum est uos admonere, non quòd his causam nostram satis confirmatam esse uelimus, aut censeamus, sed ne non hominum opinionibus humana quædam opponeremus, ne non clauo clauum pelleremus. Cæterùm ut nihil tribuo hominum aduersus nos sententijs, ita liberum facio inimicis de his quæ produximus hominum decretis sentire quidquid libuerit, quæ tamen quantò aptius citarim, quàm sua isti, uos iudicabitis. Et hactenus confutauimus, quæ de Petri primatu à te Hirce producta sunt, germana sententia duorum Euangelij locorum exposita docuimus, quàm nihil ad rem faciant, quę citas. Hominum hac de re opiniones reiecimus. Nunc supereſt ut nostra confirmemus ac muniamus Euangelicis testimonijs, quibus solis, ut par est, hanc causam tuebimur. Idē discipuli domini, quòd nunc quoque homines solent, requirebant, non modò prædicante adhuc Christo, sed cùm iam significasset in ultima ista cœna sibi ex hoc mundo migrandum esse, quis ordini Apostolico præficeretur, quem nam sibi surrogaret, hominum more, Ecclesiæ principem in hoc mundo Christus. Itaque ait Lucas, Facta est autem & contentio, inter eos, quis eorum uideretur esse maior. Quæso te si Petrum principem Ecclesiæ constituit loco, Tu es Petrus, quid hic contendebatur? ignorabant Apostoli Petrum præfectum esse tum, cùm ab omnibus exegisset confessionem fidei Christus, cùm Petrus palàm fassus esset quid de domino sentiret. An tum illi Christus clanculum in aurem obgannijt, quæ sequuntur, Tu es Petrus & super hanc petram, &c. Quod si hic de primatu dubitant, planè consequitur, superiore isto loco Petrum nondum præfectum fuisse. Sed ambitiosum, inquis, hoc certamen fuit? scilicet in tanto discrimine, soliciti de domini, de sua salute, disceptabant, de dignitate? Seria res agebatur, nempe, quem domino migranti surrogarent principem. Audi quid responderit Christus? Reges gentium dominantur, & qui potestatem habent εὐεργεταὶ uocantur. Docebat enim Christus nihil suo regno cum hominum imperijs commune esse, spiritus regnum esse, non mundi

quod

quod conderet. Proinde non requirerent ſucceſſorem, ſeipſum ſpiritu regnaturum, & in hoc è mundo ad patrem proficiſci, ut omnia impleret, omnia gubernaret ſpiritu ſuo. Stultè ſucceſſorem ſibi quæri, qui nunc maximè regnaturus ſit, ubi è mundo profectus fuerit. Vides Hirce, quàm nihil ſani dicãt, qui aliud caput, alium principem Eccleſiæ præter Chriſtum requirunt. Sed ille dicis in cœlo regnat, uices hic eius in terris nemo gerat? Nemo certè. Nã cùm ſpirituale Chriſti regnũ ſit, ipſe per ſe tam in terra, quàm in cœlo regnat. Quid igitur Apoſtoli, quid Epiſcopi? miniſtri, œconomi, doctores Eccleſiæ, tantò minores Eccleſia, quantò maior eſt is qui accumbit miniſtrante. Neminem hic audis, Hirce, à Chriſto præfici, & Eccleſiam miniſtris Epiſcopis præferri. Certè fundamentum, caput, primas Eccleſiæ non eſt, qui illa minor eſt. Quid clarius, quid certius dici pro nobis potuit, quàm quod hic iſta hominum uocabula, maior, minor, reiſcit, docens, regnum ſuum ſpirituale eſſe, quod ipſe geſturus ſit, Apoſtolos eſſe Eccleſiæ miniſtros. Vbi nunc ille inſanæ, impiæ, ſceleratæ, tyrannicæ, Romanæ, quid enim poſſum grauius dicere, conſtitutiones ac diſputationes, fœdiſſimorum Pontificum, quibus Papam maiorem eſſe Concilio ſtatuunt, & hoc genus multa. Non audis Hirce præſtare eum qui accumbit, non eum qui miniſtrat. Se uoluit Chriſtus regem agnoſceremus ac dominum, uetuit uocari quempiam in terris patrem. Hos uocat hic miniſtros, & Paulus diſpenſatores myſteriorum Dei. Quid aduerſus Pontificiam tyrannidem accommodatius uel fingi potuiſſet. Quæſo, quoties inter ſe de primatu certãt Apoſtoli, circumſpice qui caſus occaſionem det contentioni, quid reſpondeat Chriſtus, quale regnum ſuum futurum doceat. In Matthæo, cùm didrachmon perſoluiſſet pro ſe ac Petro, uidereturque Petrus aliis prælatus eſſe, ſtatim reuellitur error diſcipulorum. In Marco, cũm de morte ſua dixiſſet, ſtatim ſubiecere ſucceſſoris quæſtionem diſcipuli, quorum errorem commodum reprehendit Chriſtus, quum quærit, quid in itinere inter ſe tractarint. Et cùm toties primatum damnet Chriſtus, cùm toties tam uariis figuris doceat alienum à ſe hoc regnum eſſe, nondum uidemus, quo iure iſti Primatum uindicent, & quàm ſerió ſcripturæ teſtimonia iactent, qui unum aut alterum malè detortum locum decerpunt in hoc ut uulgo imponant. Fortaſſis etiam tolerabile fuerat, ſi ueteres illi Epiſcopi, qui eruditione, curaque prouinciam gerebant, primas adfectaſſent in hoc ut prodeſſent, & hi qui prodeſſe fortaſſe nonnihil poterant. Nunc iſti adfectant, non ut proſint, nec enim poſſunt homines adeo ignari Chriſti, ſed ut dominentur, regnent, expilent, compilent, deglubant uniuerſum orbem terrarum, planè illud ſui Iulij agitantes, quod is in ore dicitur frequens habuiſſe.

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν. τἆλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Quin illud Chriſti cogitant, ſi quis uult primus eſſe, is erit omnium poſtremus, & omnium miniſter. Pudeat aliquando uos Hirce, primum, primatum & hæc abominabilia uocabula iactare, quæ ſic in Euangelio deteſtatur Chriſtus. Num principes obſcura ratio eſt, quæ illis primas eripit? quid enim hoc ſignificantius contra inſanam Papiſticæ ſedis tyrannidem dici potuit, Eccleſiæ miniſtros eſſe Epiſcopos, & ſi quis uelit primus eſſe, eum futurum omnium nouiſſimum. Itaque nihil dubitate principes, non

præstare diuino iure uel Papam Episcopis uel Episcopos, ijs quos nunc uocant Parochos. Quanquam ut rectius dicam in uniuersum, quidquid de Episcopis, presbyteris, in sacris libris scriptum est, ad hos prorsus non pertinere. Episcopos enim ac presbyteros sacræ literæ nuncupant Euangelij ministros, interpretes, nunc ferē parochos uulgus uocat: Ad hos omnino pertinet, qui docent, si quid de Episcopis in sacris dictum est. Qui nunc uocantur fictis nominibus uel Papæ uel Episcopi, prō Deum immortalem, quām longē absunt ab eo quod audiunt: Reges gentium, imō ne reges quidem, sed publicę orbis terrarum pestes sunt, qui nunc sese sanctissimis nominibus uendi tant. Atque hi tales, quo iure, qua iniuria, sibi primas Ecclesiæ arrogant. Multa hic principes relinquo cogitationi animorum uestrorum, partim ne defatigem uos nimis prolixa oratione, partim quōd apud eos mihi uideor dicere, qui monendi magis sint, quām docendi. Præterea Christianarum rerum omnium iudicium penes Ecclesiam esse uolebat, ut de Christo nunc taceam, Paulus in Corinthijs, cùm ait, Prophetæ duo aut tres dicant, cæteri dijudicent. Quōd si primas Papæ debemus, non uideo quomodo iudicium omnium quæstionum sit penes Ecclesiam. Nam quod fingere solent & Papam & Ecclesiam unum corpus esse, nihil ad rem facit, Cùm Paulus ita uelit penes Ecclesiam esse iudicium, ut uel refragante Episcopo possit decernere, quod uidetur. Sic enim sequitur. Quod si reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Sedentem Paulus Episcopo præfert, ut idem omnibus in Ecclesia ius faciat docendi. At quod aliud est Episcopi munus, quām docere? Et audi Hirce, quod doleat, Pauli uerba. Potestis omnes per singulos prophetare, ut omnes discant & omnes exhortentur. Videtis principes ut sit æquatum ius docendi in Ecclesia, quām non præstent Episcopi uulgo, quām impudenter fingant Papistæ, sibi primas deberi, penes se iudicium omnium quæstionum fidei, arbitrium omnium rerum esse. Docere nemini licet, nisi Romani Papæ accedat autoritas, si primus est. Quōd si docere licet, non modō citra eius mandatum, sed & contra eius autoritatem, quid adhuc dubitamus, nihil præstare reliquis Romanum Episcopum. Nunc nulli sunt Episcopi, nisi ā Papa confirmati, imō ex grege Papæ ex urbe Roma empti. At citra Petri autoritatem passim multos docuisse, paulō antē monuimus. Locos audistis duos, alterum ē Christi concionibus, alterum ē Paulinis Epistolis petitum, quibus satis testatum uideri uolo Romanum Papam iure diuino non esse superiorem alijs Episcopis. Calumniari possunt, quæ diximus, inimici, refutare non possunt. Quandoquidem ij loci, quibus nitimur, simpliciores sunt, quām ut in uarias sententias possint distrahi: apertiores, quām qui dissimulari queant. Causentur isti seculorum consensum, consuetudinem, hominum opiniones: Nos oracula sancti spiritus causabimur, quibus par est humana omnia cedere. Esto, imperarit Romanus Episcopus Galliarum & Germaniarum Ecclesijs. At nos de iure quærimus. Num diuino iure oporteat Romano Pontifici seruiamus, quo cùm non cogamur, quid obstat, quō minus Papæ, quod dedimus ius, adimanus. Nam in hoc uindicanda est libertas Ecclesiastica, ne illius legibus diutius conscientiæ diuexentur, & crucientur. Parum referre putat Lutherus, quōd opes nostræ, pecuniæ Europæ Romam mittuntur: Hæc dolet legibus Pontificijs, & regno Papistico animas hominum, non dico in discrimen adduci, sed planē perdi,

Pecuniæ

Pecuniæ iactura uel negligi potest, uel sarciri, animæ iacturam qui negligit, is non parum prudens sed parum pius est. Viderit pro sese quisque, num suam pecuniam Romano luxu perdi uelit. At non est uulgi captus de rebus pietatis, de mysterijs sacris iudicare. Atque utinam esset. Hic uestram fidem, hic uestra studia implorat Lutherus, implorant omnes pij. Alij apertis uocibus, alij lamentis, alij miserabilibus gemitibus, & ipsi etiam in cunis uagitu infantes, qui suam uobis salutem, cùm non possint uoce ac uerbis, uagitu commendant: Vel tamen recordamini uos & Christianos esse, & principes Christiani populi, & ab Antichristi tyrannide miseras Christianismi reliquias asserite. Fallunt enim qui uobis aduersus sacerdotes, ut ipsi loquuntur, licere nihil uolunt. Nam qui spiritus animauit Iehu aduersus sacerdotes Baal, idem nunc quoque cohortatur uos prisco illo exemplo, ut extinguatis illam multò tetriorem Baalis idolatria, Romanam superstitionem. Proinde ut intelligatis qui fuerit dominatus pontificius iam â seculis aliquot, & quàm nihil referat Christi, paucis percurram res Pontificias. Nam quia tot gentium, tot ætatum conspirationem inimici de regno pontificio cauſantur, retulit exponere quibus artibus sibi fecerint bonam Europæ partem obnoxiam. Paulò ante Nicenam Synodum urbis Romæ Episcopus, Victor, is, ni fallor omnium primus, conatus est Asiæ leges dicere, adeoque Romanam Ecclesiam autoritate augere, de rebus Christianis quidquis statuendi, imperandi omnibus uniuersi orbis Ecclesijs. Non dico quo id spiritu, errore an ambitione acciderit, Certè humani quiddam passum Episcopum Romanum, cùm Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus Irenæus, tum res ipsa, de qua agebatur, arguit. Agebatur enim de Paschatos die, res planè ab Euangelio aliena. Nam cùm in Christianismo cuiusuis arbitrio permitti debeant ceremoniæ, Asiam Episcopus Victor adigere conatus est ad ritus Romani Paschatis, primum contra Euangelicam sententiam, quæ cuique suas ceremonias permittit, deinde contra ueterem Asiæ consuetudinem, cuius autores habuerat Apostolos. Neque uerò simpliciter Asiam adoriebatur Victor, sed nouo & inaudito exemplo, diris & Anathemate. An non uidentur hæc præludia fuisse illius Antichristi, qui Romanam sedem paulò pòst erat occupaturus? An non erat hoc iniquitatis mysterium, quod etiam Pauli temporibus rem Christianam infestabat? Agebatur de ceremonijs, & agebatur isto Romano fulmine, deuotionibus seu execrationibus. Quibus pestibus paulò pòst Antichristus erat in orbem degrassaturus. Quid enim iam â Carolorum temporibus Romæ reliquum est, præter ceremonias & frigidum illud fulmen? Sed contempsit deuotionem Romanam Asia, & temerarium ausum Victoris reprehendit acriter Irenæus, qui uir unus illis temporibus mihi reliquus fuisse uidetur in occidentis Ecclesia, qui uerè Apostolico spiritu fuerit. Non ago nunc qua occasione usus Victor, Asiæ leges dicere conatus sit, siue quod falsò putarit penes Romanum Pontificem rerum summam esse, siue autoritate urbi suæ fretus: certè constat Asiam non agnouisse Romanum Pontificem, tum hoc ipso Victoris, tum postea Nicenæ Synodi tempore, quum partirentur Ecclesiarum curam occidentis & orientis Episcopi. Et cùm causa peccarit Victor, quid miremur occasione augendæ causæ peccatum esse? maximè cum his modis Antichristo præluderetur. Post uictorem usque ad Nicenæ Synodi

Quomodo creuerit Tyrannis Pontificum.

Victor Pontifex.

tempora

tempora nihil fuit Romano Episcopo negocij cum Asiaticis, nondum eum nec Galli nec Aphri agnorant, cũm schismatis & factionibus occasionem dedit præter alias hæreses, Arriana. Et Romæ iam sensim glisscebat Pontificum splendor, hæc paulò pòst ambitioni materies & argumentum fuit, quum Iulius & hunc secuti usque ad Gregorij primi tempora, plerique iam cum Græcis, iam cum Aphris de primatu certant, fuere in his Sosimus ac Gelasius. Et iam crescebat audacia unà cum opibus, quam adiuuabat calamitas illa orbis terrarum Gotthica, quæ oportunè incidens, nomen Pontificum mirè commendauit uulgo. Sed edicto publico frenauit audaciam Pontificum Gregorius, bonus uir & piè eruditus, & in quo, præter nimium ceremoniarum studium, nihil queas uituperare. Sanxit autem, ne se quispiam οἰκουμενικὸν Pontificem adpellet. Atque utinam ualuisset edictum. Sed iam degenerarat Ecclesia, & de pietate actum erat, iam inuaserat Romanam sedem cum superstitione ambitio, ita ut ad Carolum usque nunquam non de primatu cum Græca Ecclesia contenderit. Bonifacius qui proximè suffectus in Gregorij locum impetrauit etiam à Phoca Imper. contra Gregorij edictum, ut legem ferret de Romanæ sedis primatu. Huius exemplum & autoritatem secuti posteri omnes primas sibi arrogarunt, nequidquam refragantibus Græcis, qui idem adfectantes regnum, causabantur urbis Constantinopolitanæ autoritatem, quæ esset Cæsarum domicilium. Atque ita pueriliter inter se disceptant ac digladiantur Græci ac Latini, aliàs alia de causa, cùm uellent utriq; dominari, donec Asiam inuasere Sarraceni, quæ res ab Europa conuertit Græcos ad tuendam Asiam. Iam Italia ab Exarchis, à Longobardis diripiebatur, ibi externa auxilia Francorum, qui id temporis latè imperabant, implorare uisum est. & ut multa prætereã, uocatus est in Italiam Carolus, is deuictis Longobardis, & compositis Italiæ rebus, Cæsaris nomen meruit, Id quod illi siue à populo Romano, siue à Pontifice Leone iij. delatum sit, satis constat Græci nominis odio contigisse. Trahebat secum Germaniam, Galliam, & bonam Hispaniæ partem Carolus, quæ regiones unà fiebant obnoxiæ Romano Pontifici, quum in eius potestatem ueniisset Carolus. Hæc fuere, principes, auspicia regni Pontificij, quæ ego & breuiter, & modestius quàm pro re recensui. Post Caroli tempora occupatis domi Cæsaribus nostris, cùm in Italia omnia Pontificis nutu gererentur, Pontificiæ ditionis facta est, quam Carolus uocarat Romandiolam, quod præter Pontificem nullum uideretur esse legitimum in Italia Imperium. Falsò enim comminiscuntur donatam esse, à nescio quibus Romano Episcopo. Hoc illud est Petri, quod uocant patrimonium. Et Romani Pontificis autoritas apud Barbaras nationes augebatur, Consulebatur Roma si quis fortè casus anceps incidisset, & illi adhuc modestè gerebant Imperium usque ad Otthonum tempora. Hic sacra, prophana omnia miscuere Pontifices. Hic res Ecclesiastica contemni cœpit. Negligitur sacra doctrina, ceremoniæ produntur. Ecclesiasticæ opes, quæ donatæ fuerant pauperibus, priuatis hominibus, ceu agraria lege adsignantur. Onerantur Germaniæ, Galliæ & Hispaniæ Pontificum legibus, Ne quis Episcopus citra Pontificis autoritatem habeatur. Ea res primum ægrè doluit Imperatoribus Germanicis, nihil non conantibus, ne seruiremus, sed spiritu maiore, quàm successu primum tentata est. Audistis, ut furtim occuparint regnum illud Ecclesiasticum

Sosimus & Gelasius P.

Gregorius. 7.

Bonifacius.

Pontifices

Pontifices, nunc audite quibus artibus, quo scelere tutati sint. Post Henricum primum regnauit in Germania Conradus, cui salicam legem adscribunt, uir bello, ac pace clarus, is cùm pro more Romam proficisceretur, adegit Pontificem, ut Imperatoribus permitteret, ius dicendi Episcopos Germaniæ. Sed statim ut domum rediit Conradus, quæ Pontifex donarat, reuocat, & in Imperatorem formidabile illis temporibus fulmen torquet. Eadem res paulò pòst arma induit Henrichis, sed perfidia Pontificum uicit, quòd partim uanis pollicitationibus eluderent Cæsarum uim, partim excitatis seditionibus popularium se tuerentur. Prò Deum immortalē quæ monstra, quām Tragica? Fortissimum filium, aduersus fortissimum patrem armat Papa, execrationibus & diris abalienat ab eo studia Gallicæ ac Germanicæ nationis. Et cur? quòd nollet Germaniam captiuam fieri ac seruam pessimorum hominum, quòd nollet Episcopatus Romanæ auaritiæ prędæ esse. Et hanc fuisse causam uel ipsum Gregorij septimi decretum testatur, in quo hæc leguntur uerba. Autoritate omnipotentis Dei decernimus ac confirmamus, ut qui deinceps Episcopatum, uel cœnobium, uel aliquod aliud Ecclesiasticum beneficium à laico acceperit, nullo modo in numero Episcoporum, Abbatum, uel clericorum censeatur. Quis non exhorrescat ad tam horrenda portenta, ut alia dissimulemus, diuini nominis autoritate ausos abuti. Et in ista rerum tam sæua tempestate uicit tamen Pontificum perfidia & audacia, uiribus nequaquam humanis, sed quod iratus Ecclesiæ Deus, fortunaret Antichristo illi, de quo prædictum est, suos conatus. Post Henricos aliquandiu quieuit Germania, sed iam tutò imperitantibus Romæ pontificibus, & sedente in templo Dei Antichristo, & ostendente se pro Deo, ne non perderet, si quid erat reliquum, Christianismi. Non commemorabo res Fridericorum: nam his causam belli dedit non pietas, sed Italiæ & Siciliæ recuperandæ libido. Sed tamen aduersus uim Sueuicam, Gallos in Italiam uocauit Papa, ut dum nos mutuis cædibus conficeremus, ipse, fruens insania stultorum regum, securè dominaretur. Hic ut aucta sit Romana luxuria, oratione consequi non facile queam. Iacebat extincta pietas, succedebat superstitio, antiquata erat Euangelij doctrina, admittebantur Pontificum leges, quibus facilè quiduis à sequaci uulgo extorquebatur. Iam quærebantur & regno Antichristi munimenta ac subsidia, in quem usum collegia Ecclesiarum, sic enim uocantur, cùm hactenus studiosorum fuissent conuentus, paulatim translata sunt ad sacrificos, ut ibi in alto ocio pascerentur, quos uellet Papa. Ita simul & occiderunt bonæ literæ, & interijt pietas. Sacrificis imperatum etiam, ut celibes essent, quò facilius opes crescerent, & liberius uiueretur. Non habeo necesse describere hoc loco statum Collegiorum Ecclesiasticorum, in quibus quām nihil sit Christiani, uel me tacente res ipsa docebit. Nam in quibus lustris, in qua Beryto plus unquam fuit luxuriæ, ac libidinum omnis generis? Et ut optimè uiuatur in hoc genere, tamen execranda est superstitio Missarum, quas uocant. Quotus est enim in tanto numero, qui officium suum, non dico faciat, sed intelligat. Atque hæc collegia fingunt inimici à maioribus uestris condita, à uobis seruanda ac tuenda esse. At ego, ut & seruetis hortor, & restituatis in eum statum, quo à maioribus uestris condita sunt. Non uolebant illi opes suas in Romanos luxus, in ociosorum hominum uoluptates profundi. Partem uolebant in egenos, partem in studiosos insumi. Mos enim fuit in his collegijs

Conradus II. Imp.

Henrichi Cæsares III. & IIII.

Gregorij VII. decretum.

Christianam

Christianam iuuentutem Christianis & literis & moribus formare, quod institutum cùm uideretur utile rebus nostris, maiores uestri sic locupletarunt Collegia, ne unquam deessent studiorum sumtus. Atque utinam tam felix fuisse illorum consilium, quàm fuit utile. Sed pontifices primum pium & salutare instituto abrogarunt, ne quæ essent in Republica Christiana literæ. Quantõ mitius Iulianus, qui cauit ne gentilibus literis Christiani erudirentur. Papa uerõ etiam Christianas ẽ medio sustulit. Deinde collegiorum opes in sacrificos, quales nunc habemus, ut ne quid asperius dicam, profudere. Docendi prouincia ablegata est ad Benedicti, & Bernardi Monadicos, sed collegiorum exemplum hi quoq; secuti, literas unà cum docendi munere deseruere, nouam uiuendi formam commenti, quæ quàm nihil habeat Christiani, quid attinet hic disputare, cùm ipsi uideatis nusquam plus esse mundi, quàm apud eos qui se uelut alienos à mundo, religiosos, siue quis mauult Sadducęos Hebraicè, uocarunt. Iam pontificum erant, Episcoporum, Collegiorum & monasteriorum opes, quæ quantæ ubiq; sint quis ignorat? Sed ne nullæ essent Christianismo scholæ, Academiæ generalium studiorum, quas modõ uniuersitates uocant, conditæ sunt. Atq; hoc consilio mirum est, quàm placeãt sibi, quàm salutare putent, quo non aliud unq; repererunt neque pernicio sius, neq; magis impium, & quod uideo nõ Pontificibus, sed ipsi deberi Satanæ, qui si quo unquam, hoc certè casu egregiè imposuit Christiano populo. Equidem sapientem uirum fuisse iudico Vuiclefum Anglum, qui omniũ primus, quod ego sciam, uidit Vniuersitates esse Satanæ Synagogas. Et quid dici uel pium magis uel sapientius potuit? Video aliquot locis & Gersoni hoc scholarum genus displicuisse, quas uulgus hominum tantum non adorat. Atque utinam principes, si cætera mala remedium non admittant, saltem in restituendis Academijs oculati esse uelitis, quas par erat accuratius instaurare, quòd hinc omnium rerumpublicarum sacri & prophani magistratus petuntur, ex quorum iudicio comparari ciuitates uidemus. Et primũm quidem quàm longè absimus à Christo, quotquot uersamur in hoc scholarum genere, quæso diligenter considerate. Fuisse in Iudæa sacræ historiæ testantur, barbaricum & abominabilem ritum lustrandi adolescentes igni, ualli huic sacrilegio dicatæ nomen inditum est à filijs Ennon, unde postea Christus in Euangelio geennam fecit. Hoc mihi sacro prælusum uidetur Academijs nostratibus. Nempe ubi consecrantur & immolantur gentilibus idolis adolescentes. Primum enim si docendi genus spectes, quid magis impium, quàm illæ professionum uices, philosophia, & disciplina Iurisconsultorum, quæ cũm prorsus cum Christiana doctrina pugnent, tamen in Christianis scholis censentur, ita ut eruditum nemi nem putent, nisi qui bonam ætatis partem stultè philosophando perdiderit. Rebuspublicis nemo præficiatur, nisi qui Iurisconsultus sit, hoc est, nisi qui sit & egregius rabula, & fumiuendus nequaquam uulgaris. Tales enim facit illa iuris disciplina. Adde quod duplex est Ius, aliud Ciuile, aliud Canonicum. At quid est in uniuersum quod Canonicum uocant, nisi Romana Tyrannis? uel hoc uno argumento declarauit Papa, quàm nihil Christi spiret, qui cal lidissimas, minimeq; ciuiles: nedum non Christianas leges, de præbendis, & rescriptis, de iudiciorum forma, de excommunicationibus & hoc genus alijs sanxit. Mentiar, si Bonifacij octaui leges uir bonus probet, ex quo æstimare reliquos potestis. Theologia uerõ Academiarum, quid aliud, quàm ineptæ nugarum

garum Rapſodiæ, conſutæ ex Ariſtotelis philoſophia, & illo ſtulto iure quod uocant Canonicum. Sententias uocant, quas docent Theologi innumerabilium opinionum ſyluam. Et hę quãm abludant ã Chriſto, ſatis ſuprã docui. Chriſtianas literas quæ uerẽ diuinitus proditæ ſunt, non modõ non attingunt, ſed ne dignas quidem putant, in quibus ponant operam ac ſtudium. Quo factum eſt, ut obſcuratum ſit inſipiens cor eorum. Nam quotus quiſque ex Laureatis etiam eſt qui uel ſua intelligat? Accedit ad hæc, quõd cùm omnium Chriſtianorum communis eſſe debebat res Theologica, hic profeſſionum uicibus diſtinctis paucorum facta eſt, & ex horum iudicio orbis terrarum pendet annos iam plus trecentos. Hi concilijs leges præſcribunt, hi de rebus Chriſtianis definiunt, ſtatuunt pro libidine ſua. Hi pro concionibus regnum exercent in miſerum uulgus, non docentes niſi quaſdam fatuas Ariſtotelis philoſophias & Pontificias leges. An non id eſt, quod ait Propheta. Noctem nobis pro uiſione eſſe, & tenebras pro diuinatione. An non dedere ſpecimen ſui Vniuerſitates in hac ipſa Lutheri cauſa, cùm deliræ illæ Colon. ac Louan. ſcholæ, non modõ Chriſti Euangelium, ſed plerasq; ſuas opiniones damnarunt. Adeo ne ſua quidem intelligunt. Quõd ſi orbis Chriſtiani doctores ſunt, cur non te reuincunt Lutherum Chriſtianis rationibus, cùm damnent? Sed quid Chriſtiani adferant, qui nihil didicere præter ſuum Verſorem, & Copulata burſæ montis. Et tales quidem habetis, principes, Chriſtianæ Reipublicæ neruos, horum iudicio permittitis Chriſtianiſmum, in quibus etiam communem ſenſum paulõ ſaniores deſiderant. Porrõ mihi conſideranti paulõ attentius ſcholaſticam iſtam, quam uocant Theologiam, præter pueriles nugas, friuolas quæſtiones, ſtultas opiniones, plus errorum docere uidetur, quãm ulla unquam hæreſis, adeoq; in uniuerſum nihil aliud eſſe ſcholaſtica doctrina, quãm impudentes blaſphemiæ aduerſus ueritatem Euangelij. Et doctrina quidem Vniuerſitatum talis eſt. Ad hanc principes, utrum putetis conniuendum, ueſtrum eſto iudicium. In manu ueſtra eſt, modõ uelitis opem ferre uel hac parte Chriſtiano populo, quem fidei ueſtræ Deus Optimus Maximus commendauit. Equidem hæc non ſine magno animi mei dolore uel dicere uel cogitare poſſum. Atque utinam ſalutem Academiarum hac anima mea queam emere. Non eram de moribus eorum qui degunt in Academijs dicturus. Sed huc me rapit dolor, maximẽ cùm hic peccetur publicis exemplis. Quæſo quid aliud Academiæ ſunt, quãm quædam omnium uiciorum lerna. Adoleſcentia, quæ tenerrima pars Chriſtiani populi eſt, luxu, libidinibus, ingluuie perit. Quid enim faciat hæc ætas, cui tam ſuauiter indulgent Magiſtri, quos paſcunt. Deinde ut diligens præceptor contingat, quid promoueat, cùm ſacra aut planẽ non doceat, aut parcẽ doceat. At iuuenilem mentem fruſtra regas, niſi aduerſus carnem, aduerſus exempla mundi, aduerſus inſidias Dæmonum Euangelicis literis & exemplis munias. Quæſo quibus curis, qua uigilantia erudiebant iuuentutem quondam Heremicolæ: ut ab hominum conſuetudine auocabant, ut labore carnem domabant, ut Euangelium inculcabant, quin ab his petimus Chriſtianæ inſtitutionis formam? At Heremicola eſſe nolo? Sed Chriſtianus diceris, age, ſis quod audis, & nihil inferior eris Heremicola. Facilius illi degebant ã conſuetudine prophana hominum abducti. Nos in medio mundi, quibus non periculis expoſiti ſumus? Tot animarum principes interitus uos reos agit, quæ per imprudentiam magis quãm per ma-

litiam peccant. At harum sanguinem ā manibus magistratuum requiret Deus. Quid dicam de ijs, quos iam communium rerum usus nonnihil erudijt. Hic alium ad iura discenda rerum humanarum splendor trahit, discit, & unā cum disciplina, imbibit ambitionem, amorem contentionis, & hoc genus alia. Alium ad Theologiam fames uocat. Nam ferē ad hanc se conferunt ignobiles, Odia in nullo genere sunt acerbiora, quām in Academijs. Auaritia inexplebilis, supercilium, tumor, & fastus, quantus alius nusquam. Et talibus exemplis cogitare non potestis quid promoueat adolescentia, quę Academijs committitur. Et huiusmodi quidem sunt scholæ, quas ne Turci quidem ferant, nos ferimus, quia Papæ imò Satanæ inuentum sunt. Nulla apud gentes Respublica fuit, in qua non fuerit præcipua cura iuuentutis optimæ instituendæ: Soli nos qui Christi nomē habemus, nihil perinde atque hanc unam rem in primis necessariam contemnimus. Agite Principes, cognoscite quibus minis uocet ad curam regendæ iuuentutis Christus, cùm inquit, Qui offenderit unum ex pusillis istis, qui in me credunt, illi melius fuerat mola asinaria de collo suspensa, in profundum maris demerso esse. Si parum adficiunt cætera, at misereat uos innocentis adolescentiæ, quæ alieno scelere perit. Ipse aliquot uidi minimē malos iuuenes, qui nescisse literas malebant, quàm tantò emisse, qui ex Academijs præter sauciam conscientiam nihil retulerant. Et de Academijs, adeoq; de florentissima parte Pontificiæ Reipublicæ hactenus. Porrò regnantibus iam istis gentilibus literis passim in Academijs, excitauit Deus tum Dominicum, tum Franciscum, haud dubiē periclitantis Ecclesiæ uindices, & quantū uideo in hoc ipsum, ut sese ethnicis studijs opponerent. Nec uno exemplo declararunt, quām essent iniqui hoc genus literis. Sed hos quoque Papa sibi demeruit, nimirum quod oporteat Antichristi regnum huiusmodi esse, quōd etiam electis imponat. Ex felicissimo illorum instituto, Pontificum consilio sectæ conditæ sunt, nihil tale suspicantibus Francisco ac Dominico, sectas, ut solet, odia plusquām Vatiniana excepere. Ita ut ubiq; nunc audias illud, Ecce hic est Christus. Et illud, Ego quidem Pauli, ego uerò Apollo, ego quidem Dominici, ego uerò Francisci. Quid quod additum professionibus institutum mendicandi, non ab Euangelio modò sed ā lege etiam Mosaica, imò ā Dominici & Francisci decretis alienum? Atq; ita factum, ut cùm uentris esset habenda ratio, desciscerent hi quoq; ab Euangelio ad hominum commenta. Paulatim & ambitio inuasit, qua effectum, ut nusquam pertinacius philosophatum sit, quàm in monasterijs, & horum quidem Theologia ueluti priuata ac domestica facta est, ijs qui cucullati non erant, iura discentibus. Nemo enim Theologorum iam Christianus dicebatur, sed aut Thomista, aut Scotista, aut Occanilta: nempe aut pinguem Thomæ philosophiam, aut impeditas Scoti quæstiones, aut argutias Occham uulgò discebant, Cœlestem ac simplicem Christi sapientiam nemo ambibat: Deinde cùm in ecclesia docendi prouinciam iam episcopi Parochis, parochi fratribus delegassent: Fratres alij per ambitionem philosophias suas, alij uentris causa plausibiles fabulas docere ceperunt. Hic confingi diuorum historiæ, uenundari preces, præscribi subinde nouæ ceremoniolæ, & hoc genus infinita. Breuiter, sic certatum est mendacijs, ut minimē sit obscurum Satanæ cœnam fuisse, istorum conciones, O gratam, ō iucundam dæmoni comœdiam: sic ridere, ludere, subsannare stultum uulgus. Non erat iam cur insidiaretur ecclesiæ Satan, sed fruebatur capta & subacta. Sed

quorsum

quorsum rapior dolore? Hic fuit optimi Principes Reipublicæ Christianę status annos iam circiter trecentos, securē regnante Antichristo,& legibus,ceremonijs, schismatis, prophanis studijs, ut non dicam interim bellis ac cędibus grassante in Rempublicam Christianam. Atqꝫ hæc qui uolet propius contemplari,non obscurē intelliget, quorsum pertineant,quæ de Antichristo ā Paulo dicta sunt. Nam quòd ait fore ut sedeat in templo Dei, non possumus nisi de Papa interpretari, ut qui sedeat, hoc est, regnet, uideaturque legitimum imperium exercere, idque in templo Dei, hoc est, administrans ea quæ ad pietatem propriē pertinere uidentur. Porrō autem quàm non temere eundem peccati hominem uocet, intelliget qui diligenter expenderit, & quæ recensuimus initia Papatus ac monumenta, collegia tum sacerdotum tum monachorum. Item Academias,& quæ iam inde usque ab annis trecentis in rebus Christianis perpetrarit. Furtim inuasit Satan Romanam sedem, sensim occupauit animos hominum legibus ac ceremonijs, dum illud abominabile Antichristi regnum cōstitueretur. Prędudia eius quædam ostensa sunt,ante magnum Gregorium. Deinde Bonifacio III. auspice miris artibus coaluit, donec Henricorum uis fracta est, qui egrē iugum Satanæ acceperunt. Ab Henricis in hunc usqꝫ diem parto imperio fruitur Satan. Equidem exemplo Micheæ mentiri nos mallem. Sed heu nimium ueri sumus. Non addam autem quid his annis in Gallijs, in Germania minimē dignum Christi uicarijs admiserint. Tantùm hoc dicam, mirari me adeo nihil frontis esse ijs, qui seculorum consensum causantur, cùm tanto spiritu hoc iugum detrectarint non Gręci modò, sed & Germaniæ nostræ, Cæsaribus Henricis. Iam ut largiar uel à Nicena Synodo occidentali Ecclesiæ imperasse Romanum Pontificem, nondum consequitur, iure diuino dominari posse. Quod si ab annis probanda causa est, nihil peccauit Samaria quæ statim in ipsis regni auspicijs, uaccas, Bethauen adorauit, nihil peccarunt maiores nostri,qui Idolorum cultum ueluti per manus acceperunt, ab ijs à quibus prognati fuerunt. Quòd si res pietatis ā consuetudine æstimandæ sunt, frustra habemus diuinas literas, religionis morumque formulas. At non sinit errare spiritus Christi Ecclesiam. Primùm non liquet quatenus errari possit ab Ecclesia. Deinde certum est Ecclesiam non esse, quam tu uocas Hircę. Quid enim alienius ab Ecclesia Christi, quàm illud Antichristi regnum? illa Satanæ Synagoga? Non erit igitur nobiscum Christus, usqꝫ ad finem mundi? imō erit in sanctis, usque ad mundi finem Christus: sed sanctos uoco, in quibus per spiritum suum regnat Christus, nō eum qui se falsō sanctissimum nuncupat. Sed nō errant tot Episcopi,tot doctores,tot reges? imō nullis insidiatur Satan pertinacius, in nullos sæuit uehementius, id quod haud frustra omnes sacræ historiæ inculcant. Lapsus est fœdē sanctissimus uir Moses,uitulum Aharon fabrefecit, Et ex regibus Iuda quàm paucos probant historiæ, ex regibus Samariæ neminem. An non in sacerdotes ac principes ubiqꝫ inuehuntur prophetæ? An non palām ait Ezechiel, Lex peribit à sacerdote, & consilium ā senioribus. Ioannes an non uipereum semen uocabat pharisæos, qui imperitabant. Et ut finiam in Euangelica historia, quàm non probat Christus sacerdotum tùm uitam, tùm doctrinam superstitiosam. Itaque non patiar premi me magnificis quorumcunque titulis, in causa pietatis, quæ à scripturæ auctoritate, non à mutabilibus hominum opinionibus pendet. At cùm principi populi lex maledicere uetet, cur in Pontificem Lutherus inuehitur? Pri-

mum Tyrannus est Pontifex, Deinde ut illud omittam, esto, maior est Luthero Papa, at minor diuina uoce, quam ille prædicat, ut debet. Nam cùm uocatus sit ad docendi munus in Ecclesia, cur non doceat diuinas literas? An ad Lutherum non pertinet, quod est à Christo dictum: Quem mei puduerit & doctrinæ meæ, illius me quoque pudebit. Personam hominis, inquit Paulus in disputatione de Euangelio, non spectat Deus. Cur ergo Pontificem spectet Lutherus? Quod si iudicium de doctrina Ecclesiastica uoluit Paulus apud sedentes esse, cur non iudicet Pontificiam doctrinam Lutherus? Et ut prophetica exempla præteream, non ne magistratibus aduersantur Apostoli. Sed ij quid respondent. Nempe oportere Deo magis obedire, quàm hominibus. Itaq; quia de doctrina Christiana agitur, interest Christianorum omnium non modò Lutheri, aduersari ijs qui illam euertunt, in Euangelio Christus cùm manū abscindi, oculum erui iubet, qui offendat, quæso quid aliud præcipit, quàm ut ne admittamus impiam doctrinam? Aut quid iubet caueri pseudoprophetas, adeoque pseudoepiscopos, si noluit eos reprehendi? Absit hæc à Christiana libertate seruitus, ut non liceat Euangelium profiteri, cui tot sacramentis sumus initiati. Itaque cùm diuinæ uoces, prophetarum & Apostolorum exempla Euangelium docere iubeant, quantumuis reclamante mundo, quid mihi frigidos & impios canones citas? Non maledicit magistratui Lutherus, sed Euangelium exhibet, quo quòd illi offenduntur fraudi esse Luthero non debet. Est positus Christus in signum contradictionis, saxum est, in quod impingent impij omnes. Quid autem quòd & non in loco citas hos canones? Quid quòd Nicolaum citas Pontificem, eū arbitror qui Rauennatem Episcopum Romanæ sedi subiecit, qui cùm de Ecclesiæ opibus aliquandiu, & de sedis autoritate certarat? Liceat itaq; non Luthero modò, sed omnibus Christianis mentibus de Euangelio disputare ac iudicare. Christianum officium facit, quisquis refragatur impiæ doctrinæ: quare non est quòd Lutherum crimineris temeritatis, quòd hanc Camarinam mouerit, maximè cùm eò adactus sit aliorum tum infamibus, tum impijs scriptis. Ad disputationem de indulgentijs uocauit Decelius, de autoritate sedis Romanæ, Eccius, de alijs alij locis, ijs imputa si quid scriptum est à Luthero, quod displicet. Quanquam si suo ipse consilio cepisset causam Christianæ Reipublicæ, reprehendi non posset, ut qui det operam sacræ doctrinæ restituendæ. Hactenus de Pontifice satis multa dixi, quæ ex re populi Christiani fuerit uos expendere principes. Proinde cùm uestræ fidei commissa sit Europa, si uestra uobis, si Christiani populi salus curæ est, expergiscimini aliquando, & illum ab ouili Christi Antichristum depellite, Christianas literas, Christiana instituta reuocate in medium, illius legibus & traditionibus obliterata. Friuolam disputationem uocant quidam hanc, qua quæritur, Diuino ne iure præsit omnibus Ecclesijs Papa, & nos friuolam censemus, nisi eò referatis eam, ut sciatis licere uobis de rebus Ecclesiæ statuere uel contra Antichristi istius uoluntatem, cùm persuasum sit, atque ita sancitum illo putido iure, Nihil posse nouari in rebus Ecclesiæ, nisi intercedat Romani Pontificis autoritas. Sed uoluit Christus, uoluit Paulus iudicium omnium rerum non penes Episcopos esse, sed penes Ecclesiam, penes populum Christianum. Nunc enim non patiar Ecclesiæ uocabulum istorum more exponi, pro Pontifice. Sic enim licet istis scripturam ad suam tyrannidem pro arbitrio detorquere. Viden, Hirce, quàm frustra quiriteris aduersus Lutherum,

rum,quòd Romam Babylonem uocarit. Quantò enim illa quondam Babylon tolerabilior fuit Iudæis exulibus, quàm nobis Roma tã miserè,tam fœdè seruientibus? Immodestum,stultum,furiosum appellas,quæ conuicia quia cum sanctis communia habet, facilè feret.Et beatos pronunciauit Christus quos mundus propter iusticiam persecuturus sit.

DE POENITENTIA ET INDVLGENTIIS.

RElíquum est quod de pœnitentia deque condonationibus, quas uocant indulgentias uulgo, disseruisti. Hac de re pauciora dicam, quòd in libro quem de Babylonica captiuitate scripsit, sententiam suam de sacramentis exposuerit Lutherus. Atque illum uobis exhibeo Principes relegendum anteaquam de Luthero pronuncietis. Exhibeo autem hac lege, ut ne patiamini eum istorum furiosis clamoribus damnari,priusquam scripturæ testimonijs refutarint. Nam offensos audio inimicos omnium maximè hoc scripto,quod hactenus nemo optimorum ac doctissimorum non egregiè probat.Sed dicemus & nos de Pœnitentia, quam uocant,nonnihil. Duo sunt omnino in Ecclesia diuinæ gratiæ signa, quæ uulgus sacramenta uocat. Baptismus & Eucharistia, Nam pœnitentia non est aliud nisi quædam baptismi recordatio, utrunq; ut fit prophanatum abominabilibus Papę inuentis,ex eo libro cognoscetis quem exhibui. Missa quęstui habetur,sacrosanctum domini corpus fœdissimos uentres alit.Pœnitentia qua non parte est obnoxia Romanæ tyrannidi? Primùm enim cùm non aliud sit pœnitentia, nisi uitæ innouatio, & ueteris Adæ mors, isti nobis confessiones & satisfactiones repererunt,quæ duo,mirum est ut adfixerint conscientias,ut uideri possit Roma non alia parte plus nocuisse,quod hic nemo non senserit onus Romanæ tyrrannidis. Quare cùm de indulgentijs disputari ceptum esset, Lutherus ad Euangelicam regulam cœpit exigere, quæ de pœnitentia prodita erant. Placuit bonis Lutherus, & aliquot noui quorum animos erexit Christiana fiducia ad spem salutis, & qui sibi uelut ex inferis reuocati uidebantur, ab illo iugo Romanæ tyrannidis & scholasticarum opinionum liberati.Quot enim bonas mentes abominabilis Antichristus isto tristi iugo perdidit? Pœnitentiam docebant esse, simulatum odium peccatorum, condonari peccatum tradebant, si satisfeciſſes rite. Hic satisfactiones quid non fecerunt negocij adflictis conscientijs, & cùm Christus non aliud agat, quàm ut serenet conscientias, istis nulla cura fuit, nisi labefactare, cruciare, adfligere conscientias. Væ uobis pharisæi & scribæ, tot animarum reis, quas prophano doctrinæ genere crudeliter necastis.Hic Lutherus docuit peccata condonari, non satisfactionibus, non indulgentijs, sed gratis à Christo, modò credatur uoci Christi absoluentis. Non esse spectandum, quantus sit dolor, quantum sit odium admissi delicti: nam sic isti docebant,sed fidendum Christi promissione, qui gratis condonarit peccata credentibus. Inculcabat illud Christi, in arenam ædificare eum,qui suis conatibus magis fideret quàm diuinæ promissionis oraculo.Fortasse Principes uestras etiam conscientias testes habeo,quàm feliciter consuluerit conscientiarum perturbationi Lutherus. Hic ille insanire, & reclamare hæreticum dogma. Romæ Syluester ille Sancti Palatij Magister Martini commentarios etiam cremauit, quibus tradidit

Baptismus & Eucharistia Sacramenta & signa gratiæ in Ecclesia

iuxta Euangelium, Pacem non contingere conſcientiæ, niſi per fidem, gratis condonari admiſſum, non dilui id uel expiari noſtris laboribus. Non docet Lutherus non eſſe deploranda peccata, non eſſe uetuſtatem carnis noſtræ iugulandam, Sed hoc docet, unde adflictis conſcientijs ſolatia petenda ſint. Quomodo erigendi ſint, quos peccati mortiſq; ſenſus perculit. Hos Papiſtæ uocant ad ſatisfactiunculas, ad indulgentias, Lutherus ad fidem, ad Euangelium uocat, id quod teſtantur pleraq; eius dogmata.

Et ut ſummatim conferam dogmata de pœnitentia. Fingunt ſcholæ homini in manu eſſe odiſſe uicia ſua, quoties & cũm uideatur. Ideoq; docent ſimulandum quendam dolorem, quem uocant attritionem, id uerõ eſt quod Paulus cauterium uocat, quod humanis mentibus inurunt. Addunt ſpiritum Dei attritione impetrari. Contrà diuinæ literæ, docent diuino adflatu contingere, odium peccati. Nam qui carnales ſunt, non poſſunt non probare peccatum, ut ad Romanos Paulus ſcribit. Et hanc tuetur ſententiam Lutherus. Rurſum, ſcholæ tradunt condonari peccatum noſtris expiationibus, ſeu ſatisfactionibus, Contrã Chriſtus ſeſe uictimam exhibens pro peccato, non exigit, niſi ut credamus, cùm ait, Qui credit in me, is uiuet &c. Itaq; conſcientias diuino ſpiritu concuſſas ac territas conſolatur hoc modo Lutherus, quo ſolet Euangelium. Atq; hæc principes contentionis huius ſumma eſt, de qua cùm iudicabitis, quæſo diligenter conſiderate, quæ à Luthero tum in Babylonicam captiuitatem, tum in adſertionẽ &c. hac de re ſcripta ſunt. Sua iſti ſomnia, hic diuinas literas docet, iſti ſimulata pœnitentia ludificantur hominũ animos, hic ueram exigit. Illi conſcientias aut exanimant, aut uana operum humanorum fiducia tollunt. Quid quõd legibus aſtrinxerunt confeſſionem, quam maximẽ oportuit permitti cuiuſuis arbitrio. Nam cùm confeſſionem peccati ſolum exprimat nobis uerus dolor, quem diuini ſpiritus opera concepimus, quàm paucorum confeſſio pia ſit, facilẽ eſt æſtimare. Quippe cùm pauci ex animo odio habeant peccatum. Sed hæc aliàs. Audiſtis Principes quid de contritione Lutherus ſentiat, quàm improbẽ mentiatur Hircus, cùm contritionem ait à Luthero negari. Extat eius de pœnitentia ſermo, extant quę ſcripſit in Babylonicam captiuitatem, & in Adſertiones. Iam quis omnino hactenus de contritione malẽ ſentire Lutherum iudicauit, præter te, nimirum hoſtium illius acutiſſimum. Sed hoc agebas, non ut Lutherum reuinceres, ſed ut calumniareris. Nam quõd quædam ẽ Lutheri ſcriptis citas, & obſcurẽ & improbẽ citas, ut qui nec locum adſcripſeris unde petiſti, nec integram retuleris ſententiam, ne ſi candidẽ citares, nihil ad rem facere uideretur, quod producis. Profer igitur ubi Lutherus ſic argumentetur. Baptizari non contritos, igitur & abſolui non contritos: non diſputo nunc de hac ſententia, cùm conſtet, quid de contritione ſentiat Lutherus, & ad hoc inſtitutum non ita multum hic locus faciat. Sed quæſo audite, quomodo euertat argumentum, & refellat Hircus. Cùm infantium Baptiſmũ in dubium uocat, nempe quibus nõ contingat per baptiſmum cœleſtis gratia. Atq; hic utinam ſaltem magiſtrum tuum Thomam conſuluiſſes Hirce. Quid ſi hic uerba tua in te regeram? cùm ad Ariſtotelem reuocas Lutherum. An nõ ad Thomã tuum reuocandus es, adeõ impiè delirans. Et uos principes admoneo, ut iubeatis hunc inire ſententiæ ſuæ de paruulorũ baptiſmo rationẽ. Quid enim futurum ſit non uidetis, ubi de infantiũ ſalute dubitabitur? Et hæc hactenus. Argutè uerõ Pauli ſententiam ad indulgentias detorquet, ubi ille recipit

in

in Eccleſiam, & abſoluit eum quem propter inceſtum ſtuprum anteā tradiderat Satanæ. Quid audio, omnem abſolutionem eſſe indulgentiam papalem illam, quod ſi uerum eſt, aut nemo ſacerdotum non diſpeniat indulgentias, aut qui ſine Papalibus indulgentijs moriuntur, damnandi ſunt, quando non eſt aliud indulgentia, niſi abſolutio. Quid enim illa apud Paulum condonatio, niſi ſimplex abſolutio eſt. Et non uides tu, quàm ſtultè deſipias Hirce, qui indulgentiam eſſe ſcis canonicarum pœnarum condonationem, hoc eſt, earum quas paſsim pontifices in Eccleſijs pro arbitrio ſuo flagitioſis imperabant, audes tamen Pauli autoritate abuti ad confirmandam Romanam mercem, cùm & pœnas illas canonicas ignorarit Paulus. Et ut intelligatis Romanas impoſturas, breuiter exponam quid ſint indulgentiæ, quando hoc ā multis deſiderari uideo. Humana autoritate pœnæ atrocium & publicorum ſcelerū in Eccleſia conſtitutæ ſunt, quæ canonicę dicuntur. Imperabatur enim dierum aliquot ieiunium, & alij hoc genus carnis cruciatus. Quæ pœnę, quia non niſi publicis ſceleribus debebantur, manſit in quibuſdam Germaniæ Eccleſijs mos, publicè animaduertendi in homicidas, & in publica ſcorta, ſi quando reſipiūt. Cæterùm antiquatæ ſunt formulæ pœnarum priſcæ, & antiquari poſſe nemo dubitat, cū è ſola hominum autoritate pependerit hic ritus. Quid enim dubiū eſt, antiquari poſſe, quæ ab hominibus conſtituta ſunt? Nunc iſti exoletis pœnis uendunt earum condonationē, idq; omnibus promiſcuè, cùm pœnas etiam quondam non debuerint, niſi palàm flagitioſi. Non diſputo nunc de tota cauſa, ſed paucis doceo qui ſint indulgentiarum fontes. Quid ſi addam, quę de poteſtate Papæ in purgatoriū confinxere impij & impudentes homines. Sed addit quędā Apoſtolis tradita eſſe, quę non ſint ſcripturis comprehenſa. Verū uide Hirce, cùm fatearis ipſe diuinis literis, nihil de indulgentijs proditum eſſe, cur illā Pauli ſententiam ad indulgentias detorquebas? Pudeat uerò Chriſtianas mentes recipere, quod non communiere ſacrę literę. An non humanas traditiones ubiq; in Euāgelio in Epiſtolis Paulus inſectatur? Humana uerò uoco, quę non prodidit ſcriptura. Nam quod tu dicis multa tradita eſſe, quę nō ſunt mādata literis diuinis, planē impiū eſt. Fateor, ut Ioannes ait, eſſe geſta pleraq; quę ſcripta nō ſint, ſed doctrinā legū et Euangelij integrā proditā aio, ita ut deſiderari nihil poſſit. Alioqui ſi ex hominū conſtitutionibus, opinionibus, & cōſuetudine pendeamus, quid erit Chriſtianiſmo incertius? Apage ſis mihi iſtud inſipidū ius, & illas prophanas cōſtitutiones quas producis, ut probes ueteres ritus tuendos. Quid aūt. quòd illę leges etiam iubent autoritati cedere uſum & conſuetudinem. Sed ego oppono unū Paulum omnibus hominum commentis, qui nuſquam nō iubet caueri humanas traditiones. Referre putat Paulus, ſciamus, quæ à quibus didicerimus. Porrò, quæ conſuetudini debemus ea unde, quibus autoribus accepimus? Sed quid in meridie lucernam? Planior eſt res, quàm quæ pluribus uerbis tractari debeat. Quid enim cogitare putatis bonos uiros ac prudentes, cùm audiunt ueſtra omnia ex hac una ratione pendere, quòd multa geſta ſint, quę nō ſint conſcripta. Non ne ſtatim ſuſpecta omnia facitis, cùm ipſi fatemini incerto autore prodita eſſe quæ defenditis?

De Turcicis etiam bellis dicendum erat, de quibus iſte tam multa, nempe ut inuidiam apud uos Luthero conflaret, cùm Lutherus non aliud dixerit, niſi pium eſſe, ut noſipſos prius emendemus, quām ferro in Turcas graſſemur. Quod quām non ſit impiē dictum, quid eſt quod diſputem. Porrò autem quan

Responsio de bellis Turcicis

to Christianius erat prædicatione Euangelij eos ad pietatem uocare, quàm bello cogere, Imò quàm ferro nihil profectum sit, satis adparet. Cùm nostris bellis uelut excitatus ab ultima Asiæ parte, propemodum in mediam Europam nos secutus sit. Neque uerò damno principes maiorum uestrorum studium, qui suas uires experiri Turcam uoluere, sed stultorum pontificum accuso impietatem, qui illos Turcis obiecere, ut ipsi interim domi dominarentur. An obscurum est, quo consilio Henrici & Friderici in Asiam ablegati sint? An obscurum est, quàm infeliciter dimicatũ sit ad Varnam, cùm pium fœdus Hungarici regis & Turcæ, impiè rescinderet Cardinalis Iulianus, an non satis pœnarum pro perfidia dedimus? amisso rege Hungarico, ut cætera taceam. Horum uos monere uolui, ut ipsi cogitetis quàm parum pia sint hoc genus, Turcica bella, quæ nos iam aliquot seculis gerimus. Quid quod Romæ finxerunt hactenus toties, bella minari Turcam, quoties Germaniam deprędari libuit. Postremò arguit inconstantiæ Lutherum Hircus, quòd cùm ad concilia Ecclesiastica prouocet, neget tamen quæ à conciliis decreta sunt. Audi Hirce, non modò à conciliis, non modò à Romano Pontifice, sed à pueris etiam doceri uolet Lutherus, si scripturam doceant. Ad hominum commenta non modò non pontificis, sed ne conciliorum autoritate adigi poterit. Imò anathema esto, quisquis docuerit præter id quod prodidere diuinæ literæ. Quòd negas prouocandum à Pontifice Romano ad Synodos, idq; iuxta Ephesini Concilij decretum. Primum non constat quid Ephesina Synodus statuerit. Deinde piam esse prouocationem ad Synodos Paulus docet, cùm rerum ecclesiasticarum & causarum fidei iudicium negat penes Episcopos esse debere, sed penes sedentes, ut ipsius uerbo utar. Hanc ego sententiam grauissimi Apostoli non patiar mihi cuiusuis Synodi decreto extorqueri. Superiore seculo & à Pio, quem sic uocabant Pontifice, & à Iulio cautum est, ne quis prouocaret ad Synodos. Quæ constitutio quàm non sit pia, hic Pauli locus arguit, qui penes sedentes esse iudicium causarum fidei docet. Ergo impiè errant qui soli Romano pontifici de causis pietatis iudicandi autoritatem tribuunt, & pertinere cognitionem earum ad uniuersam ecclesiam illud in Act. Apostolicis exemplum etiam testatur, ubi non modò Apostolorum, sed communi seniorum & totius Ecclesiæ consilio decretum est, de libertate Christiana. Sic enim ait Lucas: Visum est Apostolis, & senioribus, & uniuersæ Ecclesiæ. Quid est igitur quod dubitemus utrum ad uniuersam Ecclesiam cognitio causarum fidei pertineat, quando id iubet & Apostoli Pauli sententia, & primæ Synodi exemplum, tantum abest, ut à stultis & impijs Pontificibus appellare Synodos non liceat, Proinde Principes optimi, nihil uos illorum insani & impij clamores interturbent, quò minus de hac causa & fortiter, & Christiano spiritu iudicetis. Non hoc agit, ut se seruetis Lutherus, sed ut Euangeliũ tueamini, cuius gloriam ipse libenter sua morte empturus est. Nõ deprecatur ignes, nõ formidat ullã neq; hominum, neq; dæmonũ uim. Nam si Christus pro nobis, quis contra nos? Vestra uerò interest, restituere ac tueri doctrinã, quã sanguine suo dedicauit Christus, qua præscripsit una ad salutem uiam. Qui diuersum docent suo uentri, suæ tyrannidi, suæ gloriæ, non saluti uestræ, non gloriæ Dei consultum uolunt. Non possum efficaciori ratione uobis Euangelium commendare, quàm cùm adhortor, ut sua cuique curæ salus sit, quæ si uos non habet solicitos, non iam ego apud Christianos principes, sed apud Diocletianos, apud Maxentios dico.

Peroratio.

dico. Quòd si est in uobis Christi spiritus, cogitabitis quorsum res Christiana prolapsa sit, quàm sit Antichristi Romani regnum à Christo alienum, quàm pro diuinis legibus, pro Christi Euangelio impia et pestilens doctrina recepta sit, & ex impia doctrina, humanis constitutionibus, qui ritus, quàm prophani in ecclesia confícti sint, ut uideri nunc demum possit, O miseros nos, Christus datus gentibus ad illudendum. Quantillum enim interest inter illam gentium Idolatriã, & hunc Ecclesiæ statum, gentilis doctrina, philosophia admissa est, & ad hanc omnia sacra dogmata referri solent. Ad philosophiam accesserunt pontificiæ leges, quæ præter lites quid aliud docent, quàm stultas & impias ceremonias? Episcopi, quibus est demandata functio Euangelij prædicandi, luxu, & splendore cum regibus gentium certant, & haud scio an priscam Cæsarum luxuriam uincat etiam Romæ Pontificia. Et hanc dissimularemus quidem, nisi prætextu nominis Christi sibi quiduis arrogarent ij, qui se Christi uicarios, & iure quidem diuino, inuerecundè & impiè uocari uolunt. Forsan in hoc excitauit Deus Lutheri spiritum, ut ex hoc iræ tempore, ut cum Daniele loquar, aliquos per Euangelium suum euocet. Forsan hanc scintillam lucis Euangelicæ donat miserabili huic seculo, quam restringere sit piaculũ. Deum, aras & templa uiolare nefas censetis, quantò magis præstandum uobis est, ne Euangelicas literas uioletis, quas tam sanctas orbi terrarum esse uoluit cœlestis spiritus. Proinde principes quæso, Euangelij maiestatem saluam uelitis, & ab illis pseudochristis doctoribus, Theologastris, & Antichristi Romani tyrannide reliquias Ecclesiæ fortiter uindicetis. Nulla uos superstitio simulati nominis Christi, & Apostolorum Petri & Pauli, nullæ minæ, nullæ diræ, nullæ imprecationes deterreant, quò minus officium Christianorum Principum faciatis. Hanc ueluti gratiam diuinæ misericordiæ debetis cauere, ut ne pessum eat Euangelium, quod illa tam liberaliter orbi terrarum donauit, imò quod uelut aliquandiu intermortuum, nunc reuocauit in lucem, decet uos illius gloriam saluam uelle, cuius uos in terris uicem geritis. Quòd si quid prius aut antiquius habetis Euangelio, cogitate quàm ab officij uestri rationibus alieni sitis. Quàm gratum officium Deo fecit Ezechias, cùm serpentem æneum Mosi, cùm statuas & Idola aboleuit: optimi regis laudatissimum factum imitamini, & Ecclesiæ serpentes, scholastica dogmata, & Idola Romana perdite. Iosias, cùm audisset legis codicem repertum, nihil prius habuit, restituendo cultu diuino, templum sarcit & purgat, Idola deturbat, idolatras trucidat, phase domino celebrat: Quo facto mirum est, quàm conciliarit sibi diuinum fauorem. Huius exẽplo uos quoq; uoluit animare diuinus spiritus, ut impiam doctrinã, & tyrannidem conscientiarũ tandem è medio tolleretis. Prouehet conatus uestros Christus, & fortunabit, modò glorię Euangelij ex animo uelitis consultũ. Nihil de Luthero dico, de quo sentiãt inimici, ut libet, uos eũ è doctrina ęstima bitis. Iam .n. occalluimus ad istas inimicorum uoces, hæreticus, blasphemus, amens, & similes, quę uocabula si quis ex Hirci oratione tollat, ne duę quidẽ paginę reliquæ fuerint. Oportuit .n. Hircũ pro officio ἐξαγωδεῖν. De Euangelio tãtum dico, cuius autoritatẽ assertam cũ capitis sui periculo uult Lutherus. Vos uideritis ne quid indignum & Christianis et principibus admittatis. Expectat orbis terrarũ iudicium uestrũ, & publico exẽplo iudicabitis, quo uobis maiore tũ cura, tum fide omnia sunt expendenda, quæ ad Reipub. Christianæ salutem attinẽt. Atq; hoc unicè opto, ut spiritu suo cœlestis pater uos & erudiat & animet

animet, ut quid ſpectandum, ſequendumque ſit in hoc iudicio propriè certoque cognoſcatis, & quòd ſentitis, fortiter ſtatuere poſſitis. Neque enim admittit iudices diuina doctrina, niſi quorum animos diuinus ſpiritus illius ſenſu imbuit. Pleraque uos ab Euangelio auocabunt, receptæ hominum conſuetudines, uulgi opiniones, priuatarum rerum cura, & hoc genus multa, aduerſum quæ fortiter Euangelio animos obfirmabitis. Et qui illis non prætulerit dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, eſto anathema maranatha.

IN PERSONATVM ITALOGERMANVM HIRCVM.

Ἐμπεχθέντα κερῶν μεγάλου κρίοιο, ἀράξεις
Σείραις πουλυπλόκοις, ὦ τράγε νῦν σὰ κέρα.
ἔχεδιάζετο Φίλιππος ὁ Μελάγχθων.

ADVERSVS FVRIOSORVM PARISIENSIVM THEOLOGASTRORVM DECRETVM PHILIPP. MELANTH. PRO LVTHERO APOLOGIA.

VIde Chriſtiane lector, quæ Theologorum monſtra gignit Europa. Superiore anno Euangelium damnarunt Colonienſes ac Louanienſes Sophiſtæ, propoſitis quibuſdam nudis ſententijs, nec rationibus, nec ſcriptura confirmatis. Horum inſaniam uicere nunc, non diſsimili exemplo, quicunq; tandem ſunt, qui Pariſijs Lutherum damnarunt (adduci enim non poſſum, ut credam rem cõmunibus totius ordinis Theologici ſuffragijs actam eſſe) Nam præterquam quod illic pauciora reprobata ſunt, quantò durius hic & immitius tractatur Lutherus? Primùm adſcripta eſt Epiſtola cruenta, deinde adiectæ ſunt annotationes, in ſingulas Lutheri ſententias, & impiæ & atroces, pleraq; huius etiam ſiniſtrè detorta ſunt. Et uel hinc etiam poteſt colligi, qui ſpiritus, quæ intemperies agat decreti autores, quando ſpiritus Dei nihil non facit candidè. In uniuerſum eiuſmodi liber eſt, qualem Lutetiæ ſcribi poſſe nemo facilè crederet, ſiquidem ita uulgo perſuaſum eſt, in ea ſchola uelut in arce quadam, regnare Chriſtianas literas. Neq; negari poteſt, inde prodiſſe olim grauiſſimos homines, adeoque proximo ſeculo Gerſonem illum, plenum, ut adparet, Chriſtiani ſpiritus. ἀλλὰ κατὰ τὴν παροιμίαν. παλαὶ ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι μιλήσιοι. Atq; illi ſi nunc reuiuiſcerent hos iudices, quicunque ſunt, degenerem poſteritatem, putas, agnoſcerent? Nequaquam, ſed deplorarent tùm ſcholæ, tùm totius Reipublicę Chriſtianę ſortem, in qua pro Theologis Sophiſtas, pro Chriſtianis doctoribus, calumniatores regnare uiderent, agnoſcerentq; id eſſe tempus, quod apud Hieremiam Eccleſia deplorat, his uerbis: Abſtulit omnes magnificos meos dominus de medio mei, uocauit aduerſum me tempus, ut contereret electos meos. Quanquam ubi rem propius conſidero, uidetur Lutecia non peccare nunc primùm, ſed iam olim ineptire, cùm eccleſiaſtica doctrina, humanis diſputationibus uiciata, philoſophari cœpit. Conſtat enim nactam eſſe Luteciæ prophanam illam ſcholaſticen, quam Theologiam uocari uolunt, qua admiſſa, nihil ſalui reliquum eſt Eccleſiæ: Euangelium obſcuratum

ratum est, fides extincta, recepta operum doctrina, & pro Christiano populo, ne legis quidem, sed moralium Aristotelis populus sumus, et ex Christianismo contra omnem sensum spiritus, facta est quædam philosophica uiuendi ratio. O utinam contingat uobis spiritualibus oculis cernere, quid Ecclesiæ damni dederit uestra illa, apud uos & nata & exculta scholastica, quam à uobis acceperunt, quasi per manus, reliqua Europæ gymnasia. Oportuit enim idolis terram repleri. Et uel articuli uestri testantur, quàm pertinaciter inde usq; ab ortu scholasticæ philosophati sitis, in quibus quàm pauci sunt qui ad pietatem pertinent? Quorsum enim hæc? Ego currit, esse absurdam orationem, & interesse, nescio quid inter has orationes. Cuiuslibet hominis asinus currit, & asinus cuiuslibet hominis currit. Digna uidelicet Christiano gymnasio dogmata. Iam & palàm decretum est, philosophicas disciplinas esse ad pietatem necessarias, qui articulus à quo spiritu profectus sit non uidemus? Nempe ab eo, qui Euangelium obscurari uoluit humanis disciplinis. Et huic ut cesserit conatus non est obscurum. Nam quę schola usquam docuit purè sacras literas? Parisaica uerò, cùm hactenus tot annos philosophetur, his temporibus nõ iam philosophatur, sed nugatur tantùm de paruis Logicalibus. Quid est nugatius uersore Tartareto, & reliquis huius farinæ scriptoribus? quales hoc seculo penè innumerabiles tulit Lutetia. *Ioannis Maioris Parisiensis.* Vidi Ioannis Maioris commentarios (de moribus hominis non iudico) in sententias Longobardicas, quem nunc inter Lutetiæ Theologos regnare aiunt: Bone Deus, quæ plaustra nugarum? Quot paginis disputat, utrum ad equitandum requiratur equus? Num salsum mare à Deo conditum sit? ut interim præteream, quàm multa impiè scripserit de uoluntatis libertate: nam eo loco non modò à scriptura, sed ab omnibus pariter scholasticis uariat. Et cùm tales sint Parisij, non est quod mireris lector, cur parum propicij sint Luthero. Nihilo quondam æquiores erant Gersoni suo, uiro per omnia magno, cùm saniores essent Lutetiæ scholæ. Nunc quid fieret, cùm omnia plena sunt Sophisticis fucis? Compertum autem habeo esse ibi etiam quibus non displicet Lutherus, sed ita euenire solet non modò in sacris, sed & ciuilibus negocijs, maximè uerò in sacris, ut & pauciores sint, qui boni sunt, & plurimum possint, quos minimè oportuit. Id quod uidit etiam Homerus, quanq; cæcus, cùm ait, τὰ χερείονα νικᾷμ. Quis nescit enim in Capnionia causa per quas laruas res acta sit, cùm facultas etiam diceretur decreuisse. Septem, ni fallor, ad summum & in his Monachi aliquot, conuenerant, qui, sicut ipsi loquuntur, repręsentabant facultatem. Quid si idem hic accidit? Quanquam nõ refert qui decreuerint, quid decretum sit, considerandum est. Nec angelis Euangelium uiciantibus cedendum esse iubet Apostolus: Nos insulsis istis, & benè pinguibus magistris nostris, qui ne sua quidem parua Logicalia rectè dicerunt, cedemus? Apostolum neque potestates, neq; principatus ab Euangelio auellunt: Nos auellant hæ hominum laruæ? Quid enim sunt præter laruas? Valeat nomen magistrorum nostrorum, ualeat nomen Parisiensium, sed in suis scholis, in Republica Christiana, nihil ualeat præter uocem Christi, quam qui non audit, is Christi non est.

Nihil non referebat admodum respondere, quando præter nudas propositiones nihil opponitur Luthero, qui sua sic undique scriptura communijt, in primis in libello, quem inscripsit Adsertionem articulorum à Leone decimo damnatorum, ut impia iudicari, nisi ab impijs, non possint. Tamen iudicari paucis

paucis libuit unum aut alterum locum, ex quo æstimare reliqua,& iudicare de toto decreto liberius possis. Principio,nisi alicuius conducticij rhetoris est Epistola,quam præfixerunt decreto: næ egregiè ineptijt Theologus ille, quisquis est, qui scripsit,quæ nihil pręter muliebres quasdam furias continet. Qualia enim quæso sunt? solus uult sapere,contemnit nos,Manichæus est, Montanus est, insanit. Coherceatur igni & flamma, quod non sciuit ita congruè dicere. Porrò hic etiam uulgus communem sensum in ista ficticia facultate desiderabit, quòd igni potius perdendum ait, quàm ratione uincendum esse Lutherum. Quis non rideat hic muliebrem, & planè monachalem impotentiam? & cum supportatione liceat mihi monere spectabilem dominum Decanum: Parcatis domine Decane, uos estis iam iratus,Num ignoratis, quod ait Poëta: Furor, iracp; mentem præcipitat?

Nusquam per gratias sic ineptierunt, uel Colonienses,uel Louanienses, ut propemodum credam non omnino temerè dictum esse à quibusdam ueteribus, cerebro Gallos carere. Accusant hæreseos Lutherum, non quòd à scriptura, sed quòd ab uniuersitatibus,sanctis patribus,cõcilijs dissentiat. Deinde prima principia fidei uocant, Vniuersitatum,sanctorum patrum,conciliorum sententias. Hic ego uestris etiam decretis, si res est obscura, uobiscum agere possem. Quid autem manifestius est, quàm nec uniuersitates, nec sanctos patres, nec concilia posse articulos fidei condere? quandoquidem fieri potest, ut errent, non modò uniuersitates, sed & sancti patres & concilia, quòd si mihi non creditis, Occhamo saltem uestro credite. Ecquid igitur principia fidei uocatis hominum opiniones? Quis ignorat à Paulo dictum esse,fundamentum aliud poni non posse, præter id quod positum est, loquitur enim de doctrina. Ecquos nouos articulos fidei Magistri nostri Parisienses addent, nisi suos illos fortasse rancidos & in popinis natos articulos? Iam cùm articuli fidei nulli sint, nisi quos præscripserunt sacræ literæ, cur impium est uel à concilijs, uel ab uniuersitatibus, uel à sanctis patribus dissentire, modò à scriptura non dissentiamus? At non dissentit à scriptura Lutherus, etiam uestro iudicio, cur igitur impietatis accusatur? At dissentit à scripturæ expositione,quæ hactenus per patres, per concilia,per scholas recepta est. Hæc est,ut uideo,controuersiæ summa. Hic ego Magistri nostri,interrogo,ita ne sit prodita scriptura, ut sine conciliorum,patrum, ac scholarum expositione,certa eius sententia colligi possit an non? Quòd si negabitis,certam per sese scripturæ sententiam esse sine glossis, non uideo cur oportuerit edi scripturam, si nolit spiritus sanctus certò constare,quid nos sentire uellet. Aut cur omnino nos ad scripturæ studium inuitant Apostoli, si incerta est eius sententia? Quid quòd eatenus sibi credi patres uolunt,quatenus per testimonia scripturę sua communierunt? Quid quòd etiam uetera concilia sine scriptura nihil decreuerunt, & hac ratione inter concilia uera & falsa discernimus, quòd hæc cum scriptura euidente consentiunt, illa à scriptura dissentiunt. Proinde dabitis mihi certam esse scripturæ sententiam ac perspicuam, ita ut ipsa, si quis alicubi locus est obscurior, sese exponat; præsertim in his quæ sciri, credicp; uoluit spiritus sanctus. Voluit autem haud dubiè legem cognosci,ut quam iubebat etiam ędium uestibulis inscribi, & insculpi uestium fimbrijs. Voluit item cognosci Euangelium, hoc est,rationem iusticiæ donatæ per Christum. Nam cùm debeat esse petra, uerbum Dei, cui innitatur anima, quæso quid sentiet de eo, nisi certum sit, quæ sit sententia spiritus

Responsio de patribus & Concilijs.

ritus Dei? Iam cùm certa sit scripturæ sententia per seſe, debet præferri non modò scholis, aut patribus, sed & concilijs diuersum sentientibus, Apostolo ad Galatas autore. Si angelus de cœlo Euangelizet,præterq; quod Euangelizamus uobis, Anathema sit. Liceat igitur Luthero opponere certam scripturę sententiam concilijs, patribus & scholis. Quid hic Sophistę respondebitis? quas hic nobis glossas? quæ parua Logicalia? quas obligationes comminiscemini? Aut negate certam esse scripturæ sententiam,aut permittite Luthero opponere scripturam quibusuis diuersum sentientibus.Iam nec hoc permittemus uobis, aduersari uel patribus,uel concilijs Lutherũ. Et ut de patribus primum loquar, an non Lutheri de libero arbitrio,de gratia, si rectẽ rem æstimes,sententia tota Augustini est. Et hunc per omnia secutus est in cõmentario ad Galatas? extant utriusq; commentarij, quos si conferas, uidebis conuenire inter eos de rerum summa. Extant Augustini libri aduersus Pelagianos quos ille iã natu grandior scripsit, eos si contuleris cum Lutherianis dogmatis,uidebis de summa rei conuenire. Fortasis alter alicubi quiddam dixit argutius,& multa Lutherus diligentius (rumpite uos interim Magistri nostri) quàm Augustinus.Sed hoc ad rei summam non ita multum facit.Ecce in primario loco, adeoq; in eo,in quo potissimum regnat Lutherus, habet ὁμόψηφον Augustinũ & patronum minimẽ uulgarem, habet item suæ sententiæ testes, quotquot in ea disputatione Augustino suffragantur. Suffragatur autem Cyprianus: nam illius enarrationem in orationem dominicam fideliter citat:Suffragantur & qui post Augustinum scripsere, autor libelli de uocatione gentium:nam Ambrosij non uidetur esse, Maxentius apud Græcos. Porrò ex Augustini libris eos recipimus, quos ipse potissimum probari uoluit.Atq; hæc ideo recenseo, non quòd magni putem referre, quid scriptores senserint, quicunq; tandem sunt, quando de scripturæ sententia constat,sed ut satisfaciam morosis, qui putant nouasse omnia Lutherum, cùm is aliud non egerit, quàm ut reuocaret nos ad scripturam, adeoq; ad patres etiam, qui ad scripturæ sensum proximè accesserunt. Vos quid agitis? num aliud,quàm ut in Scoti formalitatibus, in Occhami connotatis grandescant potius, quàm in Christo, Christianorum animi? Nec aliter exorienti Euangelij luci (audite Sophistæ non intellecturi) aduersamini, atq; Mosi, Iannes & Mambres: Quorum posteritas est Sorbonæ familia,nempe ex illa Serbonitide Aegyptiaca prognata.Porrò qua fide aliquoties citaueritis aduersus Lutherum Augustini sententias paulò pòst monebo. Iam & præter locum de libero arbitio & gratia,ueterum est, quòd non uult distingui Lutherus legem in concilia & præcepta. Quod commentum soli scholasticæ Theologiæ debemus, quæ ubi cœpit diuinam legem ad philosphiam Aristotelis exigere, pro libidine refixit, quas uoluit leges Dei. Quis enim ueterum non pro necessarijs legibus habuit, ea quæ sancita sunt de non uindicando.Hilarius, Exigunt,inquit, Euangelia ulciscendæ iniuriæ dissimulationem. Augustinus in sermonibus domini in monte, præcepta uocat,quę isti concilia, atq; ita disputat, ut necessariam esse legem de non uindicando adpareat. Et in hac sententia est Chrysostomus,qui tantum abest, ut uindicari permittat, ut non aliam legem exigat pertinacius. Extat illius ὁμιλία, quã si licet uobis per parua Logicalia,Magistri nostri, relegite.Quòd cum Aristotelis Philosophia non conuenit lex, non laboramus.Quid enim ad nos quid ille impurus homo commentus sit? Num Christo pluris Aristotelem faciemus? Sed de hac lege

infrā paulō plura diſſeremus. In pleriſq; locis alijs idē oſtendi poteſt, conuenire Luthero cū ueteribus. Sed cūm ex ſententia de libero arbitrio & gratia, ferē colligi poſſint, quæ de contritione, & ſatisfactione ſcripſit Lutherus, quid attinet multis patrum teſtimonijs agere, niſi quod ἐμ τῇ μεσημβρίᾳ λύχνον ἅπτειϛ.

Sunt autem quædam in Lutheranis, quæ in patrum ſcriptis non facilē reperias, qualia ſunt quæ de ſacramentorum numero, de confeſſione, de uotis, deque ſimilibus temporum noſtrorum cauſis prodidit. Non enim illorum temporum ratio ferebat, & adhuc purior Chriſtianiſmus, ut de pauciorib⁹, quām nunc dubitaretur. Nondum habuerat ea ætas Pontificum tyrannicas leges, nondum habuerat Magiſtros noſtros Pariſienſes, adeoq; articulos Pariſienſes, qui Euangelium adeo obſcuraſſent. Fortaſſe meridies erat Euangelij, nunc ueſper eſt, & unā cum peccatis noſtris, etiam cæcitas, peccatorum noſtrorum atrociſſima pœna mentes occupauit, quæ pro Euangelio humanas doctrinas, Sorbonæ Theologiam ſuggeſſit. Eam pœnam his temporibus an non ubiq; interminatur ſpiritus domini in Prophetis? Et Paulus ait fore qui à fide diſcedant, qui corrumpant humanis doctrinis Euangelium, & hoc genus multa, hi, niſi ſunt Sorbonæ Theologi, non intelligo quid uelit Apoſtolus. Vides lector conuenire magna ex parte Luthero cum Theologis ueteribus. Quantō iuſtius igitur in magiſtros noſtros Pariſienſis retorſerimus? ineptire eos, qui Theologiam nobis præſcribunt, ne per ſomniū quidem celeberrimis Eccleſiæ Doctoribus cogitatam. Quod ſi impietas eſt refragari patribus, nemo magis impius eſt Pariſienſibus diſputatoribus, qui in principalibus Theologiæ locis, uelut ex diametro cum patribus pugnant. Bona patrum pars, peccatum uocat & uicium, quicquid ſine ſpiritu Chriſto fit: Hi non modō non peccatum, ſed & meritum congrui cenſent eſſe moralia quædam, ſic loquuntur, opera: O cæcitatem. Bona patrum pars negat poſſe legem fieri ab homine per uires humanas. Hi diſtinguunt, Audi lector, Pariſienſes blaſphemias, poſſe legem fieri, quoad operum ſubſtantiam: non poſſe, quoad præcipientis intentionem, quaſi uerō præter ſubſtantiam operis, amplius aliquid requirat legislator. Vtinam mihi Pariſienſes iſta coram uobiſcum, in ueſtra illa Sorbona, daretur commentari, ut uiderem, num uos tam craſſi, tam putidi, tam Sorbonici commenti puderet etiam. Veſtra eſt illa Magiſtri noſtri, non Lutheri Theologia, quæ à patribus diſſentit. Ad uos Tragica iſta noſtra pertinent, impios eſſe, qui ab Eccleſiæ Doctoribus uariant. Et hactenus quidem de Doctoribus, nunc Concilia uideamus. Quibus tandem concilijs refragatur Lutherus? Videri uultis Lutheri doctrinam ueterum concilijs damnatam, cūm ex eo Montanum, Manichæum, Hebionem, & quid non, facitis. Hic aut rhetoricari uoluit Epiſtolæ autor, aut nihil eſt Sorbona Pariſienſi tum malignius, tum impudentius. Veterum hæreticorum nomina, quo conſilio in Lutherum congeſſerint, quis eſt qui non olfaciat: nempe quō odioſius Lutheri nomen fieret. Deinde id quām malignē factum ſit, facilē deprehendent etiam mediocriter eruditi. Nam quōd Montano confertur Lutherus, quis non uidet, quām non fiat candidē? Sibi credi uolebat Montanus, & fidebat ſuo quodam ſpiritu: Lutherus nihil uult ſibi credi, ſed euidenti & perſpicuæ ſcripturæ: Nihil de ſuo ſpiritu, ſed de ſcriptura iactat. Quantō propius ad Montanum uos accediti⁹, qui uultis ut ſpiritui hominum, conciliorum, patrum, et Vniuerſitatum credamus,

Pariſienſes repugnant patribus.

credamus,potius qãum ſcripturæ: Imõ nihil niſi Montani eſtis, uos Pariſiẽſes Sophiſtas uolo, qui hoc decretum ſine ſcripturis edidiſtis, iactatisq; uos fidere Apoſtolico more, quaſi conſtet eundem eſſe ſpiritum uobis, qui Apoſtolis erat. Sed de his poſtea.

Quæſo te Chriſtiane lector,nunquid putes eſſe Chriſtiani ſpiritus in Sorbona illa,quam adeõ nihil pudet mentiri? Nam cũm palãm ſit ipſimet Sorbonę, nihil conuenire inter Montanum,& Lutherum,audet tamen Montani nomine optimum uirum infamare,Iam & Ebionem ex eo fecit, nihilo uel candidius,uel cautius. Exigebat Ebion ceremonias,leges,Lutherus uerõ non exigit, ſed liberas eſſe permittit, ut quiuis pro oportunitate, ac caritatis officio, ſe attemperet uel inſeruiat legi, uel negligat citra culpam. Nam ita ſentiebat & Paulus in ultimo ad Galatas capite exæquans ceremonias,ritusq; : In Chriſto Ieſu, neq; circunciſio aliquid ualet, neq; præputium,ſed noua creatura. Et in prima ad Corint. 7. Circumciſus aliquis uocatus eſt,non adducat præputium: id eſt, ſi inter legis obſeruantes uocatus es,inſerui eorum conſuetudini: In præputio autem aliquis uocatus eſt, non circuncidatur.Circumciſio nihil eſt,& præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei, &c. Satis,opinor, perſpicuum eſt, quid inter utramq; ſententiam interſit, ſatis etiam puto liquere, quàm candide Lutheri ſententiam ad Ebionis hæreſim detorſerint. Eiuſmodi eſt item, quõd Manicheum nomen tribuunt Luthero, idem Auguſtino Pelagiani tribuebant, ſicut ipſe teſtatur in primo libro aduerſus duas Pelagianorum Epiſtolas,in capite ſecundo, ſic enim diſtinxit ſcriba quiſpiam. Non pudebit Lutherum eius conuicij, ſi quidem cum Auguſtino commune habet, quo non habuit Manichea factio uehementiorem hoſtem. Pelagiani,imõ Pelagianis impuriores ſunt ſcholaſticæ Theologiæ ſcriptores,quare nõ eſt,quod miremur cur Manicheum uocetis Lutherum, qui præter ſcholaſtica, hoc eſt, bis Pelagiana nihil ſapitis.Et Auguſtinus, ut excuſet Manicheum nomen, nõ eſt obſcurum ex Apologia aduerſus Pelagianorum Epiſtolas. Atq; eo loco de ſeruitute uoluntatis aptius differere uidetur, quàm ubi cum Felice Manicheo diſceptat.Patrocinabitur idem, ſi recipitis, & nobis. Quod ſi adeo cæci ſunt Magiſtri Pariſienſes,ut ſeriõ arbitrentur nihil intereſſe inter Lutheri ac Manichei ſententias,quid,quæſo hoc hominum genere cęcius eſt? Rurſum ſi per malitiam tribuunt, quę ad eũ nihil pertinere intelligunt,quid malignius? Eſt autẽ Manichea ſentẽtia prolixior, quã quæ hic recenſeri debeat,quod toto doctrinę genere diſſentiat à Chriſtianis dogmatis, ſi quid Auguſtino illius dogmata paſſim recenſenti creditur.Et,quod ad hanc cauſam attinet,ſic Manicheus negabat humanæ uoluntati libertatẽ,ut negaret eſſe ſubſtantiam,quæ renouaretur,adeoq; libertatis capacem.Lutherus ita negat libertatẽ, ut eſſe cenſeat ſubſtantiam ,quæ dum per ſpiritum renouatur, à ſeruitute adſeritur. Ex his facito lector de reliquis coniecturã. Nam qua fide hæc quæ cõmemoraui ad Lutherũ detorta ſunt,eadem & pleraq; alia.Redeo nunc eò unde digreſſus ſum.Palãm eſt ueterũ Concilijs non eſſe reprobatã Lutheri doctrinam,ſi quidem ei uſq; adeo nihil cũ hęreticis conuenit.Quanq; hoc etiam loco conſiderandum erat, ut maximẽ cõueniret cũ illis Luthero, quid qua ratione in ſingulis factionibus hęreticorum damnatũ ſit, nam quę tam deplorata fuit hæreſis,quæ nulla in re nõ peccarit? Iam hęc omnia,ita ſcribo,non quõd uelim eam etiã priſcis ſynodis autoritatẽ eſſe,ut,ſi opponat euidentem ſcripturã Lutherus cuicunq; Synodo, de

scriptura cedendum sit, sed ut moneam lectorem quantum tragicis illis Magistrorum Parisiensium uocibus credendum sit: Lutherus damnat omnia Concilia, sanctos patres. Montanus est, Ebion est, Manicheus est, Artotyrita est, & hoc genus alijs. Fuerunt autem papistica Concilia aliquot, intra hoc tempus regni Antichristi Romani, his refragari se fatetur Lutherus, sed præeunte scriptura euidenti. Et cur non refragaretur? quando in illis tam multa impia aduersus Euangeliũ constituta sunt: Claues Ecclesiæ esse omnibus communes negat Viennense Concilium: Ecclesiam esse prædestinatorum uniuersitatem, negat Constãtiensis Synodus: Eadẽ decreuit esse quędã bona opera prẹter gratiã. Quę sententię ex diametro pugnant cũ Euãgelio. Aduersatur igitur cõcilijs Lutherus, Christo duce, aduersus quẽ qui decreuerũt, non erãt Christi Ecclesia, sed Antichristi. Nihil ne peccauerũt eæ synodi, Lugdunensis credo & Viennẽsis, quę Pontificũ Epistolas adprobarũt? in quibus uel cap. Ad abolendã. Item, c. Venerabilẽ, quis ferat: Quid est igitur quod concilia iactatis Sorbonę Theologi, nihil nisi Sorba? Negare non potestis, quin aduersum scripturã nihil liceat constitui, & reuelli posse, si quid contra illã sit decretũ. Permittite igitur Luthero Conciliorũ decreta ad Euangeliũ exigere, permittite prẹferre Euangelium, si quid diuersum constitutũ est. Verbo Dei etiã angelos cedere par est, cedant & portæ inferorũ, cedant homunculi, quibus constitutiones Papisticas debemus. De Vniuersitatibus non est quod laboremus: nã omnes scholas esse hęreticas uel Theologia scholastica coarguit. Hic conclamate Magistri nostri, Blasphemauit, Gymnasia hęreseos accusat. Rectè, sicubi profitentur, quę ab Euangelio dissentiunt, ut dissentit Parisiorũ scholastice, quę iã sola in omnibus ferẽ Europæ scholis regnat, ac Lutecię potissimũ. Proinde nihil est, quod mireris lector, cur Academijs aduersetur Lutherus, domibus mendacij, ut Micheas appellat. Sed quis credat, inquies, tot errare? Errant quotquot diuersum ã scriptura docent, quotquot illam impiam scholasticen probãt. Sed tam multi? maximè. Nam & in Samaria inter quã multos sacerdotes Baal, quàm pauci erant Heliæ? Propone oculis uniuersam tũ Iuda, tum Samariæ historiam, in qua prẹlusum est Ecclesię, quã paucos Prophetas, quã multos Idololatras, & postremo tempore quantũ Zadducęorũ & Pharisęorum, hoc est, sacerdotũ ac Monachorum scholasticorũ reperias. Num obscurũ est, quod ab Ezechiele Propheta dictum est: Sicut mater ita & filia? Imitati sumus imõ uicimus omnia synagogæ portenta, ut prę nobis etiã illa pia uideri possit, ut Prophetæ sermone utar. Intelligis opinor, quantũ Luthero cum patribus, ac Concilijs conueniat, cũ scholis religio uetat conuenire. Nunc considera quid sapiant Sorba ista, cũm principia fidei uocant patres, synodos & scholas. Quanq̃, nisi nihil uideo, non hoc dolet, quõd patribus & Synodis contradicitur, sed quõd scholastica parum dignè tractatur. Hæc illa Helena est, pro qua decertant Magistri nostri. Ecquid non ita scribebatis in illa uestra planè Sorbonica præfatione, Nos sumus Magistri nostri, & profitemur scholasticam Theologiam, nihil neq̃ nobis cũ scriptura, neq̃ scripturæ nobiscum. Actũ est de regno nostro, nisi ẽ Synagoga eiecerimus, qui scholasticen non recipiunt, omnia nobis mouenda, miscendaque sunt, ne cadat scholastice, quæ nisi salua sit, nos perierimus. Esto cum scriptura, cum ueteribus patribus, cum ueterũ synodis conueniat Luthero, pereat, nisi reiectis illis, nos adoret. Principia fidei nos sumus, nõ scriptura, neq̃ uerõ pugnãdum est ratione cum homine illo, nempe principia, hoc est, Magistrorum nostrorum

Lutherus recentibus Concilijs refragatur

ſtrorum Sorbonicorum ſomnia,negante. Vapulet,pereat, qui negat prima principia. Dementia erat uocare fidei principia Synodos & patres quando fundamentum aliud præter ſcripturam poni non poteſt. At inſolens furor eſt, Sorbonicorum commenta ſcripturę anteferre. Hęreticus non ſit,qui à ſcriptura diſſentit,ſi hæreticus qui diſſentit ā Sorbis gallicis. Sed ualeant ineptię,quid enim attinet in re tam manifeſta tantum uerborum perdere? Quid enim manifeſtius eſt quām quod paulò antē diximus, perſpicuæ ſcripturæ, Synodorum quarumcunq; patrum & ſcholarum ſententias debere cedere?

Quin cætera in illa Sorbonica epiſtola perſequimur. Is cui credet,inquiūt, qui Eccleſiæ Catholicæ fidem habere detrectat? aut quomodo Catholicis adſcribetur qui Eccleſiam nō audit? cùm ex ore ueritatis dictum ſit: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Quæſo autem uos magiſtri, quid uocetis Eccleſiam, Sorbonam ne Gallicā? At ea eſſe Chriſti Eccleſia,qui poteſt, quæ à Chriſti uerbo aliena eſt? cùm uocem ille ſuam teſtetur ab ouibus ſuis agnoſci. Nos Eccleſiam uocamus,eam quæ uerbo Dei condita, uerbo Dei paſcitur,alitur, fouetur,regitur,breuiter,quæ omnia ex Euangelio comparat, de omnibus iuxta Euangelium iudicat: Nam, qui ex Deo eſt,uerba Dei audit: Rurſum, qui non audiunt, non ſunt ex Deo. Et cùm Eccleſia diuino ſermone parta ſit, haud dubiē eodem alenda eſt, agnoſcet uos Lutherus pro Eccleſia, ſi ſermonem Dei docueritis, non agnoſcet,ſi nihil præter fatuos,& rancidos articulos ueſtros produxeritis. Audit Eccleſiam, ſed eam quę uerbum Dei profitetur,illius ſe iudicio ſubijcit,quæ nihil non exigit ad uerbum Dei,quæ iudicium ſacrarum literarū non Sorbonicorum ſomniorum ſequitur. Quod enim monſtrum fuerit Eccleſia, ſi ad cuiuſuis Sorbonici ſomniatoris commentum uariatur? Quis Chamęleon,quis Polypus,imō quis Proteus erit mutabilior? *Eccleſia uera quæ ſit.*

Iam cùm diceret Chriſtus: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus,an non uolebat accuſari coram Eccleſia ſontem? Volebat et per teſtes conuinci,uolebat iudicari ſecundum præſcriptum, adeoq; Euangelium. Vos priuſq; accuſaueritis Lutherum, conuiceritisq; per ſcripturas, damnatis. Nudi quidam articuli ſine ſcriptura, ſine rationibus proponuntur, in quibus iam non accuſatur,ſed damnatur à uobis Lutherus. Num, ut reliqua ualeant, ſola Sorbona Eccleſia eſt,quōd excludit Lutherum ē communione piorū? Accuſare debebatis, non damnare. Scripturæ teſtimonia debebatis ſubnotare, non nudos articulos proponere, ac Eccleſiæ iudicium permittere. Nunc uos peruerſo ordine tum diuini, tum humani iuris,non accuſatis,non conuincitis,ſed damnatis tantūm. Nempe quia eſtis magiſtri noſtri Sorbonici. Pudeat tantum Sorbonæ Galliam tam impiē delirantis. Sed næ ego uehementer ineptus ſum, qui tam irreuerenter Sorbonam tracto, nouos hoc tempore gignentem Apoſtolos, Aiunt enim Apoſtolorum exemplum ſe imitari magiſtri noſtri, cùm nudas quaſdam ſententias,citra ſcripturæ autoritatem proponant. Atq; utinam nobis non hac tantūm parte referrent Apoſtolos. Scripturarum autoritatem Chriſtus citat, & ſibi uult fidem haberi propter ſcripturæ ſuffragationem. Paulus propē nihil niſi aliena uerba, hoc eſt,ſcripturæ ueteris teſtamenti ſonat. Apoſtolorum conciones quid aliud ſunt,niſi teſtimonia de Chriſto repetita ex ueteri inſtrumēto. Soli Sorbonę ſine ſcripturis credemus? Prodite uos ē Sorbonico ſpecu Magiſtri noſtri in hanc lucem,ut numqui oculi, numqua frons ſit tā ineptis hominibus uideamus. Scilicet Apoſtolicū inſti-

tutum est,prodere dogma sine testibus? cùm ne Christus quidem sine scripturis sibi credi uoluerit. Quin conferimus Apostolorum factum cum Sorbonico.Proposita de legis ritibus quęstio erat,ut in capite decimoquinto gestorum Apostolicorum scribitur.Ibi cùm uarijs testimonijs scripturæ & manifestis argumentis ac signis diuinus spiritus significasset,gentes non esse onerandas Iudaicis ceremonijs decretum est de libertate. Hic uos interrogo Magistri nostri, quibus signis, quibus scripturæ testimonijs adacti de Luthero pronunciaueritis? Quanq̃ ne signis quidem temere credemus, scripturæ tantùm credimus.Deinde deliguntur, qui Apostolorum mandata perferant uiua uoce, confirmentq̃ Ecclesiarum fidem. Vos quem mittitis ad Ecclesias, qui illis rationem sententiæ uestræ exponat? Postremò addunt Epistolã,in qua spiritus sancti testimonium allegant, cùm aiunt: Visum est spiritui sancto & nobis. Vos quem spiritum allegatis: Audite tandem uos surdæ aspides, Quem spiritum orbi terrarum testem allegatis uestræ doctrinæ? Spiritum Dei allegant Apostoli, nempe quibus certò constabat per scripturam de uoluntate spiritus diuini.Iam & Ecclesijs cõstabat de Apostolico spiritu,nos de spiritu uestro quid sentiemus? Quid si uobis aliquis dicat,quod ille in Act.Iesum & Paulum noui, uos autem qui estis? Quid quòd non ita scribebant Apostoli,quanquam spiritus testimonium citarent, ut putarent satisfactum rei tantæ, per nudam Epistolam, sed addebant nuncios, qui confirmarent Ecclesias, Sermone copioso. Hunc Ecclesię sermonem,non dogmata requirunt? Et Petrus uult Christianos paratos esse,reddere rationem fidei suę.Id nunc orbis terrarum uos quoq̃ Magistri nostri postulat.Iam antè palãm erat in scholis quid sentiret Lutecia: Extant enim uestri commentarij, extant scholasticæ disputationes,Nunc ratio illius uestræ doctrinæ quæritur: Nam articulos illos aduersus Lutherum, uel in media Germania potuisset puer aliquis è Gabriele, aut Scoto sublegere. Adeo non est obscurum quid sentiat Lutecia,sed obscurum est,cur ita sentiat.Rationem uestræ doctrinæ poscit Lutherus,non dogmata,nempe,quæ nisi nosset non damnaret. Atq̃ utinam ad cor redeatis,cogitetisq̃ de maioribus rebus ã Luthero agi,quàm de quibus uel Parisaicæ scholæ, uel Luthero citra scripturæ testimonium credi debeat,aut possit.Qui Luthero fauent,ideo fauent, quia reiectis hominum commentis, uident aliud non docere, quàm quod ipsę prodiderunt sacrę literę.Idem uobis credent, si conuenire intelligent cum scriptura, quia Christum requirunt tum ã Luthero,tum ã uobis.Arbitramini uos habere uasa cantici sicut Dauid? sic enim Propheta loquitur.Sed uobis tantum,idque intus,canitis. Lutherus canticum suum,hoc est, doctrinam adprobat toti orbi Christiano per scripturæ suffragia. Nihil ista ad Christianos,Magistri nostri sumus,Parisienses sumus,Sorbonici sumus, Parentes omnium diatribarum sumus.Nam uana nomina sunt, ad quæ iam penè obsurduit Germania.Proinde hortor,ut si impietatis notam excusare uultis,rationem uestri de Luthero iudicij exponatis.Conferte cum Lutherianis, non dogmata, sed argumenta dogmatum uestrorum, nisi Christiani haberi non uultis. Declarate aliquando quo spiritu ã Sorbonicis Apostolis damnatus sit Lutherus. Id non modò nunc expectat Christianus orbis, sed & postulat iure Christiani officij, ut doceatis, quid, cur damnaueritis.

Et ut finiam aliquando,in uno atq̃ altero loco uisum est ostendere,quæ insscitia sacrarum rerum,quæ impietas sit Sorbonæ,Nam inde facilè reliqua æstimari

mari poterunt. Lutherus sic de libero arbitrio scripsit: Non posse illud citra gratiam aliud quàm peccare. Nota res est & plana si scripturam consideres. Sic enim ait Apostolus Paulus: Affectus carnis inimicicia est aduersus Deum, Legi enim Dei non est subditus. Neq; enim subdi potest: Qui in carne sunt Deo placere non possunt. Et Ioan. 1. Qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt. Et scripturam secutus Augu. idem agit aduersus Pelagianos, hoc est, Sorbonicos Sophistas, non uno loco. Hic Sorba ista dissimulant scripturam, & Augustinum excusant Sorbonico commẽto, in quo solo deprehendes cœcitatem Sorbonicam. Quòd si unquam dubitatum est in quo genere literarum aut artium uersetur Lutecia, id nunc declarat hic locus, in quo palàm adparet, in tota ista Sorbonica facultate neminem esse, qui Augustinum attigerit. In ipsa scriptura quid possint facilè æstimari potest, quando ne Augustinum quidem, uulgarem alioqui inter Theologos scriptorem, uiderint. O Theologos, ô Sorbonam. Augustinus, inquiunt, cùm de gratia disputat, non posse liberum arbitrium bene operari citra gratiam, non de gratum faciente gratia loquitur. Cęcitas cæcitatum, & omnia cęcitas. De qua tandem gratia uir ille differit? cùm toties in uocabulo gratiæ uariasse Pelagium scribit, testatur se exigere gratiam iustificantem, seu spiritum sanctum diffusum in corda iustificatorum. Dona naturæ palàm reijcit, speciale auxilium Sorbonicum ignorat, qui potest igitur non de gratia iustificante loqui? Et ut rem ipsam æstimemus, quæso uos Sorba Sorbonica, unde gratiam gratum facientem nominastis? an non inde, quòd sola Deo conciliet? Quod cùm ita sit, cur sine gratia gratum faciente Deo aliquid acceptum esse fingitis? Pugnant inter se uerba, & dogmata uestra: Nomen gratum facientis gratię recipitis, uim uocabuli non recipitis. Sed uideamus in quam partem usus sit Augustinus nomine gratiæ. Possem eius totum librum de spiritu & litera adscribere, quando nulla pagina est in qua non fiat gratiæ mentio. Sed hæc sunt eius uerba, in capite quarto, de spiritu & litera: Sed ubi sanctus non adiuuat spiritus, inspirans pro concupiscentia mala, concupiscentiam bonam, hoc est, caritatem diffundens in cordibus nostris, profectò lex illa, Non cõcupisces, quamuis bona, auget prohibendo desiderium malum. Hic de qua gratia loquitur cũ palàm dicat, non posse nisi peccari sine gratia? Non 'ne uocat gratiam, caritatem spiritus sancti diffusam in corda nostra? Et uos Sorbonici, quid aliud uocatis gratiam, quàm caritatem? Sinite quæso impetrari à uobis, ut Augustinũ non dico relegatis, sed inspiciatis tantùm. Nam errorem uestrum nulla pagina est, quæ non coarguat. In capite nono, de gratia loquentem inducit Apostolum, cùm ait: Iusticia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes qui credunt. Hæc ad gratuita dona naturæ, aut ad speciale auxilium detorqueri possunt? O uos rudes, & uerè Sorbonici Magistri nostri, quis deinceps credet uobis uel oculos, uel mentem, uel cerebrum esse, qui in tam clara luce, tam nihil obscurè cæcutitis & hallucinamini? Ego hic per gratias nihil sic miror, atque in tota ista Sorbonica facultate neminem fuisse, cui Augustini sententia comperta fuerit, & uel hoc argumento est, ab uno atque altero Sophista editum libellum nomine facultatis ementito. Nec maiore fide de Ambrosij sententia iudicant Gallica ista Sorba, cùm constet in tota disputatione hoc agere autorem libelli, quisquis est de uocatione gentium, peccata esse, quæ citra gratiam fiunt. Et declarans de qua gratia loquatur, inter alia

testimonia hoc quoq; producit, quod & in epistola ad Hebrços ex Hieremia citatum est: Dabo leges meas in uisceribus eorum,& in corde eorum scribam eam.Quæ tantum abest, ut uel ad speciale auxilium Sorbonicum, uel ad dona gratuita detorqueri possit, ut gratiam per Christum donatam, quam uos gratum facientem uocatis, uix alius scripturę locus accommodatius describat. Num adhuc obscurum est & quomodo citarit Augustinum ac Ambrosium, Lutherus, & quid Sorbona sapiat quam hic animaduertimus tã crasse errare, ut ne crassius unquam Louanienses aut Colonienses ineptierint? O infelicem Galliam,cui tales contigere censores,sacrarumq; rerum arbitri, digniores qui cloacas agant, quãm qui sacras literas tractent. Ex hac sententia de libero arbitrio, consequuntur quæ de contritione, adeoq; in uniuersum de pœnitentia scripsit Lutherus. Et õ miseros nos qui iam ã quadringentis ferè annis neminẽ habuimus in Ecclesia scriptorem,qui rectam ac propriam pœnitentiæ formam prodidisset.Impositum est alijs per ficticias contritiones, aliorum conscientiæ sunt excarnificatæ per satisfactiones. Nunc tandem Dei misericordia respexit nos, reuelauitq; Euangelium populo suo, & erexit conscientias eorum quos uocauit.Si quæris quid contulerit Ecclesiæ Lutherus, habes hic summam rei, ueram pœnitentiæ rationem docuit,usum item sacramentorum ostendit, qua in re testes multorum conscientias habeo.Non uolo autem hic de pœnitentiæ formis aut sacramentis disputare, quando Sorba ista damnarunt tantùm Lutherum,non etiam uicerunt ratione,uel scriptura.Statq; ueritas Lutheranę doctrinæ inconcussa & immobilis, non modõ aduersus Sorba ista, sed etiam aduersus rectores tenebrarum.Vbi oppugnabunt scripturæ sententijs, ea quæ docuit Lutherus, nihil contabimur tueri. Nam hanc Lutheri doctrinam de pœnitentia,nec ex meo, nec fidelium ullorum corde extorquebit ulla uis inferorum,nedum Sorbonica,aut Papistica.

De lege & concilijs quid attinet iterum monere,cũ suprà ostenderim planẽ hac parte conuenire Luthero cum ueteribus? Tamen ut uideas quàm fortiter dispensent de lege diuina Sorbonici Sophistę,libuit ad eum locũ ueluti postliminio redire.Lex aiunt, de non uindicando, est nimium oneratiua legis Christianæ.O impios Sophistas, qui onus legis ab Aristotelica Philosophia æstimant.An non onus est naturæ,lex de non concupiscendo,est igitur abrogãda secundum Sorbonicos Sophistas? Oneri lex est de diligendo solo Deo, est igitur abrogãda? O insanos, ò impios homines,ad uos pertinet quod dictum est: Qui soluerit unum de minimis mandatis, minimus erit in regno cœlorum. Et cur non idem cogitabatis cũ de satisfactionibus pręciperetis? Nũ illę non sunt oneri adflictæ per sese conscientiæ? sed & noua onera cõminiscimini,& ea quę diuinitus imposita sunt abrogatis. Sic decet uos implere propheticas scripturas,Confirmare impiũ,& contristare cor iusti. Atq;, ut omissis multis, breuiter doceã exigi ne uindicemus,non consuli: Locus est apertus in 1.ad Cor.cap. 6.Iam quidem omnino delictũ est,quòd iudicia inter uos habetis. Quod si delictum est repetere rem iudicio,non dubium est quin exigat lex ne uindicemus. Hæc monere te Christiane lector uolui, ne ã Lutherana doctrina absterreret Sorbonæ autoritas,quæ quid sapiat,ex uno atq; altero loco hic cognosti. Et ex his quos annotauimus, reliqua æstimabis.Est enim sui similis Sorbona. Christum inter fabros citius, quàm in isto genere reperias. Tuum est interim unã mecum postulare Luteciam, rationem sui iudicij,quam ubi ediderit, de nostris nos quoq; copiosius differemus. Vale.

RESPONSIO PHILIPPI MELANTHONIS AD SCRIPTVM QVORVNDAM DELECTORVM A CLERO SECVNDARIO COLONIÆ AGRIPPINÆ.

PRAEFATIO MARTINI LVTH.



IVSTVS ES DOMINE ET RECTVM IVDICIVM tuum. Postquam Papatus repleuerat cœlum & terram ministris infinitis idolatriarum, & abominationum contra fidem & bonos mores, deinde & (quæ merces est omnium idolatriarum) fornicationibus & immunditijs omnium generum & specierum, ita ut apud uerecundas aures & mentes, non liceat eas nominare, quas nihil puduit eos facere, maximè in ipsa Curia Sanctissimi Papæ, reuerendissimorum Cardinalium, & lustris Canonicorum, tamen in eam peruersitatem cordis traditi sunt, ut non modò non dolerent aut pœniterent de suis tot & tantis malis, sed etiam riderent & delectarentur, seu, ut Salomo dicit, Lætarentur cùm malefecissent, & exultarent in rebus pessimis.

Memini enim ante plus minus triginta annos, cùm Iulius secundus reliquisset Leoni X. incoatum Concilium Lateranense, quo iam tum tempore mos erat, si mos uocari potest tam euidens furor sacris, ut poëtæ clarissimis uerbis utar, ædibus & altaribus proficere Ganymedas, paratam tum Bullam fuisse, qua caueretur, ne Cardinali plus liceret alere quàm quinque Catamitos. Et exitura erat in orbem Christianum, ea sanctissima Bulla istis pulcris scilicet figuris, morum & doctrinarum ornata, nisi Leo decimus eum locum expunxisset. Reliquit tamen, ne omnia expungeret, illud suauissimum decretum, scilicet, Deinceps credendum uel saltem docendum esse, quòd anima humana sit immortalis. Hoc decreto consultum, non sibi, sed miseræ Ecclesiæ Dei uoluerunt. Nam neque Leo ipse, neq; Curia idipsum credidit, Et adhuc hodie non credunt, Sed pro fatuis habent eos, qui credunt & confitentur.

Iactabatur enim historia de ipso Leone. Quòd ubi eum satietas hominum aut negociorum (id est exquisitissimarum uoluptatum) odium ceperat, duos Gnathones, seu Moriones ad cœnam sibi astare iusserit, quos animi gratia audiret de immortalitate animæ disputantes, alterum qui affirmaret, alterum qui impugnaret. Cumq; illi finita disputatione, quæstionem reijcerent in arbitrium Pontificis, sanctissimus scilicet ille & Apostolicus uir, plenus spiritu sic controuersiam definita sententia diremit: Etsi tu (inquit ad affirmantem) pulcras & bonas habes rationes, tamen ego sententiam huius probo, Quia facit bonum uultum. Hic uide, qui mores, quæ fides publicè in urbe ualuerit. De quibus pœnituerunt interim, ut cernere dignum est, more cancrorum, Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Nec tamen in his omnibus auersus est furor eius, sed adhuc manus eius extenta, ut Esaias dicit.

Vbi iam fessus orbis Christianus audiendo, uidendo, ferendo, ista horrenda exempla furiarum infernalium, gemeret alto corde & suspiraret saltem aliquantulam Ecclesiæ reformationem uidelicet in crassioribus turpitudinibus, actum est per optimum Cæsarem Carolum quintum, & Principes imperij, vt Papa indiceret Concilium, actum est autem iam per uiginti & amplius annos, Deus bone, quantis hîc & quàm non dicendis technis, artibus, dolis, mendacijs, Sanctissimi & reuerendissimi uiri distulerunt, deluserunt, imò illuserunt

illuſerunt optimi Cæſaris pium zelum, & omnium populorum expectationem? Ne ſcilicet Lernas, Camarinas, & Sodomas eorum impudentiſſimas & impuriſſimas ulla reformatio moueret aut tangeret. Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. In omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.

Igitur Cæſaris zelo ſemper ita fruſtrato & irrito, uerſi ſunt ipſi ad cœlum ſuum, ſeſe & ſuis ſanctiſſ. ſanctitatibus digniſſimum, ſecundum illud Pſal. 13. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Innumeros enim uiros & mulieres innocentiſſimos, ui, ferro, flamma, flumine, & omni genere crudelitatis, occiderunt, id eſt, obſequiũ Deo præſtiterunt, propter nullam cauſam, niſi quòd manifeſta ueritate conuicti, nollent hiſcere quenquam contra ſua iſta portenta, quæ iam ipſe ſol ægerrimè dignatur ultrà uidere. Et horum magna pars occiſa eſt, & occiditur, quod coniugium, Dei ſcilicet creationem, honorarint. Ipſi uerò, licet inter ſacramenta numerent (fictis uerbis) reuera tamen immunditiam apertis uerbis blaſphemant, dicentes: mundamini qui fertis uaſa Domini. Ideo iuſto iudicio Dei ipſi facti ſunt in pœnam damnati ab eis coniugij, mundiſſimi, puriſſimi, ſanctiſſimi ſcortatores, adulteri, μαλακοὶ (reliquas munditias cogit tacere pudor) Hoc uoluerunt, macte noua uirtute uiri, ſic itur ad orcum, Durate & uosmet rebus ſeruate nephandis. In his omnibus non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.

Poſt illa omnia, ubi uixerunt, fecerunt, occiderunt, & pro omni libidine ſua ſatanæ ſeruierunt, addunt hanc glorioſam cataſtrophen uirtutum ſuarum, ut libellis blaſphemis & maledicis, impleant mundum. Non quod putent ſeſe bonæ cauſæ patrocinari, ſed certiſſima conſcientia obruti, ſciant ſeſe agnitam ueritatem & ſpiritum ſanctum impugnare, & uoluntariè diabolum adorare. Qualis eſt autor huius Colonienſis libri N. & ſui ſimiles. In qua re nobis Chriſtianis præbent non miucundos ludos. (Non enim ſunt homines, quos miſerari poſſis, ſed diaboli incarnati, quos habitator cœli irridet Pſal. 2.) dũ ita torquẽtur, ita anxiãtur ſeu ut Eſaias dicit, Contritio et infelicitas in uijs eorũ, ut ſtabiliãt ſua idola, quæ ſtabiliri nõ poſſe uident, procedit inuitis ipſis aurora, & inclareſcit dies inuiſa illis, Inde fit, id quod Pſalmus dicit, Peccator uidebit & iraſcetur, dentibus ſuis fremit & tabeſcit, deſiderium impiorum peribit. Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Hac conſolatione nos animati ita formidamus formidabile illarum muſcarum roſtrũ, & turgentiſſimas Bullas, ut (quandoquidem ita uolunt) nihil magis optemus, quàm ut tales ſint ſcriptores, tales ſcribãt libros, tales defendãt cauſas, tales uiuãt ipſi uitas, tales moriantur mortes. Eant ergo, uiuãt ergo, faciant ergo, patiantur ergo ea ſemper & in æternum, quæ meretur eorum ſanctiſſima ſanctitas, quæ decent eorum ſapientiſſimam ſapientiam, quæ conueniunt eorum digniſſimæ dignitati, uel Apoſtolicæ uel Angelicæ maiori. Sanguis eorum ſit ſuper caput eorum, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum Amen. Nos mundi ſumus à ſanguine ipſorum, locuti, teſtati, uociferati, acti & paſſi ſumus omnia, ut Babylonem iſtam curaremus, ſed curari neque uult, neque poteſt. Derelinquamus eam, ut habitent in ea Onocrotali, Piloſi, Satyri, Vicely, Eccij, Rotzleffely, Fabri, digni hoſpites tali domo, & operculum patella. Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.

RESPON-

RESPONSIO PHILIPPI MELANTHONIS AD SCRIPTVM QVORVNDAM DELECTORVM A CLERO SECVNDARIO COLONIÆ AGRIPPINÆ.

NON dubito & inter ciues Coloniæ Agrippinæ, & in Academia, imò & in Clero, ut uocant, multos prudentes & graues uiros esse, qui uel scurrilitatem sermonis in libro nuper istic aduersus Bucerum edito detestentur, uel etiam res desiderent meliores. Ac profectò decuit eos, qui ad tantam causam agendam à duobus præcipuis ordinibus delecti fuerunt, non tam suæ petulantiæ morem gerere, quãm seruire & causæ grauitati, & ordinum dignitati, præsertim cùm & sciant Principem honestissima cura adfici rectè constituendarum Ecclesiarum, & Bucerum meminerint offerre se ad explorationem καὶ δοκιμασίαν iuxta Ecclesiasticam consuetudinem. Quid opus erat petulantia, cùm moderatione certare, & insuper addere spurcitiem sermonis, excerptis ex Plauti comœdijs obscœnis uerbis? Quorsum attinebat tantum conuiciorum quantum non una nauis uehat, ut ille fortis uir apud Homerum inquit, dicere aduersus doctrinam ueram, aduersus tot Ecclesias Dei, quæ certè Deum fiducia filij Dei inuocant, aduersus Respub. quæ præbent hospitium Ecclesijs. Hæc πάρεργα displicere multis grauibus uiris non dubium est. Quare cùm decreuissem pauca commonefaciendi lectoris causa respondere, initio præfandum esse duxi, me tantùm litigare cum autoribus illius insulsi & maledici scripti, nec uelle quidquam detractum de urbis celeberrimæ splendore, de dignitate Academiæ & uirorum bonorum in clero. Nam ut de urbe & de collegijs Ecclesiarum nihil dicam, certè Academias omnes propter doctrinarum uarietatem ueneror, & Coloniensem peculiariter colui, quòd ingenij mei culturam quantulacunque est, ipsi aliqua ex parte debeo. Audiui enim adolescens duos uiros præclarè eruditos, Georgium Simler, & Cunradum Heluetium, alumnos Academiæ Coloniensis, quorum alter Latinos & Græcos poëtas mihi primùm interpretatus est, deduxit etiam ad philosophiam puriorem, sæpe conferens Aristotelicam lectionem, quæ tunc erat in manibus, ad Græcos fontes, alter Conradus doctissimi & honestissimi uiri D. Cæsarij auditor, primum nobis Heidelbergæ elementa doctrinæ de motibus cœlestibus tradidit: quam ob causam & D. Cæsario peculiarem gratiam & uenerationem tanquam præceptori, debere me profiteor. Postea cum multis eius Academiæ alumnis fœdera amiciciæ sancta & perpetua fuerunt, cùm Buschio, cum Petro Mosellano, cum Metzlero. Sed longum esset omnes enumerare. Magnopere igitur bonos in Academia oro, primùm ne me existiment cũ Academia rixari: deinde, ut ueniam mihi dent, quod non, ut multorum iniurias, ita & hæc conuicia paucorum dissimulo. Dicam uerè quod res est: Facile erat contemnere cętera, memini illud Attici ciuis, qui cùm ei in in foro & populi concione quispiã diu conuicia multa dixisset, & discedentem omnibus probris onerasset, prorsus nihil respondit, sed tandẽ abiens, quia iam tenebrę noctis intendebantur, iussit ministrum suum ad illum transire, eique cum face præire domum redituro. Sed autor libri, quisquis est, in peroratione ait,

Conuicia Cleri Coloniensis

Amicitia Philip. cum alumnis Coloniensis Academiæ.

Georgius Simler, Cunradus Heluetius.

Ioannis Cæsarius.

Buschius, Mosellanus, Metzlerus.

nostro

nostros dicere blasphemias aduersus Spiritum S. Hanc tam diram criminationem præterire impietas esset. Multa Eccius, Pygius & alij multi rabiosè scripserunt: sed nescio an quisquam hac uerborum atrocitate uti ausus sit. Respondeo igitur nos uerè & ex animo cupere illustrare gloriam Dei & filij eius domini nostri Iesu Christi & Spiritus sancti doctrinam uerè & purè sonare, et Ecclesiæ saluti consulere, ut uerè inuocet æternum Deum patrem liberatoris nostri Iesu Christi, fiducia mediatoris, & petat regi omnes inuocantes Spiritu sancto. Vt igitur mandato diuino obtemperemus, & hãc inuocationem in Ecclesia purè sonemus, necesse est idola & uicioſos cultus taxari. Et non dubitamus Deo & uerę Ecclesiæ nostrum studium probari. Regulam etiam sequimur certam doctrinæ, scripta Prophetarum & Apostolorum, symbola, Apostolicum, Nicenum, & Athanasij, sententias synodorum ueterum, quæ probantur Nicenæ, Byzantinæ, Ephesinæ, Chalcedonensis, & similia purioris Ecclesiæ uetustæ testimonia. Nec dubitamus hoc genus doctrinæ, quod profitentur Ecclesiæ nostræ, uerè esse consensum Ecclesiæ Catholicæ Christi, quem & tuemur, & Deo iuuante semper fideliter tuebimur aduersus omnis generis furores Epicureos, Iudaicos, Ethnicos, Mahometicos, hæreticos, & quicunque idola defendunt. Nec ignoramus ueræ Ecclesiæ hæc certamina subeunda esse, etiam si has rixas, humana iudicia ualde uituperant. Sentimus enim Euangelium nõ esse commentitium, sed ueram Dei æterni uocem. Dissentimus ab Epicureis, qui putant confictas esse omnes religiones, ut initiõ ad pacem & ciuilia officia inuitari palabunda multitudo possit, & semper præsentem formam qualiscunque est, tuendam esse, ne harmonia politici status conturbetur. Respondi quantum nunc quidem uidebatur, ad conuicium omnium atrocissimum. Nec mihi quisquam tam est amicus toto orbe terrarum, quem non ducam esse refutandum, si audiam hoc eum conuicio genus doctrinæ quod sonat in Ecclesijs nostris damnare. Cohercere sapientes gubernatores hanc tantam petulantiam deberent, ne hæ uoces publicis cladibus luendæ essent. Deinde quæ unquam spes esse concordiæ poterit, dum conceditur malis ita debacchari in nostros. Ad hanc breuissimam defensionem pauca addam. Magnopere oro lectorem, ut diligenter consideret, quid in utraque parte reuera agatur, qua de re utrinque pugnetur. Scio multos Epicureos uel ridere, uel detestari, utranque partẽ. Sed ad horum scholam hæ controuersiæ non sunt referendæ. Boni qui non contemnunt Euangelium, considerent & Ecclesiam & quid in utraque parte agatur. Antequam hæc causa mota est magna ubique fuit caligo. Humanis ceremonijs monasteria, templa, imõ familię omnes ita fuerũt oppressę, ut Gerson et alij multi hanc carnificinam conscientiarum deplorauerint. Ethnico more inuocati sunt mortui: ad statuas concursationes factæ sunt. Doctrina pœnitentiæ fuit obruta spinis disputationum inextricabilium de confessione, de satisfactione, de indulgentijs. Silentium fuit de fide, qua accipienda est remissio peccatorum. Hæc ignoratio fidei, etiam inuocationem corrumpebat. Nemo recte discernebat legem diuinam & humanas traditiones. De lege diuina quàm absurdæ fuerunt opiniones, cùm scripserunt homines posse legi Dei satisfacere. Cœna domini magna ex parte ad mortuos translata est multis seculis & horribili idolomania contaminata. De uero usu Sacramentorum silentium fuit. Conciones publicæ multis locis rarissimæ fuerunt, alibi consumptæ sunt in fabulis de Georgio, Christophoro, Catharina, & similibus, aut in augendo

Responsio de obiecta blasphemia aduersus Spiritum sanctum.

Doctrina nostrarum Ecclesiarum consensus est catholicæ Ecclesiæ Christi.

Collatio partis utriusq; nostræ & Papisticæ.

Qualis ante Lutherum fuerit Ecclesia Papistica.

augendo quęstu monachorum. Iacebat doctrina de uera inuocatione, de fidei exercitijs in quotidiana uita, de dignitate uitæ politicæ. Si quis negat talem fuisse Ecclesiarum statum, non solum testimonijs optimorum uirorum refutari potest, sed etiam libris monachorum, qui adhuc extant. Et perspicuum signum est. Nunquam tot senes & graues uiri in Germania fauissent initijs renascentis doctrinæ purioris, nisi iudicassent Ecclesiæ opus esse emendatione. Fauebant autem omnes, qui non erant palàm Epicurei. Quosdam mediocres deterruerũt postea exorti tumultus, ut solet diabolus excitare scandala. Hanc nacti occasionem homines prophani & monachi, metuentes suo quęstui, inflammarunt principũ animos ad exercendã sæuitiam. Nos qui interea magno cũ labore & magno periculo in Ecclesijs & Scholis doctrinam puriorem tradimus, quid agimus? Num opes aut potentiam quærimus? Res ipsa nos purgat, multi enim docti & boni uiri, qui in ocio cum dignitate uiuere poterant, etiam uitæ suę hanc professionem antetulerunt, quales fuerunt Henricus Sutphaniensis, Iohannes Croesus Theologiæ doctor, Adolphus qui Coloniæ crematus est, & possem nominare alios multos. Nos qui sumus superstites, ut nihil aliud dicam, tranquillius uiuere poteramus, si ab hac causa alieni essemus, multis eruditio aditum ad magnas dignitates patefeciſſet. Principes nostri etiam sua onera non leuia sustinent. Sed hoc unum agimus, cupimus propter gloriam Dei propugnari et conseruari doctrinam puram et salutarem Ecclesijs. Sumus etiam hortatores, ut omnia ciuilia officia colantur à nostris. Studia literarum quadam non uulgari sedulitate tuemur. Sicubi exoriri falsæ opiniones cœperunt, summa diligentia & fide repressæ sunt, ut testantur scripta nostra, & ipsæ Resp. quæ Dei beneficio omnium in Germania maximè tranquillæ & sunt & fuerunt. Et quòd autor scripti Colonienſis nobis obijcit, accipere nos ab Ecclesia ueras sententias, id planè & libenter fateor & prædico. Nulla enim noua dogmata gignimus, sed ueterem & puram Ecclesiæ doctrinam quantum Deus concedit, illustrare studemus. Samson inquit: Nisi arasſetis mea uitula, non inuenisſetis, ita semper clamamus doctricem ecclesiam inde usque ab initio sonantem uocem Dei, audiendam esse. Sed cur inquiunt, cùm multa ab Ecclesia sumenda esse fateamini, non sumitis omnia, cur quædam conuellitis? Responsio uera est. Nullum Ecclesiæ dogma conuellimus, sed recentes errores, qui in Ecclesiam contra Euangelium & purioris Ecclesiæ iudicia irrepserunt, taxamus: denique ut Colonienſibus uerbis utar, non Ecclesiæ sed cleri Secundarij, hoc est, nothi & degenerantis, falsas opiniones reprehendimus. Econtra quid in altera parte agatur, uix suspicari possum. Vt enim in Psalmo dicitur: Oderunt me gratis, ita isti emergentem Euangelij lucem sine causa aliqua opprimere student. Sapientes aliqui præsentem politicæ Ecclesiasticæ formã aiunt fortiter propugnandam esse. Semper fuisse prudentum gubernatorum munus cauere legum mutationes. Sed si uerè uellent iudicare, intelligerent correctis uicijs, non dilacerari, sed muniri potius Ecclesiasticam politiam. Minus fortasſis esset splendoris, at plus uerorum ornamentorum doctrinæ, pietatis, autoritatis. Dimicant ergo de splendore, luxu, uoluptatibus, non de politia. Suntq; usitata hæc in Ecclesia certamina, & dijudicantur diuinitus. Quomodo diremtum sit certamen Apostolorum & Iudaicorum Pontificum uidemus. At nunc Pontifices uel maximè gloriari poterant se politiam à Deo constitutã propugnare. Nunc defendit Clerus Secundarius humanas, uicioſas,

Quale sit & fuerit studium nostrorum in explicatione piæ Doctrinæ & alijs uitæ officijs.

Henricus Sutphanienſis.

Iohannes Croesus.

Adolphus.

Responsio de eo, quòd mutentur Ecclesiæ dogmata.

Responsio de periculis mutationum politiæ Ecclesiasticæ.

Clerus Secundarius defendit labes politiæ Ecclesiasticæ.

& recentes leges, & labes politiæ Ecclesiasticæ, quæ fuit initiō Ecclesiæ multō pulcrior, quàm nunc est, cùm nondum receptæ essent corruptelæ cœnæ domini, & alij abusus, sed collegia cœtus essent omnium honestissimi piorum doctorum & discipulorum. Semper enim Ecclesijs frequentioribus collegia adiuncta fuerunt. Vt enim Prophetas agmina comitabantur auditorum, ut testes doctrinæ propheticæ, & propagatores essent, ita Apostoli cùm constituissent Ecclesias, delecta agmina habebant studiosorum, qui eos familiarius audiebant, & se totos inquisitioni doctrinæ dedebant, ut ad posteritatem testes essent de uera sententia Apostolorum, & succederent in munere docendi. Sic Iohannem Polycarpus, & alij multi audierunt. Et fuisse ante Gotthica tempora tales in Germania Ecclesias ac scholas, multa uetera monumenta ostendunt. Postquam uerō barbaricę gentes Europam peruastarunt, uix serō pacata Germania cùm iam uetus doctrina multis superstitionibus obscurata esset, hæc noua forma politiæ paulatim constituta est, quæ tamen ipsa iam senescens facta est squalidior, ut sunt omnium politiarum periodi. Et fortasis dirimet Deus hoc certamen de politia magnis publicis mutationibus. Interim uoce Euangelij colligit Ecclesię reliquias, tanquam tabulas ex naufragio, sicut ante Babylonicum exilium collegit reliquias per Ieremiam, ante excidium Ierosolymæ per Baptistam, Christum, & Apostolos, ante dilacerationem Romani imperij per Apostolos & eorum discipulos. Miro enim modo Deus Ecclesiam suam regit, instaurat collapsam, & seruat, puniens interim impiam multitudinem uarijs cladibus, ut ordine ostendit series historiæ omnium seculorum. Et hac de re sæpe Prophetæ concionantur, Quanquam igitur sapientibus obstrepunt illa præcepta politica de defendenda præsenti forma, tamen anteferamus uocem æterni Dei, qui de Filio inquit, Hunc audite. Item mandatum immutabile: Fugite idola.

Quando noua Ecclesiæ politia sit constituta.

Respondi de conuicijs, nunc de disputatione pauca adijciam, non ut hic instituam integram harum controuersiarum explicationem, sed tantùm, ut de præstigijs scripti rudem lectorem commonefaciam. Nam si qui studio ueritatis has controuersias cupiunt integras cognoscere, extant scripta quæ uniuersæ doctrinæ ecclesiasticæ summas continent, & lectori non calumniosē iudicanti satisfacere possunt. Nunc cum ijs rixamur, qui cùm agnoscant ueritatem, tamen contra animi sententiam erroribus patrocinantur, & stabiliunt idola. Pugnant autem partim ui, partim fraudibus, uis est cùm consuetudinem, consensum magnæ multitudinis allegant. Fraudes sunt, quædam absurdiora occultare, ac promere magis speciosa, pingere quosdam abusus nouis coloribus, fateri quædam uicia, & promittere aliquam correctionem. Id simulant, ut arte obsistant principijs omnium emendationum. Nam qualicunq; emendatione tentata, uident secuturam esse magnam inclinationem. Ideo metuunt, ut monet Aristoteles, τὸ παρὰ μικρόν.

Vi & fraude pugnant qui consensum multitudinis promiscuæ allegant.

Nec uerō integrē disputat liber delectorum de ulla controuersia. Ideo facilius fuit ludere præstigijs, cùm passim excerpant ex materijs quædam plausibilia. Plurimæ pagellæ consumuntur in his locis, de confessione, de satisfactionibus, de inuocatione mortuorum, de cœna domini, de coniugio ministrorum Euangelij.

Præcipuè igitur & ego de his respondebo, in quibus cùm uiderit lector qua fide, quo candore causam agant, sciat hos impostores fugiendos esse.

Vtilissi-

Vtiliſsimum eſt Eccleſiæ extare doctrinam de pœnitentia puriſsimam & explicatiſsimam. Norunt autem omnes fuiſſe in Sententiarijs infinitã confuſionem, & infinitos labyrinthos præcipuè in hac materia. Recenſerem, niſi & longum eſſet, & libri ipſi teſtimonium dicerent.

Doctrina de pœnitentia neceſſaria eſt, ſed in ſentẽtiarijs fuit corruptiſsima.

Nec alia res initiõ ſtudia bonorum ad Lutheri doctrinam cognoſcendã inuitauit, quàm quòd requirebant puriorem doctrinam de pœnitentia. Eſtque hic locus, Dei beneficio, piè & dextrè ã noſtris explicatus. Confeſsiones & ſatisfactionum leges erant carnificinę conſcientiarum, & de fiducia gratuitæ miſericordię prorſus ſilentium erat. Fuit igitur neceſſarium & patefacere doctrinam de fide, qua remiſsio peccatorum accipitur propter Chriſtum mediatorem gratis, & qua uera inuocatio accenditur. Et erudiendæ erant mentes, ne falſæ opiniones de enumeratione & ſatisfactionibus excuterent fidem. Et quid ſentiamus liquet ex noſtris ſcriptis. Ipſi enumerationem hic neceſſariam faciunt, quam haud dubiè nec ipſi præſtant. Sed eſt uſitatum hypocritis, imponere alijs onera, ut ait Chriſtus, quæ non attingunt digito.

Poſtea calumnioſè deprauant quædã dicta Buceri. Non eſſet diſcrimen inquiunt inter Ethnicorum opera & Chriſtianorum, ſi omnia eſſent uicioſa. Quid opus eſt his tragœdijs. Diligenter docemus quomodo placeat obedientia in renatis propter Chriſtum, cùm tamen ſit imperfecta, & ſemper maneant in hac uita in renatis peccata. Addimus etiam diſcrimen peccati mortalis ſeu regnantis, propter quod amittitur gratia, & peccati non regnantis ſeu uenialis, ut uulgò uocant. Sed prætereo hanc pagellam, quæ tantùm inanem calumniam continet, quæ uel maliciam, uel inſcitiam ſcriptoris prodit. Si intelligit doctrinam de iuſtitia, ſcit nos rectè ſentire: ſi non intelligit, arrogantia eſt quòd ſe cenſorem facit.

De ſatisfactionibus tragicè uociferatur. Has omnino tueri conatur, & ait diſertis uerbis ſatisfactionem expreſſam eſſe ſcripturæ ſpiritu, ac miſcet Cypriani dicta & teſtimonia ſcripturę. Cyprianus loquitur de ritu ſui temporis, quo ante abſolutionem ſeu caſtigabantur ſeu explorabantur hi, qui publica delicta admiſerant. Si de his ritibus dimicant, ſciunt eos iam multis ſeculis non obſeruatos eſſe, umbra manet & nomen. Habemus autem ſatis graues & magnas cauſas taxandi errores de ſatisfactionib. quas definierunt eſſe opera indebita, & finxerunt per ea compenſari pœnas purgatorij, etiamſi fiant ab ijs, qui non ſunt in gratia. Poſtea ex hoc fonte orta ſunt deliramenta de indulgentijs. An has nęnias & impoſturas iterum uolunt proponi populo, quia tam ſtudioſè dimicant de nomine ſatisfactionis, de qua tamen Bucerus nihil contenderat, cùm alias res in hoc ſcripto ſuo egerit.

De Satisfactionibus.

Graues ſunt cauſæ cur taxentur errores de ſatisfactionibus.

Scio in hoc conſilio delectorum adhibitos eſſe quoſdam uiros ſapientes, qui interdum ſignificarunt ſe expetere publicam concordiam, quæ tamen uerę doctrinæ lucem retineret. Quæ poteſt autem fieri concordia unquam, dum talibus ſycophantis concedũt ſine fine licentiam renouandi certamina? Quod uerõ ait: Spiritu ſcripturæ diſertis uerbis ſatisfactionem expreſſam eſſe. Quam? Scimus tota pœnitentia & bonis operibus mereri pios mitigationem pœnarum præſentium, ut ſcriptum eſt: Conuertimini ad me & conuertar ad uos, &c. Sed quid hæc ad illos ritus ſatisfactionum ueteres, aut ad umbram quæ adhuc reliqua eſt? An arbitratur ſcriptor loqui Prophetas de peregrinationibus ad S. Iacobum, aut ad Annæ caput in hac uicinia. Agnoſcis lector

candorem scriptoris, cùm ad umbram satisfactionum detorquet dicta prophetica, quæ loquuntur de tota pœnitentia, de ueris cultibus Dei, de operibus debitis, non de illis, de quibus dicitur: Frustra colunt me mandatis hominum.

Ritus satisfactionum Cypriani tempore quo fine fit seruatus.

De more qui fuit Cypriani tempore aliàs satis diximus. Nihil ea res ad remissionem culpæ aut pœnarum purgatorij pertinebat, nemo adhuc ineptias istas somniauerat. Sed erant aliæ causæ politicæ eius ritus. Exempli causa proderat quasi quadam ignominia notare lapsos, desertores fidei, aut adulteros, nam hæc delicta ethnici non puniebant. Proderat etiam explorare eorum mentes, an seriò resipiscerent. Et tamẽ superstitione creuit eius ritus acerbitas, & quædam sunt duriora apud ipsum Cyprianum, quàm ut probanda sint, ut quod ait, non ualere absolutionem, si non accesserit ille ritus satisfactionum.

Ceremoniæ ἐπιτιμιῶν ortæ à S. Patribus.

Manet adhuc umbra uetusti moris, in recipiendis homicidis, qui mos non primum post Apostolos natus est. Sed constat & apud ethnicos signa fuisse reorum, quæ gerebant homicidæ, ut de Oreste, de Adrasto legimus, Hæc signa tantisper gerebant donec certo ritu erant expiati. Arbitror autem ã primis patribus hanc ceremoniam institutam fuisse, ut consuetudine homicidarũ cæteris interdiceretur, ac discerent rudiores & uitare iniustas cædes, & abominari homicidas. Sed hæc exempla nec culpæ, nec pœnarum remissionem, quas quidem Deus infligit, merentur, imò Deus uult ipsas pœnas nobis tanquam signa reatus esse, ut cùm Dauid ejicitur regno, & illa tanta gloria non solùm regij nominis, sed etiam sapientiæ & uirtutis exuitur, hic deformatus ã Deo, tanquam signis reatus induitur, hic agnoscit iram Dei, agnoscit se reum esse, & uerè clamat, Tibi tantũm sum peccator seu res rea, ut tu iustificeris in sermonibus tuis, &c. Sic ipsas pœnas cõmunes & proprias, quas sustinemus mortem, morbos & cęteras ærumnas intelligamus nõ casu accidere, ut Epicurei somniant, sed testimonia esse iræ Dei aduersus peccata, nosque reos esse agnoscamus, & confugiamus ad filium Dei, qui factus est propiciatio. Sed desino de hoc loco iam dicere etsi nihil utilius est quàm in Ecclesia sæpe & grauiter disserere de uniuersa pœnitentia, idq; sedulò fieri ã nostris scio. Sed ille benè sagi natus monachus, qui scripsit librum delectorum, facit, quod solent hypocritæ, requirit satisfactiones quas ipse minimè præstat. Non est ociosæ & securæ mentis de magnitudine peccati, de ira Dei, de fide accipiente remissionem concionari. Sed hæc propria & arcana sapientia est Ecclesiæ Dei, nec discitur nisi in uero certamine, uera lucta, & inuocatione Dei. Deinde ad hanc sapientiam pertinet dextrè discernere politicos mores, & iusticiam spiritus. Erant autem Canonicæ satisfactiones de quibus Cyprianus loquitur, mos politicus. At conuersio de qua Prophetæ & Apostoli concionantur complectitur motus animi, timorem Dei, fidem, dilectionem, obedientiam in cruce, & alios fructus spiritus, ut Paulus nominat.

De inuocatione sanctorum.

Cùm autem hæc tota causa sæpe fideliter explicata sit, & existimem pijs, qui nostrorum scripta legerunt abundè satisfactum esse, nihil opus est hic longiore refutatione. Pauca igitur de inuocatione mortuorum dicam, de qua, ut sæpe aliàs, opponit nobis antiquitatem, ait Theodosium stantem ad sepulcra mortuorum suas preces dixisse &c.

De autoritate scriptorum ueterum.

Primum igitur de seculo & autoritate scriptorum ueterum ita respondeo, una quædam est Ecclesiæ Dei catholicæ, perpetua & pura doctrina per Apostolos

Apostolos tradita,quæ habet testimonia Ecclesiæ etiam sequentium ætatum. Sed alij scriptores alijs puriores sunt, ut totum doctrinæ corpus,si quis dextrē iudicet, apud Augustinum purius est, quàm apud Origenem. Miscent & singula secula aliquid contagij, ut hominum natura in hac imbecillitate nunquã est sine uicijs. Et natura fauemus patrijs & præsentibus moribus, ideo cùm semina superstitionum irrepsissent in Ecclesiam, sancti patres quædam uel nõ satis considerabant uel tolerabant, tametsi non probarent. Nota est omnibus Augustini querela de superstitione suæ ætatis,cùm ait seruitutem Ecclesiæ iam duriorem esse Mosaica. Sed ferebat hic quædam uicia,occupatus alijs difficilioribus certaminibus.

Querela Augustini de superstitione suæ ætatis.

Deinde nondum adeo creuerant abusus illi de quibus nunc disserimus, ut postea barbaricis temporibus & cùm accessit quęstus, creuerunt. Erat consuetudo facere mentionem mortuorum in publicis precibus. Nondum accesserat opinio applicandam esse pro eis cœnam Domini, nondum erat res quęstuosa. Fortassis aliqui priuatim mortuos inuocabant. Nondum tamen erant statuæ, nondum distributa erant munera inter mortuos, nondum Anna dabat opes ut Iuno, nondum Georgius iuuabat equites, ut Castor & Pollux, deniq; semina sparsa erant, quæ adhuc erant exigua, sed tamen ueram lucem fidei obscurabant. Alij igitur alijs seuerius obsistebant. Narrat Epiphanius sua ætate mulieres in Syria statuam Mariæ circumtulisse, & ei liba, & nescio quas res alias obtulisse. Hunc morem inter hæreses recenset, & oppressum esse inquit diligentia & autoritate Episcoporũ,quõd imitatio esset ethnici furoris. Nunc magna pietas ducitur inuocare Mariam,& donaria liberaliter cumulare.

Statua Mariæ apud Epiphanium.

Quare cùm nobis antiqua exempla obijcitis, hoc respondemus, nos fideliter, ut suprà dictum est, tueri consensum catholicæ Ecclesiæ Christi, & adfirmamus nos de symbolis non dissentire à probatis scriptoribus ueteribus,congruere etiam ætatem illam nobiscum existimamus in cæteris nostris sententijs si dextrè de ea iudicetur. Etsi enim ipsi scriptores sæpe negligentius loquuntur, & quædam priuata exempla reperiri possunt, quæ nostris ritibus aduersantur, tamen mos Ecclesiæ publicus ferè conuenit nobiscum. Cœna domini una communis erat, etiamsi fortassis reperias exemplum ubi aliquis sua quadam superstitione priuatim tanquam sacrificaturus, consuetudinem publicam mutauit. Ita & mortuos aliqui inuocabant. Paulatim etiam hæ superstitiones irrepserunt.

Responsio ad obiectionem de exemplis antiquitatis.

Nec ualet argumentum uestrum. Hæc facta sunt ætate patrum. Retinea-tur igitur mos præsens. Est enim dissimilis,ut si quis dicat pater tulerat filium sæpius conuiuantem, ergo debebit ferre & grassatorem & insidiantem alienæ pudicitiæ. Ita uos exemplis ueterum, quæ adhuc minus mali habent, posterioris ætatis uicia, quæ iam similia sunt Ethnicis, stabilire conamini. Etiamsi Basilius hac uoce compellat Martyres, ὦ ἀγαθοὶ κοινωνοὶ φροντίδων, δεήσεως σύνεργοι, πρεσβευταὶ δυνατώτατοι, non tamen retinendus est mos huius ætatis,cùm omnia plena sunt statuarum & ad eas alligatur uel Dei uel mortuorum inuocatio, & ut olim à Neptuno prospera nauigatio, à Cerere fruges petebantur, ita nunc uarij opitulatores inuocantur. Quare cùm uetustum morem constet dissimilem esse posterioribus seculis, omittite illa priuata & pauca exempla, ac ad normam uidelicet ad scripta Prophetica & Apostolica redite. Lapis inquit Basilius, ad normam accommodandus est, non norma ad lapidem inflectenda.

Aduersarij exemplis ueterum minus malis stabiliunt uicia posterioris ætatis.

Basilij locus.

Exempla legibus congruant, ut uulgō dici ſolet.

Hæc de ſcriptorum ueterum ætate hoc loco dicta, uolo etiam ualere in reliquis. Non enim prorſus ſine uicio ætas illa fuit, & tamen nec Hieronymus facit mentionem inuocationis, litigans cum Vigilantio de honoribus mortuorum, nec quid fecerit Theodoſius clarè dicitur. Sed ut fuerit mos dicere: ora pro me Paule, tamen ſemina errorum, ut in herbis fuerunt, & his ſeminibus non eſt recentium temporum furor confirmandus.

De errore uulgi in inuocatione mortuorū & adoratione ſtatuarum.

Sed clamatis, aliquid populi infirmitati, & publicæ tranquillitati condonandum eſſe: quantulum mali eſt dicitis, etiamſi pio errore uulgus inuocat mortuos, petit opem ad certas ſtatuas. Semper uulgus aliquid habet ineptiarum. Huic orationi ſapientum hoc opponimus, una res eſt omnium maxima, inuocatio Dei, quæ propriè diſcernit Eccleſiam Dei à cæteris gentibus. Multi & ſunt & fuerunt ignari Dei, qui tamen alijs ciuilibus uirtutibus omnibus prædíti fuerunt, ut Ariſtides, Scipio, Pomponius Atticus, Sed hæc uirtus defuit, inuocatio Dei. De hac Eccleſiam doceri neceſſe eſt. Hæc eſt arx piorum,

Inuocatio uera arx piorū.

ut dicitur in Salomone, Arx firmiſsima, nomen Domini, Et quanquam adeo facilis res & nota ac expoſita omnibus inuocatio eſſe putatur, ut uos magni doctores de ea rarò concionemini: tamen facilimè corrumpitur, facilimè excutitur. Norunt omnes homines naturali iudicio, eſſe Deum, mentē æternam cauſam boni in natura, ut Plato definit. Ideo omnes quoquo modo inuocant. Imò quia illam mentem cogitant non eſſe ſolam, uult enim agnoſci & conſpici, addunt ei familiares aliquos. Hos quoq; inuocant. Hinc turba eſt deorum apud Ethnicos, hinc mortuorum inuocatio. Quid hæc habent incommodi inquies? plurimum. Tantùm ita uult inuocari Deus, ut ſe patefecit, uult ſe unum agnoſci conditorem & opitulatorem, & placatus eſt per filium. Huius fiducia uult inuocari. Cæteræ gentes nec agnoſcunt Deum æternum patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, nec certò ſtatuere poſſunt reſpici & accipi ſuas preces. Eccleſia certa eſt, & uult Deus nos credere promiſsioni, quòd propter filium nos exaudiat.

In adoratione ſtatuarum quanta ſint peccata.

Accurrit populus ad ſtatuas, recitat precationem, non cogitat quid inuocet, Deum ne, an animam mortui, nec cogitat an Deus ſic uelit inuocari, & cur uelit certò preces noſtras recipere. Hi furores toties damnati cōcionibus Prophetarum, confirmantur à uobis, dum defenditis hunc morem quocunque prætextu. Nihil ne ſceleris eſſe putatis miſcere religiones, Ethnicam & Chriſtianam, obruere ueram Dei inuocationem, polluere Eccleſiam Dei, ſpoliare hanc ærumnoſam hominum naturam uero præſidio? Si ſic cogitant homines, Quirine depelle morbum, impietas eſt, quòd tribuunt creaturæ potentiam Dei. Sin autem cogitant, Deus depelle morbum propter preces Quirini, impietas eſt alligare Deum ad hanc ſtatuam, & fingere has preces hic magis recipi. Nec ſcit mens an uelit Deus ſic inuocari. Et conſuetudo abducit homines à uero mediatore, & intellectu mediatoris. Conditi ſumus & redemti, ut Deum agnoſcamus, uerè inuocemus, ac celebremus, non ut Philoſophi putabant, ſua quisque opinione, ſed ut ſe ipſe Deus uoce ſua patefecit. Quare ad hunc Deum inuiſibilem, qui ſe patefecit exhibito filio, & ſua uoce iuſsit nos hunc filium audire, qui cum ſuo Filio & Spiritu ſancto condidit uniuerſam naturam, directa ſit oratio, & ſit accenſa fides, quæ cre-

credat recipi preces propter filium mediatorem, & petat nos Spiritu sancto gubernari & sanctificari. Sic sonant Prophetarum, Apostolorum & Ecclesiæ purioris preces. Quoties incoas precationem, cogitet mens. Te uiuum & omnipotentem Deum, æternum, patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem uniuersæ creaturæ & conseruatorem cum filio tuo domino nostro Iesu Christo & Spiritu sancto inuoco, miserere mei propter filium tuum dominum nostrum Iesum Christũ, quem pro nobis uictimam fieri uoluisti, & mediatorem ac deprecatorem pro nobis constituisti mirando & inenarrabili consilio, ut iram tuam ueram aduersus peccata generis humani, & immensam misericordiam erga nos declarares, & sanctifica ac rege me Spiritu sancto tuo, collige, rege & serua tibi Ecclesiam, rege politias, da nobis uictum, pacem, bona & felicia concilia negociorũ, &c. Talis aliqua forma sit precum, quę simul discernat inuocationem nostram, ab Ethnica, Iudaica, Mahometica, & excitet fidem, quæ statuat recipi preces propter filium, & placere deo talem cultum. Harum maximarum rerum doctrinam Ecclesiæ necessariam, delent & extingunt illæ Ethnicæ opiniones de inuocatione mortuorum, quas uos aliis & confirmatis. Quod idolum hactenus tollitis? Adhuc pecuniam colligi audio ad pallium Annæ faciendum, in quo ut in pallio Mineruæ Atticæ intexetis forasis gigantomachiam uestram qua bellum cœlo infertis. Hæc recensui, ut quanta de re agatur, & quid, quo candore agatis, lector consideret.

Quæ cogitanda sint in inuocatione.

Allegant causam in pagina E iij. cur mortui inuocandi sint, quia inquiunt multa requiruntur ad dignam & sanctam orationem, ut habet Cyprianus, quæ citius in sanctis à corpore absolutis, quàm in uiuis est reperire. Expendat lector, quale sit hoc dictum. Etsi orantem oportet adferre ad Deum conuersionem, tamen fiducia petitionis non debet niti propria dignitate, sed mediatore Christo, sicut ipse inquit: Quidquid petieritis in nomine meo dabit uobis. Iubet in nomine suo peti, hoc est, nominato ipso, rogato Patre propter Filium, & hac fiducia, quòd propter eum uelit nos recipere, exaudire, iuuare, ut Paulus inquit: Per hunc habemus accessum ad Deum. Item, talem habentes Pontificem, accedamus ad Deum. Si suam dignitatem metietur Dauid, quando inuocabit? imò sic accedendum est ad Deum, cum conuersione, & confessione indignitatis, ut ait Dauid: Non iustificabitur coram te omnis uiuens. Item, Tibi tantùm sum peccator &c. Daniel: Non propter iusticiam nostram peto, sed ad misericordiam tuam confugio, & peto propter dominũ, id est, uenturum Messiam. Sic nos Prophetæ, sic Christus, sic Apostoli, sic Ecclesia iubet precari. Sed isti deterrent uiuos, ne inuocent Deum, ac iubent interea quærere mortuos, qui sint pro eis πρεσβευταὶ, ut memini in quodam pago interrogatos colonos, an scirent preces, respondere, satis esse si sciat eas pastor, qui propterea conductus sit, ut pro ipsis oret.

Fiducia petitionis non debet niti propria dignitate sed mediatore Christo.

Reliquas nęnias & calumnias de hoc loco prætereo. Adhortor autem pium lectorem, ne existimet de re leui dimicari, cùm de inuocatione disseritur, sed cogitet ueram inuocationem præcipuum esse præsidium, ut ita dicã, piæ mentis in tantis ærumnis uitæ communis, sicut in Psalmo dicitur: Illi in curribus & equis: Nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus. Cogitet item inuocationem ueram præcipuum munus esse, quod Deo præstandum est, & Christi beneficia sine hoc exercitio non posse cognosci. Deinde

Inuocatio præsidium præcipuum piæ mentis.

Inuocatio naturæ inuisibili tribuit omnipotentiam.

hæc argumenta sibi proponat. Inuocans naturam inuisibilem tribuit ei omnipotentiam, quia statuit eam uidere motus cordium in omnibus hominibus. Præterea mens non statuit Deo placere cultum, non comprobatum dicto diuino. Postremò, quoquo modo corrigitur hic ritus, tamen abducit oculos à mediatore Christo, & labefacit fidem, id est, fiduciã mediatoris, quæ in inuocatione lucere debet. Et parit multiplices superstitiones, quas horrendæ pœnę comitantur.

Exempla Sanctorũ imitationis causa, & propter alias causas considerãda sunt.

Hactenus de inuocatione dixi. Longè aliud est loqui de prædicandis eorum uirtutibus, quæ non solùm imitationis causa proponendæ sunt, sed etiam ut discamus quomodo Deus Ecclesiam gubernet, consideremus quale fuerit Prophetarum, Apostolorum, Episcoporum ministerium, agamus Deo gratias quòd Ecclesiam seruat. Consideremus Exempla iræ & misericordiæ Dei, ut in Dauidis, in Manasśis historia, quæ nos de timore & de fide docent. Magnum & mirandũ theatrum est hęc tota rerum natura, pulcritudo & ordo corporum cœlestium, motuum leges, terræ fœcunditas, fluminum perennitas, illustria his tot rebus uestigia Dei impressa sunt, sed nullum pulcrius opus aut spectatu dignius est aut plura de Deo testimonia nobis cernenda exhibens, quãm homo pius, ut Abraham, Sara, Ioseph, Dauid, Esaias, Ieremias, Elizabet, Paulus et alij. Multa igitur grauissimè & utilissimè de sanctis dici possunt, remota inuocatione.

De Cœna Domini.

Nunc de cœna domini dicturus, obtestor omnes pios, non ut nostra scripta legant, sed ut oculos circumferant per tot templa uniuersæ Europæ, & cõsiderent quanta sit huius diuini instituti prophanatio. Maxima turba sacrificulorum prorsus ignorans quid agat, & polluta conscientia seruit consuetudini aut suo uentri. Præterea cùm ceremonia instituta sit ad fidem in uiuentibus exercendam, transfertur indignissimè ad mortuos. Postremò cũm sacramenta sint certi generis actiones isti panem circumferunt prorsus extra institutum usum, & extra sacramenti actionem. Cùm autem Deus ad nullam creaturam alligandus sit sine suo uerbo, certissimum est extra institutam actionem, panem rem alienam esse à sacramento. Certum est cùm baptizatur homo, in actione adesse Spiritum sanctũ. Iam si quis baptismi aquam circũferret, quasi inclusus ibi Spiritus sanctus maneat, ac iuberet eam adorari, omnes pij hunc errorem execrarentur. Ita de cœna Domini sciant pij, ceremoniam in actione sacramentum esse, non panem ad alium usum circumlatum. Si iam reuiuiscerent Ambrosius & Augustinus, ut non dicam de Apostolis, ac uenirent ad hæc spectacula, in quibus longo ordine incedunt sacrificuli, gestantes ligneas, argenteas, marmoreas statuas, deinde uerò sequitur Hierophantes, gestans panem, uiderentq; circumfusam multitudinem inuocare hunc panem, expauescerent, ac interrogarent ubi gentium essent, & quæ nouæ post suam ætatem Ethnicorum ceremoniæ natæ essent: non enim putarent se in loca Ecclesiæ Christianæ uenisse. Cùm uerò audirent cœnam Domini in hunc morem, conuersam esse, tum uerò simul dolore atque indignatione exardescerent, & magno animi motu populum ad uerum sacramenti usum reuocarent, & de ueris pietatis exercitijs monerent.

Extra institutam actionem panis est res aliena à Sacramento.

Fuit olim similis Persica consuetudo, circumferebatur sacer ignis, quem adorabat populus, ac præibant trecenti sexaginta quinq; sacerdotes, ut numerus congrueret ad dies anni, & gerebant certa ornamenta.

Cum

Cũm igitur tanti abuſus in conſpectu ſint, curadeo duri eſtis, ut gemitus piorum & querelas iuſtiſſimas audire nolitis. Deinde quanquam ipſi agnoſcitis hæc uicia, tamen ea populo excuſatis, ne politia Eccleſiaſtica, ut dicitis, moueatur. Citatis ueterum teſtimonia, Canones, ſynodos, ut indoctis fucum faciatis & errores confirmetis.

Memini me à grauibus uiris audire, ueniſſe Tubingam ſacrificulum qui neſcio quas reliquias, ut uocant, oſsium circumferens, hoc pręconio eas populo commendabat, uidelicet, nihil ã peſtilentia periculi fore toto anno his qui ſemel eas reliquias oſculati eſſent. Ebrardus princeps ſapiens & grauis, non ferendam ſcurrilem impudentiã in concionibus iudicans, obiurgat ipſe aſperẽ ſacrificulum illum. Is reſpondet ſe uera dicere, quia populus non det oſculum reliquijs, ſed uitro. Tales ſunt ueſtri colores quibus nunc excuſatis abuſus, ut extricetis uos ex piarum reprehenſionum laqueis, & tamen in populo praua conſuetudo & error confirmetur. Ambiguas & mutilas deſcriptiones ſacrificij excogitatis, deinde pro mortuis dicitis ualere ſi non adplicationem, at ſuffragium. Fingitis cothurnos in canone, ut leniatis abſurditates. Nam ibi petitis ut huic hoſtiæ Deus faueat. Hoc quid ſibi uult ſi Filium offertis. Denicq; præparatas eluſiones in multis materijs habetis uelut Iudæi.

Ebrardi Ducis Vuirtenbergenſis expoſtulatio cũ ſacrificulo quodam præſtigiatore.

Noſtra ſimplicia ſunt & explicata. Conſtat enim apud ueteres annis ferẽ quadringentis fuiſſe unam communem cœnam, ſine priuatis. Huic mori publico & probato opponitis exemplum inde uſque ex Africa allatum, de priuata Miſſa, qua pulſum eſt alicubi ſpectrum. Credibile eſt paulatim exempla eius moris, præſertim apud barbaras nationes irrepſiſſe. Sed plus ualeat mos publicus & probatus. Paulatim & mentio mortuorum in cœna, recepta eſt, græcus Canon dicit offerri pro Prophetis & Apoſtolis. Hęc erat gratiarũ actio probanda, non fiebat ad eos liberandos à pœnis. Poſtea opinio nata eſt, de adplicatione ut mortui à pœnis liberentur, quæ tamen naturæ ſacramenti repugnat, quod ad fidem excitandam in uiuentibus inſtitutum eſt. Sicut inquit Chriſtus: Facite ad mei recordationem. Præterea oratio, quæ non habet teſtimonium ſcripturę, incerta eſt. Nuſquam autem in Prophetis aut Apoſtolis extat exemplum.

Antiquitus fuit una Communis Cœna.

Sacramentum inſtitutum excitet fidem in uiuentibus non pro mortuis.

Vetus igitur puritas reſtituatur, ut populus rectẽ intelligat uim & uſum ſacramenti, & aſſuefiat ad uera fidei exercitia in uſu ſacramenti, non concipiat falſam fiduciam de alieno opere, non abducatur ab agnitione beneficiorum Chriſti, ſciant ſumentes ſe fieri membra Chriſti, & hanc ſumtionem eſſe pignus quod teſtatur uerẽ nobis exhiberi, donari, adplicari propter filium Dei, remiſsionem peccatorum in Euangelio promiſſam. Et fides excitata hoc pignore nitatur non ſuo uel miniſtri opere, ſed mediatore Chriſto, cogitet de ira Dei aduerſus peccatum, de uictima, de Chriſto gubernante & defendente Eccleſiam, agat Deo gratias, petat regi nos Spiritu ſancto, & flectat mentem ad ueram obedientiam. De his tantis rebus in uſu ſacramenti commonefaciendi ſunt homines, quarum notitia extinguitur, cùm alitur fiducia meriti & applicationis ſacrificuli & diſcernitur adplicatio ſacrificuli, ã populi adplicatione, qua ſua fide quiſque ſibi in uſu ſacramenti & aliãs adplicat Chriſtum. Suntque opiniones de adplicatione ſacrificuli, natæ ex ignoratione doctrinæ de iuſtitia fidei.

Verus uſus Sacramenti qualis.

Plura autem de tota cauſa aliãs diximus, nec delecti quid uelint defendere,

dere ausi sunt integrè dicere, sed allegant mediæ & ultimæ ætatis scriptorum dicta. Prouoco & ipse ad scripta uetustiora, & magnopere optarim conferri scriptores, ac non solùm numerari, sed etiam ponderari suffragia. Scio esse magnam dissimilitudinem, et recentiora subinde sunt impuriora: Vltima ætas dicit de interitu panis, & quærit quid edat mus, rodens panem consecratum, Inuitus hæc recito, & cohorresco cogitans. Quid simile est in ueteribus Epiphanio, Ambrosio, Augustino, quantò hi circumspectius loquuntur?

Sacramenta sunt actiones certi generis.

Nec tam doctrina, quàm fide & attentione opus est in hac controuersia iudicanda. Omnes sani intelligunt hanc sententiam uerissimam esse, Sacramenta certi generis actiones esse, extra institutam actionem nequaquam retinere sacramenti rationem. Quare non tam insciti am, quàm negligentiam reprehendendam arbitror in illis qui errore aut olim hos abusos auxerunt, aut nunc stabiliunt. Nam qui nunc admoniti, tamen propugnant, peccant magis quadam impia peruersitate, quàm errore, pios uerò adhortor ut fugiant prophanationem cœnę Domini, quæ fit in Missis priuatis & illa pompa Persica, de qua dixi, & cogitent officium esse unum omnium summum, propter quod præcipuè conditi & redemti sumus, rectè inuocare Deum, & meminerint mandatum: Fugite idola. Dixi multò breuius & tenuius de re tãta, & delectos moneo, ut caueant ne maiora certamina excitent. Ipsi dum suo odio & petulantiæ morem gerunt, nouas quæstiones mouent, quarum agitatio ipsis minimè profutura est.

Responsio de querela & cõcessionibus Cleri secunda rij.

Aliquoties ostendunt delecti se quoqꝫ expetere emendationem Ecclesiæ, & accusant negligentiam superiorum à quibus hactenus eius rei consilia impedita esse queruntur. Hæc artificiosa ironia est σχῆμα πολιτικὸν λόγου, ut uocat Thucydides, cum honesto prætextu praua consilia teguntur, ut in republica sæpe fieri solet. Simulant studiũ Ecclesiæ emendandæ, cùm reuera nolint abusuum neruos labefactari, nolint attingi inuocationes mortuorum, Missam, cœlibatum, uota, imò adhuc damnat utentes integro sacramento. Mordicus retinent errores doctrinæ de pœnitentia, de iusticia. Qualem igitur expetunt emendationem? dicam: Volunt ã statuis in templis detergi puluerem, uolunt picturas ueteres obsolescentes in templorum parietibus renouari. Et ut faciant aliquid ex Delphico oraculo, uolunt aras cubicas duplicare, ut sint augustiores, ferent leges de non alenda barba, de βαττολογίᾳ precum non intellectarum. Hæ sunt illæ magnæ res, quarum restitutionem requirunt, quam deplorant impeditam esse ã Principe. Odium suum & contumaciam significant, ac iniustè traducunt Principem, qui tot iam annos cum uiris præcipuis summorum ordinum, ut ipsi Delecti norunt, deliberauit quomodo uerè consulatur populi saluti, & uera inuocatio Dei restituatur, Hæc consilia illi præcipuè impedierunt, qui nec doctrinæ puræ lucem, nec censuram de suis moribus ferre possunt. Non uoluit Princeps proponi fucosas emendationes, sed fidei, & moribus profuturas. Videbat populi insciti am, superstitiones, statuarum adorationem, neglectionem disciplinæ, uidebat pastoribus indoctis commendari Ecclesias, stipendia uerò prædæ esse absentibus. Videbat multis modis prophanari cœnam Domini, uidebat mores sacerdotum corruptos frustra ad canonum uincula reuocari. Ne uos quidem Delecti hoc passuri eratis. Fuit igitur longa & tarda rei tantæ deliberatio, ut quærerentur salutaria remedia. Opto autem ut inueniat congruentia ad Euangelium Dei, quod norma est gu-

Consilium Hermanni Episcopi Colonienſis quale fuerit.

bernationis

bernationis Ecclesiasticæ. Quam enim uos normam proponitis? cùm adhuc propugnetis iniustam legem de cœlibatu, quam uos ipsi scitis fontem esse multorum ingentium scelerum, quæ Deum horribiliter offendunt, & sæpe publicis cladibus puniuntur, & exemplo publicis moribus nocent.

Hic magnos aceruos futilium Canonum & argumenta futiliora cumulatis, quibus omnibus oppono unam hanc regulam. Prouidendum est omnibus gubernatoribus, precipuè uerò Ecclesiasticis, ne legem condant, quæ impedit ueram inuocationem Dei. Constat autem paucos ad cœlibatum idoneos esse: cæteri aut uincuntur communi imbecillitate, aut infeliciter secum ipsi luctantur. Hi impediti maculis conscientiæ non inuocant sed fugiunt Deum. Inde multi in Epicureum contemptum ruunt, aut desperatione opprimuntur. Quare hæc lex tot iam seculis infinita agmina animarum à Deo auulsit, & in exitium æternum impulit. O ferrea pectora omnium gubernatorum, si hæc tanta mala non considerant, si non adficiuntur interitu animarum, si non putant magnum scelus, impedire ueram inuocationem, si non cogitant Ecclesijs utiliores esse pastores pios et doctos maritos, quàm leues & indoctos cœlibes. Scitis autem uos ipsi multis locis deesse pastores, scitis iam uiginti annis multa bona ingenia, quæ utiliter Euangelio seruire poterant, propter uinculum cœlibatus non accessisse ad ministeria Ecclesiastica.

De coniugio Sacerdotum cur non sit prohibendum.

Memini quendam Episcopum Ratisbonæ Contareno dicere, necessariò concedendum esse coniugium presbyteris, quia alioqui defuturi essent ecclesijs pastores, & iam multas stare desertas sine ministris. Tum Contarenus miratus, posse se mederi inquit huic rei, quia Italia monachis abundat, quos sit missurus Pontifex ad uacuas Ecclesias. Quid agent, inquit ille, cùm linguam nostram nesciant? Contarenus respondet sacrificaturos esse de more. Episcopus uerecundè respondit, necessarium munus esse, docere populum & Euangelij cognitione pietatem esse alendam, non sufficere spectacula ceremoniarum.

Voces Episcopi cuiusdam ad Contarenũ legatum Pontificum Ratisbonæ Anno 1541. de concedendo coniugio Sacerdotum.

Cùm igitur tam multæ magnæ causæ sint, quæ quidem uobis omnibus notissimæ sunt, ne prohibeatur coniugium, non dubito multos hanc uituperationem coniugij in uestro scripto, magno cum gemitu lecturos esse. Est quidem ita perspicua ueritas, ut non inscitia esse possit, sed sit impudentia fustibus punienda si quis contradicat, ut cùm Academici labefactare principia geometrica conabantur. Ita cùm omnes sani norint quanta Ecclesiæ labes sit, coniugij prohibitio, impudentia non uulgaris est eam defendere. Sed Paulus hac de re atrocius loquitur, qui coniugij prohibitionem inquit doctrinam esse dæmoniorum.

Vos uerò non tantùm defenditis, sed etiam scurrilem uerborum obscœnitatem, & multas calumnias additis. Decem millia sacerdotum sunt iam in Germania, qui sunt coniuges & habent multos liberos. Nec dubium est plurimas matronas in hoc cœtu Deum uera pietate colere & hæredes esse uitæ æternæ. Has omnes Eccius in postremo suo scripto lupas nominat. Et quidem ut facetus uideatur, penè in singulis paginis in illa sua tanq̃ Cygnea cantione, idem conuicium repetit. Etiamsi causam non probabat Eccius, tamen erat hominis sexui parcere. Quãtò uerecundius Augustinus, qui tametsi uota solui nolebat, tamẽ post uotũ, coniugia cõtracta rata esse uoluit, uidit uir sapiens habẽdã esse rationẽ mulieris, & de uoto dispensabat, ne iniuria mulieri fieret. Nec uetusti

Eccius rabiosè Sacerdotum coniuges lupas uocauit. Augustinus nec uota nec post uotum contracta coniugia solui uoluit.

uetusti Canones primas aut secundas nuptias improbant, tantum à ministeriis remouent eos, qui malebant in coniugio uiuere, & uitæ genus probant. Ecclius spurcissimo ore coniugium ipsum damnat, et tot honestas et pias matronas lupas nominat.

Nec profectō quenquam moderatum uirum in tota Germania, quamlibet inimicum nostræ causæ esse arbitror, qui non iudicet hanc Eccłę rabiem à magistratibus puniendam fuisse. Vos nunc imitamini, toties uocatis incestam, item sceleratam consuetudinem, & additis alias contumelioſas adpellationes, & Plautina uerba, quæ non recitabo, legantur hæ deliciæ in uestris libris, non. n. obscœnitate uobiscū certabo, etsi mores quorundam ex uobis satis magnā materiam suppeditant. Sed prudentes magistratus oro, ut hanc uestrā petulantiam coherceant, qui si negligent, uos tamen admoneo, ne contemnatis ingenia tot iuuenum, qui iam ex his connubiis nati sunt, Vt quisq; est generosissimus, ita maximē irritatur contumelia matris.

Non dubito autem Deo curæ esse familias nostrorum sacerdotum, qui rectē & fideliter docent Euangelium, & magnas ærumnas propter Christum sustinent. Et sunt aliqui non obscuris testimoniis diuinis ornati, quos nominare possem. Seruabit igitur Deus eorum posteritatem & aditum ad rempubli. filijs eorum concedet, qui mihi credite, non obliuiscentur has contumelias. Et ne obliuiscantur, ā multis bonis uiris commonefaciendi erunt, qui eos iam optima doctrina instruunt, ut utiliter seruire reipub. & uestram tyrannidem euertere possint. Tandem ueritas, quamuis diu repressa, eluctabitur ex præsentibus difficultatibus, & uestram hypocrisin, uestras calumnias & impostu-ras obruet.

Obtulit se D. Bucerus ad placidam disputationem & collationem doctrinæ, nec reprehendo eius consilium. Sed quid cum iis disputare prodest, qui etiam cūm norunt se malam causam propugnare, tamen nullum finem faciunt præstigiarum, ne uideantur cecidisse causa. Quare nolui longas refutationes instituere, quid enim attinet hæc futilia diluere. Nemini hodie nisi uolenti imponitur necessitas, quia nemo nisi uolens adit sacerdotium. Pseudolum ista decent in comœdia.

De Cauillatione aduersariorum, nemini nisi uolenti necessitatem imponi.

Fingite onus esse uoluntarium, num propterea lex ualet superstitiosa, maximæ multitudini impossibilis, impediens ueram inuocationem, & exitiosa magnæ parti cœlibum? Nemo nisi uolens pecuniam ā fœneratore mutuam sumit, num propterea lex quæ adprobauit fœnus, iusta fuit? Deinde quomodo uolentes dicuntur, ut qui data pecunia uitam redimunt à latronibus. Itaq; multos pios & doctos deterrent à ministerio. Quare iniustissimum est addi necessario ordini tam periculosum onus. Dorment, inquit carnem, cur ipsi non dormant?

Gradus sunt propensionis ad uicia.

Vtinam crederent uerē offendi Deum impuritate & incendijs animi & corporis in hoc genere, utinam intelligerent quę uirtus sit castitas, quām grata Deo. Etsi natura hominis in hac imbecillitate, prona est ad uicia, tamē gradus sunt huius rei. Natura tenera dum crescunt corpora & ante ἀκμὴν talis est, ut nondum ei aliqua coniugali consuetudine opus sit. Ideo in ea ætate, si mediocris diligentia & aliqua pietatis exercitia accedunt, puritas rectē conseruari potest. Id sciat iuuentus, ut maiore cura regat mores, nec difficultatis opinione remittat diligentiam.

Multos

Multos implicat diabolus uarijs uicijs, quæ natura adhuc tenera reformidat. Has insidias diaboli, & praua sodalitia cauere inuentus discat, ac cogitet diabolum longam telam texere. Cũm semel sunt impliciti, postea plures lapsus, & graues pœnæ in omni uita sequuntur, quia uox Dei non fallit, quæ ait, Scortatores & adulteros iudicabit Deus.

Postea homo uegetus in ἀκμῇ magis experiri uires suas potest. Si donum habet, ut mediocri diligentia abhibita retineat ueram puritatem corporis, præclarè facit, si hoc donum tuetur. Sed si mediocris diligentia non proficit, mandatũ Dei est, ut coniugio utatur, sicut diuinitus sancitum est, & in eo uitę genere purè uiuat. Est igitur hic quoq; castitas, consuetudo coniugalis, cum purita- *Castitas quid.*
te illa cõiuncta, quia seruatur naturæ ordo, quem Deus instituit, qui & coniungi marem & fœminam certa lege, & hos coniunctos nõ uagari affectibus, nec alijs modis contaminari, uoluit. Et pij hac uoluntate uiuentes in coniugio retinere conscientiæ puritatem, & inuocare Deũ possunt. Mandatum clarè extat apud Paulum. Vitandæ scortationis causa, unusquisq; uxorem suam habeat. Item, Ne erretis, Nec scortatores, nec adulteri regnum Dei possidebunt. Hæc fulmina opponimus superstitiosis canonibus, qui coniugium prohibent.

Si qui uerõ spreto diuino remedio ruunt in libidines, non retinent conscientiæ integritatem, nec possunt Deum inuocare. Sequitur ergo aut Epicureus contemtus Dei, aut desperatio, ac res ostendit maximam partem sacrificulorũ in tali Epicureo contemtu Dei totum uitę curriculum conficere. Hæc qui uerè mala esse ducunt, legem cœlibatus execrentur. *Libidines sequitur aut Epicureus contemtus aut desperatio.*

Sed potest, dicitis, seruari, domita carne. Consentaneum est aliquos fœcundos etiam in ἀκμῇ, sed occupatos magnis & ueris curis, tantisper dum sunt occupati, retinere puritatem, ut Augustinus, etsi iunior uixit liberius, tamen postea, cũm incidisset in certamina acerrima cum hæreticis, cumq; admotus gubernationi perpetuis curis exerceretur, facilius hæc incendia, restinxit. Et tamen querelas multorum talium legimus. Reliqui sunt alij tranquillius uiuentes, qui etsi luctantur secum, tamen puritatem corporis, non retinent, ut Gerson alicubi significat. Hæc non est castitas, sed uitæ ratio dissentiens ab ordinatione diuina. Et hi motus incompositi sæpe uulnerant conscientias, ac impediunt inuocationem Dei. Quare Paulus dixit: Melius est nubere quãm uri.

Primum igitur in hac disputatione cogitet pia mens mandatum Dei, quod præcipit castitatem, id est, puritatem animi & corporis, & consideret horribiles comminationes & pœnas quibus Deus iram suam aduersus corporum contaminationem declarauit. Notæ sunt historiæ. Inter diluuij causas recensentur libidines, Postea Sodoma deleta, occisa uiginti quatuor milia hominum in deserto, suspensi omnium tribuum Principes. Tribus Beniamin ferè funditus deleta, propter stupratã Leuitæ coniugem. Dauid propter adulterium regno expulsus est. Causæ excidij Ierosolymæ, ã Ieremia nominantur duæ præcipuæ, idolorum cultus, & adulteria, propter has causas & cætera regna toto orbe terrarum uarijs tumultibus quassata & mutata sunt. Troia euersa est propter raptam Helenen. Romæ reges pulsi sunt propter stupratam Lucretiam. Aegyptij reges propter uarias libidines deleti sunt. Denique cur Turci Asiam, Græciam, Illyricum, Pannoniam oppresserunt? Non dubium est præcipuè puniri hac tristi seruitute prophanationem cœnæ Domini, & libidines. *Mandatũ Dei, de castitate & pœnæ libidinum.*

Quare cogitatione mandati diuini & pœnarum nos ad caſtitatem excitemus, & quæ ſit uera caſtitas diſcamus ex teſtimonijs diuinis, non ex rancidis Canonibus. Si cui donum contigit, diligentia tueatur, ſi quis puritatem corporis extra coniugium non retinet, ducat coniugem, iuxta legem Dei, ut in eo uitæ genere caſtè & purè uiuat, & ſciat hoc ordine conditam eſſe hominum naturam, ut σοργὴ ſit mutua in utroq; ſexu, & mares ſuſcipiant curam defendi & fouendi alteram partem generis humani. Deinde ſciat hoc ipſum uitæ genus non leuem militiam eſſe, quia mulieri labores pariendi & educandi ſobolem, uiro multiplices curas domeſticas adfert, in quibus uult Deus fidei & dilectionis exercitia lucere. Nec tantùm domeſticis curis implicatur maritus, ſed etiam ciuilibus, magis ei propter familiam imbecillem opus eſt communi pace, magis ſtatu mediocri poſteritatis.

Veram caſtitatem deſcribunt teſtimonia diuina non rancidi Canones.

Harum igitur rerum cura, etſi adfici aliquos cœlibes, ut Baptiſtam, Chriſtum, Paulum & alios uidemus, tamen hi Heroici motus non ſolent eſſe in uulgo cœlibum, quod expeditè uiuit, non ut ſe curis publicis oneret, ſed ut pericula & moleſtias fugiat. Μεγάλη τυραννὶς ἀνθρὶ τέκνα καὶ γυνή, inquit Euripides, Verũ eſt difficilem ſeruitutem eſſe coniugium, ſed Deo grata eſt, cũm mens rectè eã ſuſtinet, exercet inuocationem, meminit generationem ſic à Deo inſtitutam eſſe, qua quidem procreandi ſint homines in Eccleſia æterna Deum celebraturi, nec uult tam mirando opere generationis abuti, ut cœlibes horribiliter abutuntur. Suſcipit & reliqua negocia familiæ, ciuitati, Eccleſiæ ſuæ neceſſaria, Nam ut hæreditatem, ita honeſtum ciuitatis ſtatum & Eccleſię puritatem liberis præſtare debet.

Heroicæ dotes continentiæ non ſunt in uulgo cœlibũ.

Tales fuerunt coniuges plurimi, non ſolùm in populo Iſraël, ſed etiam Epiſcopi ueteres, ſcitis Nazianzenum patre Epiſcopo natum eſſe. Is cum prædicat parentum coniugium, narrat tantam eruditionem & pietatem fuiſſe matris, ut patris fidẽ ſua collatione & diſputatione ſæpe erexerit & confirmarit, ait & non ſolùm in domeſtica conſuetudine eam lenijſſe curas patris, ſed etiam cum autoritate in cœtu mulierum ualeret, plurimum ad publicam concordiam grauitatẽ ipſius profuiſſe. Tales multæ fuerunt familiæ presbyterorũ initiõ, & nunc noui tales multas, quarum exempla proſunt totis ciuitatibus.

Nazianzenus patre Epiſcopo natus.

Conſtituta igitur definitione caſtitatis, redeo ad refutationem calumniarum, quę ſunt in libro delectorum. Hortatur Chriſtus, inquiunt, ad continentiam, Bucerus dehortatur. Vtri auſcultaudum? ac tales antitheſes multas coaceruant, ut fucum rudibus faciant. Vera & firma reſponſio eſt. Chriſtus hortatur idoneos ad cœlibatum, ut donum rectè tueantur. Idem Chriſtus ijs, qui puritatem extra coniugium non retinent præcipit, ut purẽ in coniugio uiuant. De his & Bucerus loquitur, prorſus ut Paulus, qui ait, Vitandæ ſcortationis cauſa, ſuam quiſq; uxorem habeat. Item, Melius eſt nubere, quàm uri.

Chriſtus hortatur ad Cœlibatum idoneos.

Cœlebs curat ea, quæ ſunt Domini. An de cœlibe immundo loqui Paulum exiſtimatis, qui aut ruit in libidines, aut infeliciter cum natura fœcunda luctatur? Tales cœlibes cum inuocare Deum non poſsint, quomodo curabunt res diuinas? Cœlebs dono præditus, & occupatus ſua militia, ut Baptiſta, Paulus, Athanaſius, expeditior eſt ad omnes ſubitos caſus, qui incidunt in tanta mole gubernationis. Sed hic Heroicus gradus, nõ eſt uulgaris. Cęteri igitur fœcundi in ſua mediocritate fideliter ſeruiãt. Hi etſi diſtrahũtur curis domeſticis, uxoris,

Heroicus gradus caſtitatis non eſt uulgaris.

uxoris, liberorum miseriis, tamen retinent caput, uidelicet bonam conscientiam, ut inuocare Deum possint. Hæc res ueram tranquillitatem parit. Econtrã immundi cœlibes hoc præcipuum bonum amittunt, & prorsus ã Deo auelluntur, & qui æstus animi, quæ perturbationes, quæ mala sequantur notum est.

Nos coniugium sacerdotum eò defendimus, ut seruire Deo bona conscientia sacerdotes possint. Vos cur propugnatis cœlibatum? Adeo ne omnes homines ubiq; terrarum stipites esse iudicatis, ut causam nemo uideat, nemo suspicari possit? Num propugnatis, ut uita sit purior? at constat quales sint mores maximæ multitudinis. Num ut in uitæ puritate inuocatio minus sit impedita? Imò ut quisq; maximè intelligit inuocationem, ita maximè optat hoc onus sublatũ esse. Num ut expeditiores sint ad Ecclesias docendas? quotus quisq; docet. Vna est uera & sola causa tuendi cœlibatus, ut opes commodius administrentur, & splendor ordinis retineatur. Propter hanc causam, quæ in Ecclesia minimè ualere debebat, ã potentibus lex impia defenditur, & multi pij sacerdotes interfecti sunt. Hæc delecti non ignorant. Et tamen simulant se pietatis causa cœlibatum, & uota tueri, eaq; sciunt non ueris causis, sed iniusta ui & crudelitate defendi.

Quo fine defendatur coniugium Sacerdotum.

Qua de causa cœlibatus defendatur à Pontificijs.

Etsi autem scio nobis obijci apologum, quem recitat in tertio politicorum Aristoteles, uidelicet ut quondam lepores cum leonibus iura daturi essent, dilaniati sunt, ita nos frustra concionari potentibus, & nobis tantùm accersere ærumnas. Non potestis, inquiunt, cogere summos ordines, ut usitatam legem aboleant. Quid frustra in repub. uociferaminí? Talia sunt Ecclesiastica certamina. Et quanquam humanis iudicijs non dirimuntur, tamen non sunt inutilia. Ridebant pontifices & principes Ieremiam, Baptistam, Christum, Apostolos, donec Ierosolyma euersa, certamen diuinitus diremtum est. Interim tamen doctores illi aliquam Ecclesiam collegerant. Ita & noster labor non planè irritus est. Si non flectere possumus potentes, at aliqui priuati moueantur, ut fugiant, ut execrentur idola & libidines. Et ueritas in Ecclesia dicenda est, uel si fractus illabatur orbis. Quo tempore in Sodomis & uicinis oppidis summa fuit morum corruptio & turpitudo, duo uiri erant in uicinia Sem & Abraham, qui suis concionibus hæc tanta flagitia acerrimè taxabant. Sem pene in conspectu urbis Sodomorum in Salem domicilium habebat, quæ non plus octo miliaribus distabat ã Sodomis. Et uiderat hic uir mundum ante diluuium, audierat primordia generis humani ã certissimis testibus. Gubernauerat Ecclesiam post diluuium annos iam quadringentos, antecellebat sapientia, uirtute, ætate omnibus hominibus eius temporis. Abraham uerò etiam recens, ingenti beneficio urbem adfecerat, cùm profligato exercitu hostium, captos ciues recepit, & in patriam saluos reduxit. Horum tantorum uirorum autoritate & uoce nihil mouebantur urbium illarum principes. Quid miremur igitur nostras conciunculas rideri, qui sumus uerè, ut inquit Christus, pusillus grex. Sed tamen hunc pusillum gregem curæ esse Deo scio. Nec erunt irriti nostri labores. Multæ sunt bonæ mentes, quæ illucescente Euangelio, ueram Dei inuocationem discunt, & idola ac commentitios cultus fugiunt. Piget immorari huic disputationi, & si de dignitate cõiugij honesta est oratio, sed eò insuauius est hoc certamen, quia nec aduersarij, nec delecti in hac causa dicunt ingenuè quod sentiunt. Prætextu pietatis defendunt cœlibatum & uota, cùm sciãt tantùm retineri hanc formam politiæ suæ, quia ad opum administrationem,

Lepores Leonib. cum imbecilles potentibus concionantur.

Sem.

Abraham.

& ad splendorem retinendum est commodior. Finio igitur disputationem, sed ita, ut eos, qui Deum uerè colere, & suæ saluti consulere cupiunt, adhorter, ut illa uincula impia fugiant. De uotis etiam eō non est opus longa oratione. In monasterijs fiunt tetræ prophanationes Missarum, inuocationes mortuorum, & exercentur multæ superstitiones aliæ. Hæ satis euidentes causæ sunt, quæ uota soluunt, & liberant addictos huic generi uitæ. Vera est enim regula, Votum non debere esse uinculum iniquitatis, Certē non debet alligare hominem ad idolorū cultus. Non est igitur ad hanc ætatem accommodanda lex Iouiniani, quæ loquitur de uirginum collegijs, in quibus nondum erant uiciosi cultus, qui nunc defenduntur. Et raptus ea lex prohibuit, quos Iulianus, odio nominis Christiani, concesserat. Sed uos quidquid usquam in omnibus chartis odiosissimum inuenistis, quod quoquo modo detorqueri aduersus nostros potest, in hoc scriptum uestrum congesistis, ut doctrinam ueram & pijs utilem qualibuscunq; præstigijs obrueretis, & uestram tyrannidem confirmaretis. Multis iam seculis captiui & captiuæ in monasterijs, iustas & necessarias causas habent deserendi monasticen contaminatam multis uiciosis cultibus. Est enim mandatum immutabile: Fugite idola.

De uotis.

Votum non debet esse uinculum iniquitatis.

Monasteria polluta sunt multis uiciosis cultibus.

Dicam ex animo quod res est: Magno cum dolore legi illam uerborum immanitatem, cùm delecti connubia piorum hominum nominant incesta, sacrilega, scelerata. Atrox oratio est, & pertinet crimen ad omnes nostros Principes & Respub. Nam si esset incesta consuetudo, non minus legibus punienda esset, quām parricidium. Graue enim scelus est incesta coniunctio, & sæpe cladibus publicis punitur, ut Thebanæ & Aegyptiæ historiæ indicant. Vtinam delecti suos mores contemplarentur, qui nō leuiter polluunt Ecclesiam, & uerecundius de pijs hominibus, & de nostris ciuitatibus loquerentur.

Prętulit Bucerus periculoso cœlibatui pium coniugium, duxit uirginem honestam Elisabetam, quæ cum ex Euangelio didicisset, fugienda esse idola, uolens reliquit monasticas superstitiones, fugit statuarum adorationes, mortuorum inuocationes, prophanationem cœnæ domini. Nupta igitur uiro ita uixit, ut eius pietas, pudicicia, & in omni actione modestia, multis bono exemplo esset, fuit puerpera tredecies, sustinuit ærumnas non leues matri obeundas, rexit œconomiam magna sedulitate, docuit filias, fuit officiosa erga mulieres pauperes. Poterat cum familia fugere grassantem Argentinæ pestilentiam, nisi maluisset socia esse periculorum mariti, qui ex statione sua discedere noluit. Cùm igitur contagia non posset uitare, oppressa morbo, decessit, sed antea se Deo fiducia mediatoris piè commendauerat.

Elisabeth uxor Buceri.

Nihil´ne sceleris esse iudicatis quōd talibus matronis mortuis & uiuentibus, quæ sunt Christi membra, maledicitis? Exaggerate Canonum autoritatem quantum uultis, tamen hoc uniuersa Ecclesia fatebitur idola fugienda esse. Non sunt igitur incesta, non sacrilega, non scelerata connubia, quæ deserta impia monasteriorum seruitute contrahuntur iuxta Euangelium, ut Deus pura conscientia inuocari possit.

Sed restat maius crimē, ut delecti uociferātur & prorsus inexpiabile. Mortua priore coniuge, duxit secundam D. Bucerus. Hic tenent irretitum laqueis canonum, ut putant, inextricabilibus, hic torrendū esse censent in tauro Phalaridis. Nihil agam astutè. Nusquam uetusti canones damnant tale coniugiū, tantum à ministerio remouent eum, qui ducit secundam. In uestro scripto

damnatur

damnatur pia ſocietas coniugum. Cũm autem noſtro tempore pauci ſint idonei doctores, anteferatur illa canoni Eccleſię utilitas, Quanquam cur nobis toties canonum ſententias obiicitis, cũm magna ex parte mores ueſtri publici & priuati diſſentiant ab uniuerſa politia canonum, qui cum iure diuino congruunt. Sed uſitatum eſt hoc quoq; hypocritis, colare culicem, & deuorare camelum.

De dicto Pauli Epiſcopus ſit uir unius uxoris.

At Paulus iubet Epiſcopum unius uxoris uirum eſſe. Rectè. Et qui mortua priore coniuge, ducit ſecundam, unius uxoris uir eſt. Et hanc eſſe Pauli ſententiam uetuſti canones indicant. Etſi autem poſterior ætas durius interpretata eſſe Paulum, tamen certum eſt noluiſſe eum pijs doctoribus ulla periculoſa uincula iniicere. Norat Eccleſiæ opus eſſe pijs & doctis miniſtris, norat cauendum eſſe, ne inuocatio Dei impediretur. Ideo nominatim concedit eligi caſtos maritos.

Vos cũm ad gubernacula Eccleſiæ ſedeatis, maximè iuuare & ornare Euangelij miniſterium oportebat, & ut gloriam Dei illuſtraretis, & ut ſaluti populi conſuleretis. Hoc ſcitis eſſe ſummi ordinis proprium munus. Sed quid agitis? maxima pars eorum, quos in ſummum faſtigium euexit Eccleſia, non docet: Deſunt multis locis paſtores, ſtipendijs interim fruuntur ocioſi Canonici. Deinde uagantur monachi ut doceant, qui uel ignorant Euangelium, uel adfectibus aliorum ſeruientes confirmant idola. Religio interim in quibus rebus populo ſita ſit, ipſa templa ueſtra oſtendunt, in quibus quanta uarietas eſt ſtatuarum? Alibi colitur Anna, alibi Maria, alibi ſtat Seruatius, cui pendet de collo marſupium, quia putatur ſeruare ijs pecuniam à quibus colitur, denique talia ſimulacra innumera in his præſertim locis uidetis: Ad hæc concurrit uulgus magna frequentia, has ceremonias putat eſſe religionem. De uera inuocatione, de Chriſto, de ueris officijs pietatis, de diſciplina Eccleſiæ ſilentium eſt. Interim uos, cũm Euangelij miniſterium negligatis ipſi, depellere etiam idoneos, & ſalutares doctores ab hoc neceſſario munere conamini prætextu obſoleti canonis, de eo qui mortua priore coniuge, piè & honeſtè ducit aliam, & hanc habet unicam.

Errores & Idolatriæ Pontificiæ.

Sed quid diſputo, cũm nihil prorſus agatis candidè. Non de illo ueteri canone dimicatis, ſed tantũm quæſitus eſt à uobis prætextus, ut quoquo modo arceretis D. Bucerum. Lucem Euangelij formidatis, & ſtabiliri uultis populi errores & ſuperſtitiones, ne ocium ueſtrũ interturbetur, ut nihil aliud dicam.

Dixi initiò me de paucis locis breuiter reſponſurum eſſe, uel commonefaciendi lectoris cauſa, uel ut conſtet nos huic Colonienſi ſcripto reclamare. Necq; enim diſſimulanda erant tam atrocia conuicia. Prætereo igitur uolens magnos aceruos calumniarum, quas liber delectorum undiq; conuerrit, & ab honeſtis lectoribus peto, ne de Eccleſijs noſtris aut docentium uoluntatibus & genere doctrinæ ex maledico ſcripto Colonienſi iudicium faciant, ſed ex ueris teſtimonijs. Ego quid profitear in ſingulis articulis doctrinæ eccleſiaſticæ in meis ſcriptis ingenuè, planè, & ſine ſophiſticis labyrinthis expoſui. Et hanc eſſe cõmunem doctrinam Eccleſiarum noſtrarum ſcio, nec dubito hoc totum doctrinæ genus, quod ſonat in Eccleſijs noſtris, uerè eſſe conſenſum Eccleſiæ catholicæ Dei, inde uſq; ab initio. Terra mihi potius dehiſcat & obruat tota Aetna, quãm uelim defendere ullas corruptelas doctrinæ cœleſtis, aut pugnare cum Eccleſia Dei, in qua cupio, ut in æterna ſchola, poſt hanc uitam etiam

Autoris de ſua doctrina profeſſio.

uidere filium Dei, Patres, Prophetas, Apostolos, & eorum frui doctrina & familiaritate, Hanc futuram scholam mente intueor, quoties in nostras scholas ingredior. Nec uelim unquam meum iudicium ab illis optimis doctoribus seiungere. Cumq; audierim Bonnæ Bucerum, sum ei testis, purē ipsum & fideliter summam doctrinæ Christianæ integram tradidisse.

Ad id sanctissimum munus cūm grauissimo consilio Archiepiscopi & principis accersitus sit, cumque præstet in docendo fidem, diligentiam & moderationem, dignam pio doctore, iniustē uocationem ipsius reprehenditis. Negari non potest diu à uobis neglectas esse Ecclesias. Quem igitur magis decuit cogitare de salute populi, quàm Episcopum & Principem, qui multorum sententias, & in his uestras quoq; audire, & conferre uoluit, nec aliud in hac ætate & grauitate quærit aut spectat, nisi ut populi saluti consulat. Vos ipsi scitis non uti eum amicicia, nisi optimorum uirorum ex summo ordine, quorū prudentiam, & uirtutem scitis probatam esse grauissimis Regibus & Principibus, nec quicquam sine his amicis constituit. Quare de eius consilio & uoluntate modestius uos pronunciare & scribere decuit.

Addiderunt delecti tragicum epilogum suæ criminationi, oratorum more, in quo primùm de opibus Ecclesiasticis declamitant, postea nostras Ecclesias miscent Anabaptistis, & omnes omnium furores in nos transferunt, ac obliti sua scelera, propter nos plecti Germaniam publicis calamitatibus aiunt.

Responsio de discordijs, quas obijciunt.

Pauca primum de opibus Ecclesiarum respondeo: Scio sapientes angi de concordia, autoritate gubernatorum, politico statu Ecclesiæ. Hæc si uerē uellent iudicare, tueri non difficulter possent, si hoc ipsum doctrinæ genus, quod profitemur, admitterent. Nam Euangelium concionatur de agnitione & inuocatione Dei, & munit politicum ordinem. Sed dum idola & iniusta uincula tueri potentes conantur, dissidia sequi necesse est. Et ex dissidijs in utraque parte multum mali existere solet. Hoc quanquam ita accidit, tamen ueritatis professionem omittere non possumus.

Nec motæ sunt hæ controuersiæ propter opes, ut leges Agrariæ. De luce doctrinæ differimus, hanc retinere cupimus. De opibus & imperijs illi deliberent, ad quos ea res pertinet, etsi profectō æquissimum est nobis ignosci, cūm dolemus fame contabescere pios pastores, & pauperes scholasticos, & his mediocrem uictū præberi, & iuuari studia petimus. Sint si ita uolunt, magna collegia nobiliū, quorum uirtus & autoritas possit esse usui reipub. Quis hæc reprehendit? Satis superest Ecclesiasticarum opum alibi, unde iuuari pastores, & scholastici, & prouehi studia possunt. Nec uos delecti ignoratis canones prçcipere harum rerum curam gubernatoribus ecclesiarū & imperiorum.

Responsio de opibus.

Quod uerō dicitis inhiare reformationem opibus cleri, hunc esse Christum, cui seruiamus, modestissimē respondeo, & Bucero, & Principibus, & multis alijs atrocem iniuriam fieri, nec regeram crimen. Nam utri magis de opibus dimicent, minimē est obscurum.

Nequaquam consentaneum est tot sapientes Principes, tot Senatores cordatissimos ulla mercede quantumuis magna, uoluisse sibi tantum periculorum & curarum accersere, quantū adfert Euangelij professio. Quid nos scholastici? qui propter amorem literarum, cùm tranquillitatem opibus & dignitatibus antetulerimus, tamen hāc etiam amittimus in hac militia confessionis, cūm in studijs iucundioribus uersari mallemus. Sed Deus tandem iudicabit

quid

quid utrique ſpectarint, quem oro ut petulantiæ ueſtræ frenum iniiciat.

Exulat Elias apud uiduam Sareptanam, cùm impij ſacrificuli in regno florerent dignitate & opibus. Ita plerunque uera Eccleſia habet hoſpitia tenuia, & magnæ opes ſunt penes Euangelij hoſtes. Quare ſcimus nos inopian noſtram boni conſulere debere, eamq; arte ferre. Sed alij erunt, qui uos ad rationes retrahent. Neq; tamen deerunt nobis hoſpitia, nam & librum cœleſtis doctrinæ, & ſtudia alicubi conſeruari oportet. *Eccleſia plerunq; habet tenuia hoſpitia.*

Poſtremò non contenti hac ſequitia maledictorum de inceſtis, & de ſacrilegis, lapides tollunt, & nos iã prorſus obruere & extinguere conantur. Miſcent nos Anabaptiſtis, clamitant propter nos, tanq; propter ἀλάσορας toti rerũ naturæ Deum iraſci, hinc morbos & Turcica bella oriri. Audis lector uſitata præconia, quibus pij doctores ab atheis hominibus ornantur. Ita & Paulus inquit, Apoſtolos duci καθάρματα mundi. Nec aliud onus pij grauius ſuſtinent, quàm hæc iniuſtiſsima iudicia hypocritarum. Quare pios toties conſolatur uox diuina, ne frangantur animis propter tam uirulenta conuicia. Toties aũt teſtati ſumus, quid ſentiamus, & non ſolũ ſcripta noſtra, ſed etiam reſpub. oſtendunt nos abhorrere ab Anabaptiſticis furoribus, qui magna ex parte in ijs locis orti ſunt, ubi populo uocem Euangelij non licuit audire. *Reſponſio de Anabaptiſtis.*

Conſtat noſtrorum literis clariſsimẽ diſcerni à politicis rebus, ſeu ab imperijs, regnum Chriſti, conſtat magis illuſtratam eſſe dignitatem uitæ ciuilis noſtris ſcriptis, quàm ueterum. Quare & Eccleſiæ noſtræ iuo iudicio uitant Anabaptiſtarum deliria, & ad ea reprimenda alibi noſtras lucubrationes proſſe arbitramur. Quæ enim extant ueſtra ſcripta contra Anabaptiſtas, aut quomodo eorum hypocriſin refutare monachi poſſunt, qui ſimiles ineptias profitentur, pietatem eſſe abdicare proprium, ſordido ueſtitu quaſi perpetuũ luctum ſimulare, abijcere & contemnere uocem Euangelij de iuſticia fidei, & econtrà attollere iuſticiam operum, induere perſuaſionem, quòd legi Dei homo ſatisfacere poſsit, non diſcernere perfectam obedientiam quam lex requirit à diſciplina, quam & debent & poſſunt præſtare homines. Hęc hypocriticę uitæ ſemina communia ſunt monachis & Anabaptiſtis.

Nec uerò fieri poteſt quin magnæ opinionum & morum confuſiones, & tumultus in diſcordijs ciuilibus oriantur. Sed culpa penes eos eſt, quorum iniuſta pertinacia cauſam præbet diſcordiæ. Si cederet ueritati error, & communibus ſtudijs pij gubernatores diſciplinam regerent, aut non orirentur prauæ opiniones, aut natæ ueris & legitimis iudicijs citò obruerentur. Sed quia hypocritæ odio ueritatis accendunt diſcordias magnæ perturbationes ſequuntur. Nam in diſcordia ciuili, ut inquit Thucydides, nihil mali non ineſt. Accedunt ſimul aliæ fatales pœnæ mundi. Et in hac extrema mundi ſenecta, maiores confuſiones imperiorũ impendent, undiq; igitur premitur & concutitur uera Eccleſia, id eſt, pij ſonantes Euangelij uocẽ diſperſi paſſim in imperijs mũdi, quos quidem oportet intelligere & quæ ſit Eccleſia Dei, & quæ ærumnæ ferendę, & quæ certamina ſuſcipienda ſint, & ad has tantas res animum præparare, ut puram Euangelij doctrinam defendant, & alijs tradant. Exitus uerò commendent duci Chriſto gubernanti ſuum cœtum, qui etiam illa immania conuicia tandem refutabit. *Magnæ confuſiones opinionum & morũ oriuntur in diſcordijs ciuilibus.*

Etſi autem fortaſsis aliquibus hæc mea reſponſio uidebitur aſperior, tamen ſi legent Colonienſe ſcriptum, magis me lentum & infantem iudicabunt,

quam uehementem, quòd ſçuitiam ſtyli delectorum non depello acrius. Noui mei ingenij imbecillitatem,& ut in tranquillo flumine nauigare,ita in placidis diſputationibus uerſari malim, quàm contendere maledicendo. Habent delecti ſuum theatrum,ā quo ſciunt ſibi plauſum dari, & ex quo iudices deligunt. Prouoco & ego ad Eccleſiæ iudicia,hoc eſt,ad omnes pios & eruditos, qui has controuerſias dijudicant, ubicunçᵹ ſunt. Nam aliter hæc certamina dirimuntur,quàm cauſæ forenſes. Rectē conſtituit Baſilius iudicium: ἀλλ' εἰσὶν ἐπίσκοποι, κληθῶσιν εἰς ἀκρόασιν. ὅτι κλῆρος κατὰ πᾶσαν τοῦ θεοῦ παροικίαν, συναχθέντωσαν οἱ δοκιμώτατοι, λεγέτω μετὰ παῤῥησίας ὁ βουλόμενος, ἵνα ἔλεγχος ᾖ τὸ γινόμενον καὶ μὴ λοιδορία. Vtinam ritē conſtitueretur iudicium Eccleſiaſticum. Sed uos aſtutē cauetis uobis, præſcribitis qualem iudicem uelitis, uidelicet uobis addictum. Multi ſunt Apologi, qui monent iniqua iudicia uitanda eſſe, ſed recitabo recens exemplum, longē uenuſtiſſimum omnium, quæ uel legi, uel audiui: Duo ſunt in Gallia uiri excellenter docti Caſtellanus & Bigotius. Et quia Caſtellani diſputationes crebrō ā Rege audiuntur, hortatur quiſpiam ex proceribus, ut Bigotius etiam audiatur. Interrogat Rex in quo doctrinæ genere uerſetur. Cumque alij honorifico teſtimonio eum ornarent, tandem Caſtellanus, quia augeri eius opinionem nolebat, interpellans, quid inquit, tantopere prædicatis. Eſt Ariſtotelicus. Rex interrogat,qualis ſit ea deſcriptio. Dicam,inquit Caſtellanus. Ariſtoteles ἀριστοκρατίαν adfirmat meliorem ſtatum eſt, quàm regnum. Hac uoce apud Regem ſciebat ſe omnem autoritatem & Ariſtoteli & eius ſtudioſis detraxiſſe. Cumçᵹ rex interrogaret, an hoc ſcripſerit Ariſtoteles, & cæteri id adfirmarent, audiſſetçᵹ defendere Bigotium Ariſtotelicas ſententias, delirare Ariſtotelem inquit, & negauit ſe defenſorem harum ineptiarum auditurum eſſe. Facilē uicit Caſtellanus tali iudice. Hęc narratio imago eſt iudicij quod delecti in libro ſuo conſtituunt. Nec nos defugimus cognitionem, ſed maximē optamus iudicio uerē Eccleſiaſtico latius propagari ueritatem & iuſto modo tranquillitatem Eccleſiæ muniri. Sed quantulum hæc cura tangat potentes,res ipſa oſtendit. Interea tamen pij iudicant, & regulam norunt, uidelicet doctrinam Propheticam & Apoſtolicam, & primæ Eccleſiæ teſtimonia, ut ſuprā dixi. Sciunt Eccleſiam extructam eſſe ſupra fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum: Sciunt horum uocem audiendam eſſe, & anteferendam prauæ conſuetudini, quamuis longi temporis. Si uerē iudicamus Deum ſe patefeciſſe in hoc uno genere doctrinæ, quod tradidit Prophetis,& Apoſtolis, hanc normā ſequi neceſſe eſt. Sed multi prophani nunc cogitant,Eccleſiaſticā politiam eſſe ſimilem Atticę aut Laconicæ,conſtitutam humanis conſilijs,ac propterea ſemper præſentē formam tranquillitatis cauſa tuendā eſſe. Et multi ſic ſentientes, harū controuerſiarū iudicijs prçficiuntur,qui hac faſcinati perſuaſione,manifeſtiſſimam ueritatē opprimere conantur. Non .n. litigamus de rebus obſcuris aut perplexis. Nec reuerenter ſentiunt de cœleſti doctrina,qui exiſtimant perplexam & Ambiguam eſſe. Agnoſci ſe & inuocari Deus uoluit,& filium iuſſit audiri, qui ex ſinu æterni patris Euangeliū proferens, certam doctrinā Eccleſiæ ſuæ tradidit. Hunc doctorem qui audiunt, facilē has controuerſias dijudicare poſſunt, Ad hos prouoco,& oro Deum æternum patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, ut propter filium nos regat ſpiritu ſancto, & Eccleſiam ſuam augeat & ſeruet.

Aduerſarij iudicem quærũ ipſis addictum.

Caſtellanus. Bigotius.

δόξα τῷ θεῷ.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO ALBERTO, DVCI PRVSSIÆ, MARCHIONI BRANDENBVRGENSI, &c.

PHILIPP. MELANTHON. S. D.

ASTYAGES REX MEDORVM IRATVS HARPAGO Principi, quòd non necasset infantem Cyrum, ut erat imperatum, postea accersit ad se Harpagi filium adolescentem, eumq; mactatum proponit in epulis mandendũ patri Harpago. Accumbit miserrimus pater, existimans se honoris causa à Rege ad conuiuium uocatum esse, & tosta tus esset tyrannus, tandem crudelitatem suam patefecit, iubet proferri caput, manus & pedes adolescentis. Cumque agnouisset Harpagus filij membra, interrogat Rex, satin suauiter epulatus sit. Ibi ille, etsi ingentem animo dolorem acceperat, tamen in præsentia iram repressit, ac placidè respondit, Mihi uerò placet, quidquid Rex facit. Talem in Ecclesia tyrannidem multis seculis Pontifices & eorum satellites gerunt. Postulant, ut sine discrimine populus omnia decreta, etiam apertè impia, omnes abusus, omnia Monachorum deliramenta comprobet & tanquam cœlestia oracula suspiciat.

Etsi autem non temerè autoritas ueterum labefactanda est, tamen cùm de uoluntate Dei, deq; uero cultu, necesse sit tenere certa & firma testimonia diuinitus proposita, nequaquam hæc barbarica seruitus in Ecclesia toleranda est, quæ uetat discerni ueram doctrinam ab adulterina, quæ nefarios abusus confirmat. Inimica est hominum naturæ tyrannis, sed multò inimicior Ecclesiæ, in qua omnes pij assiduè excubias agere & in statione esse debent, ne impijs opinionibus obruant Euangelium, seu hi qui præsunt, seu alij.

Porrò quàm multa uicia in Ecclesiam peruaserunt sine ullis certis autoribus, quæ quidem orta primùm ab exemplis obscuris, paulatim uires acceperunt, qualia sunt, inuocatio Diuorum, multiplex prophanatio mysterij cœnæ Domini, nundinatio Missarum, impurus cœlibatus, & pleraq; alia. Hæc cùm dormitantibus ys, qui præerant, irrepserint sine decretis Synodorum, sine ulla graui autoritate, nunc tamen summa acerbitate suppliciorum defenduntur, & prætexitur crudelitati studium retinendæ Ecclesiasticæ autoritatis. Ac multi instructi doctrina & eloquentia, cùm uideant Deo bellum inferri, cùm fateantur pollui gloriam Dei, deleri piam doctrinam, & dilacerari membra Christi, tamen adplaudunt Tyrannis, & impudentius, quàm Harpagus ille, prædicant sibi placere, quidquid agunt pij Principes & Pontifices θεομάχοι ψαλαμναῖοι, ἠχὴ ἀλάσορες.

Deinde hanc tantam turpitudinem artificiosè excusant, fingunt prodesse, ut conseruetur

seruetur autoritas & ἀξίωμα eorum, qui præsunt. Tyrannides scelere & crudelitate retinentur, tantisper scilicet dum durant, non autoritas Ecclesiastica. Indignissimum est autem, præcipuè doctis uiris, tanquam satellites esse tyrannorum, & quidem Deo bellum inferentium, ac eorum confirmare furorem, & incendere sæuitiam, Quid cogitari turpius hac seruitute potest? præsertim in illis, qui ad consilia Regum, qui ad Ecclesiæ gubernacula propter eruditionem euehuntur, ut sint religionis ueræ monstratores & custodes, non ut iniustis dominorum cupiditatibus adulentur, Sed profectò ita est, ut in Tragœdia dicitur, Malus est minister regij imperij pudor. Qui tyrannis se adiungunt, eisq; & sententias & linguam addicunt, hi personam suam sine impudentia tueri non possunt.

Cùm autem tantis sceleribus nomen Ecclesiæ & antiquitatis prætexatur, collegi quædam de Ecclesia & ueteribus Synodis ac scriptoribus, quæ, ut spero, iuuenibus profutura sunt ad iudicandum, ubi testimonia antiquitatis ualeant. Dulce Ecclesiæ nomen omnibus pijs esse debet, ut ueræ patriæ. Et quid est illo uenerabili Concilio augustius, in quo Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus præsidet, & habet adiunctum cœtum præstantissimorum hominum, inde usq; ab initio mundi, Adæ, Enoch, Nohæ, Sem, Abrahæ, Isaac, Iacob, Ioseph, Moisi, Samuelis, Dauidis, Eliæ, Elisæi, Esaiæ, Ezechiæ, Danielis, Apostolorum, & multorum piorum, quos Deus ornauit admiranda gloria, in docendo & in regendis imperijs, & quorum doctrinæ Christus clarum testimonium impertit. Hunc uenerabilem cœtum, nos maximè uenerari decet, quem quidem aduersarij summa contumelia adficiunt, cùm eum alligant ad stabiliendam idolatriam, ad confirmandos prodigiosos errores, ad excusanda parricidia & infinitam crudelitatem.

Etsi autem tenuior & breuior est hic Libellus, quàm argumenti amplitudo poscebat, tamen edendũ esse duxi, sperauiq; auspicatius proditurum esse, si Celsitudini Tuæ dedicaretur, quia nomen Celsitudinis Tuæ propter excellentem uirtutem, pietatem & sapientiam tuam, multis bonis & doctis hominibus in uniuersa Germania meritò carissimum est. Nec uerò ulla res humana bono & sapienti Principi gratior esse potest, quàm si ueris iudicijs bonorum celebretur, & à bonis diligatur. Benè ualeat Celsitudo tua. Anno 1539.

DE ECCLESIA ET AVTORITATE VERBI DEI.

Occasiones & causæ huius scripti.

SÆPE DISPVTARI SOLET, QVANTVM TRIBVendum sit Ecclesiæ sententijs, decretis Synodorum, & Scriptorum dictis. Etsi enim regulam tenemus, ut uerbum Dei amplectamur, tamen cùm uideantur in Apostolicis scriptis occurrere loci ambigui, disputant aliqui potius esse sententias Ecclesiæ sequendas, quãm scripta Apostolorum.

Deinde affingunt autoritatem Ecclesiæ anteferendam esse uerbo Dei, ac posse Ecclesiam mutare tradita in uerbo Dei. Citant ad has opiniones dictum Augustini: Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret autoritas. Itaq; falso prætextu nominis Ecclesiæ Pontifices decernunt & præcipiunt multa pro libidine contra uerbum Dei, confirmant & stabiliunt impiam

impiam doctrinam & impios cultus, ac plurimos etiam nunc deterret à uera doctrina Euangelij, quam profitemur, solum nomen Ecclesiæ. Ideo necesse est de autoritate Ecclesiæ rectè admoneri homines.

Petulantia est sine discrimine reijcere consensum Ecclesiæ.

Rursus etiam quædam petulantiora ingenia, cùm fingunt ex dictis scripturæ malè detortis nouas opiniones, prorsus aspernãtur consensum ueræ Ecclesiæ & omnes Synodos sine discrimine, ut cùm Seruetus rixatur cũ Ecclesia omnium temporum, & deprauat dicta de Verbo, Iohannis primo, & quærit concinniorem, ut ipse putat, interpretationem. Vt igitur talis petulantia coërceatur, aliquo modo septis, ut ita dicam, opus est Ecclesiæ, sicut ueteres Synodi & Scriptores allegant prima testimonia ab Apostolis & certis autoribus accepta.

Tertulliani dictum, quod cunq; primum rectissimum.

Tertullianus contra Praxeam inquit, hanc regulam tenendam esse aduersus omnes hæreses, Rectum esse, quodcunq; primum est, adulterinũ uerò, quodcunq; posterius. Et quidem uocat primum, quod Apostoli certò tradiderunt, sic enim ipse sese interpretatur.

Irenæus allegat Polycarpum.

Irenæus contra Florinum allegat autoritatem superiorum, ac nominatim Polycarpi, qui fuerat auditor Iohannis Apostoli. Inquit enim execraturum fuisse dogmata Florini, si ea audijsset, & uitaturum locum, in quo illa dicta essent, tanquam pollutum.

Basilius allegat nutricem quæ audiuit Gregoriũ Neocæsariensem.

Basilius allegat nutricem suam, cuius pietatem ait tunc in primis fuisse laudatam, & addit eam accepisse doctrinam ã Gregorio Neocæsariensi, qui illo tempore eruditione & miraculis claruit, & refutauit Samosatenum, ac reliquit breuem confessionem fidei, quæ continet illustre testimonium de Trinitate. Extat autem in libro 7. Ecclesiasticæ historiæ.

Origenes de Baptismo infantum allegat Apostolos.

Origenes allegat Apostolos de Baptismo infantum. Ait enim in cap. 6. ad Romanos, Ecclesias accepisse traditionem ab Apostolis, ut baptizentur infantes. Hi rectè allegant autoritatem Ecclesiæ. Quare ordinè dicam, quid sit Ecclesia, & quæ audienda sit, ac probatis testimonijs utendum, & tamen doctrina iudicanda ex uerbo Dei, ut maneat summa autoritas uerbi Dei, iuxta illud: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit.

Quæ sit uera Ecclesia.

Primùm autem, cùm nomino Ecclesiam, non intelligo Pontifices, Episcopos, & cæteros, qui probant ipsorum opiniones, Nam hi sunt hostes ueræ Ecclesiæ, partim Epicurei, partim Idolatræ manifesti, Sed uoco Ecclesiam, cœtum uerè credentium, qui habent Euangelium & Sacramenta, & sanctificantur Spiritu sancto sicut Ephes. 5. describitur Ecclesia, & Iohan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt.

Etsi autem necesse est, hanc ueram Ecclesiam semper durare, quia regnum Christi est perpetuum. Et scriptum est: Manebo uobiscum usq; ad consummationem seculi, tamen sciendum est, hanc ueram Ecclesiam non semper pariter florere, sed sæpè admodum exiguam esse, ac subinde restitui diuinitus, missis ueris doctoribus, ut Noæ tempore fuit angusta Ecclesia & paucorũ cœtus.

Ecclesia diluuij tempore et post diluuium.

Ita post diluuium retinuit ueram doctrinam Melchisedech, qui fuit Sem, filius Noæ, & cùm Idolatria apud Chaldæos creuisset, ac penè ubiq; extincta esset uera doctrina, Deus renouat Ecclesiam uocato Abraham. Postea familia Abrahæ, & pauci eius auditores sunt Ecclesia, cùm interim Chaldæi & Aegyptij gloriarentur se esse posteros patrum, se retinere patrum exempla & cultum, & prædicarent se esse populum Dei, cùm uerbum Dei non retinuissent,

issent, etiamsi ceremonias retinuerant, quibus tamen affinxerant peruersas opiniones,& addiderant idolatriam.

Ecclesia Christo nato &c.

Tempore Achaz fuit in Israël extincta Ecclesia,postea per Eliam & Elisæum rursus aucta est, deinde iterum collapsa est.

Cùm nasceretur Christus, fuit in Iuda admodum exigua Ecclesia,Maria, Ioseph, familia Zachariæ,Simeon, Anna, Pastores, & pauci alij. Interea regimen Ecclesiasticum fuit penes Pharisæos & Sadducæos, qui erant palàm impij. Sadducæi etiam erant Epicurei,& tamen arrogabant sibi præcipuè titulum populi Dei.

Ecclesia tempore Esaiæ.

Sic & tempore Prophetarum exigua fuit uera Ecclesia,Esaię primo: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma & Gomorra facti essemus. Hæc uerba grauissimè monent nos, ne de Ecclesia cogitemus, tanquam de mundana politia, ne eam successione Episcoporum, aut gradu & loco Pontificum metiamur, sed apud eos esse statuamus Ecclesiam, qui retinent ueram doctrinam Euangelij. In hoc cœtu esse aliquos uerè credentes necesse est,Nam ad hunc cœtum pertinent promissiones. Ideo Esaias detrahit illum augustum titulum suis principibus & Pontificibus, & inquit, exiguum semen reliquum esse in illo ipso populo, qui uocabatur populus Dei.

Vbi & apud quos sit Ecclesia.

Ecclesia tempore Ieremiæ.

Et Ieremiæ tempore, cùm ei Reges & Sacerdotes aduersarentur, non erat Ecclesia cœtus sacerdotum,sed illi, qui credebant concionibus Ieremiæ.Amos 3. Sic liberabitur Israël, ut si Pastor duo crura Leoni ex faucibus eripiat. Denicq fuit exigua Ecclesia præ multitudine impiorum, cùm omnes gentes præter populum Iuda prorsus amisissent noticiam Dei.

Testimonia de Ecclesia postremi temporis.

Prædicit & scriptura futuras post Apostolos Ecclesiæ clades, Matt. 14. Multi Pseudoprophetæ surgent,& decipient multos. Itē: cùm uidebitis abominationem desolationis stantem in loco sancto,Hic significat, in Ecclesia,quę sic dicitur, orituram esse Idolatriam, qua obruentur uera doctrina & ueri cultus, & fiet Ecclesiæ uastitas,id est, solitudo seu extinctio. Atq ita accidit. Postquam abusus Missarum & cultus traditionum orti sunt, secutæ sunt tenebræ de ueris cultibus, de fide, de inuocatione in fide, de officijs uocationis. Quia conscientia intuens in propria merita, non potest remissionem peccatorum intelligere, nec ueram inuocationem & expectationem auxilij diuini &c.

Item: Facient signa & prodigia; ut, si fieri posset, seducantur etiam electi, 2. Thessa. 2. Veniet defectio &c.Luc. 18.Putas,quòd ueniens Filius hominis inueniet fidem? Psal. 88. Nunquid uanè constituisti filios hominum &c. Est enim querela de uenture Ecclesiæ ruina .Hæc dicta testantur, etiamsi conseruari Ecclesiam necesse est, tamen præsertim postremo tempore admodum exiguam & paucorum cœtum esse,qui sunt spreti & abiecti in hac uita,sicut inquit Paulus: Non multi sapientes, non multi potentes &c.

Ecclesia postremi temporis.

Hæc testimonia eò citaui, ut primùm cogitetur,quid sit Ecclesia,& abducatur animus ā carnalibus opinionibus, quæ fingunt Ecclesiam esse politiam Pontificum, & alligant eam ad ordinariam successionem Episcoporum, sicut

Ecclesia uera.

imperia consistunt in ordinaria successione Principum. Sed Ecclesia aliter se habet. Est enim cœtus non alligatus ad ordinariam successionem,sed ad uerbum Dei. Ibi renascitur Ecclesia, ubi Deus restituit doctrinam, & dat Spiritū sanctum. Et hoc modo regi & conseruari Ecclesias,non ordinaria successione, testatur Paulus Ephe. 4 Dedit dona hominibus, Apostolos, Prophetas, &c.

Docet

Docet enim eam esse propriè Ecclesiam in qua Christus est efficax, & cui dat ueros doctores.

Ideo cùm obijcitur nobis nomen & autoritas Ecclesiæ, primùm consideremus, an fiat mentio ueræ Ecclesiæ, an uerò cœtus Pontificum, & successionis illius & politiæ, nec nos sinamus à uerbo Dei deterreri falso prætextu nominis Ecclesiæ.

Secundò, Postquam dictum est, quæ sit uera Ecclesia, iam addendum est, hanc ueram Ecclesiam, quæ est exigua, ac tantùm sanctorum, retinere ueram doctrinam Euangelij, seu articulos fidei, sicut Paulus eam uocat sedem ueritatis. Sed hæc ipsa uera Ecclesia habet doctrinã aliàs magis aliàs minus purã & perspicuam. Habet & multa infirma membra, ut Apostoli erant Ecclesia, nec tamen intelligebant ante Christi resurrectionem, quale esset futurum regnum Christi. Petrus etiam post datum Spiritum sanctum adhuc imaginabatur cultus legis necessarios esse, sed de cœlo admonitus didicit regnum Christi non esse politiam Iudaicam, sed cultus spirituales, ac perpetuos, Act. 10. *Ecclesia retinet doctrinam Euangelij.* *Regnum Christi.*

Postea incoata prædicatione Apostolorũ, lucebat in ipsis doctrina pura & perspicua, & tamen interea erant multi infirmi, qui, tametsi essent uera membra Ecclesiæ, & tenerent articulos fidei, tamen aliquid addebant erroris, ut qui obseruabant cultus legis, nec satis intelligebant abrogationem legis, & ueros cultus. Hic error non erat leuis, & aliquam caliginem offundebat articulis fidei. Ita Christus prædicit de Ecclesia postremi temporis, futuras magnas tenebras, quæ etiam electos impedient, quò minus puram doctrinam habituri sint.

Manet igitur aliqua uera Ecclesia, quæ retinet articulos fidei, sed interdum minus puros, & obscuratos aliquibus incommodis opinionibus, & habentibus aliquid erroris. Ac loquor adhuc de ueris Ecclesiæ membris, & Sanctis, non de alijs, qui amissa luce uerbi, amittunt Spiritum sanctum, & sequuntur rationis iudicium, & cùm putent se admodum pia tradere, dicunt aliena & impia. Sicut nunc quoq; multi sunt præstantes doctrina, bonis moribus, specie pietatis, qui uidentur sibi sanctissima dicere, cùm procul absint à uera luce, hoc est, à uero intellectu uerbi Dei. De talibus nondum loquor, uerũm adhuc tantùm fit mentio de ueris membris Ecclesiæ, quæ magna ex parte sunt infirma. *Etiam uera Ecclesia aliàs plus aliàs minus lucis habet.*

Sic igitur inquit Paulus: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est. Sed alius superædificat aurum, alius lignum, alius stipulas &c. Fundamentum intelligit articulos fidei, hoc est, summam doctrinæ Christianæ, & doctrinam de beneficijs Christi, sed ad hanc, inquit, addent alij utilem doctrinam & explicationem, & ueros cultus spirituales, Hæc uocat, aurum. Alij addent stipulas, id est, opiniones incommodas, & aliquid erroris habentes, Sicut initiò statim conditæ sunt ceremoniæ, quæ secum traxerunt falsas opiniones. *Fundamentum Ecclesiæ articuli fidei.*

Vt Ambrosium existimo esse uerum membrum Ecclesiæ. Is tamen inquit de ieiunio quadragesimæ: Cætera ieiunia sunt uoluntatis, hoc necessitatis est. Hæc opinio est stipula addita doctrinæ fidei. *Ambrosius de ieiunio.*

Sic Basilius addidit monasticen, tanquam stipulas, & laudat hoc genus uitæ immodicis & falsis præconijs, cùm quidem ab Episcopo suo reprehenderetur. Quòd autem non sit leue erratum, instituere nouos cultus, sæpè monet scriptura, et satis significat hæc una sententia: Frustra colunt me mandatis *Basilius de uita monastica.*

datis hominum. Graue peccatum est contra primum præceptum, cultus non mandatos à Deo instituere, aut approbare. Nam primum præceptum cùm prohibet alienos Deos, etiam prohibet alienos cultus.

Cyprianus de pœnis canonicis.

Cyprianus urget pœnas canonicas, quarum tunc erat usus, & confirmat opiniones, quasi sint necessariæ, & propter eas remittantur peccata, Interdum inquit absolutionem sine illis inutilem esse. Fortasse sentiebat commodius, quàm locutus est. Tamen illi errores non sunt leues, sed admodum densæ stipulæ, obscurantes puram doctrinam de beneficijs Christi, & de fide.

Satisfactio apud Augustinũ

Porrõ sępe Scriptores commodius senserunt, quàm loquuntur, quia plerique fuerunt admodum in docendo negligentes & improprij, & multas sententias ac formulas à uulgo mutuantur, in quibus aliquid inest errorum, Vt nomen satisfactionum sumit Augustinus à uulgo, etiamsi errores de satisfactionibus palàm reprehendit. Torquet se in hac sententia interpretanda, Omne peccatum est uoluntarium, ubi disputat de peccato originis, cùm tamen sententia sit ciuile dictum, de externis delictis traditum.

Oblationis nomen unde profectum.

Sic uocant cœnam Domini oblationem, populi more, cùm non sit instituta oblatio, sed Christus ipse fuerit Sacerdos, suum offerens sacrificium. Ac ne fiebat quidem olim in ceremonia Cœnæ, oblatio corporis & sanguinis, sed ante consecrationem offerebantur panes, & aliæ res, & Sacerdos dicebat se offerre preces, gratiarum actionem, & totum cultum, qui ibi fieri solet. Etsi igitur oblatio non uno modo intellecta fuit, tamen postea nomen detortum est ad oblationem corporis, unde secuti sunt ingentes abusus.

Dionysius non meminit oblationis.

Dionysius in eo libro, qui continet ceremonias Ecclesiæ, cùm ritum Synaxis diligenter describat, tamen prorsus nullam facit mentionem de oblatione corporis dominici. Nec Canon Basilij continet hanc oblationem. Sed postea dicam plura de cœna Domini. Hæc tantùm addidi, ut ostenderem ueteres interdum mutuatos esse sermones incommodos à populo, ut fieri solet omnibus ætatibus.

Paphnutius contra cœlibatum.

Interdum uincuntur iudicijs & exemplis multitudinis, quæ non est pia, ut trahantur in superstitiones aliqua humana imaginatione, ut in Synodo Nicena, nisi unus Paphnutius obstitisset, fuisset approbata sententia illorum, qui uolebant decretum fieri, ut sacerdotes abstinerent à suis uxoribus. Sic Cyprianum & multos alios uicit consuetudo, ut probarent prohibitionem coniugij.

Canones pœnitentiæ.

Item, tota Synodus Nicena consensu multitudinis aut temporis uicta, approbauit canones pœnitentię, qui postea pepererunt non tolerandos errores.

Antonij exemplum.

Magna exempla etiam pios sæpè fallunt, sicut Antonij exemplum multis offudit caliginem. Hactenus dixi de pijs, qui etiamsi sunt sancti, tamen plurimi sunt infirmi. Addam nunc de lapsis.

Origenes fuit prorsus lapsus

Interdum pij prorsus labuntur, & amittunt Spiritum sanctum, sicut Origenem iudicio prorsus fuisse lapsum, præsertim si affirmauit illos prodigiosos errores, Quòd fuerint innumerabiles mundi, Quòd Diaboli postremò sint saluandi. Tertullianus etiam impiè damnat secundas nuptias, fortasis autem resipuerunt. Multi enim uerè lapsi in uita & doctrina, tamen resipiscunt. Et sępissimè fit, ut sancti uerè labantur, nec iudicent iuxta uerbum, & spiritualem lucem, sed decipiantur imaginatione rationis, qui tamen deinde resipiscunt.

Tertullianus impiè damnat secundas nuptias.

Gedeon.

Sicut Gedeon prorsus lapsus est, humano consilio instituens cultum.

Ex his omnibus sequitur conclusio, Etsi uera Ecclesia, quæ est exigua, retinet

net articulos fidei, tamen illa ipsa uera Ecclesia potest habere errata, obscurantia articulos fidei. Præterea multi ita labuntur, ut approbent prorsus impios errores, contra articulos fidei, etiamsi fortasis aliqui resipiscunt.

Etiã uera Ecclesia habet errata.

Primùm igitur, cùm autoritas Ecclesiæ allegatur, quærendum est, an fuerit ueræ Ecclesiæ consensus, congruens cum uerbo Dei.

Tria considerãda cum de Ecclesiæ autoritate quæritur.

Deinde dicendum est, Scriptores qui extant, sæpẽ lapsos esse, & fortasis aliquos ne quidem membra Ecclesiæ esse.

Tertiò addendum est aliud discrimen, in illo cœto, qui uocatur Ecclesia, est ingens multitudo impiorum, quorum plerique antecedunt cæteros autoritate, specie religionis, opinione doctrinę. Quales fuerunt in populo Iuda, tempore Hieremiæ, Pontifices & sacerdotes impij, qui & ipsi contra Hieremiam allegabant autoritatem sedis ac legis, & promissiones: Non peribit Lex à sacerdotibus, negabant suum cœtum errare posse, cùm tamen prorsus errarent, & dissentirent à Hieremia. Item, tempore Christi erant paucissimi pij, uidelicet, Zacharias & Simeon.

In Ecclesia est ingens multitudo impiorũ.

Porrò cùm impia multitudo dominatur in Ecclesia, constituit nomine Ecclesiæ multa falsa & impia. Talis multitudo amplexa est applicationẽ Missarum pro uiuis & mortuis, cultus uotorum & sanctorum, postea exemplũ nocuit pijs. Talis multitudo etiam in Synodo constituit, diuellenda esse coniugia sacerdotum. Sæpẽ autem accidit in Ecclesia, ut impij, excellentes ingenijs, sumant impetus constituendi religionem humana sapientia, qui cùm non moueantur uerbo Dei, sed ducantur rationis imaginatione, & quærant concinnas opiniones, gignunt impia dogmata, sicut Samosatenus, Arius, Pelagius. Alij quærunt, merita aut quærunt speciosum regimen, & εὐταξίαν populi, & his causis mouentur ad instituendos & cumulandos cultus, ut Monachi & Gregorius, & hoc tempore Pontifices, Principes, & multi uiri docti, cupientes constituere Ecclesiam, mouentur humana sapientia, & omisso uerbo Dei, uolunt Ecclesiam iuxta suas imaginationes cõstituere. Nec uident esse horribilem impietatem, discedere à uerbo Dei, quærere Deum sine uerbo, cultus instituere humano arbitrio, sine mandato Dei, uera dogmata mutare, & opprimere puritatem uerbi Dei.

Sæpe multitudo impiorum nomine Ecclesiæ constituit falsa & impia.

Missarum applicatio.

Cùm igitur obijcitur autoritas Ecclesiæ, ut de Missarum applicatione, Ecclesia non errat, Ecclesia tot seculis applicauit Missas, Igitur mos est seruandus.

Obiectio de Ecclesiæ autoritate quod nõ erret.

Respondendum est ad maiorem: Ecclesia uniuersa, quæ est multitudo dominantium in Ecclesia, potest errare, sicut errabant Pontifices, & sacerdotes, Ieremiæ aut Christi tempore. Et quanquam præter illam multitudinem sunt aliqui pij, qui retinent articulos fidei, tamen hi quoq; moti exemplis assentiuntur quibusdã erroribus. Ita fit, ut articulos fidei minus puros retineant, Sicut uidetur Bernhardus commodius sensisse, quàm cæteri, etsi multis erroribus assensit, ut abusui Missarum, potestati Pontificiæ, uotis, cultui Sanctorum.

Non igitur multitudinis autoritas alleganda est contra uerbum Dei, sed redeundum ad regulam: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Prima sit autoritas uerbi diuinitus traditi. Deinde illa est Ecclesia existimanda, quæ cum uerbo illo consentit, ut inquit Christus: Oues meæ uocem meam audiunt, & Augustinus: Quæstio est, Vbi sit Ecclesia? quid ergo facturi sumus? In uerbis nostris eam quæsituri sumus, an in uerbis capitis sui, Domini nostri

Autoritas multitudinis non est alleganda contra uerbum Dei.

Iesu Christi? Puto quōd in illius uerbis quærere debemus, qui ueritas est, & optimè nouit corpus suum.

An Ecclesiæ autoritas possit opponi petulantibus ingenijs.

Sed hic obijcitur: Si repudiatur autoritas Ecclesiæ, conceditur deinde nimis magna licentia petulantiæ ingeniorum, nam reiectis Ecclesiæ sententijs, multi excogitabunt nouas & impias interpretationes scripturæ. Hoc periculum cùm non sit contemnendum, & prosit illam licentiam coërcere, rursus uidendum est, quatenus requirenda sit autoritas Ecclesiæ. Seruetus enim, cùm renouat impium errorem Samosateni, & negat uerbum intelligi personam in hoc dicto: In principio erat uerbum, magnificè prædicat autoritatem scripturæ, iubet hanc anteferri Ecclesiæ decretis. Deinde callidè disputat sermonē simpliciter intelligendum esse, Cùm autem uerbum in communi hominum sermone non significet personam, negat apud Iohannem intelligendam esse personam, ut si Demosthenes hoc dictum legeret: In principio erat uerbum, certè non cogitaret intelligi personam aliquam.

Quæro igitur, an aduersus tales non prosit opponere autoritatem Ecclesiæ? Hic respondeo: Sicut Euangelium præcipit audiri Ecclesiam, ita semper dico, eum cœtum, penes quem fuit uerbum Dei, & qui dicitur Ecclesia, audiendum esse, sicut iubemus quoq; audiri nostros Pastores. Audiamus igitur docentem & admonentem Ecclesiam, sed non propter autoritatem Ecclesiæ credendum est, Nam Ecclesia non condit articulos fidei, tantùm docet ac admonet. Verùm propter uerbum Dei credendum est, cùm uidelicet admoniti ab Ecclesia, intelligimus hanc sententiam uerè & sine Sophistica, in uerbo Dei traditam esse.

Ecclesia audienda est ut doctrix.

Fortasis Demosthenes non cogitaret de persona, si legeret: In principio erat Verbum. Sed auditor admonitus ab Ecclesia, quōd uerbum significet personam, scilicet Filium Dei, adiuuatur iam ab Ecclesia, docente & admonente, & articulum credit non propter Ecclesiæ autoritatem, sed quia uidet hanc sententiam habere firma testimonia in ipsa scriptura, uidet de quadam persona dici, quæ assumta humana natura in mundo, conuersata est cum hominibus. Hanc personā uidet adpellari λόγον, Colligit testimonia apta & firma de duabus naturis in Christo. Scit enim de natura Dei credendum esse uoci cœlesti, ac summam impietatem esse, comminisci opiniones de natura Dei, sine ipsius testimonio, 2. Pet. 1. Et Matth. 17. Hunc audite.

Duæ naturæ in Christo.

Prima Ecclesia ualet ut testis Apostolorum.

Item, ualet prima Ecclesia, ut testis Apostolorum. Loquor autem de dogmatibus, non de humanis traditionibus, Nam dogmata uolebant esse firma & perpetua. Ritus humanos non uolebant esse perpetuos aut immutabiles. Nec errabant Apostoli in doctrina. Ideo prodest tenere, ubi allegent uetustissimi Scriptores autoritatem Apostolorum.

Vt de Trinitate citant eos Origenes, Tertullianus, Irenæus, Gregorius Neocæsarienſis, Alexander Episcopus Alexandrinus, & alij multi, qui cùm testentur doctrinam de Trinitate ab Apostolis acceptam esse, ualde confirmāt pios. Itaq; talia testimonia non sunt aspernanda.

Dixi autem audiendos esse Scriptores, sicut nūc quoq; dicimus, audiendos esse Concionatores, quia aliqui manent in Ecclesia, qui retinent ueritatem, aliās purius, aliās impurius. Sed addendum est, ut auditi iudicentur ex uerbo Dei, quod semper manet Regula doctrinæ.

EXEMPLA.

Augustinus

Augustinus de peccato originali acrius contendit quàm reliqui. Docet igitur & monet, cumq; uideamus eum uerè & sine sophistica recitare sententiam Scripturæ, credimus Articulum non propter Augustinum, sed propter uerbum Dei, & uidemus idem sentire superiores, etiamsi hunc Articulum non tam copiosè aut tam perspicuè tractarunt. *Augustinus de peccato originali.*

ALIVD.

Petrus Alexandrinus Episcopus, contra Meletium, contendit lapsos recipiendos esse, & allegat ueterum autoritatem. Nam hęc uerba recitat Epiphanius, ut doctrina, quę ad nos usq; peruenit, tradit: Docet igitur & monet Episcopus ille Alexandrinus, recipiendos esse lapsos. Id credimus non propter hunc Episcopum, sed quia uidemus hanc sententiam traditam esse in uerbo Dei, & accedunt testimonia ueteris Ecclesiæ. *Petrus Alexandrinus Episcopus de lapsis recipiendis.*

Idem de Synodis dico, Audiendas esse Ecclesiæ Synodos, quæ, cùm de uerbo Dei disputant, docent & monent nos, sed iudicium accedat, & cùm uera tradunt, credamus propter uerbum Dei, ut Nicena Synodus piè & utiliter docuit, & admonuit omnem posteritatem de Filio Dei, Sed Articulum credimus non propter Synodum, sed quia uidemus sic traditum esse in uerbo Dei. *Piæ Synodi audiendæ ut Ecclesia.* *Nicena Synodus de filio Dei.*

Cætera, quæ sunt extra scripturas, non sic amplectenda sunt, ut Synodus Nicena condidit Canones pœnitentiæ, qui sunt traditiones humanæ extra scripturam, & fuerunt semina multarum superstitiosarum opinionum. *Canones pœnitentiæ.*

Samsonis conuiuæ non poterant interpretari ænigma in conuiuio proposito, nisi interrogata eius coniuge. Quare Samson inquit: Nisi arassetis uitula mea, non inuenissetis meam quęstionem. Sic circumspiciendum est, ubi sit cœtus, qui habet uerbum Dei, & uidendum, qui cœtus patrum ac Synodorũ sit purior, hoc est, minus habens opinionum extra uerbum Dei. Hæc Ecclesia docet, monet, testatur. Sed uidendum est, an ea quæ proponit, habeant firma testimonia uerbi Dei. *Ænigma Samsonis.*

Ac profectò pios fateri decet, Patres benè meritos esse de posteritate, qui acerrimis contentionibus propugnauerunt, & retinuerunt pia dogmata. Id beneficium non est leue ducendum. Huc pertinet Augustini dictum: Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moueret autoritas. Non sentit Augustinus, maiorem esse Ecclesiæ autoritatem, quàm uerbi diuini, aut Ecclesiam posse abolere articulos in uerbo Dei traditos, Sed sentit Ecclesiam esse doctricem & testem. Non crederemus Euangelio, nisi Ecclesia doceret nos, & testaretur, hanc doctrinam ab Apostolis traditam esse. *Augustini dictum Euangelio non crederem &c.*

Valet etiam hoc dictum ad refutanda noua dogmata, quæ nunquam in Ecclesia extiterunt, Sicut Manichæi noua deliramenta excogitauerunt. Nam dogmata necessaria pietati, necesse est initiò extitisse in prędicatione Apostolorum. Ergo noua & prorsus ignota Ecclesiæ Apostolicæ sunt reiscienda. Sed de dicto Augustini aliàs disputatum est copiosius. Certè non concedit Ecclesię autoritatem statuendi contra uerbum Dei, aut abolendi articulos in uerbo Dei traditos, aut condendi nouos articulos fidei. *Noua dogmata.*

CATALOGVS.

Aliquot Synodorum & Patrum exempla colligam, ut appareat in illis cõtineri dissimiles materias, ne sine discrimine omnia omniũ dicta, aut omnes Veterum ritus pro necessariis recipiãtur. Sicut inepti quidam ita admirantur

antiquitatem,ut omnes ueteres ritus humanos uelint restitui,Perinde,ac si nũc uelint Spartani omnes ueteres ritus suæ Reipublicæ restituere, cũm ritus ab hominibus excogitati, partim sint uicioſi, partim, etiamsi sunt probabiles,tamen non omnibus temporibus congruant.

Synodus Neocæsariensis, de secundis nuptijs.

Synodus Neocæsariensis uetat,ne Sacerdotes accedant ad conuiuia secũdarum nuptiarum, ne eas uideantur approbare. Tales ridiculæ constitutiones multę,bonis admixtæ sunt. Quare delectus habendus est,nec temerè omnibus dictis ueterum applaudendum.

Nicena Synodus contra Arium & Catharos. καθαροὶ postea Nouatiani dicti.

Anno Domini 324. Nicena Synodus à Constantino conuocata est, in qua præfuit Antiochenus Episcopus Eustathius. In hac Synodo grauissimæ controuersiæ dogmatum dijudicatæ sunt,& rectè damnati sunt errores Samosateni & Arij, Item Catharorum, qui lapsos negabant recipiendos esse, ac negabant eos consequi remissionem peccatorum.

Politica Nicenæ Synodi.

Postea politica quædam ordinata sunt, de gubernatione Ecclesiarum, ut Alexandrinus Episcopus præesset Ecclesijs Orientis,& Romanus Ecclesijs nationum uicinarum. Item, ut Episcopi ordinentur à uicinis Episcopis. Hæc politica etsi sunt utilia, tamen non uolebant haberi pro articulis fidei.

Canones pœnitentiæ,Niceæ Synodi.

Tertiò,Addiderunt quędam ceremonialia,uidelicet Canones pœnitentiæ, ut uocabant, qui initiò minus duri erant, & fortasse minus habuerunt superstitionum. Sed posteà creuit onus ipsum, & creuit superstitio,& est obscurata gratuita condonatio. Quare in hac re Patres nõ satis cauti fuerũt, Cumq; euentus postea ostendit talibus exemplis superstitiones crescere, non ita miremur in hac re Synodum,ut uelimus illos Canones aut approbare, aut restituere. Nec propterea dissentimus à ueteri Ecclesia, retinemus articulos Synodi de dogmatibus, quæ propriè ad Ecclesiam pertinent. Cætera, quæ sunt extra uel contra uerbum Dei, non pertinent ad Ecclesiam.

Constantinopolitana Synodus damnauit Eunomium.

Anno 383. Constantinopolitana Synodus à Theodosio conuocata est,in qua præfuit Episcopus Constantinopolitanus, controuersia grauis dijudicata est de Spiritu sancto, quòd sit persona procedens à Patre & Filio,& sit Deus, & rectè damnati sunt Eunomius et alij,qui contrarium senserant. Sunt et politica quędam ordinata,ne Episcopi in alienis Diœcesibus aliquid administrent.

Ephesina Synodus damnauit Nestorium

Anno 433. Ephesina Synodus conuocata est à iuniore Theodosio, in qua præfuit Cyrillus Alexandrinus. Hæc Synodus rectè damnauit Nestorium, qui negabat in Christo unitum esse uerbum humanæ naturæ, substantiali unione, sed tantũm adesse uerbum, & inhabitare in humana natura,uelut hospitem in domicilio,ut ibi esset efficax.

Hæc fuit magni momenti controuersia. Nam in Christo uerè & substantialiter unitæ sunt duæ naturæ, Nec uerum est, humanam naturam solam esse Christum, ac domicilium esse uerbi assistentis, Inde urserunt pij has formas loquendi de unitate personæ, Deum esse natum, passum &c. Etsi autem Nestorius negabat se cum Samosateno sentire, tamen suspicor eum re ipsa idem sensisse, sed in speciem aliter proposuisse uetus delirium inuolucris tectum.

Chalcedonensis Synodus damnauit Eutychen.

Anno 452. Chalcedonensis Synodus conuocata est à Martiano Imperatore,in qua rectè damnatus est Eutyches, qui negauit etiam duas naturas in Christo, ac contendit ipsam uerbi naturã diuinitus missam,editam esse per uirginẽ,nec duas esse naturas unitas, Videtur & hic renouasse delirium Samosateni,sed alio inuolucro propositum. Hoc iudicium Synodi laudandum est.

Cæterũm

Cęterũm creuerant iã in Ecclesia humanæ traditiones. Ideo aliquas addidit hęc Synodus uicioſas conſtitutiones, non de dogmatibus, ſed de ceremonijs & cultibus extra ſcripturã, & tamẽ adhuc ſunt uerecundiores hæ conſtitutiones, quãm aliæ poſtea natę. In hac Synodo primũm facta eſt cõſtitutio, quæ prohibet nuptias Monachis & uirginibus, quę uota fecerunt, et excommunicat tales contrahentes connubia, quanquãm addit mitigationem, poſſe & hoc concedi iudicio Epiſcopi.

Prohibitio nuptiarum, quando primum facta eſt.

Verũm multa politica utiliter tunc conſtituta ſunt, ne Epiſcopi ipſi tenerent adminiſtrationem facultatum Eccleſiaſticarum, ſed ut Eccleſiæ haberent Oeconomos, Ne quis plura miniſteria teneret. Item, ne quis ſine miniſterio ordinaretur. Item, ut in ſingulis prouincijs Epiſcopi, quotannis conueniant, & Synodos habeant de præſentibus Eccleſiæ controuerſijs.

Hæc utilia decreta Synodorum aduerſarij diſſimulant, ac interim alia leuiora proferunt, ut uideantur nobis opponere ueteris Eccleſiæ autoritatem.

Fuerunt interim & aliæ Synodi, ſeu prouinciales, ſeu frequentiores, in quibus conuenerunt uicinarum prouinciarum Epiſcopi. Talis fuit Synodus Antiochena ante Nicenam, conuocata aduerſus Samoſatenum, Quę piè & rectè damnauit Samoſateni impietatem. Talis item fuit Synodus Gangrenſis in Galatia, uetus & pura, habet optima decreta cõtra ſuperſtitiones de coniugio, de cibis, de monachatu. Et apparet, hanc Synodum conueniſſe propter Montanum, Marcionem, & ſimiles, qui illas ſuperſtitiones ualde auxerunt.

Synodus Antiochena damnauit Samoſateni impietatem.

Montanus.

Marcion.

Secutæ ſunt aliæ poſteriores, ut Anchirana, quæ habet hanc conſtitutionem memorabilem, ſi diaconi in ordinatione non promiſerint ſe uicturos cœlibes, retinendi ſunt in miniſterijs, etiamſi poſtea ducunt uxores, ſed ſi promiſerint, & poſtea tamen duxerint uxores, remouendi ſunt à miniſterio. Habet & alios Canones de annis pœnitentiæ periculoſos & ſuperſtitioſos.

Anchirana Synodus, de coniugijs diaconorum.

Laodicena rectè damnat Nouatianos, ſed errat taxans digamos etiam laicos, iubet eos prius puniri, quãm admittantur ad communionem, prohibet etiam baptiſmum poſt duas ſeptimanas quadrageſimæ. Cætera politica ſunt honeſta, ut cũm prohibet nuptias cum hæreticis. Hæc Synodus non longo interuallo ſecuta eſt Nicenam.

Laodicena Synodus damnauit Nouatianos.

Sub Honorio Imperatore fuit Toletana prima Synodus, quæ continet multa capita utilia de doctrina. Nam piè recenſet articulos de diuinitate & naturis Chriſti, & alios quoſdam. Poſtea quædam attexit politica, & ceremonias de chriſmate, & de uotis, Hæc Synodus prohibet Diaconos euehi ad munus presbyteri, ſi non abſtineant à legitimis uxoribus. Item, excommunicat parentes, qui filias uotis obligatas, ſi nubant, parentum affectu complectantur. Item, ipſas nuptas non admittit ad communionem, niſi diſcedentes à maritis.

Toletana Synodus, de doctrina utiliter conſtituit, de ceremonijs non.

Carthaginenſis quinta anno 438. habita, prohibet Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis conſuetudinem legitimarum coniugum, Ita paulatim cumulata eſt prohibitio. Antea Diaconis conceſſa erat conſuetudo cum uxoribus, ut teſtatur Anchirana Synodus. Poſtea ſecuta eſt prohibitio. Et hæ conſtitutiones de cœlibatu, ſubinde in omnibus Synodis repetuntur, & adduntur acerbiores pœnæ, ſicut quædam Toletana Synodus conſtituit, ut facultates mulierum uendantur, ſi redeant ad uiros.

Synodus Carthaginenſis prohibuit ſacerdotum conjugium.

Toletana Synodus.

Porrò hæc Carthaginenſis Synodus continet & aliã memorabilem conſtitutionem, de ſacellis, de aris Sanctorum, ubi nõ ſunt corpora eorum condita.

Sacella et aræ Sanctorum, de ſtructæ ex Synodo Carthaginenſi.

Has aras & sacella iubet Episcopus demoliri, aut si metuant tumultus, iubet eos in concionibus populum dehortari, ne ad illa loca accedant. Apparet aliquos crescentem superstitionem in cultu Sanctorum uoluisse prohibere.

Prouocatio Episcoporum denegata Romano Episcopo.

Synodus Carthaginensis anno 457. egit de prouocatione Episcoporum. Romanus Pontifex postulauit, ut concederetur prouocatio, ubicunq; aliquis ad Romanum prouocasset, Idq; ut obtineret, commisit falsum, citauit commentitium decretum, quod affirmabat in eam sententiam editum esse in Nicena Synodo, Postea ex Constantinopoli petitis exemplis deprehensa est uanitas, & repudiata petitio Romani Pontificis. Huic Synodo interfuit Augustinus. Talibus artificijs Romani Pontifices uiam sibi ad primatum struxerunt. Hoc exemplum monet, ne ita miremur antiquitatem, ut eam omnibus uicijs liberemus.

Precatio & oblatio pro mortuis sancita in Carthaginensi quarta.

Carthaginensis quarta, decretum continet de precatione & oblatione pro mortuis his uerbis: Pœnitentes, qui diligenter seruarunt Canones pœnitentiæ, si casu moriantur ante communionem, commendetur eorum memoria precationibus & oblationibus. Illa ætas nondum habebat priuatas Missas, sed tamen paulatim superstitio creuerat. Hic Canon non recipit mortuos, nisi diligenter seruatis ritibus pœnitentiæ. Item addit morem de oblationibus.

Mileuitana Synodus, de peccato, de gratia & de iustificatione.

Tractauit causam grauissimam Synodus Mileuitana, cui interfuit Augustinus, & rectè defendit piam doctrinam de peccato originali, de gratia & de iustificatione. Habet & politica quædam, in quibus hæc sunt memorabilia. Vetat prouocationem ad transmarinos Episcopos. Hoc decretum nunc ne Romanus quidem Pontifex reciperet. Vetat item ab Imperatore peti Iudices non Episcopos. Id illis temporibus congruebat, nunc esset durum. De diuortio etiam sanxit, ne persona innocens rursus contrahat matrimonium, & addit pertendum esse, ut Imperator legem in eam sententiam ferat. Id quoq; durius est. Nam Romæ Fabiola contraxit aliud connubium, ut apparet ex Hieronymo.

Mileuitana nõ rectè confirmat superstitiones de uotis.

Ea Synodus confirmat & superstitionem de uotis, concedit uelari uirgines ante uigesimum quintum annum contra ueteres Canones. Quanquam igitur de doctrina tolerabiliter pronunciauit, tamen postea accedunt aliquæ stipulæ & superstitiosæ constitutiones. Quare non omnia Synodorum decreta sine delectu probanda sunt, & tamen fatendum est, pias Synodos benè meritas esse, quia aliquos doctrinæ Christianæ articulos conseruauerunt, & de his prodest tenere Synodorum & antiquitatis testimonium.

DE ECCLESIASTICIS SCRIPTORIBVS VETVSTIS.

Quid tribuendum sit ueteribus scriptoribus.

HI quoq; benè meriti sunt, præsertim quatenus sunt testes ueteris & primæ Ecclesiæ Apostolorum. Confirmant enim nos suo testimonio, De Trinitate, De naturis in Christo, De baptismo infantum, De usu cœnæ Domini, De ordinatione ministrorum, De coniugio ministrorum, De usu indifferentium, De pœnitentia lapsorum. De his articulis omnibus citantur memorabilia exempla Apostolorum, quæ nobis patrocinantur.

Cæterùm Scriptores alij in alijs materijs fuerũt diligentiores, &, ut est humanũ, sæpe inconsideratè effundũt absurdas & falsas sentẽtias, quas admoniti haud dubiè fuerãt correcturi. Sępẽ cùm non malè sentirent, tamẽ nõ satis perspicuẽ

ſpicuē dicere potuerunt, quod uolebant. Sæpē propter temporum conſuetudinem præſentes traditiones durius defenderunt. Aliquas etiã falſas opiniones interdum habuerunt. Quare nō ſunt ſine delectu omnia Patrū ſcripta probanda, & ſæpè ipſi inter ſeſe pugnant, nec rarū eſt diſſentire aliquem ā ſeipſo. Quare iudicium eſſe debet penes Apoſtolicam ſcripturam: Sed ſubĵcio exempla.

DE ORIGENE.

Origenes citans Apoſtolorum & ueterum Eccleſiarum exempla & ſentētias, eſt teſtis utilis poſteritati de aliquot articulis, De Trinitate, De duabus naturis in Chriſto, De baptiſmo infantum, De peccato originali, De uſu cœnę Domini, & de alĵs quibuſdam. *Origenes.*

Cæterùm miſcuit ſuis ſcriptis multas falſas & abſurdas ſententias, quarum aliquas etiam ipſius ætas improbauit. Fingit ante hunc mundum fuiſſe plures mundos, Fingit Diabolorum & damnatorum pœnas ceſſaturas eſſe. Hæc ipſius ætas etiam reprehendit. *Errores Origenis.*

In Rom. tractans hanc propoſitionem, Fide iuſtificamur, non ex operibus, intelligit eam κατὰ συνεκδοχὴν, fide ſumus iuſti, id eſt, perfecta fide complectente omnes uirtutes, Idq̄ declarat, dicit idem poſſe dici de cæteris uirtutibus. Miſericordia ſumus iuſti, ſcilicet perfecta, complectente cæteras uirtutes. Hoc nihil aliud eſt dicere, quām homines propter opera & propter uirtutes ſuas habere remiſsionem peccatorum, & iuſtos eſſe, Cumq̄ non attendat, quid agat Paulus, quid uocet fidem, quid ſibi uelit illa excluſiua, Non ex operibus, addit enarrationes confuſas & perplexas, nec ſibi conſtat.

Interdum enim effundit aliquod tolerabile dictū, ſed id poſtea mox corrumpit, quale illud eſt Rom. 4. Initium iuſtificationis ā Deo eſt fides, quæ creditin iuſtificantē, & hæc fides, cùm iuſtificata fuerit, tanquam radix imbre ſuſcepto, hæret in animæ ſolo, ut cùm per legem Dei excoli cœperit, ſurgant in eo rami, qui fructus operum ferant, Non ergo ex operibus radix iuſticiæ, ſed ex radice fructus operum creſcit, illa ſcilicet radice iuſticiæ, qua Deus acceptam fert iuſticiam ſine operibus.

In 3. capi. Vbi eſt gloriatio tua? Videtur iam proprior eſſe Paulinæ ſententiæ, admittit excluſiuam, homines ſola fide iuſtificari, & allegat Latronem in cruce, & Mulierem apud Lucam, Fides tua ſaluam te fecit. Sed poſtea declarans illa, uidetur hoc uelle, hominem initiò conſequi remiſsionem peccatorum ſola fide. Poſtea iuſtum eſſe cæteris uirtutibus, ſicut ipſe poſtea inquit: Fides reputatur ad iuſticiam ei, qui conuertitur, ſed poſtea iuſticia reputatur ad iuſticiam, porrò mira uarietas & perplexitas eſt enarrationis, etiamſi largitur hominem initiò ſola fide conſequi remiſsionem peccatorum, tamen poſtea imaginatur conuerſos ſine peccato eſſe propter cæteras uirtutes, diſſentit ā Paulo & ā reliquis ſcripturis diuinis, iuxta illud: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Item: Si dixerimus, quòd peccatum non habeamus &c.

In cap. 7. clarè dicit, Sanctos repræſentare alienam perſonam, cùm ſibi tribuunt peccatum, ut apud Danielem: Non in iuſtificationibus noſtris, ſed in miſericordia tua exaudies nos. Tales ſententias corrumpit, & docet fiduciam proprię iuſticię, uel deſperationem. Cap. 3. inquit: Sine lege manifeſtata eſt iuſticia Dei, id eſt, ſine lege naturali ſunt traditæ nouæ leges Euangelicæ, ut illa; Neſciat dextra quid faciat ſiniſtra, Hæc inquit, lex erat antè ignota. Item:

Lex

Lex est spiritualis, intelligit tantùm de allegoria, id est, ceremoniæ habent allegoriam & sæpè incommodè spiritum intelligit, non de Spiritus sancti motibus, sed tantùm de interpretatione uel cogitatione allegorica.

Cap. 8. Quod erat impossibile legi, quia infirmabatur per carnem, Transfert carnem ad legem, Caro legis erat infirma, id est, ceremoniæ erant impossibiles, inutiles &c. At Paulus carnem intelligit naturã hominis, Lex infirmabatur per carnem, id est, non poterat fieri ab humana natura. Hi loci ostendunt Origenem currere extra uiam, nec attendere quid agat Paulus.

Possem multa leuia colligere, ut cùm Petrum ait excellere cæteris, quia ei dicitur numero plurali: Erit solutũ in cœlis, Ad totum cœtum Apostolorũ dicitur numero singulari: Erit solutum in cœlo, Sed hæc futilia omitto. Cæterùm eruditis & iudicium adhibentibus prodest uetera scripta legere, primùm propter historica testimonia, deinde, quia illorum collatio acuit & exercet studiosos. Ita proderit & Origenis lectio, ijs, qui antea rectè instituti sunt, & summam Christianæ doctrinæ tenent.

DE DIONYSIO.

Dionysij liber de Hierarchia & cæteri.

Vnus est Libellus Dionysij de Ecclesiastica Hierarchia, qui propter historiam est utilis. Cæteri continent ociosas speculationes. Illic autem traduntur ceremonię Sacramentorum, & ritus Ecclesiæ, & apparet mediocres adhuc fuisse ceremonias illo tempore. Præcipuè autem ritus Missę ibi considerandi sunt, ut appareat recẽtiores in Ecclesia Papas, procul recessisse ã ueteri forma. Psalmi quidã & lectiones ex Euangelio recitabantur, dicebãtur preces pro Ecclesia & Republi. Postea Presbyter stans ad Aram, recitabat uerba Christi de cœna Domini. Deinde distribuebat populo Sacramentum. Sequebatur gratiarum actio. Hic fuit ritus Missæ, unde manifestum est Missam tantùm fuisse communionem, nec fuisse ullas priuatas Missas. Quin & illud mirandum est, quòd nec mentio fit oblationis, ne ritum quidem recensęt offerentis. Hæc apud Dionysium pręcipuè prodest obseruare, ut antiquitatem opponamus ijs, qui defendunt abusus Missarum.

Ritus Missæ apud Dionysium.

Recensęt baptismum, Chrisma, communionem, ut dixi, ordinationem presbyterorum, & eorum, qui uota faciebant, & unctionem mortuorum, ubi narrat, quales fuerint ceremoniæ funerum, cùm cadauer in templo collocatum esset, præsente populo recitabantur aliquæ lectiones ex sacris literis de resurrectione. Deinde iubebatur populus gratias agere in precibus, quòd hic piẽ decessisset in agnitione Euangelij. Addebatur adhortatio, ut sibi quisq; precaretur pium exitum ex hac uita. Hic mos fuit plenus pietatis, & laude dignus. Quæ enim possunt maiora beneficia cogitari, quãm in illo ingenti agone retinere Christi agnitionem, adiuuari à Christo & saluari. Hanc ceremoniam meliorem recentior ætas prorsus aboleuit, retentis & cumulatis deterioribus.

Ceremoniæ funerum apud Dionysium.

Addit autem Dionysius, post hanc adhortationem, abijsse presbyterum, & perfudisse oleo cadauer, & precatum esse, ut Deus ei condonaret infirmitatem, quæ in eo reliqua fuisset post conuersionem. Postea cadauer condebatur in terram. Hæ tantùm funerum fuerunt ceremoniæ tunc quidem, nondum in Missa fiebat defunctorum mentio, Multò minus offerebatur corpus Domini pro mortuis. Hanc prophanationem sacramenti posterior ætas addidit.

Hactenus

Hactenus de Dionysio, in quo etsi ceremoniæ aliquantò minus uiciosæ sunt, tamen sunt initia Monachatus, & hoc graui reprehensione dignum est, quòd non discernit inter Sacramenta diuinitus instituta, & humanas traditiones. De Chrismate perinde loquitur ut de Baptismo, & æquat παρεργα ἔργοις, ut ita dicam. Monachorum ordinationem etiam antefert ordinationi ministrorum, quod est ualde uituperandum, cùm ordinatio ministrorum pertineat ad prædicationem Euangelij. Illa uerò Monachorum ordinatio sit superstitiosa, & tantùm fiat propter cultum prohibitum iuxta illud. Frustra colunt me mandatis hominum. Et tamen ibi Monachatus uocatur perfectio. Ergo ualeant eius testimonia, quod ad historiam attinet, ut sciamus, qui ritus tunc fuerint usitati, non fiant dogmata aut leges ex eius descriptionibus.

Ceremoniæ in Dionysio sunt initia Monachatus.

DE TERTVLLIANO.

Tertullianus rectè cõfutauit Marcionẽ & reliquos eius factionis hæreticos. Continet utilia Testimonia de Trinitate, recitans nõ suam sententiam, sed ueterem acceptam ab Apostolis. Aduersus Praxeam extat luculentum testimonium de uerbo, hoc est, de Filio Dei, quòd sit persona, etiam antequam adsum sit humanam naturam.

Tertulliani uera sunt testimonia contra Marcionem Praxeam & alios.

Cæterùm & ueteres reprehendunt quædã eius errata, uidelicet, quòd secundas nuptias damnat, & ridiculè argumentatur: Non licet fratris mortui uxorem ducere, Ducens uiduam relictam ã Christiano, ducit fratris mortui uxorem, Ergo non rectè facit.

Errata Tertulliani.

Ludit etiam de regno Sanctorum, quod fingebãt duraturum esse mille annos in hac corporali uita, ante mundi conflagrationem & ante ultimum iudicium, paulatim alijs citius, alijs tardius resurgentibus. Hoc Iudaicum deliramentum prorsus explodendum est ex Ecclesia.

In Libello de corona militis multa dicit de ritibus humanis, & durissimẽ declamitat de consuetudine, habendam eam esse pro lege. His dictis in Ecclesia malè detortis, ut fit, confirmarentur ingentes errores omnibus ætatibus, quia nunquam tanta est uigilantia hominum, ut non obrepant aliquæ uiciosæ consuetudines.

Recenset autem Tertullianus admodum pueriles mores, ne post Baptismum primis septem diebus eatur in balneum. Item, ut baptizatis præbeatur gustandum lac & mel. Ibi inquit etiam: Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus. Id nunc impiè detorquent aduersarij nostri ad Missas pro mortuis. Cur natales omittunt, si tantum tribuunt autoritati Tertulliani? Sed ille non loquitur de cœna Domini. Verùm in diebus natalibus & funerum adferebantur in templa cibi, & alia munera pauperibus. Hęc uocabant oblationes & ἀγαπὰς, & mos erat ab ethnicis acceptus, sed nonnihil correctus. Nam Ethnici dabant epulas etiam in templis, in natalibus & funeribus, ac postea Nicena Synodus & aliæ prohibuerunt hanc pompam natalium.

Ethnica consuetudo dandi epulas in natalibus & funeribus.

Ergo ut de cæteris dictum est, testimonia historica in Tertulliano prosunt, ubi commemorat, quid senserit prior Ecclesia: Sed eius enarrationes & disputationes non recipiantur tanquam dogmata, nisi quatenus consentiunt cum Apostolica scriptura.

DE CYPRIANO.

Cyprianus uixit circiter annum Domini 260. Continet utilia testimonia,

De

Cypriani quæ testimonia uera.

De Trinitate, de Baptismo paruulorum, De usu cœnæ Domini, & de forma electionis Episcoporum, quos scribit electos esse à cœtu Ecclesiæ, & eam electionem comprobatam esse adhibitis aliquibus uicinis Episcopis.

Errata Cypriani.

Sed ueteres etiam taxarunt Cyprianum, quòd sentit baptizatos ab hæreticis rursus baptizandos esse. Effundit inter declamandum interdum absurdas sententias, cùm exaggerat immoderatis hyperbolis causam, quam instituit, Vt de pœnis Canonicis admodum duriter scribit, aitn on ualere absolutionem, nisi illæ pœnæ fuerint persolutæ, Hoc dictum quantum habeat incommodi, non est obscurum.

Cyprianus de cœlibatu.

Vehementer etiam declamitat de cœlibatu, etsi eum quidem locum mitigat, iubet contrahere coniugia illos ipsos, qui uota fecerant, si non seruent promissum. In libello de Eleemosyna inquit, peccata ante baptismum commissa remitti propter Christi passionem, sed post baptismum quærendam esse remissionem per eleemosynas. Idem repetit de lapsis, consumtum esse beneficium Christi in Baptismo, postea per eleemosynas quærendam esse remissionem. Hæc sunt plena absurditatis, quæ admonitus haud dubiè correxisset, Non igitur dicta ipsius omnia pro dogmatibus habenda sunt.

Cyprianus de oblatione in cœna Domini.

De Cœna Domini solet uti uerbis oblationis et sacrificij, sicut cæteri, qui dicunt promiscuè : Offerimus orationes, Offerimus panem, uinum, Offerimus corpus & sanguinem Christi, Nam id quoq; reperitur apud Cyprianum. Hinc aduersarij nostri sumunt testimonia, ad defendendam prophanationem Cœnæ Domini in Missa priuata &c.

Augustinus de oblatione & sacrificio.

Magna uis est consuetudinis, & hanc sequentes sæpè impropriè loquuntur homines, Vt nunc Missam dicimus, cùm nulli nota sit nominis Etymologia. Ita ueteres retinuerunt uocabula oblationis & sacrificij, non admodum curantes Etymologiam, aut propriam significationem. Et quia uidit Augustinus aliquid in his appellationibus esse incommodi, ipse lenijt, Sacrificium inquit dici pro memoria sacrificij, & oblationem pro memoria oblationis. Hæ sunt Metonymiæ, ut dicimus, Pascha pro memoria, seu signo transitus. Sed nolo argutè uel interpretari uel excusare locutionem usitatam illius temporis. Sic enim populus loquebatur, qui interdum recipit impropriam uocem.

Irenæo oblatio est gratiarum actio.

Irenæus clarè dicit hanc oblationem esse gratiarum actionem. Idem sentiebant cæteri, ut testatur nomen Eucharistiæ, Quare senserunt esse ceremoniam, qua aguntur gratiæ. Id nihil habet incommodi. Accipimus enim, ut admoneamur beneficij nobis donati à Christo, & fidem excusitemus, deinde agamus gratias pro eo beneficio, nec inde sequitur, id opus pro alijs faciendum esse, alijs applicandum esse &c. Hæc monstra ne quidem cogitarunt Patres.

Varia uocabuli oblationis significata apud ueteres.

Ergo cùm legimus nomen sacrificij & oblationis, intelligamus aut signum sacrificij & oblationis, aut gratiarum actionem, non affingamus applicationem pro alijs.

Interdum uno nomine uocant oblationem, totum illud negocium, quod ibi agatur, uidelicet, orationes & cœnam Domini. Hoc cùm fit, orationes intelligantur esse oblationes.

Cyprianus de mortuis.

Leguntur etiam apud Cyprianum de mortuis quædam uerba, quę recentiores malè detorquent, Sacrificia pro eis offerimus, sed hæc dicit de Martyribus. Horum enim fiebat mentio in precationibus, cùm agerentur gratię Deo, quòd illos adiuuisset. Sicut Græcus Canon dicit: Offerimus pro Patriarchis,

Prophetis,

Prophetis, Apostolis, id est, agimus gratias, quòd Ecclesiam inde usq; ab initio tibi elegisti, redemisti, sanctificasti &c. Hæc fuit initiò sententia horum uerborum, non petebatur, ut mortuis Deus relaxet pœnas. Postea accesserunt tempore malæ opiniones, & partim uerba priora mutata sunt, partim retenta forma ueterum uerborum aliud intellexit posteritas, quàm priores intellexerant.

Ergo testimonia antiquitatis non patrocinantur recentioribus abusibus, quæ partim aliena sunt à præsentibus moribus, partim si quid habent uicij, nõ debent opponi firmis testimonijs scripturæ, quia etiam reliquæ ætates habuerunt sua incommoda. Hæc simplicissimẽ sine sophistica respondeo ad uerba oblationis & sacrificij.

DE BASILIO.

In Basilio extant utilia testimonia, De Trinitate, & de pœnitentia, contra Nouatum. In concione de humilitate tradit egregiam sententiam de iustitia fidei, quæ nobis apertẽ patrocinatur. Sine ulla Sophistica detrahit iustificationem bonis operibus, nec loquitur de ceremonialibus, sed de omnibus uirtutibus, nec tantùm loquitur de operibus ante renouationem, sed de uirtutibus in renouatis, ac iubet sentire, quõd sola fiducia misericordiæ propter Christum promissæ iusti simus. Verba eius hæc sunt. *Basilij Testimonia de trinitate & de pœnitentia.*

Dicit autem Apostolus: Qui gloriatur, in Domino glorietur, dicens, quòd Christus nobis factus sit sapientia à Deo, iusticia, sanctificatio, & redemtio, ut sicut scriptum est, gloriaturus in Domino glorietur. Hæc est enim perfecta & integra gloriatio in Deo, quando ne quidem propter iusticiam suam aliquis effertur, sed agnoscit sibi deesse uerã iusticiam, fide autem sola in Christum iustificari, & gloriatur Paulus se despicere suam iusticiam, quærere autem fide per Christum iusticiam, quæ ex Deo est.

Hæc uerba satis ostendunt, Basilium sic intellexisse iusticiam fidei, quòd sentiendum sit nos propter Christum per misericordiam iustos, id est, acceptos esse, non propter proprias uirtutes.

Cęterũm, quõd Basilius primũm instituit cœtus Monachorum, id exemplum nocuit, & aliquid habuit uicij, etiamsi ipse primùm non habuit crassas superstitiones, & illi cœtus adhuc quædam imago erant scholarum. Circumferuntur & libri quidam eius nomine, qui continent Regulas Monachorum, quorum aliqui haud dubiẽ sunt suppositicij, & longo tempore post Basilium nati. Sunt enim pleni falsarum opinionum de cœlibatu, & alijs cultibus excogitatis sine mandato Dei, & continent ridiculas nugas, ut magnum aceruum pœnarum seu satisfactionum, quas uocat ἐπιτίμια, si riserit puella in choro, sedeat biduo in uestibulo, & similes nænias, quas si quis uellet renouare admiratione antiquitatis, uerè insaniret. *Basilius instituit cœtus Monachorum.*

DE GREGORIO NAZIANZENO.

Nazianzenus tractauit articulum de Trinitate, Alia dogmata leuiter attingit. Scripsit uitam Cypriani, in qua narrat, quandam puellam amatam *Nazianzenus habet testimonia de trinitate.*

esse à Cypriano ante conuersionem, quæ inuocans Mariam uirginem, uicerit magicas incantationes Cypriani.

Hoc exemplum citatur de inuocatione Sanctorum. Etsi autem uidetur esse ficta fabella, & postea sparsa titulo Nazianzeni, tamen etiamsi uera esset historia, non est citanda ad confirmandam inuocationem Sanctorum, Nam errores piorum non sunt opponendi uerbo Dei, & omnibus ætatibus etiam pijs in Ecclesia habent suas infirmitates.

Compellatio Sanctorum apud Basilium & Nazianzenum.

Inuocatio Sanctorum.

Allegant etiam ex Basilio & Nazianzeno, quod in fine concionum de Sanctis, solent eos compellare: O Athanasi ora pro nobis. Etsi autem hę Apostrophæ ex Rhetoricis figuris excusari possunt, tamen fieri potest, ut more sui temporis tunc inuocauerint Sanctos, Nam inuocatio Sanctorum paulatim tunc in Ecclesiam irrepsit, Et errores temporum trahunt homines, ut usitata minus improbent, & boni consulant, Sicut impetus fluminum secum rapit nauigantes. Nec tamen ideo approbanda est inuocatio Sanctorum. Ac postquã mos creuit, & iam retecta est impietas, prorsus ex Ecclesia tolli debet. Nec Basilius de inuocatione quicquam dicit, tantùm ait celebrari memoriam Sanctorum, ut eorum uirtutes imitemur. Et uocat Sanctos adiutores precum nostrarum, non quòd sint inuocandi, sed quia omnes beati in cœlo orant pro Ecclesia, & eam Deo commendant.

Epiphanius damnat inuocationem mortuorum.

Epiphanius scribit mulieres quasdam inuocantes uirginem Mariam, solitas circumferre illius statuam. Hoc totum negocium damnat, & uocat idolatricum opus. Continet enim Epiphanius refutationes ueterum hæresium, præcipuè de Trinitate, & paucis alijs materijs, quem quidem historicum præcipuè legendum esse censeo.

DE CHRYSOSTOMO.

Chrysostomi errores.

Chrysostomi ætas multos iam uiciosos mores receperat, quos ipse recensens, non reprehendit, Sicut laudat adeuntes monimenta Sanctorum, facit & mentionem orationis pro mortuis. Monasticam immodicis & falsis laudibus ornat. In tractatu de pœnitentia cũm colligit multos modos consequendæ remissionis peccatorum, scilicet eleemosynas, lacrymas, & alia opera, tamen non facit mentionem fidei, de qua oportuit dici, Ac scriptum illud plenaq; falsa continet, & confusum ac perplexum est.

Chrysostomi in commentarijs Paulinis sententia de iustificatione.

Græci maximè laudauerunt commentarios in Paulum, ubi in locis de iustificatione & de fide series Paulinæ disputationis deducit eum eò, ut sæpè repetat hanc sententiam, Quòd fide consequamur remissionem peccatorum propter Christum, non propter opera. Et disertè dicit, Fide non solùm diligi Deum, sed uicissim credentes sentire, quòd à Deo diligantur, quanquam multis modis rei sint.

In hac sententia satis significauit se intelligere fidem, non tantùm de notitia historiæ, sed de fiducia, qua credimus nobis remitti peccata, & quidem hanc fidem discernit ab operibus, à non furando, non occidendo &c. & dicit hunc cultum superiorem esse. Quanquam autem eius enarratio simplicior est & minus impura, quàm Origenica, tamen ipsa quoq; est obscura, nec ubiq; secum ipsa consentit.

In 7. Cap. longius currit extra septa, Ait concupiscentiam & affectus, nisi

nisi pariant externum opus, non esse peccata. Sed tamen, si quis attentè & cum iudicio leget commentarios illos, multa inueniet testimonia multorum articulorum. Et quanquam tunc in Ecclesia caligo fuit, tamen apparet retinuisse plerosq; hanc communem sententiam, Quòd fide propter Christum, non propter opera, donetur remissio peccatorum. Ideo etsi interdum minus commodè loquuntur ueteres, tamen in alijs locis, quid re ipsa uoluerint, animaduerti potest.

De cœna Domini ex Chrysostomo satis patet, nullas fuisse priuatas Missas. Describit enim presbyterum stantem ad aram, & uocantem populum, ut accedat ad communionem.

Nullæ fuerunt priuatæ Missæ Chrysostomi tempore.

In libello de dignitate sacerdotij eruditè discernit ciuilem & Ecclesiasticam potestatem, negat Ecclesiasticam habere ius coërcendi ui corporali.

DE AMBROSIO.

Multas causas attingit Ambrosius, uidelicet de Trinitate, contra Nouatianos, de iustificatione. Et quanquam in commentarijs interdum dissimiles sententiæ reperiuntur, qui non tàm ab ipso scripti, quàm ab alijs excerpti esse uidentur, tamen perspicuum est ex eius longioribus disputationibus sensisse eum de gratia & de iustificatione, quod nos docemus.

Ambrosij doctrina de Trinitate & de iustificatione uera.

Id testatur Epistola ad Irenæum de Paulino dicto: Lex iram efficit, Epistola 71. ubi sic inquit: Ex operibus Legis nemo iustificatur, id est, per legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur. Veniens igitur Dominus Iesus peccatum omnibus, quod nemo poterat euitare, donauit, & chirographum nostrum sui sanguinis effusione deleuit, hoc est, quod inquit: Superabundauit peccatum per legem, superabundauit gratia per Iesum Christum, sicut Iohannes inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata &c. Ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur, sed qui iustus est, donatum habet, quia per Christum iustificatus est. Fides ergo est, quæ liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille, cui peccatum remittitur, & uenia donatur.

Et similes sententiæ aliquot reperiuntur in alijs locis apud hunc scriptorem, ut de uocatione gentiũ. Item ad Demetriadem uirginem, ubi inquit: Nec ob aliud datur præceptum, nisi ut quæratur præcipientis auxilium. Cæterùm eius titulo extant quædam præparationes ad Missam, & alia quædam inania, quæ uidentur esse suppositicia.

Ambrosij titulo extant quædam suppositicia.

DE HIERONYMO.

Hieronymus in uersionibus utilem operam Ecclesiæ nauauit, & quanquam enarrationes Prophetarum sunt tenues, tamen historiarum explicatio sumta à ueteribus est utilis. De dogmatibus pauca scripsit. Aduersus louinianum ualde confirmat falsas & superstitiosas opiniones de traditionibus humanis. Vituperat coniugium, & contumelioſa oratione insectatur, quę nequaquã digna est Christiano. Colligit malè detortas sententias scripturæ, quasi uituperent coniugium, ut: Si secundum carnem uixeritis, moriemini, & similes, & expressè dicit, non differre à meretrice nubentè post secundas nuptias. Item, spectandum esse, non quid concedat Deus, sed quid uelit, quasi Deus non uelit con-

Hieronymi uersiones & historica utiles.

Hieronymi errores.

lit coniugium. Postremo ethnico more colligit uulgaria conuicia sexus mulie-bris,& coniugij, de quibus Christianus longē aliter sentire debet, qui scit causam infirmitatis in utroque sexu esse naturæ corruptionem, & tamen propter Deum sexui tribuendum esse honorem, & cùm Deus non frustra condiderit hunc sexum,agnoscendum esse opus Dei, & ordinationem diuinam magnifaciendam. Nec est minor infirmitas animorum in uiris, in negocijs, quæ uiris commissa sunt, Christianus autem propter Deum fert & mitigat imbecillitatem in socijs huius uitæ diuinitus adiunctis, & cohæredibus æternæ gloriæ, & scit Deum uelle, ut illas curemus,tanquam partem generis humani,non despiciamus Diabolica superbia. Hæc atq; alia in hanc sententiam in Christiana disputatione potius dicenda erant, quām illa scurrilia conuicia sexus & diuinæ ordinationis.

De discrimine ciborum laudat ritus sine uerbo Dei institutos, tanquam cultus Dei, Imō tanquam perfectionem. Ridicula uox est, quam ponit, Si uis perfectus est,bonum est uinum non bibere,& carnem non manducare,ubi malē detorsit dictum Pauli, qui cùm inquit: Bonum est carnem non edere,addit, si fratri noceat exemplum.Cùm autem necesse sit,tales superstitiones in Ecclesia reprehendi, pariunt enim alios multos errores, prudenter de illis inconsideratē dictis iudicandum est.

Hieronymus contra Pelagium rectè censet fieri renouationem auxilio Spiritus sancti.

In dialogo contra Pelagium rectè disputat, renouationem non fieri tantùm uiribus liberi arbitrij, sed opus esse auxilio Spiritus sancti. Rectè etiam negat Sanctos esse sine peccato, & ponit memorabile dictum: Tunc iusti sumus, quando nos peccatores esse fatemur, & iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia contingit. Sed postea non satis dicit, peccata Sanctorum intelligi de actualibus peccatis, ut flammis libidinum aut iracundiæ, & similibus, non intelligit de interiore & perpetua dubitatione,securitate, concupiscentia. Constat igitur multos esse in scriptis Hieronymi non exiguos lapsus.

DE AVGVSTINO.

Augustini testimonia uera contra Arianos,Manichæos, Donatistas & Pelagianos

Augustinus multas necessarias controuersias tractauit, refutauit Arianos, Manichæos, Donatistas & Pelagianos.Nam irrepserant iam in Ecclesiam philosophicę opiniones, quas Pelagius confirmauit,Euangelium transformans in Philosophiam, contendebat enim nihil esse peccatum originis, homines legi Dei satisfacere posse, & illa externa obedientia mereri remissionem peccatorum, iustos esse, & mereri uitam æternam. Nihil de fide in Christum, nihil de auxilio Spiritus sancti dicebat. Hæc Pelagij doctrina non Euangelica, sed Philosophica erat, Sicut propemodum scholasticorum Doctorum sententia idem uult, nisi quòd hi aliquid affuunt superstitionum monasticarū. Et nunc rursus multi delabuntur in opiniones Pelagianas, quia sunt plausibiles rationi.

Augustinus restituit doctrinam de gratia & fide.

Augustinus igitur sua ætate doctrinam Euangelij, de gratia & fide in Christum,penē extinctam restituit & rursus accendit.Propter hoc beneficium Ecclesia ei plurimum debet.De peccato originis multò loquitur maiori perspicuitate,quām cæteri omnes. Distinctius etiam & rectius loquitur de libero arbitrio,quòd uiribus liberi arbitrij homines facere possint externa legis opera, & honesta opera ciuilia, Sed sine Spiritu sancto non possint habere motus spirituales, ue-

tuales,uerum timorem Dei, ueram fiduciam,ueram patientiam , hoc eſt, nouitatem,quam oportet in ijs exiſtere,qui ſunt ſaluandi.

Tradit utile diſcrimen literæ & ſpiritus,docet de gratuitate remiſsione, monet, quomodo Paulus intelligendus ſit, cũm inquit : Ex operibus legis nemo iuſtificatur,quòd uidelicet non tantùm detrahat iuſtificationem ceremonijs, ſed etiam moralibus operibus. Hac admonitione ualde opus fuit Eccleſiæ. Nam Orígenes & multi eum ſecuti,ſparſerant falſam interpretationem in Eccleſia,tantùm ceremonijs detrahi iuſtificationem , & finxerant homines legi ſatisfacere, & iuſtos eſſe propter opera.Ideo Auguſtinus diſertè hanc quæſtionem tractat in libro de ſpiritu & litera,& affirmat Paulum uniuerſaliter loqui etiam de moralibus , cùm negat nos lege iuſtos eſſe. Item , negat homines legi ſatisfacere , Rom. 8.

Hanc admonitionem Auguſtini, & hunc locum ipſius plurimum refert meminiſſe, quia cùm ratio non ſatis perſpiciat magnitudinem peccati originis, & naturalis corruptionis , facilè delabitur ad illas opiniones , ut putet legi ſatisfieri , & homines propter opera iuſtos eſſe. Ita è regione obſcuratur & amittitur iuſticia fidei , & uera exercitia ſpiritualia excutiuntur , ſcilicet uera inuocatio, quam oportet niti ſola miſericordia, Sicut nunc deridemur ab aduerſarijs,qui uolunt uideri prudentiores,ac uociferantur nos ineptè exaggerare infirmitatem, & ridiculè detrahere operibus iuſtificationem,cùm tamen ratio non aliud intelligat eſſe iuſticiam, niſi obedientiam iuxta legem.

Sed doctrina Euangelij de peccato , item de iuſticia fidei , eſt arcana & peculiaris ſapientia ueræ Eccleſiæ , quam etiam pauci ex ſcriptoribus agnouerunt , ac ſaniores , alij obſcurius, alij clarius agnouerunt . Scotiſtæ & ſimiles prorſus obruerunt. Ideo poſtquam Deus hæc rurſus patefecit, diligenter tueantur illuſtratam doctrinam.

Porrò cur aduerſarij uiciſsim non conſiderant,quàm ſit abſurdum, dicere, quòd Chriſtus liberauerit nos tantùm à ceremonialibus. Item Si liberatio tantùm ad ceremonialia pertinet,non profuit Patribus ante Moiſen. Neceſſe eſt autem ſtatuere , quòd liberatio à lege pertineat ad uniuerſam Eccleſiam , à principio mundi uſqꝫ ad finem. Hæc copioſius diſputantur, ut dixi , in libello de ſpiritu & litera.

Denicꝫ quid ſit liberatio à lege,prorſus ignorant illi,qui intelligunt eam tantùm de ceremonijs . Vt omnes homines poſt lapſum Adæ ſunt oppreſsi peccato,ira Dei,morte, ingentibus uitæ ærumnis,æternis pœnis,ita ſunt omnes onerati lege, quæ peccatum arguit, nos accuſat, & æternis terroribus occidit, ut Paulus inquit : Ergo liberari à lege, eſt ab illa accuſatione liberari, ne ſimus rei iræ Dei & æternæ mortis,eſt nõ tantùm à ritibus aut externis ſpectaculis liberari, ſed multò potius à lege perterrefaciente , maledicente,damnante & interficienti nos eripi, Cùm uidelicet alia res proponitur, propter quam iuſti pronunciamur, ſcilicet , Filius Dei, factus pro nobis uictima.

Liberatio à lege pertinet ad uniuerſam Eccleſiam & res magnas complectitur.

Sic Adam, Noë, Abraham , & omnes electi ante Moiſen à lege liberati fuerunt, Accuſabantur à lege , exercebantur horribilibus terroribus & ſenſu iræ Dei , & maledictionis . Sed inter hos terrores erigebantur agnitione miſericordiæ, propter uenturum Dominum promiſſæ, & ſtatuebant ſe iuſtos pronunciari propter uenturam uictimam , non propter legem. Norant pecca-

ta esse non tantũm externa delicta, sed interiorem Immunditiem, horribilem dubitationem de Deo, fremitum & indignationem aduersus Deum in rebus aduersis, & cęteros prauos impetus, & sciebant non aliqua lege tolli uel ipsum peccatum & naturæ infirmitatem, uel iram Dei, Sed norant se agnitione & fiducia promissi Saluatoris ex tantis ærumnis eripi. Sic & illi sunt liberati à lege morali, uidelicet, iudicante & occidente eos, & ab æterna ira, quam lex denunciat. Norant in illa naturali noticia non proponi gratuitam remissionem peccatorum, ideo aliunde petebant remissionem, Quòd si sensissent ita se iustos fore, cùm sine uicio essent, succubuissent in agone conscientiæ, sed norant ideo promissum esse Saluatorem, ut statuerent se placere Deo, etiamsi essent indigni & immundi. Sic sentiebant se iustos esse, non propter legem, sed propter uenturum Saluatorem.

Has tantas res complectitur liberatio à lege, quas non intelligunt homines securi, qui nesciunt, quid sit uera pœnitentia, inuocatio, denicq; qui non exercentur adflictionibus, & aut habent animos occupatos uoluptatibus, aut delectantur suis opinionibus, & aspernantur uerbum Dei, aut ad suas imaginationes inflectunt ac corrumpunt.

Aduersarij contra Augustinũ allegant Origenis & similiũ autoritatem.

Nonnulli aduersarij astutiores, etsi uident Augustini & nostram interpretationem uerè esse Pauli ac Propheticæ & Apostolicæ scripturæ sententiã, tamen obstrepunt nobis, & Origenis, Hieronymi, Chrysostomi, & nescio quorum autoritatem citant, non quòd illos uerè ex animo probent, sed tantũm, ut fucum faciant imperitis, ne uideantur uicti. Non enim adferunt aduersarij ad hæc certamina bonam conscientiam & studium quærendæ ueritatis, Sed odium nostri, contemtum Euangelij, curam tuendæ suæ autoritatis. Quid populus de Christo sentiat, quomodo erudiantur Ecclesiæ, nihil ad se pertinere iudicant, ac partim apertè exercent sycophanticã, ut Cochleus, Vuicelius & similes, partim sunt tyranni, & tyrannorum satellites, qui propter sapientiæ aut uirtutis opinionem gubernant Pontificum, Regum & Principum consilia, cùm sint homines ἄθεοι, qui in uniuersum arbitrantur religiones commentitias esse, ac sibi ipsi mirum in modum hoc nomine placent, quòd aut sint ἀντιπέδειμ πρὸς τὰς βροντὰς, ut ille apud Comicum inquit. Et tales dicturi sunt sententias in Synodis de Christi gloria, cuius nomen esse fabulosum cogitant.

Cum patres sunt dissimiles, uidendum est qui scripturæ congruant.

Proinde pios lectores adhortor, primùm ut considerent genera doctrinæ, utri simpliciter & sine sophistica sententiam scripturæ Propheticę & Apostolicæ proponant. Deinde, cùm Patres citantur, quæ dicta Patrum sint consentanea diuinæ uoci. Est enim magna dissimilitudo Patrum. Postremò, ut Paulus iubet probare spiritus, uoluntas utriusq; partis spectanda est, & summa consilij. Illud agunt aduersarij, non ut aliquid emendent, sed ut qualicunq; prætextu defendant suam tyrannidem, confirment & muniant opes. Ideo Reges & Pontifices aduersantur coniugio Sacerdotum, quia uident cœlibatum ad retinendam potentiam & opes expeditiorem esse. Hoc modo cùm extent notæ impiæ uoluntatis in quibusdam manifestis articulis, satis apparet eos non agitari bono Spiritu, Sed esse hostes Christi, & nec in cæteris articulis quærere ueritatem. Quare eorum iudicia constanter repudiemus.

Psalmo 42. affirmat renatum non esse iustum propter opera, sed fide, Sic

Sic enim inquit: Planè time, si iustum te dicis, si non habes illam uocem ex alio Psalmo: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, Nam si iudicium exhibueris sine misericordia, quò ibo? Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Ergo si non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, quia quicunq; hic uiuit, quamlibet iustè uiuit, uæ illi, si cum eo in iudicium Deus intrauerit. Nam & apud alium Prophetam arrogantes & superbos sic obiurgat: Quare mecum iudicio contenditis? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Noli ergo iudicio contendere, da operam esse iustus, & quantumcunq; cum fueris, confitere te peccatorem esse, spera misericordiam, & in iusta humili confessione securius alloquere turbantem te, & tumultuantem aduersus te animam tuam, Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me, fortè in te uolebas sperare, spera in Domino, non in te, quid enim es in te, quid es de te? Ille sit sanitas in te, qui accepit uulnera propter te, & inquit: Spera in Dominum.

Testimonia de fide iustificante apud Augustinum ex Psal. 42.

Psalm. 31. Qui sunt beati? Non illi, in quibus non inueniet peccatum, Nam in omnibus inuenit. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet, ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendauit: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam. Hic rectè accommodat dictum de fide, & testatur se fidem intelligere, non tantùm historiæ notitiam, sed fiduciam, qua confidimus nobis remitti peccata propter Christum. Nec uerò quisquam potest assequi Pauli sententiam, nisi sic intelligat nomen fidei. Hoc uerè est, ut dicitur in foribus errare, fidem tantùm intelligere noticiam historiæ, non fiduciam promissæ misericordiæ propter Christum. Nec mirum est, Monachos tota uita deerrasse in enarrando Paulo, quia in hoc ipso loco turpiter hallucinati sunt. Et nunc aduersarijs hæc caligo præcipuè impedimento est, quò minus recipiant doctrinam de fide, quia nomen fidei non rectè intelligunt. Cur non expendunt talia Augustini dicta, quale hoc est, quod modò recitaui? Hic testatur Paulum hoc uelle, Abraham pronunciari iustum, quia crediderit, non tantùm de posteritate sua, sed remissionem peccatorum.

Ex Psalmo 31.

Tales sententiæ passim obuiæ apud Augustinum, satis ostendunt eum de gratia & de fide idem sentire quod nos docemus, Sicut etiam de Spiritu & litera inquit: Ex lege timemus Deum, per fidem autem confugimus ad misericordiam, Hic disertè discernit legem & Euangelium.

Etsi autem interdum in eius scriptis figuræ orationis occurrunt non satis explicatæ aut incommodæ, hæ temporibus condonandæ sunt, quia uulgi cõsuetudo quasdam figuras receperat, ut appellationem meriti, & alias quasdam, & has explodere docti non poterant, Deinde nec ipsi Scriptores satis assuefacti fuerunt ad accuratas disputationes, & quanta tunc fuerit caligo in Ecclesia, inde æstimari potest, quòd Pelagij impia opinio tanto cum plausu excepta fuit, ut Augustinus & pauci quidam alij non sine magnis certaminibus eam rursus ex Ecclesijs explodere potuerint.

De incommodioribus dictis Augustini.

Cæterùm de ceremonijs si quis ætatem Augustini nobis opponit, sciat, ne ipsi quidem Augustino placuisse omnes ritus & persuasiones sui temporis, Queritur enim multas superstitiosas opiniones hærere in Ecclesia, anteferri

humanas traditiones præceptis Dei, & sic cumulatas esse ceremonias, ut Iudæorum seruitus tolerabilior fuerit, quàm Ecclesiæ. Verba eius hæc sunt ad Ianuarium Epistola 119. Ipsam tamen religionem, quàm pauciſsimis & manifestiſsimis celebrationum sacramentis, misericordia Dei esse liberam uoluit, seruilibus oneribus premunt, ut tolerabilior fuerit conditio Iudæorum, qui tamen diuinis legibus, non humanis, subditi erant. Et primùm de ritibus humanis inquit: Totum hoc genus rerum, liberas habet obseruationes. Deinde disertè iubet inutiles ritus humanos præcidi, Ergo non ita probat Augustinus ceremonias sui temporis, ut Ecclesiam ad eam normam constitui uelit, Multa enim recepta erant, quæ ne ipse quidem probat, imò reprehendi & corripi uult, quædam more illius temporis obseruat, ut omnes præsentibus moribus multa condonamus.

Sermones de purgatorio percrebuerũt Augustini tempore.

Huius ætate percrebescere Sermones de purgatorio cœperunt, quos ipse nec refutat nec confirmat, tantùm narrat, inquiens, quosdam sic existimare purgari animas piorum, postquam discesserunt à corporibus. Sed libro confessionum 9. petit his uerbis precationem pro mortua matre: Inspira Domine seruis tuis, ut ad altare meminerint matris meæ & patris, Nec petit amplius. Quanquam autem hoc uerecundè dicitur apud illum, tamen nunc scelestè detorquetur ad oblationem sacramenti pro mortuis, qualis nondum fuit Augustini tempore.

Quæstio agitata Augustini tempore An coniugia contracta post uotum dissolui possint.

Fuerunt & uota usitata eo tempore, & quæstio incidit, an coniugia post uotum contracta dissolui debeant. Hac de re extat sententia Augustini in decretis 27. q. 1. c. nuptiarum. Hic etsi Augustinus plus tribuit uotis quàm conueniebat, tamen pronunciat coniugia post uotum contracta non esse dissoluenda, & affirmat uerè esse coniugia, quia altera persona non debet cum iniuria alterius redire ad uotum, Nec fit obligatio irrita inter duas personas, etiamsi altera attulit mutationem prioris propositi. Hæc in summa dicit in eo textu. Sed plus ualuit error de uotis, quàm hæc mitigatio Augustini. Ideo constitutiones postea secutæ distraxerunt coniugia. Vidit Augustinus illam distractionem uiciosam esse, sed non satis considerauit, quid in ipsis etiam uotis uicij fuerit, quod erat obscurius. Vincebatur enim uulgaribus opinionibus sui seculi. Iam mos receptus erat faciendi uota. Magna erat admiratio multorum in eo uitæ genere degentium. Admiratio autem iudicio officit. Non igitur disputabat, an ualerent uota, cùm quidem multi essent errores impliciti illis, habebantur pro cultibus, pro singulari merito iusticię, pro perfectione, item plerisq; erant impossibilia. Hæc si prius refutasset, melius prohibere distractionem coniugiorum potuisset.

Constat igitur multos abusus illa ætate iam hæsisse in Ecclesia, quorum etsi aliquibus aduersatus est Augustinus, tamẽ aliquos boni consuluit, qui postquam retecti sunt, non debent defendi. Deinde etiamsi ueterum exempla suo tempore dissimulata sunt, tamen nunc ad confirmandos maiores abusus nequaquam accommodari debent, ut nequaquam ualet consequentia: Augustinus iubet ad altare precationem fieri pro matre, Ergo approbandæ sunt Missæ pro mortuis. Aut: Augustini tempore quidam arbitrabantur esse purgatorium, Ergo approbandæ sunt Missæ, indulgentiæ, & aliæ fundationes, pro mortuis excogitatæ. Nam Augustini tempore nondum erant hæ prodigiosæ impietates, etsi paulatim semina sparsa sunt.

DE

DE GREGORIO.

Anno 590. inijt Pontificatum Gregorius, cũm essent exacti anni post Augustini mortem 157. Interea influxerant in Italiam multæ barbaræ gentes, Gothi, Longobardi, & horum socij. Et non solũm studia literarum conticuerant, & Ecclesię neglectæ erant, sed etiam illæ ipsæ barbaræ gentes, quæ tenebant Italiam, secum inuexerunt aut facilè receperunt multas superstitiosas opiniones. Ideo breui tempore ualde cumulati sunt abusus. *Gregorius Pontifex.*

In illa dilaceratione Italiæ uidebatur esse peculiaris felicitas, abesse à Repub. procul in aliqua solitudine degere, sine familia, sine liberis, non spectare urbium excidia, & uastationem patriæ. Miserum est enim dicere illud, quod Aeneas inquit: Et quorum pars magna fui. Itaq; modesti homines, qui habebant familias, gratulabantur Monachis suam tranquillitatem. Sic creuit admiratio Monachorum, & plures cœperunt quærere & amare secessus. *Quibus occasionibus quando in Ecclesiam inuecti sint errores de Monachatu, uotis, cultu sanctorum.*

Deinde homines barbari natura mirantur nouos ritus, qui speciem habent eximiæ pietatis, & tanquam commercij cum Deo. Nihil mirum est igitur tunc & Monachorum cœtus creuisse, & plausibiles opiniones de illo genere operum latius uagatas esse & extinctam Euangelij lucem de uera fide, & ueris cultibus.

Grata etiam fuit barbaris ueneratio Sanctorum. Postquam semel receptum erat hos ethnico more ornare statuis & peculiaribus templis, creuit mos imitatione potentum. Et paulatim tantum accessit impietatis, ut nihil differret ueneratio Sanctorum his posterioribus seculis ã manifesta Ethnicorum idolatria. Inuocabantur Anna, Gregorius, non aliter quàm Iuno, Mars, aut Hercules. Currebatur ad statuas, Et magna autoritate illam εἰδωλομανίαν confirmabant Episcopi, laudabant doctores. Et in talibus cultibus erat religionis summa. Interim de Christi inuocatione, de fide erat ingens silentium.

Principia igitur cauenda fuerunt tantæ impietatis, quæ quidem Gregorius ualde confirmauit, qui publicum ritum inuocationis Diuorum instituit, qui ossibus & puluerib⁹ eorum templa dedicari iussit. *Gregorius confirmauit ritum inuocationis sanctorũ.*

Tunc etiam irrepsit opinio de oblatione corporis & sanguinis Christi facienda pro mortuis. Hæc opinio peperit horribilem prophanationem Sacramenti.

Etsi igitur post Gregorij ætatem maiores tenebræ secutæ sunt, tamen hi errores tunc hæserunt in Ecclesia. Falsa persuasio de monachatu, de operibus sine mandato Dei excogitatis. Inuocatio sanctorum, & oblatio corporis Christi pro mortuis. Hi errores magnam deinde ruinam traxerunt. Itaq; Gregorij ætas non potest esse norma emendandæ Ecclesiæ, quòd quò magis perspici possit, manifestiora errata Gregorij prius recitabo, deinde pauca de cœna Domini disputabo. Gregorius libro 3. Epistolarum, in Epistola ad Catanensem Episcopum in Sicilia, præcipit, ne Subdiaconi aut Diaconi consuetudine coniugum utantur, quas ante ordinationem duxerant, cùm quidem antea Siculi seruassent Græcum morem, nec maritis interdixissent coniugum consuetudinem. Hic lapsus satis manifestus est. Nemo enim pius distractionem legitimi coniugij approbare potest. *Gregorius prohibuit coniugium Diaconis Siculis.*

Narrat fuisse quendam Speciosum, qui maluerit relinquere functionem Subdiaconi,

Subdiaconi, quām carere coniugis consuetudine. Hic quisquis fuit, saniore iudicio præditus fuit, quām illi, qui talia coniugia distrahebant.

Auget peccatum Gregorij, quōd hunc morem in Siculis Ecclesijs recipi uoluit, quæ ad id tempus iuxta Synodorum ueterum decreta retinuerant coniugia in omnibus gradibus Ecclesiasticis, nec onerabant uotis Diaconos aut alios. Cur sumit sibi Gregorius imperium in alienas Ecclesias? cùm quidem tā tragicē declamitet se abhorrere ab uniuersalis Episcopi appellatione. Deinde, cur ibi distrahit coniugia, ubi Diaconi non fuerant onerati uotis? Cur hic nō ueretur superiorum Synodorum autoritatem? Hic lapsus, cùm manifestam impietatem & tyrannidem contineat, satis apparet ætatem Gregorij non fuisse sine magnis erroribus.

Gregorij iniusticia contra infantes.

Idem quām iniustus est aduersus eos, qui infantes in monasterijs educati fuerant iussu parentum, & postea facti puberes aliud uitæ genus expetebant? De his respondet, nefas esse tales deserere uitam monasticam. Hæc durities nō eō tantùm reprehendenda est, quia ætati facta est iniuria, sed etiam, quia ualde confirmauit superstitiosas opiniones de monasticis cultibus.

Gregorius motus Spectris comprobauit oblationem Sacramenti pro mortuis.

Addam tertium erratum non obscurum. Mouetur spectris, ut comprobet oblationem Sacramenti pro mortuis. Narrat duos, qui post mortem in balneis seruierunt, quorum alter petiuit, ut pro se fieret oblatio Sacramenti, ut ab illis pœnis liberaretur. Ab his spectris sumit dogmata in Ecclesia contra manifestum mandatum Dei, Deut. 38. Non quæras à mortuis ueritatem. Et Esa. 8. Vtrum populus ā Deo quærit ueritatem pro uiuis, an ā mortuis? Ergo qualiscunq; est animarum status post hanc uitam, tamen à spectris non sunt sumenda dogmata. Deinde quis non uidet poëticum esse, quōd dicit pios post mortem factos esse balneatores? Similis fabula est commento de filiabus Danai, qui hauriunt aquam cribris.

Non instituimus hunc catalogum, ut errorum confutationes ederemus, quæ extant alibi satis multæ, tantum recensere errata uolui, ut appareat falli eos, qui sic admirantur Patres, tanquam fuerint ἀναμάρτητοι, & nusquam dissentiant à scripturis diuinis manifestis. Etsi igitur aliquid monent interdum eruditiores Patres, tamen de eis iudicandum est ex uerbo Dei.

Impium est offerre Sacramentum pro mortuis.

Omissis igitur alijs confutationibus, breuiter quædam de illa oblatione pro mortuis adijciam. Non opus est quæri, an sit purgatorium, nihil hæc quæstio ad oblationem pertinet. Etiamsi esset purgatorium, tamen impium est, offerre Sacramentum pro mortuis. Rationes multæ sunt firmissimæ. Prima, impietas est constituere cultum in Ecclesia sine mandato Dei, Adplicatio cœnæ Domini pro alijs, fit sine ullo mandato & testimonio diuino, Ergo sine ulla dubitatione hæc adplicatio est impia.

Prima ratio.

Maiorem confirmant plurimæ sententiæ, Non habebis Deos alienos. In hoc mandato etiam cultus alieni prohibentur. Et huc pertinet dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Item: Quidquid non est ex fide, peccatum est. Porrò cultus sine mandato Dei non possunt ex fide fieri. Sed mundus non intelligit, quantum peccatum sit, fingere cultus sine mandato Dei, discedere ā uerbo Dei. De hoc scelere maximē concionantur Prophetæ, & deplorant hominum cœcitatem, qui cultus & dogmata de uoluntate Dei fingūt horribili audacia, nec retinent uerbum & cultus, quibus Deus suam uoluntatem nobis proposuit. Ipsi cœci quærunt Deum alijs modis. Constat autem

Christum

Christum non tradidisse Sacramentum, ut pro mortuis adplicetur. Quæ ibi fit mentio mortuorum? Iubet celebrari Cœnam, ut recordemur mortis & beneficiorum suorum. An mortui adsunt, ut unã recordentur? Sed breuiter adijciam & alias rationes.

Secunda, Sententia certa est, quæ labefactari nequaquam potest: Iustus sua fide uiuet. Quare necesse est nos accipere remissionem peccatorum uiuos. Ac impossibile est, contingere ullis remissionem peccatorum propter opus aut sacrificium cuiusquam sacrificuli. Causæ obscuræ, ambiguæ, longas disputationes requirunt. Hic error de oblatione refutatur adeo perspicuis & firmis argumentis, ut nihil desiderent longam explicationem. Doctrina de remissione peccatorum certa & perspicua est. Nemini fit remissio, nisi fide propria eam accipiat. Hanc sententiam si quis tollit, contumelia adficit Christum. Ergo contumelia adficiunt Christum, qui fingunt oblationem illam mortuis mereri remissionem. *Secunda ratio*

Tertia, Tantum ijs prodest Sacramenti usus, qui utentes eo, recordantur mortem, & beneficia Christi. Ergo impossibile est, id opus mortuis prodesse, qui nec utuntur ipsi, nec addunt ibi recordationem. Antecedens manifestum est ex Christi institutione, quia iubet celebrari hoc mysterium ad recordationem. Nec aliud institutioni affingendum est. Si quis plura affingit, si quis transfert ad mortuos, impiẽ contaminat institutionem Christi. *Tertia ratio.*

Quarta, Apertẽ dicit Scriptura: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Rom. 8. Corpus mortuum est propter peccatum, Spiritus uero uiuit propter iustificationem, id est, iustificati Spiritu, donec hoc tempus circumferunt, in quo hærent reliquiæ peccati, uariẽ adfliguntur, ut in inuocatione crescant, fides, agnitio Dei, & nouitas spiritualis. Sed mortuo corpore, peccati reliquiæ abolentur. Et disertẽ addit Paulus, Viuere spiritum propter iustificationem. Illa uita iustificati spiritus, non est pauor aut sensus iræ Dei, sed est gaudium in Spiritu sancto, sicut Paulus inquit. Non sunt igitur pœnæ purgatorij. *Quarta ratio.*

Christus inquit ad conuersum Latronem: Hodie mecum eris in Paradiso, hoc est, in uita tranquilla & beata, non in pœnis & pauoribus. Non igitur discedunt iustorum animæ ad cruciatus, sed ad gaudium spirituale, & ad pacẽ. In hac uita exercentur pij horribilibus adflictionibus, quia Deus mirabili consilio uult Ecclesiam suam subiectam esse cruci, & degustare adflictiones Christi. Sic Adam, Isaac, Iacob, Ioseph, Dauid, Esaias, Ieremias, Iohannes Baptista, & cætera lumina Ecclesiæ, fuerunt in ærumnis, quarum magnitudinem enarrare nemo potest. Ideo Petrus inquit: Humiliamini sub potenti manu Dei. Etsi igitur tales sunt pœnæ piorum, dum in corpore uiuunt, tamen post mortem esse tales adflictiones cur dicetur? cùm hæ adflictiones sint destinatæ ad agnoscendas peccati reliquias in carne, & ad pœnitentiam, At post mortẽ non est locus pœnitentiæ, sicut Paulus clarẽ adfirmat 2. Cor. 5. Reportabit unusquisq; ea, quæ gesit in corpore. Et Psalmi hoc docent: Non mortui laudabunt te Domine. Item: Quoniam non est in morte, qui memor sit tui. Non igitur affirmari potest, aliquos post mortem adhuc exerceri illis cruciatibus, ut agant pœnitentiam. *Iustorum animæ discedunt non ad cruciatus sed ad gaudium spirituale.*

Sic dicunt aduersarij, cruciatus illos nõ eõ infligi, ut crescat pœnitentia, sed ut sint satisfactiones, multõ magis explodenda est hæc opinio. Nam doctrina satisfactionum, quam sententiarij confinxerunt, falsa & impia est. Et quidem *Doctrina satisfactionum falsa & impia.*

quidem in eas disputationes, tanquam in sentinam, plurima mendacia conflu-xerunt, de purgatorio, de uotis, de oblatione pro mortuis, deniq; alia multa. Cùm igitur purgatorium, quod uocant, adfirmari non possit, impietas est in-stituere oblationem ad liberandos mortuos. Quanquam si esset purgatorium, non transferri ad mortuos cœna Domini posset.

Purgatorij mentio orta est à spectris & confirmata propter quæstum.

Sed quid disputo? Orta est mentio purgatorij à spectris, deinde confir-mata propter quæstum, & nunc defenditur à Pontificibus, Cardinalibus, Epi-piscopis, Canonicis, qui palàm sunt Epicurei, ac securissimè contemnunt iu-dicium Dei, & quæ de pœnis post mortem legunt, sic accipiunt, ut fabulas Poëtarum, de Ixione, Sisypho, Tantalo, aut similes, ac rident stulticiam alio-rum, qui affirmant Deum proposuisse æternas pœnas impijs.

Locus ex Co-lossensibus de-tortus ad pur-gatorium.

Omitto igitur disputationem in præsentia. Basileæ in Synodo exhibue-runt Græci orationem de purgatorio, quę hodie extat in Phorcensi Bibliothe-ca, in qua de loco Pauli 1. Cor. 3. differunt, quem ad purgatorium detorsit ætas recentior, cùm constet eum locum de pœnitentia loqui: Saluabitur, sic tamen, quasi per ignem. Ergo uult lapsum pœnitentiæ corrigi. Quare de præsenti uita loquitur, in qua locus est pœnitentiæ. Profectò uerũ est quod dicitur: Sim-plex est ueritatis oratio. Cùm Paulus de pœnitentia loquatur, non potest hic locus detorqueri ad cruciatus post mortem.

De loco in Machabæis.

De loco in Machabæis est etiam planissima responsio, Veritas rerum ex-roribus gestarum non uiciatur, inquit Iurisconsultus, Et Demosthenes contra Aristocraten, reprehendens uiciosa exemplà, inquit: μὴ δὴ τοῦτο ἡμῖν ἐᾶτε λέγειν ὡς γέγονεν, ἀλλ' ὡς δίκαιον γενέσθαι. Sacrificia Leuitica non delebant peccata coram Deo, deinde nulla pro mortuis instituta fuerunt. Ergo fuit error sacrificare pro mor tuorum peccatis, ut Iudæi alios uiciosos cultus sæpe receperunt. Natura enim hominum ad superstitionem propensa est omnibus ætatibus. Ideo cũm exem-plum illud pugnet cum scripturis, non est citandũ ad confirmandas superstitio nes in Ecclesia. Hæc ferè sunt præcipua, quę de purgatorio citantur. Ideo autem hanc disputationem inserui, ut magis appareat, lapsum Gregorij, qui confir-mauit oblationem pro mortuis, apertè cum apostolicis scripturis pugnare.

Verba Cano-nis impia, obla-tionem fieri ad redimendos uiuos & mor-tuos.

Quod cùm ita sit, etiam Canon Missę, ut uocatur, reprehendendus est, in quo dicitur fieri oblationẽ ad redimendos uiuos & mortuos. Quę fuit audacia Sacramentũ transferre ad mortuos? cùm institutio tam clarè de uiuis, de recor-datione loquatur. Gregorius scribit hunc Canonem à quodam Scholastico, ut ipse eum nominat compositum esse. Sed quisquis fuit autor, qui hanc rapso-diam congesit, illud negari non potest, dissentire latinum Canonẽ ab utroq; græco, quanquam nec græci Canones inter se consentiunt. Et differunt in lo-cis insignibus.

Gregorius re-pudiat appel-lationem uni-uersalis Epi-scopi.

Hactenus de Gregorio dixi. Nec uolo sequentium seculorum scriptores adijcere. Nam doctrina magis degenerauit postea. Accessit & Pontificum tyrannis, cùm Gregorius adhuc appellationem uniuersalis Episcopi repudiet ac ualde uituperet, ut testantur aliquot Epistolæ in libro 3.

Possem adijcere querelas scriptorum ueterum de Episcoporum cupidita tibus, & inscitia, quæ si nihil aliud, tamen hoc monent, Ecclesiam nequaquam ad exemplum & ideam eius tempori constituendam esse. Sed in Apoca-lypsi Iohannis proponuntur horribiles imagines, quæ significant haud dubiè Ecclesiæ tempora, & ostendunt grassaturos statim in Ecclesia impios docto-res

res ac tyrannica dominatione oppressuros ueritatem.

Monstrant & Synodorum historiæ, quanta in Episcopis plurimis rabies fuerit, qui ad tuendam impietatem miris artibus incenderunt Principes & uulgus, prorsus ut nunc Pontifices & Episcopi omnibus artificijs Regum animos ad mouendum ciuile bellum mouere conantur.

Rabies Episcoporum apparet in Synodorum historijs.

Basilius in fine libri de Spiritu sancto, quàm tragica querela deplorat Episcoporum sui temporis furorem & impietatem, narrat seditionibus & cædibus quæri defensionem malorum dogmatum. Et ad Italicos ac Gallicos Episcopos ita scribit: ἀνατέτραπται μὲν γὰρ τὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα, συγκέχυνται δὲ εὐσεβείας θεσμοὶ, φιλαρχίαι δὲ τῶν μὴ φοβουμένων τὸν κύριον ταῖς προστασίαις ἐπιπηδῶσι, καὶ ἐκ τοῦ προφανοῦς λοιπὸν ἄθλον δυσσεβείας, ἡ προεδρία πρόκειται, ὥστε ὁ τὰ χαλεπώτερα βλασφημήσας, εἰς ἐπίσκοπον λαοῦ προτιμότερος, οἴχεται σεμνότης ἱερατικὴ, ἐπιλελοίπασιν οἱ ποιμένοντες μετὰ ἐπιστήμης τὸ ποιμνίον τοῦ κυρίου.

Basilius de Episcopis sui temporis.

Id est, Euersa sunt ueritatis dogmata, confusæ leges pietatis. Ambitio non timentium Deum, rapit gubernationem Ecclesiarum. Nec aditus est ad honores, nisi per impietatem, ut quisq; est rabiosissimus & audacissimus in lacerandis pijs & ueris dogmatibus, ita maximè dignus Episcopi honore iudicatur. Perijt grauitas sacerdotibus conueniens, desunt Pastores, qui eruditione gregem Domini pascant.

Sic ille sui temporis Episcopos depingit, quorum uicijs recentior ætas addidit imperia & tyrannides.

Cùm igitur constet illam ætatem non sine uicijs esse, concedendum est Ecclesiæ, ut de doctrina consulat uerbum Dei, sicut Pater cœlestis præcipit, ut Filium audiamus. Et Dauid inquit: Lucerna pedibus meis uerbum tuum.

Hæc de ueterum scriptorum erratis, etsi multa prætermisi absurdè dicta, non eò collegi, ut de ueris eorum laudibus aliquid detrahatur. Credo plerosq; in his fuisse pios & præstantes uiros, quidam etiam optimè meriti sunt, sed ne ipsi quidem uoluerunt anteferri sua dicta doctrinæ Christi. Deinde hi, qui nunc nobis ueterum autoritatem opponunt, ualde illorum testimonijs abutuntur. Etsi illis temporibus semina errorum sparsa sunt, tamen nondum in Ecclesiam peruaserunt tam tetri abusus. Erat initiò qualiscunq; mentio Sanctorum. Quantum accessit impietatis postea? Non igitur citanda est Nazianzeni declamatio, cùm illius ætas adhuc ignorauerit hanc recentem Idolatriam.

Sed quid citant Ecclesiæ autoritatem aduersarij, cùm non de doctrina, nõ de religione dimicent, sed de suis libidinibus atq; opibus. Tranquillitatem suam turbari nolunt. Hæc una & sola causa est, cur nos delere cupiant. Nam dogmata qnædam luce meridiana clariora sunt. Et tamen ut hæc opprimant, manifesta crudelitas exercetur, interficiunt pios, doctos & bonos uiros Sacerdotes propter coniugium. Hoc ubi lectum est de ulla barbarie, interfici homines propter honestum coniugium? Si ueterem Ecclesiam probant, cur hic non imitantur prima tempora? An Ambrosium uel Augustinum arbitrantur hanc crudelitatem suppliciorum probaturum fuisse? Illi uerò execrati essent hanc immanitatem, & palàm testati, hos Pontifices, autores crudelitatis non Ecclesiæ membra, sed Diaboli organa esse, ac sine ulla dubitatione defensionẽ piorum sacerdotum, mulierum, puerorum, deinde tot gentium, quæ sunt coniunctæ huic causæ, suscepissent.

Aduersarij citant autoritatem Ecclesiæ ut libidines & opes suas tueantur.

Postquam autem dixi quæ sit uera Ecclesia, & constat, nos doctrinam Catholicæ Ecclesiæ Christi, traditam in scripturis Propheticis & Apostolicis

Doctrina nostrarum Ecclesiarum est consensus Catholicæ Ecclesiæ Christi.

& in Symbolis, fideliter retinere ac tueri, manifestum est, nos uerè cum Ecclesia Catholica Christi sentire. Addo illud etiam, præcipuos scriptores, Ambrosium, Augustinum, & paucos alios idem sentire, si commodè intelligantur, & pauca quædam eis condonentur, quæ tunc non uenerunt in controuersiam.

Missæ non fuerunt ante Gregorium.

De Liturgia nihil dubium est, nec priuatas, nec uenales, nec funebres Missas fuisse ante Gregorium. Nec inuocatio Sanctorum multò ante Gregorium celebrari cœpit.

Cœlibatus perpetuus recens est admodum.

Est & lex de cœlibatu perpetuo admodum recens, quæ non aliam ob causam defenditur, nisi quia cœlibatus est commodior ad tuendas opes. Et manifestam iniuriam uerbo Dei faciunt, qui adfirmant coniugium Sacerdotum cum iure diuino pugnare.

Cõsensus in doctrina de pœnitentia & alijs cum ueteribus.

De pœnitentia, de remissione peccatorum ac iustificatione, quam dicimus homines propter Christum consequi, non propter opera, de satisfactionibus, de Clauibus, de traditionibus humanis, de rebus politicis, Pleraq; nostri disputauerunt planius, quàm ueteres, quæ tamen adparet consentanea esse perpetuis sententijs illorum, qui fuerunt eruditiores ac peritiores rerum spiritualium, qui quidem hanc explicationem ac methodum si legissent, pro sua pietate candidè probaturi fuissent, ut audio narrasse uirum præstantem Theologum Parisiensem, se ex nostrorum explicatione, de iustificatione, primùm rectius Augustini sententiam intellexisse.

Scio ex ueteribus excerpi posse multa pugnantia cum nostris sententijs. Et excerpit pro suo adfectu quisq; quod uidetur commodum, ut ex ijsdem floribus apes mella legunt, araneę uenena. Sed absint à iudicijs Ecclesiasticis Sycophantiæ. Non prouoco ad omnes Scriptores, sed ad meliores, Ambrosium, Augustinum, & quatenus alij cum his consentiunt, qui cùm ipsi interdum pugnantia dixerint, ueniam nobis dabunt, si quædam reprehendemus, modò ut manifestam & certam scripturę diuinæ sententiam sequamur, nec discedamus à Symbolis, & teneamus, quod ipsi spectarunt ac uoluerunt, interdum autem explicare non potuerunt. Nihil enim dubium est, hoc doctrinæ genus, quod profitemur, uerè esse ipsum consensum Catholicæ Ecclesiæ Christi, ut ostendunt Symbola, saniores Synodi, & eruditiores Patres. Hæc respondi moderatioribus, qui autoritatem Ecclesiæ aut Patrum nobis opponunt.

Contra eos qui oderunt doctrinam quia uidetur offectura ipsorum commodis.

Exoritur aũt quoddam nouũ genus sapientũ, qui cùm sint ἄθεοι, nulla prorsus uolunt moueri de religione certamina, laudant pacẽ & concordiã, execrantur omnes, qui quocunq; modo ferunt discordias, hos, tanq; καθάρματα, & pestes generis humani tollendos esse censent. Hęc est una Philosophia Pontificũ, Cardinalium, Regũ, Canonicorum et plurimorũ, qui perhiberi uolunt politici, qui scilicet ocium suũ interturbari nolunt, nolunt dignitatẽ suam labefactari, oderunt doctrinã, quę uidetur offectura commodis ipsorũ, denicq; alius aliã habet causam, Horũ omnium una uox est in Regũ consilijs, Nullã mutationẽ concedendã esse, retinendam esse concordiã Ecclesię, autoritatẽ ordinarię potestatis.

Omphalij liber.

Deinde habẽt suos Rhetores, qui uehementissimas conciones in eã sententiam edunt, quos nominari omnes nihil opus est. Extant .n. multorum scripta, Sed ex omnibus illis centones nuper consuit Omphalius. Initiò tanq; Solon aut Areopagita aliquis, concionatur de Legũ dignitate, uituperat seditiones et legum contemtũ, commemorat quã dulcis harmonia sit ordinis et εὐταξία in Repub. quã Leges efficiunt. Deinde etsi non nominat certã professionem, tamen

quos

quos præcipuè petat, satis ostendit, declamitat aduersus nos, qui quasdam tyrannicas & impias leges Pontificum excusimus. Etsi autem non opinor eum hæc gratis dicere, tamen cùm eadem dicantur à multis summis & eloquentibus uiris non disputabo quid iste captet.

Totum hoc genus concionum spectat ad confirmandos potentum animos, ne ulla moderata & pia consilia audiantur, deinde, ut inflammati iniustã sæuitiam exerceant. Vt autem Dauid petebat, ne ualerent consilia Achitophel, sic nos precabimur Deum, ne horum Rhetorum eloquentia ueritatem & gloriam Christi opprimat. Et cum scriptum sit: Ex ore infantiũ & lactentium perfeciſti laudem, sperabimus Deum non defuturũ nobis esse in refutandis illis calumnijs, & in gloria Christi illustranda.

Quæ de ciuilium legum oneribus dicuntur non sunt transferenda ad obruendam gloriam Dei.

Scio plausibiliter dici de Legũ dignitate, de pace, de tranquillitate communi. Non adeo rudis sum literarũ, nec adeo alienus à ciuili cõsuetudine uitæ. Sentio etiam in repub. communi tranquillitati ea onera condonanda esse, quę sine impietate tolerari possunt. Valeant in eo genere hæ sententiæ, τὸ κακὸν ἓν κείμενον μὴ κινητέον. Et quod Plato dixit, ut deliri patris, ita patriæ desipientis mores tolerandos esse. Rectè ista in loco dicuntur, de ciuilibus oneribus, quæ sine impietate tolerantur, sed hæc philosophia non transferatur ad obruendam gloriam Dei. Doctrinæ errores, & idolatria nequaquam dissimulari debent, sicut Christus inquit: Si quis negauerit me, confundam eum. Primum Præceptum: Non habebis Deos alienos, longè anteferendum est omnibus rebus humanis, legibus hominum, imperijs, ordinariæ potestati, paci, patriæ, concordiæ. His nominibus nihil est augustius, sed tamen anteferendum est nomen Dei.

Prophetæ, Apostoli, haud dubiè patriam & patriæ tranquillitatem, siqui alij, amarunt maximè. Et tamen reprehendere impios cultus & prauas opiniones coacti sunt. Et quidem Christus profitetur se doctrinæ genus adferre tanquam ignem, qui sit accensurus ingentes discordias. Necesse est enim existere certamina de cultu Dei, quia Diabolus ardet horribili odio Dei, & quantum potest delere uerbum Dei conatur, & aduersus Deum homines impios incitat, ac secum trahit florentissima imperia, cum his hostibus belligeratur Christus.

Periculis mutationum anteferendum est mandatum Dei.

Quare cùm necesse sit pijs reprehendere & abolere impios cultus, non possunt non esse mutationum autores Prophetæ & Apostoli. Quanquam igitur politica sapientia abhorret ab ipso mutationis nomine, Et pij, qui certè nõ omnes stolidi aut fatui sunt, intelligunt, quantum difficultatum & periculorum adferant mutationes, tamen Christianũ pectus antefert mandatum Dei, & excelso animo excipit omnes difficultates, easq; intelligit regi à Christo, cui omnia subiecta sunt, ut inquit Propheta.

Hæc breuiter respondeo, non tam Omphalij orationi, quàm illorum sapientum argumentis, qui in omnibus consilijs concionantur de uitandis mutationibus, de concordia. Etsi autem homines ἄθεοι hanc responsionem derident, tamen pijs utile est considerare hæc argumenta, ne illa sapientiæ species deterreat animos à pietate, & à professione ueritatis.

Et hæc scribo maximè admonendæ iuuentutis causa. Impij cùm alijs illecebris, opibus & alijs commodis animos multorum capiunt, tum uerò etiam irretitos tenent his persuasionibus, quòd uitandæ sint mutationes, quòd deceat fauere ordinariæ potestati, tueri præsentem formam Reipublicæ. Hæc

quatenus laudanda sint, Christiani præmonendi sunt, ne obliuiscantur huius præcepti: Non habebis Deos alienos.

Doleo quosdam excellentibus ingenijs præditos conspirare cum impijs, ac faces esse ad incitandos Reges ad crudelitatem, & ad stabiliendam impietatem. Illa est uirtus digna magnis & præstantibus uiris, præcipuè ad laudem Dei conferre industriam atq; autoritatem. Hic scopus propositus esse debet omnibus, ut suo quisq; loco, quantum potest, conferat aliquid operæ ad conseruationem cœlestis doctrinæ, De alijs Parasitastris paruis, qui scribunt Syphanticos libellos, hoc loco non dicam, qui sunt ex illo genere κολάκων, quales alebat Dionysius Siculus, qui sputum Tyranni excipiebant, ac lingebant prædicantes nectare dulcius esse.

Redeo ad sapientes illos, quorum aliqui simulantes religionem, postquã uident absurdas superstitiones superiorum temporum excusari non posse, adfingunt ritibus & decretis molliores interpretationes, ut rectè stabiliãt impietatem, conseruatis ritibus ac uiciosis decretis. Talis est liber editus Coloniæ, titulo Reformationis. Audio & Contarenum Cardinalem in Italia dicere solere, Lutheranos facere iniuriam Romanis proceribus cùm adscribant illis errata plebeiorum scriptorum, ut Legendarum, Dormi secure, & similium. Nunquam sic sensisse Romanos proceres, aut ineptias illas probasse. Ita nunc à se deriuant errata. Ac scio ubiq; gentium plurimos esse, qui hoc nouo artificio laudem singularis sapientiæ aucupantur, qui primùm eò iniusti sunt, quòd cũpleraq; à nobis correcta ex nostris libris mutuentur, & nostris se pennis ornent, ut fucum incautis faciant, tamen nobis iniqua δίδακτρα reddunt. Non enim desinunt in nos exercere crudelitatem, deinde non cogitant hanc nouam Sophisticam fore extremam perniciem ueræ religionis.

Contareni Cardinalis uerba.

Si ingenijs petulantioribus licet comminisci glossas suo arbitrio, quid futurum est? Manifesta est idolatria in cultu Sanctorum, in Missis pro mortuis. Et tamen glossæ affinguntur ad retinendos ritus per se uiciosos. Ita paulò pòst fortasis Aegyptias superstitiones excusabunt. Absit ab Ecclesia hæc impia & pernicioſa Sophistica, quæ est protestatio contraria facto. Cultus non institutus expresso Dei uerbo, per se uiciosus est, etiamsi affingas quamcunq; uoles glossam, ut inuocatio Sanctorum per se uiciosa est, quia non est institutus diuinitus, deinde & ob hanc causam per se uiciosa est, quia hic ipse mos, etiamsi diuersum cogites, tribuit Sanctis honorem Deo proprium, quod omnes audiant.

Manifesta idolatria in cultu Sanctorum.

Possem exempla multa recitare, sed desino, ac pios adhortor, ut istam nefariam Sophisticam execrentur. Ezechias non solùm superstitiosas opiniones de Aeneo serpente correxit, sed ipsam statuam deleuit. Ita pietas est cum impijs opinionibus ritus ipsos abijcere, qui non sunt propriè mores politici. Sicut scriptura præcipit Idola destrui. Sic ipsi ritus priuatarum Missarum, Inuocatio Sanctorum, Votorum obseruatio, Monasticus uestitus, Sodalitia monastica, Vinculum cœlibatus, Discrimina ciborum, & similes inepti ritus à superstitionibus orti, tollantur & aboleantur.

Sed quid disputo? Illi, qui hac Sophistica pingunt uiciosos ritus, non hoc uerè agunt, ut tollant errores ex Ecclesia, sed ut qualicunq; prætextu defendant suam autoritatem, & arte stabiliant impietatem. Facile enim repullulant prauæ opiniones, si ritus ipsi maneant. Necesse est pios uigilantes esse,

Si ritus seruentur, facile repullulant prauæ opiniones.

esse, Nam Diabolus oppugnat Euangelium, non tantùm palàm incitans Tyrannos ad sæuitiam, sed etiam callidè insidias struens prætextu sapientiæ, & offundens bellas persuasiones, de quibus cauendis toties præcipit Spiritus sanctus, ut ad Timotheum inquit Paulus, uenturos spiritus impostores. Et ad Colossenses ait, traditiones humanas speciem sapientiæ habituras esse. Non tantùm manifesta deliramenta spargentur, qualia fuerunt pleraq; uetera & recentia, ut paulò antè manifestæ fuerunt impostura indulgentiarum, sed etiam homines astuti falsa dogmata & impios ritus artificiosè pingent, ut magno cum adplausu excipiantur, amentur ac retineantur. An non habet sapientiæ speciem impietas Samosateni? An non est plausibilis error Pelagij prophanis ingenijs? Ita habent hæc speciem sapientiæ, Prodest ad pacem & tranquillitatem, retinere usitatos mores, decerpantur igitur horridiores opiniones, & affingantur interpretationes εὐφημοτέραι, ritus ipsi retineantur, Splendidè hoc dici uidetur, cùm longè aliud agatur.

Hæ Sycophantiæ significatæ sunt in historia de Christo, quem cùm oculos eius uelassent, eiq; colaphos impegissent lictores irridentes, iusserunt uaticinari, à quo percussus esset. Sic excusatores isti impiorum rituum ludibrio habent Christum & Ecclesiam. Postquam insulsum aliquod glossema excogitarunt, putant se iam præstrinxisse Christo oculos, deinde addunt colaphos, hoc est, impietatem stabiliunt, incendunt Reges ad crudelitatem, ac Triumphos agunt, quasi iam prorsus delerint ueritatem. Ipsi plausum in suo Theatro auferunt, prædicantur à malis, amantur à Regibus, quorum seruiunt cupiditatibus. Sed orandus est Deus, ut hoc genus Sycophantarum reprimat.

Imago Sycophantiæ in exemplo Christi colaphis cæsi.

Nicander ait genus esse Serpentum, quod appellat Hæmorrhoidas, sunt autem exiguæ bestiolæ, unius longitudine pedis, sed ueneni tanta uis est, ut ab illis icto sudor erumpat cruentus toto corpore, ut ex ore, naribus, uesica largè profluat sanguis, ut sanguineas lacrymas extillent oculi, ut ardeat incredibili inflammatione totum corpus. Huius generis bestia cùm in Aegypto necasset Nauclerum Helenæ, Heroica mulier pede illam contriuit, unde & posteritas Hęmorrhoidum dicitur claudicare amissa spina. Porrò euentus ostendit hanc nouam Sophisticam interpretandarum traditionum, uenenum esse non dissimile Hæmorrhoidum. Indocti etsi sunt nobis infesti, tamen pertinacia & odio pugnant, non pugnant autoritate. Istæ Hæmorrhoides propter doctrinæ oppugnationem, propter Sophismata, &, ut uocat Paulus, propter speciem sapientiæ, sunt in admiratione, incitant animos potentum ad opprimendam ueritatem. Hoc ueneno accensi principes, flammas odij concipiunt, fiunt cruenti & furenter crudeles. Sed Christus non sinet obrui lucem Euangelij, sicut scriptum est: Quod est ex Deo, non abolebitur. Proinde Ecclesia, in qua lucet uera doctrina, tandem illis Hæmorrhoidibus spinas exteret. Non oppriment ueritatem sophisticæ illæ interpretationes, & astuta & crudelia consilia impiorum.

Sophistica interpretandarum traditionum similis ueneno Hæmorrhoidum.

Quod uerò passim aliqui cupidi piæ concordiæ, expectant Pontificum Synodos, & sperant has Ecclesiæ medicaturas esse, aut uicia correctura, longè falluntur. Nunquam enim Pontifices, & eorum coniurati Satellites desinent bellum gerere aduersus Christum, quod ut ita existimem, moueor non tantùm humanis coniecturis, quæ multæ & non leues sunt, Christi dictis moueor, deinde exemplis omnium ætatum, Nam Christus negat blasphemos sanari,

Nunquam Pontifices desinent bellum gerere aduersus Christum.

qui contra conſcientiam oppugnant ueritatem, defendunt manifeſtam εἰδωλο μανίαν, & piorum cruore ſe reſperſerunt. Furor blaſphemias & parricidia haud dubiē comitatur, ſicut hiſtoriæ Cain, Pharaonis, Saul, populi Iudaici teſtantur. Et Deus minatur cæcitatem blaſphemis, ſicut Pſalmus inquit: Obſcurentur oculi eorum. Itaq; augent quotidie ſupplicia, obligant ſibi principes impiis fœderibus. Nec tantum palām graſſantur, ſed clām ſtruunt inſidias uitę piorum principum. An exiſtimandum eſt, hos moderata aut pia conſilia admiſſuros eſſe? Et aliquoties iam experti ſumus pleroſq;, qui ſimularunt moderationem, tamen re ipſa nihil egiſſe, niſi ut nos irretitos opprimerent, ac totum doctrinæ genus delerent. Scio paucos quoſdam eſſe ſaniores in hoſtium Collegijs, qui deplorant potentum pertinaciam, ſed horum ſententiæ exploduntur tanquam ſcholaſticæ. Hæc cùm ita ſint, piē mentis eſt, & cogitantis de ſua ſalute, de gloria Chriſti, quærere quæ ſit uera Eccleſia, ut huic ſe adiungat, ut huius cœtus, & gregis Chriſti pars ſit, ſicut inquit Chriſtus: Qui non eſt mecum, contra me eſt. Deinde ſciat Eccleſiam nequaq; eſſe Tyrannos & perſecutores Chriſti, & eos, qui ſæuitiam uel adiuuant, uel comprobant. De his teneamus Regulā certiſsimam Pauli: Si quis aliud Euangeliū docuerit, anathema ſit. Et cùm ait, anathema ſit, non exiſtimemus uſum eſſe leui aut uulgari maledicto. Cùm nominat anathema, ſignificat Deū ex Eccleſia eieciſſe hoſtes uerę doctrinę, eosq; fugiendos eſſe, tanq; diras peſtes, quas Deus execratur. Pollui ſe horū ſocietate & cōſuetudine boni ſciant, & daturos graues pœnas amicicię & coniunctionis cum illis. Pſalmus inquit de hoc genere: induit maledictionem ſicut ueſtimentū, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſa eius. Huius maledictionis contagium nocet cæteris, qui ſunt coniuncti cum illis, qui & ueritatem oppugnant, & exercent ſæuitiam in pios. Non igitur exiſtimemus parum momenti habere hoc mandatum: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema ſit. Non ſunt Epiſcopi, non ſunt Eccleſiæ membra, ſed hoſtes Chriſti, qui cùm furijs agitentur, non de Eccleſiæ concordia & pace cogitant, ſed de Tyrannide ſtabilienda, non ſtudent ſanare Eccleſias, ſed moliuntur bella ciuilia, uaſtitatem Eccleſiarum, parricidia piorum ſacerdotum & piarum mulierum.

Quærenda eſt uera Eccleſia & amplectenda.

Fugiendi ſunt hoſtes Eccleſiæ ueræ.

Proinde non expectanda eſt ab illis emendatio Eccleſiarum, ſed potius cogitandum ut ſententia, animo & uoluntate quiſq; ſe ab illis ſeiungat, fugiat eorum εἰδωλομανίαν, non audiat conuicia contra ueram doctrinam, non adiuuet, non approbet illorum conſilia, non confirmet eorum potentiam. Fugite Idolatriam, inquit Paulus. Hæc præcepta non ſunt leuia ducenda. Vera igitur Eccleſia quęratur, ſciamus in hac exaudiri preces, in hac ſciamus eſſe Chriſti membra, ad hanc ſciamus pertinere promiſsiones Euangelij. Non pertinent promiſsiones ad hoſtes Euangelij, ſicut nec ad Iudæos, nec ad Mahometiſtas pertinent, ut ſæpe teſtatur Deus, & Pſal. 16. inquit Pontifex Chriſtus: Non offeram eorum libationes, nec faciam eorum mentionem labijs meis. Quem hęc tam triſtis comminatio non moueat, ut fugiat cœtum aduerſantem uerę Eccleſiæ? Deniq; plena eſt in utramque partem ſcriptura diuina talibus concionibus, quæ iubent fugere hoſtes ueræ doctrinæ & ueræ Eccleſiæ, ac amplecti ueram doctrinam, amare, iuuare, ornare ueram Eccleſiam.

Quæ ſit uera Eccleſia.

Nec cogitemus tantūm Platonicam ciuitatem eſſe Eccleſiam. Hic cœtus eſt uera Eccleſia, in qua lucet pura Euangelij doctrina, in qua rectè adminiſtrantur

strantur Sacramenta diuinitus tradita, In tali cœtu necesse est aliqua esse uiua Ecclesiæ membra, quæ præstant Deo ueros cultus, agunt pœnitentiam, inuocant Deum uera fide, conferunt studium & operam ad Euangelij propagationem, ostendunt suam confessionem, seruiunt uocationi, denicp præstant pia officia à Deo mandata, exercentur periculis omnis generis, in quibus exercent inuocationem & alia bona opera: Hanc affirmo esse ueram Ecclesiam, cum qua oportet pios ubicp terrarum coniunctos esse sententia, uoluntate & confessione. Ac tales esse sentio Dei beneficio, nostras Ecclesias, quæ profitentur puram Euangelij doctrinam, quæ est sine ulla dubitatione, consentiens sententia Catholicæ Ecclesiæ Christi. Vtinam bonæ mentes considerent, quantum referat, non esse in castris hostium Ecclesiæ, sed esse ciuem ueræ Ecclesiæ Christi, propter quam Deus innotescere uoluit, propter quam omnia condidit, quam Filij sanguine sanctificauit, in qua patefecit se admirabilibus operibus per patres, Noë, Abraham, Ioseph, Moisen, Dauidem, Eliam, Elisçum, Apostolos & reliqua lumina Ecclesiæ, denicp, quæ habebit uitam & gloriam æternam, fruetur commercio Dei & piorum Angelorum. Quanta gloria & beatitudo est, huius cœtus socium esse, in hoc agmine conspici, quod ducit Christus, quod circumuolant pij angeli, in quo incedunt principes, Adam, Noë, Abraham, Moises, Elias, & reliqui uiri insignibus præditi donis? In hoc agmine iam certum tenes locum, si non adiuuas, non comprobas hostium Ecclesię impietatem & crudelitatem, sed ueram doctrinam amplecteris, confiteris, & pijs moribus ornas. Psalmus inquit: Rogate pacem Ierusalem. Beati erunt, qui diligunt eam. O suauem & dulcem sententiam. Hortatur omnes, ut adiuuent omni genere officij Ecclesiam, ut doctrinę puritatem & consensum tueantur, ut doctoribus benefaciant, ut precibus & uotis Deo communem salutem commendent, ut impios doctores, ut Tyrannos inde arceant. Opto autem ex animo, ut magnitudinem horum officiorum uiri politici considerent, qui debent & possunt Ecclesiam iuuare. Intueantur posteritatem, cui ut Rempub. constitutam relinquere cupiunt, ita multò magis debent ueram Dei agnitionem, incorruptam religionem, purum Euangelium, rectè constitutas Ecclesias tradere, sicut Paulus iubet Timotheum fideliter custodire depositum, ut integrum & incontaminatum ad posteros perueniat. Hac cura prorsus nihil adfici uidemus Pontifices, Episcopos, Canonicos, de opibus suis dimicant, non de doctrina. Ergo alij in scholis, in gubernatione ciuitatum, suscipiant hanc curam. Hoc sacrificium pręcipuè Deus ab omnibus postulat, sicut Petrus inquit, uocatos nos esse, ut celebremus Dei beneficium. Hic præcipuus finis omnium consiliorum atcp actionum sapientibus propositus esse debet, ut ornent gloriam Christi. Pro hoc officio ingentia præmia pollicetur in hoc uersiculo Deus: Beati erunt, qui diligent Ecclesiam. Defensionem, successus, & salutem perpetuam promittit his, qui ueram Ecclesiam amant. Hac uoce pij exuscitent animos ad curam ornandæ Ecclesiæ, secp non modò aduersus tyrannorum minas confirment, sed etiam contra Sophisticam illorum muniant, qui falsò antiquitatis & Ecclesiæ testimonia dogmatum ad defensionem impiorum citant, ad quos refutandos nonnihil instituere studiosos uolui.

Quantum referat esse ciuẽ ueræ Ecclesiæ.

Finis consiliorum omnium & actionum sit ornare gloriam Dei.

FINIS.

DOCTRINA DE POENITENTIA, IDEO REPETITA VT PRÆSTIGIÆ DE SATISFACTIONIBVS RECENS EXCOGITATÆ A QVIBVSDAM SOPHISTIS REFVTARENTVR. ANNO CHRISTI 1549.

EPISTOLA AD LECTOREM IN qua respondetur Flacio Illyrico.

PHILIPPVS MELANTH. pio Lectori S. D.

VT PRÆCIPVA CVRA OMNIVM HOMINVM ESSE DEbet, ut rectè agnoscere & inuocare Deum discant, ita cùm in Ecclesia se Deus patefecerit & uelit ibi suam uocem audiri, ac uelit singulos fieri ciues eius cœtus, & ad uexillum Domini nostri Iesu Christi concurrere, ut apud Esaiam dicitur. Erit signum populis, omnino necessaria est & hæc cura, circumspicere mente, & in tanta confusione generis humani sapienter quærere, quæ & ubi sit uera Ecclesia, ut in eam nos fidei societate, inuocatione & confessione, includamus, ubicunq; sumus. Sparsa est enim in diuersa imperia, Sed à prophana & impia parte generis humani distincta est signis non fallentibus, ut sciamus uerè Dei Ecclesiam esse cœtum, ubicunq; est qui uocem Euangelij sonat incorruptam, & legitimum Sacramentorum usum retinet, nec idola pertinaciter defendit. Hæc cùm ab his qui doctrinam Propheticam & Apostolicam didicerunt, & non fabulosam esse sentiunt, mente, oculis atq; auribus iudicari possint, agnosci certè Ecclesia potest.

Ecclesia quanquam dispersa est, distinguitur tamen à cæteris gentibus suis notis.

Et in tantis imperiorum ruinis, ac hominum dissipationibus, hanc consolationem bonæ mentes teneant, ubi uocem ueræ doctrinæ incorruptam audiunt, & legitimum Sacramentorum usum cernunt, & uident non defendi pertinaciter idola, & errores pugnantes cum uoce filij Dei, ibi se in societate Ecclesiæ esse certissimè sciant, nec dubitent tales cœtus Dei domicilia esse, ibi ministerio Euangelij adesse Deum, ibi exaudiri inuocantes, ibi rectè coli Deum, ex eo cœtu colligi æternam hæreditatem filio Dei, iuxta illud, Vbicunque sunt duo aut tres congregati, in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Quibus signis cognoscenda sit uera Ecclesia.

Hac consolatione sæpe in dissensionibus publicis opus est, quam quidem eò recito, quia nunc quoq; clamoribus quorundam non leuiter perturbantur nostræ Ecclesiæ, quæ hanc ueram & firmam consolationem teneant, de qua suos oculos & suas aures singuli testes faciant. Sonat eadem uox doctrinæ uniuersæ, quam in libris nostris qui extant sonamus, Vsus Sacramentorum manet idem qui fuit ante proximum bellum. Taxantur errores, & idola, ut libri à nobis scripti ostendunt.

Quod uerò clamitat Flacius Illyricus & doctrinam mutari, & restitui ceremonias quasdam antea abolitas, primùm de doctrina respondebo. Palàm refutat hanc calumniam uox omnium docentium in Ecclesijs nostris & in scholis. Ac ne longa aut obscura sit responsio. De uniuersa doctrina sentio quod scripsi in eo libro qui in multorum manibus est titulo Locorum Theologicorum, in quo non uolui nouum doctrinæ genus constituere, sed fideliter collegi doctrinam communem harum Ecclesiarum, quæ amplexæ sunt confessionem

De mendaci calumnia Flacij de corrupta doctrina.

feßionem exhibitam Imperatori Anno 1530. quam ſententiam iudico eſſe perpetuam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, ac uolo dextrè & ſine Sophiſtica & ſine calumnijs intelligi id ſcriptum.

Et quantum mihi conſcius ſum, non ſtudio diſſentiendi ab alijs, non amore nouitatis, non φιλονεικίᾳ, aut alia ulla praua cupiditate impulſus ſum, ut illam Epitomen colligerem. Sed tempora occaſionem præbuerunt. Cùm in prima inſpectione Eccleſiarum comperiſſemus admodum diſſonos clamores eſſe ineruditorum de multis rebus, Summam doctrinæ quam Lutherus in diuerſis & interpretationum & concionum uoluminibus tradiderat, tanquam in unum corpus redactam edidi, & quæſiui genus uerborum quo ad proprietatem, quæ ad perſpicuitatem & concordiam vtilis eſt, diſcentes adſuefierent, ac ſemper omnia ſcripta iudicio Eccleſiæ noſtræ & ipſius Lutheri permiſi, de multis quæſtionibus etiam diſertè ſciſcitatus ſum Lutherum, quid ſentiret, ac multi pagellarum illarum exempla adhuc habent. In eius doctrinæ profeßione quam ut dixi, ſcio perpetuum eſſe conſenſum Eccleſiæ Catholicæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & nunc Deum inuoco, & iuuante ipſo hanc confeßionem ad æternæ Eccleſiæ conſuetudinem adferam. Hæc recito, ne quis criminetur me aliorum fidem dubitatione aliqua mea languefacere.

Iam de rituum mutatione quæ alicubi facta eſt, pauca reſpondebo. Optarim certè in hac præſertim tanta mœſticia nulla prorſus mutatione has Eccleſias turbari, ac ſi quæ factæ ſunt non ſunt à me ortæ, Sed fateor me ſuaſiſſe & Francis & alys, ne deſererent Eccleſias propter ſeruitutem quæ ſine impietate ſuſtineri poſſet. Nam quòd Illyricus uociferatur potius uaſtitatem fuiſſe faciendam in templis, & metu ſeditionum terrendos Principes, ego ne nunc quidem tam triſtis ſententiæ autor eſſe uelim. Alia onera multò duriora quàm linea ueſtis eſt, ſuſtinere nos ſtudiorum & Eccleſiæ cauſa manifeſtum eſt, odia potentum, contumaciam populi, maleuolentiam in fucatis amicis, diſcordias docentium, inopiam, iniurias, & alia multa mala quæ etiam tranquillam gubernationem comitantur. Nunc uerò turbulentis temporibus multa accedunt atrociora. Reſponſio de mutatione rituum.

Cùm autem propter tales miſerias non diſcedendum ſit à ſtatione, toleretur etiam ſeruitus in re leuiore, quæ tamen ſine impietate eſt. Mihi quædam ingens mœſticia huius temporis in tanta diſtractione uoluntatum & opinionũ poſcere uidetur, ut adflictas Eccleſias conſolemur, & foueamus, quantum piè fieri poteſt, & curemus ut rerum neceſſariarum omnium doctrina fideliter explicata ad poſteritatem propagetur, & ſcholæ conſeruentur, quæ cuſtodes ſint omnium honeſtarum artium.

Quod autem narrat Flacius, alium neſcio quem dixiſſe, me dixiſſe, Non diſcedendum eſſe ab Eccleſys, etiam ſi omnes ueteres abuſus reſtituerentur, manifeſtum mendacium eſt. Mendacium Flacij.

Ac uidete artificem, ut odia accendat, & ſuſpiciones cumulet, multa profert ex familiaribus colloquijs, quæ etiam calumnioſè interpretatur, alicubi perſonis alijs ſermones falſos attribuit, ut habere non ſolùm teſtes, ſed etiam adſtipulatores uideatur. Neq; ſenſi, neq; dixi unquam quod ille in me falſò confert, manendum eſſe in ijs Eccleſijs in quibus reſtituantur errores, & oblatio Miſſarum, & inuocatio Sanctorum & ſimiles impij cultus, qui noſtris ſcriptis taxati ſunt. Imò palàm profiteor nec recipiendos eſſe illos idolorum cultus, nec tolerandos, Et ut diſcentes in ſingulis materijs eſſent inſtructiores, magna cura & magno labore fontes controuerſiarum expoſui.

Hìc

Poßet iuſtè queri de mendacijs Flacij.

Hîc ſi dolori meo indulgere uellem, poſſem & de Flacio iuſtè queri, qui aduerſus me talia mendacia ſpargit, & commemorare ex alto repetitas cauſas harum ærumnarum quibus nunc Eccleſia totius orbis terrarum oppreſſa eſt, & exponere, quæ res armauerit audaciam aduerſariorum contra ueritatem & confirmauerit potentiam. Sed hæc uulnera nunc attingere nolo, & iſtos libertatis uindices oro, ut ſinant me & alios multos tacitos circumferre noſtros dolores, nec accendant atrociora diſſidia.

De Flacij iactantia quòd ſit defenſor priſtini ſtatus.

Gloriatur ſe defenſorem fore priſtini ſtatus: Si ſtatum, imperia certa & politias intelligit, & Eccleſiam ſuis tantùm mœnibus includit, non rectè ſentit, ſparſa eſt enim in alias politias Eccleſia ſonans uocem Euangelij incorruptam, & uera inuocatione, ueris gemitibus & lacrymis Deum inuocans. Cumque tanta fuerit familiaritas ei mecum, quantam ſignificat, teſtis eſſe poteſt ipſe meorum dolorum, gemituum, & aſſiduitatis. Nos imperiorum & ſtatus publici concuſſionem deploramus, nec quærimus, arces aut præſidia, Sed in his ipſis Eccleſijs in quibus ſumus, eandem uocem Euangelij ſonamus, inuocamus Deum in uera agnitione & fide filij Dei, & mediocri labore ſtudia literarum, inſtitutionem iuuentutis & diſciplinæ conſeruationem adiuuamus. Si poteſt Eccleſijs ille defenſor ſtatus aureum ſeculum reſtituere triumphet, ut uolet.

Cur me delegerit cùm nulla in re unquam à me læſus ſit, quem in iſta defenſione ſtatus ut uocat, primum opprimat, ut Marius Antonium, neſcio, cùm ſciat mihi ſemper diſplicuiſſe corruptelas doctrinæ, & à me errores præcipuos taxatos eſſe. Nunc ſcribit me promouere, hoc enim utitur uocabulo, qui ſuaſi ne in templis fieret ſolitudo, propter lineam ueſtem, aut res ſimiles.

Etiam ſi qua eſſet diſſenſio de re tali, non obliuiſcenda erant in Eccleſia præcepta de dilectione, præſertim cùm ſciat nos in magno luctu eſſe, & nec regna, nec opes quærere, non erant imitanda exempla ciuilium diſſenſionum, in quibus, qui ſint animorum impetus prouerbio ſignificatum eſt, ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν μὴ ποτε γενήσεται δράκων. Ille uerò mihi non tantùm ſtylum, Sed alia minatur atrociora. Optarim nos conferre operas potius ad illuſtrandas res neceſſarias, ſatis enim certaminum reſtat propter quæ inter nos paciſci inducias & uelut ſyncretiſſimum non modò nobis, Sed toti Eccleſiæ utilius eſſet, ne accideret illud, quod Paulus inquit, βλέπετε μὴ ὑπ' ἀλλήλων ἀναλωθῆτε. Ego reſponſiones moderabor ex utilitate, ac ſpero me & ſcriptis meis, & multorum honeſtorum iudicijs aduerſus calumnias ſatis defendi. Nam & alij pij & docti uiri in multis regionibus non leuiter dolent, has Eccleſias condemnari.

Sed & Flacium & alios adhortor, ut cogitent quid futurum ſit, Si utrinq; accenſi hiſtoriam annorum triginta repetemus, Qualis hæc erit tela?

De familiaribus dictis & ſomnijs prolatis à Flacio.

Quòd toties profert obiter dicta in familiaribus colloquijs, imò & ſomnia recitat, oſtendit qua fide amicitiæ & familiaritatis iura colat, Sæpe in dolore familiares querelæ liberiores ſunt, ſæpe diſputandi cauſa ego ipſe uehementius ſententiam quam amplector, oppugno, non ludens, ſed diſcendi cauſa, ut aliorum cogitationibus erudiar.

Poſtremò natura mea multis nota eſt, non adpeto laudem toruitatis, Sed mediocris eſt comitas, qua ioçor interdum etiam in doloribus: Talia dicta poſtea calumnioſè ſpargere ut iſte facit, κλακικόν eſt, non officioſum, ut nihil dicam aſperius, Sin autem

ut in quadam parte suæ Epistolæ significat, mihi gladios etiã minatur, & casus aliquis me oppresserit, quorumcunq; gladijs præbenda erit hæc misera ceruix, commendabo me filio Dei Domino nostro Iesu Christo crucifixo pro nobis & resuscitato, qui inspector est cordium & scit me simplici studio quæsiuisse ueritatem, non factiones aut regna constituere, non laxare frenos curiositati uoluisse, nec sine magna difficultate diligenter considerata uniuersa antiquitate, multas intricatas quæstiones euoluisse, meq; iuuentuti ad disciplinam & moderationem, & ad colenda rectissima studia hortatorem fuisse.

Sed de me iam nihil dicam, Scio in dissensionibus ciuilibus omnes casus omnibus expectandos esse, scio rabiem animorum uarijs modis accendi. Et habere Flacium suas quasdam faces animaduerto, Sed & uitam meam Deo commendo, & Ecclesiam Dei ueram in his regionibus & alibi, de qua multò magis quàm de mea uita solicitus sum. Sed hac me consolatione sustento, quòd promisit Deus se etiam senescenti Ecclesiæ adfuturum esse, Et Filius Dei inquit: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi, Seruabit Deus aliquos cœtus custodes doctrinæ Euangelij & rectè ipsum inuocantes, & ut in his Regionibus etiam seruet toto eum pectore & ueris gemitibus oro.

Flacius suas quasdam faces habet.

Hanc breuem responsionem opposui clamoribus Flacij, non tàm mea causa, quàm earum Ecclesiarum causa ubicunq; sunt, in quibus multorum piorum animi scriptis Flacij uulnerantur. Hi teneant hanc consolationem, quod certum est fundamentum in his Ecclesijs fideliter retineri, uidelicet incorruptam uocem Euangelij, omnes articulos fidei, & usum Sacramentorum sine corruptelis, Tali ministerio adesse filium Dei, & in tali cœtu exaudire inuocantes certissimum est, ut suprà quoq; dixi. Benè uale candide Lector. Calendis Octobris. 1549.

DE POENITENTIA.

PHILIPP. MELANTHON.

ANNO 1548.

IN ECCLESIIS NOSTRIS, DEI BENEFICIO, PRÆcipuè extat illustris explicatio doctrinæ de pœnitentia, sicut maximè necessarium est eum locum notissimum esse in Ecclesia, quia complectitur summam Euangelij, & monstrat præcipuum beneficium Filij Dei, imò ut initium fuit Ecclesiæ receptæ in paradiso doctrina de pœnitentia: Ita semper eodem modo in Ecclesia sonare hæc uox debet usq; ad resurrectionem.

Doctrina de pœnitentia illustrata est in nostris Ecclesijs.

Et intelligi facilimè poterit huius doctrinæ summa, si primum exemplum aspiciatur, ibi primum arguitur peccatum uoce Dei, & non dubium est accusante Deo, & sonante ipso tristissimam accusationem, horribiliter expauescere humanam naturam. Ita primùm extitit contritio tunc in primis parentibus. Et quid sit contritio, quomodo fiat, in eodem exemplo conspici potest. Accedit ibi & confessio peccati, quia reuera coram Deo oportet hanc confessionem fieri, nos reos esse & iustè puniri.

Exemplum pœnitentiæ in Adam & Eua.

Deinde sonante promissione recipiuntur Adã & Heua, hęc est absolutio, qua audita, accenditur fides qua agnoscunt se recipi per misericordiã propter

semen

semen promissum, & in corde noua consolatio, est incoatio nouæ obedientiæ, quæ iam placet Deo. Ita facta est integra conuersio. Imponuntur & pœnæ, uidelicet mors & aliæ calamitates huius uitæ, quia Deus etsi remittit culpam, & aufert mortem æternam: tamen propter iusticiam aliquas pœnas imponit, & ut ipsius iusticia, & ira aduersus peccata conspiciantur: totum genus humanum horribilibus miseriis in hac uita onerat.

In his pœnis tamen promittitur Ecclesiæ consolatio, ut tunc Deus ipse uestit primos parentes pelle detracta ab ouicula, qua imagine significatum est futurum, ut nouis corporibus uestiamur, & quidem sumtis ab agno Christo.

Exemplum primorum parentum sæpe cogitandum est.

Hanc totam historiam prodest sæpissimè cogitare, ut hoc ipso exemplo nos de omnibus partibus pœnitentiæ, seu conuersionis commonefaciamus. Item ut inde discamus tunc incoatum esse ministerium Euangelij, in quo semper una uox sonat arguens peccata, & offerens remissionem propter filium.

Doctrina de pœnitentia obscurata fuit & uetustis Canonibus satisfactionum & recentibus commentis Monachorum.

Verùm non tantùm in hac recenti ætate Monachorum, obscurata fuit doctrina de pœnitentia multis labyrinthis, & falsis opinionibus, sed etiam uetustis seculis quando Canonis satisfactionum creuerunt hac superstitiosa persuasione, quòd mererentur remissionem peccatorum, tunc quoq; magnæ tenebræ fuerunt. Sed in disputationibus recentioris ætatis, plus fuit inextricabilium quæstionum, & omnino silentium fuit de fide accipiente remissionem peccatorum. Ideo non dubium est fuisse necessariam explicationem ueræ doctrinæ de pœnitentia, quam in Ecclesia semper extare perspicuam necesse est, & quam singuli homines quotidie in inuocatione totam cogitare debent. Credo autem rectè, & perspicuè explicatam esse in nostris Ecclesijs, & de ea sententia, quam in locis complexus sum, nihil muto.

Cum autè Synodus Bononiensis ordinè de partibus fecerit decreta, quorum alia ambigua sunt, alia apertè falsa: dicam breuiter de singulis partibus, non ut plus sit intricatarum disputationum, sed potius ut euoluta doctrina plenius intelligatur.

DE CONTRITIONE.

Veræ causæ contritionis.

OMitto rixas de causis contritionis. Si sint ueri, & non simulati pauores & dolores intuentes iram Dei aduersus peccata, & accedat fides, quæ facit ex timore seruili filialem, dico esse ueram contritionem, & assentior has causas concurrere, uerbum Dei arguens peccatum, & Deum hoc uerbo incutiente terrorem, & mentem cogitantem de ira Dei, & uoluntatem, & cor seriò expauescens, & dolens quod offenderit Deum. Talem aliquam contritionem, dico necessariam esse, ut sæpissimè scriptum est, 2. Corinth. 7. contristati estis ad pœnitentiam.

Esaiæ 66. Ad quem respiciam? nisi ad humiliatum, & contritum spiritum, & trementem sermones meos.

Et Ezech. 20. Displicebitis uobis in conspectu uestro.

Variæ occasiones dolorum in contritione.

Ac uariæ possunt esse occasiones incoandi dolorem, ut aliter uocatur Zachæus, aliter Paulus, aliter Manasses, aliter mulier peccatrix. Sed in omnibus necesse est existere pauores, & dolores, & uarij dolores miscentur, quos subtiliter

subtiliter discernere non est opus, ut alij disputarunt de amore iusticiæ,& timore pœnæ. Imò uult Deus pœnas metui, & esse eas uelut uocem diuinam commonefacientem totum genus humanum de ira aduersus peccatum, ut testantur maledictiones in lege,quæ propter has duas causas additæ sunt legi.

Primùm ut sciamus opus esse iusticiæ Dei, quod peccata puniuntur tantis calamitatibus. Deinde ut sciamus has ipsas calamitates, esse uocem legis commonefacientem nos de pœnitentia.

Sic passim Prophetæ loquuntur de calamitatibus,ut in Psalmo, propter iniquitates corripis filios hominum. Displicent Deo horribiliter securæ mentes, non considerantes iram Dei, aut etiam elatæ inani fiducia suæ sapientiæ, suæ iusticiq, aut potentiæ, sicut Paulus ad Ephe. inquit impios esse ἀπηλγηκότας, id est, sine dolore uiuere, & Ieremias: Erubescere nescierunt.

Quare sciamus temulentam uitam in ocio, & uoluptatibus ualde periculosam esse,& Deus præcipuè suam Ecclesiam subiecit cruci, quia præcipuè in Ecclesia uult conspici iram aduersus peccatum, cùm eam mundus negligat.

Hæc sententia de contritione, nihil obscuri continet. Loquor enim de ueris doloribus qui sentiuntur, suntq; in alijs minus, in alijs magis acres, ut Ezechias inquit. Sicut Leo contriuit omnia ossa mea &c. Hæc tantum admonitio adiungatur, ut sine obscuritate discernantur timor seruilis, & filialis, seu dolor Iudæ, & dolor Petri. Timor seruilis est uerus pauor sine fide. Sed timor filialis fit, cùm ad pauorem accedit fides, qua cum incipit cor accedere ad Deum,& accenduntur initia fidei, & spei: subijcit se Deo, & prædicat eius iusticiam, iuxta illud: Tibi Domine iusticia,nobis autem confusio &c.

Timor seruilis & filialis quid differant

Cæterùm hęc duo,necessariò reprehendenda sunt in doctrina Monachorũ de contritione, quòd quęrunt sufficientẽ contritionem,& deinde affingunt horribile mendacium, hanc sufficientem contritionem mereri remissionem peccatorum, nec dicunt de fide gratis accipiente remissionem propter mediatorem. Hi errores sunt magni, & tetri. Quid est enim quærere sufficientem contritionem: nulli dolores ullius creaturæ quantumuis magni, pares sunt iræ Dei, ut dicitur: Deus ignis consumens est, nec possunt compensare peccatum, & quò magis crescit dolor sine fide,eò magis merguntur animi in mortem,& exitium. Ideo necesse est hos errores taxari.

Duo magni & tetri errores in doctrina Monachorum de contritione

In altero errore,etiam deploranda & detestanda est cæcitas, cùm dicunt contritionem mereri remissionem peccatorum, ubi transferunt in nostrum opus honorem debitum filio Dei, & Paulus toties inculcat particulam gratis, qua excludit, ut sæpè dictum est, non contritionem & cæteras uirtutes, nõ cogitationem de ira Dei & de promissionibus &c. sed excludit dignitatem, seu opinionem meriti. Deinde quantæ tenebræ sunt, quòd non solùm nihil de fide in doctrina pœnitentiæ dicunt: sed etiam pertinaciter negant opus esse hac fide,credas tibi ipsi remitti propter mediatorem,&c. qua promissionem tibi ipsi applices, Ac relinquunt mentes in perpetua dubitatione, quia inquiunt, nescis an contritio fuerit sufficiens, ideo semper dubites an tibi data sit remissio, Hæc imaginatio prorsus est Ethnica.

Particula Gratis excludit opinionem meriti.

Nos contrà his erroribus opponimus uocem Euangelij, & dicimus oportere aliquã esse contritionẽ, id est, ueros pauores, & dolores intuentes irã Dei,qui in alijs magis, in alijs minus acres sunt, sed non pendet ex horum magnitudine remissio,uerùm oportet accedere fidem,qua tibi ipsi credas remitti

Erroribus Monachorum opponenda est uox Euangelij

gratis propter mediatorem, de hac fide dictum est: Iustificati fide, pacem habemus apud Deum, & si hæc fides, & fiducia filij Dei non accenditur, mens non intuetur filium Dei, nō ducit propiciatorem esse. Necesse est autē teipsum agnoscere filium Dei, & hunc ei propriū honorem tribuere, ut tibi propiciatorem, & intercessorem, & summū sacerdotem esse statuas. Hunc honorem nō ei tribuunt diaboli, qui etiam norunt articulum, remissionem peccatorum uidelicet donari alijs, non sibi. Itaq; donec homo tantum hanc generalem sententiam credit, alijs remitti non sibi, nondum tribuit uerum honorem filio Dei, nec sibi applicat promissionem.

Discrimen legis & Euangelij in Ecclesia lucere debet.

Itaq; luceat in Ecclesia discrimen legis, & Euangelij, & sciant omnes propriam esse Euangelij promissionem, quæ ostendit mediatorem filium Dei, & promittit propter eum gratis remitti peccata, & in hanc promissionem universalem singuli nos ipsos in ueris doloribus includamus, & sciamus mandatum Dei esse, ut filium Dei audiamus, & ei tribuamus honorem propiciatoris, & promissionem amplectamur.

Causæ concurrentes in conuersione.

Cùm igitur hoc modo sustentamus nos cogitatione promissionis, & filij Dei: accenditur fides, & causæ concurrentes sunt, uox Euangelij & Spiritus sanctus, & mens cogitans promissionem & uoluntas, ac cor non repugnans, sed expetens consolationem diuinam, & assentiens promissioni, cùm quidem & à Spiritu sancto adiuuatur & inter tristes gemitus erigitur conspectu filij Dei, quem statuit, non frustra factum esse uictimam, & hac fide credis non tantùm alijs, sed tibi ipsi, propter filium Dei gratis remitti.

Fides facit ut conuersio fiat timor filialis.

Cùm hęc fides accensa est, iā & cōtritio fit timor filialis, & sacrificiū iuxta illud: Sacrificium Deo gratū, spiritus contribulatus &c. Cor irascitur peccato, dolet Deū offensum esse, alios lęsos esse, dolet Ecclesiam pollutā esse, dolet scādala excitata esse, dolet Spiritū sanctū in multis contristatū esse, dolet attrahi pœnas familiæ & cæteris, dolet impediri pœnis aliorū inuocationē, & alia necessaria officia. Deniq; innumerabiles causæ magnorum dolorum cōcurrunt. Ita dolens se subijcit Deo, & fatetur esse iustam iram Dei, & petit ueniam, & cùm fide reuera incipiat acquiescere in filio Dei, certò accipit remissionem peccatorum, Ac discamus hanc esse uoluntatem Dei, ut acquiescamus in promissione, & statuamus nos sic recipi, & donari remissionem peccatorum, idq; agit minister, in absoluendo applicat singulis promissionem.

Fide accipitur Spiritus sanctus qui incohat nouam obedientiam.

Simul etiam cùm in tali contritione homo se subijcit Deo, & fide eum inuocat, & incipit acquiescere in mediatore: datur reuera Spiritus sanctus, & incoatur noua obedientia, id est, uoluntas iam habet bonum propositum, agnita misericordia Dei incipit eum diligere, & inuocare, & non fugit, ut fugiunt Cain, Saul, & similes.

Quæ mutationes concurrant in conuersione.

Dixi quomodo fiat conuersio, scilicet, concurrentibus his mutationibus. In homine primum fit contritio, cùm cogitatione iræ Dei expauescunt corda, & uero dolore afficiuntur propter peccata. Deinde fit consolatio, qua fide accipitur remissio & corda incipiunt acquiescere in Deo propter mediatorem, & rursus incoant obedientiam, & spem uitæ æternæ. Hæc ita fieri, manifestē, testatur experientia omnium piorum in Ecclesia, quorum testimonium non contemnendum est, ut Dauid expauescit primum, inquiens: peccaui Domino, Deinde erigitur consolatione, credens absolutioni: Non morieris, Dominus abstulit peccatum tuum. & Esaiæ 38. Rex Ezechias describit pauores: Quasi

Experientia piorum in Ecclesia testimoniū quòd hæc doctrina de pœnitentia sit uera.

Leo

Leo contriuit omnia ossa mea &c. Postea & consolationem: Proiecisti post tergum omnia peccata mea, & scripta piorum ut Augustini & Bernhardi con gruunt. Longa est concio Bernhardi docentis, coniungi oportere contritionem & fidem. Dicat quisq; in pauore suo, uadam ad portas inferorum, ut iam non nisi in sola Dei misericordia respiremus. Hæc est uera fiducia quæ ad pauores accedit, cui misericordia non denegatur.

Mortificatio & uiuificatio apud Paulum sunt uocabula ueræ conuersionis.

Sic & Prophetæ, & Apostoli de conuersione concionantur, ut Paulus in hac ipsa Epistola coniungit mortificationem & uiuificationem, Ac ualde prodest moneri iuniores, hęc uocabula propriē de uera conuersione ad Deum intelligenda esse, & reijciendam esse interpretationem eorum, qui detorserunt Pauli dicta ad Hypocrisin, ad ritus Monachorum, & ad talia puerilia exercitia, Sed Pauli sententia perspicua est obseruanti pondera uerborum: Estis mortui peccatis, & circumcisi circumcisione non manu facta, exuendo corpus peccatorum carnis.

Hæc de contritione dicuntur, postea de fide qua fit consolatio, inquit: Simul resuscitati estis per fidem, qua Deus est efficax, qui uiuificat uos cū Christo. Deinde utranq; sententiam rursus illustri figura pingit: condonans omnia peccata, delens chirographum quod per decreta contra nos est, quod erat contrarium nobis. Tunc autem conspicitur chirographum scriptum in cordibus aduersari nobis, cùm agnoscimus in ueris doloribus nos reos esse. Hoc dictū ad contritionem pertinet. Deinde ad fidem pertinet quod additur: deleri hoc chirographum suspensum de cruce, facta condonatione.

Hæc interpretatio de conuersione, est simplex, uera & propria, quam quidem obseruare prodest, & ut Pauli sententia nobis obuia sit, & ut teneamus testimonium de his duabus mutationibus in conuersione, de mortificatione, & uiuificatione, id est, de contritione, & consolatione, quæ fit per fidem, qua tibi ipsi credis remitti peccata propter mediatorem.

HActenus recitaui, quid in doctrina de contritione retineri necesse sit, & quid taxari oporteat, dixi item, doctrinam de fide speciali, qua tibi credis remitti, adiungendam esse, de qua suprā in refutatione Articuli præcipientis dubitationem, copiosè dictum est.

Cùm autem hæc nostra sententia, sit ipsa uox Euangelij inde usq; ā prima conuersione Adæ & Heuæ, sonans in uera Ecclesia, & nihil sit obscuri, aut intricati in hac nostra explicatione: facile erit iudicare decreta Synodi Bononiensis, & ne quis dicat me fugere iudicium Ecclesiæ Dei, non dubito prouocare ad iudicia omnium piorum, qui non sunt rudes exercitiorum pœnitentiæ.

DE CONFESSIONE.

NEcesse est iunioribus exponere & uocabula, & mores uetustos. Olim in Ecclesia consuetudo fuit lapsos, ac reos talium scelerum, quæ alijs nota erant, non recipere, nisi signa manifesta emendationis præcessissent. Ideo certi ritus erant, quorum nomen fuit publica pœnitentia. Stabat homicida uel adulter coram Episcopo, & narrabat delictum suum, ut Episcopus modum castigationis indiceret, quæ uocabatur satisfactio, græci modestius nominarunt ἐπιτιμία, id est, notas seu castigationes. Cùm enim alia delicta alijs modis puniren-

Ritus ἐπιτιμίων in uetere Ecclesia qualis fuerit.

tur, seu (ut ita dicam) notarentur, exponi delictum opus erat, ut modus pœnę indiceretur, post eam castigationem sequebatur absolutio.

Causæ rituum in epitimijs.

Et initiò hic ritus probabiles causas habuit. Fuit enim disciplina institu-
ta, & ut explorarentur uoluntates redeuntium ad Ecclesiam, an seriò promit-
terent emendationem, & ut his exemplis alij commonefacti maiore cura uita-
rent lapsus. Nondum affingebatur opinio, hæc spectacula mereri remissio-
nem peccatorum, sed postea hanc opinionem indocti addiderunt, & ritus sa-
tisfactioum cumularunt.

Ex consuetudine ἐπιτιμίων orta enumeratio delictorum singulorum.

Ab hac ueteri consuetudine confessio intelligitur enumeratio delicto-
rum singulorum, cũm olim tantũm delicta alijs nota recitarentur. Postea uerò
decreta facta sunt de omnibus delictis etiam arcanis.

Ritus excommunicationis & receptionis semper fuerunt in Ecclesia.

De hac enumeratione singulorum, necesse est erudiri conscientiam, nec
iam de illa uetusta disciplina primæ Ecclesiæ, & de atrocibus delictis, quæ alijs
nota sunt dicimus. Semper enim inde usq; ab initio mundi, ritus fuerunt certi
excommunicationis in Ecclesia, & receptionis emendatorum, Et optaremus
ea grauitate quæ decet Ecclesiam, administrari excommunicationem & recep-
tionem. Et ut sæpe aliàs dictum est, retineantur in Ecclesia generalis confes-
sio, & petitio absolutionis, quia ministerium priuatæ absolutionis nequaquam
fruſtra institutum est, ut infrà copiosius dicam, & semper fuit in Ecclesia gene-
ralis confessio, ut de summo sacerdote in Lege dicitur: Teneat uictimam, &
confiteatur peccata populi.

Generalis confessio semper fuit in Ecclesia.

Et in Nehemia dicitur: Filij Israël conueniebant in ieiunio, & confitebam-
tur peccata sua.

Et de auditoribus Baptistæ dicitur: Baptisabantur in Iordane, confiten-
tes peccata sua.

Hæc nõ erat singulorum enumeratio, sed in genere confitebantur se reos
esse, ut decet esse uocem piorum tribuentem Deo iusticiam in nobis accusan-
dis & gloriam iusticiæ propter missum filium, ut Daniel clamitat: Tibi Do-
mine iusticia, nobis autem confusio faciei. Item: Tua est propiciatio. Et hæcip-
sa generalis confessio, & petitio absolutionis, testatur in Ecclesia recipi lapsos.

Tres sunt præcipui errores in consuetudine enumerationis singulorũ delictorum.

Sed alia disputatio est de enumeratione singulorum, multorum aut omni
um delictorum, ac pręsertim arcanorum, hic taxandi sunt tres errores. Primus,
quòd finxerunt hanc enumerationem mereri remissionem propter pudorem.

Secundus error, quòd aiunt recitationem necessariam esse, ut indicatur
satisfactio.

Tertius error, quòd necessaria sit enumeratio, & quòd remissio pendeat
ex conditione enumerationis, quia dicunt diuinitus præceptam esse.

Hæ tres opiniones falsæ sunt, & obscurant gloriam filij Dei, & sunt la-
quei conscientiarum, ut constat multos ambigentes, an satis purè confessi es-
sent, in magnis mœroribus fuisse. Talis dubitatio fidem & inuocationẽ impe-
dit, & aut desperationẽ, aut Epicureum contemtum adfert. Necesse est igitur
& ueritatem conspici in Ecclesia, & uulnera conscientiarum sanari.

Enumeratio singulorum delictorum non est præcepta iure diuino.

Manifestum est autem in arcana confessione, enumerationem omnium,
uel paucorum delictorum non esse præceptam iure diuino, quia nusquam uo-
ce Christi, aut Prophetarum, aut Apostolorũ præcipitur. Et enumeratio singu
lorũ est impossibilis, quia ualde multa sunt errata, & delicta singulorũ, quę nec
intelligunt, nec meminerunt iuxta illud: delicta quis intelligit? Ideo certum est,
conscientias

conſcientias nequaquam onerandas eſſe ſingulorum enumeratione, & nequaquam pendere remiſsionem ex enumeratione.

Hanc doctrinam neceſſariam eſſe pijs, manifeſtum eſt, quia triſtiſsima carnificina excruciarentur, ſi putarent ſingula nominatim recitanda eſſe, nec remitti peccata ſine illa anxia recitatione.

Nunc autem de hac quæſtione non diſputabo prolixius, cùm manifeſta ſit ueritas, & ante hanc ætatem ſaniores ſcriptores ita iudicauerint, enumerationem ſingulorum non præcipi iure diuino, ſicut apertè inquit Panormitanus, & Chryſoſtomus in enarratione Pſalmi 50. dicit: Si pudet alicui dicere peccata, dicito ea quotidie in anima tua, non dico ut confitearis conſeruo tuo, ut tibi exprobret, dicito Deo qui ſanat ea. Nec eſt in græca Eccleſia hic mos enumerationis arcanorum.

Omitto autem hoc loco refutationem argumentorum, quibus aduerſarij oſtendere conantur, neceſſariam eſſe enumerationem ſingulorum, & iure diuino præceptam. Nam alibi de eis ſatis dictum eſt. Ac ſciunt ipſi aduerſarij ſe has præſtigias offundere oculis, & animis populi, non quòd ſic ſentiant, ſed ne hunc neruum ſuæ potentiæ amittant.

Cæterùm ſentio generalem confeſsionem retinendam eſſe, cùm petitur abſolutio, ſicut enim in Nehemia ſcriptum eſt, confitebantur peccata ſua: ita decet aliquam uocem eſſe uerè dolentium, qua fateantur ſe reos, & ſe Deo ſubijciant, & ei laudem iuſticiæ tribuant, quòd iuſtè damnet peccata, & iuſtè nos puniat, ac rurſus tribuant ei laudem miſericordiæ, agant gratias quòd propter filium receperit genus humanum prolato admirando decreto ex arcano ſinu. Deinde petatur abſolutio, quæ eſt uox miniſterij Euangelici priuatim applicans remiſsionem petenti, cùm filius Dei dixerit: quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & poſuerit in nobis ſermonem reconciliationis: Ego mandato filij Dei, annuncio tibi uocem Euangelij remittentem peccata, & tibi ipſi peccata remitti à Deo pronuncio propter filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum. Ac præcipio tibi, ne aſperneris mortem filij Dei, quæ pro te, & reliquis credentibus fuit ſacrificium placans iram æterni patris, ſed uerè credas promiſsioni Euangelij, & ſtatuas te recipi à Deo, cùm credis tibi ipſi propter hunc mediatorem remitti.

Confeſsio generalis retinenda eſt propter abſolutionem priuatam

Hanc abſolutionem ſciamus non eſſe uocem humanæ autoritatis, ſed diuinæ, ſonantis in miniſterio Euangelij, ſicut Dauid ualde cumulaſſet ſua peccata, ſi non credidiſſet uoci Nathan: Dominus abſtulit peccatum tuum. Ita peccant omnes, qui in pauoribus, & in pœnitentia nolunt abſolutioni credere, & eam conſolationem admittere nolunt, nec redeunt ad inuocationem, nec ſe fide & ſpe erigunt.

Abſolutio uox eſt diuinæ autoritatis ſonãs in miniſterio.

Hic etiam neceſſe eſt taxari hunc errorem Monachorum, quod dixerunt abſolutionem irritam eſſe, ſi non ſit ſufficiens contritio. Sed ſciant pij oportere fieri conuerſionem, ſicut iusiurandum inquit: Viuo ego nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Oportet igitur aliquam eſſe contritionem, & non retineri poſitum peccandi, & accendatur fides, & ſit deinde bona cõſcientia, id eſt, propoſitum non faciendi contra conſcientiam. Hæc cùm adſunt, certiſsimum eſt abſolutionem ratam & firmam eſſe, quam quidem fide oportet accipi, quæ non poteſt ſimul eſſe cum propoſito delinquendi, & fides intuetur filium Dei, propter hunc ſtatuit iuxta promiſsionem gratis remiſſa

Error Monachorum abſolutionem irritam eſſe, ſi non ſit ſufficiens contritio.

esse peccata, non propter contritionem, aut gradus contritionis, aut confessionem, &c.

Priuata absolutio non est abolenda.

Vt autem aliàs sæpè dixi, nequaquam abolenda est priuata absolutio, quia manifestissimum est, promissionem Euangelij & multis & singulis applicari posse, & de singulis manifestè loquitur concio in capite 18. Matthæi: Quoties remittam? septuagies septies. Qui locus uerè & rectè de ministerio absolutionis intelligitur, & dictum, Quorum remiseritis peccata remittentur eis, de multis & singulis rectè intelligi certum est.

Deinde & exemplum consideretur, hic mos priuatim absoluendi, multũ conducit ad retinendum intellectum Euangelij proprium, quòd Euangelium contineat promissionem remissionis peccatorum. Est & illustre testimonium, quòd post baptismum lapsi conuerti possint, & conuersi recipiendi sint, & absoluendi, ac rursus fiant hæredes uitæ æternæ. Hæc causa ualde mouere pias mentes debet, ut ament & tueantur priuatim absolutionem, & suo exemplo eius conseruationem adiuuent.

DE SATISFACTIONE.

Satisfactio in hac distinctione partium pœnitentiæ, quid significet aduersarijs.

IN hac distinctione partium pœnitentiæ, nomen satisfactionis, ut in hoc loco usurpatum est, non significat compensationẽ Deo pro culpa satisfacientẽ, & placantem iram Dei, quæ satisfactio propriè per filium facta est, Nec significat satisfactionem forensem, qua debitor soluit pecuniam, quam debet, aut is qui alium iniuria affecit, sibi ignosci orat: Nam hæc forensis satisfactio, est opus debitum, & pertinet ad contritionem, ac bonum propositum: Vt raptor alienæ coniugis, si non reddit marito coniugem, manet adulter, & est sine contritione, & sine bono proposito, Ita debitor non uolens soluere cũm possit, manet fur, & regula uera est dextrè intellecta: peccatum non remittitur, nisi ablatum restituatur.

Satisfactio canonica olim erat publicum spectaculum.

Sed hanc tertiam partem pœnitentiæ nominant satisfactionem Canonicam, quæ olim erat publicum spectaculum, in quo stabant certo loco agentes pœnitentiam, & seruabant ieiunia aliquot dierum aut mensium ante absolutionem, & palàm ostendebantur populo tanquam rei, & lugentes, ut extaret signum non simulatæ pœnitentiæ, & ut alij his exemplis commonefacti, diligentius regerent mores ne laberentur. Horum rituum initiò modus aliquis fuit, & abfuit superstitio, nemo cogitabat se mereri hoc spectaculo remissionem culpæ uel pœnæ, sed exemplum erat utile disciplinæ, pertinens ad politiam Ecclesiasticam.

Semper fuit ceremonia aliqua excommunicationis.

Non dubium est autem, hos ritus, quibus rei atrocium delictorum uelut notati ostendebantur populo, ortos esse à primis patribus. Semper enim fuit ceremonia aliqua excommunicationis inde usq; à Cain, & manserunt uestigia apud Ethnicos, sicut de Cain dicitur, signum ei additum esse.

Ita postea rei homicidiorum, gesserunt signa reatus in uestitu donec reciperentur, ut scirent alij hos esse pollutos & fugiendos. Nam excommunicati, erant excluſi à societate sacrorum, mensæ & multorum officiorum. Nemo unà cibum capiebat, donec ille homicida, uel incestus gerebat signa reatus, & erant certa uerba excommunicationis, quæ uocabantur Diræ, græcè ἀραί, Sic Orestes uagatus est in Græcia, abstinens ab aliorum conuictu, ac gerens signa

signa reatus, quæ postea ei ademta sunt, cũm in iudicio absolueretur. Et multa talia exempla recitantur, ut Adrasti apud Herodotum, qui ad Crœsum uenit gerens signa reatus.

Cùm autem huius uetusti moris uestigia essent adhuc in populo Iudaico, & gentibus non omnino barbaricis, recepta est hæc disciplina etiam ab Ecclesia, fuitq; initiò modus earum ceremoniarum, sed postea superstitio adfinxit remissionem peccatorum dari propter hanc castigationem. Hæc opinio auxit has multas adeo, ut tandem intolerabiles essent. Rursus igitur laxatæ sunt, & hoc uocabant Episcopi indulgentias, id est, remissiones talium spectaculorum, de quibus Canones præceperant. Ita paulatim illa uetera spectacula cessarunt, nomen mansit satisfactionis non intellectum à populo.

Superstitio ritibus satisfactionũ affinxit opinionem remissionis peccatorum.

Sed fatentur Monachi, satisfactiones non mereri remissionem culpæ. Vt autem aliquid tribuerent multis, finxerunt non remitti pœnam æternam nisi propter compensationem pœnarũ purgatorij, uel aliarum temporalium. Dixerunt igitur satisfactiones mereri remissionem pœnarum purgatorij, uel aliarum pœnarum huius uitæ, Hic prudentia in iudicando adhibenda est.

Primum autem necesse est nosse definitionem satisfactionis Canonicæ, quam ipsi tradunt.

Satisfactio Canonica, est facere opera non debita, id est, non mandata lege Dei, sed opera superogationis iniuncta ab Episcopis, uel ministris ut mereantur remissionem pœnæ purgatorij, uel aliarum pœnarum huius uitæ.

Satisfactio Canonica quid sit.

Nunc consideret Lector, de quibus materijs in hoc loco dicendum sit, scilicet de impletione legis, de discrimine operum quę Deus præcepit, & aliorum quæ Deus non præcepit, de remissione pœnæ æternæ, de discrimine remissionis culpæ, & remissionis pœnarum temporalium, de causis pœnarum temporalium, & afflictionum in Ecclesia &c. Has materias rectè & uerè explicari necesse est, Ideo hunc locum de satisfactione repeto.

Secundo, semper iungi oportet remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, estq; unum & idem beneficium filij Dei gratuitum, tollere culpam, & tollere mortem æternam, ac tollere culpam, est placare iram Dei.

Culpa & pœna æterna simul tolluntur propter Mediatorem.

Cùm igitur pœna æterna sit sentire horrendam, & inenarrabilem iram Dei manentem, sicut Iohannes inquit, Ira Dei manet super eum: sciamus culpam & pœnam æternam simul tolli propter solum mediatorem filium Dei, non propter ullam nostram compensationem, ideo Ose: 13. dicitur. Ero mors tua à mors, & pestis tua inferne.

Et Paulus, aculeus mortis peccatum est, potentia peccati Lex, Deo autem gratia qui dat nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Ideo certissimè statuendum est fide propter filium Dei simul remitti culpam, & tolli pœnam æternam gratis, id est, sine nostra compensatione.

Hæc consolatio luceat in mentibus, nec languefieri fidem sinamus cura nostrarum satisfactionũ, ac certò statuamus non adferendas esse in illud arcanũ iudicium Dei, (ubi angimur de ira Dei, uel morte ęterna) nostras satisfactiones, sed solum sacrificium filij Dei intuendum esse, huius sanguine credamus deleri culpam, & tolli pœnas æternas, hic satisfecit iusticiæ Dei, ut Ioannes inquit. Hic est propiciatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantũm, sed pro totius mundi peccatis.

Et Triumphi descriptio ad Colossenses in cõspectu sit, ubi Paulus diserte inquit, uictorem filium Dei, à se ipso domitas, & captas potestates inferorũ, ducere in Triumpho. Huius triumphi gloriam nõ transferamus in nostra opera. Firmissimè igitur hæc consolatio tenenda est: Fide iustificati, pacem habemus apud Deũ, id est certũm est iram Dei placatã esse, & nos liberatos esse à pœnis æternis. Quare non sunt conscientiæ turbandæ imaginatione Monachorum de satisfactionibus.

Errores manifesti in doctrina Monachorum de satisfactionibus.

Tertio, manifesti errores sunt in doctrina Monachorum de satisfactionibus, cũm alibi, tũm hic quoq;, quod fingunt opera non mandata à Deo, esse cultus Dei, mereri remissionem culpæ & pœnarum. Vt certis diebus abstinere à carnibus &c. Talia opera immediatè hoc fine facta, ut per ea Deus honore afficiatur, uocant cultus. Contra quam persuasionem tenenda est regula uerissima: Frustra colunt me mandatis hominum. Hoc unum argumentum etiam satis firmum est ad refutandas satisfactiones, de quibus Monachi loquuntur, quæ quidem eò maiore cura taxandæ sunt, quia persuasio de satisfactionibus, ualde auxit traditiones humanas, & confirmauit opinionem, quæ fingit opera non mandata à Deo, cultus Dei esse.

Cultus Dei quis sit.

Est autem cultus Dei, opus à Deo mandatum, & factum in agnitione, & fide filij Dei, cuius operis principalis finis est, seu mediatus, seu immediatus, ut Deus honore afficiatur, Omitto iam quæ de impletione legis in hac materia Monachi dixerunt.

Discernenda est remissio culpæ à remissione pœnarũ temporalium.

Quarto, etsi uerissimum est, remissionem pœnæ æternæ nunquam diuellendam esse à remissione culpæ: Tamen necesse est discerni remissionem culpę, à remissione pœnarũ temporalium huius uitę. Nã Ecclesia propter multas causas cruci subiecta est, quas semper in conspectu esse oportet, quarum aliæ sunt impulsiuæ, aliæ finales, aliæ προκαταρκτικαὶ, id est, irritatrices.

Prima causa cur Ecclesia sit subiecta cruci.

Prima est, cũm propter lapsum primorum parentum tota posteritas rea sit & immunda, subiecta est morti corporis, & alijs ærumnis Ecclesia Dei, sicut reliquum genus humanum.

Secunda.

Secunda, cũm mundus interiorem immunditiem humani cordis, dubitationes de Deo, neglectionem Dei, & multas uicioſas flammas cupiditatũ, non ducat esse res à Deo damnatas, & contemnat iram Dei: Ecclesia magis premitur, quia uult Deus in Ecclesia conspici iram suam, & uult in nobis omnibus pœnitentiam crescere, 1. Pet. 4. Iudicium à domo Dei incipit. Item Salomon: Filium quem diligit, corripit.

Tertia.

Tertia causa, quia diabolus maiore odio filij Dei, & Ecclesiæ ardet, ideo rabiosius grassatur in Ecclesia, conatur multos euertere, excitat hæreses, et facit uarias dissipationes, de hac causa dictum est in Genesi: Serpens mordebit calcaneum eius.

Quarta.

Quarta, sæpissimè singulares aliquæ calamitates, pœnæ sunt certorum delictorum, quas Deus ideo irrogat hominibus, quia & iusticię Dei est punire peccata, & uult Deus in hac uita in aliquibus exemplis conspici iram suam, & iustum iudicium aduersus peccata, & uult reuocari lapsos ad pœnitentiam. Sic Dauid propter adulterium, & proditum Vriam eiectus est ex regno. Manasse abducitur in exilium, & de uniuersi populi exilio, & urbis Ierosolymę excidio inquit Ieremias cap. 22. & dicent unusquisq; proximo suo, quare sic fecit Dominus? & respondebunt, eò quòd reliquerunt pactum Domini Dei sui, & adora-

& adorauerunt Deos alienos. Et Mich. 7. Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Psalm. 88. Visitabo in uirga iniquitates eorum.

Quinta causa, ut adflictiones sint testimonia doctrinæ, ut Ieremias, Baptista, non propter peculiaria delicta interficiuntur, sed propter alias causas, ut ærumnæ testentur eos serió sic sentire ut docent, quia ueritatem anteferunt uitæ, & omnibus commodis corporum. Quinta.

Sexta causa, ut adflictiones sint testimonium immortalitatis. Cùm enim Deus illustribus miraculis ostenderit sibi placere Abel, Paulum & similes, & tamen sinit eos interfici, necesse est restare aliud iudicium. Sexta.

Septima, ut fiamus similes imaginis filij Dei. Septima.

Octaua, etiam ubi non sunt externa delicta atrocia: tamen Deus uult in multis interiora mala, superbiã, admirationem sui, carnalem securitatẽ emendare ut dicitur: Bonũ mihi quòd humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Octaua.

Nona causa, ut appareat sanctos uniuersam obedientiam præstare principaliter propter gloriam Dei, non tantùm propter suas utilitates ut in Psalmo dicitur: hæc omnia uenerunt super nos, nec obliti sumus te. Nona.

Decima, ut adpareat Ecclesiam non humanis consilijs & præsidijs, sed ab ipso filio Dei capite, & duce Ecclesiæ diuina potentia colligi, defendi & seruari, & in nostra infirmitate conspiciatur præsentia filij Dei propugnantis nos contra Diabolum. 2. Corinth. 4. Circumferimus Thesaurum hunc in uasis testaceis, ut excellentia potentiæ sit Dei, & non ex nobis. Decima.

Cùm igitur multæ diuersæ causæ sint, cur Ecclesia subiecta sit cruci, non imaginandum est omnes calamitates certorum delictorum pœnas esse, & satis commodè distribuuntur afflictiones in quatuor genera, Aliæ sunt τιμωρίαι, id est, pœnæ certorum factorum, ut exilium Dauidis, uel supplicium politicum homicidarum, quæ etiamsi sunt pœnæ, non tamen merentur remissionẽ culpæ, aut pœnæ æternæ, sed sunt signa iræ Dei aduersus peccatum, uel testimonia iusticiæ Dei irascentis peccato. Quatuor distincta genera afflictionum.

Aliæ sunt δοκιμασίαι, id est, exercitia utilia ad frenandos pios, & confirmandam fidem, ut ærumnæ Ioseph.

Aliæ sunt μαρτύρια, id est, testimonia doctrinæ, & immortalitatis, ut Abel, Ieremiæ, Pauli, & similium neces.

Aliæ sunt λύτρα, id est, precium pro aliorum peccatis. Tale autem est sola mors unius filij Dei. Sic Matth. 20. nominat suam passionem ipse filius Dei, qua uoce admonemur de re maxima, uidelicet, non sine admiranda disputatione, de collatione iusticiæ & misericordiæ Dei, remissa esse generi humano peccata, quomodo uidelicet Deus simul & iustus, & misericors esset. Ejiciamus enim ex mentibus nostris stultas opiniones humanas, quę somniant Deum ut lentum patremfamilias, seu ut Stoicum non irasci peccato, imò iusticia Dei uerè & horribiliter irascitur omnibus omnium peccatis, ut dicitur: Deus est ignis consumens.

Fuit igitur disputatio de collatione iusticiæ & misericordiæ, quam nulla creatura explicare potuisset, sed miranda deliberatione diuina, res ita dijudicata est, ut ira in filiũ deriuaretur, & cæteris hominibus propter filiũ parceretur. Nam necesse fuit Deo per obedientiã, uel per pœnam æquiualentem satisfieri.

Huius mirandæ deliberationis causas discemus in uita æterna, nunc beneficium ipsum uult nos agnoscere Deus, & uult nos utrunq; cogitare, ingentem esse

tem esse misericordiam, quòd genus humanum receptum est, simul ueram & ingentem iram aduersus peccatum, quòd pœnam, & compensationem tantam interuenire oportuit.

Solutio argumẽti, de misericordia & iustitia in Deo.

Huc pertinet uetus argumentum dignum consideratione.

Misericordiæ est parcere, sed iustitia est immutabiliter seruare legem, requirere obedientiam, uel pœnam æqualem.

Deus non solùm est misericors, sed etiam iustus. Non igitur remittit sine compensatione, seu satisfactione.

Respondeo, Concedo totum argumentum, non facta est remissio sine satisfactione, scilicet persoluta per filium Dei, sola obedientia filij Dei est satisfactio, & æquale precium pro nostris peccatis, & sacrificium placans iram Dei, sicut & Esaias inquit. Ponet animam suam hostiam pro peccato. Hanc uictimam uult Deus aspici, & iram & misericordiam considerari, nec tribuendus est hic tantus honos, uidelicet esse λύτρον seu satisfactionem pro peccatis, ulli hominum iusticiæ.

Necesse est igitur taxari errores de canonicis satisfactionibus, sparsos in Ecclesiam horribili cæcitate. Manifestè falsum est, remitti pœnam æternam propter canonicas satisfactiones, manifestè falsum & hoc est, potestate clauium tolli pœnas temporales, non impositas arbitrio ministrorum, sed communes illas uagantes per totum genus humanum propter iram Dei uel propter confessionem, ut morbos, bella, inopiam & similes, quæ sunt aliàs δοκιμασίαι, aliàs τιμωρίαι, aliàs μαρτύρια. Hæc genera, nihil ad potestatem clauium pertinent, id est, potestas clauium nec imponit, nec remittit.

Etsi autem uitandæ obscuritatis causa nolo recitare omnes labyrinthos huius materiæ, tamen quædam argumenta refutabo, quæ nunc excogitant alii qui astutè, ut errores prætextu aliquo stabiliant.

Responsio ad argumenta aduersariorum, quod Ecclesia rectè faciat quærens mitigationem pœnarum per bona opera.

Primum est hoc: Ecclesia piè facit iubens quærere mitigationem pœnarum, & modum ostendens.

Certissimum est autem propter bona opera mitigari pœnas temporales.

Igitur Ecclesia rectè facit, iubens facere certa opera.

Respondeo ad maiorem. Ecclesia rectè facit iubens quærere mitigationem pœnarum, & modum ostendens scilicet traditum in Euangelio, non excogitans nouos cultus. Verissimum est autem mitigari pœnas tota conuersione & bonis operibus à Deo mandatis. Clamat Ecclesia sicut filius Dei, & sicut uox Spiritus sancti semper clamat: Agite pœnitentiam. Item nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

Item si peccata uestra fuerint ut coccinum, eritis candidi sicut nix. Si eritis in tristissimis pœnis, & uelut homicidæ in supplicio conspersi cruore: tamen Deus mitigabit pœnas, deterget cruorem.

Item, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.

Hæc incoatio nouæ obedientiæ, meretur mitigationem pœnarum temporalium, & de his operibus à Deo mandatis intelligatur minor, non affingantur alia opera seu cultus non mandati à Deo. Quare si in conclusione addatur, Ecclesiam rectè facere indicentem alia quædam opera non mandata à Deo: insidiæ sunt in conclusione, & neganda est consequentia, quia plus est in conclusione, quàm in præmissis. Ecclesia rectè facit præcipiens totam conuersionem, & bona opera mandata à Deo, sicut mandata sunt, nõ rectè facit fingens homines

nes lege iustos esse, & alia noua opera facienda esse tanquam supererogationis, quæ sint precium ad compensandas pœnas.

Cæterùm de criminibus populo notis, antea dictum est, Ecclesiam cùm recipit lapsos, posse exempli causa, publicè commemorare delictum & pœnitentiam, & adiungere aliquam piam obiurgationem & adhortationem &c.

Obijcitur & Pauli dictum: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur. Ergo si Ecclesia puniret, Deus parceret nobis, & mitigaret calamitates publicas & priuatas. *De dicto Pauli si iudicaremus nos &c.*

Speciosum argumentum est, sed prudenter discernenda est uera castigatio ab hypocrisi. Totum argumentum uerum est dextrè intellectum: Si nos iudicaremus, id est, castigaremus seu emendaremus uera conuersione, id est, si uero dolore cruciaremur quòd Deum offendimus, quòd nostris scandalis turbauimus spiritum sanctum, quòd nobis & Ecclesiæ cumulauimus miserias. In tali conuersione, fides, spes, inuocatio & noua obedientia uerè impetrarent mitigationem pœnarum, ut suprà dictum est, & Iohel inquit: Conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quia bonus est, & remittit pœnas.

Cùm igitur Paulus inquit: Si nos iudicaremus &c. ueram pœnitentiam seu ipsam conuersionem ad Deum intelligit, nec de alijs operibus non debitis loquitur, de quibus scriptum est: frustra colunt me mandatis hominum, & sine uera conuersione nulla opera Deo placent quia Deus requirit obedientiam cordis, id est, uerum timorem, ueram fidem, spem acquiescentem in promissione Dei, ueram inuocationem, iuxta illa dicta: Veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu & ueritate.

Item, sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Nec plus ualent coram Deo ieiunia non conuersorum, aut aliæ pœnæ, quàm ualuerunt lacerationes corporum, quas faciebant sacerdotes Baal, & quales hodie dicuntur facere Turcici sacerdotes, qui ritus omnes ad hanc regulam pertinent: Frustra colunt me mandatis hominum.

Hæc de satisfactionibus hoc loco dixisse satis sit: Nam & alibi eadem doctrina sæpe exposita est, sed necesse est totam doctrinam de pœnitentia, sæpe in Ecclesia repeti, ut omnibus notissima sit, & semper sit in conspectu, quia in omni inuocatione quotidie cogitanda est. Semper enim obstrepit inuocanti hæc tristis concio: Peccatores Deus non exaudit.

Huius obiectionis refutatio sumenda est ex doctrina de pœnitentia, uide licet non audiri peccatores, non agentes pœnitentiã, sed agenti pœnitentiam mandatũ est, ut credat, se propter filiũ Dei gratis recipi & accipi, ac placere eius inuocationem: Hanc fidei lucẽ non sinamus extingui falsis opinionibus de satisfactione Canonica, sicut sæpe in Ecclesia ualde obscurata est etiã uetustis temporibus, & cùm extinguitur hæc lux fidei, recipiuntur opiniones Ethnicę, & Turcicæ, quæ fingunt remitti culpam propter satisfactiones humanas, sicut nunc quoq; docent Turcæ, remitti periuriũ diuiti, si decem pauperibus prębeat uestem, & homines non præmoniti, facilè capiuntur illa operum specie. Ideo tales opiniones maiore cura refutandę sunt, et simul corda excitanda sunt ad ueram conuersionem, quæ sine ulla dubitatione impetrat auxilium Dei, & mitigationem præsentium calamitatum, ut dictum est. *De obiectione: peccatores non exaudit Deus.*

Et pro hac luce doctrinę, Deo gratias agamus, & gratitudinẽ declaremus in confessione & studio conseruandę huius puritatis. FINIS.

DEFENSIO

DEFENSIO CONIVGII SA-
CERDOTVM PIA ET ERVDITA, MISSA AD
REGEM ANGLIÆ, A PHILIPP. MELANTH.

QVERELA ANIMARVM PIARVM
ad Deum, de Tyrannis qui interficiunt pios propter Euangelij profeſsionem.

O Pater alme Deus, terræq́ poliq́ creator,
Iſta manum cuius machina uaſta tremit,
Omnia qui cernis, ueriq́ es amator & æqui,
Fallere quem non eſt ullius arte doli,
Vnicus innocuis, ſi iuſtus es arbiter, umbris,
Solus & inſontis ſanguinis ultor ades.
Si tua pacifici cruor intemeratus Abeli,
Voce fatigauit ſidera clara poli,
Ecquid adhuc iuſtam lentus non ſurgis in iram?
Et potes hæc contra te fera tela pati?
Ecce rebellantes audacter ut omne Tyranni,
Iusq́ tuo Chriſto faſq́ piumq́ negant.
Reſpicis inſontes animas, triſtemq́ cruorem?
Illis pro uerbo quem damus ecce tuo.
Reſpicis, & patulis gemitus hos auribus hauris,
Quos tibi ſemineces reddimus ore pio.
Vtq́ truces rarò triſti ſine cæde Tyranni,
Et ſicca ad ſtygias morte feruntur aquas,
Sic quoq́ nunc meritas pendent cum ſanguine pœnas,
Quos iuuat iniuſta tingere cæde manus.

DE CONIVGIO SACERDOTVM,
PHILIPP. MELANTH.

MVLTI PRINCIPES VIRI PALAM FATENTVR DE-

Cœlibatus defenditur quia commodior eſt ad potentiam, et ſplendorem ſacerdotum.

fendi cœlibatum, nec religione, nec ſuperſtitione aliqua, ſed tantùm quia commodior eſt ad potentiam & ſplendorem ſacerdotum retinendum. Satis enim conſtat, conceſſo coniugio, oportere & numerum & pompam diminui, ut Græcorum ſacerdotes nec tantas opes, nec imperia adepti ſunt. Turba etiam tanta in ſingulis Eccleſijs, præterquam ubi ſcholæ erant, non fuit. Nolunt autem Epiſcopi & alij ambitioſi ſacerdotes, aliquid de dignitate, aut de ſplendore detrahi. Accedit huc, quòd Regum & Principum aulæ ſunt ornatiores & frequentiores ſatellitio Epiſcoporum & Canonicorum, qui comitantur aulas ſine Regum ſumtu. Et hic cœtus magno uſui eſt Regibus. Hinc ſumuntur Iudicum decuriæ, hinc deliguntur homines expediti ad Legationes, ad multa & uaria Regum negocia. Deinde Reges etiam adfectibus nobilitatis ſeruiũt, quæ eſt inimiciſsima coniugio ſacerdotum, propterea quòd ipſi nunc paſsim opulentis

Plures cauſæ impuri Cœlibatus.

opulentis collegijs fruuntur. Et multæ familiæ dignitate & opibus augentur in hoc ſtatu Eccleſiaſticorum procerum. Amitteret autem nobilitas pleraſq; harum commoditatum, ut facilè poteſt iudicari, ſi concederetur coniugium ſacerdotibus, quod cogeret aliquid de luxu & de ſplendore diminui. Ideo cœlibatum ambitioſi Canonici, Nobilitas, & Reges ipſi tanto conſenſu, tantis ſtudijs defendunt. Eſt etiam multitudini Canonicorum grata licentia uulgo impune ſcortandi. Propter has cauſas hæret in Eccleſia ingens turpitudo, quæ dedecorat totum nomen Chriſtianum. Boni agnoſcunt quantum ſit onus cœlibatus, & tolli cuperent, & hi ſunt pauciſsimi: Reliqua infinita multitudo quàm inquinatè uiuit? Quàm nepharia flagitia cernuntur Romę & alibi? Qualis eſt ſpecies collegiorum, in quibus ſunt magna agmina ſcortorum & adulterarum? Hæc rident Epicurei Pontifices ac Principes, & nos putant eſſe agreſtes ac ſtolidos, qui has delicias arbitramur reprehendendas eſſe. Si iudicarent eſſe Deũ, & uerè iraſci libidinibus, easque punire, facilius perſuaderi poſſent, ut iniuſtas & tyrannicas leges abolerent, quæ ſunt fontes tantorum ſcelerum, quibus Eccleſia polluitur. Sed dolendum eſt adeo prophanas mentes eſſe multorum, ut libidines rideant, deinde defendãt legem de cœlibatu propter opes, & tamen falsò prætexant religionem & nomen Dei. Hanc contumeliam nominis ſui profectò Deus puniet, ut dicit: Non erit impunitus, qui nomine Dei abuſus fuerit.

Hæc prefari uolui: quid enim opus eſt in cauſa perſpicua diſputatione ulla? Omnes enim honeſti & mediocriter periti doctrinæ Chriſtianæ & hiſtoriarum, norunt hanc Pontificiam legem de cœlibatu pugnare cum iure naturali & diuino, & ueteris Eccleſiæ conſuetudine, Et paulatim plus acceſsit tyrannidis. Circa tempora Gregorij qui ducebant uxores in Latina Eccleſia, tantùm à miniſterijs remouebantur: Poſtea exacerbata lege, prorſus ademtum eſt coniugium ſacerdotibus: Nunc interficiuntur qui ducunt uxores, cùm in Eccleſiaſtica gubernatione inprimis lenitas adhibenda ſit.

Lex de cœlibatu pugnat cum iure naturali & diuino & ueteris Eccleſiæ conſuetudine.

Etſi autem hæc cauſa adeo perſpicua eſt, ut non habeat opus longa diſputatione, tamen colligam teſtimonia iuris diuini, quæ docent, ſacerdotibus nõ prohibendum eſſe coniugium, eamq; prohibitionem impiam & iniuſtã eſſe, rectè facere pios ſacerdotes, qui ducunt uxores, ac pertinere ad officium Principum, abolere prohibitionem illam iniuſtam & tyrannicam.

Vocamus autem coniugium, legitimam & perpetuam coniunctionem unius uiri, & unius tantùm fœminæ diuinitus inſtitutam generationis cauſa, & ordinatam ad uitandas libidines prohibitas, iuxta dictum illud: Erunt duo in carne una, uidelicet, ut in ea uocatione Deo conditori morem gerant, obtemperent eius ordinationi, uitent ne polluantur contra eam ordinationem, uir non deſpiciat ſexum fœmineum, ſed honore adficiat, & ſciat ſibi quiſq; ſuã coniugem, tanquam partem generis humani, tuendam, iuuandam, & amandam eſſe, procreent liberos, eiſq; tradant ueram Dei noticiam, ut agnitio Dei propagetur, & in terris conſeruetur. Hi ſunt enim præcipui fines coniugij, de quibus ſæpe concionatur doctrina cœleſtis. Accedunt & alij fines, coniugia colenda eſſe, ut iuuemus communem ſocietatem hominum, ut ciues gignamus atq; educemus uſui futuros patriæ. Hi fines Philoſophis & Legumlatoribus noti fuerunt. Sed Plato etiam de priore fine loquitur, inquiens, Ideo coniugio utendum eſſe, quia cùm homines ex hac ſocietate morientes diſcedant, debeat

Coniugium quid ſit.

Coniugij fines

unusquisq; pro se alios Deo cultores in hoc cœtu relinquere. Hæc uox dignissima est memoria piorum: Nam hic præcipuus finis coniugij esse debet. Propter hunc finem expetebant liberos Abraham, Isaac, & multi ueteres Episcopi, ut relinquerent fidos custodes doctrinæ cœlestis.

PRIMA RATIO.

Quòd sacerdotibus liceat habere coniuges.

Testimonium Pauli ad Titum.

Coniugium non pugnare cum natura ordinis.

QVòd sacerdotibus liceat habere coniuges, apertè testatur Paulus ad Timotheum & ad Titum: Oportet Episcopum unius uxoris maritum esse. Hæc sententia sine ulla dubitatione testatur, non pugnare coniugium cum ordine, sed licere eligi sacerdotem maritum. Repudianda est igitur illorũ amentia, qui uociferantur coniugium cum natura ordinis pugnare. Tota Græca Ecclesia usq; ad hunc diem testatur, Sacerdotes posse maritos esse, posse habere uxores, uel ante ordinationem, uel postea ductas, ut infrà copiosius ostendemus. Nunc illud tantùm agimus, ut ostendamus sacerdotes posse esse maritos: quod dicimus ad refutandum errorem illorum, qui contenderunt coniugium cum ordine pugnare. Nec leuis est hic error, ac multa deliramenta complectitur, fingit coniugium esse rem immundam, hoc est, uitæ genus uiciosum, quod aut non adprobet Deus, aut certè in aliquo piorum hominum gradu nõ adprobet. Huic superstitioni necesse est reclamare, quæ quidem damnata est etiam in Synodo Gangrensi, in qua sunt utilia & pia decreta contra Marcionis sectam facta, in quibus et hoc est: Si quis discernit Presbyterũ coniugatum, quasi propter nuptias offerre nõ debeat, & ab eius oblatione ideo abstinet, anathema sit. Etsi autem quærunt aduersarij cauillationes ad hoc decretum eludendum, tamen certum est, hanc esse sententiam, Coniugium presbyteri nihil differre à coniugio aliorum, & id uitæ genus Deo placere. Cùm igitur certum sit, ex testimonijs scripturæ & ueteris Ecclesiæ, ordinem non pugnare cum coniugio, sententiæ generales dictæ de omnibus uiris, etiam ad sacerdotes pertinebunt. Accedunt igitur reliqua testimonia.

Sententiæ generales de coniugio pertinent etiam ad sacerdotes.

SECVNDVM TESTIMONIVM.

II. Argumentum à causa finali.

Vniuersale mandatum est uitandæ scortationis causa ducendas esse uxores.

VItandæ scortationis causa, unusquisq; uxorem suam habeat. Hæc sententia præcipit omnibus uti coniugio, qui non sunt ad cœlibatum idonei, ac sine ulla dubitatione pertinet non ad solos Laicos, sed etiam ad Sacerdotes. Est enim uniuersale mandatum: Vnusquisq; uxorem habeat uitandæ scortationis causa. Nec ulli ab hoc mandato sunt excepti, præter illos quos Deus excipit, uidelicet, qui aut nâtura sunt emasculati, aut præditi singulari dono, ut purè etiam sine coniuge uiuere possint: tantùm hi sunt excepti à regula, de cæteris omnibus ualet dictum Christi: Non omnes capiunt hunc sermonem. Natura enim hominum ita condita est: ut sit fœcunda, sicut in Genesi scriptum est: Masculum & fœminam creauit eos, id est, indidit utrique sexui mutuam coniunctionis appetitionem, quæ quidem in natura integra fuisset sine uicio. Nunc non est sublata naturalis inclinatio, sed uagatur sine ordine, eoq; magis opus est coniugio, ut coherceatur, sicut omnes doctores scribunt, coniugio post lapsum primorum parentum non tantùm procreationis causa utendum esse, sed etiam ut sit remedium errantium appetitionum. Manet inclinatio ad sexum, quæ est σορχὴ φυσικὴ à Deo indita naturæ hominum, sed nunc sine ordine uagatur. Cùm igitur eò magis opus sit coniugio, dixit Paulus:

Manet naturalis inclinatio ad sexum, sed uagatur sine ordine.

Vitandæ

Vitandæ ſcortationis cauſa, unuſquiſq; uxorem ſuam habeat. Nec leuem ſententiam putemus adiectam eſſe ad præceptum in Geneſi, ubi de benedictione, de procreatione dicitur: Hic additur doctrina de remedio, ut magis intelligatur neceſſarium eſſe coniugium. Quid contra hæc dici poteſt? An obſcurum eſt, qualis ſit natura hominum, quanta infirmitas, quàm pauci prædíti ſint dono continentiæ? Quàm multæ leguntur & audiuntur querelæ bonorum, qui cùm conati ſint purè in cœlibatu uiuere, tamen ſenſerunt ſe id nequaquam aſſequi poſſe. Repugnant enim duæ res maximæ: Primum, ipſa naturæ inclinatio, deinde, infirmitas quæ acceſsit. Sed reclamant aduerſarij, & domari naturam iubent inedia, laboribus, & alijs uexationibus, ut extinguantur libidinum incendia. Cur ipſi non domant? Multi boni fatentur, ſe infeliciter hoc conatos eſſe. Non enim ſine graui cauſa dictum eſt à Paulo: Melius eſt nubere, quàm uri. Niſi adſit ſingulare donum naturæ corporum, etiamſi inedia aut laboribus duriter uexentur, tamen, ut ita dicam, interdum exundant. Hæc Paulus docet uitanda eſſe.

TERTIVM ARGVMENTVM.

III. Argumentum, prohibitio coniugij eſt doctrina dæmoniorum.

STabilire doctrinas dæmoniorum eſt impietas. Prohibitio coniugij eſt doctrina dæmoniorum: Ergo ſtabilire ac defendere eam, eſt impietas. Paulus enim in priore ad Timotheum apertè uocat prohibitionem coniugij doctrinam dæmoniorum. Nec leue malum ſignificat Paulus, cùm nominat doctrinas dæmoniorum. Hæ fanaticæ prohibitiones multa ingentia mala pariunt, ut res oſtendit. Infinita multitudo contaminata libidinibus, ruit in æternum exitium, propterea quia non licuit uti coniugio. Et ocium ac opes auxerunt luxum, qui multa uicia complectitur, ambitionem, ingluuiem, & libidines. Non ſtupris, non adulterijs contenti ſunt Pontifices, Cardinales, & Monachi, ſed accedunt teterrima flagitia, propter quæ Deus ſæpe totas urbes ſubitò deleuit, ut Sodoma, Sybarin, Athenas, Spartam, Thebas, Romam, & alias multas. Nunc prohibitio coniugij non tantùm hæc uicia parit, luxum, libidines omnis generis, ſed etiam crudeliſsima parricidia. Nam propter hanc legem pij interficiuntur, qui ducunt uxores. Tanta ſeges malorum cùm ex una lege oriatur, ſatis apparet Paulum non exiguam rem ſignificaſſe, cùm nominat doctrinas dæmoniorum. Atq; hæc prohibitio ſtatim poſt Apoſtolica tempora concutere Eccleſias cœpit. Montanus & Marcion, ut ſe uenditarent ſimulatione maioris puritatis, prohibuerunt ac damnarunt coniugium. Ac narrat horum Epiphanius horrenda flagitia, deq; ipſo dogmatis autore Marcione ſcribit, eum exceptum hoſpitio à quodam Diacono in Cypro, abduxiſſe ab hoſpite uxorem ipſius, deceptam ſpecie nouæ religionis. Sed cùm abductam ſtupraſſet Marcion, miſera mulier aliquantò pòſt ad maritum redijt, deplorans ſuum erratum, & ueniam petiuit. Hanc mulierem ait multis poſtea monitricem fuiſſe, ne amplecterentur Marcionis dogmata, cùm narraret, alias multas mulieres in eo ſodalitio, etſi ſimulabant continentiam, tamen promiſcuè obnoxias eſſe libidini fanaticorum Doctorum. Hęc fuerunt initia legis de cœlibatu. Poſtea ſecuti ſunt ἐγκρατῆται. Ab horum exemplo Monachi orti ſunt: Et ne uiderentur inferiores Sacerdotes iſtis, cœperunt hi quoq; partè ſuperſtitionis imitari. In Synodo Nicena quidam uoluerunt decretum fieri, ut hi qui habebant uxores, electi ad munus Eccleſiaſticum, poſtea à conſuetudine uxorum abſtinerent.

Quid ſignificet Paulus uocans prohibitionem coniugij doctrinam dæmoniorum.

Montani & Marcionis flagitia apud Epiphanium.

ἐγκρατῆται Monachi.

rent. Quanquam autem tunc repudiata est hęc impietas, tamen aliquantō pōst hæc tyrannis peruasit in Ecclesias in Occidente, ut postea dicam. Hæc erant semina tyrannidis Antichristi, cuius & hanc legem propriam fore prædixit Daniel, qui ait: illum impium Regem dominaturum in Ecclesia, nec Deum, nec mulieres creaturum, sed fœdis & incestis libidinibus contaminaturum esse Ecclesiam. Quid hoc aliud est, quām digito mōstrare Romanos Pontifices? Horum tantorum scelerum quæ significat Paulus & Daniel, societate contaminantur, qui defendunt legē de cœlibatu, stabiliunt doctrinas dęmoniorum, approbant regnū Antichristi, confirmant fœdas libidines, & multas alias pestes. Ideo pietas est, non defendere, non adprobare, sed prorsus illam perniciosam legem abolere, & reddere Ecclesijs piū usum coniugij diuinitus institutū.

Danielis uaticinium de impio rege qui esset futurus ośor mulierū.

QVARTVM ARGVMENTVM.

IIII. Argumentum ab exemplis primæ & purioris Ecclesiæ.

HActenus recensui testimonia ex scripturis, nunc adijciam exempla primæ & purioris Ecclesiæ. Nihil dubium est, Apostolorum tempore & diu post, in Græca & Latina Ecclesia fuisse Sacerdotes maritos. Apud Eusebium lib. 5. Ecclesiasticæ historiæ fit mentio Polycratis Episcopi Ephesij, qui ait se ortum ab Episcopis, hęc enim sunt uerba: Sed & ego omnium uestrum minimus Polycrates, traditionem parentum meorum obseruo, septem namq; ex parentibus meis per ordinem fuerunt Episcopi, ego octauus, qui omnes ita obscuraverunt hunc diem. Habuit & Latina Ecclesia maritos Sacerdotes longo tempore, ut Syricij historia testatur, qui primus diuellere coniugia Sacerdotum in Hispania conatus est, etsi Sacerdotes Hispani parere decreto Syricij recusarunt, & patronum habuerunt suæ causæ Episcopum Tarraconensem, qui respondens Romano Episcopo, citat dicta Euangelij, quæ uetant dissolui connubia. Sed rescripsit Syricius adeo arroganter ac stolidē, ut mirum sit tantam tūc in Ecclesia inscitiam, audaciam, impietatem, & tyrannidem fuisse. Vituperat honestos maritos, & contumeliosē uocat libidinum defensores. Insulsæ detorquet & dictum Pauli contra coniugium: Si secundum carnem uixeritis, moriemini. Si tanta erat inscitia, ut arbitraretur hoc dicto uituperari coniugium, multō dignior fuit Syricius, qui remos in naui agitaret, quām qui ad gubernaculum in Ecclesia Christi sederet. Sed si sciens ita lusit, impudentia multō magis fuit digna odio, quām inscitia. Viuere secundum carnem, est ruere contra mandata Dei, non significat uti coniugio, cibo, potu, iuxta mandata Dei. Postea Gregorius sacerdotum coniugia distraxit in Sicilia, ac paulatim uetus consuetudo abolita est. In Germania serō, etiam reclamante Episcopo Augustano, ut apparet, graui uiro Vlrico, impositum est onus cœlibatus nostris Sacerdotibus. Deinde Moguntiæ cūm decretum Hildebrandi teterrimi monstri proponeretur de cœlibatu, tanto tumultu repudiatum est iniustum & turpe edictum, ut penē manus iniectæ fuerint Episcopo Moguntino & Curiensi, qui legatus erat Hildebrandi, etsi Moguntinus fuit æquior, qui promisit se daturum operam, ut Hildebrandum de sententia deduceret. Multa alia testimonia extant, quæ ostendunt admodum recentem esse hanc legem de cœlibatu, quæ nunc ab aduersarijs plusquam Neroniana crudelitate defenditur. Quanquam autem res nota sit, tamen hæc recensui, ut ipsa exempla commonefaciant lectores, coniugium non pugnare cum ordine, ut aliqui somniant, & nos

Polycrates Episcopus Ephesi.

Syricius Romanus primus ausus est diuellere coniugia.

Gregorius Magnus distraxit coniugia Sacerdotū in Sicilia.

Hildebrandus qui & Gregorius Septimus

& nos non esse autores noui exempli in Ecclesia, sed ueterem & piam consuetudinem reuocare.

QVINTVM ARGVMENTVM.

NAturalia uerè sunt immutabilia, nec prohiberi legibus humanis possunt, ut appetitio & usus cibi ac potus. Appetitio maris ad fœminam est iuris naturalis: Ergo non est humanis legibus prohibenda. *V. Argumentum ab inclinatione naturali.*

Minorem ostendunt dicta in Genesi: Creauit Deus masculum & fœminam. Quibus uidelicet indidit mutuam coniunctionis appetitionem, quæ, ut suprà dixi, in natura integra etiam fuisset, & fuisset ordinata. Nunc inclinatio illa non sublata est, sed, ut dixi, uagatur sine ordine, ideo magis opus est coniugio. Pugnant igitur cum natura, qui prohibent legitimã coniunctionem maris & fœminæ, ut si prohiberent honorem præstari parentibus, aut alia, quæ diuinitus ordinata sunt in hominum natura. Neq; enim excepti sunt ab hoc iure naturæ ulli, præter eos quos Deus excepit, iuxta dictum Christi, uidelicet, qui aut natura eunuchi sunt, aut habent singulare donum. Testatur autem Christus id donum non contingere multis, ut euentus ostendit. Et iudicare quisq; facilè potest, quid uelit Paulus inquiens: Melius est nubere, quàm uri. Cùm igitur ius diuinum & naturale præcipiant uti coniugio omnibus, qui nõ sunt ad cœlibatum idonei, & consuetudo primæ Ecclesiæ testetur, Sacerdotes fuisse maritos, satis liquet, legem de cœlibatu iniustam & abolendam esse, & sacerdotes qui ducunt uxores, rectè & piè facere. Sed quia hanc uerissimam sententiam quidam ineptis cauillationibus labefactare conantur, has breuiter diluemus.

CONFVTATIO.

PRæcipua cauillatio est de uoto. Etsi propter opes & splendorem sacerdotum defenditur cœlibatus, tamen uotum prætexitur. Multi fatentur, Sacerdotes, si uoto non impedirentur, posse uxores ducere, Sed quia uotum accessit, arcent eos à coniugio. Sed hæc obiectio multis firmissimis causis refutari potest. Ac priusquam ad refutationem accedo, hoc postulo ab istis, qui uotum alllegant: Si tantum uoto impeditur coniugium, cur non abolent Episcopi morem uouendi, cùm uideant inde tantũm oriri scelerum? cùm uideant Ecclesiam adeo deformatam esse spurcissimis moribus plurimorum? Nec dubium est, singulos Episcopos hanc uouendi consuetudinem in sua diœcesi & posse & debere abrogare. Deinde, hæc tota consuetudo uouendi prorsus dissentit à natura uoti, & plena est ambiguitatum, Vt Hypocrisis est flexiloqua & ambages habet plurimas. Primum, etiamsi uouent, tamen omnes qui accedunt ad hunc gradum, mallent non uouere, dolent uitæ genus oneratum esse hac seruitute. Porrõ, Non est uotum, quod non est uoluntarium. Temporibus hæc recepta sunt, & confirmata exemplis multorum & potentum. Hæc reliquum uulgus, ut solet fieri, imitatur. Sed res ipsa dissentit à natura uoti. Omnes enim sani mallent sibi concedi coniugium. Sed uideamus ambigua. Scio diuersis modis proponi obligationem. Alij dicunt hæc uerba: Promitto castitatem, quatenus humana fragilitas permittit. Hi certè non promittunt se non usuros esse coniugio. Nam conditio non cõcedit scortationem. Alij dicunt hęc uerba: Promitto me obtemperaturum esse Canonibus. Et hæc est forma uerborum in ue- *De uoto quod prætexitur Cœlibatui.* *Diuersitas obligationum in uoto.*

tuſtioribus Eccleſijs. Vide autem Lector, quæ hic ſit ambiguitas. Canones diuerſi ſunt, Veteres non prorſus adimebant coniugium Paſtoribus Eccleſiarũ aut Diaconis, ſed ſi quis ducebat uxorem, remouebant à miniſterio, Hæc miſſio tunc beneficij loco eſſe poterat, cũm non erat ocium ſacerdotibus, quale nunc eſt in collegijs, ſed Paſtores in acie ſtabant, & maximis periculis gubernationis & confeſsionis exercebantur. Poſtea Canones tyrannici conditi ſunt, ſine autoritate Synodorum, loquentes de perpetuo cœlibatu. Sed quo quo modo hæc uerba accipiuntur: Promitto obedientiam Canonibus, conſtat erudita & uera interpretatione, tantũm lege, non uoto prohiberi coniugium, ſicut lege adiguntur ad alias multas ceremonias in Canonibus traditas. Eſtq; nota ſententia talium promiſsionum, cũm pollicemur nos legibus obtemperaturos eſſe. Obligamus enim nos ad pœnam ſubeundam. At nulli Canones pœnam capitalem irrogant: Imõ crudelitas eſt indigniſsima Eccleſia, afficere capitali ſupplicio hominem propter coniugium. Sed omitto has tenues excuſationes, quæ etiamſi ualent, tamen conſcientiæ flagitant grauiorem & firmiorem doctrinam.

Lege Pontificia non uoto prohibetur coniugium.

Exaggerent igitur uotum quantum uolent, tamen opponenda eſt hæc ſententia, quæ labefactari nullo modo poteſt. Omnia impia uota, & facta contra mandata Dei, ſunt irrita. Votum cœlibatus eſt impium, & factum contra mandatum Dei, Quare eſt irritum.

Vota impia ſunt irrita.

Hęc ratio nulla cauillatione eludi poteſt, & uerè liberat pias mentes ſuperſtitione huius uoti. Cõſtat enim uota facta contra mandata Dei, irrita eſſe. Non enim colitur Deus ijs factis, quæ prohibet, ut inquit Pſalmus: Non Deus uolens impietatem tu es. Quoties clamitant Canones, in promiſsis, quæ ſine peccato præſtari non poſſunt, pacta reſcindenda eſſe? Pugnat autem hoc uotum cum mandatis diuinis, & iure naturæ, ut ſuprà dictum eſt. Deus præcipit his, qui non ſunt idonei ad cœlibatum, ut coniugio utantur, idem ſancit ius naturæ. Non poteſt autem uoto tolli aut lex diuina, aut ius naturæ, ut ſi quis promittat ſe non affecturum honore parentes.

Prima cauſa cur uotum Cœlibatus ſit irritum.

Eſt & alia cauſa, cur hoc uotum ſit impium, quæ eſt quidem firmiſsima, ſed rudes doctrinæ Chriſtianæ non ſatis eam intelligunt, Superſtitioſi cultus non placent Deo, iuxta illud: Fruſtra colunt me mandatis hominum. Item: Non Deus uolens impietatem tu es. Hoc uotum eſt ſuperſtitioſus cultus, & multos errores complectitur: Ideo non placet Deo. Nam tota res ex ſuperſtitione orta eſt illorũ, qui non intelligebant iuſticiam fidei, nec norant hæc œconomica & politica officia conſecrata uerbo Dei, eſſe bona opera & Deo placentia, in quibus Deus uult nos iuxta uerbum ſuum ſeruire, exercere fidem, & dilectionem, nec excogitare nouos cultus, quos ipſe nobis non propoſuit. Fingunt igitur cœlibatum eſſe opus excellens, propter quod Deus fiat placatior hominibus, Arcent coniuges à Deo, tanquam immundos, hoc eſt, non placentes Deo, aut certè implicitos uitæ generi multò periculoſiori, quod uix poſsit placere Deo, ſicut conſtat, multos de coniugalibus officijs dubitaſſe, an Deo placeant. Hæ ſuperſtitioſæ opiniones non exiguas tenebras induxerunt doctrinæ de iuſticia fidei, & de ueris Dei cultibus. Conſtat autem ex ipſis Canonibus uota hoc errore flagitari & prædicari. Canon, Propoſuiſti. diſtin. 82. diſertè allegat hãc cauſam: Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Quod dicemus eſſe falſi crimen, ſi hoc non eſt? Flagitioſè enim detorquet Papa dictum

Altera cauſa quare uotum Cœlibatus ſit irritum.

Superſtitioſæ opiniones de Cœlibatu cauſa magnarum tenebrarum.

ctum Pauli ad prohibitionem coniugij, cùm longè aliud uelit Paulus: Hic ludus nequaquam in Ecclesia tolerandus est. Ac mirum est, tot seculis homines doctos, qui Canones legerunt, tulisse has coniugij contumelias. Alius Canon, Decernimus, allegat causam prohibiti coniugij, quia non deceat sacerdotes seruire cubilibus & immunditijs.

Hæc impiè dicta reprehendi in Ecclesia necesse est, & hac persuasione facta uota haud dubiè sunt irrita. Coniugium enim est munditia, hoc est genus uitæ Deo placens, sicut testatur Paulus, inquiens: Saluatur mulier per filiorũ generationem. Laudat officium coniugale. Nam ueri cultus Dei sunt opera, quæ ab ipso nobis præcepta sunt, quæ fiunt prælucente ipsius uerbo. Hæc doctrina in Ecclesia multis de causis necessaria est. Cùm enim cultus excogitamus nostro arbitrio, discedit ā uerbo Dei, uera noticia Dei amittitur, ac firma consolatio in ueris agonibus excutitur.

Coniugium est uitæ genus Deo placens.

Vbicũq; igitur damnant Prophetę ἐθελοθρησκείας, reuocant nos ad opera præcepta diuinitus. In his luceat fides, quæ petat gubernari pericula, exitus: In his exerceantur dilectio & cæteræ uirtutes. Porrò, ut mundities uerè significat hanc obedientiam Deo placentem, ut dixi, ita immunda opera sunt, non solũ scortationes, sed etiam omnes superstitiosi cultus non mandati ā Deo. Quare coniugalia officia uerè sunt mundities, ut rectè dixit Paphnutius, castitatem esse consuetudinem coniugalem.

Cœlibatus immundities est & propter turpitudinem multorum & propter superstitionem.

Econtrà uerò cœlibatus non eò tantùm est immundities, quia pauciſſimi sine turpitudine sunt cœlibes, sed etiam ob hanc causam, quia est superstitiosus cultus.

Cur igitur laudat Paulus ad Corinthios uirginitatem? Laudat in his qui sunt idonei, & qui propter hunc finem id uitæ genus amplectuntur, ut expeditiores sint ad docendum, ad seruiendum Ecclesijs: Non sic laudat quod id opus magis gratiam mereri iudicet. Hunc errorem pugnantem cum iusticia fidei maximè execratur. Non negamus differre genera uitæ: Antecellit gubernator ciuitatis nautæ, sed non magis meretur gratiam gubernatio ciuitatis, quàm ars nautica. Et fieri potest, ut nauta uerius colat Deum, quàm gubernator ciuitatis. Non igitur differunt hi gradus, quod ad uitam spiritualem, seu quod ad gratiam attinet, etsi inter sese collati in uita externa alij alijs antecellunt, uult enim Deus esse ordinem functionum.

Cur Paulus laudet uirginitatem.

Hactenus de uoto dixi, quantum in hoc loco opus est, quod ualde exaggerant quidam, non quòd sic sentiant, sed ut qualicunq; prætextu retineant morem ipsis utilem. Reuera lege humana, non uoto prohibetur coniugium. Et ut accederet uotum, certissimum est uota irrita esse, quæ fiunt contra mandata Dei, quæ sine peccato non possunt præstari. Cur ad hanc excusationem grauissimam & uerissimam, surdas aures habent isti asperi atq; immites cœlibatus defensores, cùm palàm uideant, quantum scelerum oriatur ex hac coniugij prohibitione? Si arbitrantur Deum offendi libidinibus, cur non iubent Episcopos abolere uotum? cur laqueum scientes injiciũt his, qui ad Ecclesiasticas functiones adhibentur?

Lege humana non uoto prohibetur coniugium.

Nec peto in hac causa aliud, nisi ut iudex animum adferat æquum, cupientem consulere conscientijs piorum, amantem ueritatis, abhorrentem ā monstrosis libidinibus, quę parit cœlibatus, cogitantem uerè Deum irasci uulgari scortationi & adulterijs, sicut inquit textus: Scortatores & adulteros

iudicabit Deus. Si quis autem propter opes et splendorem sacerdotum decreuit omnino defendere cœlibatum, quid cum illo disputemus, qui causam non ueritate, sed utilitate metitur? Et callidis ingenijs non difficile est excogitare præstigias aliquas, ad eludendam quamuis perspicuam ueritatem. Sed ã iudicijs controuersiarum Ecclesiæ, remouenda est Sophistice, quam odisse omnes pios & graues uiros ex animo decet.

SECVNDA OBIECTIO.

IN Lege abstinebant Sacerdotes à consuetudine coniugum, certo tempore, dum obibant suas functiones. Nunc Sacerdotes semper esse parati ad ministeria sua debent: Ergo semper abstinere debent. Sic est, Non desunt cauillationes ijs, qui ueritatem non amant. Vtitur hoc argumento Papa in distin. 82. Sed si uolunt exemplum Legis sequi, cur in totum prohibent coniugium? Lex exiguo tempore consuetudinem coniugum interdixit. Quis est autem quem non ipsa negocia interdum domo abducant? Nec propterea in totum prohibendum est coniugium. Et Sophisticum est quod addit Papa, Cũm sacerdotes semper debeant esse parati ad ministeria, semper abstineant. Concedit interualla officium publicum, & pij sciunt, ubi consuetudo coniugalis moderanda sit, Deinde, non sunt onerandæ conscientiæ ritibus Mosaicis. Quare non est immundities, hoc est, res displicens Deo, coniugale officium, sicut Paulus inquit: Omnia munda mundis. Canones quadam κακοζηλίᾳ & inerudita imitatione Mosaicarum ceremoniarum cumulauerunt superstitiones in Ecclesia. Eamq; κακοζηλίαν reprehendi necesse est, sicut & Paulus ad Galatas eam duriter taxat: Discamus fide in Christum nos sanctificare, & in bonis operibus obedientiam uerbo Dei ordinatam & approbatam magnifaciamus, meminerimus Deum uelle nos uerbo suo gubernari, non eligere quamuis speciosa opera nostro iudicio sine uerbo Dei. Nec dicam prolixius de hac obiectione. Breuiter enim ad Maiorem respondendum est, In Lege Sacerdotibus coniugium concedi: Ergo nec nostris prohibendum est. Interualla moderabuntur homines pij pro negocijs. Nec propter hanc causam injiciendi sunt laquei conscientijs, nec prorsus adimendum coniugium.

Responsio de lege prohibente consuetudinem coniugalem ad certũ tempus.

Eodem modo diluendæ sunt & multæ aliæ obiectiones. Quidam aiunt, Sacramenta non contrectanda esse ab immundis. Iam si Sacerdotes essent mariti, sæpe contrectarent sacramenta post coniugalem consuetudinem. Respondeo, ut iam dictum est: Scortatio est immundities, & uerẽ displicet Deo. At coniungalis consuetudo non est immundities, sed opus ordinatum & approbatum uerbo Dei, placens Deo. Et tamen pij moderari usum pro tempore norunt: Et negocia ipsa excutiunt bonis uiris domesticas cogitationes.

Quod sacerdotes coniuges non sint immundi.

Idem respondeo de dicto Esaiæ: Mundamini qui fertis uasa Domini. Propheta de uera munditie hic loquitur, id est, de uniuersa obedientia, quam Deus approbat. Qui gestant uasa Dei, id est, qui docent Euangelium, qui regunt Ecclesias, habeant mentes non pollutas scortatione, & alijs sceleribus, sed agant pœnitentiam, Deo obediant, ut locupletentur donis spiritualibus, timore, fide, constantia, & cæteris uirtutibus: Mundities enim significat uniuersalem obedientiam, cũm Prophetæ loquuntur de uera, non de ceremoniali mun-

Dictũ Esaiæ, Mundamini qui fertis uasa Domini.

li mundítia. Deniq; hæc ipſa uox: Mundamini, qui fertis uaſa Domini, iubet ut ſacerdotes agant pœnitentiam, fiant mundi mariti, nec ſe polluant deinceps ſcortatione, adulteríjs, & alíjs flagitíjs. Quis autem non doleat conniuere Pontifices & Principes ad uagas libidines ſacerdotum, interea uerō duriſſimè aduerſari honeſto coniugio? cùm ſit ſocietas uitæ pulcerrima, inſtituta diuinitus, Deo placens, ornata ingentibus miraculis à Deo.

Quantis miraculis ornatum ſit coniugium à Deo.

Primùm enim præſentia Dei maximè conſpicitur in generatione, formatione fœtus, in edendo partu. Hæc mira opera uoluit Deus teſtimonia eſſe, quæ nos commonefaciant, ut ſtatuamus, nos non caſu oriri, ſed Deum autorem, & conſeruatorem eſſe generis humani, idq; beneficium agnoſci, prædicari, celebrari uult in hac ſocietate, tanquam in choro. Ideo enim homines ad ſocietatem conditi ſunt, ut alíj alios de Deo & eius uoluntate doceant. Nec minus lucet eius bonitas in nutritione, Lac gignit in maternis uberibus, ad alendos infantes, coniugibus fœcundat agros, & miro modo genus humanum alit. Addit & piorum Angelorum excubias, ut defendant parentes & liberos conflictantes uaríjs ærumnis. Sunt & pueri maxima pars Eccleſiæ, ſicut inquit Chriſtus: Talium eſt regnum cœlorum.

Coniugalis amor imago amoris Chriſti erga Eccleſiam.

Quanta laus eſt coniugíj, quod Paulus inquit, Imaginem eſſe amoris, quo Chriſtus complectitur Eccleſiam? Vt ſponſus habet ueras flammas, & ardet uero amore ſponſæ, lætatur eius conſuetudine, complexu, incolumitate, nullum detrectat periculum, ut eam defendat & propugnet: Sic Filius Dei uerè ardet amore Eccleſiæ ſuæ, delectatur eius officíjs, eamq; uicíſsim complectitur, uult eam incolumem eſſe, ornat ampliſsimis muneribus, mortem pro ea oppetit. Fuiſſet hæc σοφγὴ in natura integra ardentior, ſed purior, & Deum intuens, prædicaſſet ipſius beneficia: Nunc non prorſus extincta eſt, & pij regere eam fide debent. Quos quidem domeſtica conſuetudo ac ſuauitas admonere debet de amore Filíj Dei erga Eccleſiam, & incendere uicíſsim ut ipſum amemus, eiq; gratias agamus, quòd aboleuit peccatum, quòd propter ipſum hæc ipſa generatio ſit mundū opus. Quoties coniugem piam pius maritus complectitur, quoties intuetur liberos, parentes, ueniat in mentem amoris Chriſti erga Eccleſiam. Cùm ſic affectę ſunt mentes, & Dei beneficia agnoſcunt ac prędicant, coniugalia officia fiunt bona opera, Deo grata, & ut Paulus inquit, honore digna. Non enim leue præconium eſt, quòd Paulus iubet coniugium honore affici, uult agnoſci ordinationem Dei, hominum procreationem, nutritionem, defenſionem, & cætera beneficia, & propter hæc amari & laudari hoc uitæ genus, & Deum autorem celebrari.

Deus non uult ſexum à ſexu deſpici.

Ac ut magis intelligi poſsit, coniugiū eſſe piam & Deo placentem coniunctionem, ualde prodeſt diligenter conſiderari & hanc rationem: Deus uult ſexum ſexui curæ eſſe, uetat ſexum ā ſexu deſpici ac negligi, ideo dicit: Faciamus ei adiutorium ſimile ipſi. Eſt igitur pium officium, curare alteram generis humani partem, & hoc animo ducere & amare coniugem. Naturæ deprauatio eſt, negligere alterum ſexum, deſpicere uerō & contumelia afficere, ſuperbia eſt propriè ā Diabolo orta. Id autem uicium admodum uulgare eſt: Quidam putant ſe magis maſculos eſſe, ſi ſuperbē deſpiciant mulieres, ſi audacter conuicia dicant huic ſexui, qualia extant multa in poëmatis. Et collegit magnum aceruum Hieronymus contra Iouinianum. Sic fortaſſe conſueuerat in declamationibus multa ſine delectu congerere: Sed Chriſtiano Doctore hęc

oratio

oratio nequaquam conueniebat. Opus Dei honore dignum est, sexus suam laudem habet, qui etiamsi suam habet infirmitatem, propter generis humani lapsum, tamen nõ minor imbecillitas animi & consilij est in uiris, in his negocijs quæ uiris Deus iniunxit.

Aliquantò plures sunt bonę matresfamilias, quàm boni patresfamilias, & multæ melius educant & regunt paruos pueros, quàm uiri Respublicas, Iam in religione quantum decus est mulierum, quanta fidei constantia, quanta magnitudo animi in adeundis & perferendis supplicijs, ut historię Martyrum testantur. Hæ laudes cogitandæ sunt pijs & honestis ingenijs, & opponendæ scurrilibus & impijs conuicijs huius sexus, & assuefaciendus animus, ut sexum ueneretur, ac sciat furorem esse à Diabolo ortum, superbiam despicientem alteram generis humani partem.

Hostes coniugij execrandi sunt.

Quare execrandi sunt Hypocritæ, Pontifices, Cardinales, Episcopi, Monachi, qui cùm suis libidinibus polluant totam rerum naturam, genus uitæ diuinitus institutum, indignissimis contumelijs onerant, improbant edictis, legibus, tanquam tetrum facinus, afficiunt capitali supplicio homines honestos ac pios, propter honestum coniugium, perinde ac si scelus atrocissimum punirent. Hæc immanitas & sæuitia propria est regni Antichristi, quod Romæ ortum, grassatur in omnibus regionibus Christiani nominis, ubicunq; impiæ leges Pontificum Romanorum dominantur. Quę cùm coniugium uocant immunditiem, meminerimus hæc uirulenta conuicia à Diabolo oriri, sicut Paulus inquit, Prohibitionem coniugij esse doctrinam dæmoniorum. Hos igitur Canones cùm sciamus esse doctrinas dæmoniorum, deleri prorsus oportuit, prohiberi uagas libidines, & reddi coniugium sacerdotibus, ut castè uiuere possint, & bona conscientia Deum inuocare, & fungi munere omnium summo & difficilimo, explicatione doctrinæ & gubernatione Ecclesiæ. Rectè enim Paphnutius, qui ait, coniugum consuetudinem esse castitatem.

Sæuitia in coniuges propria est Antichristi.

TERTIA OBIECTIO.

An post ordinationem sacerdotes possint ducere.

FAtentur quidam eligi posse maritos ad munus sacerdotum, sed cœlibes electos negant post ordinationem posse ducere uxores. Scio hoc obijci nostris, sed est futilis & inanis cauillatio. Nihil enim ex Apostolicis literis proferri potest ad eam confirmandam. Et refutari clarè ueterum Synodorum sententijs potest. Distin. 28. in cap. Diaconi, inquit Synodus Ancyrana, Diaconos cœlibes, si postea euecti ad gradum superiorem ducant uxores, concedendum esse, nisi uotum fecerint se non ducturos uxores. Tunc enim liberum erat cuilibet, facere aut non facere uotum. Concedit ergo Synodus ordinatis ducere uxores. Et hic mos hodie manet in Græca Ecclesia. Ducunt uxores Presbyteri etiam post ordinationem. Idq; fatetur dictum Dist. 31. ubi legitur: Orientales in sacris ordinibus copulantur, ubi Glossa ridiculam interpretationem affingit, Copulantur, id est, copulato utuntur. Sed non est inusitata hæc sophistica in illorum glosis.

Prohibitio coniugij post ordinationem orta est à Romana Tyrannide.

Vnde igitur hæc persuasio orta est, ut post ordinationem nolint concedere coniugium? Romana Tyrannis est, quæ ut post ordinationem diuulsit coniugia uetera, ita non concesit noua: Deinde etiam pariter omnes adegit ad uouendum. Scio ab aduersarijs, qui literis Iuris pontificij utcunq; imbuti sunt,

sunt, cũm historias nullas norint, sæpe hoc dictum iactari: Posse eligi maritos sacerdotes, sed non posse concedi, ut electi cœlibes post ordinationem ducant uxorem. Sed si quæras firmam autoritatem huius dicti, nihil ex sacris literis proferri potest. Et contraria exempla uetera & recentia græcæ Ecclesiæ opponi possunt. Non igitur deterreri nos à ueritate sinamus inani cauillatione, quæ non aliunde nisi ex iniusto more Romanorum pontificum orta est.

An digamia sit concessa sacerdotibus.

Quærunt etiam aduersarij de digamis, ut uocant, An si sacerdoti coniũx mortua fuerit, concedamus ut ducat aliam? concedimus. Nemini enim idoneo prohibendum est coniugium, ut Paulus inquit ad Corinth. de uiduis: Si non continent, contrahant coniugia. Et alibi: Volo iuniores nubere. Ab his regulis non discedendum est. Nec uetus Ecclesia Græca prohibuit, quõ minus sacerdos, mortua uxore, aliam duceret, sed ducentem remouit à ministerio. Id non est necesse fieri, sed illa ætas quadam superstitione secundis nuptijs etiam Laicorũ fuit iniquior, ut ex Tertulliano in Laodicena Synodo apparet: Quare non est mirum duriorem fuisse sacerdotibus in hoc casu. Cur autem idoneũ ministrum ab officio remoueremus propter hanc causam, cùm scriptura Apostolica concedat ei secundas nuptias, ut dicta Pauli testantur, & coniugium sit genus uitæ pium ac laudatum? Quod enim dicitur ad Timotheum & ad Titum: Sit unius uxoris uir, uult Paulus honestum maritum esse contentum coniuge sua. Non prohibet, quõ minus priore mortua ducat aliam. Nam & is, qui secundam, priore mortua, ducit, est unius uxoris uir, si coniuge sua contentus est. Quæ esset impietas, propter superstitiosam traditionem idoneos Doctores remouere à functione, cum magna iactura Ecclesiarum? Multis enim omnino defuturi essent pastores his remotis, alicubi surrogarentur minus idonei. Longè autem anteferendum est ministerium Euangelij his traditionibus humanis non necessarijs.

QVARTA OBIECTIO.

CAuillatio est indigna refutatione, sed tamen recitanda. Reges possunt de rebus politicis suo iudicio decreta facere. Matrimoniũ est res politica: Ergo Regibus licet de eo decreta facere suo iudicio. Vt Rex potest tantùm cœlibes ministros in aulam admittere, sic uidetur posse constituere, ut tantùm cœlibes præsint Ecclesijs. Breuis responsio est, Maior neganda est: Reges enim nec de politicis rebus decreta suo iudicio qualiacunq; concedere possunt, sed debent iustas leges condere, & sequi iudicium Dei, uidelicet, ne condant leges pugnantes cum mandatis Dei. Politica res est forense iudicium, sed Regibus non licet leges condere, ut Iudex puniat innocentem, sine legitima cognitione. Habet suas metas Regum potentia, nec sumat sibi licentiã contra mandata Dei aliquid constituendi. Pertinent ad ipsos quoq; minæ cœlestes: Væ uobis qui scribitis leges iniquas. Nec exemplum de aulicis accommodandum est ad perpetuum cœlibatum: Iniusta lex & hæc esset, si Reges prohiberent, quò minus aulici ducerent uxores. Quorsum est opus disputatione de religione, de iusticia, si hoc quod in Tragœdia est, sequi uolunt:

Reges non possunt suis decretis abrogare coniugium sacerdotum.

Sanctitas, pietas, fides,
Priuata bona sunt, quà iuuat, Reges eant.

Nos non de aulicis utilitatibus hic disputamus, sed de uoluntate Dei, de emendandis

emendandis moribus Ecclesiæ, de sanandis piorum conscientijs, ut Deum inuocare & rectè colere possint. Nam mens sibi malè conscia, quæ habet propositum peccandi, qualis esse solet in scortatoribus & adulteris, non potest inuocare Deum, aut expectare à Deo auxilium, ut inquit Ioannes: Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum. Item, Peccatores Deus non exaudit. Debent igitur & Principes & Episcopi tollere iniustas leges, quæ sunt fontes scelerum, & auellunt mentes à Deo. Non existiment se leuiter offendere Deum, cùm iniusta uincula conscientijs injiciunt, sicut Christus inquit: Væ nobis qui claues tenetis, nec ipsi intratis in regnum cœlorum, & alios arcetis.

QVINTA OBIECTIO.

Paulus loquẽs de uiduis appetentibus cõiugium fidem non intelligit uotum.

PAulus uituperat uiduas, quæ electę ut seruirent Ecclesijs, ueteri Iudaico more, cùm de publico alerentur, postea appetebant nuptias. Hunc locum multi accommodant ad uotum, quia ibi dicuntur primam fidem irritam fecisse, quod interpretantur aliqui de uiolatione uoti. Non respondebo callidè: Prima fides non de uoto, sed de fide in Christum intelligenda est, ut aliquantò superius loquitur, Si qua suos, & maximè domesticos non curat, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Vituperat enim Paulus mulierculas illas, quòd cùm prius in egestate fuissent modestæ, & fideliter seruijssent, postea sumtu publico altæ, cœperint impudicè uiuere, & negligere officium: Propter hos malos mores, inquit, eas fidem primam irritam facere, hoc est, excutere fidem, qua antea placebant Deo; Nam uera fides excutitur, cùm conscientia polluitur.

Vota recentia Sacerdotum Monachorum coniũcta sunt cum impijs superstitionibus

Deinde si contendent de uoto hic dici, ipsi multò grauius accusandi sunt, quòd obligant uoto iuuenes, non senes, ut hic locus ætatis mentionem facit. Adhæc si qua fuissent primis temporibus uota publica, fuissent sine superstitione, obligassent se mulieres illæ ad seruiendum Ecclesiæ. At uota Sacerdotum & Monachorum recentia, fiunt cum impijs persuasionibus plurimis, sentiunt cœlibatum esse cultum singularem, quo Deus fiat placatior, quem Deus flagitet, ut dignè sacrificent. Ac sacrificium illud, seu applicatio Missæ, est abulus idolatricus & omnino fugiendus & abolendus. Quare uotum irritum est, quod fingit, cœlibatum esse cultum singularem, ut dixi, & fit propter idolatrica sacrificia. Hæc est firma ratio, quæ ostendit, sine ulla dubitatione hoc uotum irritum esse. Fugite Idolatriam, inquit Paulus. Id præceptum omnium summum est: Quare nec uota, nec ulla uincula ualent, ut contra id præceptum faciamus. Iurabant & Eleusinijs initiati, se ceremonias eius fœderis seruaturos esse: Sed id iusiurandum cùm contineret idolatriam, fuisse irritum facilè intelligi potest. Similiter de horribili Missę abusu & connexis ceremonijs iudicandum est: Nam adplicatio Missæ, non est exigua aut leuis prophanatio cœnæ Domini, ut suo loco dicetur. Sin autem uota fiunt uentris causa, hæc hypocrisis non minus detestanda est.

Postremò, cùm Paulus uocet prohibitionem coniugij doctrinam Daemoniorum, etiam hoc uinculum uoti, quo sine discrimine omnibus initiandis prohibetur coniugium, est ortum à Diabolo. Quare irritum uotum ducatur, præsertim cùm constet tam multa uicia inesse huic uoto. Non fit sponte, fit ut sit cultus singularis, fit ut sacrificent, aut fit uentris causa, & fit ab omnibus qui

qui initiantur, sine discrimine. Cùm igitur sit doctrina dæmoniorum, & irritum & detestandum est.

Hactenus collegi ea, quæ in hac causa sunt præcipua: Nunc obtestamur omnes gubernatores propter gloriam Dei, hæc duo ut pijs animis considerent, uidelicet, quod Paulus inquit, Prohibitionem coniugij esse doctrinam Dæmoniorum. Item, quod Daniel significat propriam Antichristi notam fore, coniugij contemtum. Multa autem hæ breues admonitiones complectuntur: Si oritur hæc superstitio à Diabolo, ac defenditur & propagatur ab Antichristo, necesse est eam trahere ingentem ruinam. Quanta in uniuersum corruptela morum est cœlibatus? Alia enim uicia ex alijs oriuntur. Maxima pars palàm inquinata est scortatione & adulterijs: Hęc efficiunt mentes prophanas & Epicureas, sicut Paulus ad Ephesios monet, libidines causam esse Epicurei contemtus Dei. Quis non detestetur, manifestam turpitudinem morum in collegijs Canonicorum in tota Europa? Et tamen hanc superant flagitiosę libidines urbis Romæ. Quanquam autem semper pauci aliqui fuerunt, qui repugnare imbecillitati naturæ conati sunt, tamen multorum conscientiæ grauiter lauciatæ sunt, & deplorarunt lapsus suos multi boni uiri. Iam hoc tempore cùm Antichristi regnum oppugnatur, accedunt parricidia, interficiuntur honesti Sacerdotes, propter pium coniugium. Nec uerò dubium est, hanc iniustam sæuitiam à Diabolo oriri, qui est homicida, & delectatur hoc spectaculo, sanctorum nece, & contumelijs diuini nominis. Quid quod hæc lex de cœlibatu neruus est etiam reliquæ impietatis Pontificiæ? Magna pars impiorum cultuum, & luxus Pontificum & Collegiorum rueret, restituto coniugio Sacerdotum. Ideo multa atrocia scelera stabiliunt Principes & Pontifices, qui cœlibatum defendunt, assentiuntur Diabolo autori impiæ doctrinæ, muniunt regnum Antichristi, augent libidines, adiuuant parricidia, confirmant & reliquam idolatriam regni Antichristi. A tantorum scelerum societate abhorrere omnes, qui Deum timent, oportet, & legem Pontificiam improbare ac detestari.

Pauli & Danielis testimonia contra prohibitionem coniugij.

Lex de cœlibatu neruus est impietatis Pontificiæ.

ϗ ϴϵϕ ϡόξα.

SCRIPTA QVÆDAM DE VSV INTEGRI SACRAMENTI ET MISSA THEATRICA.

DE POTESTATE PONTIFICIS ET EPISCOPORVM, ET ALIIS QVIBVSDAM controuersijs, collecta opera & studio Casparis Crucigeri Doctoris Theologiæ, partim anno 1540. in conuentu Smalcaldensi, partim anno sequenti in conuentu Ratisbonensi.

QVIDAM VOCIFERANTVR NOS DE RE NON NE-
ceſſaria litigare, cùm de hac ceremonia reſtituenda agimus, & queruntur fruſtra moueri certamina & diſsidia. Hi ſciant nos hic non de paruis rebus contendere, cùm de reſtitutione huius ceremoniæ agimus, ſimul docemus Eccleſias de uero uſu Sacramentorum, & de exercenda fide: Item, de ingentibus abuſibus Miſſæ. Poſtremo, illa Theſis hic continetur: An liceat hominibus mutare, ſeu abolere ritum à Chriſto inſtitutum. Ergo res magnas hic complectimur, dicimus de uſu Sacramentorum, de horribilibus abuſibus Miſſæ, & de potestate Eccleſiæ. Nam hæ ſunt cauſæ, cur aduerſarij reſtitui integrum uſum Sacramenti nolint. Primùm, quia Pontificum & Epiſcoporum autoritatem amplificant, his tribui uolunt poteſtatem mutandi res inſtitutas diuinitus, condendi nouos cultus, & noua dogmata. Vident item doctrinam ueram de uſu Sacramentorum pugnare cum abuſibus Miſſarum, hanc autem quoquo modo obruere conantur. Rogamus autem pios lectores, ut cogitent, quantum intereſt Eccleſiæ, extare explicatam doctrinam de uero uſu & utilitate Sacramentorum, de ueris exercitijs fidei, de poteſtate Eccleſiæ. Et aſſuefaciendæ ſunt piæ mentes, ut uerbo Dei, non humanis opinionibus regi fidem & opera curent, ut agentes cum Deo, nitantur certo uerbo Dei, ſicut inquit Dauid: Lucerna pedibus meis uerbum tuum.

Cur aduerſarij nolint reſtitui integrum uſum Sacramenti.

ACCEDAMVS IGITVR
ad hanc cauſam.

VT Dominus noſter Ieſus Chriſtus inquit: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare uobiſcum, cupiens uidelicet iam exhibere pignora ſui amoris erga nos, & futurus uictima pro nobis: ita nos ingenti deſiderio accipiamus oblatum beneficium, & huius beneficij Sacramentum. Vt autem reuerenter utamur Sacramento, uoce Chriſti obtemperemus, & diſcamus quomodo proſit pijs mentibus Sacramentum. Hæc augent ueram reuerentiam. Sunt autem nota uerba Euangelij de inſtitutione. Et mandatum addit Chriſtus: Hoc facite ad recordationem mei. Iubet nos idem facere quod fecit ipſe. Ergo dato pane & uino in cœna Domini, exhibentur corpus & ſanguis Domini.

Quomodo prodeſt conſcientijs uſus cœnæ Dominicæ.

Sic autem prodeſt conſcientijs, cùm agentes pœnitentiam credunt Chriſtum factum eſſe hoſtiam pro peccato, & accepto hoc pignore, fidem exuſcitant, ac credunt ſibi propter Chriſtum ignoſci, credunt ad ſe pertinere beneficia Chriſti, ſe conſolantur, & agunt gratias pro immenſo beneficio Dei, idq; celebrant in confeſsione, quæ quidem in tota uita lucere debet: Nam omnes actiones in uita, omnia certamina in gubernatione Reipub. & familiæ, debent eò referri, ut teſtentur nos rectè colere Deum, & agnoſcere ac accipere beneficia per filium Dei exhibita. De hoc exercitio fidei in uſu Sacramenti nihil dicunt Papiſtæ, imò abuſus Miſſarum prorſus obruit hanc doctrinam neceſſariam conſcientijs, Sed de fine Sacramenti dictum eſt in loco de Miſſa. Redeamus igitur ad ipſam ceremoniam, ac oſtendamus uſum integri Sacramenti reſtituendum eſſe.

CONFIRMATIONES.

Teſtamentum Chriſti mutare nemini licet.

CVm teſtamentum hominis nemo mutare debeat, multò minus teſtamentum Dei mutandum eſt, ut Paulus inquit ad Galatas. Cœna Domini eſt proprium

proprium noui testamenti Sacramentum, ut Christus inquit: Hic est calix noui testamenti: Ergo nemini licet aut licuit hanc ordinationem mutare, aut partem abolere.

Nihil firmi contra hoc argumentum dici potest: Constat enim Christum sic instituisse ritum, ut utantur omnes pij, Sacerdotes & Laici, utraq; parte Sacramenti, quia textus de calice nominatim dicit: Bibite ex hoc omnes. Addita est uniuersalis, ut sciamus nullum membrum Ecclesiæ excludi. Et Paulus diserte dicit: A Domino accepi, quod tradidi uobis. Iussit autem totam Ecclesiam integro Sacramento uti, ut tota narratio testatur: Probet seipsum homo, ut sic de hoc pane edat, & de hoc poculo bibat. Nec dubium est hunc fuisse morem Græcæ & Latinæ Ecclesiæ multis seculis, & indicia multa sunt, uix ante quadringentos annos abolitum esse: Nec constat, quomodo aut qua autoritate uetus consuetudo mutata sit. Et tamen cum sine certis autoribus, contra expressum mandatum diuinum, & contra Ecclesiæ ueteris morem recepta sit noua consuetudo, defenditur mira pertinacia & crudelitate indignissima lenitate Ecclesiastica.

Vsus integri Sacramenti uix ante quadringentos annos abolitus est.

TESTIMONIA SANCTORVM PATRVM.

CYprianus lib. 1. Epist. 2. ubi de Laicis martyribus loquitur, inquit: Quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione Christi, sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia populum Domini, iure communionis admittimus? Et similes loci alij multi sunt apud Cyprianum, ut lib. 2. Epist. 3. ubi inquit: In calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando.

Testimonia patrum de integræ cœnæ usu.

Hieronymus in Sophoniam cap. 3. Sacerdotes, qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem populis eius diuidunt &c. Nam cætera quæ sequuntur, nihil ad hanc rem pertinent.

In Tripartita historia lib. 9. dicitur ad Theodosium: Quomodo cruentis manibus accipies sanctum Domini corpus? Qua temeritate, ore tuo poculum sanguinis precioſi percipies, cùm tantum iniusti sanguinis fuderis?

In Decretis de consecratione, dist. 2. extat Canon Gelasij, qui prohibet diuisionem Sacramenti. Verba hæc sunt:

Comperimus autem, quod quidam sumta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant, qui aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris abstineant, quia diuisio unius eiusdem mysterij sine grandi sacrilegio non potest accidere. Hic Canon diuisionem uocat sacrilegium. Eludunt autem hoc testimonium aduersarij uanissima cauillatione: Aiunt enim tantum pertinere ad consecrantes, non ad Laicos. Quod enim hæc cauillatio sit commentitia, inde intelligi potest, quia tunc durabat mos utendi integro Sacramento. Et cum hic ait: Arceantur, loquitur de Laicis, ut arcerentur per ministros porrigentes.

Extat & in quadam Toletana Synodo manifestum testimonium, quod ostendit, Laicos tunc usos esse integro Sacramento. Vidimus ipsi in libris Ecclesiarum Germaniæ, scriptum ueterem morem porrigendi annotatum,

ubi clarè affirmatur, populo datum esse integrum Sacramentum. Audimus & in Gallia testimonia similia reperiri. Et aiunt Regem Galliarum adhuc retinere ueterem morem, hoc est, integro Sacramento uti. Citarem & Græcos autores, nisi omnes scirent Græcas Ecclesias adhuc præbere integrum Sacramentum populo.

Cum igitur constet in Euangelio sic institutum esse hunc ritum, ut pariter Sacerdotes & Laici utantur integro Sacramento, cùm manifestum sit hunc morem diu in tota Ecclesia retentum esse, satis adparet eos qui prohibuerunt alteram partem Sacramenti, & prohibitionem defendunt, non rectè facere.

Ecclesiam nec materiam nec formam Sacramentorum mutare posse.

Vsitata est in ueteribus Doctoribus sententia, Ecclesiam nec materiam nec formam Sacramentorũ mutare posse. At hic palàm est, materiam mutatam esse.

Suprà diximus lædi testamenti Christi sanctitatem, Nunc addam alteram rationem.

SECVNDA RATIO.

QVi contra mandatum diuinum aliquid instituunt, peccant, iuxta illud: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Porrõ, prohibentes alteram partem Sacramenti, haud dubiè pugnant cum mandato diuino: Sunt enim uerba mandantis & disponentis: Accipite, bibite. Item, Probet seipsum homo, & sic de hoc pane edat, & de hoc calice bibat.

Sumtio unius partis pugnat cum mandato Dei.

TERTIA RATIO.

PAulus iubet conseruari ceremoniam usq; ad glorioſum Christi aduentum, & iubet annunciari mortem Domini, hoc est, addi uult conciones de beneficijs Christi, ut recordatio, fides, & gratiarum actio accedant ad ceremoniam. Hæc sunt multipliciter mutata, quia populo datur tantùm pars Sacramenti, cũm Paulus de toto loquatur: Quoties comedetis panem hunc, & bibetis ex hoc poculo. Hæc est integri Sacramenti descriptio. Deinde qualis est doctrina aduersariorum? Magna ex parte ceremonia sine ullis concionibus administratur, ut in Missis priuatis. Et populo semel in anno porrigitur Sacramentum. Ibi quantulum doceri subitõ potest, etiamsi quid dicitur? Et doctrinam de beneficijs Christi, de exercenda fide, & de usu Sacramentorum, multipliciter corrumpunt aduersarij. Cũm autem dicat Paulus, Reos esse corporis & sanguinis Christi eos qui abutuntur Sacramento, non dubium est graui peccare autores et defensores tot ingentium abusuum huius Sacramenti. Prohibent partem alteram, transformant Sacramentum populo debitum in sacrificium ethnicum, offerunt pro alienis peccatis contra doctrinam de morte Christi, abolent ueram doctrinam. An hos abusus existimant Deum non puniturum esse? Etsi enim tempus non præscribit Christus, tamen hanc ceremoniam nõ frustra tradidit, uult eam in Ecclesia frequenter celebrari ab adultis. Et cũm utimur, seruanda est forma instituta à Christo, Peccant igitur, qui discedunt ab ea forma.

Prophanationes & abusus Cœnæ Dominicæ.

Dictum est de causa, quantum opus est ijs qui anteferunt uerbum Dei humanis opinionibus, & iudicant ab ordinatione diuina non esse discedendum humano iudicio. Sed quia cauillationes multæ obijciuntur, ad has quoq; breuiter respondendum est.

CONFVTATIO.

Quidam

QVidam fatentur, in Euangelio integrum usum institutum esse, fatentur etiam in ueteri Ecclesia fuisse morem quem diximus, sed aiunt mutari potuisse, quia sit res libera, uti integro Sacramento, uel parte.

Idem, inquiunt, iuris est de toto & parte. Liberum est prorsus abstinere à Sacramento, Ergo liberum est & parte tantum uti. *Non licet altera parte tantum uti.*

Hic ad Minorem respondemus dupliciter, Primum, Etiamsi esset liberum prorsus à Sacramento abstinere, tamen cùm utimur, necesse est uti integro Sacramento, quia partes non sunt separabiles: Non enim licet mutare Testamentum diuinum. Valet autem regula forensis, ubi partes prorsus sunt separabiles.

Abijcienda est & altera responsio: Non est liberum abstinere à toto Sacramento, sed mandatum de usu pertinet ad adultos omnes, qui sunt membra cœtus Ecclesiæ. Vult Christus singulos adultos hac ceremonia aliquando uti, etiamsi certum tempus non præscribit singulis. Oportet enim conseruari hanc ceremoniam usq; ad finem mundi, sicut Paulus expressè inquit: Quoties comedetis panem hunc, & ex poculo hoc bibetis, mortem Domini annunciate donec ueniet. Iubet & ceremoniam conseruari, & addi ceremoniæ recordationem, & prædicationem de morte Christi, usq; ad glorioſum aduentum eius. Cur hoc dictum Pauli neglexerunt Pontifices, qui usum mutauerunt, qui doctrinam de fide, & de beneficijs Christi corruperunt, qui conciones omittũt, & populum ad partem Sacramenti adigunt, nec docent de fructu? Paulus inquit reos corporis & sanguinis Domini esse illos, qui abutuntur Sacramento. Quare non dubium est grauiter peccare autores & defensores horum abusuum. *Non licet abstinere à toto Sacramento.*

ALIA OBIECTIO.

EVangelium concedit libertatem in ceremonijs, iuxta illud: Regnum Dei non uenit cum obseruatione, Licet igitur & in hac ceremonia hanc libertatem usurpare. *Libertas ceremoniarum nõ pertinet ad Sacramenta.*

Hic homines callidi amplificant libertatem, & exagitant nos, tanquam Iudaica quadam pertinacia ac superstitione simus duriores in defendenda ceremonia: iubent anteferri tranquillitatem Ecclesiæ huic externo ritui, sicut scriptum est: Magis uolo misericordiam quàm sacrificium. Deniq; multa ab astutis in hanc sententiam colligi possunt. Ad hæc omnia respondemus breuiter.

Euangelium non concedit libertatem docendi contra mandata Dei, aut abolendi, seu prohibendi ullam partem mandati diuini, quod ad Ecclesiam pertinet. Sed Euangelium maximè præcipit conseruari ministerium, quod consistit in doctrina & administratione Sacramentorum. Si quis propter libertatem docere uelit, omitti posse Baptismum, execrandus esset. Ita & in hoc casu prohibitio semper est impia, quia partem ministerij diuinitus ordinati abolet. Sed libertas Euangelica liberat pios à Leuiticis ceremonijs, & ab humanis traditionibus. Addam & illud: Concedit in casu impossibilitatis dispensationẽ credenti, ut si qui Martyres catechumeni interfecti sunt ante Baptismum, id non est abolere ministerium, sed adhibere dispensationem in peculiari casu. Vt, Machabæi non abolebant legem die Sabbato præliantes, sed in casu necessitatis dispensationem adhibebant. At de Sacramento extat prohibitio perpetua, & defenditur magna atrocitate supplicíorum. Hoc non est *Libertas Euangelica liberat pios à Ceremonijs Leuiticis & humanis.*

libertatem Euangelicam tueri, sed opprimere potius, & simul delere ministerij partem.

ALIA OBIECTIO.

Obiectio exempli Apostolorum baptizantium in nomine Christi.

ECclesia propter aliquam grauem causam mutare potest aliquid in ritu Sacramentorum, ut Apostoli mutarunt formam Baptismi, cùm in Actis dicatur, Baptizetur unusquisq; in nomine Iesu Christi. Multæ autem causæ probabiles uidentur concurrere, quare profit adimere unam partem Laicis, ut maior sit reuerentia Sacramenti, Facilè aliquid destillaret ex calice in terram, Item uinum accessit, quare pars altera uino consecrata conseruari non posset. Item prodest exemplum ad docendam libertatem, Ideo sic ordinet Ecclesia, ut extet testimonium, quòd libertas Euangelica concedat tantùm una parte uti. Deniq; multæ hic rationes colliguntur. Quare uidetur Ecclesiam potuisse propter has causas aliquid mutare.

Ecclesia non potest mutare mandata Dei.

Negamus maiorem, Ecclesia propter nullam causam potest mutare mandata Dei, iuxta illud: Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit. De Apostolorum exemplo respondeo, Textus nusquam dicit Apostolos hac forma usos esse, Ego baptizo te in nomine Christi, sed sæpe repetita est hæc figura loquendi: baptizari in nomen Christi: quòd de effectu intelligitur, pro eo quod est fieri Christi membrum. Vt Paulus inquit ad Rom. In Christum Iesum baptizati estis. Sed fingamus sane Apostolos sic esse locutos, quid hoc ad prohibitionem? Num Apostoli alteram formam prohibuerunt? Magnum discrimen est Apostolorum & Episcoporum, sicut Prophetarum & Sacerdotum, Eliæus singulari uocatione, & excellenti impetu Spiritus sancti unxit nouos Reges, cæteris hoc non licuit. Ita Apostoli uocatione & donis antecedunt: Sed tamen nec Apostolis licuit prohibere formam à Christo traditam. Quare etiamsi essent usi aliis uerbis in casu alicuo, tamen id exemplum nihil patrocinaretur perpetuæ prohibitioni, qnæ est legis diuinæ abrogatio.

Responsio de periculis calicis.

Refutata Maiore, uenio ad pericula, quæ de calice recensentur. Paulus inquit, humanas traditiones habere speciem sapientiæ. Nulla tàm leuis traditio est, quæ ab eloquentibus non possit egregijs fucis pingi. Reuerentia summa est, non discedere à uerbo Dei, docere Ecclesiam, ne non de uoluntate Dei aliunde iudicet, quàm ex uerbo Dei. Hæc est peculiaris sapientia Ecclesiæ. Hanc reuerentiam probat Deus. Illa diligentia, ne quid destillet, est pædagogia, quæ non multum ad rem principalem pertinet. Sacramentum est, id quod homini in Ecclesia porrigitur, non id quod rodunt mures, aut quod destillat: Nam Sacramenta sunt actiones ipsæ, directæ ad eum finem ad quem institutæ sunt. Si metuunt ne uinum acescat, cur non metuunt ne panis fiat mus cidus? Melius est subitò cùm opus est consecrare. Ergo hæc ficticia pericula non excusant prohibitionem: Nec illud excusat, quòd negant ubiq; uinũ esse. Cur prohibent in ijs locis, ubi uinum haberi potest? Et Christus de poculo, non de uino nominatim loquitur, itaq; dicuntur gentes quædam Ruthenicæ consecrare mulsum.

Sacramenta actiones.

ALIA OBIECTIO.

QVærunt aduersarij etiam exempla libertatis usurpatæ in hoc Sacramento. In Luca dicitur de fractione panis. Item in Actis dicitur de Apostolis:

lis: Frangentes panem passim circumeuntes per domos. Hæc loca uidentur loqui de cœna Domini, quæ cũm tantùm faciant mentionem panis, satis est uti una parte.

Respondemus breuiter: In his locis non instituitur Sacramentum, nec satis constat, an de Sacramento loquantur. Nam fractio panis Ebraica consuetudine significat generaliter conuiuium, sicut scriptũ est apud Esaiam: Frange esuri enti panẽ tuũ, id est, impertias ei de panibus. Sed non reprehendimus cõmunem persuasionem ueterum, qui arbitrantur Christum ibi conuiuantem dedisse duobus illis uiris Sacramentũ corporis & sanguinis sui. Et credibile est, Apostolos passim in ædibus amicorũ concionatos & cõuiuatos esse, & ibi distribuisse Sacramentũ pijs auditoribus. Adsentiamur igitur loqui textum de cœna Domini. Est autem usitata Synecdoche, appellatione fractionis panis totum cõuiuium significare: Complectitur ergo etiam potum. Hæc est simplex & uera responsio. Cæterùm pugnent quantum uolent aduersarij, tamen hæc testimonia non excusabunt prohibitionem. Non sequitur. Hic tantùm fit mentio panis, Ergo licet Ecclesiæ prohibere partem Sacramenti, contra expressum mandatum quod legitur in institutione. Hanc consequentiam iudicare non difficile est.

Frangere panem hebræa consuetudine quid sit.

In dicto de fractione panis Synecdoche.

Citant & alia exempla ex historijs, ubi fit mentio gestati Sacramenti in calathis: Id intelligunt de solo pane. Sed Eusebius & Hieronymus ostendunt, utranq; partem solitam ad ægrotos ferri. Nam Eusebius lib. 6. inquit. Parum Eucharistiæ puero qui ad se uenerat dedit, quòd infusum iussit seni præberi. Hic unius partis mentione totum Sacramentum complectitur. Et Hieronymus aliquantõ clarius dicit ad Exuperium: Nihil illo ditius, qui corpus Domini in canistro uimineo, sanguinem portat in uitro. Sic intelligendi sunt similes loci, ubi de gestatione fit mentio, nisi pars altera expressè excluderetur. Historiæ satis dilucide ostendunt, fuisse publicum & communem usum integri Sacramenti. Ideo obscura exempla eius ætatis iuxta publicum ritum accipienda sunt. Et si qua essent contraria exempla, tamen prohibitionem non excusant.

De gestato Sacramento in calathis apud Eusebiũ & Hieronymum.

ALIA OBIECTIO.

IN pane datur uiuum corpus: Igitur sanguis simul datur. Quõd cũm ita sit, satis est accipere unam partem, quia de æquiualentibus non est controuersia mouenda: Vt cum Apostoli baptizantes in nomine Christi, uolebant tamen nomine Filij, Iudæos de patre admonere, & nomine Messiæ, significare, quòd daturus esset Spiritum sanctum. Cur de appellationibus dimicaretur, cùm rem ipsam satis declarent? Ita in hoc Sacramento, cur de externo poculo litigatur, si in pane corpus & sanguis exhibentur?

Argumentum sumtum ex uulgari dicto de concomitantia.

Hæc obiectio sumpta est ex uulgari dicto de concomitantia, ut uocant. Dixi autem antea, humanas traditiones habere speciem sapientiæ. Tot iam seculis quæsitæ sunt excusationes noui moris: Ideo non mirum est multa uafrẽ excogitata esse.

Respondemus igitur breuiter: Propter has humanas cogitationes non uiolandũ est mandatum Dei, uult enim Deus ministeriũ conseruari. Potest Deus sine aqua impertire Spiritum sanctum, sed tamen uult adhiberi externũ signũ, Deus innotescere uult per uerbum suum, & signa ab ipso instituta, nõ uult

nos noua signa instituere, ut Gentes, Papistæ, Monachi instituerunt noua signa, currebant ad certas statuas, ad has alligabant Deum sua persuasione. Hanc impietatem sæpissimè taxant Prophetæ, Christus, & Apostoli, & uolunt nos Deum iuxta uerbum & signa nobis ab ipso tradita apprehendere. Ideo ministerium Deus in Ecclesia & instituit, & uult conseruari, nec permittit ut mutetur humano arbitrio. Quare & hic ita sentiendum est: Voluit Deus distincta esse Symbola corporis & sanguinis, ut fusi sanguinis recordatio celebretur, Ideo retineamus morem à Christo institutum, & sciamus Christum adesse suo ministerio, & per id efficacem esse.

Deus uoluit distincta esse Symbola corporis & Sanguinis.

Nec nihil significat hæc noua prohibitio calicis: Nam sicut prohibuerunt Pontifices dari calicem populo, ita deleuerunt doctrinam ueram de sanguine Christi, abluente peccata hominum, de remissione peccatorum, & de fide. Hi debebant esse effectus distributi calicis. Vt autem hi effectus deleti sunt, ita & ceremonia mutata est.

Multa dici possunt de uulgari persuasione, de concomitantia: Nam Sacramentalis coniunctio habet suum modum, positis symbolis adest Christus, & est efficax, quia ministerium sic ordinatum est diuinitus. Nec discedendum est à ministerij institutione propter humanas cogitationes.

ALIA OBIECTIO.

VTile est discrimen inter Presbyteros & Laicos ostendi. Huius ceremoniæ dissimilitudo facit discrimen: Ergo Ecclesia uidetur probabili ratione hanc dissimilitudinem instituisse.

O singularem impudentiam. Scimus multos scriptores seriò hanc causam allegare in defendenda hac prohibitione: Vt amplificent dignitatem sacerdotum, dicunt his relinquendum esse integrum Sacramentum, Laicis uerò tantum partem dandam. Sed hæc temeraria persuasio acriter reprehendenda & refutanda est. Est aliud discrimen inter Ministros & Laicos, quod hic intergrè explicari non potest. Minister porrigit Sacramentum, sed in usu differentia nulla sit, pariter utantur integro Sacramento Minister & Laicus, pariter se consolentur accepto hoc pignore, & fidem exerceant, pariter agant gratias. Repudientur errores de oblatione & applicatione pro alijs. Sed sacrificuli, ut confirment impios abusus de oblatione & applicatione, dissimilitudinem in usu ceremoniæ defendunt, ut pluris fiat sacerdotum opus, quàm Laicorum communicatio. Hac falsa persuasione cùm obruatur intellectus Sacramenti, necesse est reclamare. Postquam enim cœperunt sacrificuli discernere suum opus à Laicorum communicatione, secuta est horribilis idolatria priuatarum Missarum, quam tolli ex Ecclesia necesse est.

In usu Cœnæ Dominicæ nulla est differentia inter Sacerdotem & Laicum.

ALIA OBIECTIO.

PRima Corinth. 11. dicitur: Qui comedit panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè &c. Hic usus est Paulus disiunctiua particula: In disiunctiuis autem satis est alteram partem poni. Concedit igitur Paulus tantùm una parte Sacramenti uti.

Locus Pauli ad Corinthios de utràq; parte habens disiunctiuas.

Pulcerrima uirtus est amor ueritatis, qui quidem excellere debet in his, qui Ecclesiasticas controuersias dijudicant, ut cognita ueritate, finis aliquis sit sophismatum: Nam qui non amant ueritatem, semper ad eam eludendam

dam aliquas cauillationes reperient, cùm sophistica sit infinita. Sed agamus ingenuè.

Paulus ubi præcipit uti Sacramento, in his ipsis uerbis præcepti, particulam copulatiuam ter repetit: Probet seipsum homo, & sic de hoc pane edat, & de calice bibat. Hæc sunt uerba disponentis ac præcipientis, ut utraq; parte utantur. Laudo diligentiam in expendendis particulis, sed adhibeatur in iudicando ingenuitas & ueritas. Videatur ubi Paulus usus sit copulatiuis aut disiunctiuis. In præcepto de utraq; parte sumenda, est usus copulatiuis: Confirmat igitur usum utriusq; partis. Deinde semel est usus particula disiunctiua, loquens de pœna indignè sumentium, ut comminatio esset atrocior, & sciret auditor parem reuerentiam utriq; parti deberi.

Paulus in præcepto de utraque parte est usus copulatiuis.

Contumelia afficiunt Sacramentum, qui sine emendatione morum accedunt: item sacerdotes qui quæstus causa sumunt. Sed multò maior est contumelia, non afferre ueram pœnitentiam, fidem, & doctrinam de usu Sacramentorum. Est & hæc contumelia, prohibere unam partem. Hæc contumelia cùm peculiariter pertineat ad calicem, disiunctiua rectè conuenit, quia pars una prohibetur, altera concessa. Proinde satis adparet, hac ipsa disiunctiua taxari aduersarios, & confirmari nostram sententiam. Moueantur igitur hac grauissima comminatione, & uerè agnoscant se reos esse corporis & sanguinis Christi, ac desinant tandem polluere Sacramentum his abusibus quos hactenus magna crudelitate defenderunt. Copulatiua præcipit, ut utraq; parte utamur. Disiunctiua deinde exaggerat comminationem, modos plures recensens, quibus in hoc genere delinquitur. Vtram partem contumelia adfeceris, grauiter offendes Deum. Sunt autem, ut diximus, multiplices & horrendi abusus huius Sacramenti apud aduersarios.

Refutatis aduersariorum argumentis, satis liquidò apparet, prohibitionem alterius partis impiam esse, & restituendum esse integrum usum, iuxta mandatum Christi, & morem multis seculis obseruatum in tota Ecclesia uetustate. Excogitent, fingant, refingant quæ uolent argumenta aduersarij, tamen prohibitionem defendere non poterunt. Si quis autem tantùm hanc adfert causam: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas, is in Ecclesia sibi immoderatam potestatem sumit: ubi conscientiæ habent regulam, quæ docet, Deo magis obediendum esse, quàm hominibus. Non licet Pontificibus aut Principibus constituere religiones proprio iudicio contra mandatum Dei. Et tamen proni sunt animi gubernatorum ad hoc lapsum, ut exempla magnorum uirorum omnibus ferè ætatibus ostendunt. Et alij mouentur superstitione, alij spe tranquillitatis publicę, ut: Ieroboam ut alienaret populi animos à regno Iuda, instituit peculiares cultus in Samaria contra mandata Dei. Ita Pontifices instituerunt quæstuosos cultus, & repererunt uarias ceremonias utiles ad augendam pompam sacerdotum, & ad fascinandos animos populi qualicunq; specie religionis. Quare uarijs erroribus Ecclesia polluta est, & multi perierunt, multorum conscientiæ miserabiliter sauciatæ sunt.

Prohibitio alterius partis est impia.

Proinde pij gubernatores non sumant sibi potestatem, suo iudicio contra mandata Dei aliquid constituendi, sed Deo obtemperent, ornent gloriã Dei, consulant conscientijs piorũ. Hæc sunt præcipua officia gubernantium Ecclesias, quibus spretis, si qui leges iniustas Ecclesiæ imponent, his minatur uox diuina inquiens: Væ uobis, qui leges iniustas cõditis. Tãti fecit Christus animas

nostras,

noſtras, ut ſua morte eas redemerit. Quantum igitur reprehendenda eſt aſperitas & durities gubernantium, qui ſanciunt & perdunt animas ſuorum iniuſtis legibus? Quis hanc aſperitatem non accuſet? Quis hanc triſtem Eccleſiæ ſeruitutem non deploret? Orandus eſt igitur Deus, ut miſeræ & adflictæ Eccleſiæ opituletur, ut abuſus ac errores emendet.

Quomodo tollendus ſit abuſus Sacramenti.

Vt autem tollatur huius Sacramenti abuſus, complectenda eſt etiam emendatio totius doctrinæ, reſtituenda eſt uera doctrina de pœnitentia, de remiſſione peccatorum, de fide, & de exercitijs fidei in uſu Sacramentorum. Eſt & Miſſa reuocanda ad primam inſtitutionem.

Hæc pio & ſimplici animo monemus, nec dubitamus nos cauſam piam & Eccleſiæ neceſſariam agere, ac precamur Deum, ut mentes Principum flectat ad illuſtrandam gloriã Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ad ſalutem Eccleſiarum.

Τῷ θεῷ δόξα.

CONTRA PRIVATAM MISSAM.

Miſſam ſeu uſum Sacramẽti non eſſe Sacrificium.

QVOD Miſſa ſeu uſus Sacramenti non ſit ſacrificium, ſeu tale opus quod factum ã ſacerdote & applicatum pro alijs, mereatur remiſſionem peccatorum facienti, & ijs quibus applicatur uiuis & mortuis &c.

PRIMA RATIO.

Vnum eſt Sacrificium propiciatorum mors Chriſti.

NVllum eſt ſacrificium, nec fuit unquam quod mereatur remiſsionem peccatorum, & quod alijs poſsit applicari, præter unicum ſacrificium Chriſti, ſemel factũ in cruce. Ergo Miſſa ſeu opus ſacerdotis, non eſt ſacrificium, quod ipſi uel alijs impetret aut adferat remiſsionem peccatorum.

Antecedens clare teſtatur Epiſtola ad Ebræos cap. 10. quæ inquit de ſacrificio Chriſti: Vnica oblatione conſummauit in perpetuum ſanctificatos. Item, Semel in conſummatione ſeculorum ad abolitionem peccatorum, per hoſtiam ſuam apparuit &c. Item, Hac uoluntate ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel.

Sacrificium pro peccato in ueteri Teſtamento quid fuerit.

Et Eſaiæ 53. de ſacrificio Chriſti dicitur: Poſtquam poſuerit animam ſuam hoſtiam pro delictis, uidebit ſemen longæuum &c. Denicꝙ tota ſcriptura hoc docet, quod ſola mors Chriſti ſit unicum ſacrificium, ſeu uictima pro peccatis. Nam & in ueteri teſtamento etſi erant quædam ſacrificia, quæ uocabantur pro peccato ſeu pro delicto, tamen nequaquam fuerunt talia opera, quæ mererentur ſacrificantibus, aut alijs remiſsionem peccatorum coram Deo, ſed erant ceremoniæ inſtitutæ ad hoc, ut his picturis ſignificaretur uerum ſacrificium Chriſti, qui futurus erat uictima pro peccatis totius mundi. Et propter hanc ſignificationem attribuebatur illis ſacrificijs hæc appellatio, ut uocarentur propiciatoria, ſeu ſacrificia pro peccato, non quòd illa opera mererentur reconciliationem coram Deo, ſed quia erant imagines & typi, quibus pij admonebantur de uera hoſtia, quæ eſſet abolitura peccatum & mortem, uidelicet, de illo promiſſo ſemine Chriſto &c.

Quod

Quod enim Leuiticæ hostię non potuerint mereri remissionem peccatorum, clarè affirmat Epistola ad Ebræos, cùm inquit: Impossibile est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Quare pñ ita utebantur illis ceremonijs, non quòd sentirent se propter illa opera consequi remissionem peccatorum coram Deo, sed utebantur tanquam signis, quibus Deus testaretur ipsis sese daturum illud promissum semen, qui futurus esset uictima pro peccatis, & quòd uellet recipere credentes promissioni de Christo, & remittere peccata propter illam uictimam. Et ipsi utentes illis ceremonijs, profitebantur se credere, quòd propter promissum semen consequerentur remissionem peccatorum, Itaqꝫ perinde usi sunt illis ceremonijs, ut nos Sacramentis utimur. Etsi interim erat etiam alius usus illorum rituum Leuiticorum, quod si qui erant rei in certis offensis aut erratis contra obseruationes Mosaicas, hi utentes his ceremonijs, reconciliabantur seu pronunciabantur absoluti, & recipiebantur ne essent excluſi à politia populi. Hæc erat externa quædam reconciliatio secundum iusticiam legis, & propter hanc reconciliationem uocabantur sacrificia seu expiationes pro peccato, sed ueram reconciliationem seu remissionem coram Deo non consequebantur, nisi fide uenturæ uictimæ Christi, de qua admonebant pios illæ externæ ceremoniæ.

Leuiticæ hostiæ non merebantur remissionem peccatorum.

Ex his satis intelligi potest, quòd opinio de oblatione & applicatione operis sacerdotis in Missa, quæ affirmat hoc opus mereri remissionem peccatorum utenti & alijs, planè pugnet cum doctrina Euangelij de sacrificio Christi: palàm enim est, si sola mors Christi est oblatio & precium, propter quod remittuntur peccata, ergo opus sacerdotis non meretur remissionem peccatorum. Quid potest apertius & simplicius dici? Estque horribilis blasphemia, tribuere hoc operi sacerdotis, quod est solius Christi, & fingere, quòd opus sit alio sacrificio in Ecclesia, quasi Christi sacrificium semel factum non satis sit ad tollenda peccata, & impetrandam remissionem, aut fides niti debeat opere sacerdotis.

Opinio de oblatione & applicatione Sacramenti pugnat cum Euangelio.

SECVNDA RATIO.

IN nouo Testamento nullus cultus, nulla ceremonia ualet ex opere operato: Quare nec facienti meretur remissionem, nec potest adplicari alijs. Nam nouum testamentum requirit cultus spirituales, uidelicet, ueros motus cordis, ueram fidem, inuocationem, sicut Christus inquit Ioan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ueritate, nam & Pater tales requirit, qui adorent eum: Deus est spiritus, & eos qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet adorare. Et Apostoli Petrus ac Paulus præcipiunt præstari tales cultus spirituales, id est, non externam operum simulationem, sed ueros motus cordis, fidem, timorem, inuocationem & reliquos. Nec placent Deo ceremoniæ seu obseruationes quæ fiunt sine hac uera luce, & sine uiuis motibus cordis, quæ sunt uera fides, inuocatio & similes motus &c. Quare sæpe etiam in Prophetis repudiantur tales cultus operum, qui finguntur esse cultus ex opere operato. Hieremiæ 7. Non sum locutus patribus uestris in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de holocaustis & uictimis, sed hoc uerbum præcepi eis dicens: Audite uocem meam, & ero uobis Deus &c. Similes sunt sententiæ & alibi, præsertim in Psalmis. Psalm. 39. Sacrificium & oblationem noluisti. Item Psalm. 49. Non arguam te in sacrificijs tuis. Et: Nunquid manducabo

In nouo testamento nulla ceremonia ualet ex opere operato.

manducabo carnes taurorum &c. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & honorificabis me. Hi loci clarē damnant impiam opinionem de opere operato.

Ceremoniæ ueteris testamenti non placebant sine fide.

Etsi autem in ueteri testamento propter mandatum Dei præstari oportebat illos ritus & ceremonias, quę erant institutæ in politia Mosaica propter disciplinam, qua Deus illum populum uoluit coherceri & regi, tamen nec illa opera diuinitus mandata illi populo, erant ueri cultus Deo placentes, nisi in his qui habebant ueram agnitionem Dei & fidem, nec iustificabant aut merebantur remissionem peccatorum: Multō minus ceremoniæ aut externæ obseruationes in nouo testamento sunt cultus ex opere operato.

Itaqꝫ hæc ratio de cultu noui testamenti clarē ostendit, quōd Missa non possit esse tale opus, quōd sit cultus, qui ex opere operato ualeat coram Deo. Quare simpliciter hæc impia ac reuera ethnica persuasio, quæ fingit Missam ualere pro alijs ex opere operato, prorsus explodenda est ex Ecclesia.

TERTIA RATIO.

Opinio oblationis & applicationis Missæ pugnat cum iusticia fidei.

OPinio oblationis & applicationis Missæ, simpliciter pugnat cum doctrina de iusticia fidei, quæ docet, quōd remissionem peccatorum consequamur nulla re nisi fide, quæ statuit Deum nobis ignoscere propter Christum gratis, non propter ullum opus uel nostrum uel aliorum. Hæc fides sola uincit terrores peccati & mortis. Est igitur impietas, sentire quōd propter opus sacerdotis detur remissio peccatorum. Et quidem necesse est unumquemqꝫ propria fide accipere remissionem peccatorum, seu liberari à peccato & morte, sicut testatur dictum Abacuc: Iustus fide sua uiuet. Ergo non prodest alienum opus sacerdotis ad remissionem, sed sua quisqꝫ fide apprehendit beneficium Christi. Hæc ratio clarē adplicationem sacerdotis refutat, & perspicuē ostendit, fidem tantūm unico Christi sacrificio niti, in quo ipse sese Patri obtulit, & pro nobis factus est uictima, pro nobis rogauit, sicut inquit: Oro autem non pro eis tantūm, sed pro omnibus qui credituri sunt per uerbum eorum. Hæc est enim uox Christi adplicantis suum sacrificium pro nobis.

QVARTA RATIO.

Applicatio repugnat institutioni.

HAec adplicatio repugnat institutioni Christi, quia Christus instituit hanc ceremoniam, non ut fieret pro alijs non utentibus, sed instituit ad usum singulorum, uidelicet, ut quisqꝫ uescens, fidem exuscitet, & se recordatione beneficij Christi consoletur, quemadmodum uerba institutionis testantur: Accipite, comedite & bibite. Ergo non prodest ceremonia ijs, qui non ipsi utuntur, hoc est, uescuntur corpore Dominico, & bibunt eius sanguinem. Nec potest unius manducatio alteri adplicari. Estqꝫ planē contra naturam Sacramentorum, ea adplicari alijs: Sicut Baptismi usus non ualet pro alijs, nec potest alteri adplicari qui non ipse baptizatur. Item nemo potest pro alio accipere absolutionem. Est autem impietas & impudens audacia, Christi institutionem peruertere, & fingere, quōd opus sacerdotis prosit alijs non utentibus.

QVINTA RATIO.

In hac

IN hac opinione est manifesta & multiplex idolatria, quare talis Missa simpliciter est abominatio, ā qua omnes pij abhorrere debent, quod sic probo:

Primum. Idolatria est instituere cultum extra uerbum, & sine uerbo Dei, & quidem talem, qui sit cultus ex opere operato. Id clarē testatur hoc dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Et Prophetæ uocant idolatriam sacrificia quæ fiebant extra uerbum & mandatum Dei, qualia erant sacrificia excelsorum & in lucis, cultus uitulorum in Bethauen, item cultus ænei serpentis. Sed hæc oblatio & applicatio Missæ est talis cultus, qui non habet mandatum Dei, nec conuenit cum institutione Christi, imō neglecto uerbo transfertur cæremonia in usum alienum ab institutione: Ergo talis Missa uerē est idolatricus cultus. *Applicatio in missā est cultus sine mandato Dei.*

Secundō. Sacramenta extra usum ā Christo institutum non sunt Sacramenta, quia talis usus non habet uerbum, & repugnat institutioni. Sicut nunc Circumcisio Iudaica aut Turcica non est Sacramentum, & sicut aqua baptismi non esset Sacramentum si transferetur ad alios usus extra uerbum ac institutionem, ac si circumferretur ad spectandum, uel ad aspergendos homines. Aut sicut Episcopi lauant & tingunt nolas. Id spectaculum, quia non seruatur institutio, non potest dici Baptismus, sed est illusio & contumelia Sacramenti. Ita Missa in qua fit oblatio, & applicatur alijs, non seruat institutionem Christi, quæ iubet non offerri pro alijs, sed manducari & bibi corpus & sanguinem Domini, sed transfertur ad cultum alienum ā uerbo. *Sacramenta extra usum nō sunt Sacramenta.*

Ergo hæc missa non est Sacramentum, quare palām est, horribilem idolatriam committi, cum pro Sacramento, ubi distribuendum erat corpus & sanguis Domini, proponitur Missa sacerdotis tanquam opus, quod mereatur remissionem peccatorum, item prosit etiam mortuis, ad redimendas pœnas purgatorij. Hæc sunt mendacia impudenter conficta ab idolatris & impijs sacrificulis ac Monachis, qui sanctissimam cæremoniam polluunt ac transferunt ad manifestam idolatriam, ac ei prætexunt nomen Sacramenti, & hos idolatricos cultus defendunt propter quæstum. *In missa horribilis est Idolatria.*

Has abominationes etiam cogitare horribile est, quare omnes pij hanc prophanationem totis animis execrari debent. Nec est dubium, quin propter tantas prophanationes Deus horribiliter irascatur & puniat mundum.

Breuiter ostendimus oblationem & applicationem in Missa pugnare cum tota doctrina Euangelij de Christo & eius sacrificio, cum doctrina de ueris cultibus & de fide, item aduersari uerbo & institutioni Christi: deniq; non dubiū est idolatriam ibi committi, cum Sacramenta extra usum, ad quem instituta sunt, non sint Sacramenta, sed inania spectacula.

Cūm igitur constet manifestam impietatem hærere in talibus Missis, simpliciter omnes illæ Missæ sacerdotum tollendæ & abolendæ sunt. Abijciendus est Canon, quem uocant, in quo apertis uerbis fit oblatio & applicatio pro alijs, & additur idolatrica inuocatio sanctorum. Econtrā reuocandus est & reddendus Ecclesijs uerus usus iuxta institutionem, uidelicet, ut sit communis cœna, in qua distribuitur corpus & sanguis Domini, ubi pij uescentes admonentur, ut statuant sibi pignus dari, quod testetur ipsos esse Christi membra, ad ipsos uerē pertinere beneficia Christi, sanguine Christi ipsos ablutos esse. *Missæ omnes abolendæ sunt.*

Postremō repudianda est imaginatio, quæ facit discrimen inter opus Sacerdotis & Laici, quasi sacerdotis opus sit peculiaris cultus in Ecclesia necessa-

Vsus Cœnæ dominicæ communis est toti Ecclesiæ.

rius,& qui pro alijs fieri debeat: Quia Christus non facit discrimen,sed uult ut sit communis cœna, ubi quisq; suæ fidei exercendæ causa utatur Sacramento, cùm inquit: Accipite comedite &c. Etsi quod est discrimen,tantum ministerij est,quod Sacerdos ut minister Ecclesiæ alijs porrigit, cæteri accipiunt. Sed ipsa ceremonia & usus, communis est toti Ecclesiæ, à Christo institutus & traditus. Et sacerdos minister est,ac Ecclesiæ seruit,non ut offerat aut uescatur pro alijs,sed ut porrigat omnibus qui petunt.

RESPONSIO AD ARGVMENTA, QVÆ *obijciuntur de sacrificio Missæ.*

PRIMA OBIECTIO.

De exemplo iuge sacrificij in ueteri Testamento.

SIcut in lege erant quotidiana sacrificia,quæ fiebant pro alijs,quale erat quod uocabatur iuge Sacrificium &c. Ita in nouo Testamento oportet esse tale quotidianum seu iuge sacrificium, quod offeratur pro Ecclesia. Hoc quotidianum sacrificium est Missa. Et huc allegatur locus Epistolæ ad Ebræos 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur,in his quæ sunt apud Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis &c. Hinc ratiocinantur aduersarij: Cùm in nouo Testamento sint Pontifices & Sacerdotes, necessariò sequi, quòd sit etiam aliquod sacrificium pro peccatis.

Hac collatione,qua quęritur similitudo rituum in nouo Testamento congrùens cum ritibus Leuiticis, decepti homines, somniant oportere esse quoddam tale sacrificium ceremoniale in nouo Testamento, qualia erant in lege. Ac oritur hic ratiocinatio ex ignoratione quid sit nouum Testamentum, quæ sint beneficia Christi, & qui ueri cultus.

Remißio peccatorum non contingit ex opere operato sed fide tantũ.

Sic igitur respondeo primùm in genere,ad omnia talia argumenta de sacrificio dicta ex collatione ueteris Testamenti. Vt maximè ualeret similitudo, tamen hinc non sequitur, quòd Missa ex opere operato mereatur remissionem peccatorum facienti & alijs pro quibus applicatur. Nam sicut suprà ostensum est,hæc opinio pugnat cùm uniuersa doctrina Euangelij, quæ propriè & præcipuè hoc docet, quòd remissionem delictorum consequamur non propter aliquod opus qualecunq;,sed propter Christum gratis,fide,quia hæc sola uincit errores peccati &mortis,cùm statuimus nobis ignosci per misericordiam propter Christum, & donari iusticiam & merita Christi. Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus.

Hæc una responsio diluit omnia quæ afferuntur ab aduersarijs de oblatione & applicatione operis operati, quia nulla dicta de sacrificijs hoc efficiunt, quod ceremonia Missæ sit opus iustificans ex opere operato, aut applicandum alijs ad impetrandam remissionem peccatorum &c.

Ritus ueteris Testamẽti sunt typi rerum exhibendarum in nouo.

Secundò ad similitudinem ductam ex lege, Respondeo. In ueteri Testamento illi externi ritus seu ceremoniæ sacrificiorum, erant umbræ seu typi uerarum rerum exhibendarum in nouo Testamento, sicut Paulus ad Colos. ait: Quæ sunt umbra futurorum,corpus autem Christi. Quare non ualet hæc ratiocinatio: In lege fuerunt externæ ceremoniæ sacrificiorum, ergo & in nouo Testamento oportet esse similes ceremonias, quæ sunt sacrificia: Non enim similitudo rituum quærenda est, sed res significata illis typis in lege, quæ nunc exhibita est in Euangelio. Et cùm nouum Testamentum non sit talis externa politia,

politia, qualis erat Mosaica, sed afferat ipsas res, quæ illis Leuiticis ceremonijs significabantur, nihil opus habet talibus ritibus.

Porrò scriptura clarè hoc docet, ritibus illis sacrificiorum pro peccato in lege, significatam esse mortem Christi, quæ est unicum sacrificium quod oblatum pro genere humano tollit peccata, unica uictima, propter quam Deus placatur nobis, sicut Esaias interpretatur legem, cùm ait: Postquam posuerit animam suam pro peccato. Et Iohannes: Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Sacrificia pro peccato significarunt mortem Christi.*

Cæterùm, hoc addendum est, Cùm de sacrificio loquimur, discernendæ sunt species: Non sunt enim omnia sacrificia unius generis, sunt enim duę species sacrificij. Est quoddam sacrificium quod potest uocari propiciatorium, id est, tale opus, quod pro alijs factum placat Deum, & meretur remissionem peccatorum: Porrò unum tantùm est sacrificium uerè propiciatorium, scilicet mors Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi. Nec aliud fuit propiciatorium sacrificium ullo tempore, ulla ætate. Huius unius Pontificis hæc gloria est, quòd unica oblatione satisfecit pro omnium peccatis, & Deo reconciliauit genus humanum. Quòd autem in lege quædam uocabantur propiciatoria, hæc non merebantur condonationem peccatorum, nec erant uerè propiciatoria, sed quia erant typi uenturæ uictimæ, sic appellabantur: Hæc sententia uerissima & firmissima est. Alia sacrificia discernenda sunt ab hoc priore. Nam cùm dicit Psalmus: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, hic necesse est nostra sacrificia à Christi morte discerni. Vocantur ergo hæc Eucharistica, quæ non merentur reconciliationem, sed fiunt à reconciliatis, ut grati Deo honorem aliquem præstemus, & profiteamur hunc quem inuocamus, esse Deum, esse saluatorem ac liberatorem. Tale sacrificium generaliter est uniuersa obedientia in bonis operibus sanctorum, quæ à Deo præcepta sunt, & sicut mandata sunt, & in afflictionibus. De his sacrificijs loquitur Petrus, inquiens: Vos estis sacerdotium sanctum, ut offeratis hostias spirituales. At ut sciamus eas non placere sine agnitione & fiducia Christi, addit Petrus: Acceptas per Iesum Christum. Non enim placent ne hæc quidem ex opere operato. *Duæ species sacrificij.* *Propiciatorium sacrificiũ unum est.* *Sacrificia εὐχαριστικὰ.*

Nunc respondeo ad ea quæ citata sunt de sacrificijs ex ueteri Testamento. Cùm aliud nullum sit propiciatorium sacrificium, nisi sola Christi mors, certum est, oblationem in Missa aut cœna Domini non esse sacrificium, quod aut facienti mereatur remissionem, aut sit applicandum pro alijs. Cur igitur Patres uocant sacrificium? Vt typi in lege eandem habebant appellationem, ita & huic ceremoniæ hoc nomen tribuerunt, quia institutum est, ut nos de illo sacrificio admoneat. Sed est ne sacrificium εὐχαριστικὸν? Dixi nulla esse εὐχαριστικά nisi opera à Deo mandata, & quemadmodum præcepta sunt, quia Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominum. Nec nobis licet cultus nouos instituere sine mandato Dei. Porrò cœna Domini sic instituta est, ut manducans, suam ibi fidem exerceat, & se recordatione beneficiorum Christi consoletur, & sic agat gratias. Hæc omnia pugnant cum ratione operis operati: Ergo nec εὐχαριστικὸν esse potest ex opere operato. Quare etiamsi applicatio detraheretur, tamen non essent faciendæ Missæ, tanquam id opus sit gratiarum actio. Non igitur Missæ communes ordinari aut instituí possunt, tanquam gratiarum actiones, sed seruetur institutum Christi, sit minister porrigens, & utantur alij Sacramento, pro sua consolatione. In hac manducatione, gratia- *Oblatio in cœna non est sacrificium.* *Sacrificia εὐχαριστικὰ sunt opera à Deo mandata.*

rum actio & confessio agentis pœnitentiam, & se consolantis, sit sacrificium εὐχαριστικὸν, ipsa ceremonia per se non est sacrificium, nec propiciatorium, nec εὐχαριστικὸν.

Epistola ad Ebræos loquitur de pontifice Christo.

Ad sententiam Epistolæ ad Ebræos, Omnis Pontifex &c. respondeo: Ipse autor Epistolæ hoc dictum accommodat ad unicum Pontificem Christum quemadmodum uerba quæ mox sequuntur, satis ostendunt, & tota Epistola de sacerdotio unius Pontificis Christi concionatur. Si quis igitur ex hoc dicto argumentatur, oportere in nouo Testamento esse Pontificem, qui offerat sacrificia pro peccatis, concedendum est argumentum de Christo, de quo solo loquitur Epistola ad Ebræos.

Verba Malachiæ de oblatione, loquuntur de prædicatione Euangelij.

Solet etiam citari locus Malachiæ 1. Ab ortu Solis usq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus. Et, in omni loco incensum offertur nomini meo, & oblatio munda. Etsi autem hic locus uiolenter detorquetur ad Missam, tamen respondeo, Primùm: Vt maximè hæc sententia loqueretur de Missa, tamen inde nequaquam sequitur, quòd Missa mereatur remissionem peccatorum, aut sit opus commune, sic faciendum, tanquam ceremonia sit per se gratiarum actio. Secundo: Verba Prophetæ ostendunt eum loqui de prædicatione Euangelij & ueris cultibus noui testamenti, cùm inquit, nomen Dei magnum fore in gentibus, significat Euangelium spargendum esse in gentes, per quod innotescat & glorificetur Deus. Hæc prædicatio Euangelij de misericordia Dei parit fidem in cordibus eorum qui accipiunt Euangelium, hi præstant ueros cultus, qui sunt primum ipsa fides, deinde inuocatio, confessio, gratiarũ actio, obedientia in afflictionibus &c. Ita glorificatur nomen Dei. Et hæc sunt oblatio munda, id est, ueri cultus qui tantum præstantur ab ijs, quorum corda iam uerè agnoscunt Deum, rectè sentiunt de Deo, uera fiducia inuocant &c. Hos cultus significat incensum & oblatio, non significat ceremoniam ex opere operato sine fide & notitia Dei. Breuiter, quæcunq; dicta ex scriptura colliguntur de sacrificijs, semper hoc meminerimus, ea nihil patrocinari oblationi seu applicationi operis operati, quæ palàm est blasphema & idolatrica.

RESPONSIO AD DICTA Patrum.

Patres non uoluntmissam esse sacrificium.

EX his quæ diximus facilis est responsio de dictis Patrum, qui Missam uocant sacrificium. Primùm enim non potest ostendi, patres hoc uoluisse, quòd Missa sit sacrificium ex opere operato adferens remissionem peccatorum & applicandum alijs. Qui sic interpretantur Patres, iniuriam illis faciunt: Nam hæc portenta prorsus ignota fuerunt ueteri Ecclesiæ, imò ne fuit quidem usq; ad tempora Gregorij Missa sine Communione plurium, sed habebatur statutis diebus una communis cœna seu communio, ubi multi, quotquot uolebant, simul sumebant corpus & sanguinem Domini. Quemadmodum ne hodie quidem in Græcis Ecclesijs fiunt priuatæ Missæ singulorum sacerdotum, sed unica Missa communis. Nec laturi erant patres istam impietatem & prophanationem sanctissimæ ceremoniæ. Postea insciția & superstitione indoctorum Pontificum & Monachorum introductæ sunt priuatæ Missæ, qui ex male intellecto uocabulo sacrificij, finxeruut Missam esse tale opus, quod mereatur remissionem culpæ & pœnæ, & attexuerunt opinionem de opere operato.

Hæc

Hæc opinio auxit Missas in infinitum: & quia erat res ad populum uendibilis, cœpit prostitui ad quæstum.

Cùm ergo patres Missam seu communem cœnam Domini (ut tunc seruabatur) uocant sacrificium, ex ipsorum uerbis facilè poterit iudicari, eos loqui non de oblatione & applicatione operis, sed de gratiarum actione seu memoria sacrificij seu mortis Christi. Sic ait Chrysostomus in capite nono Epistolæ ad Ebræos, cùm dixisset nos per singulos dies offerre semper idipsum: Hoc quod nos facimus, in commemorationem quidem eius fit, quod semel factum est, non aliud sacrificium, sed id ipsum semper facimus, magis autem recordationem sacrificij exercemus. Et Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei cap. 5. Quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est ueri sacrificij &c. Ad hunc modum loquitur & Lombardus in sententijs: Illud quod offertur & consecratur à sacerdote, uocatur sacrificium & oblatio, quia est memoria & representatio ueri sacrificij & sanctæ immolationis factæ, in ara crucis.

In doctrina cœnæ Domini sacrificiũ patribus significat gratiarum actionem.

Allegatur & Tertulliani quoddam dictum ex libro de Corona militis, ibi inquit: Etiam oblationes pro defunctis, pro natalicijs annua die facimus. Hic locus impiè detorquetur ad Missam pro defunctis. Non enim dicit Tertullianus opus Missæ esse oblationem pro mortuis, quæ redimat eos à pœnis &c. nec hic loquitur de cœna Domini, sed in diebus natalibus & funerum, solebant afferri cibi & alia munera, quæ distribuebantur in pauperes. Hæc uocabantur oblationes & ἀγάπαι. De hoc more loquitur Tertullianus, qui adhuc reliquus erat ab ethnico ritu, qui in natalibus & funeribus dabant epulas in templis, sed hæ postea prohibitæ sunt. Ac ex ipso Tertulliano & alijs scriptoribus apparet, sacrificia seu oblationem pro mortuis non dici usum Missæ, sed preces & gratiarum actionem. Sic enim inquit Tertullianus ad Scapulam: Sacrificamus pro salute Imperatoris, scilicet Deo nostro & ipsius, sed quomodo præcipit Deus, fide pura. Sic & de martyribus ait Cyprianus: Sacrificia pro eis offerimus &c. quia in precationibus fiebat martyrum mentio, & agebantur gratiæ Deo, quòd eos adiuuisset. Et Augustinus ad quæstiones Dulcitij: Cùm sacrificia siue altaris, siue quarumcunq; eleemosynarum pro baptizatis defunctis offerimus, gratiarum actiones sunt &c. Sicut & de ceremonijs funerum scribit Dionysius, quòd populus iussus sit gratias agere in precibus, quòd qui defunctus erat, piè decessisset ex hac uita. Hæc planè dissentiunt ab impijs commentis recentiorum de purgatorio & oblatione Missarum, ad redimendas pœnas mortuorum.

Oblationes apud Tertullianum sunt ἀγάπαι ueterum.

DE MISSA THEATRICA.

EXISTIMAMVS AVTEM MEDIOCRITER ERVDITOS NON DEfensurus impiam opinionem de applicatione, sed decursuros ad quandam subtiliorem interpretationem, dicent, se hanc ceremoniam retinere, non ut applicent pro alijs, sed ut ibi agant gratias. Disputabunt licere uni gratias agere hoc spectaculo, ut si unus legeret Psalmum aliquem. Postea addunt preces pro mortuis & alijs. Has aiunt ualere per modum suffragij.

Hac subtilitate pingunt abusus, & magnam ingenij laudem putant talia

sophismata excogitare. Clamitant stolidos esse, qui hos fucos non admirantur. Deinde sæuitiam aduersus pios exercent, qui ingenuè profitentur, se abhorrere ab idolatria Missarum. Te autem inuocamus Domine Iesu Christe filii Dei, qui orans pro Ecclesia dixisti: Pater sanctifica eos in ueritate, sermo tuus ueritas est, ac precamur, ut Ecclesiam liberes ab omni sophistica: Semper enim hæc pestis offudit tenebras ueritati. Oramus etiam, ut mentem des Principibus & alijs gubernatoribus amantem ueritatis, & gloriæ Dei seruientem, in religione constituenda, non alijs utilitatibus: Sæpè enim accidit, ut Principes inflectant religiones ad suam utilitatem. Pontifices uolunt defensam Missam, propter dignitatem suam & quæstum. Vulgus amat Missas, quia putat esse præsens remedium aduersus omnia mala, sicut natura hominum prona est ad idolatriam & fiduciam operum, cùm ueram fidem nec intelligat, nec retinere studeat. Seruiunt autem Principes affectibus Pontificum & populi, defendunt eosdem errores propter tranquillitatem. Ideò omnibus temporibus magna pars Principum, Pontificum & populi, aduersata est ueritati. Sed tamen Deus restituens Ecclesiam, aliquos ex omnibus ordinibus uocat, qui emergenti ueritati patrocinentur: quo in numero utinam etiam nunc aliqui Reges esse uelint, ut gloriam Christi ornent, & suæ & Ecclesiæ saluti consulant, nec adiuuent impios, qui bellum aduersus Christum gerunt, & idolatriam defendunt.

Quib. de causis Pontifices & uulgus retineat Missas.

Nunc adijciemus breuem & perspicuam refutationem illius sophisticæ excusationis Missarum.

PRIMA RATIO.

HAec sophistica tantùm est simulatio, & reipsa manent priora uicia, applicatio & opinio operis operati: Retinent enim Canonem, in quo expressis uerbis fit applicatio. Item donec manet hic mos sacrificandi, non potest non accedere opinio, quòd sit opus commune ualens pro alijs, & quidem ex opere operato. Alioqui cur fieret? cur sacerdotes retinerent peculiarem ritum distinctum à populi communione? Talis autem Missa Papistica est haud dubiè idolatrica, procul enim receditur ab instituto Christi. Vt autem de statuis dicitur: Deus non magis exaudit ad certam statuam quàm alibi, quia non est alligandus eò, quò se non alligauit uerbo suo. Ita Sacramenta extra usum ad quem instituta sunt, non sunt Sacramenta, sed ociosa & impia spectacula, ut nunc Iudaica aut Turcica Circumcisio. Qualis igitur sit adoratio in Missa Papistica, facilè iudicari potest, ubi concurrunt tàm multa aliena ab instituto, oblatio, applicatio, meritum ex opere operato. Hæc omnia manent, durante ritu Papistico, & retento Canone. Hæc sunt clarissima.

Missa Papistica est idolatrica, ideo tollenda.

SECVNDA RATIO.

FInge autem posse tolli opinionem applicationis, tamen uellent illi conseruari oblationem, quæ etiã non est instituta in his uerbis Christi. Et Christus solus ipse sese obtulit, non uult à nobis offerri. Itẽ, Non licet instituí cultũ sine mãdato Dei. At tali Missa retẽta, maneret cultus nõ mãdatus, maneret, n. opus distinctũ à populi cõmunione, quod omnes haberẽt pro singulari & necessario cultu in Ecclesia. Cùm aũt non sit instituendus ritus sine mandato, retineamus formam traditam in Euangelio, præsertim cùm Paulus expressis uerbis præcipiat,

Oblatio in missa Theatrica pugnat cum institutione.

cipiat, ut plurium sit communio, & utamur cœna Domini tanquam Sacramento ad fidem excitandam & erigendam recordatione beneficiorum Christi, ac deinde agamus gratias Christo, pro liberatione tanta. Non fingamus ceremoniam ipsam ex opere operato esse cultum aut sacrificium. Hæc fuit consuetudo ueteris Ecclesiæ: Nam ferè usq; ad Gregorium nullæ fuerunt priuatæ Missæ. Aduersarij nostri clamitant, nunc nos discedere ab Ecclesiæ consuetudine, & magnifieri exempla Ecclesiæ postulant. Sed nobis iniuriam faciunt: Nam ipsi à ueræ Ecclesiæ more & exemplo discesserunt, nouos cultus recepe-runt, humana temeritate excogitatos, ignotos ueteri Ecclesiæ.

Dionysius describens ritum Synaxeos, ne quidem nominat oblationem, cùm quidem in describendis ceremonijs admodum diligens fuerit. Et applicatio prorsus ignota est ueteribus: Nam Latinus Canon noua quædam Rapsodia est, paulatim aucta, ut Gregorius testatur, qui hanc formam inquit collectam esse à quodam, quem uocat Scholasticum. Et differt in locis insignibus ã Græcis Canonibus, sunt enim duo, qui & ipsi inter se in locis insignibus differunt. Illud autem quod in latino Canone ponitur, offerri hoc sacrificium, ut redimantur uiui & mortui, nusquam est in Græco Canone. Repudiandus est igitur latinus Canon, in quo traditur applicatio, contra doctrinam de sacrificio Christi, & de iusticia fidei: & insunt alia quædam absurda, mentio intercessionis sanctorum. Et Sacerdos cùm dicat se offerre Filium Dei, petit ut oblatio hæc perinde placeat, ut sacrificium Abel. Hæc confusè & ineruditè ab indocto aliquo congesta apparet, & opus habere emendatione omnes eruditi intelligunt. Ac profectò reprehendenda est Episcoporum negligentia, qui tot seculis, cùm uiderent manifestos esse Missarum abusus plurimos, nunquam de emendatione ulla cogitauerunt. Quantum autem scelus sit abusus huius Sacramenti, Paulus non obscurè significat, cùm ad Corinthios inquit: Probet se ipsum homo: qui indignè manducauerit, reus erit corporis & sanguinis Domini. Nec dubium est, multis publicis & priuatis calamitatibus hunc abusum puniri: Deus enim grauiter idolatriam punire solet. Quare toto pectore oramus Deum, ut mentem det etiam alijs, ut Ecclesiæ in hac tanta re consulere incipiant.

Dionysius non meminit oblationis.

Abusus in missa punitur priuatis & publicis calamitatibus.

Quanquàm autem hæc ipsa causa de Missa prolixius disputari posset, tamen hic fundamenta breuiter complexi sumus. Ritus noster congruit cum institutione Christi, cum Paulo, cum tota ueteri Ecclesia. Ratio de usu Sacramenti ex uera doctrina, de sacrificio Christi, & de iusticia fidei sumta est. Hæc sunt certa, firma, & perspicua, nec euerti possunt, etiamsi fortassis aliqui sophisticis argumentis excusare & fucare Missas uolent. Scimus enim homines callidos solere errores fucis quibusdam pingere. Sed qui uolent gloriæ Dei seruire, & Ecclesiæ saluti consulere, ueritatem anteferant fucosis & sophisticis rationibus. Id decet omnes qui Deum timent, qui rectè inuocare Deum, & consulere Ecclesiæ cupiunt.

Valdè mirati sumus Anglicum decretum, cùm nulla emendatio abusuum Missæ proponatur, tamen simpliciter ibi stabilitur priuata Missa. Miramur Episcopos affirmare Missam necessariam esse, cùm circiter annos qua-

dringentos fuerit ignota primæ & puriori Ecclesiæ. An illa res necessarias ignorabat? In Ecclesia uerecundius pronunciandum erat: Si priuatæ Missæ sunt necessariæ, tota uetus Ecclesia damnatur. Quod uerō additur, populo eas Missas ad pietatem prodesse, ambiguē posita est sententia, ut etsi applicatio non nominatur, tamen error in animis populi confirmetur. Deinde etiamsi non uolunt confirmare applicationem, sed tantūm ita prodesse exemplum cen sent, quia populus admonetur ut cogitet de passione Christi, tamen plus nocet hoc spectaculum, quia in Missis Papisticis haud dubiē multiplex inest idola tria, quare populus ibi adigitur ad idolatricam adorationem: Nam Sacra mentum extra usum iustitutū, non est Sacramentum. Hæc sententia uerissima est. Ideō optamus, ut liberetur Ecclesia ab idolatria, & ueri cultus restituantur, propter gloriam Dei & salutem populi.

Τῷ Θεῷ δόξα.

SCRIPTVM IN CONVENTV SCHMALKALDENSI PROPOSITVM A THEOLOGIS, QVI IBI ADFVERVNT CONTRA SCHVENKFELDIVM, SEBASTIANVM FRANCVM, ET NONNVLLOS ERRONES ALIOS, MENSE MARTIO, ANNO M. D. XXXVII.

VAGANTVR PASSIM ERRONES QVIDAM, QVI ABDVCVNT POpulum ā cœtu Ecclesiarum, quæ rectē constitutæ sunt, hoc est, quæ nullos habent Idololatricos & impios cultus, & ubi rectē & purē traditur Euangelij doctrina.

Cūm autem Deus uoluerit ministeriū Euangelij esse publicum, idq; ab omnibus ornari & conseruari præceperit, non dubium est grauiter offendi Deum contumacia omnium, qui cœtus Ecclesiarum, quæ rectē constitutæ sunt, deserunt, aut alios inde abducunt. Sicut Christus inquit: Qui uos spernit, me spernit.

Discessimus ab Ecclesijs Papæ propter manifestam Idololatriam & impia dogmata plurima, qui in Papę Ecclesijs regnat. At nulla uera causa est, quare ministerium in nostris Ecclesijs deserendum sit.

Itaq; hortamur omnes pios ut discant amare Ecclesias suas, & ministerium rectē constitutum non aspernentur, nec audiant Fanaticos spiritus, qui deterrent cæteros ab audiendis pijs doctoribus & usu Sacramentorum in nostris Ecclesijs.

Contra spargentes Donatistarum semina.

Intelligimus spargi semina Donatistarum, Nam Hypocritæ quidam, qui & iusticiam fidei ignorant, & cūm sint homines ociosi, ueros cultus, hoc est, officia uocationis nec intelligunt, nec præstant, fastidiunt communes honestos mores, & simulatione singularis modestiæ & patientiæ, se ad populum uendi tant, uituperant ministros Euangelij sine iusta causa, deinde cūm ceperint homines, ut fit, nouæ & inusitatæ religionis admiratione, spargunt falsa dogmata, negant efficax esse ministerium Euangelij, quod isti publicē administrant, cūm Paulus disertē dixerit de ministerio, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei.

Ideō

Ideō hortamur pios, ut sint uigilantes, nec se ab illis fanaticis ac fastuosis hypocritis decipi sinant, sed publicum ministerium ament & ornent, Sicut docent nos plurima dicta Spiritus Sancti, Quàm dilecta tabernacula tua &c. Quàm specioſi pedes Euangelizantium pacem &c.

Cōtra errones scepticis similes nullis addictos.

SVnt & alij quidam similes Sceptícorum, qui Ecclesias & ministros uituperant, dum uolunt uideri nullis addicti partibus, Hi quoq; inueniunt applausores, quia semper grata est uulgō reprehensio gubernatorum. Sciunt autem pij in Ecclesia oportere extare cuiuslibet sinceram confessionem, sicut inquit Paulus: Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem. Quam quisq; iudicat esse Christi Ecclesiam, huic se adiungat, & profiteatur se eam probare, ne aliorum fidem sua dissimulatione debilitet. Nec est nisi unica Christi sponsa Ecclesia, quę uidelicet rectē docet Euangelium, rectē administrat Sacramenta, nec habet cultus impios aut idolatricos. Ad hanc unam pertinent promissiones factæ Ecclesiæ, In hac exaudit Deus inuocantes. In hoc cœtu necesse est esse aliquos Deo placentes.

Contra Sebastianum Francum.

NEC constat hic cœtus ex diuersis sectis, ut Sebastianus Francus fingit, qui omnes pariter fingit esse Ecclesiam, Papistas & eos qui nobiscum sentiunt. Hanc fanaticam confessionem sciunt pij improbandam esse, & meminerint oportere extare confessionem, quam quisq; Ecclesiam probet.

Scribit & alia multa Sebastianus Francus digna reprehensione, Edidit paradoxa in quibus & hoc est: Omnia peccata esse paria. Etsi autem studet hoc dictum & similia glossis quibusdam pingere & fucare, tamen hæ præstigię disputationum non sunt utiles Ecclesiæ. Impropriē dicta multos errores pariunt. Nec Ecclesia ā Zenone, Sed ā Christo dogmata accipit, qui discernit inter blasphemias & cætera peccata, item inter peccata sanctorum & impiorum. Multa etiam colligit Francus ad scripturæ autoritatem extenuandam, & iubet spiritum quæri, omisso uerbo.

Nos autem retineamus dictum Pauli, Fides ex auditu est, auditus per uerbum Dei. Spiritus sanctus est efficax per uerbum, Nec assentiendum est ullis imaginationibus de Deo & uoluntate Dei, sine certo uerbo Dei. Hanc uerbi Dei & ministerij gloriam omnes pij discant agnoscere & uenerari, ut ueram & firmam doctrinam & consolationem retineant.

Contrā Schuenkfeldiū

CIrcumfertur & Schuenkfeldij libellus, qui negat humanitatem Christi post glorificationem esse Creaturam, ac uituperat omnes qui dissentiunt, eosq; uocat Creaturistas.

Nos in Ecclesijs nostris fideliter retinemus Symbola, Apostolicum, Nicenum, & Athanasij, & damnamus omnes errores pugnantes cum his Symbolis, damnatos à Catholica Ecclesia Christi, Et agnoscimus hæc Symbola uerè tradita esse in uerbo Dei conscripto per Prophetas & Apostolos.

Scimus autem hanc propositionem, Christus est Creatura, reiectam esse à Catholicis, propterea, quia Ariani eam intelligebant de utraq; natura in Christo, qui negabant Filium Dei λόγον esse ὁμοούσιον patri, Sed contendebant creatum esse ex nihilo.

Schuēkfeldius contendit naturā humanā in Christo nō esse creaturā post glorificationē.

Sed hoc tempore non disputat Schuenkfeldius de forma loquendi, Sed contendit naturam humanam in Christo non esse creaturam, post glorificationem, cum quidem fateatur ante glorificationem fuisse creaturam.

Hoc

Hoc delirium improbamus, & dicimus humanam naturam in Christo & esse & manere creaturam. Vt Iohannes inquit: Et uerbum caro factum est, Ita & nos dicimus cum tota Ecclesia Catholica Filium Dei λόγον, coæternum patri assumsisse humanam naturam ex Maria uirgine tempore constituto diuinitus, duasq; naturas unitas esse, sic ut una persona sit Iesus Christus filius Dei, natus ex Maria uirgine. Manet tamen sua proprietas naturis, Diuina est coæterna patri, humana est creatura orta ex semine Abrahæ, sicut promissio dicit: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Si natura humana in Christo mutata esset in deitatem, ut fingit Suenkfeldius, iam non benediceremur in semine Abrahæ.

Refutatur autem Suenkfeldius multis illustribus testimonijs. Symbolum dicit: Natus ex Maria uirgine, & deinde, sedet ad dextram Dei Patris, ille idem natus ex uirgine sedet ad dextram Dei. Et apud Lucam, Ecce manus & pedes meos, quia ego sum, contrectate me & uidete, quia Spiritus carnem & ossa non habet. Et Rom. 1. De filio suo nato ex semine Dauid secundum carnem.

Etsi autem & nos inuocamus & prædicamus Christum Deum & hominem, sedentem ad dextram Patris, & agnoscimus humanam naturam ineffabili gloria ornatam & immortalem esse, tamen esse naturam humanam genitam ex Maria uirgine, ex semine Abrahæ affirmamus, ideoq; creatam fatemur & prædicamus, eoq; consolationem habemus in Christo, quia fratrem esse scimus, & os ex ossibus eius, & pontificem ex hominibus assumtum, qui ut perpetuō pro nobis interpellat, ita perpetuō est Pontifex Deus & homo.

Repudiamus igitur delirium Suenkfeldij, qui si fatetur Christum esse Deum & hominem, cur negat humanam naturam esse creaturam? Si uocat creaturam tantūm naturam mortalem, cur nouo modo loquitur & conturbat Ecclesias? Nos creaturam uocamus usitato more res à Deo conditas ex nihilo, & ab his ortas.

TESTIMONIA DE EVCHARISTIA NON ADMINISTRANDA, NISI ADSINT QVIBVS EA DISTRIBVATVR.

Non esse administrandā cœnam Domini nisi adsint quibus distribuatur.

CYPRIANVS EPISTOLA III. LIB. II. IN ADMINISTRATIONE HUius Sacramenti, nihil aliud quām quod Christus fecit facere debemus, Facite inquit hoc in meam commemorationem. Dominus autem dedit panem & poculum discipulis, atq; dixit: Accipite, manducate, hoc est corpus meum, Accipite & bibite, Hic est sanguis meus. Quando igitur hoc mysterium celebrandum est, oportet conuenire discipulos Christi, & Sacramenta illa distribuere, sicut fecit Dominus.

Tempore Apostolorum & postea, circiter 400. annos in Ecclesijs celebratissimis fuit hæc consuetudo: Vna Missa celebrabatur, in qua cūm factæ essent orationes & concio, plures sumebant Sacramentum corporis & sanguinis Christi, Nec solebant fieri Missæ sine plurium communione, sed accedebāt pij, & usu Sacramenti suam fidem excitabant & confirmabant. Hic mos primus conuenit institutioni factæ à Christo ipso, cūm dicitur, Accipite, manducate, Hoc facite in mei recordationem.

Hinc

Hinc Paul.1.Cor.10. Morẽ ſui tẽporis deſcribens addit ſe à Domino acce-
piſſe,quod tradidit: Diſcernit hanc cœnam ã profana,& monet hunc morem
non eſſe inuentum humanum, ſed rem diuinitus inſtitutam & ordinatam,&
clarè iubet ſimul ſumere in publico cœtu. Conuenientes ad manducandum,
inquit,expectate uos mutuo. Item,Vnus panis, unum corpus multi ſumus,o-
mnes enim ex uno pane participamus, Ergo hoc myſterium cũm multi conue-
niunt celebrandum eſt. Nec tamen plures panes, ſed unus panis frangatur,
Nam dicit omnes de uno pane participamus,non, Aliqui de hoc, Aliqui de a-
lio,ut hodie in uno cœtu multæ Miſſæ habentur: Multò minus uerò congruit,
ut,multis conuenientibus ad hoc ſacrum, unus tantum de hoc pane & poculo
participet.

Hunc morem diu manſiſſe in Eccleſijs ſine ullis priuatis Miſſis teſtatur
etiam Dionyſius, qui multis uerbis deſcribens ritum Miſſæ, narrat talem fu-
iſſe communionem plurium.

Clemens: Tot in altari holocauſta offerantur,quot populo ſufficient.

Nicena Synodus præcipit hoc modo: Accipiant Diaconi ſecundum or-
dinem poſt Presbyteros, ab Epiſcopo uel à Presbytero ſacram cõmunionem.

Hinc apparet unum fuiſſe, qui cæteris Presbyteris, Diaconis, & populo
porrigebat,nec fuiſſe ſingulorum presbyterorum peculiares oblationes.

Chryſoſtomus ait: Sacerdotem ſtare ad aram alios accerſentem ad com-
munionem, alios arcentem.

Capit. Peracta. Diſt. 2. Sic ait: Peracta conſecratione omnes communi-
cent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere luminibus, Sic enim etiam Apoſtoli
ſtatuerunt.

Auguſtinus lib.2.Retractionum: Vt hymni de altare dicerentur de Pſal
morum libro, ſiue ante oblationem, ſiue cum diſtribueretur populo quod fu-
iſſet oblatum.

Item: Omnibus tamen Dominicis communicandum ſuadeo, ſi tamen
mens in affectu peccandi non ſit. Item ad Paulinum: Fiunt orationes,cũm il-
lud quod eſt in Domini menſa benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuen-
dum comminuitur.

Chryſoſtomus in Epiſt. ad Epheſ. Homil.3. ſcribit: Quicunq; myſterio-
rum conſors non eſt, impudens & improbus aſtat. Et: Qui non dignus ſit
communione,cũm ait, etiam indignum eſſe precatione. Item: Quomodo,cum
manſeris, de menſa iſta non participas?

Item: Non ut in ueteri lege partem Sacerdos, partem populus comede-
bat,Sed nunc unum corpus & unum poculum omnibus proponitur.

Cyprianus de lapſis: Vbi uerò ſolennibus adimpletis,calicem offerre Di-
aconus præſentibus cepit, & aduenientibus cæteris, locus puellæ aduenit &c.

Ex Concilio Toletano: Poſt orationem Dominicam &c. panis & cali-
cis benedictio in populum ſequatur,& tum demum corporis & ſanguinis Do
mini Sacramentum ſumatur, eo uidelicet ordine,ut Sacerdos & Leuita ante al-
tare communicent,in choro clerus, extra chorum populus.

In utroq; Canone Græco & Latino uerba teſtantur, fuiſſe morem com-
municandi pluribus,ut cùm dicunt: Sacramenta quæ ſumſimus &c.

Ratisbonæ 7. Iunij. Anno 1541.

ANNOTATA A DOCTORE CASPARO CRVCIGERO RATISBONÆ AD REFVTANDAS PRÆSTIGIAS SOPHISMATVM ECCIANORUM *in præcipuis doctrinæ Christianorum capitibus.*

περὶ δικαιοσύνης τῆς ἐκ πίστεως.



OSTER ARTICVLVS DE FIDE IN SVMMA HOC DICIT, QVOD detur nobis remissio peccatorum propter Christum, non propter proprias uirtutes, Et quod hoc oporteat credi. Negare has duas propositiones est contumelia afficere filium Dei uicti mam, est Christum iterum crucifigere, est ἀθετεῖν τὴν χάριν θεοῦ. Ideō simus in huius sententiæ defensione firmi.

Concedit hanc propositionem Eccius: Gratis iustificamur. Sed non concedit hanc: Sola fide iustificamur. Intelligit enim iustificari de infusione uirtutum, ut si diceret, Gratis donamur uirtutibus, Non autem donamur sola fide, Seu, non sola fides est donum.

Iustificari apud Paulum. Paulus intelligit iustificari pro reconciliari, seu, consequi remissionem peccatorum & acceptationem coram Deo. Et cum ait GRATIS, refert particulam ad iudicium nostræ conscientiæ de uoluntate Dei: Non tantum disputat, quod Deus gratis donet, sed addit, FIDE, Iubet nostras conscientias statuere, quod gratis accipiamus: Illud autem est credere. De certitudine nostrarum conscientiarum agit, non agit de prædestinatione.

Oppone ergo τῷ σοφίσματι ἐκκιάνῳ.

Argumentum contra Eccij sophismata de iustificatione.

I. Quod iustificari significet accipere remissionem peccatorum & acceptationem.

II. Quod particula GRATIS quærat de causa propter quam accipimus ἄφεσιν.

II.

Vtrum propter filium Dei, an propter nostram dignitatem? Quærat item an postea placeamus propter filium Dei μεσίτην, an uero propter propriam dignitatem. Dicere GRATIS, est dicere, propter τὸν μεσίτην υἱὸν τοῦ θεοῦ. Et hoc dicitur, ut nos sic sentiamus, & hac fide beneficium accipiamus. Non dicimus, quod DEVS, nobis ignorantibus & non applicantibus fide beneficia Christi, sic conuertat nos: ut dicere possemus, Deum gratis propter Christum dedisse pacem Aegyptijs. Sed ideō dicitur, GRATIS fide propter Christum, ut nobis applicemus, iuxta illud, Ipse est nobis iusticia, redemtio &c.

III. III. Paulus dicit nos imputatione esse iustos, Ergo particulam GRATIS, non tantum sic intelligit, quod ante conuersionem gratis recipiamur, ac postea placeamus propter proprias uirtutes τοῦτο δεῖ ἐναργέστερον.

IIII. IIII. Viuo in fide filij Dei: Desineret Christus esse Mediator post donatas uirtutes. Manet autem Mediator, ut propter ipsum placeamus: Quia semper retinenda est hæc sententia, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Item, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item, Si iustificarent uirtutes & opera post nouitatem, etiam τὸν δάειδ iustificassent ceremoniæ: nam obedientia in his tam necessaria erat, quam in moralibus.

V. V. Imaginatio aduersariorum est tantum Philosophica: Negant hominem esse iustum propter uirtutes morales, Sed cogitant esse iustum propter uirtutes Heroicas ortas ab afflatu. De Christo nihil dicunt. Hæc sunt Platonica.

VI. Sed

VI. Sed omnium argumentorum ἐνεργέσατον ἐσί, quōd oporteat addi Fi- VI.
DE: Quia textus clarè dicit de promiſsione, promiſsionem oportere accipi fide. Remiſsio eſt promiſſa ac reuelata, non propter legem &c. Credendum iuranti Deo: Viuo nolo ego mortem &c. Qui non credit mendacem facit &c.

VII. Quotidie in omni inuocatione cogitandum, Quomodo Deus ex- VII.
audiat, cum dicatur, peccatores Deus non exaudit.

Videtur autem ἐπίτασις certaminis fore magis de altera parte, ὅτι ἡ καινότης meretur uitam æternam.

Paulus, δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι.
Item, πάντες ἥμαρτον, καὶ ὑσερῦνται τῆς δόξης &c.
Item, διὰ τοῦτο ἐκ πίσεως ἵνα κατὰ χάριν &c.
Item, πῦ ἡ καύχησις; ἐξεκλείσθη.
In Corinth. Qui gloriatur, in Domino glorietur.
In Epheſ. τῇ χάριτι σεσωσμένοι διὰ πίσεως ὐκ ἐξ ὑμῶν. Θεῦ τὸ δῶρον, ὐκ ἐξ ἔργων, ἵνα μή τις καυχήσηται.

Chriſtus meruit nobis gratiam & gloriam. Bonauentura: Vnde in ſola fide paſsionis Chriſti remittitur omnis culpa.

Bonum argumentum quod non propter ſequentes uirtutes ſit iuſtus Dauid, Quia Paulus ait etiam circumciſionem non eſſe iuſticiam.

Obijcient.

Ore fit confeſsio ad ſalutem. Item, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſticiam. Merces ueſtra copioſa eſt in cœlis, Recipiet centuplum, & poſt hanc uitam, uitam æternam. *Refutatio obiectionum de iuſtificatione.*

Vita æterna dicitur merces, Ergo nouitas eſt meritum. Valet conſequentia ex natura correlatiuorum.

Nego conſequentiam. Quia merces hic ſignificat compenſationem non debitam propriè propter hoc. Sed quæ propter aliud ἰδίως καὶ κυρίως δίδοται.

Argumentum.

Operibus eſt promiſſa uita æterna, ergo opera merentur uitam æternam, Vt ſi dicerem, pugnanti eſt promiſſum præmium, Ergo pugna meretur præmium. Reſpondeo, Sequeretur in æquiualentibus. Sed primum nego promiſſam eſſe operibus tanquam proprio precio ſeu merito: ſed cùm propter aliud detur ſimul fit compenſatio pro illis. Vel, Concedo antecedens de operibus fide factis: His promittitur non ut proprio ſeu æquiualenti precio, ſed quia fide iam ſunt hæredes promittitur etiam hæc compenſatio, quæ tamen eſt gratuita.

Aliud argumentum.

Non nudum reperiri eſt neceſſarium ad ſalutem 2. Cor. 5.
Non nudum reperiri eſt noua obedientia.
Ergo noua obedientia eſt neceſſaria ad ſalutem.

ἢ ὅυτως.

Viuificatio eſt formaliter noua uita & obedientia.
Viuificatio eſt neceſſaria ad ſalutem.
Ergo noua obedientia eſt neceſſaria ad ſalutem.

Reſpondeo. Noua obedientia fidem ſequens eſt neceſſaria ad uitam æternam, non quōd ſit precium aut meritum uitæ æternæ, aut iuſticia quæ poſsit opponi iudicio Dei, ſed quōd ſit effectus, ſeu nouitas coniuncta fidei, ſeu debitum neceſſariò ſequens, & placeat, quia perſona iam eſt accepta.

Aliud.

Psalm. Iudica me secundum innocentiam meam. Ergo est innocentia & propria iusticia, quæ potest opponi iudicio Dei,& digna uita æterna.

Respondeo. Concedo esse propriam iusticiam placentem Deo postquam fide recepti sumus, & agnoscimus eam, quanquam imperfectam, placere, Ac deinde concedo esse dignam præmio. Vel sic: Iudica me Deus secundum innocentiam meam: Vel personalem,sic nego: Vel ministerij,sic concedo. Quia talis orans intuetur promissionem ministerio factam. Alibi dicitur Psalm.78. Ne memineris iniquitatum nostrarum propter gloriam nominis tui. Item, Scis insipientiam meam &c.

ἄλλο.

Propter iusticiam datur uita æterna. Ergo propter meritum. Nego consequentiam, & ratio est, Quia illa ipsa iusticia est gratis accipere imputationem.

Contrà.

Ezechias orat, Memento quòd colui te uero corde.

Respondeo. Non allegat meritum, sed causam cui facta est promissio, id est, allegat fidem quæ misericordiam quærit debitam propter promissionem. Vel, allegat ministerium, rogat ut seruet ministrum, sicut Dauid orat. Custodi me quia sanctus sum, scilicet sanctitate ministerij, seu uocationis. Item, Salua me propter innocentiam meam, scilicet, non personalem sed causæ iusticiam.

QVATVOR CAVSÆ QVARE

τὸ μόριον ἐκκλεισικὸν defendendum τῇ πίςει δωρεὰν.

Quatuor causæ quare sit retinenda exclusiua gratis.

I. Vt debitus honos tribuatur Christo.

II. Vt conscientiæ firmam habeant consolationem, seu, ut tollatur dubitatio.

III. Vt uera inuocatio & ueri cultus præstentur.

IIII. Vt retineatur discrimen Legis, & promissionis, quæ est propria Euangelij. Nam promissiones legales sunt conditionales.

Quod si dicat aliquis: Paulum non excludere infusas uirtutes, sed tantùm opera Legis, id est, ea quæ docente lege sine Spiritu sancto fiunt, atq; detrahere legi iustificationem tantùm in eam sententiam: Ergo iustus erit quisq; propter uirtutes πνευματικὰς: Et dicat has communi appellatione uocari fidem.

ἀπόκρισις.

Ex hac imaginatione tamen (si dicas Paulum habere remissionem propter proprias uirtutes) Sequitur eum non habere remissionem propter Christum. Id urget Paulus dari remissionem propter Christum,non propter nostras uirtutes, siue lege docente factas, siue postea donatas. 1. Corinth. 1. Ipse est nobis iusticia, redemtio &c. 2. Cor. 5. Vt in ipso fieremus iusticia. Item: Paulus contendit nos imputatione iustos esse, Ergo intelligit, sola fide, non propter nostras uirtutes nos iustos esse.

Si est dicendum de Paulo renato: pendet quæstio ex altera, uidelicet, An in Sanctis maneat peccatum.

Hic

Hic Thomas dicit, quòd homo mereatur propter habitum gratiæ de condigno, & propter liberum arbitrium. Ergo fieret incertitudo propter uiciosam naturam.

Expende dictum: Meritum nihil est, nisi præcedente gratia. Ergo prius habet remissionem: Et tamen non dixerunt unde habeat.

Oppono.

Homo semper habet opus remissione, Ergo semper fides præluceat, semper teneat Mediatorem, semper sciat se placere non propter suam dignitatem, sed per misericordiam, iuxta illud, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quibus non imputatur peccatum. Item, Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Item, Non intres in iudicium cum seruo tuo &c. Item, Qui gloriatur in Domino glorietur. Item, Pro hac orabit ad te omnis sanctus. Item Danielis 9. Tibi Domine iusticia, exaudi nos propter Dominum.

DE MISSA.

Disputandum de applicatione.

Applicatio dupliciter pugnat cum Euangelio.

I. Transfert meritum Christi in hoc opus sacerdotis, uel certè communicat.

II. Tollit doctrinam de fide.

III. Non est applicatio sacrificij, sed si fiat distributio, fit applicatio ut Sacramenti. Et distributio ac recordatio sunt Essentialia. Applicatio est per ministerium uerbi, 2. Cor. 5. Δέμεν Θ᾽ ὑμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς.

Applicatio dupliciter pugnat cum Euangelio.

CONFIRMATIONES NOSTRÆ

Sententiæ.

I.

Omnis cultus non institutus in Euangelio reijciendus est, iuxta illud, Frustra colunt me mandatis hominum. Oblatio & applicatio non sunt institutæ in Euangelio. Igitur sunt reijciendi cultus.

Argumenta contra applicationem.

II.

Applicatio pugnat cum Euangelio dupliciter. I. Transfert meritum Christi in opus sacerdotis, Contra textum, Vna oblatione cõsummati sumus. II. Tollit doctrinam de fide: fingitur quòd opus sacerdotis mereatur remissionem peccatorum facienti & alijs.

III.

Tantùm consequimur remissionem peccatorum propria fide, quæ statuit propter Christum nobis ignosci, Ergo non consequimur propter opus seu meritum sacerdotis.

IIII.

Nulla est applicatio nisi per uerbum & Sacramentum.

Hic non fit exhibitio uerbi & Sacramenti.

Ergo non est applicatio, quæ est usus Sacramenti, non est opus meritorium alijs: Quia sibi quisq; applicat fide, prodest singulis sua cuiq; fide, Nemo potest alteri applicare, sed sibi unusquisq; applicat fide ἡ δὲ διὰ συμβόλου μετάλη-

V.

Nemo potest applicare alteri, nisi qui dat fidem. Solus Christus dat fidem. Ergo &c.

VI.

Omnia sacrificia ceremonialia cessant in nouo Testamento, iuxta illud, Hostiam & oblationem noluisti. Item, Offerentes spirituales hostias.

VII.

Epistola ad Hebræos inquit: Neq; ut sæpē offerat semetipsum. Item, Iam non est oblatio pro peccato.

VIII.

Posita applicatione pro uiuis & mortuis in cœna fit opus prorsus non institutum à Christo. Sacramentum extra usum institutum à Christo desinit esse Sacramentum, ut iam Iudaica circumcisio non est Sacramentum. Ergo oblatio in priuatis Missis est Idolatrica.

DE OBLATIONE.

Argumenta contra oblationem.

I. Non possumus plus facere, quām quod fecit ἀρχιερεὺς noster. Christus Pontifex non obtulit panem & uinum. Ergo nec nos debemus.

II. Vrgenda ratio Sacramenti, ratio Testamenti. Sacramenti ratione accipimus, non offerimus, nec habet Sacerdos potestatem applicandi, sed sibi quisq; fide applicat. Item, institutio est communis pro Laicis & Sacrificulis. Laicus non offert nec applicat alijs. Ergo nec Sacrificulus.

III. Si non est applicabile opus, Ergo non est opus priuatis Missis, in quibus semper hic error est, quòd oblatio ualeat pro alijs, semper manet persuasio ualere oblationem pro alijs.

IIII. Omnia ceremonialia sacrificia cessant in nouo Testamento. Ad Hebræos: Neq; ut sæpē offerat semetipsum. Item, Iam non est oblatio pro peccato. Item, Vna oblatione consummati sumus. Præterea Papistæ tribuunt oblationi quod tribuendum est sumtioni. Item, Cœna est exhibitio promissionum Euangelij, Ergo non est sacrificium legale sed ceremoniale.

V. Repetenda historia ueteris oblationis. Oblatio fit, uel Deo ad gratiarum actionem, uel populo ad recordationem. Veteres offerebant pro Ecclesia, id est, ut distribuerentur illæ res pauperibus in Ecclesia. Et quæ offerebantur in gratiarum actionem, non redibant ad usus offerentium. Offerimus pro S. Laurentio, id est, gratias agimus.

κατὰ τῆς θεατρικῆς λϛτυργίας.

I. Dic quōd hæc tota declaratio pugnet cum Canone: Ibi orant pro Christo, non sistunt eum patri, & dicunt hoc sacrificium præsens ualere ad remissionem.

II. Non assumes nomen Dei in uanum. Oblatio non est instituta.

III. Non possumus aliud sacrificium offerre, quām quod obtulit Christus Pontifex. Christus Pontifex non obtulit panem & uinum. Ergo nec nos.

IIII. Omnis offerens offert aut dona pro peccatis, aut offert rem qua agit gratias. Sacerdos non offert donum seu preciū pro peccatis, nec dici potest quōd offerat ipsum Christum gratias agentem, aut tanquam σύμβολον τῆς εὐχαριστίας &c. Ergo nihil offert.

CON-

CONTRA REPOSITIONEM VNIVS partis, eiusdemq; repositæ circumgestationem ac adorationem.

I. Argu:

Tunc fit Sacramentum cũm omnes causæ concurrunt, & seruatur intentio eius finis qui institutus est, consequendi: Vt, si quis uteretur Baptismo magicẽ pro morbi alicuius depulsione, iam non esset Baptismus. Cœna fit ad sumendum. Ergo tunc tantum Sacramentum est, cùm accedit sumtio. *Contra repositionem, circumgestationem & adorationem panis.*

II.

In Sacramentis debet esset certitudo. In actione tantùm est certitudo. Ergo tutissimum est actione contentum esse.

III.

Præsentia est uoluntaria, non est conuersio Physica, aut localis inclusio. Ergo est actionis præsentia.

IIII.

Deus non est alligandus, ubi ipse se non alligat. Christus non alligauit se ad panem extra usum, Quia adest propter hominem, non propter panem.

V.

Textus dicit, Accipite, manducate, Hoc facite.

VI.

Christus adest hominis causa, non propter panem. Verba recitantur non propter panem, sed propter auditorem.

VII.

Sacramentum constat uerbo & signo, quæ in usu non debent diuidi. Fit diuisio cùm datur panis sine recitatione uerborum, sine concione, Ergo est abusus.

AD ARGVMENTA IN OPPOSITVM.

I. Omne Sacrificium ceremoniale est applicandum. Hoc est sacrificium ceremoniale. Ergo. *Refutatio obiectionum de oblatione.*

Respondeo. Primum nego Maiorem, Omne sacrificium ceremoniale esse applicandum, id est, meritorium remissionis: Sed hoc est applicandum per distributionem. Deinde nego Minorem, Quia oblatio non est instituta, qua retinetur differentia operis Laici & Sacerdotis.

II. Omnibus temporibus oportet esse sacrificium ceremoniale, Respondeo. Negandum est, Quia in nouo testamento nullum est ceremoniale sacrificium, Quia est æternum sacerdotium Christi, Nec ullum fuit unquam sacrificium ex opere operato.

III. Ecclesia uniuersalis non errat. De Missa applicanda consensus est Ecclesiæ uniuersalis. Igitur &c. Respondeo primùm ad Maiorem, Ecclesia aliquandò magis, aliquandò minus habet explicatos Articulos. Deinde ad minorem, Multi in Ecclesia, ut Laici, rectè usi sunt Sacramento, nec probauerunt illam applicationem &c.

IIII. Gratiarum actio semper est bonum opus. Hæc ceremonia principaliter est gratiarum actio, facienda, sicut in lege mactatio quotidiana. Ergo est bonum opus.

RESPONSIO.

Nego Minorem, Quia non ualet ex opere operato. Item, Oblatio non est

institutа, Nec est recordatio pro alijs, sed unusquisq; pro se recordari debet. Non est institutа principaliter propter recordationem ὥσπερ ἔργον, ἀλλὰ ὥσπερ παραμύθιον, est donum alijs dandum ad fidem excitandam, ad consolationem. Item, est institutа ut plures sumant 1. Corinth. 10.

Appendix.

I. Applicatio Papistica pugnat cum ratione Sacramenti, Quia distributio fieri debet.

II. Sicut opus nihil potest sine fide, Ita applicatio nulla est sine fide.

III. Applicatio tradita in scripturis est usus Sacramentorum, in quo utens Sacramento, per id sibi applicat beneficium Christi fide.

IIII. Opus in uel ab alio, factum non est applicatio pro alio: Vt Baptismus Petri non est applicatio pro Iohanne. Igitur missa non potest sic applicari.

ENARRATIO SYMBOLI NICENI POSTREMA, AB SOLVTA ANNO CHRISTI M. D. LVII.

DE DEO.

In uera inuocatione quæ cogitanda.

IN VERA INVOCATIONE NECESSE EST COGITARE, QVID ALLOquaris, quid sit Deus, & quomodo se patefecerit, an te, & cur uelit exaudire tuos gemitus, & quòd uelit discerni ab omnibus commenticijs numinibus, & ab omnibus creaturis. Quare primum omnium tenendæ sunt definitiones sumtæ ex testimonijs diuinis, quæ nos cõmonefaciunt, & quid sit Deus, & quomodo uelit agnosci & inuocari, & quo discrimine cogitandæ sint personæ, & seiungenda sit inuocatio nostra ab Ethnica inuocatione: Sit igitur hæc definitio prima.

Definitio Dei.

Deus est essentia spiritualis, æterna, intelligens, alia à creaturis omnibus, uerax, bona, iusta, benefica, casta, misericors, liberrima, immensæ sapientiæ & potentiæ, irascens peccatis, Pater æternus, qui filium ab æterno imaginem suã genuit, & filius imago patris coæterna, & Spiritus sanctus procedens à patre & filio, sicut patefacta est diuinitas certo uerbo & testimonijs diuinis, quòd pater æternus cum filio & Spiritu sancto condiderit cœlum & terram, & omnes creaturas, & adsit omnibus creaturis, quo ad conseruationẽ, & colligat sibi in genere humano Ecclesiam æternam, propter Filium & per eum, & sit iudex iustorum & iniustorum.

Testimonia patefactionis in inuocatione cogitanda sunt

Cùm igitur inuocamus Deũ, cogitemus ubi & quibus testimonijs sese Deus patefecerit, ut in Baptismo Christi, & discernamus eum ab omnibus creaturis, & agnoscamus qualis sit, et discernamus personas, sicut nobis reuelatæ sunt.

Quomodo sint patefactæ tres personæ.

Pater cum Filio & Spiritu sancto est conditor et conseruator omnium creaturarum, et uult agnosci Filium & Spiritum sanctum. Sic autem Filium nobis patefecit, quòd sit is, per quem dicit decretum de Creatione & Redemtione, & quòd hic Filius constitutus sit mediator, & initiõ protulerit Euangelium ex sinu æterni patris, ostendat patrem, & conseruet ministerium Euangelij, & certo tempore assumta humana natura, sit factus redemtor, & quòd propter hunc

hunc filium uelit nos exaudire,& propter eum,& per eum saluet nos, & quòd ipse filius immediatè uiuificet corda in consolatione per Euangelium, & sic pater & filius effundant Spiritum sanctum, qui immediatè est lætitia, qua Deo copulamur, Sicut inquit Paulus: Accepistis non Spiritum seruitutis ad timorem,sed Spiritum adoptionis filiorum,quo clamamus Abba pater. Item 2. ad Timoth. 1. Non dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis & castitatis. Ita discrimina personarum piè cogitemus, & suas proprietates singulis attribuamus, nec existimemus ociosa uocabula esse Filiũ & Spiritum sanctum,ac de singularum personarũ proprietatibus postea plus dicetur.

Ethnici errãt de essentia & uoluntate Dei.

Non sic inuocat Xenophon,qui etiamsi cogitat,Deum esse unicam essentiam & personam sapientem,ueracem,iustam,beneficam,uindicem scelerum,tamen non potest statuere,an & cur exaudiatur, imò dupliciter errat, & de essentia Dei,& de uoluntate Dei. Hac distributione utamur docendi causa, ut melius cogitemus,quid sit idola cõminisci.Etsi enim dicunt Ethnici,Iudæi & Mahometistæ, se hoc nominare Deum,quod est intelligens essentia,æterna,bona, iusta,omnipotens,conditrix mundi,tamen negant hunc esse uerũ Deum, qui se in Ecclesia patefecit,qui affirmat esse unam essentiam diuinam, cõditricem, Patrem, filium & Spiritum sanctũ. Aberrant igitur à uero Deo,qui se certis et illustribus testimoniis patefecit,& fingũt sibi aliquid esse Deũ,sine patefactione diuina, & alij alios furores comminiscuntur,ut Stoici cogitant Deum esse mentem infusam mundo,quæ non possit aliter agere,quàm sicut cient suos motus causæ secundæ.

Postea errant Ethnici,Iudęi,Mahometistę,& alij hostes Euangelij etiam de uoluntate Dei,quia ignorant Mediatorem & promissiones,ac dubitant,an recipiantur & exaudiantur à Deo,& quanq̃ in rebus secundis ociosi cogitant se Deo curæ esse,tamen postea in iudicio,aut doloribus, suam dubitationẽ confitentur,uel Epicurei fiunt,uel irascuntur Deo, ac fremũt aduersus iudiciũ eius.

Hic igitur necesse est tenere doctrinam sæpè repetitam à filio Dei,Qui non honorat Filium,non honorat Patrem. Item,Nemo uenit ad Patrem nisi per filium. Item,Hæc est uita æterna,ut cognoscant te solum uerum Deum,& quem misisti Iesum esse Christum. Item, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit,& pater meus diliget eum,& ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Item, cùm non nosset mundus Deum per sapientiam, placuit ei per stultam prædicationem saluos facere credentes. Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum.

Non rectè agnoscitur Deus sine notitia Mediatoris.

Hæc & similia dicta affirmant non rectè agnosci Deum sine notitia Mediatoris & promissionum. Discernunt igitur Ecclesiam à cæteris gentibus, & in uera inuocatione,singulæ personæ intuendæ sunt, & cogitandum est, quæ sint officia, & quæ singularum sint proprietates, inuocas simul Patrem æternum, filium & Spiritum sanctum,& agnoscis eos esse unam essentiam diuinam,conditricem rerum, & opitulatricem, simul etiam credis Filium esse missum, ut sit propiciator, propter quem tota diuinitas te recipit & exaudit, & qui est λόγος patefactor Euangelij, & reuera est efficax in corde tuo cum uoce Euangelij te sustentas, in qua cernis uoluntatem Dei, & effundit Spiritum sanctum in cor tuum, & lætitiam & motus Deo congruentes accendit iuxta dictum: De Spiritu sancto suo dabit uobis.

Primùm autem sint in conspectu testimonia, quæ affirmant unam esse

Testimonia quod sit una essentia diuina

essentiam diuinam, æternam, immensæ sapientiæ, potentiæ, iusticiæ & bonitatis, creatricem cœli & terræ, angelorum & hominum, & aliarum rerum omnium, quæ non sunt, æternus Pater, coæternus filius, & coæternus Spiritus sanctus. Ita dicitur de unitate Essentiæ. Deut: 6. Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est, id est, Hic Deus qui in Israël patefactus est suo uerbo, & qui populum eduxit ex Aegypto, solus est Deus, & non alia commentitia numina, quæ ab alijs gentibus nominantur Dij. Quare in textu scriptum est, Deus noster, id est, patefactus in Israël, hunc uerum Deum agnosceto, & discernito ab omnibus alijs gentium commentitijs numinibus & Idolis, sicut mandatum est: Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies.

Adoratio quid sit.

Est autem adoratio confessio, quòd illa sola essentia quam alloqueris ut Deum, uerè sit talis, ut suprà in descriptione Dei dictum est, & quòd exaudiat propter filium, ac propterea ab hac sola omnipotenti essentia, sapienti & bona, mens petit auxilium, & huic agit gratias, id est, fatetur quòd ab ea acceperit bona, fatetur item quòd huic soli essentiæ summa obedientia debeatur, & quòd uerè puniat contemtum.

Iehoua appellatio propria Dei patefacti.

Sciant autem iuniores appellationem יְהוָה propriam esse ueri Dei patefacti primis Patribus, & in Israël, qua initiò uera Ecclesia distinxit suam inuocationem ab Ethnica, sicut nos dicimus. Deus qui te patefeciſti misso Filio Domino nostro Iesu Christo, crucifixo & resuscitato.

Huc iam addantur plura testimonia, ut Deut: 4. Vt scias quòd Dominus est Deus, & non est alius præter eum. Deut: 32. Videte quòd ego sim solus, & non est alius præter me. Esaiæ 45. Ego sum Deus, & non est ullus præterea, præter me non est Deus formans lucem, & creans tenebras. Item, Non est alius Deus præter me, Deus iustus & saluans non est præter me.

Testimonia de alijs Dei proprietatibus.

Colligantur & de singulis attributis Deo, perspicua testimonia, ut quòd sit sapiens, liber, iustus &c. ut 1. Timoth. 1. Soli sapienti Deo honos, & 1. Paralip: 28. Omnia corda scrutatur Deus. Et de libertate Psalm. 114. Omnia quæcunq; uoluit fecit.

Quando unitas tribuatur Deo & quando discernantur personæ.

Monendi sunt & hoc iuniores, cùm opponitur Deus creaturis, fit mentio unitatis, quia una est essentia creatrix, & simul tres personæ sunt illa creatrix essentia, sed personæ discernuntur, cùm diuinitas intra sese describitur, & cùm de incarnatione filij, & de missione Spiritus sancti dicitur.

Vsus uocabuli persona.

Hic autem dicendum est de uocabulo personæ, quod in Ecclesia aliter usurpatur, quàm in ueteri lingua Latina, Græci magis perspicuè locuti sunt, qui nominant ὑφισάμενον, id est, subsistens, quasi dicat, non tantùm imaginatione cogitandum, sed re ipsa subsistens uiuum & intelligens, obscurius est cùm dicunt ὑπόστασις, tamen & hoc nomine multum usa est antiquitas, pro eo quod dixerunt ὑφισάμενον. Postea Latinos Græci imitati dixerunt πρόσωπα. Sed definitio in Ecclesia hæc traditur. Persona est subsistens uiuum, indiuiduum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio. Harum particularum declaratio postea sequetur. Discernit autem Ecclesia οὐσίαν & ὑφισάμενον. Intelligit enim οὐσίαν communem essentiam, æternam & omnipotentem Patris, Filij & Spiritus sancti, sed ὑφισάμενοι sunt subsistentes reipsa, non tantùm imaginatione distincti, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Hoc enim uult Ecclesia docere, Patrem, Filium & Spiritum sanctum discerni non tantùm uocabulis, sicut multa sunt uocabula Dei apud Heb: אֵל שַׁדַּי אֱלֹהִים sed reipsa alium subsistentem esse

Persona quid sit.

Patrem,

Patrem, alium subsistentem esse Filium, alium subsistentem esse Spiritum sanctum, etiamsi sunt ὁμοούσιοι.

DE PATRE.

PAter æternus est prima persona diuinitatis, non nata nec aliunde procedens, sed quæ genuit ab æterno filium imaginem suam, & à qua procedit Spiritus sanctus, & quæ cum Filio & Spiritu sancto res alias omnes creauit & conseruat. *Dei Patris descriptio.*

DE FILIO.

FIlius æternus est secunda persona diuinitatis, quæ est substantialis & integra imago æterni Patris, ὁμοούσιος Patri, quam Pater sese intuens & considerans ab æterno gignit, quæ nobis quidem sic manifestatur, quòd sit persona, per quam Pater dicit decretum, & totum ordinem creationis & reparationis hominum, & mittitur, ut patefaciat Euangelium, & assumat humanam naturam, & sit Mediator, Redemtor, Iustificator & Saluator. *Dei Filij descriptio.*

DE SPIRITV SANCTO.

SPiritus sanctus est tertia Persona diuinitatis, procedens à Patre & Filio, & est substantialis amor, & lætitia coæterna inter Patrem & Filium, ὁμοούσιον Patri & Filio. Et nobis sic quidem manifestata est, quòd mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem & lætitiam acquiescentem in Deo in eis accendat, qualis est ipse, sicut 2. Timoth. 1. expressè scriptum est, Non dedit nobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis Dei & castificationis. In his descriptionibus semper cogitatione complectamur simul communia attributa, quæ omnibus personis congruunt, omnipotens, sapiens, uerax, benefícus, iustus, castus, misericors. *Dei Spiritus sancti descriptio.*

Sciendum & hoc est, tres esse personas, & nec plures nec pauciores, quia sic se patefecit diuinitas, & in confessione Baptismi, hæ tres personæ nominatim commemorantur æquali honore celebrandæ, de quibus & alia testimonia ex scripturis mox recitabimus: Ac de singulis dicendum est, quas habeant appellationes, & ostendendum est tres esse personas, & quòd sint ὁμοούσιοι. *Tres & non plures personæ diuinitatis sunt patefactæ.*

Nomina filij: Filius æternus nominatur imago æterni patris Heb. 1. Qui est fulgor claritatis & imago substantiæ eius, Nominatur & Verbum Ioh. 1. In principio erat uerbum. Harum duarum appellationum collatio declarat utranq; quia enim uerbum nominatur, intelligimus filium cogitatione gigni. Nam Verbum est aliquid cogitatione natum, & cum nos homines aliquid cogitamus, formamus imagines. Cumq; nostris uocabulis usa sit scriptura, & nominet filium imaginem æterni patris, intelligi potest, Verbum sic gigni, quia Pater sese intuens integram imaginem suam gignit, & sic scripserunt Basilius & Augustinus: Sed hæc nominis interpretatio tantùm hoc dicit, quòd nominetur λόγος respectu patris, in illa æterna generatione. Significat aũt Iohan: eum dici λόγον & respectu patris, in illa æterna generatione, & respectu creaturarũ, quia sumit narrationem ex Gen: Dixit Deus, fiat lux, & addit: omnia per hunc λόγον facta sunt, Item respectu prolati Euangelij. Filius qui est in sinu *Nomina Filij λόγος & imago quomodo sint intelligenda.*

in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Et Iohan. 8. cùm interrogant Iudæi, Tu quis es, Respondit Iesus, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, initio sum hoc quod loquor uobis: Sit igitur hæc appellatio λόγος nobis dulcissima. Quanquam enim uerũ est filium esse integram & substantialem imaginem patris, & esse λόγον, quia cogitatione nascitur, tamen, & ideo sciamus λόγον dici, quia per eum pater dixit decretum, de toto ordine creationis & reparationis hominum, & hæc persona immediatè mittitur, & ad promissionis promulgationem, & ad conseruationem ministerij, quia Pater non cognosceretur, nisi edito & promulgato uerbo. Loquitur ergo & hæc persona ad patres, conseruat ministerium, & uoce Euangelij dicit consolationem in singulorum credentium cordibus, & monstrat eis patrem.

Filius nominatur à recentioribus etiam sapientia ex Paulo & Syracide.

Scriptores uetusti post Apostolos, filium sæpè etiam nominant Sapientiam, sumta occasione, uel ex 1. capite 1. Epistolæ ad Corinthios, uel ex Prouerbijs Salomonis & Syracide, & uerum est, eodem modo filium nominari posse sapientiam, quo λόγος nominatur. Sed iuniores monendi sunt, non hoc ita accipiendum esse, quasi Pater non sit sapiens propria sapientia, sed ut personæ discernantur, Sciamus Patrem esse personam intelligentem propria intellectione, & Filium esse personam intelligentem propria intellectione. Magis autem perspicuum est cùm nominatur λογος, quomodo enim diceret Pater & gigneret λόγον, nisi ipse esset quiddam intelligens & cogitans, cùm igitur filius nominatur sapientia Patris, intelligatur hoc uocabulum de Sapientia genita seu dicta quæ est λόγος, & lumen de lumine, Paulus loquitur de Sapientia & potentia patefacta in collectione Ecclesiæ, antea enim dixit, Nos prædicamus Christum crucifixum, quem Iudæi, iudicant esse σκάνδαλον, Græci stultitiam, opponit igitur antithesin, imò non est impostor, Nec Euangelium est stulta fabula, sed Christus est persona per quam Deus est efficax, colligit & saluat Ecclesiam, resuscitat mortuos, ita loquitur de potentia quæ patefit in Ecclesia, non hoc uult Patrem esse imbecillem, & tantùm Filij potentia potentem esse. Sic loquitur de sapientia patefacta in Ecclesia, Christus est Dei sapientia, id est, persona per quam nobis Pater hanc arcanam sapientiam patefacit, quòd hoc modo uelit nos saluare. Sic apud Esaiam nominatur filius MIRIFICVS, id est, mirabilia efficiens, colligens & seruans Ecclesiam, resuscitans mortuos: CONSILIARIVS, quia Pater per eum dicit decretum de toto ordine creationis & reparationis, & postea hic filius enarrat nobis hoc arcanum consilium de reconciliatione. In Prouerbijs capite 8, et deinceps, placet mihi intelligi sapientiam ipsum Filium Dei, sed ab initio concionantem in Ecclesia, patefacientem decreta Dei, Legem & Euangelium, Sicut inquit, O filij ad uos clamo. Congruent igitur appellationes λόγος & sapientia de persona patefaciente uoluntatem Dei, & explicanda sunt argumenta.

Filius apud Esaiam nominatur mirificus & consiliarius.

Potentia Dei est nota Gentibus Rom. 1.
Christus est potentia Dei 1. Cor. 1.
Ergo Christus est notus gentibus.

Differunt potentia creationis & saluationis.

Facilis est responsio: Ex puris particularibus non necesse est sequi conclusionem, quia uerum est, aliquam potentiam Dei aliquo modo esse notam gentibus, scilicet essentialem potentiam, ostensam in creatione, cuius opus cernitur,

nitur. Christus est alia potentia, scilicet, personalis, hoc est, est persona per quam Deus potens est in Ecclesiæ saluatione, Sic breuiter responderi potest ad alterum argumentum.

Lex est sapientia Dei, & est nota Gentibus.
Christus est sapientia Dei,
Ergo Christus est notus Gentibus.

Respondeo ex puris particularibus non necesse est sequi conclusionem. Etsi enim Lex est sapientia Dei, tamen non est uniuersa sapientia Dei. Christus autem personalis sapientia est, per quam patefit Euangelium, quod est alia sapientia, non est uox Legis, ut non sequitur, Gentes norunt aliquam sapientiam Dei, uidelicet numeros, Ergo norunt uniuersam sapientiam Dei. *Lex non est uniuersa sapientia Dei.*

TESTIMONIA.

COnsideratis appellationibus, & descriptionibus trium personarum, colligantur illustria & firma testimonia, in quibus Deus hanc doctrinam patefecit, necesse est enim de Dei essentia & uoluntate sic sentire, sicut se Deus patefecit, ut dicitur Iohan. 1. Deum nemo uidit unquã, Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Et de Filio inquit Pater, Hunc audite, inuocationem oportet niti illustribus dictis ã Deo traditis per Filium, Prophetas & Apostolos, ideo nota sint firma testimonia, tradita in scriptis Propheticis & Apostolicis. Hæc in inuocatione intueamur, ut uerum Deum, qui se patefecit in his dictis alloquamur, quòd uerò & Ecclesiæ ueteris confessiones recitamus, eò fit, non quòd inuocatio nitatur autoritate Synodorum, aut Scriptorum post Apostolos, Sed quia Deus in Ecclesia uoluit esse ministerium docendi, quo uult nos deduci ad fontes, ad Prophetica & Apostolica testimonia, & ibi quasi capita doctrinæ indicari, ut commonefacti agnoscamus diuina testimonia. Et Fides ac Inuocatio nitantur perspicuo uerbo Dei, sicut scriptum est, Nisi arassetis mea uitula, non inuenissetis. Et Petro dicitur: Et tu conuersus confirma fratres tuos, uult Deus extare aliquorum confessionem, quibus & ipse testimonia tribuit, ut etiam hoc modo imbecilles confirmentur. *De essentia & uoluntate Dei iudicandum est sicut se patefecit.*

Ac ingentia certamina de hoc articulo semper fuerunt, in quibus utile est considerare, qui fuerint propugnatores, & qui fuerint hostes ueritatis, uiuente adhuc Iohanne Apostolo Ebion & Cerinthus contenderunt, in Messia tantùm esse humanam naturam, & Deum esse unicam personam, quæ nominatur Pater, hoc certamine Iohannes Apostolus motus, scripsit Euangelicam historiam, ac statim initiõ refutauit Ebionis errorem, & perpetuum testimonium nobis reliquit. Deinde renouauit idem certamen Samosatenus, qui negauit in narratione Iohannis λόγον intelligi personam seu ὑφισάμενον. Sed Ecclesia Antiochena eum refutauit & eiecit, ac uocatus ad eam cognitionem Gregorius Neocæsariensis, qui tunc miraculis clarus erat, reliquit testimonium, quod notissimum omnibus esse debet, recitatur autem libro 7. Eusebij pag: 173. Vnus Deus pater, uiuentis Verbi, sapientiæ subsistentis & imaginis suæ, integer integræ genitor, pater Filij unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, imago Patris, uerbum efficax, Filius sempiternus ex sempiterno, Vnus Spiritus Sanctus ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit *Certamina de trinitate in Ecclesia quæ fuerint.* *Ebion.* *Cerinthus.* *Samosatenus.*

Arius.

apparuit sanctificans, per quem Deus super omnia & in omnibus cognoscitur. Deinde exortus est Arius, qui non negauit λόγον esse personam, sed negauit esse natura Deum, & contendit λόγον esse creaturam ex nihilo factam, οὐκ ὄντων. Item fuisse aliquando patrem cùm nondũ esset Filius, ἦν πότε ὅτε οὐκ ἦν. Erat cùm non erat, nõ erat Pater cùm nõ erat Filius. Itaq; post longa certamina Synodus Nicena damnauit, & priores furores Samosateni & furores Arij. Et extat confessio Nicenæ Synodi in Symbolo, quod inde Symbolum Nicenum appellatur, in his disputationibus illustrata sunt dicta Prophetica & Apostolica de tribus personis, & editæ sunt confessiones Sanctorum, qui affirmabant se doctrinam ab Apostolorum discipulis accepisse.

Synodi Nicenæ testimonium.

Nota sint certamina Ecclesiæ, & consideretur per quos testes, & quomodo Symbola tradita sint, Irenæus accepit doctrinam à Polycarpo, Policarpus à Iohanne Apostolo, affirmat autem Irenæus λόγον fuisse personam, antecq; assumsit humanam naturam. Sic enim inquit capite 2. libro 3. ostenso manifestẽ, quòd in principio λόγος fuerit apud Deum, per quem λόγον omnia facta sunt, & qui semper adfuit humano generi, hunc nouissimis temporibus secundum præfinitum tempus à Patre unitum suo plasmati, passibilem hominem misit. Extat & Alexandri Epistola, qui antecessit Athanasium, qui affirmat hanc doctrinam, qua ibi refutatur Arius ab Apostolis acceptam esse.

Polycarpus. Irenæus.

Alexandri testimonium ante Athanasium

TESTIMONIA PROPHETICA ET *Apostolica.*

λόγος apud Iohannem.

IAm adiungamus Symbolis testimonia expressa in libris Propheticis & Apostolicis, tanq; in fontibus. Iohannes descripturus naturas in Christo ordiatur à diuina. In principio erat λόγος, sic nominat Filium Dei, qui postea assumsit humanam naturam, ut ibi inquit: Et uerbum caro factum est. Primum autem de illa natura loquens, quæ fuit ante incarnationem, affirmat λόγον esse æternum, quia inquit fuisse ante creationem, & ait, omnia per ipsum facta esse, & hunc λόγον nominat Deum, inquiens: Et uerbum erat Deus. Nam Græcus articulus testatur λόγον collocandum esse loco Subiecti, & Deum loco Prædicati. Nec ambiguitas est hic in appellatione Dei, narratio enim instituta est ad descriptionem de essentia diuina, ideo intelligatur nomen Dei non de officijs diuinis, quæ gerunt homines, ut alibi dicitur, Ego dixi Dij estis, sed prorsimẽ de æterna, omnipotente, intelligente, bona, uerace, iusta, casta, essentia conditrice, sicut & postea Iohannes affirmat, omnia per hunc λόγον esse condita, & tamen discrimen esse inter λόγον & Patrem indicat, cùm ait: Et λόγος erat apud Deum. Quòd autem sit persona seu ὑφισάμενον clarius ostenditur ex sequentibus: ut cum ait, Et Verbum caro factum est, nam Pater non assumsit humanam naturam, quia sæpissimẽ discernuntur Christus & Pater, Christus ait, se missum esse à Patre. Item, Pater usq; modò operatur, & ego operor. Et cùm dicitur, Verbum caro factum est, non loquitur de uoce euanescente, nec ait factam esse conuersionem unius substantiæ in aliam, sed duas naturas esse unitas τὸν λόγον, & naturam humanam assumtam, quia sæpẽ dicitur de Christo, omnia per eum condita esse, non sunt autem res conditæ per naturam humanam, Ergo λόγος adhuc est etiam postquam naturam humanam assumsit, ideo dicit Iohannes: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est.

Dei appellatio apud Iohannem de essentia intelligenda.

Et Co-

Et Coloss: 1. Omnia per ipsum & in ipsum condita sunt, & ipse est ante omnia, omnia consistunt per ipsum. Et Hebræ. 1. Nouissimè locutus est per Filium, quem posuit hæredem omnium, per quem & secula fecit, qui est fulgor claritatis, & character substantiæ eius, ferens omnia, seu gestans omnia uerbo potentiæ suæ per seipsum, faciens purgationem peccatorum.

Sunt igitur duæ naturæ in Christo nato ex uirgine, λόγος & humana natura assumta. Est igitur λόγος persona, & quidem alia à persona Patris.

Alia testimonia multa sumuntur ex proprietatibus Dei, uidelicet ex omnipotentia & inuocatione. Iohan. 5. Pater meus usq; modò operatur & ego operor, quæ ille facit & Filius similiter. Item, Sicut Pater exuscitat mortuos & uiuificat, sic & Filius quos uult uiuificat. In hac concione expressè affirmat Christus, se unà cum Patre creare, sustentare creaturam, seruare Ecclesiam, reddere uitam mortuis, quæ sine ulla dubitatione sunt solius naturæ omnipotentis propria. *Testimonia ex omnipotentia et inuocatione filij.*

Iohan: 10. Ego uitam æternam do eis. Item, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Item, Sine me nihil potestis facere.

Coloss. 1. Omnia per ipsum & in ipsum condita sunt, & omnia per eum consistunt. Est ergo in Christo natura diuina conditrix rerum, ideò postea in 2. capite dicitur. In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, quasi dicat, in alijs sanctis habitat Deus effectiuè & separabiliter accendens nouam lucem & nouos motus. Sed in Christo habitat inseparabiliter, & sic, ut unione hypostatica unitę sint naturæ, persona secũda diuinitatis λόγος & humana natura assumta. Nam ut nos nunc dicimus usitatè ὑπόστασιν seu personam: Ita ueteres Græci dixerunt σώματα, quod non est imaginarium aut accidentale.

Multa testimonia in Veteri & Nouo Testamento loquuntur de inuocatione, ubi firmissimè tenenda est regula. Inuocationem qua petimus liberationẽ à peccatis & morte, & donationem iustitiæ & uitæ æternæ, & conseruationem naturæ soli Deo, qui est omnipotens, tribuendam esse, quia solus Deus hæc dona dare potest, & solus uidet corda petentium, & dijudicat ueram inuocationem à simulata. Ideò scriptum est Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Oseæ. 13. Deum præter me non scies, & Saluator non est præter me. Esaiæ 43. Sciatis & credatis mihi, & intelligetis quòd ego ipse sim, ante me scilicet patefactum non est formatus Deus, & post me non erit: Ego sum, ego sum & non est præter me saluator.

Cũm igitur fit inuocatio ad Messiam, fateri necesse est, quòd sit Deus omnipotens, ut Psal: 72. Et timebunt eum donec erunt Sol & Luna. Hic affirmat regnum & cultum perpetuum esse. Non igitur loquitur de regno politico aut adoratione quæ est gestus externus, quo præsentibus regibus nos subijcimus, postea inquit deprecabuntur coram eo semper, uidelicet petent bona æterna ut Psalm. 45. Et concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est Deus tuus, & adorabunt eum. Psalm: 2. Osculamini Filium. Beati omnes qui confidunt in eo. Esai. 11. In die illa radix Iesse stabit, ut sit signum populis, gentes eum deprecabuntur. Matth. 11. inquit ipse Dominus. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.

Gen. 48. Iacob facit inuocationem ad Deum, & ad angelum per quem affirmat se ereptum esse ab omnibus malis. Hic angelus est ipse Filius Dei, λόγος missus ad Ecclesiam, ut semper aliquam Ecclesiam in genere humano colligat, & eam custodiat, regat & seruet. *Angelus Gen. 48. est ipse filius Dei.*

Ac diligenter est obseruanda Lectio Hebræa in textu, Primùm alloquitur Iacob omnes personas, Deus coram quo ambularunt patres mei Abraham, Isaac, sic alloquitur Deum patefactum Patribus, & seiungit suam inuocationem ab Ethnica. Deinde alloquitur Filium, Deus pauit me usq; ad hunc diem, Hic est angelus qui me liberauit ab omnibus malis. Ita demonstratiuè ponitur angelus, nec inseritur particula copulatiua.

Testimonia de adoratione filij accendunt inuocationem.

Talia testimonia sæpè multumq; consideremus, & ut de doctrina confirmemur, & ut accendatur inuocatio. Sciamus hunc cultum necessarium esse, inuocare Filiũ, & ab eo bona petere discamus, etiam quomodo dirigenda sit inuocatio ad Deum. Sicut Iacob alloquitur Deum, & Redemtorem & angelum, Et Dominus inquit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis, Hunc esse Deum agnoscamus, hunc inuocemus, qui se patefecit misso Filio, & qui cum Filio & Spiritu sancto condidit omnia, & petamus, ut propter Filium nos exaudiat, & per eum nos gubernet & conseruet.

Messias nominatur filius Dei & discernitur à filijs adoptiuis.

Item in ueteri & nouo Testamento nominatur Messias filius Dei, & discernitur hic Filius unigenitus à filijs adoptiuis. Cùm igitur sit natura Filius, est de substantia æterni patris. Est igitur Deus, ac tenenda sunt appellationum discrimina.

Creare quid significet.

Creare nominant aliud ex nihilo facere, ut Deus cœlum & terram ex nihilo fecit. Sed Gignere est alium de sua substantia gignere.

Filius genitus de essentia patris.

Est igitur forma loquendi usitata in Ecclesia, Filius genitus est de substantia Patris, sicut in Symbolo dicitur, Deus de Deo, Lumen de Lumine, & Basilius inquit, Si non esset Filius de patris essentia genitus, essent hæ personæ duo adelpha.

An rectè dicatur essentia generat & generatur.

Hic etiam agitatur quæstio de modo loquendi, an rectè dicatur: Essentia generat, essentia generatur, an uerò tantùm sit sic loquendum, Pater generat, Filius generatur.

Forma loquendi magis perspicua est, & minus parit certaminum, dicere Pater generat, Filius generatur, quàm dicere Essentia generat, uel essentia generatur. Et libenter retineamus modos loquendi probatos uero consensu eruditorum, sed tamen recentiores, cùm negant hanc propositionem, Essentia generatur, offundunt imaginationem, quasi alia quædam res nascatur, & essentia addatur non nata, hæc imaginatio procul ex mentibus ejicienda est, & sciendũ cùm Filius nascitur, uerè eum de essentia Patris nasci, & ita nasci essentiam quę Filius est, sicut hoc ipsum dictum sonat, Deus de Deo, Lumen de Lumine.

Hac uera sententia considerata, facilè est iudicium de illis quæstionibus recentiorum, ubi quærunt an in Filio differat realiter, Essentia & Relatio, & an Relatio generetur, si essentia non generatur. Scias autem uerissimum esse, in qualibet persona, Essentiam & Relationem nequaquam differre realiter, nec esse duas res Essentiam Filij & Relationem, Sed reuera filium esse essentiam genitam, non aliam rem esse natam.

Essentia & relatio in qualibet persona non differunt realiter.

Hæc uera sunt, & pios, qui dextrè hæc accipiunt, utiliter erudiunt, ut agnoscant Filium Dei uerè esse genitam à Patre essentiam, non duas res, nec tantum Relationem natam esse. Mens humana cogitans, format imaginem rei cogitatæ, sed huic imagini non communicat suam essentiam, ac imago ipsa tantum est euanescens actio, & non uiuit. At æternus Pater sese intuens, gignit imaginem

Similitudo à mente humana.

imaginem sui substantialem,& uiuam,de ipsa essentia Patris,quę est ὁμοούσιος Patri. Hæc apud Græcos aliquantō minus obscurē traduntur,quàm apud Latinos. Obijcitur autem hoc argumentum.

Idem non gignit seipsum,
Essentia est eadem,
Ergo essentia non gignit essentiam.

Essentia diuina est communicabilis.

Respondeo ad maiorem. Idem quatenus est incommunicabile non gignit sese,sed idem quod est communicabile communicatur genito. Est autem essentia communicabilis, Ergo communicatur genito.

Testimonia Ierem. de duab. naturis in Christo cap. 23. & 33.

Addamus autem de duabus naturis in Christo & hoc testimonium Ieremiæ 23. & 33. Exuscitabo Dauid germen iustum,& regnabit rex,& hoc est nomen quo uocabunt eum יְהוָה iusticia nostra, primùm cùm nominat germen Dauidis,loquitur de humana natura, Deinde de persona,hoc germē erit Rex, & faciet iudicium & iusticiam, & persona hæc nominabatur, id est, inuocabitur & agnoscetur esse יְהוָה iusticia nostra. Hic tribuit Christo nomen Iehoua, quod soli Deo tribuitur,& addit Christum facere iudicium & iusticiam,id est, punire impios,& reddere iusticiam credentibus. Item esse iusticiam nostram, uidelicet hanc personam quæ liberat nos à peccato & à morte ęterna,& reddit uitam æternam. Hæ proprietates nulli creaturæ conueniunt,Ergo affirmant in Messia naturam diuinam & humanam esse.

DE DVABVS NATVRIS *in Christo.*

HIC inseramus doctrinam de duabus naturis in Christo,quia in testimonijs prudenter considerandum est, ubi propriē de diuina natura, ubi de humana loquantur. Ac primùm notus est articulus Fidei, quōd Filius λόγος humanam naturam assumserit, ita ut sit facta unio hypostatica, seu ut alij loquuntur personalis. Iam hic repetatur definitio personæ, sicut Latina Ecclesia loquitur.

Vnio hypostatica seu personalis.

Persona quid sit.

Persona seu ὑφεστάμενον, id est, subsistens, est substantia individua, intelligens,incommunicabilis, non sustentata in alio, ut Petrus est ὑφεστάμενον,non corpus Petri,quia corpus desertum ab anima mox dissoluitur,quare cùm uelut gestetur ab anima, non dicimus solum corpus esse personam. Vt autem aliquo modo consideretur qualis sit unio hypostatica duarum naturarum in Christo, repetantur hic etiam modi præsentiæ Dei.

MODI PRÆSENTIÆ DEI.

Vniuersalis præsentia Dei separabilis est

Primus est præsentia Vniuersalis, qua Pater, Filius & Spiritus sanctus adsunt omnibus creaturis,cœlo,terræ, animantibus,hominibus,angelis bonis & malis, & substantias conseruant,donec uolunt eas conseruare. De hac uniuersali præsentia dicitur Ierem.33. Cœlum & terram ego impleo. Et Esaiæ 66. Cœlum sedes mea,&terra scabellum pedum meorum.Esse autem separabilem hanc præsentiam manifestum est in destructione rerum, ideò enim destruuntur,quia Deus eas diutius non conseruat.

Præsentia Dei in beatis quib. adest societate

Secundus modus est præsentia in beatis, qua non tantùm conseruantur substantiæ,sed etiam communicatur beatis,lux, sapientia,iusticia, lætitia Dei,

& Deus uisibiliter in eis adest, Sicut inquit Paulus, Erit Deus omnia in omnibus, ostendit se eis & simul adest, & creat in eis nouam sapientiam, iusticiam, lætitiam, & alios motus ipsi conformes. Quanquām autem beati non deserantur, tamen Deus, & angelus beatus, seu homo beatus, non sunt unum ὑπόστασις sed adest eis societate.

Præsentia Dei in sanctis in hac uita.

Tertius modus est præsentia, qua in hac mortali uita Deus habitat in Sanctis, qua non solùm conseruat substantias eorum, sed etiam sanctificat eos non uisibiliter, Sed est efficax in eis, quia uoce Euangelij Filius accendit in eis nouam lucem, & uiuificat eos, & effundit in eos Spiritum sanctum, ut nouos motus ipsi congruentes, & lætitiam in eis exuscitet, hanc præsentiam separabilem esse Scriptura affirmat, & tristissimi lapsus Sanctorum ostendunt, & nequaquam est unio hypostatica Filij aut Spiritus sancti cum homine conuerso seu renato, sed nominatur tantùm habitatio Dei in homine conuerso.

In solo Christo unio hypostatica est duarũ naturarum.

Quartus modus longè alius est, quo hęc sola persona λόγος assumit humanam naturam, sumit certam massam ex genere humano, non solùm inseparabiliter, sed etiam tali unione, ut sit unum ὑπόστασις λόγος & assumta natura, & sicut hæc persona, λόγος æterna est, ita postea impossibile sit, hanc massam ipsi insertam non simul manere. Ac notissimum sit dictum omnibus: Naturam humanam, quam λόγος semel assumsit nunc̄ deserit. Etsi autem exemplum huius unionis nullum est in creaturis quod prorsus congruat, tamen uetustas, ut aliquo modo declaret hanc unionem ostendit hominem, sicut anima hominis & corpus sunt unum ὑπόστασις completum, & corpus dissoluitur destitutum anima, ita λόγος & assumta natura sunt unum ὑπόστασις, & redigeretur in nihilium illa massa, si non sic gestaretur à λόγῳ. Hæc similitudo extat apud Athanasium, Cyrillum & Iustinum. Sic igitur describitur unio hypostatica, quòd sit unio, qua persona assumit naturam, ita ut sustentet eam, quæ alioqui non esset, nisi sic sustentaretur.

Exemplum unionis in corpore & anima hominis.

Persona terminat dependentiam naturæ assumtæ.

Vtuntur & his uerbis: persona terminat dependentiam naturæ assumtæ, id est, Natura assumta talem habet ordinem ad personam assumentem, ut massa illa non esset, nisi sic assumta esset. Considerentur & modi loquendi.

Qui modi loquendi usitati de unione hypostatica.

Rectè & usitatè dicitur, persona λόγος assumsit humanam naturam. Non dicitur, Natura diuina assumsit humanam naturam. Neq; hoc dicitur natura diuina est assumta, nec dicitur Deus assumsit hominem, tametsi interdum uetustas ita locuta sit. Et in cantico dicitur: Tu susceperus hominem, non horruisti uirginis uterum. Item Poëtica sunt. Deus induit humanam naturam. Præterea usitatè dicitur, Vnio duarum naturarum. Item Natura humana unita est naturæ diuinæ, & Græci & Latini uocabulo Vnionis multum usi sunt. Hæc breuiter addidi, ut iuniores moneam, ut sint circumspecti in loquendo, & retineant usitatam Phrasin receptam graui autoritate, quia mutatio parit ambiguitates & rixas.

Sex causæ propter quas redẽtorem generis humani oportuit esse Deum et hominẽ.

Causæ etiam considerentur huius mirandi consilij, ut inde consolationes sumamus, & officia Christi magis intelligamus.

Prima est, ne esset quidem genus humanum, sed mox prorsus interijsset post lapsum primorum parentum, nisi factum esset decretum, ut λόγος assumeret massam, & propter hanc assumtionem reliquum genus humanum esset superstes.

Secunda,

Secunda, quia homines peccauerant, congruebat hominem esse qui pœnam sustineret, ut iusticiæ Dei satisfieret, & quia hic Redemtor fuit innocens, pœna in ipsum deriuata ualet pro alijs. II.

Tertia, ut autem esset æquiualens seu maius precium, hic Redemtor non tantùm est homo, sed etiam Deus. III.

Quarta, nulla creatura sola sustinere hanc magnitudinem iræ Dei potuisset, ideò hic Redemtor non tantùm est homo, sed etiam Deus. IIII.

Quinta, uoluit Deus hunc Redemtorem esse Victorem mortis, & instauratorem uitę, sicut expressè dicitur in prima promissione, Semen mulieris conculcabit caput Serpentis. Sunt autem hæc omnipotentis naturæ, uincere mortem, & reddere uitam & iusticiam. V.

Sexta, hic Redemtor est Sacerdos, ut igitur uideat corda inuocantium, & exaudiat, & uideat consilium æterni Patris, non tantùm est homo, Sed etiam Deus, & quidem hic filius statim initiò missus est ad Ecclesiã edita prima Promissione, iuxta dictum: Filius qui est in sinu Patris, ipse reuelauit nobis, & sicut initiò semper fuit apud Ecclesiam, Sicut Paulus inquit ad Corinthios, fuisse eum in deserto apud populum, ita deinceps semper protegit Ecclesiam immediatè, iuxta dictum: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Hæc quoque sunt naturæ omnipotentis. Athanasius inquit: Congruebat filium assumere humanam naturam, ut hæc persona quæ est substantialis imago æterni patris, restitueret imaginem Dei in nobis. VI.

DE PROPRIETATIBVS NATVRARVM, IN CHRISTO NATO EX VIRGINE, & DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

ASsumsit autem λόγος corpus & animam sine peccato, sed habentia proprietates naturales, id est, omnes uires & appetitiones naturæ humanæ proprias & ordinatas, ut Famem, Sitim, Læticiam, Tristiciam, Dolores. Item eas infirmitates quæ sunt pœnæ non peccata, uidelicet naturam humanam passibilem & mortalem, sentientem dolores & alios affectus sine peccato, Sicut ad Hebræos dicitur: Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, Sed tentatum per omnia secundum similitudinem sine peccato. *λόγος assumsit corpus & animam cum suis proprietatibus.*

Sic igitur sunt in Christo nato ex Virgine, duæ naturæ unitæ, ut tamen suas proprietates utraq; retineat, diuina natura non uulneratur, non moritur, Sed natura humana uerè sensit cruciatus, & mortua est, ac necessaria diligentia est cauere, ne fiat naturarum confusio. Ideò sic inquit Irenæus: Sicut enim homo erat, ut tentaretur, sic & Verbum erat ut glorificaretur, requiescente quidem uerbo, ut posset tentari, crucifigi & mori. Vsus est Irenęus singulari cõsilio hac insigni descriptione, quiescente uerbo, id est, tunc non exerente suam potentiam in repellenda passione & morte, Sicut ad Philippenses dicitur, Exinaniuit sese. Non ait diuinam naturam mortuam esse, sed quieuisse, ut natura assumta mori posset. Et Athanasius in libro de Incarnatione inquit, Cùm nõ esset possibile ipsum Verbum mori, quippe immortalem Patris filiũ, corpus sibi quod mori posset accepit, ut id corpus uerbi particeps factum, & moreretur pro omnibus, & inhabitans uerbum incorruptibile maneret. *In Christo utraq; natura retinet suas proprietates.*

Quanq; aũt naturæ discernendæ sunt, & quælibet suas proprietates habet, ut non posse lacerari & mori, proprietas est diuinæ naturæ: Sed proprietas humanæ naturæ erat, posse lacerari & mori, tamen & hoc firmissimè retinendum *In Christo etsi differunt proprietates naturarũ, tamen naturæ sunt una persona.*

nendum est, quòd sit una persona seu unum ἐνυπόστατον, quod utcunq; suprà declarauimus. Ideò hæ propositiones usitatæ sunt: Verbum est homo, Deus est homo, Deus est passus, Deus est mortuus. Significatur enim his propositionibus, hanc personam quæ est Deus mortuam esse, etiamsi tantùm secundum naturam humanam est mortua, & hæc phrasis nominatur Communicatio Idiomatum, quæ est forma loquendi, qua proprietas conueniens uni naturæ tribuitur personæ in concreto, propterea quia unica est persona, ut dicimus, Homo numerat, etiamsi tantùm mente numerat. Ac diligenter retinenda est forma loquendi graui autoritate recepta: nequaquàm dicitur in abstracto, Diuinitas est mortua, uel Diuina natura est mortua, quia in abstracto significatur natura secundum se considerata, & tribuitur uni naturæ hoc, quod contrarium est huic naturæ, ut cùm dicerem, Sanguis numerat aut nasus.

Quæ propositiones usitatæ sint, quæ non.

Nestorius negabat has propositiones, Deus est natus ex uirgine, crucifixus, & recitatur hoc eius dictum: Noli gloriari Iudæe, non enim Deum sed hominem crucifixisti. Hinc aut ipse aut alij hoc extruebant Christo affuisse naturã diuinam per societatem, seu assistentiam, sicut adfuit Heliæ aut alijs Prophetis, nec fuisse unionem hypostaticam seu unam personam. Patiente Ioanne Baptista, quanquàm adest ei Deus, scilicet ferens auxilium, & Metaphoricè dicitur, Deus patitur: tamen uulnus est personæ quæ non est Deus. Relatio tantùm, id est, contemtus ad Deum pertinet, ut cùm Legatus uiolatur, relatio ad Regem pertinet, aliud est ictus in corpore, aliud cogitatio in mente. Sed Christo patiente alio modo dicitur, Deum pati, quia hæc persona patitur & crucifigitur quæ est Deus, etiamsi laceratio tantùm fit in corpore.

Testimonia de propositionib. usitatis & inusitatis.

Hanc formam sermonis tantùm discimus ex ipso Filio Dei sic loquente, in Propheticis & Apostolicis scriptis, ut Iohan. 8. Amen amen dico uobis, priusquam Abraham natus est, ego sum. Iohan. 1. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Zachariæ 12. Aspicient me quem confoderunt. In his & multis similibus dictis manifestum est de uno & eodem Christo dici, & tamen intelligi discrimina naturarũ oportet. Hic Christus fuit ante Adam secundum naturam diuinam, ac nunc idem est subsistens, seu eadem persona, quanquàm natura humana assumta est. Vt igitur discernatur hic Filius ab alijs Sanctis, & aliquo modo conspiciatur discrimen inter hypostaticam unionem, & societatem seu auxilium Dei in alijs Sanctis, rectè tradita est doctrina de communicatione Idiomatum, & rectè dicitur de Filio Dei, Deus est passus, quia hæc persona passa est, quæ est Deus. Nec fuit tantùm λογομαχία certamen cum Nestorio, Sed de rebus maximis controuersia fuit, an in Christo sic adsit diuina natura humanæ tantùm per societatem seu assistentiam, sicut adfuit Prophetis. Item, An sint duo filij λόγῳ & natus ex uirgine. Item, An una λατρεία inuocandus sit filius.

Formulæ improbatæ.

Sit igitur certissimum λόγον assumsisse humanam naturẽ, & unione hypostatica unitas esse naturas in Christo, λόγον & assumtam naturam, & esse unum Filium, λόγον & naturam assumtam, et una adoratione inuocandum, nec alia peti tantùm à diuina natura, alia tantùm ab humana. Denicq; considerandum est in uniuersum, quomodo uetus Ecclesia locuta sit. Improbantur hæ formæ loquendi, Christus est compositus ex duabus naturis. Item, Christus est creatura, quia Ariani insidioſẽ hanc propositionem miscebant alijs, ut suum errorem confirmarent, cùm contenderent λόγον secundum se etiam non assumta humana natura

na natura, esse creaturam factam ex nihilo,& non esse ὁμοούσιον patri,ideō uetus Ecclesia damnauit hanc propositionem, Christus est creatura, nequaquām uetustas etiam sic locuta est, Christus est passus & mortuus secundum utramque naturam,quia Secundum est particula distinctiua: ut Rom. 1. dicitur,& Rom. 9. Et in Actis capite 2.extant manifesta exempla: dicimus igitur,Christus passus & mortuus est,secundum naturam humanam, Sicut expressè Hieronymus in expositione loquitur, passus est secundum id quod pati poterat, uidelicet nō secundum naturam quæ assumsit, sed secundum illam quæ assumta est: ac mox addit,mortuus est Dei Filius iuxta scripturas secundum id quod mori poterat, Ac eodem modo semper loquuntur Athanasius, Cyrillus & Vigilius, deinde omnes Scriptores.

Discernenda uocabula naturarū à uocabulis officiorum.

Discernantur autem uocabula, quæ significant proprietates naturarum ā uocabulis quæ significant officium,ut,proprietates naturæ diuinæ sunt, æterni tas, omnipotentia, non posse uulnerari, non posse mori, sed naturæ humanæ proprietates sunt pati,uulnerari,mori. Nomina uerō officij sunt,Mediator,Redemtor,Saluator,Rex, Sacerdos, Pastor,hæc nomina officij competunt personæ, non tantūm humanæ naturæ, ac dissimilitudo est inter has propositiones, Filius Dei est mortuus, & Filius Dei est Mediator, Saluator,Rex, Sacerdos, quia mori tantūm est proprietas naturæ humanæ,Sed officium habet actiones utriqꝫ naturæ immediatē proprias: fit enim missio Filij ab initio ad Ecclesiam, & Filius perpetuō adest Ecclesiæ, & uult illam suam obedientiam, profert Euangelium ex sinu æterni patris,intercedit pro Ecclesia, seruat & uiuificat eam, & hanc ipsam ob causam nominatur λόγος,quia pater per eum se patefecit,& Euangelium nobis ex sinu æterni patris per eum profertur, nec missio & obedientia tollunt æqualitatem potentiæ,Sicut expressè inquit Cyrillus Nec intelligantur Mediator,Rex,Sacerdos tantūm de natura patiente & moriente, sed de persona placante, uictrice, exaudiente,exhibente promissiones noui Testamenti,sicut de se Pastore inquit Dominus,Ego pono animā meam pro ouibus meis. Item,Ego uitam æternam do eis. Et Promissio inquit: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Ergo hæc persona est uictrix, nec tantūm saluat merito quia moritur, sed saluat efficacia,quia uincit mortem in suo corpore,& in nobis,& restituit iusticiam & uitam æternam.

Messias in quātum mediator inuocādus est.

Præterea manifestum est, inuocandum esse Messiam in quantum Mediator est,sicut ipse inquit: Venite ad me omnes,qui laboratis,ego reficiam uos. Item,Quicquid petieritis patrem in nomine meo,dabit uobis.Exaudire aūt & uidere corda inuocantium,& discernere ueram inuocationem ab Hypocrisi,& ingredi in Sanctum Sanctorum, id est, in arcanum consilium patris,& ibi pro nobis deprecari, hæc sunt naturæ omnipotentis. Et semper pro Ecclesia precatus est Filius, sicut in Psalmo 2. dicitur: Postula ā me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Agnoscamus igitur nobis constitutum esse Mediatorem, Redemtorem, Saluatorem, Regem & summum sacerdotem Christum Deum & hominem,& Deo gratias agamus, quòd Filium unigenitum misit, & sit inuocatio directa non tantūm ad naturam humanam, sed ad personam quæ est Deus & homo:Sic docent Psalmi Psalm. 47. Et concupiscet rex Decorem tuum,quia ipse est Deus tuus,& adorabis eum. Et Psalmo 72.Et adorabunt eum omnes reges terræ. Et Esaiæ 11. In illo die stabit radix Iessæ,ut sit signum populis,gentes ad eam confugient,requies eius erit glorioſa,id est,per mortem glo-

rificabitur & resurget. Sic & in Ieremia nominatim de inuocatione dicitur, Suscitabo Dauidi germen iustum, & hoc est nomen, quod uocabunt eum iustitia nostra, id est, hæc persona germen Dauidis est Deus, sic inuocabitur quòd sit Deus, & iustificet inuocantes, de remissionem peccatorum & uiuificet.

De obiectione Nemo est mediator sui ipsius.

Obijciunt autem quidam Christum non esse Mediatorem, aut deprecatorem aut Saluatorem, secundum utranq; naturam, quia nemo inquiunt est Mediator sui ipsius: Item, Nemo est deprecator apud seipsum. At hæc plana & perspicua responsio est, Nemo est Mediator sui ipsius: Item deprecator apud sese, uerum est eodem respectu, Sed hic plures personę sunt, & discrimen est inter mittentem diuinitatem & Filium missum: Filius missus est Mediator & deprecator omnibus temporibus pro patribus & pro nobis, Sicut Daniel inquit, Illo tempore stabit pro nobis populo suo Michaël.

De dicto: opera trinitatis ad extra sunt indiuisa.

Item cũm dicunt, Opera trinitatis ad extra sunt indiuisa. Saluatio est opus ad extra, Ergo eodem modo est Patris, Filij, & Spiritus sancti, & impropriè de Christo dicitur, conteret caput Serpentis. Respondeo planè ad regulam, Opera trinitatis ad extra sunt indiuisa, scilicet seruata cuiusq; personę proprietate. Filius assumsit humanam naturam, non aliæ personæ. Filius & Spiritus sanctus mittuntur, agit Filius non à se, sed per se, ut Augustinus inquit, Saluat & uiuificat pater, sed hoc ordine per Filium. Et 1. Cor. 15. dicitur, Deo gratia qui dat nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Et 1. Cor. 1. Christus factus est nobis à Deo, Sapientia, Iustitia, Redemtio. Item Dominus ipse inquit, Nemo ueniet ad patrem nisi per me.

Christus mortuus est secundum humanã naturam, non diuinam.

Ex his fontibus sumuntur responsiones ad argumenta Iudaica & Ariana, cũm Christus mortuus sit, quomodo consentaneum est esse Deum? Respondeo esse mortuum secundum naturam humanam, non secundum diuinam sicut Petrus inquit, Passum esse carne. Et Irenæus inquit, Christum crucifixum esse requiescente uerbo.

Non separantur naturæ cũ dicitur, utrãq; retinere suas proprietates.

Duæ sunt naturæ in Christo, & suas proprietates utraq; retinet, nec propterea separatur altera ab altera. Deinde propositio uera est de persona communicatione Idiomatum, Christus mortuus est, scilicet secundum naturam humanam.

Pater maior me est, de officio non de essentia loquitur.

Ariani citabant hoc dictum, Pater maior me est, inde ratiocinabantur, Filium non esse ὁμοούσιον patri, non omnipotentem. Responsio usitata est, Maior me est, scilicet quãm ego sum, secundum naturam humanam, ita plerunq; decurrunt ueteres ad hanc responsionem sumtam ex communicatione Idiomatum. Sed simplicior responsio est: alia dicta de essentia loquuntur, alia de officio personæ. Manifestum est autem hoc dictum, Pater maior me est, loqui de officio huius personæ missæ & prædicantis, & obedientis in passione, non loquitur de inæqualitate essentiæ. Cũm enim Iudęi accusarẽt Christum, quòd doceret contra autoritatem Dei, necesse fuit Christo allegare autoritatem, patris à quo affirmat se missum esse, & traditam sibi doctrinam & mandatum docendi, ac patrem maiorem esse dicit, tanquam mittentem, fontem doctrinę, approbatorem & defensorem huius doctrinæ & Ecclesiæ suæ, ac tunc præsertim patris autoritas, & potentia monstranda fuit, quia in illo ministerio nondum conspicitur Filij potentia, sed conspicitur passio & infirmitas, ne igitur hac specie infirmitatis moti, dubitarent de doctrina, & de conseruatione Ecclesiæ, affirmat potentia patris hoc ministerium esse efficax, & patrẽ sua potentia glorificatu,

caturum, esse Filium & seruaturum Ecclesiam. Ita dictum hoc de officio personæ missæ loquitur. At cùm dicitur, Verbum erat Deus, ibi proprijssimè traditur essentiæ descriptio, quia hæc narratio instituta est, ut doceat quis sit λόγος, etiam antequam assumsit humanam naturam.

Sæpè locum habet & hæc responsio, alia dicta loquuntur de regnante Christo, alia de humiliato & patiente, Hanc responsionem in Prophetis necessariam esse manifestum est, ut de humiliato, & patiente Messia dicitur, Ponet animam suam pro peccato, Item Danielis 9. Christus occidetur, alia de regnante, ut: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Item captiuam duxit captiuitatem, quia Prophetæ utrunque ostendunt eundem Messiam prædicaturum, passurum, moriturum, resurrecturum, regnaturum, & collecturum esse Ecclesiam, & ei redditurum esse iusticiam & uitam æternam.

Alia dicta de regnante alia de humiliato Christo loquũtur.

Ita de regnante Christo dicitur. Pater non iudicat quenque, sed omne iudicium dedit Filio, quia per Filiũ iudicat, & per eum patefacit iudiciũ. Alibi dicitur de tempore humiliationis non de essentia, Deus Deus meus, quare dereliquisti me, non hoc dicit, separatam esse diuinam naturam ab humana, sed pati humanam naturam & nondum sentire liberationem.

DE DICTO AD PHILIPPENSES.

MAgna uarietas est interpretationum, sed iudico hanc ueram & natiuam sententiam esse: qui cùm esset in forma Dei, id est, cùm esset talis qualis est Deus, uidelicet omnipotens, tamen non duxit rapinam esse gerere se æqualiter Deo, id est, non rapuit contra missionem suam usum omnipotentiæ in sui defensionem, sed seipsum exinaniuit, id est, non est usus sua potentia, sed accepit formam serui, uidelicet non habentis defensionem, factus in similitudine hominum, id est, fuit homo & similis alijs, passibilis & mortalis, sed sine peccato, & habitu inuentus ut homo, id est, sensibus & affectibus, fame, siti, gaudio, tristicia, misericordia, lacrimis, ira, indignatione, humiliauit sese, factus est obediens usque ad mortem, id est, non repulit mortem, sed cùm sciret hanc esse uoluntatem æterni patris, ut sic pœna solueretur, uoluit hanc obedientiam. Ita uelle in uocatione seruire, & non alia expetere splendidiora aut grauiora extra uocationem nominatur humilitas. Propter quod exaltauit eum Deus. Hinc Ariani sumebant argumentum, Natura Deus non potest exaltari. Respondent Orthodoxi ex regula de communicatione Idiomatum, est exaltatus secundum humanam naturam, factus impassibilis & immortalis, sicut in Psalmo dicitur, de torrente in uia bibet, propterea exaltabit caput. Potest autem breuiter responderi, aliud est tempus humiliationis, aliud glorificationis, nec obedientia tollit æqualitatem potentiæ.

Dictum ad Philip. cum esset in forma Dei.

DE SPIRITV SANCTO.

DEscriptionem suprà recitauimus. Spiritus sanctus est tertia persona diuinitatis, procedens à Patre & Filio, & est substantialis amor & læticia coæterna inter Patrem & Filium, ὁμοούσιος Patri & Filio, & nobis sic manifestata est, quòd mittatur in corda credentium, ut tales motus amorem & læticiam acquiescentem in Deo in eis accendat, qualis est ipse, Sicut 2. Tim: 1. expressè scriptum

Spiritus S. descriptio.

ptum est, Non dedit uobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis & castificationis.

TESTIMONIA QVOD SPIRITVS sanctus sit Persona.

Vocabulũ Spiritus in genere significat agitationem.

Primùm autem diligenter obseruandum est uocabulum Spiritus, quod in genere significat agitationem, aut naturam seu uim agitantem, & obseruanda est uarietas in ipsis scriptis Propheticis & Apostolicis, nec temerè omnia dicta miscenda sunt, in quibus reperitur uocabulum Spiritus, sæpè significat uentos, sæpè uitam hominis, sæpè motus seu impetus hominum creatos, tùm bonos, tùm malos: hic significat essentiam spiritualem, id est, uiuam, intelligentem, incorpoream, efficacem, Deus est Spiritus: Estq; hoc loco nomen commune patri & alijs personis. Delectus igitur adhibendus est in testimonijs colligendis, ac prudenter iudicandum, ubi propriè loquatur scriptura de Spiritu sancto, qui est persona seu ὑφιστάμενον, sanctificans corda audientia uocem Euangelij, & cùm sic sumitur uocabulum Spiritus, confirmandum est Spiritum sanctum esse personam seu ὑφιστάμενον, Nam multi impij & audaces homines in diuinitatis Ecclesiasticis contenderunt, Spiritum sanctum non esse ὑφιστάμενον, sed tantũ cogitationem creatam, aut certè ipsum patrem potentem, seu agitantem sine alia persona. Sed huic impio Sophismati Ecclesia uera opponit testimonia in scripturis tradita, quorum primum & maximè illustre est reuelatio diuinitatis facta in Baptismo Christi, ubi clarè discernuntur tres personæ: Pater inquit: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite, Est igitur alia persona patris, alia filij, descendit autem Spiritus sanctus in specie columbæ, Iam si Spiritus sanctus esset agitatio in animis creata, non appareret peculiari specie corporali, aut si esset ipse pater, non discerneret Spiritum sanctum. Inquit enim, Super quem uideris Spiritum sanctum descendentem. Sic & in Pentecoste apparet Spiritus sanctus peculiari specie corporali.

In specie significat tertiam personam diuinitatis.

In baptismo Christi clarè discernuntur tres personæ.

Hæ patefactiones non sunt frustra factæ, Sed testificantur Spiritum sanctum personam esse, & mitti ad sanctificandam, & confirmandam Ecclesiam.

Dictum de baptismo.

Ad hæc testimonia adiungatur dictum de Baptismo, Ego Baptizo te in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti, id est, hoc Baptismo testor te recipi à uero Deo, quem super te inuoco Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Affirmo te recipi à uero Deo, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, & patefecit se misso Filio, & te propter Filium recipit & uiuificat, sanctificat & confirmat te ad uitam æternam, donans Spiritum sanctum procedentem à Patre & Filio, ac tu uicissim agnoscas, hunc uerum Deum, qui se sic patefecit.

Inuocatio Spiritus S.

Cùm autem ad Spiritum sanctum dirigatur inuocatio, sicut ad Patrem & Filium, necesse est eum esse ὑφιστάμενον, & non motum seu agitationem creatam in homine, nam motus seu agitatio creata in homine, non est inuocanda, Iohan. 14. Rogabo Patrem & alium paracletum dabit uobis. Cùm ait Alium, discernit à Patre & Filio hunc paracletum. Et Ioan. 15. Cùm uenerit paracletus quem ego mittam uobis à patre, Spiritus ueritatis, qui à Patre procedit. Ego inquit mittam à Patre, Nõ est ergo hic missus Spiritus ipse Pater agitans, quia Filius non mittit Patrem, nec est agitatio creata, quia hæc sunt nomina personæ, Alius paracletus, qui docebit uos, &, quæ audiet loquetur. 1. Corinth. 12. expressè discernit Paulus Spiritum sanctum à donis creatis: omnia hæc efficit unus & idem Spiritus. Et 2. Cor. 3. Transformamur in eandem imaginem, tanquam

quam à Domini Spiritu,ubi etiam effectorem discernit à luce creatâ.

Quod autem Spiritus sanctus fuerit antecp̃ carnem induit Filius Dei,per spicuè testatur Petrus 1. capite,Epistolæ primæ,cùm inquit de Prophetis,Spiritus Christi prædicens in eis Christum passurum esse. Hic disertè nominatur Spiritus Christi qui fuit in Prophetis, eodem igitur Spiritu Christi & Patres & Apostoli,& pij deinceps, hoc est, omnes electi omnibus temporibus sanctificati sunt. Idcp̃ multò illustrius docent uerba Esaiæ 59. Hoc fœdus meum cum eis,dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo,non recedent ab ore tuo,nec ab ore seminis tui,dicit Dominus,deinceps et in sempiternum.

Quòd Spiritus sanctus fuerit antequam carnem filius induit.

Eundem Spiritum ait esse in Esaia, & in tota Ecclesia in omnem æternitatem,non igitur tantũm post resurrectionem Christi effusus est Spiritus sanctus in pectora Sanctorum,sed semper eodem Spiritu sancto omnes electi sanctificati sunt, & quidem dictum Esaiæ dulcissimam doctrinam & consolationem proponit, affirmat semper mansuram esse Ecclesiam Dei, & ibi mansuram,ubi sonat uox Euangelij, & cum ea uoce affirmat dari Spiritum sanctum per Filium, sicut & in Psalmo dicitur, Dat dona hominibus.

Et Zachar. 7. Verba quæ misit Dominus exercituum in Spiritu sancto, per manum Prophetarum. Hoc dicto utruncp̃ affirmatur, & gubernatos esse Spiritu sancto Prophetas,& uerbum Dei non esse inanem sonitum. Sed audito Euangelio,effundi S. S. in corda,qui mouet ea ad credendum,& assensionẽ confirmat,accendit uitã,inuocationem,lætitiam,dilectionem Dei,& alios motus tales,qualis ipse est, ut Rom.1. dicitur: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.Et 2.Cor.3.uocatur Euangelium ministerium Spiritus.

Constat igitur ex Esaiæ & Zachariæ dictis,quæ recensui,doctrinam de Spiritu sancto in ueteri Ecclesia patrum & Prophetarum notam fuisse. Ideò etiam ueteres hoc dictum in Genesi 1. capite intellexerunt de Spiritu sancto, qui est persona diuinitatis.Et Spiritus Domini ferebatur super aquas:Sic enim inquit Basilius, Siue quod uerius est, & enarratum est ab ijs qui ante nos fuerunt,loquitur de Spiritu sancto Dei.

Spiritus ... ni in Gen...

Cùm autem dicta in nouo testamento magis perspicua sint,adiungantur ad dicta exempla ueteris testamenti, quod cùm fiet collatio utriuscp̃ lucem adferet, nec tantùm speculationis causa hæc consideremus, sed ut nos ad petenda beneficia Dei,excitemus.

Agnoscamus immensam bonitatem Dei,quòd primùm condidit nos,ita ut communicarit sese nobis,& uoluerit nos in omni æternitate frui sua luce, sapientia,iusticia & lętitia. Deinde quòd Filium misit,ut proferret Euangelium, & esset Redemtor & restitutor generis humani, & mittit in corda credentium Spiritum sanctum.Hæc beneficia peramus,& grati celebremus,non sitnus Pelagiani,non cogitemus hominem tantùm humanis uiribus regi posse, sciamus non sine maxima causa nostræ imbecillitati promitti Spiritum sanctum. Sicut Paulus inquit: Spiritus opem fert imbecillitati nostræ.

Quanquãm autem de essentia Dei sine certis testimonijs nec Angeli, nec ulli Doctores certò nos possint docere,tamen postcp̃ Deus se patefecit,& uerbum suum Ecclesiæ tradidit, utile est nosse, quid probati homines in prima & puriore Ecclesia senserint,qui doctrinã ab Apostolis acceperũt,uoluit.n.Deus aliquos esse testes de sua ueritate,ut posteritas confirmaretur,iuxta dictũ: Et tu conuersus confirma fratres tuos.

TESTI-

TESTIMONIA ECCLE-
siæ veteris.

Symboli Niceni testimoniũ.

ILlustre testimonium est in Symbolo Niceno. Credo in Spiritum sanctum dominum uiuificantem, ubi cũm Spiritus sanctus nominatur Dominus & uiuificator, perspicuum est intelligi personam & quidem omnipotentem, uiuificantem cum Patre & Filio, qui est persona procedens ã Patre & filio immediatẽ, accendens motus in corde tales qualis est ipse. Recitaui & supra confessionem Gregorij Neocæsariensis, quæ hic quoq; repetenda est: unus Deus pater uerbi uiuentis, sapientiæ subsistentis, & imaginis suæ integer integræ genitor, Pater filij unigeniti, unus Dominus, unus ex uno, imago patris, Verbum efficax, Filius sempiternus ex sempiterno, unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit, sanctificans, per quem Deus super omnia & in omnibus cognoscitur.

Gregorius Neocæsariensis.

Eusebius Palæstinus.

Multorum uetustiorum testimonia collegit Basilius, in his & Palæstini Eusebij uerba recitat, Sanctum Deum lucis conditorem, per saluatorem nostrum Iesum Christum, cum Spiritu sancto inuocandum. Hæc uerba ostendũt, ueteres disertẽ tres personas in Inuocatione complexos esse, & ea forma loquendi de Filio usos esse, ut animi simul de Mediatoris intercessione, & de Promissionibus commonefierent. Basilius inquit: Oportet nos baptizare sicut accepimus: Credere autem sicut baptisamur, glorificare autem sicut credimus Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Fugere autem palãm blasphemos eos, qui Spiritum sanctum creaturam esse dicunt. Apud Epiphanium sæpẽ repetitę sunt satis perspicuę asseuerationes, contra Sabellianos, ἐνυπόστατον ὁ πατὴρ, ἐνυπόστατον ὁ υἱὸς, ἐνυπόστατον τὸ ἅγιον πνεῦμα. Item contra πνευματομαχοὺς, Spiritus uerẽ est ex Deo, & non alienus ã Patre & Filio, sed ὁμοούσιος Patri & Filio.

Basilius.

Epiphanius.

Discrimina trium personarũ diuinitatis.

Postquãm autem dictum est tres esse personas diuinitatis discrimina eruditẽ considerentur. Pater non nascitur, Filius etiamsi coæternus est Patri, tamen genitus est, & est imago æterni Patris. Spiritus sanctus procedit ã Patre & Filio. Hæ appellationes extant in sermonib. Christi. Sed hic quærat aliquis, quid intersit inter nasci & procedere. Etsi exhauriri hæc arcana non possunt, tamen significari discrimen Filius Dei uoluit, & nequaq; eius sermo mutandus est. Vsus autem est uocabulis humanis, quasi deducens nos ad aspectionem naturæ hominis, ut inde similitudo & umbra sumatur. Sunt autem in anima hominis duæ præcipuæ potentiæ, Intelligens & Volens. Intelligens format imaginem, quoties de amico cogitat, statim eius imaginem in mente quasi pingit. Volentis autem potentiæ sunt amor, odium & alij affectus, & cum hac copulatum est in homine cor, quod gignit Spiritus, uidelicet flammulas quæ sunt incitatrices actionum, motuum & affectuum. Sit igitur hoc discrimen inter nasci & procedere.

Nasci est à potentia intelligente.

Nasci est ã potentia intelligente, quia Filius cogitatione nascitur, & est imago Patris, & prolato uerbo nobis ostendit patrem & uoluntatem eius, per quod uerbum & ipse noticiam in nobis accendit.

Procedere est à uoluntate.

At procedere est à uoluntate, quia Spiritus sanctus est agitator, seu amor substantialis, & tanquam ignis amoris, quo Pater Filium complectitur, & Filius Patrem. Item quo postea Pater & Filius copulant sibi Ecclesiam, & communicant ei suam læticiam & amorem.

DE

DE DVPLICI DISCRIMINE *personarum.*

EST autem duplex discrimen personarum. Aliud est interius, ut Pater gignens, Imago genita, Spiritus procedens. Aliud est externum ā beneficijs erga Ecclesiam sumtum, ut Filius & Spiritus sanctus mittuntur ad Ecclesiam statim ab initio. Filius constituitur Mediator, patefacit promissionem, orat pro Ecclesia, est custos Ecclesiæ, immediatè conseruat ministerium Euangelij, loquens cum Patribus & Prophetis, postea assumsit humanam naturam, fit redemtor & persona, per quam immediatè protegitur Ecclesia, manifestum iudicium fit immediatè per ipsum.

Discrimen personarum aliud est interius, aliud externum.

Spiritus sanctus mittitur in corda sanctorum, ut in nobis accendat motus congruentes cum Lege Dei & lætitiam & inuocationem. Hæc omnia discrimina mens in quotidiana inuocatione intueatur, ut discernamus nostram inuocationem ab Ethnica, Mahometica, Iudaica, & ab aliarum sectarum furoribus, quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies, Item, Non habebis Deos alienos.

Vt autem uitentur ambiguitates & insidiæ in uocabulis, summa cura retineamus appellationes & phrases traditas in sermone Prophetico & Apostolico, & usitatas in uera Ecclesia, nec gignantur portentosæ appellationes, quales finxerunt Hæretici, quadrigas Aeonum & prouolas & alia portenta. Considerabimus autem in scriptis Propheticis & Apostolicis, ubi propriè de generatione æterna dicatur, ubi de generatione uisibili Christi, ubi de aduentu ad ministeriū. Ioan: 8. Ego ā Deo exiui & uenio. Hic dicitur propriè de missione & de aduentu ad ministerium, quia obiurgat Iudæos, quōd non uelint sermonē eius audire. Sicut mox sequitur, Si Veritatem dico, cur non creditis mihi? In Michæa capite quinto dicitur: Et tu Bethlehem Ephrata paruula es in millibus Iuda, id est, in populo Iuda, ex te mihi egredietur qui erit Dominator in Israël, Hic egressio significat generationem uisibilem, qua Christus ex uirgine editur in Bethlehem, deinde mox sequitur: Et egressiones eius sunt ante dies mundi. Etsi autem ut in breui dicto aliquid est obscuritatis, tamen simplicissimum est, hic intelligi generationem æternam, quia dictum concionatur de utraq; generatione. Si quis autem disputabit, cùm nomen egressionis seu processionis alibi tribuitur Spiritui sancto, cur hic Filio tribuitur? Respondendum est: uocabulum egredi communius esse, Sed cùm de Filio dicitur, declarandum est per uocabulum Gigni seu nasci. Filius egreditur ut genitus. Itē, λόγος & imago, Sed Spiritus sanctus procedit ut agitator & lætificator. Item discernatur egressio, altera est à potentia cogitante, altera est ā uoluntate. Aliquid etiam interest inter uerba ἐξελθεῖν & ἐκπορεύεσθαι. Nam πόρος est agitatio & motus. In Psalmo dixit Dominus legitur, ex utero ante luciferum genui te, quod antiquitas accommodauit ad generationem æternam. Sed si legitur ex utero, manē ueniet tibi ros generationis tuæ, tum quadrat ad generationem ex Virgine, ex qua nascitur Christus uelut ros cœlestis, uidelicet Filius missus de cœlo, & sine semine uirili assumens humanam naturam in uirgine. Hæc recito, ut iuniores sint circumspecti in loquendo, & discant & tueantur phrasin ueræ Ecclesiæ, nec ludant ambiguitatibus, aut Hyperbolis, aut Acyrologijs. Ac ad commonefactionem utile est formam precationis tenere, utcunq; recitantem

Discernenda sunt dicta de generatione filij æterna, de uisibili generatione, de aduētu ad ministerium.

Differunt ἐξελθεῖν & ἐκπορεύεσθαι.

tantem discrimina, & ducentem nos ad patefactiones, ut cogitemus quid, & quem alloquamur, & cur exaudiamur.

AD DEVM PATREM.

Precatio ad Patrem.

OMnipotens æterne, uiue & uere Deus, æterne & unice Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefeciſti immensa bonitate, & clamasti de Filio tuo Domino nostro Iesu Christo. Hunc audite, conditor & conseruator cœli & terræ, & angelicæ Ecclesiæ & humanæ, & opitulator, resuscitator mortuorum & saluator, unã cum Filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto sapiens, bone, uerax, caste, iudex iustissime, misericors, liberrime, qui dixisti, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat: confiteor tibi me multipliciter peccasse, & doleo quõd offendi te, doleo etiam de omni immunditia mea, Oro autem toto pectore, miserere mei, & remitte mihi omnia peccata mea, & iustifica me per & propter Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα σὸν ἀΐδιον, id est, imaginem sempiternam tuam, quem uoluisti pro nobis uictimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην esse, mirabili & inenarrabili consilio, & immensa bonitate, & sanctifica me Spiritu tuo sancto, casto & ueraci, ut te agnoscam, inuocem, timeam & diligam uerum Deum omnipotentem, sapientem, castum & ueracem æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, & Dominum nostrum Iesum Christum & Spiritum sanctum, qui te patefeciſti misso Filio, collige Ecclesiam inter nos, da salutaria & pia regimina, protege me & familiam meam, oppidum nostrum &c.

AD FILIVM IESVM CHRISTVM MEDIATOREM.

Precatio ad Filium.

OMnipotens Domine Iesu Christe Fili Dei λόγε καὶ εἰκὼν ἀΐδιε ἀϊδίου. Emanuel, nate ex uirgine, crucifixe pro nobis & resuscitate, qui es Sacerdos in æternum, sedens ad dexteram æterni Patris, & es deprecator pro nobis, sapiens, bone, uerax, caste, iudex iustissime, misericors, liberrime, qui dixisti, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam uos, miserere mei, & intercede pro me apud æternum Patrem tuũ, & sanctifica me Spiritu sancto tuo, collige tibi inter nos Ecclesiam, & eam guberna, sicut dixisti: Ero uobiscum usque ad consummationem seculi, da salutaria & pia regimina, protege me & familiam meam, & depelle à nobis Diabolos hostes nostros, sicut dixisti: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

DE CREATIONE.

Factorem cœli & terræ.

ETsi naturalis ratio in hominibus conuincitur ordine corporum mundi, & motuum cœlestium, conseruatione specierum, & ipsa naturali notitia legis in mentibus, ut fateri cogatur esse Deum, sapientem, bonum, ueracem, iustum, & à Deo conditum esse mundum, tamen in hac infirmitate hominum languida est assensio, & Philosophi affinxerunt multos tetros furores, ideo in Ecclesia diuinitus patefacta est uera doctrina de Creatione, & illustris assue-

ratio

ratio traditur, quòd Deus sit essentia æterna, distincta à rebus creatis, & quòd liberrima uoluntate condiderit cœlum & terram, Angelos & homines & alias creaturas ex nihilo, nec fuit alia æterna res ante creationem, nisi sola essentia diuina, & execrandi sunt furores Philosophorum, qui fingunt Deum esse quiddam, quod tantùm sit in quadam materia coæterna, & necessariò in ea sit, & necessariò formet eam. Aduersus hæc Diabolica deliramenta ueris testimonijs diuinis, muniendæ sunt mentes, ac primùm de causa efficiente & finali cogitandum est, postea recitanda sunt testimonia, quòd libera uoluntate res sint conditæ. Item, quòd res ex nihilo sint conditæ. Item, quòd cum creatione simul oporteat intelligi perpetuam conseruationem substantiarum, quòd uidelicet Deus non discesserit à suo opere, sicut faber discedit à naui post fabricationem.

Doctrina de creatione patefacta est in Ecclesia.

Furores Philosophorum de æternitate mundi execrandi.

DE CAVSA EFFICIENTE CREATIONIS.

QVòd Creatio sit opus commune æterni Patris, Filij & Spiritus sancti manifestè significatum est Gene. 1. in hoc dicto: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & de Filio multa sunt expressa testimonia in Iohanne, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Item, Pater meus usq; modò operatur, & ego operor. De Spiritu sancto Gene: 1. dictum est, Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et Psalmo 33. Verbo Domini cœli facti sunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Hic tres personæ nominatim recitantur, & disertè de persona dicitur 1. Corinth. 12. Omnia hæc efficit unus & idem Spiritus. Cùm igitur creatio sit commune opus trium personarum, tradita est regula, Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, id est, personæ simul sunt, & simul agunt, & tamen hæc regula sic intelligenda est, ut sua cuiq; personæ proprietas tribuatur. Pater creat dicens, ut scriptum est in Genesi. Et dixit Deus, faciamus hominem &c. Pater igitur creat per Filium qui est Verbum, in quo lucet opus totius opificij, & Spiritus sanctus immediatè fouet creaturas & motum impertit. Ideo dicitur: Spiritus Domini fouebat aquas. Ac Iohannes & Paulus certo consilio utuntur hoc modo loquendi, ut dicant per Filium omnia creata esse, & cur dicatur, quod cogitatione considerandum est. Hæc magis perspicua fiunt, cùm restitutionem Adæ & Euæ intuemur: Pater mittit Filium, qui edit promissionem, & Filius sonans promissionem simul est efficax in corde, ostendens uoluntatem arcanam Patris, & per Verbum Spiritus sanctus immediatè lætificat & mouet corda ad inuocationem Dei, & accendit tales motus qualis ipse est.

Creatio est opus commune trium personarum.

Opera trinitatis indiuisa sunt ad extra.

DE CAVSA FINALI CREATIONIS.

DE causa finali quare mundus conditus sit. Quia Deus cùm sit optimus, uoluit habere creaturas quibus suam bonitatem communicet, & quidem rationalibus creaturis communicat illa, quæ sunt in ipso optima, scilicet sapientiam, iusticiam, libertatem electionis, uitam æternam, & læticiam æternam, & intellectum horum istorum bonorum, ut uicissim ille celebretur. Assiduè autem considerandæ est magnitudo dilectionis Dei erga nos, Primùm in creatione transfudit in nos radios eorum bonorum, quæ in ipso sunt summa, &

Mundus conditus propter hominem, homo, ut Deus ei communicet sua bona.

ma,& uoluit hominem esse domiciliũ & templũ Dei. His tantis bonis amissis, rursus magnitudo amoris fit illustrior, cùm Filio deprecante recipimur & natura humana non solùm fit domicilium Dei, sed etiam fit unio personalis Filij & naturæ assumtæ. Huius mirandi operis causæ & modus in tota æternitate considerabitur, sed hanc esse principalem causam impulsiuam, quōd Filius missus est, uidelicet, dilectionem Dei erga nos, affirmat ipse Filius, cùm ait: Sic dilexit Deus mundum, ut dederit Filium unigenitum. Paulus inquit, dilexit nos in dilecto. Rursus igitur propter hunc Filium alij homines fiunt domicilia & templa Dei, agnoscitur Deus in hac uita per Verbum, & Spiritus sanctus immediatē accendit motus in corde tales qualis ipse est, ac post hanc uitam Christus tradet regnum Patri, id est, adducet Ecclesiam ad Patrem, & tota diuinitas se immediatē ostendet & conspicietur, & erit efficax in beatis, non aget per ministerium Euangelij, de hoc fine loquitur Filius, cùm ait: Hæc est uita æterna, ut agnoscant te esse solum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Item, sit dilectio tua in eis qua me diligis. Affirmat igitur ideo conditum esse genus humanum, ut Deus illam ingentem bonitatem suam nobis communicet, quæ est maximē illustris in copulatione diuinæ & humanæ naturæ in Filio. Ideo Paulus inquit, in hunc Filium omnia condita esse, id est, ad hunc finem, ut conspiciatur hoc mirandum opus Dei, in quo sic communicauit humanæ naturæ Deus suam bonitatem, ut etiam unione hypostatica Filius assumserit humanam naturam.

Testimonium amoris Dei erga nos in creatione.

Testimonium in promißione & mißione filij.

DE TERTIO. QVOD RES SINT *conditæ ex nihilo.*

QVōd Deus condiderit res alias omnes ex nihilo confirmat dictum Iohannis 1. Omnia per ipsum facta sunt, Ergo non fuit materia cœli & terræ æterna, non facta sicut Stoici & alij quidam duo æterna finxerunt mentem & materiam. Sæpē etiam Scriptura affirmat Deo dicente res creatas esse. Non igitur ex alia priore materia factæ sunt, & usitatum est in Ecclesia creationem nominari fabricationem rerum ex nihilo.

DE QVARTO. QVOD LIBERA VO*luntate res sint conditæ.*

QVōd Deus liberē & uolens tunc cùm uoluit condiderit mundum, & quòd sit agens liberrimum, manifestē testatur dictum Psalmi 114. Omnia quæcunq; uoluit fecit, & Psalm: 135. Omnia quæcunq; uoluit Deus fecit in cœlo & in terra.

DE QVINTO. QVOD CONSERVET *Deus res creatas.*

INfirmitas humana etiamsi cogitat Deum esse conditorem, tamen postea affingit hanc imaginationem, ut faber discedit à naui extructa, & relinquit eam nautis gubernandam, ita Deum discedere à suo opere, & relinqui creaturam tantùm propriæ gubernationi.

Hæc

Hæc imaginatio Deum remouet ā creaturis, & fingit eum ocioſum eſſe, contra hunc tetrum errorem erudiendæ ſunt mentes, & firmiſſimē ſtatuendum eſt, etſi Deus eſt alia res diſtincta ā creaturis, tamen adeſſe eum uniuerſæ creaturæ, & omnium creaturarum ſubſtantias quæ ſeruantur, & quatenus ſeruantur, ſuſtentari ā Deo, ſed ita tamen, ut Deus ſit agens liberum, ſuſtentet donec uult, agat ſimul quatenus ipſe decreuit, & moderetur ac mutet aliqua propter ſalutem Eccleſiæ ſuæ immenſa bonitate, hanc præſentiam Dei confirmant hæc dicta: Actorum 17. In ipſo uiuimus, mouemur & ſumus, id eſt, per ipſum creatura ſuſtentatur & fouetur uita noſtra.

Deus ut agens liberum ſuſtētat creaturas donec uult.

Retinendum eſt autem diſcrimen inter creatorem & creaturam, inter eſſentiam creantem & eſſentias creatas, dicit enim uox diuina Deuter: 4. Vt ſcias quòd יהוה Dominus ſit Deus, & non eſt alius præter eum, & diſcernantur motus Diabolorum ā motibus diuinis in hoc dicto, Cūm mendacium loquitur, ex proprio loquitur. Heb. 1. Geſtans omnia uerbo potentiæ ſuæ. Coloſſ. 1. Omnia per ipſum conſiſtunt. 1. Timoth. 6. De Deo dicitur, qui uiuificat omnia. Hier: 23. Cœlum & terram ego impleo. Hæc rerum ſuſtentatio & conſeruatio, qua Deus adeſt toti opificio ſuo, & rerum ſubſtantias ſeruat, ſuſtentat cœlum, & motus cœleſtes, fœcundat terram, procreat fruges in terra, creat uitam in uiuentibus, nominatur uſitata appellatione actio Dei generalis ſeu præſentia uniuerſalis. Alia nominatur actio ſpecialis, quæ eſt ſanctificatio, qua in Eccleſia per Verbum & Spiritum ſanctum iuſticia & uita æterna reſtituuntur, & ſimul agnoſcitur & inuocatur Deus, & fiunt alia extraordinaria opera in Eccleſia, ut conſeruatio in fornace Babylonica, ac certo conſilio Deus & ordinaria opera, & extraordinaria facit.

Differunt eſſentia creans & creata.

Actio Dei generalis ſeu præſentia uniuerſalis.

Actio Dei ſpecialis.

Ordinaria oſtendunt hanc naturam non caſu confluxiſſe, ſed ſapientem conditorem, autorem eſſe ordinis.

Ordinaria.

Extraordinaria oſtendunt hunc conditorem eſſe eſſentiam diſtinctam ā mundo, & eſſe liberum agens, & poſſe aliter agere, quām cient cauſæ ſecundæ, & multa moderari in natura ſuo liberrimo conſilio, obſeruandum eſt igitur quæ dicta loquantur de uniuerſali præſentia, quæ de Speciali.

Extraordinaria.

DE SEXTO. AN OMNIA FIANT *neceſſariò*.

CVm Deus ſuſtentet totam naturam rerum, oriuntur quæſtiones quomodo ſuſtententur, an ſit neceſſe omnia ferri & fieri, ſicut feruntur & fiunt. Item, quæ ſit cauſa peccati, ſi Deus ipſe adeſt naturæ.

Etſi autem multæ ſpinoſæ diſputationes in his quæſtionibus motæ ſunt, tamen explicatio ſimplicior eſſet, ſi hæc reſponſio ſemper in conſpectu eſſet, Deum eſſe agens liberrimum, & liberē adeſſe cauſis ſecundis, & cum eis agere quatenus ipſe ſua immenſa bonitate & ſapientia agendum eſſe iudicat. Hæc breuis reſponſio liberat bonas mentes ā multis quæſtionibus, & uult Deus modum eſſe diſputationum & conſiſtere nos in expreſſis teſtimonijs diuinis, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis uerbum tuum.

Deus eſt agēs liberrimum.

Stoici alligarunt Deum ad cauſas ſecundas, id eſt, finxerunt Deum nihil aliter facere poſſe, quām ut cauſæ ſecundæ ſua natura cient, ut cūm Sara ſit ſterilis & anus, cogitant impoſſibile eſſe fieri eam matrem: ita omnes homines

in hac naturali caligine intuentes ordinem naturæ, delabuntur in hanc imaginationem, ut existiment nihil aliter fieri, quàm ut hic ordo ciet. Hac imaginatione impediri inuocationem manifestum est, quid enim prodest petere ea, quæ alioqui necessariò fiunt, & quid prodest petere gubernationem diuinam, aut mitigationem malorũ, si mutari cursus secundarum causarum non potest.

Hæc cùm Stoicis obijciebantur, fateri etiam impiè audebant non nostræ indigentiæ causa Deum inuocandum esse, sed tantùm gratiarum actionis causa, quòd hunc ordinem Physicum conseruet. Item quid prosunt consilia, leges, & diligentia regendi mores, si nulli motus in humanis uoluntatibus mutari possunt.

Talia absurda cùm sequantur ex Stoica necessitate, rectè docenda est Ecclesia, Suntq; hæc uera principia firmissimè tenenda, Deus est agens liberrimũ, & adest suo opificio, non ut Stoicus Deus, sed ut agens liberrimum. Et quanq; sustentat rerum substantias, & magna ex parte seruat ordinem corporum, quẽ instituit: tamen immensa misericordia multas partes moderatur, & sæpè secundas causas uel adiuuat uel impedit, uel prorsus mutat: Hæc libertas in exemplis consideretur. Statim initiò post lapsum Adæ & Euæ cùm ordo sanctus esset, ut extinguerentur propter peccatum, & ordo iusticiæ diuinæ sit firmior, quàm ordo in causis Physicis, tamen hic Deus se patefecit, & immediatè sine causis secundis seruat hominem. Moysi diuidit aquas maris rubri longo spacio per aliquot dies. Prælianti Iosuæ sistit Solem. Ezechiæ sol regreditur. Tres Israëlitæ seruantur in fornace Babylonica. Christus, Prophetæ & Apostoli resuscitant mortuos. Talia extraordinaria opera omnia sunt testimonia libertatis in Deo, & ostendunt eum non alligatum esse causis secundis, sed propter Ecclesiam sæpè eas moderari & mutare.

Opera extraordinaria testimonia uoluntatis in Deo.

Præterea certissimum est, Deum sæpissimè consilia & uoluntates hominum flectere quò uult sine causis secundis, ut cùm mouet Alexandri mentem ad bellum Persis inferendum, & deinde prælianti dextram regit, seu cùm incutit terrorem fugientibus hostibus, ut Psalmus inquit: Terribili & potenti, qui aufert Spiritum Principum.

Deus sæpè uoluntates hominum flectit quò uult sine secundis causis.

Iam addantur testimonia ex dictis Propheticis & Apostolicis. Psalmo 114. Omnia quæcunq; uoluit fecit. Ioel: 2. Scindite corda uestra, misericors & miserator est Dominus, patiens & multæ misericordiæ, & pœnitet eum pœnæ, Sicut de Niniue retractat promulgatam sententiam. Item Zachariæ 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Lucæ 21. Orate, ut possitis effugere uentura mala. Deut. 8. Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit ex ore Dei. Matth. 21. Omnia quæ petetis credentes, accipietis, Si dixeritis huic monti iacta te in mare, fiet. Psalmo 23. Etiamsi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo malum, quia tu mecum es. Psalmo 9. Exaltes me de portis mortis. Matt. 8. Si uis, potes me mundare, uolo, mundus esto. Talia dicta omnia testantur Deum esse agens liberrimum, & sæpè tollere aut lenire pœnas, quæ iam ordine legis, & causarum secundarum in nos irruunt.

Testimonia de libertate uoluntatis in Deo

Vt igitur necesse est in omni inuocatione promissiones cogitare, ut: Petite & accipietis. Inuoca me in die tribulationis, & ego eripiam te & similes. Sic & cogitandum est, Deum adesse creaturis, & esse liberrimum agens, & posse tollere aut mitigare mala, etiamsi causæ secundæ uidentur aduersari, ideo dictum

ctum est de Abraham, Credidit contra spem in spem. Et rex Iosaphat inquit: Cùm nescimus quid sit agendum, oculi nostri ad Dominũ tollantur. Et Ephe. 3. dicitur, Deum posse excellenti modo, et excellentia facere, quæ petimus supra quàm intelligimus. Et Psal. 71. Liberauit pauperẽ cui non erat adiutor. Psal. 90. Cum ipso sum in tribulatione. Oseæ 1. Saluabo eos non in arcu nec in gladio, sed in Domino Deo, id est, Filio suo. Et Zacha: 4. Non in exercitu, nec in robore, sed in Spiritũ meo defendam eos, dicit Dominus exercituum.

Talia dicta multa sint in conspectu, ut sint consolationes, accendant inuocationem & confirment Fidem & Spem, & ut consideretur potentia Dei, præsentia & gloriatio in Ecclesia.

Est autem libertas in Deo posse creaturas condere & non condere, posse conseruare & destruere, & iuuare mediatẽ per creaturas, & immediatè extra creaturas, & quanquam tantùm bona facit, tamen posse bona multiplicia & dissimilia facere. Hæc primùm scienda sunt, quia libertas in Deo est fons contingentiæ & libertatis in creaturis. *Libertas in Deo quid sit.*

DE CONTINGENTIA ET CAVSA PECCATI.

PRimùm considerent Studiosi, quid uocabula significent. Necessitas, Impossibilitas, Libertas, Contingentia, & traduntur explicationes in Dialecticis.

Sunt autem quatuor Gradus necessitatis. *Quatuor gradus necessitatis*

Primus est propositionum de essentia & de proprietatibus Dei, ut: Deus est sapiens, uerax, uolens iusta, casta. Est autem simpliciter necessarium, quod est prorsus immutabile, & cuius contradictorium est simpliciter impossibile, ita ut causa non possit quidem aliter agere, hanc nominãt absolutam necessitatem. I.

Secundus Gradus est definitionum & demonstrationum, quæ etiam prorsus sunt immutabiles. II.

Tertius Gradus est necessitas Physica, uidelicet ordo in creaturis, ut motus Solis & in alijs creaturis, actionum ordo, qui non potest mutari potentia creaturæ, sed potuisset aliter condi, & potest à Deo mutari, & Deus ostendit multa exempla, ut cùm iussit consistere solem aut regredi, cùm fecit anus steriles fœcundas. III.

Quartus Gradus est mutabilium, quæ tamen necessitate consequentiæ dicuntur necessaria, id est, quæ sunt quidem reipsa mutabilia, sed non mutantur, uel quia sic à Deo decreta sunt, uel quia sequuntur ex causis quæ non mutantur, cùm tamen mutari potuissent, uel quia cùm fiunt, contradictoriæ simul ueræ esse non possunt, ac magna dissimilitudo est propositionũ huius gradus, quia aliter iudicandum est de rebus bonis quę fiunt decreto Dei, Item, uolente & adiuuante Deo: Aliter de rebus malis, quæ fiunt sine decreto Dei, nec uolente, nec impellente, nec approbante Deo. De hac distinctione postea copiosius dicetur. IIII.

Necessaria est resuscitatio mortuorum, quia Deus edidit de ea decretum. Paulus inquit: oportet hæreses esse, scilicet necessitate cõsequentiæ, quia in multis ingenijs magna est petulantia, & incitata à Diabolis, qui delectantur ludis nouarum opinionum, ex his causis sequuntur hæreses, cùm tamen frenari & impediri possent.

Saul necessariō punitur, quia causas non mutat, cūm posset non insidiari Dauidi & non interficere Sacerdotes. Deniq; omnia cūm fiunt, ideo tunc necessaria dicuntur necessitate consequentiæ, quia contradictoriæ non possunt simul ueræ esse, ut cūm Plato sedet, contradictoria falsa est. Plato non sedet, Vult enim Deus distinctionem esse inter ueritatem & falsitatem, & uult esse certitudinem.

Hæc commonefactio de appellatione necessitatis hic consideretur.

Contingens. Contingens autem dicitur, quod cūm fit, habet causam quæ posset ex natura sua aliter agere, & fons contingentiæ primus est, libertas uoluntatis in Deo. Deus liberrima uoluntate creat genus humanum, ordinauit cursum solis, iubet solem regredi, iubet aquas in mari rubro consistere, &c. Hæc potuisset non facere, & aliter facere: ita discrimen inter agens liberum & non liberum consideretur.

Libertas uoluntatis in Deo causa contingentiæ.

Sic autem condidit Deus angelos & homines, ut essent ipsi quoq; agentia libera, manet aliqua libertas etiam in hominibus post lapsum, hæc libertas etiam causa est contingentiæ actionum humanarum, Paris frenare locomotiuam poterat, ne raperet Helenam.

Nunc consideratis appellationibus teneatur in Ecclesia firmissimē hæc uera doctrina. Primum quōd Deus non sit causa peccati, nec uelit peccatum, nec impellat homines ad peccandum, nec approbet peccatum. Postea ex hac ueritissima sententia sequitur perspicuē, quōd uoluntas in Diabolis & hominibus sua libertate auerterit se ā Deo, sequitur & deinceps, non omnia quæ fiunt, necessariō fieri: Cain non necessariō interficit fratrem.

Deus non est causa peccati.

Quōd autem Deus nec sit causa peccati, nec uelit peccatum, nec impellat uoluntates ad peccandum, nec approbet peccatum, perspicuum est ex multis firmis testimonijs, quorum aliqua recitabo. Gene. 1. Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant ualdē bona, id est, Deo placentia ordinata, congruentia ad ordinem in mente diuina, & ad certos usus profuturos homini condita. Psal. 5. Non Deus uolens iniquitatem tu es, id est, Deus uerē & non simulatē odit peccata.

Testimonia quōd Deus nō sit causa peccati.

Iohan. 8. Quando mendacium loquitur Diabolus, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater mendacij. Pater, id est, primus fons & causa mendacij. Discernit autem Dominus mendacium ā substantia, quasi dicat substantiam quidem habet diabolus aliunde acceptam, Nam omnes Angeli sunt essentiæ ā Deo creatæ, quorum aliqui postea lapsi sunt, habet autem propriū quiddam Diabolus non ā Deo acceptum, uidelicet mendacium, id est, peccatum, quod est destructio orta ā libera uoluntate Diaboli auertentis se ā Deo, Nec; hæc inter se pugnant, ut postea rursus dicam, Substantiam ā Deo conditam esse, & sustentari & tamen uoluntatem Diaboli & hominis causam esse peccati, quia uoluntas abuti libertate sua potuit, & sese ā Deo auertere, Zachariæ 8. Malum ne cogitetis in cordibus uestris, & iuramentum mendax ne diligatis, omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.

Cūm igitur non sit simulatum odium peccati in uoluntate diuina, nequaquam sentiendum est, Deum uelle peccatum. Primæ Iohan: secundo. Concupiscentia carnis non est ex Patre, sed ex mundo. Primæ Iohan: 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est, quia ab initio Diabolus peccat, id est, primus autor peccati

cati Diabolus est. Rom. 5. Per hominem intrauit peccatum in mundum, id est, peccatum non est res condita à Deo, sed homo sua libertate se à Deo auertit, & excussit dona Dei, & illam suam destructionem propagauit in suam posteritatem.

His & similibus dictis confirmati ueram & perpetuam Ecclesiæ sententiam constanter amplectamur, & nequaquam applaudamus Stoicis & Manichæis furoribus, qui sunt contumelioſi aduersus Deum & pernicioſi uitæ, qui fingunt homines necessariò scelera facere, & rectè intelligamus dicta, quæ contra ueram sententiam detorquentur ad Stoica deliramenta.

ARGVMENTA STOICA ET MANICHEA.

PRIMVM ARGVMENTVM.

Primum, Indurabo cor Pharaonis, hoc ita citatur cùm situerbum actiuum, ut indocti ratiocinentur inde Deum esse causam efficientem peccati, ad hanc Phrasin & similes respondendum est, Certissimum est Ebraica Phrasi uerba actiua sæpè significare permissionem non effectionem, Vt ne nos induc as in tentationem, id est, non sinas nos opprimi cùm tentamur. *Actiua uerba Ebraica phrasi sæpè significant permissionem.*

Repudianda est & Cyclopica cauillatio quorundam ueterum & recentium, qui dicunt non ideo peccare Deum, quia impellat ad mala, quia Deo non sit Lex posita. Hæc Cyclopica imaginatio execranda est, quia lex Moralis est ipsa sapientia æterna & immota in Deo, & uoluntas Dei est iusta, conformis illi suæ sapientiæ, ideoq; patefacta est lex Moralis, ut sciamus qualis sit Deus, & discernamus eum à malis naturis. Nec fingendæ sunt in Deo contradictoriæ uoluntates, quia Deus est uerax non dissentiens à sua sapientia, & à uerbo quod edidit & sanxit.

Plato inquit libro 2. de Rep. Quòd uerò dicunt aliqui malorum causam esse Deum, qui bonus est, pugnandum est omnibus modis, ne quis hæc dicat in sua ciuitate, si uult eam benè regi, & ne quis hæc audiat, nec iuuenis, nec senex, nec in carmine, nec extra carmen figuratè recitent, quia nec pium est sic dicere, nec nobis utile, neq; talia dicta secum ipsa consentiunt.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

Amos 3. Non est malum in ciuitate quod non fecit Dominus, huiusmodi dicta cumulantur ab ijs qui uociferantur Deum esse causam peccati. Hic autem nota sit omnibus uetus & necessaria distinctio. Differunt peccatum & pœna, ac usitate peccatum nominatur malum culpæ, quod est auersio à Deo & odium Dei, quod nequaquam uult Deus & nequaquam efficit, Sed pœnæ sunt destructiones rerum aut corporum, ut incendia, diluuia, morbi, fames: aut in anima pauor aut dolor horribiliter puniens ea, talis pœna est opus iusticiæ Dei, et nominatur malum pœnæ, sæpè igitur sic loquuntur Prophetæ Deum hæc mala efficere, id est, has pœnas uelle ordine iusticiæ. *Differunt malum culpæ & pœnæ.*

Sic Ieremias inquit in Threnis capite 3. Quis dixit ex ore altissimi nec bona nec mala ueniunt. Vbi obiurgat Epicureos, qui somniant res secundas et aduersas casu accidere.

Similis

Similis obiurgatio est Zophoniæ primo, Scrutabor Ierusalem lucernis, & uisitabo super uiros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis, non faciet benẽ Dominus, & non faciet malẽ, & erit domus eorum deserta &c.

Sic & dictum Amos intelligatur: Tristis querela est de concursu multarum calamitatum. Non est malum pœnæ, quod non fecerit Dominus in ciuitate, id est, Deus omnibus generibus calamitatum bello, fame, lue & uarijs ærumnis nos punit.

Sic & apud Iesa: capite 45. Ego Deus faciens pacem & creans malum, de rebus secundis & pœnis intelligatur.

TERTIVM ARGVMEMTVM.

Determinatio diuina est immutabilis,
Omnia contingentia sunt determinata in mente diuina,
Ergo omnia contingentia sunt immutabilia, & per consequens necessaria.

Deus aliter determinat bona, aliter mala.

Respondeo ad maiorem: Ex determinatione diuina, tantùm necessitas consequentiæ sequitur, & aliter intelligenda est determinatio euentuum bonorum, quos uult Deus: Aliter malorum euentuum, quos non uult, sed permittit.

Deus determinans hanc: Mortui resurgent: uult hanc resurrectionem, & condit decretum ne fiat oppositum, At determinans istam: Nero interficiet Paulum, non uult hanc sæuitiam, sed permittit & determinat metas furorum Neronis, ut de Sennacherib dicitur 4. Regum 19. Ponam Chamum in labijs tuis & reducam te.

QVARTVM ARGVMENTVM.

Causæ secundæ non agunt sine prima,
Ergo cùm secundæ agunt, necessariò primæ simul agunt.

Secundæ causæ non agunt sine prima sustentante.

Simplicissima & expeditissima responsio est, secundas non agere sine prima sustentante, quæ tamen liberrimẽ concurrit, agit quantum uult & quatenus uult, & aliter concurrit in regendis motibus cœlestibus, in regenda dextra Dauidis præliantis, & aliter in sustentanda substantia Saulis, cui præbet uitam tantùm, tantisper donec uult, cuius uoluntas habet suam quandam & propriam actionem, non impellitur ad mala à Deo: necesse est enim discerni Deum à Creaturis, essentiam increatam ab essentijs creatis. Item diuersos modos agendi, modum agendi naturaliter uno modo, & modum agendi liberẽ.

QVINTVM ARGVMENTVM.

Dicta de bonis & salutaribus actionibus Dei in Ecclesia.

Citantur dicta ut Ephe: 1. Electi secundum propositum eius, qui facit omnia secundum consilium uoluntatis suæ, & 1. Corinth. 12. Idem est Deus agens omnia in omnibus. Hic monendi sunt iuniores, hæc dicta non loqui Physico more, de omnibus motibus materiæ & omnium animantium. Sed tantùm de bonis & salutaribus actionibus in Ecclesia: Sicut hoc dictum, Ego sum uitis, uos palmites, Sine me nihil potestis facere, scilicet salutare uobis & Ecclesiæ. Sunt autem testimonia & consolationes dulcissimæ, quæ affirmant Deum & Dominum nostrum Iesum Christum uerè adesse Ecclesiæ, & ei opẽ ferre,

ferre, & uelle ut petamus & expectemus auxilium diuinum, ſicut inquit Dominus: Petite & accipietis. Item, Quantò magis pater ueſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus? Sicut Eccleſia ſeruatur in diluuio, & poſtea in mari rubro, ſicut ſeruantur tres uiri in fornace Babylonica. Ita ſemper Eccleſiam ſeruat Deus mirandis operibus, etiamſi non eodem modo incurrunt in oculos hominum, illi qui ſeruantur coguntur fateri ſe liberatos eſſe.

Hæc igitur dicta admoneant nos de infirmitate noſtra, de magnis periculis, de certaminibus & auxilio Filij Dei, qui inquit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Oues autem meæ uocem meam audient, & accendamur ad curam & inuocationem etc. Non detorqueantur hæc dicta ad Stoica deliramenta quæ impediunt inuocationem, & languefaciunt in regendis moribus diligentiam.

SEXTVM ARGVMENTVM.

SAepè citatur & Ieremiæ dictum: Scio Domine, non eſt hominis uia eius, &c. Confeſſio eſt infirmitatis noſtræ in regenda uia, id eſt, uocatione. Sunt autem multæ cauſæ impedientes. Nam & mens in conſilijs ſæpè errat: ſicut errabat Ioſias mouens bellum non neceſſarium. Errauerunt Pericles & Demoſthenes ſuadentes bella non neceſſaria & exitioſa patriæ, & omnes hiſtoriæ plenæ ſunt talium errorum. Ideo dictum eſt, Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilant &c. Hinc uerò non ſequitur, quòd non ſit libera electio. Item, Vana ſalus hominis. Stultorum infinitus eſt numerus. Ouidius: Proh Superi quid non mortalia pectora cogis &c. Cicero: O me nunquam ſapientem. Nihil homini facilius eſt quàm labi. In Heſiodo homines finguntur Epimethei. Plautus: Quem pœnitet non peccauit etc. Præterea foris multa ſunt impedimenta conſiliorum, ſæpè mutantur ſubitò occaſiones, nec ſemper reſpondent euentus. Multa accedunt inextricabilia humano conſilio ut Dauid exul, humano conſilio non poteſt reſtitui. Denicq; multi experiuntur errores & alia impedimenta. Agnoſcamus igitur infirmitatem noſtram, & à Deo petamus auxilium. Hoc monet Ieremias, nec inde ſequitur Deum eſſe cauſam peccatorum.

Dicta de uocatione.

SEPTIMVM ARGVMENTVM.

SAlomon inquit: Homo præparat animam. Deus gubernat linguam, in hoc dicto utile eſt monere diſcentes, diſcernendam eſſe electionem, quæ eſt in uoluntate ab euentibus qui ſunt extra nos. Cùm Ioſias bellum eligit, ea electio eſt uoluntatis opus, & fit liberè et contingenter, ſed ad euentum concurrunt aliæ multæ cauſæ, nec pendet euentus à ſola Ioſiæ uoluntate. Etſi igitur ſæpè euentus non congruunt cum uoluntate eligentis aliquid, tamen non propterea ſequitur nullam eſſe libertatem uoluntatis et nullam contingentiam. Præterea in deliberatione humana, quanquam ipſa electio ſeu proæreſis libera eſt, tamen ſæpè antecedit error, ut Pericles & Demoſthenes ſuadent bella, & liberè eam ſententiam eligunt moti argumentis probabilibus, quæ tamen non erant firma, ſed collecta erant ex cauſis non ſufficientibus. Sicut Demades inquit: Demoſthenis conſilium fuiſſe ὀνόμασι καλοῖς, οὐ σωτήριον ἔργοις.

Electio quæ eſt in uoluntate diſcernenda eſt ab euentibus.

OCTA-

OCTAVVM ARGVMENTVM.

De dicto Salomonis, Deus omnia facit etiam impium.

CItatur & hoc dictum ex Prouerbijs Salomonis capite 16. Omnia facit Deus propter seipsum, etiam impium ad diem malum. Hic Syntaxis Grammatica consideretur, & particula propter seipsum. Nequaquam enim cogitandum est, Deum esse causam peccati in uoluntate impia propter seipsum, sed Deus punit impium propter seipsum, ut uidelicet conspiciantur testimonia iudicij & iusticiæ Dei. Sit igitur hæc Syntaxis, Deus facit impium ad diem malum, id est, ordinat impium ad pœnam, eaq; ordinatio fit propter Deum, & gloriam Dei, uidelicet, ut conspiciatur iusticia Dei. Est igitur hoc dictū assueratio de prouidentia, quòd uidelicet futurus sit aliquando finis horribilium furorum in genere humano, quia Deus iusto iudicio ordinauit impios ad pœnam.

NONVM ARGVMENTVM.

De dicto: duo passeres asse ueneunt.

MAtth: 10. Non ne duo passeres asse ueneunt, & unus ex eis non cadet super terram sine patre uestro. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Hanc dulcissimam promissionem de protectione diuina detorquent quidam ad Stoicam necessitatem, qui sic argumentantur.

Cùm passerum motus fiant à Deo, sequitur omnium rerum motus à Deo fieri bonos & malos.

Sed simplex & uerissima responsio est: dictum Christi est doctrina et assueratio de prouidentia & conseruatione creaturæ, & de protectione & conseruatione Ecclesiæ. Verissimum est Deum omnia præuidere, inspicere & iudicare, ut Psalmo 32. dicitur de prouidentia, De cœlo respexit, uidet omnes filios hominum, & intelligit omnia opera eorum. Etsi autem præuidet omnia non tamen uult, nec efficit, nec adiuuat, nec approbat peccata, sed tolerat donec puniat, nec præuisio cogit uoluntates creaturarum, ut faciant peccata, multò minus dicta de conseruatione naturæ confirmant Stoicas imaginationes, Deus uult hoc bonum conseruationem naturæ, ut dicitur, in ipso uiuimus, mouemur & sumus &c.

Psalm. 35. Homines & iumenta, seruabis Domine: Nec inde sequitur Deum uelle aut facere peccata in homine, unus ex passeribus non cadet super terram sine patre uestro, scilicet sciente & permittente. Quia utrumq; uerum est, quòd & præuidet omnia Deus, & naturas seruat liberrima uoluntate donec uult &c. Non igitur intereunt nisi ipso deserente eas. Deinde fallacia est à non causa ut causa, præuidet, ergo efficit peccatum. Item seruat naturam, ergo efficit peccata. Hæc non rectè contexuntur. Dauid seruatur, non quia Deus uelit peccatum, sed ut postea redeat ad pœnitentiam, multò minus promissiones de protectione Ecclesiæ detorquendæ sunt ad Stoica deliramenta, Omnes capilli capitis uestri numerati sunt. Item, Nemo rapiet oues meas de manibus meis. Talia dicta promittunt beneficia, & tantùm de bonis actionibus Dei loquuntur, quas Deus liberrima uoluntate efficit & exhibet, ut ostendat de sese testimonia, nec ex particulari extruenda est uniuersalis propositio, Omnia bona & mala necessariò fieri à Deo. Recitaui fontes doctrinæ de Contingentia, quos considerare utile est, ut discernantur gradus actionum, & causæ, & considerentur opera & dona Dei, quæ actiones fiant propriè à uoluntatibus

Promissiones de protectione Ecclesiæ non debent detorqueri ad Stoica deliria.

tatibus Diabolorum & hominum, & remoueantur Stoica deliramenta, quæ sunt contumelioſa contra Deum, & pernicioſa moribus, & impediunt inuocationem & diligentiam regendi mores. De his tantis reb. iuniores præmonendi ſunt, ne applaudant iſtis, qui ſtoicas opiniones in Eccleſiam inuehunt, & quidem in inuocatione neceſſe eſt cõſiderare Deum eſſe agens liberrimum, quõd multa in cauſis ſecundis ſua bonitate leniat.

DE CREATIONE HOMINIS.

NArratio de creatione hominis in Moſe ſemper in conſpectu ſit omnibus, & confirmandæ fidei cauſæ, & ut aliquo modo res maximas conſideremus, quarum doctrina ibi traditur. Cùm autem poſtea de peccato dicendum ſit, neceſſe eſt prius dici qualis ſit conditus homo ante peccatum. Etſi autem nec angelorum nec hominum ſapientia perſpicere poteſt conſiliũ Dei, quare & quomodo res ſic condiderit, tamen initia huius ſapientiæ cogitanda ſunt, ſicut patefecit ea Deus, ac ſuprã dixi cauſam finalem eſſe creationis angelorum & hominum, quia Deus uult habere creaturam, cui communicet ſua ſumma bona et ſeipſum, uitam, lucem, ſapientiam, iuſticiam & læticiam æternam.

Cauſa finalis creationis Angelorum et hominum.

Eſt igitur cauſa impulſiua in uoluntate Dei liberrima ipſius bonitas. Viciſſim autem ſequi debet in angelis & hominibus celebratio Dei, ut Dominus inquit, Luceat lux ueſtra, ut glorificetur pater ueſter cœleſtis.

Impulſiua cauſa creationis.

Qualis autem conditus ſit docent uerba, faciamus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtram. Intelligunt autem aliqui imaginem & ſimilitudinem Dei naturam humanam, quam fuerat aſſumturus Filius, id etiamſi recipitur, tamen in illa natura oportet intelligi non tantùm corpus, ſed ſimul principalia in homine, ſcilicet mentem in qua uoluit Deus lucere ueras noticias de ſeipſo & de ſua Lege, uoluntatem rectam, libertatem electionis, & flammas uirtutum. Simus igitur contenti uſitata enarratione, quæ ex Paulo ſumta eſt, imago & ſimilitudo Dei in homine ſunt mens & uerę noticiæ & uoluntas recta incenſa flammis uirtutum, dilectione Dei & alijs uirtutibus, & libertas electionis. Sicut Paulus loquitur ad Coloſſ. 3. Induite nouum hominem, qui renouatur ad imaginem eius, qui condidit eum &c. Epheſ. 4. Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum conditus eſt in iuſticia & ſanctitate ueritatis.

Imago Dei in homine.

Conſideremus igitur bona attributa hominibus in creatione, fulgebat in mentibus lux excellens de Deo, & noticia Legis, & firma aſſenſio ſeu fides amplectens promiſſiones & minas Legi additas. Deinde uniuerſi huius opificij mundi, motuum cœleſtium humani corporis, animantiũ, & plantarum cognitio. Poſtea & in uoluntate & in corde rectitudo & conſenſus erat congruens cũ noticijs diuinitus inſitis, quæ ſunt radij diuinæ lucis in nobis. Et erat omnium uirtutum copulatio, timor Dei, uera fiducia & uera dilectio Dei & hominum, nulli aberrantes motus à noticia Legis, ſed ardebat in corde amor iuſticiæ, ueritatis, beneficentiæ, caſtitatis, et ſimul erat libertas electionis non impedita. Ac his pulcerrimis dotibus intelligebant ſe ornatos eſſe primi parentes, ut agnoſcerent eſſe eas teſtimonia de Deo, ex quibus diſcerent, et eſſe Deum, et qualis ſit, et qualem uelit eſſe obedientiam. Sic ornatus eſt homo in creatione, et placuit Deo, quia textus expreſſẽ dicit, Vidit Deus omnia quæ fecerat, et ualdẽ erant bona, id eſt, à Deo condita et cẽrto modo ordinata, et placentia Deo. Ac magis intelligebant ſe placere Deo, quia Deus prodiens ex arcana

Bona attributa homini in creatione.

sede alloquitur eos expresso uerbo. Benedicit eis, iubet eos dominari cæteris rebus, addit exercitia obedientiæ de pomo & de lege Coniugij. Erunt duo in carnem unam, id est, unus mas & una fœmina inseparabiliter iuncti. Talis autem esset homo & placeret Deo, insuper Deus habitaturus esset in eis, & tantisper in eis habitabat, donec uerbum fide retinebant. Nam per Verbum & Fidem habitat Deus in hominibus, iuxta dictum Pauli ad Ephesios. Habitat Christus per Fidem in cordibus uestris. Iohan. 4. Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Quomodo ante lapsum homo fuerit imago Dei.

Sic igitur erat homo imago Dei, non solùm quia erant in homine intellectus, uoluntas, libertas, sed etiam quia in intellectu fulgebat agnitio Dei in uoluntate corde motus erant congruentes cum Deo, iusticia, lætitia, imò quia ipse Deus per Verbum & Spiritum S. in nobis habitasset, & uiuificasset nos.

Hac simplici enarratione de imagine contenti simus, & dictum Pauli, cùm ait, Renouari imaginem Dei in nobis, intelligatur de restitutione lucis diuinæ, iusticiæ & lætitiæ in nobis, in qua restitutione, homines rursus fiunt templa Dei. Grati autem agnoscamus & celebremus immensam bonitatem Dei, & amorem erga nos, & petamus ut Fides & Gratitudo in nobis accendatur, & confirmentur, sic condidit nos Deus, ut earum rerum, quæ sunt in ipso optimæ, similes in nobis creauerit, scilicet mentem & sapientiam, uoluntatem & iusticiam, & libertatis electionem, præterea ut seipsum in nos infuderit, & uoluerit mutuam lætitiam esse in nobis suam & nostram, ergo uerissimè dilexit hominem sic conditum.

Quomodo restituatur in homine imago Dei.

Postea rursus cogitemus quanta bonitas, quantus amor sit in Filio Dei erga nos, postquàm prima dona amisimus, quòd fit intercessor, & uult hanc humilitatem, ut assumat humanam naturam, quanta item misericordia est in tota diuinitate, quòd Filius constituitur Mediator, & propter eum recipitur genus humanum, & rursus homo fit templum Dei, & æternus Pater, & Filius copulant nos ibi Spiritu sancto, qui est amor & lætitia substantialis, quæ diuinitas nos diligit, & uicissim accendit lætitiam & omnes uirtutes in nobis. Hæc testimonia immensi amoris quotidiè consideranda sunt, & petendum est, ut in nobis Fides & Gratitudo crescat.

Augustinus de imagine Dei.

Augustinus sic enarrat imaginem, ut tantùm potentias numeret, & accommodet ad personas, Pater æternus est ut mens, filius ut imago cogitatione genita, Spiritus sanctus, ut uoluntas, sed imagines à nobis cogitatæ & motus nostri non sunt ὑφεστῶτα, ut alibi copiosius dicitur. Hæc breuiter addidi, quia nunc in hac tanta caligine, doctrina de imagine obscurior est. Sed erit illustrior cùm diuinitas coràm conspicietur, & erit omnia in omnibus. Interea tamen elementa huius doctrinæ incoanda sunt, ut bonitatem & misericordiam Dei consideremus, & ut doctrinam de peccato originis rectius intelligamus, imaginis integritas amissa est, ut mox dicemus. Cæterùm prodest hic nosse distributiones potentiarum animæ, quas petant iuniores ex ijs scriptis, ubi ordinè recitantur.

DE LAPSV PRIMORVM PARENTVM ET DE PECCATO ORIGINIS.

Etsi

ETsi non penitus perspicitur Creatio, tamen etiam ratio naturalis aspiciens pulcerrimum ordinem corporum mundi in homine, noticias certas numerorum, legis, & alias, conuincitur, ut fateri cogatur, esse Deum sapientem, ueracem, beneficum, iustum, conditorem & iudicem, ac utile est sæpē testimonia Physica considerare, Sed doctrina de lapsu primorum parentum, & de peccato originis, & de causis horribilium calamitatum in genere humano longius posita est extra conspectum humanæ rationis. Patefacta est igitur in Ecclesia in scriptis Propheticis & Apostolicis, & tantùm ex patefactionibus diuinis cognoscuntur principales causæ malorum, & remedia. Cùm aspicimus calamitates humanas, mortem, morbos, dolores innumerabiles, neces multiplices, bella, magnarum urbium excidia, gentium dissipationes, & uastationes, monemur quidem, ut cogitemus tristem aliquam & magnam causam esse tantarum miseriarum in tam præstanti natura generis humani, sed quæ sit prima & potissima causa, non scit humana ratio sine uerbo Dei, Voluit autem Deus, has tantas pœnas commonefactiones esse de suo iudicio, de Verbo & de misso Redemtore.

Doctrina de lapsu primorū parentum, de causa peccati & calamitatū patefacta in Ecclesia.

Sed Philosophi utcunq; intuētur propinquas causas, non primam, dicunt mortem & morbos, oriri ā materia, cur autem materia hominum nunc habeat tales uices, quales habet materia plantarum aut pecudum, non dicunt.

Philosophi causam mali referunt in materiam & hominum uoluntatem.

Dicunt item multa mala accersi libera uoluntate hominū, sed non ostendunt causam, cur tanta sit imbecillitas uoluntatis, & unde sit discordia recti iudicij & cupiditatum, horribili impetu pugnantium cùm recto iudicio. Hæc sola doctrina Ecclesiæ exprimit primam & principalem causam omnium pericolorum & calamitatum, uidelicet lapsum primorum parentum & reatum ac depravationem in posteris propagatis ex Adam & Eua, communi ordine naturæ, quia cùm post lapsum amisissent priora dona, & integritatē, deinde propagarunt tales quales erant ipsi, ac narratio de lapsu extat in 1. lib. Moysi cap. 3.

Sed rursus uociferantur homines impij, etiamsi primi homines discesserunt à mandato Dei, quid hoc ad posteritatem, cur posteritas rea est? Propter tales cauillationes Pelagiani & multi alij negarunt aliquid esse peccatum Originis, alij ualdè extenuarunt: sed nos teneamus dicta Prophetica & Apostolica, quæ affirmant posteritatem ream esse, & homines nascentes secum afferre in hac ipsa natura multa horribilia mala pugnantia cùm Lege Dei, uidelicet in mente caliginem & dubitationes de Deo: In uoluntate & corde auersionem ā Deo, amorem nostri sine Deo, & multiplicem contumaciam aduersus Legem Dei.

De obiectione cur posteritas sit rea propter lapsum primorum parentū.

Romanorum 5. Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per Peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit, eō quòd omnes peccauerunt.

Item Ephes. 2. Eramus natura filij iræ, id est, proprij damnationis, id est, rei & damnati. Et Psalm. 30. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, quibus uerbis affirmat Propheta, peccatum esse propagatum ā parentibus, & illustris imago proposita est de uiatore saucio Lucæ 10. in qua uoluit Dominus considerari magnitudinem malorum nostrorum & causam & saluatorem. Ait hominem, id est, primos parentes descendisse ex Ierosolyma, id est, ex statu in

quo erat iusticia & pax,ad Iericho, id est, fragrantiam pomi, & ã latrone Diabolo oppressos esse, ac spoliatos ac uulneratos esse, spoliati sunt, id est, facti sunt rei, auulsi iam à Deo, & desierunt esse domicilium Dei, amiserunt lucem noticiæ Dei,quæ antea in eis fulserat,uerbo in ipsis habitante,& amiserunt dilectionem Dei, & congruentiam uoluntatis & cordis cum Deo, quæ regebatur Spiritu sancto,amiserunt & uitam.Sunt & uulnerati in mente,iam sunt tristissimæ dubitationes de Deo,in uoluntate & corde contumacia contra legem Dei, & fremitus contra Deum coniuncti cum horrendis doloribus & morte. Hæc mala non sanantur per sacerdotem & Leuitas,id est,per Legem,sed sanantur per Filium Dei,qui ibi nomine Samaritani dulcissimẽ pingitur, qui recipit gentes & Iudæos.

Definitio.

Priusquam autem definitionem propriam peccati originis tradimus,initiõ nota sit definitio peccati in genere conueniens originali & actuali peccato, quia rectẽ uocabulum peccati intelligi oportet. Extat autem generalis descriptio in 1. Epistola Ioan: capite 3. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Peccatum est quicquid est contra Legem Dei. Hæc descriptio rectẽ intellecta,concinna est,quia priuationes hoc modo describuntur collatæ ad normam quæ regit contraria.

Explicatio definitionis peccati apud Iohannem.

Est autem Lex, Sapientia immota in mente diuina, quæ est norma iusticiæ diuinæ nobis patefactæ,& idem est dicere, Peccatum est quiddam contrarium Legi Dei, & peccatum est quiddam menti & uoluntati Dei contrarium, & reatus comprehenditur in nomine Legis, quia Lex expressẽ damnat omnes non habentes integram obedientiam,iuxta dictum,Maledictus omnis, qui nõ manet in omnibus quę sunt scripta in Lege, neq; tamen reprehendo si quis addat hæc uerba.

Peccatum est quicquid est contra Legem Dei, propter quod & persona rea est iræ Dei & æternæ damnationis, nisi fuerit facta remissio propter Mediatorem.

Peccati usitata definitio.

Prorsus idem dicit definitio generalis quãm antea tradidi. Peccatum est defectus uel inclinatio uel actio pugnans cum Lege Dei, offendens Deum & commerens iram Dei,faciens personam ream æternæ damnationis,nisi fiat remissio propter Mediatorem.Sed utamur uerbis Iohannis,& ea dextrẽ intelligamus.Monachi nullam generalem definitionem tradunt,quia dicunt Legem de actualibus peccatis dicere, quod falsum & uanum est. Pelagiani etiam hac cauillatione utebantur,dicebant hanc uocem,originale,nouam esse,&fingi uocabulum & rem nouam. Sed Ecclesia distinctionem originalis & actualium recepit,ut aduersarios magis refutare posset, nec res noua fingitur,sed manifestis testimonijs diuinis affirmatur esse malum in nascentibus ex commixtione maris & fœminæ, quod Deo displicet, & est causa mortis & peccatorum actualium.

Paulus Periphrasi usus est cũm inquit, Omnes sumus natura filij iræ, & uocabulum naturæ,uicinum huic recentiori originali, alibi nominat concupiscentiam in membris.

Peccati originalis definitio usitata.

Nunc recitemus definitionem peccati Originalis, nec mihi displicent usitata uerba, modo dextrẽ intelligantur. Peccatum Originale est carentia iusticiæ Originalis debitæ inesse. Intelligatur autem carentia iusticiæ non

non solũm reatus, sed etiam absentia primæ lucis & rectitudinis, quæ fulsit in homine cũm adhuc esset imago Dei incorrupta,& templum Dei ante lapsum. Ideo definitionem aliquo modo planiorem addimus,Sicut Hugo inquit: Peccatum Originis est ignorantia de DEO in mente, & inobedientia in uoluntate & corde.

Nos sic dicimus, Peccatum Originale est reatus propter lapsum primorum parentum, & propter defectus & prauas inclinationes, quæ secutæ sunt lapsum in omnibus nascentibus ex commixtione maris & fœminæ, & sunt mala pugnantia cum Lege DEI, & merentur æternam damnationem, nisi fiat Remissio propter Mediatorem. *Alia definitio peccati Originalis.*

VBI SIT PECCATVM.

Non tantùm in corpore hominis sunt hæc mala nobiscum nascentia, defectus & prauæ inclinationes, sed simul sunt in anima & corpore, uidelicet in potentia cognoscente,tenebræ & dubitationes de Deo: In potentia appetente & corde, absunt bonæ inclinationes,amor Dei & Timor Dei,& insunt praua inclinationes,iniustus amor nostri, superbia, errantes appetitiones multiplices, id est, totus homo,anima & corpus, post lapsum desijt esse domicilium Dei, & cùm non fulgeat Deus in hominibus,sunt in eis tenebræ, & multiplex ἀταξία. *Peccatum est in anima & corpore.*

CAVSÆ EFFICIENTES PECCATI.

CAusæ efficientes primi lapsus sunt Diabolus & uoluntas hominis,propria libertate auertens sese à mandato Dei, & assentiens Diabolo. Dicuntur autem efficientes causæ, quæ merentur aliquid. Sic Adam & Eua sunt causæ efficientes, id est, merentur reatum & prauitatem posteris,quia primis parentib.donata erat integritas, ut eam toti posteritati conseruarent: Et in hoc ipso certamine repræsentant Adam & Eua totum genus humanum. Sunt item efficientes causæ, quia propria libertate excutiunt Verbum & Spiritum Sanctum, & ita omittunt dona conseruanda toti naturæ.

CAVSA FORMALIS PECCATI.

IAM dixi de formali Peccati, rectè & eruditè dicitur,quòd sit reatus. Fundamentum autem huius relationis est ipsum uicium in hominibus, ibi quoq; proprium uicij formale est defectus. Hæc rectè institutis non sunt obscura. *Formale peccati reatus.*

Præterea discerni oportet in hominibus organa & appetitiones, quatenus à Deo conditæ sunt, à defectibus,seu ἀταξία, quæ accessit ad opera Dei, ut potentia generandi est opus à Deo conditum & ordinatum, sed ἀταξία seu ordinis turbatio deinde accessit,quæ est uulnus seu laceratio in opere diuino.

Discernendæ sunt etiam noticiæ ueræ, quas Deus uult esse reliquas in natura hominum,ut noticiæ Legis & artium, quæ reuera sunt opera & dona Dei, & à dubitationibus de Deo,& reliqua caligine.

Fines autem sunt, uniuersa destructio humanæ naturæ,quia Deus iustus destruit creaturam iniustam. Sequuntur ergo mors, & omnia mala corporis, & deinde æternus dolor naturæ abiectæ.Item omnia peccata actualia.Item tristissima seruitus, qua homo subiectus est tyranno Diabolo. *Finis peccati destructio humanæ naturæ.*

Considerata igitur naturæ deprauatione, intelligitur unde sit malum, de quo aliter doctrina Ecclesiæ, aliter doctrina Philosophica loquitur, ut Philosophia cogitat, solam materiã esse mortis causam, Doctrina Ecclesiæ docet, principalem causam esse peccatum, ut Rom. 5. dicitur. Per unum hominem peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors.

Concupiscentia est malum pugnans cum Lege Dei.

Hic breuissimè de usitata quæstione dicamus, an in renatis in hac uita reliquum sit peccatum. Monachi contendunt in infantibus baptizatis non esse peccatum, & malam concupiscentiam, quæ reliqua est, dixerunt tantùm esse malum pœnæ, nec esse aliquid pugnans cum Lege Dei. Nos constanter dicimus illa mala, quæ reliqua sunt, caliginem in mente, & dubitationes de Deo, & in uoluntate fremitus contra Deum, & multiplicem auersionem, quæ mala omnia comprehenduntur nomine concupiscentiæ, Roma: 7, esse mala pugnantia cum Lege Dei, sicut Romano: 7. expressè dicit. Item Rom: 8. Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum, & ex definitione Iohannis perspicua est confirmatio. Peccatum est quicquid est contrarium Legi Dei. Concupiscentia est contraria Legi Dei, ut Paulus Rom. 7. dicit: Est igitur peccatum: Et omnium Sanctorum confessio idem docet, ideò Iohannes inquit, Si peccatum non habemus, nos ipsi decipimus, & ueritas non est in nobis.

In Baptismo tollitur reatus sed morbus manet.

Cùm autem obijcitur, quomodo dicis manere peccatum, cùm in Baptismo tollatur, uerè respondetur tolli reatum actualem, sed morbum adhuc manere quanquàm sanatio incoatur, sicut suprà de saucio uiatore dictum est, cuius uulnera obligantur: sic Remissione peccatorum tegitur peccatum in nobis, sed uulnera nondum prorsus sanata sunt, erit autem integra sanitas in uita æterna.

Discrimen inter doctrinam nostram & Papistarum de peccato.

Hæc explicatio uera est, & rectè instituti intelligunt in uocabulo Relatiuo peccati discernendum esse reatum à fundamento. Limes est lapis, etsi non amplius distinguit agrum, ita concupiscentia est malum pugnans cum Lege Dei, etiam cùm reatus actualis tollitur, & propter Mediatorem non imputatur amplius malum ad damnationem, Sicut Psalmus inquit: Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatum. Nec est λογομαχία inter nos & Papistas, de re certamen est: ipsi furenter contendunt malam concupiscentiam non esse malum pugnans cum Lege Dei. Item dicunt, Lege tantùm actualia delicta postulari. Ita intelligunt Legem Dei tantùm Pharisaicè de actionibus.

Sic deleta uera doctrina de Lege & de peccato, postea delent ueram doctrinam, de gratia & de iusticia fidei, & fingunt Legi satisfieri posse, & sequuntur aliæ magnæ tenebræ, necesse est igitur errores Papisticos taxari, & facilis est refutatio rectè institutis.

Detestanda est etiam Synodi Tridentinæ peruersitas, quæ ut offunderet præstigias oculis, ludit ambiguitate, ait non esse propriè peccatum in renatis, cùm tamen hoc uelint, non esse malum pugnans cum Lege Dei.

DISTINCTIO PECCATI.

Etsi sermo Propheticus & Apostolicus plerunq; peccati nomine & originale & actualia complectitur, tamen postea motis certaminibus, cùm Pelagiani contenderent, nihil esse peccatum, nisi delicta actualia, necesse fuit uti duabus appellationibus, hanc admonitionem de appellationibus considerare utile est.

Suprã autem tradidimus communem definitionem peccati in genere, Deinde definitionem peccati originalis, quod rectè dicitur esse carentia iusticiæ originalis, id est, non esse templum Dei, non habere lucem in mente, non ardere dilectione Dei, non habere ordinem in uoluntate & corde, qualis erat cùm adhuc essemus templa Dei.

Deinde sciendum est in hac misera natura post lapsum esse gradus rerum & actionum. In mente sunt adhuc aliquæ ueræ noticiæ, ut numerorum, Legis moralis, & aliæ ueræ artes, quæ sine ulla dubitatione sunt suo genere res bonę, uidelicet conditæ à Deo in natura humana, sicut uita, lumen in oculis, calor naturalis, nutritio, generatio, facultas in neruis & spiritibus, ad ciendum sensum, & motũ localem, Libertas eligendi actiones externas, ut ingrediendi in aquã uel non ingrediendi. Admouendi poculum ori aut non admouendi. Item sophrosynai in corde & uirtutes Heroicæ. Hæ non sunt suo genere peccata, & in renatis quia melius reguntur fiunt bona opera. *Gradus rerũ & actionũ in natura post lapsum.*

Sic de disciplina iudicetur, quæ est iuxta noticias Legis regere locomotiuam, ut Hippolytus scit præceptum, Non attingas nouercam, huic noticiæ uoluntas obtemperans, mandat locomotiuæ, ne attingat nouercam. Hæc frenatio non est suo genere peccatum, sed quando non prælucent fides, & uera agnitio, & inuocatio. Ita disciplina est peccatum per accidens, quia persona non est reconciliata Deo, & disciplina non regitur luce Dei & agnitione Mediatoris, sicut de Pharisæo dicitur, Luce 18. Nec existimentur esse leuia mala, dubitationem de Deo, malas opiniones de Deo, fremitus aduersus Deum, & alias multas errantes flammas &c. Alius est gradus uidelicet actiones interiores & exteriores suo genere pugnantes cum Lege Dei, ut adulterium, uel errantes flammæ libidinum. Hæ actiones dicuntur propriè actualia peccata, & omnes tales actiones in non renatis, sunt peccata mortalia, seu regnantia.

Est igitur hæc prima distinctio peccati. Aliud nominatur Originale, aliud Actuale. Postea cùm de renatis dicitur, sequitur alia distinctio. Aliud est Veniale, aliud Mortale.

Veniale est, quod quanq̃ est suo genere peccatum, tamen remittitur renato, qui repugnat huic malo, & credit sibi remitti suam infirmitatem propter Mediatorem, & non excutit Spiritum sanctum, ruens contra conscientiam, aut assentiens impio dogmat. Fiunt igitur Venialia in renatis, retinentibus fidem & bonam conscientiam naturales morbi, & interiora actualia peccata, scilicet uiciosi affectus, quibus tamen repugnant renati, & multi lapsus ignorantię & omissionis. *Veniale peccatum quid sit.*

Hic etiam necesse est taxare tetrum errorem Monachorum, qui nimium extenuarunt peccatum Veniale, & finxerunt esse actionẽ præter Legem Dei, non contra Legem Dei. Nos sciamus etiam hęc quæ in renatis nominãtur Venialia, esse mala pugnantia cum Lege Dei, ut dubitationes, errantes flammæ uiciosorum affectuum, quibus tamen renati repugnant. Quando autem hi qui fuerant renati labuntur contra conscientiam, aut amittunt fundamentum, id est, assentiuntur impiæ doctrinæ contra articulos fidei, Seu ignorantia defendant falsa, seu scientes, propter talia facta lapsus amittit gratiam & Spiritum S. & rursus fit reus æternæ pœnæ, & ruit in æternos cruciatus, nisi rursus fiat conuersio ad Deũ: Talis lapsus iterum est regnans peccatũ, & nominatur Mortale Actuale, quod est uidelicet actio interior, seu exterior, pugnans cum Lege *Venialia peccata sunt mala pugnantia cũ Lege Dei.*

Dei, facta contra conscientiã, seu error in articulo Fidei, propter quæ mala la-

Lapsus contra conscientiam in renatis fiunt peccatum actuale.

psus rursus fit reus æternæ iræ, nisi fiat conuersio. Quõd enim aliqui contendunt, ut Anabaptistæ, & alij, semel renatos non posse amittere gratiam, & Spiritum sanctum, manifestus error est, & necessariõ reprehendendus, ideõ manifesta exempla addam, Adam & Eua erant templum Dei, & erant electi, & tamen reuera in lapsu auersi sunt à Deo, & desierunt esse templum Dei, & facti sunt rei æternæ iræ, Sicut inquit Paulus: Per unius hominis peccatum intrauit mors &c. Deut: 9. Aduersus Aaronem ualdè iratus est Dominus, ut deleret eum, sed pro eo precatur Moyses. Matth. 12. Quando immundus Spiritus egressus est ab homine, uadit per loca arida &c. 2. Pet. 2. Cùm hi, qui effugerant inquinamenta mundi agnitione Domini &c. Rom. 8. Si secundum carnem uixeritis, moriemini, sin autem actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis. In hoc dicto perspicuè traditur discrimen inter peccata, quæ sunt in renatis, qui tamen retinent gratiam, & Spiritum sanctum, & alia peccata propter quæ amittitur gratia. Tales autem inquit retinere Spiritum sanctum, qui uitiosis affectibus repugnant, id est, qui retinent bonam conscientiam, sicut alibi inquit: Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam. Contrà uerõ non retinentes fidem & bonam conscientiam, indulgent uitiosis affectibus, non repugnant, tales condemnantur, hæc sententia firmissimè tenenda est 1. Corinth. 6. Nolite errare, neq; scortatores, neq; adulteri &c. & loquitur de his donec sunt tales, nec reuersi sunt ad Deum per conuersionem.

Peccata affectatæ ignorantiæ & omissionis.

Ad hunc gradum pertinere dixi, qui amplectuntur errorem in aliquo articulo fidei, siue scientes, siue ignorantes, quia ignorantia affectata non excusat delictum. Huc pertinent dicta, Qui non credit iam iudicatus est. Fundamentum aliud ponere nemo potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus, Idem de affectata omissione dicitur, Nam & de officijs regula tradita est Hoc requiritur, ut fideles simus, id est, habeamus Proæresin & conatum rectè faciendi officium & diligentiam. Item, Vę mihi si non Euangelizem, & Matt. 25. iubet Dominus in tenebras eijcere seruum inutilem, quamobrem principes Episcopi & innumerabiles alij aduersantes ueritati, nequaq; sunt excusati ignorantia, sed hæc ipsa ignorantia horribile est peccatum, quia mandatum Dei unuiuersale & immotum est, ut omnes homines agnoscant & audiant Filium Dei, iuxta dicta: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite. Psalm. 2. Et nunc reges intelligite. Iohan. 16. Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me.

DE LEGE.

Sola Ecclesia retinuit doctrinam legis integram.

QVõd hæc sola pars generis humani, quæ amplectitur doctrinam Propheticam & Apostolicam sit Ecclesia Dei, & quõd in hac multitudine sola sint electi ad salutem æternam, illustre testimonium est, quõd semper sola hæc pars retinuit integrã doctrinã legis Moralis, Omnes alię gẽtes approbauerũt quædam scelera contraria Decalogo, ut cultus Idolorum, & uagas ac tetras libidines. Romani etiam approbauerunt homicidia gladiatorum. Hoc testimonium de Ecclesia consideremus, & sciamus semper in uera Ecclesia inde usq; ab Adam fuisse integram uocem legis Moralis, & in Ecclesia semper retinendam

dam esse, & rectè de Lege & Euangelio, & de discrimine Legis & Euangelij homines docendos esse.

Secundò necesse est scire usitatas distinctiones. Aliæ sunt Leges diuinæ, aliæ humanæ. Legis diuinæ partes tres nominantur: Lex Moralis, Ceremonialis & Iudicialis. Quid sint autem Leges Ceremoniales & Iudiciales seu Forenses, & quare traditæ & rursus abolitæ sint, postea breuissimè dicam, nunc prius definienda est Moralis. *Tres partes legis diuinæ.*

Lex Dei, quæ nominatur puerili nomine Lex Moralis, Est sapientia æterna & immota in Deo, & norma iusticiæ in uoluntate Dei, discernens bona & mala, quæ est patefacta rationali creaturæ in creatione, postea sæpè repetita est, & sancita uoce diuina in Ecclesia, ostendens quòd sit Deus, & qualis sit, & quòd sit Iudex, obligans omnes rationales creaturas, ut sint conformes illi normæ Dei, & damnans omnes, ac denuncians horribilem destructionem omnibus, quæ non congruunt ad illam normam, nisi sit reconciliatio facta propter Mediatorem, iuxta dictum: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in Lege. In Psalmo, Non uolens iniquitatem tu es, odisti omnes qui operantur iniquitatem. Nos miseri homines nimis tenuiter cogitamus de Lege Dei, perinde ac si Legem Laconicam de nummo ferreo, aut legem Thebanam de cophino imponendo obæratis, aut similes res paruas cogitaremus. Sed in magnis doloribus incipimus utrunque cognoscere, hoc iudicium esse sapientiam & iusticiam DEI uerè & horribiliter irascentis peccato. *Definitio legis Moralis.*

Et quia præcipua capita Legis Moralis seu æternæ, comprehensa sunt in Decalogo, sæpè pro appellatione Legis Moralis utimur uocabulo Decalogi, quem tamen sic intelligi oportet, sicut eum enarrant Christus, Prophetæ & Apostoli, & sciamus in eo comprehendi omnia præcepta Moralia, ubicunq; leguntur in Bibliis. Hæc tota sapientia, quæ dicitur lex Moralis, est radius diuinæ lucis, transfusus in creaturas rationales in creatione, qui dicitur lus naturæ, seu leges naturales. *Præcipua capita legis Moralis comprehensa sunt in Decalogo.*

Alij sunt gradus legum in Lege Moysi, Ceremoniales, & Iudiciales seu Forenses, quæ sunt de externis gestibus, de distinctione personarum, rerum & facultatum mutabilium, & aliàs alij externi gestus instituti sunt. Teneamus autem qualescunque descriptiones.

Leges Ceremoniales sunt præcepta de externis gestibus sacrificiorum, de gradibus sacerdotum, de discriminibus ciborum et uestium, qui gestus instituti sunt, partim ut essent significationes, partim ut discernerent personas, partim ut essent exercitia. *Leges Ceremoniales Moysi.*

Leges Forenses sunt præcepta de distinctione Magistratuum Politicorum, de distinctione & de defensione corporum & facultatum, de iudicibus, et pœnarum gradibus. Sunt autem in his quoq; multa naturalia præcepta in genere, quæ non sunt mutabilia quod ad genus attinet: Sed speciales determinationes sunt mutabiles, ut iuris naturæ est, hæreditatem ad filios & filias pertinere; sed specialis determinatio in politia Mosaica erat, ut portiones duas haberet maior natu. Ita prudenter cõsideretur, ubi fiat mentio generis, uel speciei. *Leges Forenses Moysi.*

Deinde notissima sit communis regula: Leges Ceremoniales & forenses Moysi abolitas esse, et cũ sua politia extinctas esse. Huius regulæ fontes & causas sciri oportet, et rectè intelligenda est, ne turbẽtur prȩsentes politiȩ falsa persuasione, *Leges Ceremoniales et forenses sunt abolitæ.*

suasione, quod oporteat nostras politias regi legibus Mosaicis, Sicut hic error sæpē magnos tumultus excitauit.

Causa abrogationis Legum Mosaicarum.

Causa autem abrogationis manifesta hæc est, Deus singulari beneficio constituit politiam Mosaicam, ut esset certa sedes & certa gens, & quasi schola in qua seruaretur doctrina de filio Dei, & repeterentur promissiones, & adderentur illustrissima testimonia, & in qua certum esset filium assumta natura humana concionaturum esse,& futurum uictimam,& resurrecturum esse,& æditurū testimonia doctrinę,quia Deus de his tātis reb.uult nos certos esse, uoluit autem postea finem esse huius politiæ.

Causa destructæ politiæ Mosaicæ.

Sunt uerō leges Ceremoniales & Forenses ipsa forma politiæ. Deleta igitur hac politia, hæ leges ad id tempus traditæ, etiam destructæ & extinctæ sunt, ut in Actis & in Galat. perspicuæ asseuerationes extant de abrogatione harum legum. Principalis autem causa destructionis politiæ, & abrogationis Ceremoniarum hæc est, Vult Deus intelligi promissionem de Messia afferre æterna bona,uitam & iusticiam æternam,non tantūm has umbras,Ceremonias,&exigui temporis hospitium, Vult simul intelligi Ecclesiam in hac uita subiectam esse cruci, & tamen mirabiliter seruari, uel in politia propria, ut tunc in Israēl mirabiliter inter crucem seruata est, uel in alijs imperijs, ut in exilio Babylonico quoqꝫ seruata est Ecclesia.

Quare lex Moralis cūm natura nota sit,tamen promulgata est,et cūm hęc imbecilla natura non posset ei satisfacere?

Respondeo. Etsi noticiæ legis Moralis in creatione in homines transfusæ sunt,& adhuc aliquo modo nobiscum nascuntur, tamen post peccatum magna caligo & languida assensio est, ideō Deus semper in Ecclesia inde usqꝫ ab Adam repetiuit legem Moralem sua uoce, & illustribus exemplis pœnarum eam sanxit, ut de homicidio in pœna Cain, & de confusionibus libidinum in pœna diluuij & Sodomorum, & postea maximè illustribus testimonijs promulgata est in Sinai. Quanꝯ igitur aliquomodo naturæ nota est, tamen fit conspectior,edita uoce diuina: & testimonio diuinæ uocis commonefacti, agnoscimus hanc legem diuinam esse, & naturales noticias hac uoce regendas esse. Vult autem Deus Legem notam esse, ut sit doctrina seu testimonium de multis magnis rebus.

Cur Deus legē suam notam esse uoluerit,etiam in hac imbecillitate.

Primùm docet,quōd sit Deus, & qualis sit. Talis est enim ipsius essentia, qualem se esse in lege ostendit, sapiens, uerax, beneficus, iustus, castus, seruans conformes creaturas,& destruens contrarias,cogitatione harum uirtutum discernere debemus iusta & iniusta,& Deum iustum,ueracem, castum, ab alijs iniustis,mendacibus & obscœnis naturis.

Secundō,lex docet hanc nostram naturam debere conformem esse Deo, & cum hac conformitate initiō conditam esse.

Tertiō, monet nos de præsenti miseria: quia enim ostendit, quales conditi simus,&ad quid conditi simus,cūm uidemus nos legi dissimiles esse,agnoscimus aliquo modo nostram miseriam, tunc præsertim,quando uerē perterrefiunt corda uoce Legis, ut cūm Dauid expaueſcit uoce Nathan obiurgatus, aut Ezechias,cūm inquit: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea.

Quartō, Lex monet nos tacitē de reparatione humani generis, & de uita æterna: quia .n. Deus repetit uocem legis post lapsum hominis,uult aliquando eam fieri,erit igitur instauratio humani generis, & uita sine peccato. Non .n. frustra

frustra Lex repetita est, sed tamẽ doctrina de instauratione naturę, alibi in promissionibus de Messia expressẽ tradita est.

Quintò, Lex est testimoniũ de Christo, quia & ostendit qualis sit, scilicet habens perfectam iusticiã, qualem Lex describit, & pro nobis ideò satisfaciens iusticiæ Dei, quia ipse habet perfectam iusticiam, cùm sit uictima pro nobis, quam significant typi in sacrificijs Leuiticis. Deinde etiam talem iusticiam in nobis incoat, qualem Lex describit iuxta dictum: Non ueni soluere Legem, sed implere.

DE TRIPLICI VSV LEGIS.

MAgis etiam perspicuum fit, quare lex promulgata & patefacta sit, quando discernuntur tres usus Legis. Primus est pædagogicus seu politicus (hos enim non necesse est discerni) qui est regere externa membra seu locomotiuam, ut usitatẽ loquimur, ut externa professio & aliæ actiones externæ congruant cùm Lege Dei. Vult enim Deus coërceri omnes homines etiam non renatos, iuxta dictum, Lex est iniustis posita, & sæpẽ aliàs recitatæ sunt causæ, quare externa obedientia sit necessaria, etiam in non renatis, scilicet 1. Propter mandatum Dei. 2. Ad uitandas pœnas corporales & æternas, quia sine ulla dubitatione, atrocia delicta sequuntur atroces pœnæ, etiam in hac uita, iuxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Omnis anima quæ fecerit abominationes istas extirpabitur. 3. Propter aliorum tranquillitatem. 4. Vt sit pædagogia in Christum, quia perseuerans in delictis contra conscientiam non accipit remissionem peccatorum, nec doceri homines possunt in uita Cyclopica. *Triplex usus legis.* *Pædagogicus primus.*

Secundus usus principalis est, de quo inquit Paulus, Per Legem agnitio peccati. Item, Lex iram efficit, id est, iudicium quo Deus iram suam ostendit aduersus omnia peccata interiora, & horribili terrore opprimit omnes homines, ut inquit Ezech. Sicut leo contriuit omnia ossa mea, quanq; enim multi aliquãtisper securi non sentiunt hoc iudicium, tamen tandem sentient, ut Psal. 50. dicitur: Deus manifestẽ ueniet: Deus noster, & non silebit &c. Item Ioël: 2. Ante faciem eius ignis uorans, nec est qui effugiat eum: Nam qui non credit in Filium, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum: ideò Paulus inquit, Ego aliquando sine Lege, uiuebam, id est, securus non sentiebam iudicium legis, ueniente autem Lege, peccatum reuixit & ego mortuus sum. *Secundus usus legis.*

Tertius usus est in renatis, in quibus crescere pœnitentiam necesse, ideò Deus semper in Ecclesia & retinuit & repetiuit Legem, ut uoce ista ostendatur ac arguatur peccatum. Item renatis opus est testimonio Dei, ut sciant, qui cultus placeant Deo, & manet ordo in tota æternitate, ut creatura Deo obediat. *Tertius usus legis in renatis.*

DE PRIMO PRÆCEPTO.

SApientia Legis exhauriri non potest, & tamen utcunq; initia discenda sunt, ordo in Decalogo tam concinnus est, ut ipsa series præceptorum de multis magnis rebus nos admoneat. Initium est ab agnitione & dilectione ueri Dei, quia ideò conditi sumus principaliter, ut Deus nobis suam sapientiam & iusticiam communicet, & nos uicissim eum agnoscamus, diligamus & celebremus & dilectio mutua copulet Deum & nos, quia amor est copulatio, ideò Paulus inquit, Erit Deus omnia in omnibus. Mox autem in initio discernit uerũ Deum à commentitijs numinibus, & docet quomodo sit agnoscendus Deus, & *Sapientia legis inexhausta.* *Prima doctrina decalogi, quis sit Deus & quomodo sit agnoscendus.*

monet

monet cogitandum esse, quid, & quem Deum ubi patefactum alloquamur. Quia enim Deum non cernimus oculis corporis, ipse sese Verbo suo & certo opere patefecit, hic igitur est uerus Deus & alloquendus qui hic loquitur, & qui eduxit populum ex Aegypto, sicut ait: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, præter me non est alius. Et hic idem Deus est Abraham, Isaac & Iacob, id est, qui promissionem dedit de uenturo Redemtore Patribus. Hic igitur Deus inuocandus est, qui se patefecit dato hoc Verbo, & data promissione de Mediatore & factis miraculis, & postea misso Filio, propter cuius agnitionem omnia miracula facta sunt. Ideò nos iam in nouo testamento, mentione Filij discernimus uerum Deum ab omnibus commentitijs numinibus, qui se patefecit misso Filio Domino nostro Iesu Christo, crucifixo & resuscitato, & accedimus fiducia huius Mediatoris, sicut ipse docet inquiens: Nemo uenit ad patrem, nisi per Filium. Item, Qui me uidet, uidet & patrem. Item, Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis.

Hæc prima doctrina est primi præcepti, quis sit uerus Deus, & quomodo agnoscendus sit & alloquendus.

Secunda doctrina de ueris cultibus Dei.

Secunda doctrina est de cultibus, qui in hoc præcepto describuntur, qui sunt uera & firma agnitio Dei, & credere Deo sine dubitationibus, & perfectẽ eum diligere. Præcipit enim Lex integram obedientiam iuxta dictum: Diliges Dominũ Deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente, & totis uirib. &c. Manifestum est autem homines in hac tristi prauitate naturæ plenos esse dubitationum de Deo, & de prouidentia, & securos non timere iudicium Dei, postea uerõ in pœna irasci & fremere aduersus Deum, non ardere dilectione Dei, Sicut Paulus inquit: Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Damnantur ergo hoc primo præcepto omnes homines in hac deprauata natura, propter tenebras, & horrendã auersionem ã Deo, quę ut aliquo modo consideretur, aspiciantur humani furores, qui omnib. temporibus hoc præceptum manifesta audacia uiolant, uidelicet ἄθεοι & omnes superbi, securi, & leuiter curantes iudicium Dei. Item Hæretici infinitis corruptelis ludentes de Deo, Iudæi, Mahometistæ, et alij, qui fingunt corruptelas doctrinæ. Item Idolatriæ, quæ fingũt Deos & cultus contra mandata Dei. Item qui inuocant homines mortuos. Item Magi qui pacta cum Diabolis faciunt. Item omnes qui in pœnis irascuntur Deo, aut dubitant de misericordia, non confugiunt ad Deum, ruunt in desperationem & æternum odium Dei. Talium peccatorum cũm mundus plenus sit, agnoscamus & deploremus hanc tantam miseriam generis humani.

Tertia doctrina quomodo liberemur à damnatione legis.

Sequitur autem tertia doctrina, Cũm iam intelligamus nos damnari hac Lege, quæstio est quomodo liberemur ab hac damnatione Legis, & quomodo restituatur in nobis obedientia: quia necesse est tamen incoari obedientiam in hac uita, sicut Dominus inquit: Si uis in uitam ingredi serua mandata. Item, Nisi abundauerit uestra iusticia plus quãm Scribarum & Pharisæorum, non potestis ingredi in regnum cœlorum. Respondeo, ne quidem incoari potest Lex sine agnitione Filij Dei, sicut dictum est, Lex dicit testimonium de Filio Dei.

Primũm igitur cũm in uera pœnitentia aliquo modo agnoscimus nostra peccata, confugiamus ad Mediatorem, & credamus nobis remitti peccata nostra, nos recipi & reputari iustos propter eum, seu eius obedientiam. Hoc cũm fit, Filius Dei uerè est efficax in nobis, ut per uocem Euangelij cernamus uerũ Deum,

Deum,agnita eius misericordia, qui consolatur nos Spiritu suo sancto,qui accendit tales motus,qualis est ipse,scilicet læticiam in Deo,& dilectionem Dei, qua incipimus nos ei subijcere,iuxta dictum : Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Ita fit incoatio obedientiæ per Fidem,agnito Filio, & incoata obedientia, quanquam procul abest ā perfectione Legis, placet tamen propter Mediatorem, in his, qui fide reconciliati sunt, ut suo loco copiosius dicam,atq; hic immensa misericordia Dei cogitetur, quòd hanc incoatam obedientiam exiguam, mendicam, sordidam recipit, & ornat tanto honore,ut sacrificia nominet, & sciamus hoc fieri propter Mediatorem,qui sic precatur: Iohan. 17. Sit in eis dilectio,qua me diligis. Ephe. 1. Sumus dilecti in dilecto.

Quarta doctrina. Cùm necesse sit incoari obedientiam, cogitemus quæ opera sint prima, quæ maximē sensu percipi possunt. *Quarta doctrina, quæ opera sint prima.*

Summum est opus dilectio, quæ sic flagrabit in æterna uita, ut ardentissimo sensu eam percepturi simus. Nunc magis percipiuntur noticiæ, fides, timor & fiducia misericordiæ, lætitia in Deo,spes & patientia, quæ est uelle obedire Deo in tolerandis aduersis, iuxta mandata eius uelle pati contemtum, inopiam,exilia,morbos,supplicia,mortem propter Deum, & in his malis tamen erigi fide,spe,& lætitia in Deo.

Dauid fide cernit misericordiam Dei promissam propter Mediatorem, & agnoscit se Deo reconciliatum esse, & Deum uerē adesse illi,& mitigare calamitatem, spe expectat liberationem, & intuens hæc bona obiecta, Deū propicium,præsentem,iuuantem,liberantem,lætatur in Deo. Hæc sensu percipi possunt,& comprehenduntur in dicto : Iustificati fide pacem habemus, & hæc lætitia qua acquiescimus in Deo,'est scintilla dilectionis Dei. Cùm igitur cogitamus de incoatione primi præcepti, in nobis hos motus considerabimus.

Quinta doctrina. Sciamus hoc quoq;, primum præceptum initium esse obedientiæ in cæteris præceptis, & includi hoc primum præceptum in omnibus, & obedientiam in cæteris referendam esse ad Deum, iuxta primum præceptum,scilicet ideo, quia Deo rectē agnito,quem in uero timore & fide inuocas, debes hanc obedientiam. Ideo inquit Paulus 1. Corinth. 10. Omnia ad gloriam Dei facite: Et Syrach capite 32. In omni bono opere credas in anima tua, hæc enim est obseruatio mandatorum.Ephe.3. Per Christum habemus accessum ad Deum. *Quinta doctrina, primū præceptum initiū est obedientiæ in cæteris.*

DE SECVNDO PRÆCEPTO.

PRimum præceptum concionatur de luce in corde, uidelicet de uera agnitione Dei, & debitis motibus cordis erga Deum. In secundo fit mentio professionis externæ, quia Deus uult innotescere doctrina, inuocatione, gratiarū actione & confessione. Vt autem in hoc primo præcepto affirmatiuæ orationes sunt & excluſiuæ,prohibitiuæ,negatiuæ,ita & deinceps semper affirmatiua primi præcepti repetatur & includatur sequentibus, & opponantur affirmatiuæ orationes negatiuis. Prohibentur abusus nominis illius ueri Dei, qui eduxit populum ex Aegypto. *Primum præceptum de luce interiore. Secundum de externa professione concionatur.*

Qui igitur sunt veri vsus?

Hi quatuor,uera doctrina,inuocatio, gratiarum actio & confessio. Ad

Verus usus nominis diuini cõsistit in quatuor rebus.

omnes modos pertinent, laudationes seu hymni, in quibus dicitur qualis sit Deus, & celebrantur eius facta misericordia & ira. Iuramentum pertinet ad inuocationem. Quia iuramentum uerissimẽ est inuocatio, in qua oras Deum, ut sit testis, quòd habeas uoluntatem non fallendi, quoniam ipse sit inspector cordium, uerax, iudex & uindex, & simul petis, ut te uerè puniat fallentem. Hac definitione considerata, cogita quantum onus sit iuramentum. Vt autẽ pœna certõ sequitur homicidium iniustum in hac uita, iuxta dictum: Qui gladium ac ceperit, gladio peribit: ita hic sancitus est ordo diuinitus ut pœna sequatur: Non habebit Deus insontem, qui uanẽ usurpauerit nomen eius, quia habens uoluntatem fallendi, primùm hac re peccat, quòd facit Deum testem mendacij, aut omnino negat esse Deum, & esse iudicem, & multæ contumeliæ Dei contingunt, cùm iurans fallit. Ad hæc sententiam ipse tibi tulisti, & ad pœnam te obligasti, hæc diligenter consideranda sunt, ut reuerentia iuramentorum confirmetur &c.

Iuramentum pertinet ad inuocationem.

Vicia contraria secundo præcepto.

Recitatis bonis usibus nominis diuini contraria uicia cogitentur, quæ sunt innumerabilia, omissio ueræ inuocationis & gratiarum actionis, corruptelæ doctrinæ. Item, Epicureæ blasphemiæ & aliæ falsę inuocationes, ut Ethnicæ, ut Papisticæ inuocationes hominum mortuorum, uiolatio iuramenti. Item illicita iuramenta, ut cùm iurat aliquis se facturum esse opus à Deo prohibitum, hic peccat iurando. Vt cùm Monachi iurant se seruaturos esse impios cultus, de his tenenda est uera regula: Iuramentum non est uinculum iniquitatis, id est, cùm iurat aliquis se facturum esse opus à Deo prohibitum, non addat aliud scelus, faciendo id, quod se facturum promisit.

DE TERTIO PRÆCEPTO.

ORdinem obserua. Primum præceptum de conformitate mentis & cordis cum Deo, de luce in mente & uera noticia Dei loquitur, & de affectibus in corde. Secundum, De externa uoce doctrinæ & inuocationis. Tertium, De Ceremonijs, uidelicet de conseruatione externi & publici ministerij. Nam Sabbati obseruatio significat & complectitur uniuersam publici ministerij conseruationem, in quo uox doctrinæ à Deo traditæ in publica & honesta congregatione proponitur, & fit expressa, communis & consentiens confessio & gratiarum actio. Et ut sit neruus aliquis congregationis publicæ, semper fuit institutus ritus externus, qui discerneret hanc congregationem ab alijs congregationibus, & ut sit uinculum ostendens hos ad unum cultum conuenire, & simili doctrina & inuocatione copulatos esse. Vult enim Deus exaudiri uocem suam in genere humano, uult agnosci ab omnibus filium, sicut inquit, Osculamini Filium, ne quando iratscatur Dominus, & pereatis in uia: ideo & instituit publicos congressus omnibus temporibus, & ipse eos protegit & conseruat, & uult ut singuli hanc conseruationem publicorum congressuum adiuuent, ut scriptum est: In conueniendo Reges & populos in unum, ut seruiant Domino. Hic intellectus Sabbati diligenter considerandus & illustrandus est, ideo & puerile argumentum explicabo.

Sabbati obseruatio complectitur conseruationem ministerij.

Ceremoniæ Leuiticæ sunt abrogatæ,
Sabbati obseruatio est ceremonia Leuitica,
Ergo est abrogata.

Respondeo

Respondeo ad minorem. Sabbati obseruatio quo ad Speciem, id est, diem septimum & Leuitica sacrificia, & obseruatio Leuitica est abrogata, sed nõ quo ad genus, quod est principalis sententia huius præcepti, uidelicet quo ad conseruationem publici ministerij, & usitatè sic dicitur: Tertium præceptum partim est Morale & perpetuum, partim uerõ Ceremoniale, id est, obseruatio Leuitica diei septimi & sacrificiorum. Sciamus igitur præcipi in hoc tertio mandato conseruationem ministerij Euangelici, quam suo quisq; loco adiuuare debet. Etsi autem Ethnici quoq; ritus tanquam à Patribus acceptos retinuerunt, tamen hoc præceptum deleuerunt amissa uera doctrina, quia & Legem mutilauerunt, & promissionũ prorsus obliti sunt. Sic nunc impij Iudæi, Mahometistæ, Ethnici, Papistæ, & omnes qui ueram doctrinam corrumpunt, uiolant hoc præceptum. Item Tyranni, qui ministerium Euangelij, & studia doctrinę opprimunt, aut negligunt, aut docentibus eripiunt mercedem. Item in populo multi qui non adiuuant sua frequentia, & alijs officijs conseruationem ministerij.

Obseruatio Sabbati quo ad speciem abrogata, non quo ad genus.

DE SECVNDA TABVLA.

ETsi primum præceptum, ut suprà dixi, omnibus includendum est, tamen certo consilio, distinxit Deus tabulas, ut consideremus, ubi immediatè cum ipso solo agamus, & ubi foris cum hominibus agatur, quia uult Deus & hanc societatem hominum ordinare, cũm uelit esse Ecclesiam, uult & intelligi se esse, autorem ordinis, conseruatorem, iudicem & uindicem huius societatis, uult ex his præceptis quę loquuntur de actionibus erga homines disci uirtutũ species, ut sciamus, qualis sit ipse Deus, qualis sit erga nos. Itẽ, ut sciamus quales nos esse uelit. Simul autem sciendũ est obedientiam in his præceptis interiorẽ & exteriorem referendam esse ad ipsum, id est, præstandã in agnitione & inuocatione ipsius, & propter eum. Ac de dignitate Secundæ tabulæ semper in cõspectu sit dictum Christi, ubi inquit Matth. 22. præceptum de dilectione proximi simile esse priori præcepto, de dilectione Dei. Mira profectò uox est, quã quis auderet cogitare, si non esset ab ipso Filio Dei edita? Reuerenter autem cogitemus cur ita dictũ sit, eadem diuina mens est, quæ sanxit hunc ordinem in utroq; præcepto, & obligatio in utroq; eò similis est, quia nullius creaturæ autoritate mutari potest. Illustris autem similitudo eò est, quia in utroq; præcepto uult intelligi Christus, non solùm prioris præcepti uirtutes cultus Dei esse, sed etiam alterius præcepti uirtutes & officia, Ideoq; uult obedientiam referri ad Deum. Propter tales aliquas causas ornauit Christus alterum præceptum tanta laude, qua commonefacti nos quoq; magnificiamus hunc ordinem, & hanc obedientiam quæ proponitur in secunda Tabula.

Obedientia secundæ tabulæ interior & exterior referenda est ad Deum.

DE QVARTO PRÆCEPTO.

CVm autem Secunda tabula ordinet societatem, pulcerrimè initiõ constituitur gubernator. Orditur autẽ uox diuina à primo gradu imperij, scilicet à parentib. qui debent esse regula aliorum gubernatorũ, de quibus alibi dicitur Rom. 14. Notum est enim in breuibus dictis Decalogi simul comprehendenda esse præcepta diuina, quæ alibi prolixius recitantur: quia uerõ hic de obedientia dicitur, consideres nominari summum gradum obedientiæ, uidelicet, honorem.

Parentes debent esse regula aliorum gubernatorum.

Honor tria cõplectitur.

Honos tria complectitur, agnitionem Dei in hoc ipso ordine, Externam obedientiam & ἐπιείκειαν.

I. Gradus honoris agnoscere quòd ordo politicus sit opus Dei.

Primus gradus honoris est agnoscere uerè Dei consilio institutum esse, & à Deo conseruari totum hunc ordinem politicum, id est, leges coniugij, leges societatis humanæ, & contractuum, & exequutionem legum, iudicia & pœnas, Agnoscere item hunc totum ordinem esse testimonium de Deo, & de prouidentia, commonefaciens nos, non casu ex Democriti Atomis ortum esse genus humanum, sed conditum esse à Deo sapiente & bono, sicut & legem sæpissimè dicimus testimonium esse de Deo.

Lex est neruus gubernationis. Magistratus exequutor legis.

Est enim Lex neruus uniuersæ gubernationis. Et Magistratus est uox & executor Legis. Sicut autem uerissimum est fœcunditatem terræ à Deo institutam esse, & ubicunq; & donec manet fœcunditas, conseruatur à Deo: Sic à Deo est hic ordo Politicus, & quantum ordinis reliquum manet, à Deo conseruatur. Sicut enim lupi dissipant gregem, & aliquas oues deuorant, sic Diaboli & organa Diabolorum, Tyranni, latrones, seditiosi, & alij scelerati turbant ordinem, sed ut pastor aliquam gregis partem seruat, Sic Deus manifesta potentia seruat aliquid ordinis, & quanquam finit aliquantisper Tyrannos & Latrones grassari, tamen postea eos tollit, iuxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit.

Hæc agnitio iusticiæ, sapientiæ & præsentiæ Dei in Lege, & in ipso ordine politico, & propter Deum magnifacere hunc ordinem, & nolle eum turbare, sed sponte subijcere sese, & Deo gratias agere pro patefactione sua, & pro cæteris beneficijs, & ab eo petere conseruationem ordinis, sunt primus gradus honoris.

Iam cogitet homo non efferus, quantas res complectatur hic primus gradus honoris, & qualis furor sit Cyclopum, qui hæc testimonia de Deo contemnunt. Scias etiam, quia Magistratus seu Iudices sunt custodes & executores, dici in Psalmo, Ego dixi, Dij estis, id est, meo decreto sanxi, & uerbo manifestaui hanc meam sapientiam & iusticiam Dei. Talia dicta diligenter consideranda sunt, & pertinet huc tota concio Pauli in cap. 13. ad Romanos.

II. Gradus honoris externa obedientia.

Secundus gradus honoris, est externa obedientia debita legibus propter Deum, & communem utilitatem, uidelicet, ut communibus officijs conseruetur honesta societas, & non dissipetur genus humanum.

III. Gradus ἐπιείκειαν inferendis incõmodis aliquib. gubernationis.

Tertius gradus est ἐπιείκεια, qua in tanta infirmitate humana, quædam incommoda imperiorũ moderatè toleranda sunt. Cumq; in hac præsertim senecta mundi, imperia futura sint magis deformia aut languidiora, agnoscamus huius senectæ imbecillitatem, & maiore diligentia & industria foueamus cõmunem societatem, non faciamus sine necessarijs causis dissipationem, nec delectemur Alcibiadeis consilijs, ut multi discurrunt, qui alibi alios principes excutere conantur, & somniant aurea secula &c.

Hæc breuissimè de uocabulo honoris in quarto prçcepto diximus. Quãq; autem magnitudo harũ rerum nullius eloquentia satis exponi potest: tamen utcunq; huius doctrinæ initia sciri necesse est, & magnitudo rerum magis cõspicietur, cùm de hoc ordine legitimæ societatis, & de sapientia & bonitate Dei, & de præsentia Dei in genere humano, conseruantis honestam societatẽ, & de furoribus Diabolorum turbantibus hunc ordinem, sæpè cogitabimus, et his cogitationibus miscebimus gratiarum actionem & precationem ad Deũ.

Quia

Quia uerō multum horribilium confuſionum in Imperijs cernitur, obſtupeſcit humana ratio & cogitat uniuerſam gubernationem rapi, & retineri hominum uiolentia, aliās alibi, & nullam partem in gubernatione opus Dei eſſe. Propter hæc deformia ſpectacula, neceſſe eſt diſcerni ipſas confuſiones, ab uniuerſali conſeruatione ſocietatis, ac operibus Dei in ipſa conſeruatione, & neceſſe eſt diſcerni autores confuſionum, & Deum autorem ordinis.

Confuſionum cauſæ ſunt Diaboli, & organa Diabolorum. Contrā uerō uniuerſalis conſeruationis cauſa Deus eſt, qui & ipſe genus humanum ſeruat, & retinet aliquid ordinis, coniugia, leges, contractus, iudicia, pœnas ſcelerato-rum, & hos aut mediatē aut immediatē mirandis operibus tollit ipſe. *Confuſionum cauſæ diaboli & organa diabolorum.*

Hoc diſcrimen mediocriter pingitur in ſimilitudine gregis, in quo etſi lupi graſſantur, tamen paſtor agmen defendit & lupos depellit. Hæc conſideratio neceſſaria eſt, ut fanatici dogmatiſtæ rectē refutari poſſint, qui damnant in politica uita, ſimul & uicia & ordinem ipſum, nec diſcernunt opus Dei ab operibus Diaboli & ſceleratorum hominum.

Sciamus igitur ordinem ipſum politicæ uitæ, rem bonam & opus Dei eſſe, & propter DEVM ei obediendum eſſe. Deinde & intuentes triſtiſſima ſpectacula confuſionum in Imperijs, uero dolore afficiamur, & de potentia Diaboli, & de noſtra miſeria cogitemus, & aſſiduis uotis petamus, ut DEVS autor & cuſtos humanæ ſocietatis reprimat Diabolos, ſicut precatio inquit Pſalmo 7. Surge Domine Deus meus ad præceptum quod mandaſti. Item Pſalmo 81. Surge DEVS, iudica terram, quia tu colliges hæreditatem ex omnibus gentibus. *Ordo politicus opus Dei & res bona eſt.*

DE OFFICIIS MAGISTRATVVM.

IN hoc præcepto etiam dicendum eſt, de officijs gubernatorum. Hæc breuiſſimē comprehendenda ſunt in hac definitione.

Magiſtratus eſt cuſtos Legis. Sciat Magiſtratus politicus, ſe cuſtodem debere eſſe totius Legis, Primæ & ſecundæ tabulæ, quod ad externam diſciplinam attinet, non tantūm ut armentarius defendat corpora, Sciat ſe uocem Dei debere eſſe in genere humano, Primūm ut fulgeat noticia Dei. Curare igitur debet, ut rectē doceantur homines de Deo, iuxta dictum: Aperite portas principes ueſtras. Debet Magiſtratus politicus punire blaſphemos, & tollere Idola, & nō permittere ut ſpargantur errores. Rectē igitur fecerunt Conſtantinus & Theodoſius, qui Idolorum templa clauſerunt & deleuerunt. *Magiſtratus eſt cuſtos legis*

Ordine autem ſæpē diſtribuo præcipua officia Magiſtratus Politici hoc modo. *Præcipua officia Magiſtratus.*

I. Simpliciter hoc eſt officium Magiſtratus: Sit uox totius Decalogi rectē intellecti, quod ad externam diſciplinam attinet.

II. Sit executor Legis diuinæ, legitimē puniat ui corporali facientes contra Decalogum.

III. Addat aliquas leges, quæ ſint determinationes circumſtantiarum particularium, non expreſſarum in Decalogo, nec tamen pugnent cum Decalogo, ut Decalogus in genere dicit: Non furtum facies. Hic Magiſtratus politicus oſtendit modos ſucceſſionum, contractuum, ne fiant furta, et ſciamus Magiſtratum politicum, diuinitus armatum eſſe hac autoritate condendi tales leges de rebus politicis, iuxta hoc dictum Prouer: 8. Per me Reges regnant, &

Iudices iusta decernunt. Error est enim dicere. Magistratum politicum non habere potestatem condendi illas Leges de rebus politicis. Sed metæ certæ sunt eius potestatis. Non præcipiat facere contra mandata Dei, non impossibilia. Item: Non instituat cultus Dei, non fingat noua dogmata, ut est Interim, &c. sicut Ieroboam, Nabuchdonosor & alij.

IIII. Sit exequutor etiam propriarum legum. Nam Lex sine executione est inanis sonitus, iuxta dictum Aeschinis: οὐδὲν ὄφελος πολιτείας μὴ ἐχούσης νεῦρα ἐπὶ τοὺς κακοῦντας, nulla utilitas politiæ non habentis neruos puniendi scelera.

Peccata contra quartum præceptum.

Peccata contra quartum præceptum sunt in parentibus ἀσοργία, non alere sobolem, non docere, non regere. In Magistratibus: non curare ut populus de Deo rectè doceatur, non rectè exercere iudicia & pœnas, non regere mores, non defendere innocentes, iniusta imperare, afficere alios iniurijs, eripere alijs coniuges, filias, facultates, mouere non necessaria bella.

Peccata in sobole, est omnis ἀσοργία erga quoscunq; cognatos, ut Cain est ἄσοργος erga fratrem & parentes. Item, omnis ingratitudo aduersus quoscunq; benè meritos, ut Laban ingratus est genero Iacob, Miles Macedonicus hospiti à quo seruatus fuerat in naufragio. Hic miles cùm seruatoris prædium sibi donari petijsset, re cognita, Rex fronti militis iussit inuri stigmata his literis: HOSPES INGRATVS. Vt autẽ uicia hic recensentur, quia cõspectiora sunt, ita sciamus aptissimè uirtutes distribui posse in Decalogum, & ex Decalogo, quia quælibet uirtus est obedientia iuxta præceptum aliquod Decalogi. Sit igitur hic nota simplex & uera definitio gratitudinis.

Gratitudo qualis sit uirtus.

GRATITVDO est uirtus composita ex ueritate & iustícia, Veritas profitetur unde sit acceptum beneficium. Iusticia obligat nos ad mutua officia possibilia. Nam is qui ab altero aliquid accipit, uicissim debet aliquid propter æqualitatem & conseruationem naturæ. Imõ uerõ ideo debet, quia hic est ordo in mente diuina. Et uult Deus Legem & uirtutes intelligi, ut sint testimonia quõd sit Deus, & doceat qualis sit Deus. Postulat ut homines grati sint hominibus, ut sciamus nos ipsos etiam gratos esse oportere, id est, primum uenerari Deum esse creatorem & datorem uitæ & aliorum bonorum, & conseruatorem uitæ &c. Deinde & obligatos nos esse ad obedientiam. Quia enim uult sese, suam lucem, sapientiam, iusticiam nobis communicare, necesse est nos fieri conformes ipsi.

Dauid est gratus, id est, uerax, cùm profitetur se adiutum esse à Deo in prælio, & est iustus, id est, obligatus est, ut Deo uicissim tribuat cultum placentem &c. Ita eruditè quærantur causæ & species uirtutum in præceptis Decalogi.

Peccata in subditis contra quartum præceptum.

Sunt & peccata contra hoc præceptum in subditis, non obedire iustis imperijs, & sententijs Magistratuum, iuxta dictum: Necesse est obedire, non solum propter iram, sed propter conscientiam. Item cauillari Leges, non agnoscere, quõd Deus sit custos politicæ societatis, non agere gratias Deo pro hoc beneficio, non petere à Deo conseruationem politicæ societatis. In hac breui enumeratione cogitetur, quanta sit in mundo confusio contra hoc præceptum.

DE QVINTO PRÆCEPTO.

Quintum

QVintum præceptum, Non occides, non solũm externas corporum iniurias, & priuatam uindictam externam prohibet, sed etiam in corde maleuolentiam, inuidentiam, priuatam uindictæ cupiditatem, sicut expressè enarrat Christus hoc præceptum Matth. 5. Econtrã uerò postulat erga omnes homines beneuolentiam, & quidem propter Deum. Nam omnibus præceptis includitur primum, & tota obedientia in omnibus præceptis ad Deum referenda est. Præcipitur ergo beneuolentia erga omnes homines propter Deum, ideſt, uelle nos & alios homines omnes ut omnes simus una Ecclesia, & unum in Deo, & omnes rectè inuocemus & celebremus Deum, & uelle omnibus bene esse in corpore & anima, & misericordia affici erga calamitosos, & zelo ardere ad conuersionem malorum, uel ad legitimam pœnam.

Quintum præceptum prohibet maleuolẽtiam cordis & externas iniurias.

Pertinet autem ad hoc præceptum, Non occides, exceptio officij Magistratus, quod cùm Deus ipse ordinauerit, illa pœna non est priuata uindicta, sed comprehenditur in hac sententia. Mihi uindictam, & ego retribuam, quia Deus aliquando immediatè punit, non per arma Magistratuum, ut ipse Filius Dei incendit Sodoma. Aliquando mediatè punit, ut cùm Catilina punitur per Consules & Senatum. Huc tota doctrina pertinet de omnibus officijs Magistratuum, de quibus alibi prolixius dicitur.

A quinto præcepto excipitur officium Magistratus.

Hic etiam monendi sunt iuniores, legitima bella, & legitimam militiam pertinere ad officia Magistratuum, & non pugnare cum quinto præcepto. Sed ut summus gradus est potestatis politicæ bellum, Ita in maximo abusu est, & rarissima sunt iusta & legitima bella, Sed Diabolus cùm sit homicida, & inimicus politico ordini, sæpè leuissimis occasionibus excitat ingentia bella, incensis animis utrinq; iniusta cupiditate. Hæc latrocinia tolerat Deus, ut puniantur utriusq; partis scelera.

Legittima militia pertinet ad officium magistratus.

Sit autem hæc sapientia in summis gubernatoribus, ut deliberent quæ bella sint necessaria, quas iniurias ἐπιείκεια condonare debeat communi saluti, ac præsertim Ecclesiæ, Nec seruiant bella priuatæ iracundiæ, ambitioni, auaricię, aut impiæ superstitioni, sed sint ut Abigail nominat, prælia Domini, inquiens ad Dauid: Quia prælia Domini præliaris, non inuenietur in te malum. Et notissimum sit dictum Pindari: ἔα πόλεμον χώρις θεῶν, ἔα μάχαν, Omitte pugnam, omitte bellum sine Deo.

Bella habeant necessarias causas.

Comprehenduntur hoc præcepto multæ uirtutes.

Virtutes quinti præcepti.

Iusticia particularis, quæ est nullius corpus iniuria afficere, & ubi possumus innocentes defendere.

Iusticia particularis.

MANSVETVDO, quæ est lenire iram probabili ratione.

Mansuetudo.

ZELVS, qui est propter gloriam Dei, & iusticiam incendi dolore & ira ad depellendas contumelias, & ad pellendam turpitudinem.

Zelus.

ΕΠΙΕΙΚΕΙΑ, quæ est probabili ratione lenire iustas pœnas, & obliuiſci priuatas iniurias, de quibus dicitur: Remittite, & remittetur uobis.

ἐπιείκεια.

TEMPERANTIA, quæ est iusticia debita proprio corpori in modo uictus.

Temperantia.

DE SEXTO PRÆCEPTO.

IN sexto præcepto, Non mœchaberis, comprehendi necesse est omnia præcepta Dei tradita in scripturis Propheticis & Apostolicis, quæ & sanciunt conjugium, & prohibent omnes alias commixtiones, & effusiones seminis, ut in cap. 18. Leuitici, recitantur multæ prohibitiones, & additur seueriſſima com-

Sexto præcepto includi debent omnia præcepta de coniugio.

minatio, Omnis anima quæ fecerit aliquid harum abominationum, peribit de medio populi sui. Ephe. 5. Omnis scortator aut contaminatus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei. Nemo uos decipiat uanis sermonibus. Propter hæc uenit ira Dei super inobedientes. Et ad Hebræos scriptum est, Scortatores & adulteros iudicabit Deus &c. Hæc dicta omnia includantur in hoc sextum præceptum, & adiungatur enarratio Christi recitata Matth. 5.

Doctrina de coniugio propria est Ecclesiæ.

Huc & tota doctrina pertinet de coniugio, propria Ecclesiæ, & sæpissimè hoc testimonio nos confirmemus, Cùm in sola uera Ecclesia Dei sit integra doctrina de coniugio, & de castitate, necesse est solùm hunc cœtum esse populum Dei, qui amplectitur Propheticam & Apostolicam doctrinam sine corruptelis, & non alias gentes. Quia impossibile est, aliquem cœtum manifestè docentem aliquid contra Decalogum, esse Ecclesiam Dei, ut Ethnici multas uagas libidines & confusiones coniugiorum approbauerunt. Idem nunc Mahometistæ faciunt, & Papa.

Prohibitio cõiugij causa scelerum.

Prohibitio coniugij, & uota Monachorum causæ sunt multorum horribilium scelerum. Sciamus igitur castitatem Deo placentem esse, uel in legitimo coniugio, uel in uita cœlibe propter Deum, uitare omnes prohibitas commixtiones & effusiones seminis. Et ad castitatem nos exuscitemus cogitatione mandati diuini, & horribilium pœnarum temporalium & æternarum.

Deus uult intelligi castitatem.

Cogitemus etiam quare Deus tam seuerè puniat libidines, quòd uult intelligi castitatem, ut sciamus ipsum esse mentem castam, puram, & amantem ordinis, & castitatem ostendere illustre discrimen inter Deum, & naturas immundas, Ac in inuocatione cogitantes, quòd sit Deus, hac uirtute eum discernamus à Diabolis. Cogitemus etiam Diabolos immediatè odio Dei impellere infirmos homines ad libidinum confusiones. Quare petamus auxilium Dei ad retinendam castitatem, ac Deus eò libentius opem fert petentibus, quia scit Diabolos præcipuè propter hanc causam impellere homines ad contaminationem, ut Deus contumelia afficiatur, & plurima fiant displicentia Deo: Fortius igitur reprimit Diabolos Deus, quia scit eos magis odio Dei quàm hominum furere. Hæ cogitationes sæpè miscendæ sunt inuocationi.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO.

Non furtum facies.

Septimum præceptum sancit distinctionem dominiorum.

CVm furtum prohibetur, è regione affirmatiua sententia tenenda est. Non enim essent furta, si nulla esset distinctio dominiorum. Ideo sciamus in hoc præcepto sanciri distinctionem dominiorum, & discerni inter propria & aliena, & uelle Deum, ut suas quisq; res teneat, & ab alieno abstineat. Hoc illustri & firmo testimonio deliria fanaticorum hominum refutentur, qui magno & pernicioso errore contendunt, in Euangelio tolli rerum proprietatem. Adiungantur & alia testimonia, ut Prouerb. 5. Fontes tui deriuentur foras, & tu Dominus eorum maneto solus, & non alij. Discamus etiam rectè explicare usitatum argumentum.

Naturalia sunt immutabilia,
Communio rerum est Iuris naturalis, ut loquuntur Iurisconsulti,
Ergo immutabilis.

Naturalia quæ sunt præcepti sunt immutabilia.

Respondendum est ad maiorem. Naturalia sunt immutabilia, scilicet, quæ sunt præcepti, id est, noticiæ naturales, ut numerorũ, & alia principia & Legis diuinæ

diuinæ noticiæ, ſemper manent eadem in natura integra & corrupta, ut alibi copioſius dicitur. Sed naturalia, quæ ſunt bona utilia, non ſunt immutabilia, ut ſanitas corporis, fuit donum utile, naturæ integræ attributum: Sed mutatum eſt, poſtquam homines merſi ſunt in peccatum. Ita uti rebus communiter fuit bonum utile, quod fuiſſet poſſibile in natura integra, poſtea non eſt poſſibile. Manet autem noticia æterna & immota in mente: Neminem lædas, non turbes ſocietatem generis humani. Iam plurimi imbecilliores læderentur iniuſtè, ſi eriperetur eis uictus. Ideo uidet ratio diſtinctionem dominiorum neceſſariam eſſe: et Deus eam expreſſo uerbo ſuo ſanxit, & addit defenſionē, uidelicet Imperia, Magiſtratus, pœnas furantium & rapientium res alienas, ne diſtinctio dominiorum turbetur. De his fontibus eruditè cogitandum eſt.

Naturalia utilia non ſunt immutabilia.

Deinde ſciendum eſt, cùm talis ſit hominum natura, ut alienis laboribus indigeamus, ut in nutricatione infantium cernimus: Item: Vt nemo unus habeat omnia ad uitam neceſſaria, Vult Deus multis officijs genus humanum copulatum eſſe: Sanxit Deus contractus, & uult res ſine iniurijs per contractus communicari.

Oritur ergo ex hoc præcepto, doctrina de iuſticia particulari in contractibus, quā ſic ordinauit Deus, ut ſit æqualitas mercis & precij, ne uidelicet alterutra pars lædatur, & fame pereat. Huius æqualitatis fōtes ſunt in his dictis: Dilige proximum tuum ſicut teipſum. Item, Quod tibi fieri non uis, alteri ne feceris. Hanc æqualitatem quærunt leges ſapienter ſcriptæ, Et Lex, quæ hanc æqualitatem oſtendit & præcipit, iuſta eſt.

Ex ſeptimo oritur doctrina de iuſticia particulari in contractibus.

Vt autem alias uirtutes monſtrauit Deus, ut ſciamus qualis ſit ipſe: Ita docet nos iuſticiam æqualitatem eſſe, ut ſciamus & ipſum, cùm ſit fons iuſticię, æqualem eſſe, nec eſſe in eo προσωποληψίαν, ſed æqualiter eum iraſci peccato, & æqualiter omnes recipere, confugientes ad Filium. Ideo & Ieſaias de Chriſto inquit cap. 42. Non accipiet perſonam. Et diuus Paulus ait, Deus uult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis peruenire. Item: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis &c. Cogitemus igitur in contractibus de hoc præcepto, Non furtum facies, & propter Deum ſeruemus æqualitatē: Deinde eò magis ordinem diuinum, & hanc æqualitatem amemus, quia ſcimus nos à Deo commonefieri de ſua æqualitate.

Iuſticia quæ eſt æqualitas oſtendit Deum eſſe æqualem.

Prudenter etiam iudicandum eſt de dictis ſcriptorum, ut cùm Auguſtinus inquit: Iure humano hæc uilla mea eſt, non diuino. Hæc oratio, Si intelligatur ut ſonat, nequaquam uera eſt, Nam hæreditas quam tibi parentes iuſtè tradunt, tua eſt iure diuino. Sic res iuſtè emta, perinde eſt tua iure diuino, non tantùm ordinatione regum. Quia diſtinctio dominiorum diuinitus ſancita eſt in præcepto, Non furtum facies. Quòd autem dicit, Legibus regum diſtribui res, hoc ſic intelligatur, Magiſtratum eſſe exequutorem iuris diuini. Sicut in præcepto, Non occides, uita eſt tua iure diuino, id pronunciat Magiſtratus, cùm alius te iniuſtè accuſat & cuſtodit tuam uitam, Sic cùm alius tuum Fundū petit, Magiſtratus tibi non dat dominium, ſed pronunciat te eſſe iuſtum Dominum, Aduerſarium non eſſe: Diſcernit inter propoſitiones, quarum Veritas non pendet ex arbitrio ipſius, ſed ex alijs cauſis, ut ſi medicus pronunciet uinum non prodeſſe laboranti febre, prodeſſe autem potionem ex Cichorio & Abſynthio. Et cùm pronunciauit iudex, uult eum Deus eſſe cuſtodem ſuarum rerum. Ita non fuit iuſtum cogere Naboth ad uendendam aut donandam regi

De dicto Auguſtini: Iure humano hæc uilla mea eſt &c.

uineam

uineam,& quanquam ſtipendia debentur Regibus & Principibus: tamẽ quia diſtinctio dominiorum eſt iuris diuini, Sciant Reges & Principes ſe non habere infinitam poteſtatem,rapiendi ex bonis ſubditorum quantum uolunt,aut eos omnino excutiendi ex bonis. Sciant ſe quoq; ſubiectos eſſe huic præcepto: Non furtum facies, ſicut his Præceptis: Non occides. Non mœchaberis.

Virtutes ſeptimi præcepti.

Pertinent ad hoc præceptum multæ uirtutes, Iuſticia particularis, quæ eſt,nec fraude,nec ui,res quæ ſunt aliorum auferre & tenere. Ac una appellatione ſcriptura nominat fures, omnes uiolantes hanc iuſticiam. Sed in foro plures ſunt appellationes, quia alia delicta alijs atrociora ſunt, Fures,graſſatores,raptores, uſurarij, ſtelliones,ad quos referantur ignaui mendici, qui laboribus uictum parare poſſent. Sunt & ſeptimi præcepti uirtutes, Sedulitas in parandis rebus neceſſarijs,parſimonia & liberalitas,quæ omnes uicinæ ſunt.

DE OCTAVO PRÆCEPTO.

Non dicas falſum teſtimonium.

Caſtitas & ueritas illuſtria ſunt diſcrimina inter Deũ & malas naturas.

Veritatis definitio.

SAepè de omnibus uirtutibus monemus, uelle Deum notam eſſe ſuam Legem, & intelligi uirtutes, ut ſciamus qualis ſit ipſe. Maximè uerò illuſtria diſcrimina oſtendunt caſtitas & ueritas, inter Deum & malas naturas, Ideo ſcriptum eſt, Eſt autem Deus uerax. Et Iohan. 17. Qui miſit me, ille uerax eſt. Et in hoc mandato præcipitur de ueritate,quæ eſt uirtus in doctrinis,in pactis, in iudicijs, & omnibus dictis & geſtibus, ſeruans conuenientiam mentis, dictorum, geſtuum & rerum. Hæc definitio ſumta eſt ex dicto Chriſti: Sit ſermo ueſter, eſt,eſt,non,non. Et quia ueritas eſt neruus iudiciorum, iam cogita, quantum ſit delictorum in toto genere humano, pugnantium cum hoc Præcepto, quæ nominantur mendacia, id eſt, dicta uel facta diſcrepantia à rebus, aut à mente in quibus eſt uoluntas nocendi cupida. Quàm pernicioſæ corruptelæ ſunt doctrinarum, quarum multæ finguntur mera petulantia ingeniorum. Deinde quàm multi fallunt in pactis & contractibus, & quærunt Sophiſticas eluſiones, Deinde quantum præſtigiarum eſt in iudicijs. Item quoties Leges ipſæ deprauantur cauillationibus: quantum eſt priuatarum calumniarum, In horum multiplicium peccatorum conſideratione, non tantùm de humana infirmitate cogitemus, Sed etiam de Diabolis, à quibus ortum eſt mendacium, & qui horribili odio Dei confirmant in multorum mentibus tetrima mendacia, non ſolùm in uita politica & œconomica, ſed multò magis contra Deum, ut cùm ſtabiliunt Idola in mundo omnibus ætatibus, & impia dogmata. Aduerſus hæc ingentia mala,ſciamus muniendas eſſe mentes doctrina à Deo tradita, & inuocatione Dei, Sicut ipſe Filius pro nobis precatur. Pater ſanctifica eos in ueritate tua, ſermo tuus eſt ueritas &c.

DE NONO ET DECIMO *præcepto.*

Poſtrema duo præcepta prohibent inordinatam concupiſcentiam.

NOnum & decimum præceptum expreſſè prohibent inordinatam concupiſcentiam, ut ſciamus Legem Dei non ſolum de externis factis concionari, ſed etiam accuſare & damnare malum hærens in hac deprauata natura hominũ,quod nominatur inordinata concupiſcentia, Quod non ſignificat tantũ affectus

affectus uicioſos ad quos accedit conſenſus: Sed ſignificat auerſionem â Deo, quæ naſcitur nobiſcum, quæ eſt radix malorum affectuum, de qua dicitur: Sen ſus carnis inimicicia eſt aduerſus Deum: Et complectitur hæc mala omnia, ca liginem & dubitationes de Deo in mente, & in uoluntate & corde abſentiam Dei, & inclinationes ruentes contra Deum, ut quia cor nõ regitur â Deo, im mediatè incenditur aliis motibus aberrantibus â Deo, Hunc totum morbum in natura hominum damnat Lex Dei. Negabant autem Phariſæi hunc mor bum eſſe peccatum. Ideo Chriſtus enarrat Legem Matth. 5. Et Paulus Rom. 7. & 8. Et in Prophetis eadem enarratio ſæpè repetita eſt. Hæc teſtimonia nunc quoq; Papiſtis opponamus, Quia Phariſaica deliramenta defendunt, & negant caliginem & auerſionem â Deo, & prauas inclinationes peccata eſſe. Hæc breuiter de hoc loco addidi, Quia ſuprà de hac quæſtione proli xius diximus.

Phariſei & Papiſtæ negabant morbum naturæ eſſe peccatum.

DE LEGE NATVRÆ.

CVm quæritur, quid ſit Lex naturæ, rectiſſimum eſt reſpondere, Legem humanæ naturæ eſſe ipſum Decalogum, rectè intellectum, Quia decalogus eſt ſapientia æterna & immota in Deo, quæ eſt norma iuſticiæ, Et eſt patefacta, primùm ita, ut noticia ſimilis in creatione mentibus inſita ſit, quæ eſt lumen â Deo conditum, & quaſi radius lucis quæ in Deo eſt. Deinde ſæpè repetita eſt uoce diuina.

Lex humanæ naturæ eſt ipſe Decalogus rectè intellectus.

Etſi autem præcepta ſecundæ Tabulæ magis cernit ratio, quàm doctrinam primæ Tabulæ: tamen certiſſimum eſt, & fulſiſſe noticiam de Deo, & fulgere debere in mentibus hominum, & non prorſus extinctam eſſe poſt naturæ deprauationem, Quare & uera de Deo noticia, pars eſt Legis naturæ: Ideoq; manifeſtæ demonſtrationes reliquæ ſunt, quæ oſtendunt, & quòd ſit Deus, & quòd ſit ſapiens, uerax, bonus, beneficus, iuſtus, caſtus, liberrimus, & uindex ſcelerum, conditor omnium creaturarum, ut:

Vera de Deo noticia pars eſt legis naturæ.

Impoſſibile eſt noticias perpetuò diſcernentes honeſta & turpia, caſu in natura hominum manere.

Ergo neceſſe eſt eas ortas eſſe â conditore: Qui & hoc lumen mentibus indidit, & talis eſt ipſe, quales noticias creauit, per quas agnoſci uoluit.

De his demonſtrationibus loquitur Paulus ad Romanos 1. & 2. capite. Inde rectius eſt diſcere, quid ſit Lex naturæ, quàm ex uulgari deſcriptione, quæ non â noticijs, quæ ſunt certa regula, ſed ab effectibus deſumta eſt, quorum alij boni ſunt, alij mali. De hac tota quæſtione ſtudioſi diligenter cogitent, & teſtimonia de Deo in natura conſiderent.

Dixi autem Decalogum rectè intelligendum eſſe, ut cùm dicitur: Non mœchaberis, comprehendenda ſunt omnia præcepta de uagis libidinibus. Leuitici 18. expreſſa & alibi. Item cùm dicitur: Non occides, comprehendi neceſſe eſt exceptionem de Magiſtratu, qui eſt uicarius Dei, & occidit ſontes mandato diuino, id etiam ratio naturalis intelligit. Primùm quia ipſi cruciatus conſcientiæ in nece iniuſta, qui naturaliter ſequuntur, oſtendunt talia facta iniuſta eſſe.

Deinde σοργαὶ in natura humana appetunt conſeruationem ſuorum. Et quanquam alij ſunt propiores, alij longius diſtant â ſtirpe: tamen communis cognatio eſt inter omnes homines. Expetunt autem σοργαὶ defenſionem, Ideo

uolunt

uolunt reprimi turbantes societatem. Etsi autem hæ ratiocinationes ueriſſimæ ſunt, & in natura integra perſpicuè fulſiſſent: tamen in hac naturæ prauitate ſunt obſcuriores, & in hominibus efferis, Diabolus confirmat cæcitatem: Ideo manifeſta uoce Deus in Eccleſia ſæpè repetiuit Legem, & quoties de Lege naturæ loquor, (nunc omiſſis demonſtrationibus) breuiter nomino Decalogū. Quia ueriſſimum eſt, hanc lucem naturæ primum in creatione inſitam fuiſſe. Fit autem aſſenſio firmior & ſtabilior, cùm uocem diuinā piè intuemur, Quia diſputando turbatur ratio in hac imbecillitate præſertim, Interdum enim falſa ſpecie mouetur, ut quia differuntur pœnæ, homines contemnunt iudicium Dei, ut Diogenes de Harpalo dixit, qui cùm maximos theſauros Alexandro furatus eſſet, diu in Rhodo ſplendidè uixit. Ideo inquit Diogenes, Harpalum dicere uiuum teſtimonium contra Deum, Et tamen hic Harpalus aliquantò pòſt, à ſuis interfectus eſt.

Noticiæ in hac naturæ prauitate.

Sæpè repetita eſt lex Dei in Eccleſia.

Sciamus igitur ideo Legem expreſſa uoce Dei, ſæpè repetitam eſſe in Eccleſia, & in Sinai inter illuſtria teſtimonia, audiente multitudine, duodecies centum milium hominum: Quia Deus ſingulari conſilio uoluit opponere noſtris dubitationibus expreſſam uocem, & firmiſſima teſtimonia.

Aſſenſio de prouidentia eſt languida.

Quanquam enim noticiæ naturales, non prorſus extinctæ ſunt, tamen manifeſtum eſt, aſſenſionem de prouidentia languidam eſſe, & ualdè concuti dubitationibus. Quare Paulus inquit Rom. 1. Veritatem Dei homines in iuſticia captiuam tenere, id eſt, homines habere quidem ueras noticias Legis diuinæ, quibus intelligunt, quòd ſit Deus, & qualis ſit Deus, & quòd uelit ſibi præſtari obedientiam iuxta eas Leges, ſed tamen corda repugnare.

Poſtremò & hæc commonefactio repetenda eſt, de teſtimonijs Eccleſiæ. Sæpè cogitandum eſt hoc illuſtre & firmum argumentum.

Non ſunt populus Dei, qui docent contraria legi Dei.

Ratio naturalis intelligit, eos nequaquam eſſe populum Dei, qui docent contraria Legi diuinæ.

Ethnici autem uniuerſaliter docuerunt contraria primo & ſexto Præcepto: Finxerunt turbam Deorum, & conceſſerunt teterrimas confuſiones libidinū. Sicut & hodie Mahometiſtę faciunt: Ergo in illis congregationibus non eſt populus Dei. Semper autem tantùm in uera Eccleſia manſit incorrupta doctrina Legis. Ac nunc quoq; Papiſtæ docent contraria primo & ſexto Præcepto, Quia defendunt inuocationem hominum mortuorum, & prohibent coniugia.

Hæc de articulo Legis.

DE LIBERTATE VOLVNTATIS HVMANÆ, SEV DE LIBERO ARBITRIO.

Diuerſæ ſunt quæſtiones, An omnia fiant neceſſariò, & de uiribus hominis.

Diuerſæ quæſtiones ſunt, quærere de contingentia, ſeu an omnes motus omnium rerum, in cœlo & terra, pecudum & hominum, boni & mali neceſſariò fiant, ſicut Stoici finxerunt, & quærere de uiribus humanis, an, & quatenus obedire Legi Dei poſſint, & an homines Lege Dei iuſti fiant.

Harum quæſtionum diuerſitatem, neceſſe eſt conſiderare, ac ſuprā refutauimus Stoicos, & diximus, Stoicam neceſſitatem contumelioſam eſſe contra Deum, & pernicioſam moribus.

Nunc

Nunc breuiter dicam de altera quæstione, scilicet de uiribus humanis. Primùm autem nota sit puerilis doctrina de potentijs animæ. Sunt autem duæ supremæ, quarum altera est potentia cognoscens, quæ nominatur intellectus seu mens, seu iudicium: Altera est potentia uolens seu appetens, quæ nominatur uoluntas, & cùm est seria appetitio, nominatur cor in Propheticis & Apostolicis scriptis. Non enim semper in actionibus Imperatis congruunt uoluntas & cor: Vt cùm Sinon apud Vergilium, simulans se esse amicum Troianis, imperat linguæ ut falsa dicat. Nomen rationis interdum soli cognoscenti potentiæ tribuitur, Interdum complectitur potentiam cognoscentem & uolentem: Et hæc Phrasis, liberum arbitrium, significat potentiam cognoscentem & uolentem, seu liberam electionem harum potentiarum.

Duæ supremæ potentiæ in homine.

Deinde quæritur, quatenus uoluntas in homine sit libera. Hæc de uocabulis primùm consideranda sunt, & uitandi Labyrinthi disputationum, quas hic mouerunt multi ante hæc secula, tantùm eò, quia non didicerant propriè loqui.

TRES PERSPICVÆ PROPOSITIONES de Libertate voluntatis, Prima.

Ordinè autem tres perspicuas propositiones tradam, de libertate uoluntatis. Prima est, Manifestum est homines in hac deprauata natura, non posse tollere peccatum & mortem, id est, exuere prauas inclinationes, & liberare se ab ira Dei, à morte corporali & æterna propriis uiribus, aut operibus, aut uirtutibus, aut meritis, nec posse satisfacere Legi Dei. Sed hæc liberatio à peccato & à morte, fit propter Filium Dei, & per eum in uera conuersione.

Homo non potest tollere peccatum & mortem.

Primùm in hac uita, imputatione iusticiæ & incoatione nouæ & æternæ uitæ & iusticiæ. Postea confirmatione in uita æterna. De hac tota liberatione dicitur Ioan. 8. Si uos Filius liberauerit, uerè liberi eritis.

Alia autem quæstio est, quid & quantum possit homo non renatus facere, in hac deprauatione naturæ. Sit igitur hæc secunda propositio.

Secunda Propositio.

Homo etiam non renatus, potest utcunq; regere Locomotiuam, id est, flectere externa membra ad actiones congruentes cum Lege Dei. Item ad actiones pugnantes cum Lege Dei. Hanc libertatem regendi Locomotiuam, id est, regendi externa membra, uult Deus reliquam esse, etiam in hac deprauata natura. Primùm ut aliquo modo intelligatur discrimen inter agens liberum & non agens liberum, simile igni aut brutis. Vult enim intelligi Deus, se esse agens liberrimum, quod liberè etiam extra ordinem naturæ, & sine causis secundis opitulari inuocantibus & possit & uelit, iuxta dictum: Omnia quęcunque uoluit, fecit.

Homo etiam nõ renatus potest utcunq; regere locomotiuam.

Causæ quare Deus uoluerit reliquam esse locomotiuam.

Secundò, uult Deus libertatem regendæ locomotiuæ esse in omnibus, etiam non renatis, ut homines etiam non renati habeant iusticiam carnis seu disciplinam. Rectè enim dicitur, Disciplinam esse actiones externas congruentes cum Lege Dei, quorum causæ immediatæ & propriæ sunt, Cogitatio Legis in mente, & uoluntas iuxta Legis cogitationes imperans neruis, ut cieant externa membra sic, ut motus externi congruant cum Lege etiamsi intus cor habeat flammas contrarias. Necesse est enim fateri, naturam hominum sic conditam esse, ut nerui in locali motu obedire cogitationi possint. Sic Achilles

iratus, cũm honesta cogitatione commonefit, reprimit manus, ne interficiant Agamemnonẽ. Et quanquàm Philosophi multa disputant de humana uirtute, tamen quid uirtus sit in homine non renato, nisi talis neruorũ gubernatio, quæ cogitatione Legis regitur, non satis perspicuè ostendi potest, Et hæc gubernatio in alijs magis, in alijs minus adiuuatur, uel Temperamento, uel motibus Heroicis, qui sunt singulares motus insiti præstantibus uiris à Deo, sicut inquit Seneca: Nulla magna uirtus sine Deo est, ut Alexandri, Achillis, Iulij fortitudo, fuerunt singulares motus diuini.

Quatuor causæ propter quas debent obedientiã Deo etiam non renati.

Vt autem aliãs sæpẽ dicitur: Sciant iuniores quatuor præcipuas & necessarias causas esse, propter quas omnes homines etiam nõ renati, debent externam obedientiam Deo præstare. Quarum causarum prima est, Preceptum Dei, quia omnes creaturæ debent obedientiam Deo.

Secunda, ut uitentur pœnæ huius uitæ & æternæ, quia regula diuina est, Atrocia delicta puniri atrocibus pœnis, etiam in hac uita. Sicut scriptum est: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Væ qui spolias, quia spoliaberis. Item, Non habebit Deus insontem eum, qui uanè nomen eius usurpat. Item de incestis, Omnis anima quæ fecerit abominationes has, peribit de populo suo. Et in his qui non conuertuntur ad Dominum, pœnæ corporales sunt initia æternarum pœnarum. Sed in illis qui conuertuntur ad Deum, remittuntur æternæ pœnæ, ut Dauidi, Manassæ, & alijs, & tamen hic quoq; in hac uita castigantur, sed mitigat eis Deus pœnas, iuxta dictum: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Item, Bonus est Dominus, & pœnitet eum mali. Item, Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus ego sum. Item, Si fuerint peccata uestra ut coccinum & uermiculus, eritis candidi sicut nix &c.

Tertia causa est, Vult Deus etiam in non renatis externam obedientiam, propter aliorum tranquillitatem, & conseruationem communis societatis. Non enim tantùm nobis nascimur, sed Lex Dei sit in conspectu: Quod tibi nõ uis fieri, alteri ne feceris.

Quarta causa est, Quia Lex est pædagogus in Christum, id est, in his qui perseuerant in sceleribus, certissimum est, non esse efficacem Spiritum sanctũ, iuxta dictum: Qui facit peccatum ex Diabolo est. Item, Nolite errare, Adulteri, homicidæ &c. non sunt hæredes regni Dei. Et in iuramento postulatur conuersio, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Hæc uerissima sunt.

Necesse est igitur præstari externam obedientiam, & tamen simul sciri necesse est, hanc disciplinam non esse impletionem Legis, nec mereri remissionem peccatorum, nec iusticiam esse coram Deo, sed in uera conuersione propter Filium Dei gratis Fide accipimus remissionem peccatorum, reconciliationem, imputationem & uiuificationem per Filium, dato Spiritu sancto.

Hanc communem doctrinam de disciplina scire necesse est, Simul sciendum est, quid sit hæc gubernatio Locomotiuæ, & quòd sit possibilis etiam non renatis, sed tamen simul hic considerandа sunt duo tristia impedimenta naturalium uirium: scilicet imbecillitas quæ nobiscum nascitur, & rabies Diaboli. Facilè labuntur homines propria infirmitate, Et simul assiduè Diabolus tanq; Leo rugiens circumit quærens quem deuoret. Sunt igitur pauciſſimi, in quibus disciplã

disciplina sit sine aliqua externa labe,& Diabolus multos horribiliter impellit in multa scelera, ut tota mundi Historia ostendit.

Contra hæc tanta mala, Filius Dei offert defensionem & auxilium, sicut scriptum est: Filius Dei apparuit, ut destruat opera diaboli, Tunc igitur & externam obedientiam firmius præstare possumus, cùm agnoscimus Filium Dei,& ab eo auxilium petimus, sicut ipse præcipit: Orate ne intretis in tentationem. Item, Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati estis. Item,Nemo rapiet oues meas de manibus meis. Item,Petite & accipietis. Item, Quantō magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus?

Tertia Propositiō.

Tertia Propositio de actionibus Spiritualibus, quōd uidelicet conuersio ad Deum,& uera consolatio, quæ fit fide & fiducia acquiescente in Mediatore, iuxta promissionem,& uerus timor Dei,dilectio Dei, constantia in afflictionibus,confessione,& insidijs Diaboli,uera spes & lætitia in Deo,& alij tales motus præcepti: non fiunt in cordibus solis humanis uiribus: Sed ita fiunt cùm filius Dei uoce Euangelij dicit consolationem in mente,& ostendit misericordiam æterni patris,& Pater per Filium effundit Spiritum sanctum, quo ueris & ardentibus motibus accenduntur corda, ut sint in eis fiducia, lætitia in Deo, dilectio,timor,& alij motus tales, qualis est ipse, Sic fit liberatio ex morte, & ex inferis,& uera consolatio diuina, Sicut Filius ipse dicit Ioan. 10. Ego uitam æternam do eis,scilicet non tantùm merito, sed etiam effectione. Sic Ioan. 14. dicitur: Si quis diligit me,sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum,& ad eum ueniemus & mansionem faciemus apud EVM.Item, 1. Ioan.4. In hoc cognoscimus,quōd in eo maneamus,& ipse in nobis,quia de Spiritu suo dat nobis.

Vera conuersio ad Deum & uera consolatio non fiunt solis uiribus humanis.

Nequaquām simus Pelagiani,nec fingamus uinci mortem,& dolores inferorum & potentiam Diaboli, solis humanis uiribus: Sed dulcissimas promissiones præsentiæ Dei & auxilij in conuersis amplectamur, & agnoscamus imbecillitatem nostram,& petamus auxilium Dei, & misericordiam eius, & celebremus omnia beneficia,sicut in Osea dictum est: Perditio tua ex te Israël, tantum per me est auxilium tuum. Et Esaiæ 45. Deus iustus,& saluans non est præter me.Conuertimini ad me,& salui eritis omnes fines terræ.Quia ego Deus,& non alius,per meipsum iuraui,exiuit de ore meo iusticiæ Verbum,& nō reuertetur,quod mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua, Certè in Domino dicet: Habeo iusticiam & fortitudinem, Ad eum ueniet,omnes autem qui repugnant ei confundentur. In Domino iustificabitur omne semen in Israël & laudabit. In hoc dicto & multis similibus comprehenditur summa beneficiorum Euangelij, Gratia & donum, id est, remissio peccatorum seu reconciliatio, & deinde uiuificatio, quæ fit Deo ipso sese nobis communicante, in hac uita & post hanc uitam.Ideō hic inquit: Per Dominum habeo iusticiam & fortitudinem,id est,reconciliationem & dona,scilicet uiuificationem & sanctificationem.

Ac exempla intueamur,cùm primi parentes obiurgati expauescerent, & cum morte luctarentur, Filius Dei promissionem sua uoce profert, & simul in mentibus accendit immediatē noticiam,quæ ostendit hanc esse uoluntatem æterni patris, & ostendit præsentiam & misericordiam patris, & confirmat as-

ſenſionem,ac ſimul in hac cognitione Pater per eum effundit Spiritum ſanctũ, & corda eorum lætificat,& accendit inuocationem, & alios bonos motus. Sic cùm Nathan conſolatur Dauidem,ipſe filius Dei adeſt uerbo uocali,& in mente Dauidis oſtendit hanc eſſe uoluntatem æterni patris, & aſſenſionem immediatè confirmat,& per Filium datur Spiritus ſanctus,qui Dauidem retrahit ex doloribus inferorum, & lætificat, & accendit inuocationem, & alios pios motus. Eſt enim Eccleſia regnum Chriſti, non tantũm quia Chriſtus eſt uictima, ſed etiam quia omni tempore colligit Eccleſiam, & immediatè eſt efficax cum uerbo uocali,ſicut inquit,Ego ſum uitis,uos eſtis palmites: Sine me nihil poteſtis facere &c. Hæc declaratio utilis eſt, ut cogitemus, quo ordine ſint ſimul perſonæ in conuerſis.

Chriſtus omni tempore colligit Eccleſiã et immediatè eſt efficax cum uerbo uocali.

Agnoſcitur Pater per Filium, qui & Euangelium protulit ex ſinu æterni patris,& in mentibus accendit noticiam,ſicut inquit: Nemo nouit Patrem niſi Filius,& cui uolet Filius reuelare: & ſimul dans Spiritum ſanctum, conſolatur corda.

Teſtimonia de auxilio & defenſione filij Dei contra Pelagianos.

Iam addantur plura teſtimonia, quæ refutant Pelagianos. Quæ quidem non ita accipienda ſunt, ut confirment prophanitatem, aut deſperationem adferant,ſed ut ſciamus immenſa miſericordia offerri auxilium omnibus confugientibus ad Filium in ueris doloribus: Sicut ipſe Dominus inquit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis,& ego reficiam uos. Item,Petite & accipietis.Item,Quantõ magis Pater ueſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus? non ait contemnentibus,aut fingentibus ſe expectaturos eſſe uiolentos raptus,ut Enthuſiaſtæ fingunt.Sed uult Deus nos audire uocem Euangelij, non uult nos indulgere dubitationibus,& diffidentię, uult nos luctari ut aſſentiamur uerbo,& petere auxilium,Sicut Propheta clamat,Conuerte me & conuertar. Et ille inquit apud Marcum. Credo Domine,ſed opem fer imbecillitati meæ. Ac nequaquãm fingendæ ſunt in Deo contradictoriæ uoluntates: Nã ideò Filius Dei ex ſinu æterni Patris Euangelium protulit, ut ſciamus hanc ipſam eſſe uoluntatem Dei, quæ per Filium patefacta eſt.

Vtraq; concio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum eſt uniuerſalis.

Eſt autem utraq; prædicatio uniuerſalis,concio pœnitentiæ arguens peccata in omnibus,& promiſſio gratiæ,ſicut inquit Dominus, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis.

A uerbo ordiendũ eſt omiſſis diſputationibus de electione.

Non igitur quæramus alienas diſputationes de electione, ſed à uoce Euangelij ordiamur, & expaueſcamus agnitione iræ Dei aduerſus peccatum, & confugiamus ad Filium,& petamus ſicut Propheta inquit,Conuerte me & conuertar. Hoc cùm fit,concurrunt hæ cauſæ,uox Euangelij,& ipſe Filius Dei intus nos docens, & ſimul effundens Spiritum ſanctum, qui cor confirmat, ut aſſenſio & obedientia incoëntur. Cõcurrit & uoluntas noſtra luctans ut aſſentiatur uerbo Dei, & non repugnet. Poſſet enim excutere, ut excutit Saul ſua ſponte. In hoc certamine adiuuantur Mens & Voluntas à Filio Dei intus docente,& Spiritu ſancto confirmante corda, nec tamen habent ſe Mens & Voluntas ut ſtatua. Ideò dixerunt ueteres, Præcedente gratia,comitante uoluntate,bona opera fieri. Et Baſilius inquit: μόνον θέλησον ὁ θεὸς προάπαντα. Tantum uelis, & Deus præoccurret.

Deus anteuertit nos, & uocat, edita uoce Euangelij, docet & trahit mentem per Filium: Confirmat cor Spiritu ſancto, ſed nos uiderimus ne repugnemus. Conſtat enim oriri peccatum à nobis,non à uoluntate Dei. Chryſoſtomus

mus inquit: ὁ θεὸς μὴ ἕλκει τὸν βουλόμενον ἕλκει. Et 2. ad Cor. 6. dicitur, Ne frustra gratiam Dei accipiatis: Item, Habenti dabitur. Item, Quantō magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Non igitur cogitemus prosana se curitate expectandos esse uiolentos raptus, sicut loquuntur Enthusiastæ, sed obediamus Deo trahenti nos uoce Euangelij, & in uero dolore discamus, qualis sit hæc lucta uoluntatis, Quæ si haberet se ut statua, nullum esset certamen. Hæc piē cogitanda sunt, & addenda est Inuocatio, sicut dictum est, Petite & accipietis.

Non sunt expectandi uiolenti raptus.

His consideratis dulcescent multa dicta, quale hoc est, Deus qui efficit ut uelitis, efficiet etiam ut perficiatis, ut ipsi grata fiant, Consolatio est qua eos confirmat, qui non sunt omnino profani, sed trahuntur & confugiunt ad DEVM, agnoscunt autem aliquo modo, & propriam infirmitatem, & ingentia impedimenta, quæ foris accedunt, his promittit Deus suam præsentiam & auxilium.

De dicto Pauli Deus qui efficit ut uelitis.

Ac diligenter consideranda est magnitudo humanæ miseriæ.

Magnitudo humanæ miseriæ quanta sit.

Primūm in nobis ipsis magna caligo est, quæ est causa multorum errorum in deliberationibus, etiam sanctorum, & habentium magna dona. Sunt et in uoluntate & in corde auersiones ā Deo, & multa incendia uiciosorum affectuum.

Secundō foris accedunt Diabolicæ insidiæ & impulsiones, sicut Dominus inquit: Depoposcit uos Satan, ut cribraret uos.

Tertiō impedimenta bonarum actionum innumerabilia offerūtur ā malis hominibus, ut Dauidem militantem impedit Saul. Tyranni impediunt emendationem Ecclesiæ, languefiunt animi odijs aduersantium, calumnijs & segnitia.

Quartō, Sunt & locorum & temporum incommoda. Iosias bonus Rex incidit in tempus infelicius. Multis nocent mala exempla & scandala, multorum pia studia impedit paupertas &c. Denicq; confusiones huius uitę innumerabiles sunt, quæ turbant aut impediunt rectē agentes. Aduersus hāc tantā molem consolatur nos hæc promissio, Deus perficiet, id est, Quancq; & uos infirmi estis et magna sunt impedimēta, tamē ueniet Deus, & ueniet ideō, ut aliqua ipsi grata fiant, quasi dicat, Ne uniuersum genus humanum frustra conditum sit, Deus aliquos trahit & adiuuat, ut faciant ipsi grata, cùm reliqua multitudo rueat horrendis furoribus & faciat ingrata Deo.

Hieremias 10. Scio Domine non est hominis uia eius, ut dirigat gressus suos.

Rectē discernenda sunt dicta de electione, & de euentibus. Nam Hieremias non hoc uult, renatos non uelle rectē facere. Loquitur enim de sese, & de alijs sanctis, qui certē uolunt recta facere, cùm uoluntas in eis iuuetur Spiritu sancto: Sed uia significat uocationem, quæ ut sit felix, petit ā Deo dari, & consilia, & prosperos euentus, ut Iosias sanctus Rex errabat in consilio, cùm bellū inferret Aegyptio, & euentus non adiuuabatur diuinitus. Est in Moyse uoluntas obediendi Deo in populo ducendo in terram promissam, & tamen plurima impedimenta præter ipsius opinionem incidunt. Ita Hieremias non hoc inquit, nullam esse electionem in ullorum hominum uoluntatibus, Sed de nostra infirmitate & impedimentis in uocatione concionatur, ut sciamus uocationes ā Deo ordinatas esse, & petamus ut ipse eas regat, det nobis recta consilia, &

Discernenda sunt dicta de electione & euentibus. Via significat uocationem.

lia,& successus,sicut Psalmus docet, Commenda uiam tuam Deo, id est, uocationem,spera in eum, & ipse faciet.

Opera uocationis sine auxilio Dei non feliciter regũtur.

Suam quisq; uocationem & militiam, id est, sui officij opera & pericula consideret. Sciat à Deo ordinata esse diuersa ministeria,Oeconomica,Politica, Ecclesiastica, & hæc sine auxilio Dei non regi feliciter, sicut & Dominus inquit: Sine me nihil potestis facere, scilicet, salutare, sed qui manet in me,& ego in eo,hic fructum copiosum feret.Sapientia Dei apud Salomonẽ inquit:Penes me est consilium & successus. Petamus igitur & uocari nos ad labores utiles, ac gubernari ac iuuari, ut cursus noster prosit nobis & alijs, & fiamus uasa misericordiæ,non uasa iræ,ut fuerunt, sunt & erunt multi impij, qui magnos labores sustinent, sed pernicioſos sibi ipsis & alijs, ut Alcibiades, Agathocles, Marius,Catilina,& alij innumerabiles. De his cogitationibus & de inuocatione Dei monemur dicto Ieremiæ & similibus, uidelicet,Non potest sibi homo sumere quicquam,nisi sit ei datum desuper.

DE DVOBVS DICTIS, QVÆ *extant apud Hieronymum.*

De dicto Hieronymi, anathema sit,si quis dixerit Deum impossibilia præcepisse.

HIC duo dicta quæ extant apud Hieronymum explicanda sunt. Alterum est, Anathema sit,si quis dixerit Deum impossibilia præcepisse. Etsi in hac breui recitatione non dicitur quæ fuerit occasio faciendi huius decreti, & aduersus quos factum sit, tamen existimo propriè Manichæos hoc decreto condemnatos esse qui finxerunt multitudinem hominum à malo principio creatam esse,& eam non posse conuerti ad bonum, & necessariò non solùm interiora uicia habere,sed etiam externa scelera facere.

Hos horrendos furores damnare & execrari necesse est, illustranda est ueritas, tantùm esse unam essentiam diuinam, creatricem rerum, æternam, omnipotentem,sapientem,ueracem, bonam, iustam, castam, liberam, & ab hac conditos esse primos parentes sine prauitate, sed eos libertate uoluntatis abusos,sese sine coactione auertisse à Deo,& amisisse lucem & rectitudinem,quam in creatione acceperant. Ab hac una massa corrupta reliquum totum genus humanum oriri,& ab una essentia diuina conditrice, bona, conseruari, & omnes homines posse externa opera in Lege Dei præcepta facere, & tamen, quia Filius Dei Mediator ex hac misera massa assumturus erat humanam naturam, uerissimè omnes homines, qui in pœnitentia confugiunt ad Filium Dei fide, recipi & fieri hæredes uitæ æternæ.

Hæc doctrina contra Manichæos firmissimè retinenda est, & execrandus est furor Manichæorum,qui finxerunt Neronem & similes cogi ut faciant externa scelera. Aduersus hos furores Manichæorum existimo decretum, quod recitat Hieronymus factum esse.

Nos autem planè discernimus externa facta ab integra impletione Legis, quæ est Lux & conformitas cum Deo sine peccato, & accenditur ab eo communicante se & suam sapientiam & iusticiam homini.

Homines non renati externa Legis opera facere possunt.

Dicimus autem homines etiam non renatos externa Legis opera facere posse,quanq; faciles sunt lapsus propter propriam infirmitatem,& Diabolicas insidias: Sed hæc externa disciplina nequaquàm est integra Legis impletio, quanq;

quanquâm Politica sapientia nihil nisi externam obedientiam præcipi cogitat. Sed hæc Pharisaica seu humana imaginatio uniuersaliter refutatur in conciónibus Christi, Prophetarum & Apostolorum. Ideò Paulus inquit: Impossibile est Lege iustificari. Item, Caro non potest subdi Legi Dei. Item, Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro. In his & similibus dictis affirmat neminem in hac uita mortali posse habere integram Legis impletionem excepto Christo. Nec dictum illud recitatum à Hieronymo testimonijs diuinis opponendum est.

Dictum Hieronymi, Anathema sit, si quis dicit, Legem posse fieri sine gratia.

Alterum dictũ est: Anathema sit, si quis dicit, Legem posse fieri sine gratia. In hoc dicto necesse est scire, quid sit Gratia, Nam recentiores tantùm intelligũt auxilium Dei, quasi dicat: Lex tunc fit, quando homo adiuuatur à Spiritu sancto, ut Dauid est fortis, cum Spiritus sanctus eum armat & ei robur addit, & dexteram regit.

Hæc uulgaris declaratio, etsi prodest nos commonefieri de auxilio Dei, tamen non est sufficiens, sed gratia primùm intelligitur de imputatione gratuita propter Mediatorem. Primùm enim oportet operibus prælucere agnitionem Mediatoris & fidem, quia statuendum est, Deo placere nos propter Filium Gratis, & placere hanc obedientiam, quanquâm mutilam & mendicam.

Hæc ingens bonitas Dei primùm consideranda est inter beneficia Filij Dei, Deinde adiungatur & altera interpretatio de auxilio. Lex fit iuuante nos ipso Filio Dei, per quem æternus Pater colligit sibi Ecclesiam, Hic Filius est Emanuel, ut adsit nobis, & uoce Euangelij uiuificet corda, & trãsformet nos, ut lux & noticia accendatur in nobis similis uerbo, & det Spiritum sanctum qui flectit corda ad inuocationem, & excitat tales motus, qualis ipse est. Hic Filius & assiduè Ecclesiam seruat, quia est Emanuel defendens nos contra Diabolum, & dat necessaria corpori & animæ. Vtraq; interpretatio de imputatione & auxilio quotidiè in Inuocatione cogitanda est.

DE DICTO SYRACIDÆ.

Citantur ex capite 15. uerba Syracidæ de libertate humanæ uoluntatis. Deus reliquit hominem in manu consilij sui, Si uoles seruabis mandata, posuit coram te aquam & ignem, ad utrum uoles extendito manum.

Dictum Syracidæ, Deus reliquit hominẽ in manu consilij sui.

Augustinus breuiter & rectè respondet, ad utrum uoles extendito manũ. Voluntas potest per sese extendere manum ad malum, Quia certissimum est, ruentes contra conscientiam non cogi ut labantur, sed liberè & uolentes labi, ac refutat illo ipso loco Syracides furores eorum, qui dicunt Deum esse causam peccati. Damnat igitur Stoicam necessitatem & Manichæa portenta.

Deinde de bono etiam rectè dicitur, Voluntas extendit manum. Sed adiuuatur à Spiritu sancto. Hoc addidimus ex Euangelio, quod est lumen Legis, & ostendit, quomodo Lex fieri possit, & quomodo placeat, Nec tamen uoluntas est ociosa. Trahit Deus, sed uolentem trahit, ut suprà dictum est: & fatendum est, in renato uoluntatem sic esse liberam, ut possit labi uolens, & possit retinere beneficia filij Dei, cùm quidem iam iuuetur Spiritu sancto, iuxta dictum: Spiritus opitulatur infirmitati uestræ, uidelicet, in petente & luctante, non in repugnante. Dauid uolens lapsus est, Et cùm templum esset Spiritus Sancti, resistere tentationi poterat petens auxiliũ, sed uolens eiecit & contristauit Spi-

Voluntas non est ociosa.

ritum sanctum. Inde magnitudo talium lapsuum consideretur. Hac responsione Augustini contentus sum.

DE EVANGELIO.

Nomen Euangelij quid significet.

NOmen Euangelij sine ulla dubitatione significat Græcis etiam ipsum sermonem læta nunciantem, ut apud Appianum 4. libro bellorum ciuilium de nece Ciceronis: οἵδε εὐαγγέλιον Αὐτονίῳ διαφέροντες. Et apud Plutarchum in uita Pompeij, γραμματοφόροι προσήλαυνον ἐκ πόντου κομίζοντες εὐαγγέλια &c. Nec dubium est Deum uoluisse hac insigni appellatione doctrinam de Filio & lętissimis beneficijs Filij distinguere à Lege, ut appellationis dulcedo moneret homines de discrimine Legis & Euangelij, quod in Ecclesia conspici necesse est. Id discrimen statim ostendit Iohannes initiō enarrationis suæ. Lex per Moysen data est, GRATIA autem & VERITAS per Iesum Christum facta est.

Gratia & ueritas apud Iohannem.

Gratiam nominat gratuitam remissionem peccatorum, & reconciliationem. Veritatem opponit umbris, & rebus interituris, quasi dicat, Data Lege, accepistis terram & bona corporalia, & iusticiam interituram: Sed Filius affert bona æterna, uidelicet ipsum Deum uiuificantem nos uita & iusticia æterna. Sicut Paulus discrimen ostendit, Nunc sine Lege iusticia Dei manifestata est.

Iusticia quomodo detur sine lege.

Hæc forma loquendi, prodigiosa est non intelligentibus fontes. Quare & Origenica interpretatio prorsus eam corrumpit. Sed Paulus monet, iusticiam Euangelij dari sine Lege, id est, Gratis propter Filium, non propter Legis obseruationem, & intelligit Iusticiam Dei, gratuitam reconciliationem propter Mediatoris obedientiam, & deinde restitutionem uitæ & iusticiæ æternæ in nobis, Quæ bona omnia sunt iusticia Dei, id est, acceptatio, qua Deus Gratis nos propter obedientiam Filij acceptat, & deinde noua & æterna uita, lux & iusticia, quam Deus efficit, seu ipse Deus, qui tunc est omnia in omnibus. Nā inter hos modos loquendi tantùm hoc discrimen est, quod alibi effectus nominatur, alibi causa.

Discrimen legis & Euangelij conspicuum in historia primorum parentum.

Ac discrimen conspici potest collatis initijs & definitionibus: In primis parentibus Lux est condita, quæ fuit noticia Legis, & expressum mandatum additum est, ut certo testimonio exerceretur obedientia. Hæc noticia Legis post lapsum mox arguit peccatum, ac uox Legis sonabat in tristissima accusatione. Quid fecisti? Hic ratio nullam uidit consolationem, sed mœsta in sensu iræ Dei hoc argumentum cogitabat: Iusticia Dei est obedientes seruare, & inobedientes perdere, & hæc iusticia est immutabilis: Nos fuimus inobedientes, Ergo immutabiliter damnati sumus.

Ad hoc argumentum nullius creaturæ sapientia respondere potuit. Postea edita est promissio de reconciliatione propter uenturum Semen: Inde intellecta est huius argumenti explicatio.

Iusticia Dei est immutabilis, Erit igitur aliquis sine peccato in genere humano, qui sustinebit pœnam pro cæteris, & erit sufficiens precium, Ita & satisfiet iusticiæ Dei, & tamen isti recipientur, qui erunt membra illius uenturi Redemtoris.

Hæc promissio nequaq̄ fuit nota rationi, anteq̄ ex sinu æterni patris prolata est. In huius historiæ consideratione discrimen Legis & Euangelij ualdē fit illustre

illustre. Suprā autem definitionem Legis & usus recitauimus, Ac ibi diximus, Legem esse noticiam nobiscum nascentem, quam uult Deus notam esse, ut arguat peccatum in omnibus hominibus, ut Paulus inquit: Per Legem cognitio peccati. Semper etiam uoluit Deus Legem Moralem in sua Ecclesia custodiri & doceri, & quidem ipse sæpē eam sua uoce repetiuit, & potenter seruauit incorruptam in sola Ecclesia. Et illustre testimonium est, ostendens, quæ & ubi sit Ecclesia, Lex Moralis incorrupta.

Manifesta igitur impietas & insania est, dicere Legem Moralem non docendam esse in Ecclesia: sed hic sciendum est, oportere etiam Euangelium docere & ostendendum est discrimen Legis & Euangelij. Vox Legis ostendit quæ sint peccata, & est ministerium iræ & mortis, quo, cùm Deus iudicat corda, horribilem iram eius sentimus. Sicut Paulus inquit: Lex iram efficit. Sed Euangelium est consolatio: Est enim gratuita promissio, qua non propter Legem sed propter obedientiam Mediatoris Gratis dantur credentibus remissio peccatorum, & reconciliatio, & fit uiuificatio per Filium dato Spiritu sancto, & credentes fiunt hæredes uitæ æternæ.

Legem moralem nō esse docendam impietas est.

Differt igitur Euangelium à Lege & genere & differentijs. Lex est noticia præcipiens integram obedientiam erga Deum, & damnans non habentes integram obedientiam. Sed Euangelium est promissio offerens remissionem peccatorum & reconciliationem. Item Lex non habet promissiones gratuitas, sed Euangelium est gratuita promissio propter Mediatorem, Ac particula Gratis propter Mediatorem, ualdē illustre discrimen est Legis & Euangelij.

Lex & Euangeliū differūt genere & differentijs.

Hoc discrimine rectē cognito, cernuntur beneficia Filij Dei & firmæ consolationes, & doctrina de uera inuocatione. Et refutantur multi errores, ut insulsissima distinctio trium Legum, Naturalis, Mosaicæ & Euangelicæ. Hæc falsa distinctio ex magna confusione est nata, Sciamus autem unicam esse Legem moralem, omnium temporum, quæ est æterna sapientia in Deo, & norma discernens recta & non recta: Cuius sapientiæ radios transfudit Deus in creatione in rationales creaturas, & eam postea in Ecclesia sua uoce sæpē repetiuit, quę obligat omnes creaturas rationales, ut sint conformes Deo, & damnat omnes non conformes. Sciamus item unicam esse gratiæ promissionem, quæ propter Filium Gratis offert remissionem peccatorum, reconciliationem, uiuificationem per Filium, donationem Spiritus sancti & uitam æternam.

Vt igitur discrimen Legis & Euangelij semper in conspectu sit, notæ sint definitiones, & piè intelligantur. Ac suprà Legis definitio recitata est, Hic Euangelij definitionem recito, & piè intelligi uolo.

EVANGELIVM est prædicatio pœnitentiæ & promissionis, cuius noticia non est insita naturæ hominum in creatione: Sed miranda bonitate prolata est ex sinu ęterni patris per Filium promissio, in qua non propter ulla merita nostra aut dignitatem nostram, sed propter obedientiam Domini nostri Iesu Christi, Gratis donantur credentibus remissio peccatorum, & Reconciliatio seu Iustificatio, in qua Filius Dei uoce Euangelij uiuificat corda credentium, & dato Spiritu sancto facit eos templa Dei, & credentes sanctificantur & propter Filium Dei Gratis fiunt hæredes uitæ æternæ, & resuscitantur ad uitam æternam, sapientiam, iusticiam & læticiam, in qua erit Deus omnia in omnibus.

Euangelij definitio.

Vt

Duplices sunt promißiones Euangelij.

Vt autem hæc definitio planius intelligatur, considerandum est, duplices esse promissiones. Prima præcipua, & omnium maximè necessaria est promissio gratiæ, seu æternorum bonorum. Alia sunt bonorum corporalium. Quia Deus in hac uita colligit Ecclesiam uoce Euangelij & non aliter, promittit & largitur etiã huic corporali uitæ necessaria. Ita sciamus ad primã promissionem referendas esse etiam corporales, & has quoq; dari propter Mediatorem. Sed tamen discrimen tenendum est.

Promißio gratiarum prima omnium.

Prima omnium promissionum post lapsum, fuit promissio gratiæ, & restitutio uitæ æternæ. Semen mulieris conteret caput serpentis.

Hæc promissio initium fuit Ecclesię Dei, & fuit Euangelium illius primę Ecclesiæ. Quia uerò magna multitudo statim post Abel oblita est promissionis Deus eam sæpè repetiuit, sicut repetita est, cùm Abrahæ tradita esset Circumcisio. Cùm enim antea generaliter dictum esset, de Semine mulieris, tunc restrictio ad certam stirpem facta est, & postea rursus certa stirps nominata est, uidelicet posteritas Dauidis, ut cùm certum esset in qua gente, quo loco, quo tempore, Deus hunc Mediatorem exhibiturus esset, & splendidissimè illustrata est promissio uoce Prophetarum. Semper igitur in genere humano fuit nota promissio gratiæ de Mediatore, Sicut Dominus inquit: Vidit Abraham diem meum & lætatus est, & semper tantùm ille cœtus fuit Ecclesia Dei, qui retinuit hanc doctrinam de promissione gratiæ & Mediatoris, iuxta dictum: Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Item, Nemo uenire potest ad patrem, nisi per Filium.

Reliqua magna multitudo gentium oblita promissionis, aut eam contemnens, nequaquàm erat Ecclesia Dei, etiamsi aliquo modo norat sapientiam Legis, quæ hominibus in creatione insita est, & nobiscum nascitur. Etsi igitur in Hesiodo, Phocylide, Xenophonte, Platone, multæ sunt sententiæ congruentes cum Lege Dei, tamen promissio gratiæ & Mediatoris ignota est eis. Ideò neq; membra Ecclesiæ Dei fuerunt, nec fuit apud eos uera Dei inuocatio, neq; agnitio reconciliationis.

Promißiones bonorum corporalium.

Aliæ promissiones sunt bonorum corporalium: Cùm enim Deus Ecclesiam æternam ita colligit, ut in hac uita eam uoce Euangelij incoari uelit, & Filium misérit, ut in hac uita fieret uictima, uult etiam dare res, corporali uitæ necessarias, & quidem propter Ecclesiam, seruat uniuersum genus humanum, imperia & politias, quare ad promissionem gratiæ, addita est etiam promissio corporalium bonorum.

Ne autem sic intelligeretur, quasi iusti sine afflictionibus in hac uita futuri essent simul adiuncta est prædictio de cruce, & significatum est, Filium Dei semper affuturũ esse Ecclesię, & mirabiliter eam inter Diabolorum insidias et impiorum furores seruaturum esse. Ideò statim initiò edita promissione gratiæ, deinde dicitur: In sudore uultus tui uescéris pane tuo, donec reuerteris in terrã &c. Hic simul prædicitur aliqua uitæ spacia fore, & deinde mortem corporis secuturam esse, & in his uitæ spacijs, tamen non defuturum esse, Simul autem futuras esse magnas ærumnas, accessuras etiam esse Diabolorum insidias, de quibus inquit, Inimicicias ponam inter te & Semen mulieris, sed simul significat

gnificat illum promissum Dominum, qui erit semen mulieris, tunc statim repressurum esse Diabolum,& seruaturum Ecclesiam: Addit etiam Deus primis parentibus uestitum, quo gestu utrunq; significatur, defensio corporis in hac uita,& deinde restitutio nouæ pellis. Ita multæ sunt mirandæ picturæ in illa prima descriptione de præcipuis rebus in Ecclesia, de conuersione, de Gratia, de uita corporali, de cruce, de morte, de restitutione uitæ æternæ, postea ad Noë repetita est promissio corporalis.

Sciendum autem est, duplices esse promissiones corporales. Aliæ sunt speciales, ut de certa sede, de certa forma politiæ conseruanda & defendenda. Hæc specialis promissio non est omnium temporum, sed Abrahæ posteris tradita,& constitutum est tempus, quo durare sedes illa deberet. Nec pertinet hæc specialis promissio ad cætera tempora aut ad alias gentes. *Promissiones corporales sunt duplices. Speciales.*

Aliæ sunt generales, quæ sunt omnium temporum, de uictu, hospitijs, & de defensione cœtus Ecclesiæ, etiamsi miscentur uariæ afflictiones, & multa membra uagantur in exilijs, multa trucidantur: Quia semper Deus utrunq; uult sciri, Ecclesiam subiectam esse cruci, & tamen in ea Filium Dei adesse, qui mirabiliter eam seruat. *Generales.*

De his generalibus promissionibus multa sunt tradita testimonia, Matt: 6. Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. 1. Timoth: 4. Pietas promissiones habet præsentis & futuræ uitæ. Matth: 10. Omnes capilli capitis uestri numerati sunt, ne timete. Marci 10. Nemo est qui reliquerit domum aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non recipiet centuplum in tempore hoc cum persecutionibus,& in futuro seculo uitam æternam. Luc. 6. Date & dabitur uobis.

Huc adiungantur promissiones generales in Prophetis traditæ, quę non solùm de Iudaica politia intelligantur: Pertinent enim ad uniuersam Ecclesiam, quia Deus uult omnibus temporibus Inuocationem, Fidem, Spem, Gratiarum actionem in his consolationibus exerceri. Vult & præsentiam suam in Ecclesia, in multis mirandis liberationibus ostendere. Nota sint igitur talia dicta, ut Psalm. 49. Inuoca me in die tribulationis,& ego eripiam te,& glorificabis me &c. Psalm. 33. Leones esurierunt, timenti autem Dominum non deerit ullum bonum. Multę tribulationes iustorum,& ex omnibus liberabit eos Dominus. Psalm: 36. In diebus famis saturabuntur. Psalm. 90. Quoniam Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Cum ipso sum in tribulatione &c. Psal. 111. Sufficientia et diuitiæ in domo eius. Esai. 58. Frange esurienti panem tuum, & eris uelut hortus irriguus.

Denicq; sæpissimè repetitæ sunt hæ promissiones, quia cùm in tantis uitę periculis animi hominum ualdè anxij sint de defensione, de sobole, de mediocri forma publicæ gubernationis, & cùm trepidæ mentes sæpè quærant an nostri gemitus & petitiones nostræ proficiant aliquid, Deus toties inculcat has promissiones, ut sciamus ipsum ut patrem etiam ista bona daturum esse, & exaudire gemitus nostros.

Simul autem sciendum est, has promissiones, cum hac additione intelligendas esse, quòd Ecclesia subiecta sit cruci, iuxta dictum: Qui uult me sequi tollat crucem suam,& sequatur me. Item: Multæ tribulationes iustorum. Etsi autem *Promissiones corporales intelligendæ cũ additione crucis.*

autem pugnare uidentur, promissio bonorum corporalium, & prædictio de cruce: tamen Deus mirabiliter conciliat utrasq; prædictiones. Semper enim seruat corpus Ecclesiæ in hac uita, & inter Diabolorum & imperiorum furores, mirandis modis illud protegit. Et quanquam multa membra sustinent ærumnas: tamen his quoq; dat certi temporis cursum, & in hoc ipso cursu ea defendit, Sicut Danielem seruat inter Leones, Petrum in carcere, Paulum in naufragijs &c. Hanc conciliationem dictorum de cruce, & promissionis bonorum corporalium intelligunt pij, ac simul sciunt, aliam principalem promissionem esse, scilicet gratiæ & æternorum bonorum, & norunt hoc insigne discrimen retinendum esse. Amissis omnibus bonis corporalibus, tamen retinendam esse promissionem gratiæ, & bonorum æternorum & hęc anteferenda esse bonis corporalibus. Ideo Iob inquit capite 13. Etiamsi occidet me, sperabo in eum. Et Dominus inquit, Ne timete eos qui possunt occidere corpus, animam autem non possunt occidere. Item, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Esaiæ 57. Dominus habitans cum contrito & humili Spiritu, ut cor uiuificet. Cùm igitur promissio gratiæ & uitæ æternæ illis ipsis offeratur, qui amiserunt bona corporalia, & qui sunt in morte, manifestum est hanc æternam promissionem retinendam esse, etiam amissis omnibus bonis corporalibus, iuxta iuramentum, Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Et Psalm. 67. Deus noster, Deus saluos faciet, & in Domino Deo est exitus ex morte. Et ob hanc causam, promissio gratiæ nominatur æternum testamentum, quia res æternas offert, & retinenda est etiam amissis alijs rebus. Vtrumq; igitur sciendum est, uidelicet discrimen promissionum, & quod oporteat semper prælucere fidem, quæ accipit promissionem gratiæ, & semper retineri, etiam cùm bona corporalia amissa sunt, sicut tandem in morte amittuntur.

Hæc tota doctrina repetita est Psalm: 48. Mors absumet diuites, Verum Deus redimet animam meam ex inferis, quia assumsit me.

Causæ quare deus tradiderit promissiones bonorum corporalium.

His necessarijs admonitionibus traditis, iam ordinè recitentur causæ, quare Deus tradiderit promissiones bonorum corporalium.

I. Prima est, Vt hæ promissiones sint testimonia de prouidentia Dei contra Epicureas imaginationes, quæ fingunt casu spargi diuitias & alia commoda corporalia sicut in Poëmate dicitur, Fortuna spargit munera cœca manu. Vult autem Deus nos scire, & hæc bona ab ipso condita esse, & quidem propter Ecclesiã, et suo consilio dari Ecclesiæ suæ, quantum ipsi uidetur. Vult sibi hanc gloriam tribui, quod sit conditor harum rerum, quod etiam uita corporalis suæ Ecclesiæ, ipsi curæ sit. Dat Abrahæ hospitia, & ea defendit mirabiliter etiamsi alios tenere ibi regna & maiores opes sinit. De hac prima causa contra Epicureos, concionatur Hieremias in Threnis cap. 3. Quis est qui dicit: Ex ore Domini egredientur nec bona nec mala. Et Psalmus inquit, Leones esurierunt, Timenti autem Dominum non deerit ullum bonum. Item, Iustus non peribit in fame.

II. Secunda causa, Vt promissiones corporales sint testimonia de conseruanda Ecclesia in hac uita. Sicut inquit Dominus, Scit pater uester cœlestis, quod his omnibus indigeatis. Item, Euangelium habet promissionem præsentis & futuræ uitæ. Item, Non mortui laudabunt te Domine &c.

III. Tertia causa, Vt fides exerceatur petitione corporalium bonorum. Quia etiam

etiam horum bonorum petitione uult Deus exerceri Fidem & Inuocationem, ut sciamus ei ueræ curæ esse etiam corporalem uitam Ecclesiæ. Iuxta Psal. Inuoca me in die tribulationis, & ego eripiam te.

Quarta causa est. Quia uult Deus promissiones corporales esse commonefactiones de Spiritualibus. Nam bona corporis promissa sunt, quia colligitur æterna Ecclesia in hac uita. Et in inuocatione peti non possent, nisi prælucente FIDE, quæ accipit promissionem gratiæ. Ac sciamus in omni inuocatione oportere prælucere fidem, quæ intuetur Filium Dei, & accipit remissionem peccatorum, iuxta dictum: Nemo uenit ad Patrem, nisi per Filium. Item, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Item, Per Christum ratæ sunt omnes promissiones. IIII.

Quinta. Cùm uelit Deus Ecclesiam in hac uita colligere, multas corporales liberationes uult esse illustria testimonia præsentiæ suæ in Ecclesia, cùm uidelicet multa inextricabilia humano consilio mota sunt, ut uenditio Ioseph, Difficultates eductionis populi ex Aegypto. Seditio mota contra Dauidem: bella Antiochi. Deniq; multa publica & priuata accidunt, in quibus ratio exitum prospicere non potest. V.

In talibus periculis, cùm fit liberatio, conuincuntur animi, ut agnoscant Dei præsentiam, & fateantur, Deum esse protectorem & liberatorem. Sic Moyses precatur in Numeris capite 14. ut audiant Aegyptij, quòd tu Domine sis in hoc populo. Iosuæ 3. Scient quòd Dominus Deus uiuens sit in medio uestri. 1. Regum 17. Vt sciat omnis terra, quòd est Dominus Deus in Israël. Esaiæ 37. Vt sciant omnia regna terræ, quòd tu es Dominus solus. Ac ut Prophetæ in petitione auxilij, hanc finalem causam Deo proponunt, ut præsentia eius conspiciatur, eodem modo nos quoq; petamus. Hæc tota doctrina de intellectu & usu promissionum fit illustris in ardenti inuocatione & petitione auxilij.

In fine rursus hoc moneo, discernendas esse promissiones generales, bonorum corporalium Ecclesiæ omnium temporum factas, à specialibus, quæ ad solam Iudaicam politiam pertinuerunt, ut promissio de uictorijs, nominatim facta pro defensione eius politiæ. Nota sit etiam explicatio argumenti de omnibus promissionibus corporalibus. *Diligenter discernendæ sunt promißiones speciales à generalibus.*

Promißio diuina est immutabilis,
Ecclesiæ sunt promissa bona corporalia,
Igitur Ecclesiam oportet semper sine ærumnis esse.

Breuiter respondendum est ad Minorem. Omnes promissiones corporales intelligendæ sunt, cùm exceptione crucis & castigationis, quia hæ regulæ præcedunt: Si quis uult me sequi, tollat crucem suam &c. Item, Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Et comminationes ipsæ in Moyse additæ sic interpretantur promissiones.

Dauidi promissum est regnum, sed excutitur propter delicta. Ita omnibus temporibus Ecclesia punitur, propter multa multorum delicta. Mitiget tamen Deus pœnas propter aliquorum conuersionem, ut ostendit exemplum Niniuę, Carcer Ioseph, Danielis, calamitates Iob, Lazari, pertinent ad exempla crucis. Semper autem in conspectu sit Regula. Etiam amissis omnibus bonis corporalibus, tamen retinendam esse promissionem gratiæ, iuxta di-

ctum Iob. Etiamsi occidet me, sperabo in eum, & congruit dictum Psalmi 89. Visitabo in uirga iniquitates eorum, Misericordiam autem meam non amouebo ab eo &c. Nec deficiendum est ab eo propter ullam creaturam.

DE IVSTIFICATIONE.

Dissensiones de iustificatione unde sint.

IDeo semper dissensiones & fuerunt & erunt de Iustificatione. Quia homines naturaliter utcunq; Legem intelligunt, cogitant de iusticia iudicio rationali, nec considerant discrimen Legis & Euangelij, & quare in Euangelio alia iustitia patefacta sit. Ex hac caligine oriuntur & confusiones & dissensiones. Vtile est autem initiò considerare, quid ratio intelligat esse iusticiam, & quid de rationali iusticia doceri necesse sit.

Iusticia in Philosophia quid significat.

Vocabulum Iusticia in Philosophia & Legibus politicis, Significat obedientiam erga Leges, Et obedientia erga omnes Leges, nominatur uniuersalis Iusticia. Sic politico more Aristides nominatur iustus, id est, ciuis omnibus Legibus suæ ciuitatis obtemperans, Sic usitatè dicitur, Iusticia in sese uirtutes continet omnes.

Certum est autem, ut suprà dictum est, Deum omnibus hominibus, & renatis & non renatis præcipere, ne in ullo externo opere uiolent Legem Moralem, iuxta dictum: Propter hæc uenit ira Dei super inobedientes. Et possunt etiam non renati aliquo modo facere externa opera Legis honesta, id est, Legi Dei congruentia, quia Paulus nominat iusticiam carnis, id est, quam non renati facere possunt.

Quæ actiones sint iusticia carnis.

Sunt autem actiones, quæ nominantur iusticia carnis, cogitationes in mente hominis, quanquam non renati, intuentes Legem Dei, seu rectum iudicium rationis, & cientes Locomotiuam, id est, regentes actiones externas, ut congruant cum externa uoce Legis, siue cor congruat siue non congruat, ut in Achille, repressio iræ est cogitatio in cerebro eius de hac Lege: Non interficias ducem exercitus. Hæc cogitatio manibus imperat, ut gladium recondant. Interea tamen cor ardet ira, nec moderatio illa fit propter gloriam Dei, nec regitur agnitione Filij Dei, nec est uiuus motus in corde, sed euanescens cogitatio.

Sic eruditè cogitandum est, quid reipsa sint actiones uirtutum, ac utcunque actiones intelligi possunt, etiamsi Aristotelicas imaginationes de habitibus seponimus. Suntq; mentes cogitatione Legis pœnarum & exemplorum ad rectè faciendum excitandæ. Suprà autem dictum est, quatuor esse causas, propter quas etiam non renati se disciplina regere debent, quarum prima est, Mandatum Dei. Secunda, Vt uitentur pœnæ. Tertia, Vt aliis parcamus. Quarta, Quia disciplina sit pædagogia in Christum, id est, Quia certum sit, Deum non efficacem esse in his, qui perseuerant in sceleribus contra conscientiam. Hæ causæ piè cogitentur. Simul autem sciendum est, Iusticiam carnis seu disciplinam, seu opera Legis nequaquam esse iusticiam coram Deo, nec impletionem Legis esse, nec causas, nec merita remissionis peccatorum. Sed sicut folium fici tegebat nuditatem primorum parentum, ita iusticia carnis est quasi lecunq; tegumentum horribilium uulnerum in mente uoluntate & corde hominis, ut pulcra res est foris castitas Scipionis, sed intus sunt dubitationes de

Deo

Deo & de prouidentia, ignoratio Mediatoris, fremitus aduersus Deum & aliæ flammæ uicioſorum affectuum, ac multi ſunt typi, diſcernentes diſciplinam & iuſtíciam, de qua dicitur: Iuſtus fide ſua uiuet: ſed illuſtris typus eſt, quem recenſui de folio fici.

Nunc accedendum eſt ad doctrinam de Iuſtificatione, de qua loquitur Paulus, cùm inquit. Iuſtificati fide pacem habemus. Ac primùm conſtituamus definitionem uocabuli, ſimplicem & perſpicuam.

IVSTIFICATIO eſt acceptio remiſſionis peccatorum, & reconciliationis perſonæ coram Deo, & imputationis iuſticiæ, & hæreditatis uitæ æternæ, propter obedientiam Mediatoris, quæ acceptio fit fide, conſolante & erigente cor in ueris doloribus, in qua fit uiuificatio per Filium Dei, dicentem conſolationem in corde uoce Euangelij, & effundentem Spiritum ſanctum, quo incoatur noua obedientia in corde, ſicut ſcriptum eſt: Dabo Legem meam in corda eorum. *Iuſtificatio apud Paulum quid ſignificet*

Obſeruandum eſt autem, quando uocabula Iuſticia, Iuſtus, Iuſtificatus legaliter uſurpentur, quando de iuſticia imputata, id eſt, de reconciliatione ſeu acceptatione gratuita coram Deo propter Mediatorem dicatur. *Obſeruandum quando uocabulum iuſticia legaliter, quando de imputata iuſticia accipiatur.*

Apud Philoſophos Iuſticia tantùm legaliter uſurpatur, & ſignificat iuſticia uniuerſalis obedientiam ſecundum omnes leges, iuxta dictum: Iuſticia in ſeſe uirtutes continet omnes.

In Lege diuina, ubi de Iuſticia Legis dicitur, etiam hoc modo uſurpatur de integra obedientia, ut in his dictis, Pſalmo 142. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, Quia non erit iuſtus coram te omnis uiuens. Item Iob: Verè ſcio, non eſt iuſtus homo coram Deo. Iuſtus, id eſt, habens integram obedientiam.

Interdum etiam de bonis operibus iuſtorum dicitur, etiamſi non eſt integra obedientia, ut, Feci iudicium & iuſticiam. Solus Oſiander tranſtulit nomen ab effectibus ad cauſam. Iuſticia eſt quod facit nos iuſta facere, uidelicet Deus. Hæc definitio certè non congruit ad hoc dictum, Imputatum eſt ei ad iuſticiam. Nec Paulus loquitur de hac effectione, quando quærit, an homo ſit iuſtus Fide, aut Lege ſeu operibus. Sed cùm non habeamus illam obedientiam integram, docet uox promiſſionum de miſericordia, quæ fide, id eſt, fiducia Mediatoris nobis applicatur. *Oſiander erat de iuſticia*

Angelus bonus eſt iuſtus, quia habet integram obedientiam, uel impletionem Legis, uel integram conformitatẽ ad DEVM, uel, Quia Deus eſt in eo, efficiens hanc integram conformitatem. Hi modi loquendi idem ſignificant. *Angelus bonus iuſtus quomodo.*

Sed Dauid eſt iuſtus, id eſt, acceptus Deo, ſeu placens Deo, non quia habet integrã conformitatẽ ſeu impletionẽ Legis, ſed quia recipitur per miſericordiã Fide propter Mediatorem, qua fide, etſi uerẽ fit uiuificatio ſeu renouatio quę eſt incoatio nouæ obedientię, tamen perſona eſt iuſta, id eſt, placens Deo propter Mediatorem, ſeu imputata ei Mediatoris obedientia. Eſt ergo iuſtus coram Deo iuxta Euangelium placens, Deo, ſeu reconciliatus ſeu acceptus propter Mediatorem fide, qua quidem fit uiuificatio in ueris doloribus, iuxta dictum: Iuſtus Fide ſua uiuit. Relatio igitur, uidelicet, Acceptatio ſeu Reconciliatio includitur in uocabulo iuſtus, & de hac reconciliatione dimicat conſcientia, non quærit an iuſta faciat, ſed fatetur ſe non habere legis impletionem, & clamat *Dauid iuſtus quomodo.* *Vocabulo iuſtus includitur relatio.*

& clamat expressè: Non est iustus in conspectu tuo omnis uiuens, id est, habens integram obedientiam. Cùm igitur inquit Osiander: Iustificare est ex non iusto iustum facere, id est, habentem rectè facta, sciamus aliter loqui Paulum, uidelicet iustificare, est ex non iusto, id est, ex reo, & non habente impletionem Legis, facere iustum, id est, non reum propter Mediatorem. Hæc relatio primùm in uerbo Iustificandi intelligenda est. Sic Paulus eadem significatione utitur uerbis Reconciliari & Iustificari, cùm ait, Rom. 5. Iustificati sanguine, id est, reconciliati per mortem eius.

Testimonia quòd uocabulo iustificandi includatur relatio.

Quòd in uerbo Iustificandi necesse sit intelligere relationem, scilicet, remissionem peccatorum manifestè ostendunt hæc dicta Act. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Item, Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Lucæ 18. inquit Publicanus: Deus propicius esto mihi peccatori. 2. Regum 12. Dominus abstulit peccatum tuum. Et Esaiæ 38. Proiecisti post tergũ tuum omnia peccata mea. Semper cum accedimus ad reum, initiò petenda et accipienda est remissio peccatorum fide, & cùm accipitur remissio fide, simul hoc fit, quod Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus.

Falsa est imaginatio Osiandri diuellentis remissionem peccatorum & iusticiam.

Ac prorsus imaginatio reijcienda est, quæ fingit, Neroni peccata remissa esse, sed damnari eum, quia non habet iusticiam essentialem. Non fit remissio peccatorum sine fide, quia dictum est, Qui non credit in eum, manet ira Dei super eum.

Hæc dicta perspicuè ostendunt, relationem, uidelicet remissionem peccatorum, & reconciliationem includi in uerbo Iustificandi. Hæc ipsa autem acceptio remissionis, non est frigida imaginatio, Sed fit cum in uero dolore sentitur consolatio, quæ est uiuificatio, quæ fit cùm Filius Dei simul est efficax cũ uerbo externo, & dicit consolationem in corde, & ostendit misericordiam Patris, & dat Spiritum sanctum, sicut clarè dicitur, 1. Iohan. 5. In hoc cognoscimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quia de Spiritu suo dat nobis.

Dictum Iohannis, Qui habet Filium, habet uitam.

Vtor autem & hac forma in declaratione uocabuli Iustificationis, cùm Iohannes dicat: Qui habet Filium, habet uitam, Declaratio inde sumi potest, Iustificari est, ex non habente Filium, fieri habentem Filium. Habere autem Filium, est fide statuere, quòd propter obedientiam Christi donentur nobis remissio & reconciliatio. Deinde est habere eum uiuificantem nos sua efficacia. Sic intelligitur habens Filium, id est, non reus propter Filium, & deinde uiuificatus per eum. Ideo inquit Iohannes: Qui habet Filium, habet uitam, & congruit hoc dictum cum illo, Iustus fide sua uiuet.

Osiandrica definitio iusticiæ non sufficiens.

Ex his intelligi potest Osiandricam definitionem iusticiæ non esse sufficientem, cùm ait: Iusticia est quod efficit nos iusta facere. In hac definitione non fit mentio obedientiæ Filij Dei propter quam recipimur, & qua fides propria nititur, Sed tantùm fit mentio nouitatis sequentis. Nostra definitio primùm nominat obedientiam Filij Dei. Iusticia est obedientia Filij Dei nobis imputata, id est, propter quam recipimur fide, qua fide & uiuificatio fit, per ipsum filium Dei. De hac imputatione loquitur Paulus Rom. 4. & 10. Finis Legis Christus est ad iusticiam omni credenti.

Hæc de uocabulis Iusticia, Iustus, Iustificari coram Deo dicta sint. Postea quomodo noua obedientia dicatur Iusticia, infrà copiosius dicemus.

Nomina-

Nominatur enim iusticia, Quia est incoata conformitas cum Lege, quę tamen ideo placet, quia persona iam Fide reconciliata est, & placet, non quia est integra obedientia, sed propter Filium Mediatorem, & summum sacerdotem intercedentem assiduē pro nobis, & tribuit Deus hunc ingentem honorem nouæ & squalidæ obedientiæ, ut nominet eam iusticiam & sacrificium. Sed tamen discerni eam oportet ab illa iusticia & iustificatione, qua homo coram Deo accipit remissionem & reconciliationem, quæ nominatur imputatio iusticiæ per Misericordiam propter Filium Mediatorem.

Noua obedientia quomodo nominetur iusticia.

DE VOCABVLO
GRATIÆ.

GRatia significat in hac quæstione relatiuē gratuitam remissionem peccatorum & reconciliationem seu misericordiam, & acceptationem gratuitam propter Mediatorem, cum qua remissione & reconciliatione simul fiunt uiuificatio per Filium, cūm Fide accipimus uocem Euangelij, & donatio Spiritus sancti. Paulus igitur ad Romanos 5: duobus uocabulis usus est complectens beneficia Mediatoris. Nominat Gratiam & donum per gratiam. Gratiam intelligit relatiuē, gratuitum fauorem seu misericordiam, seu remissionem peccatorum, & reconciliationem seu acceptationem gratuitam propter Mediatorem.

Gratia apud Paulum quid significet.

Donum uerō per Gratiam intelligit nouitatem incoatam & consummatam, id est, uiuificationem & totam gubernationem sequentem, quæ fit à Deo per Filium & Spiritum sanctum in renatis, ad uitam æternam. Totum enim beneficium Mediatoris complectitur nomine Doni per Gratiam. Ac multum refert rectē intelligi hæc uocabula, qua in re & phrasis Hebræa consulenda est, & considerāda est narrationum series, & materia in quolibet loco. Cùm Romanos 4. dicitur: Operanti merces non imputatur secundum gratiam: hic perspicuē gratiam relatiuē intelligit gratuitam beneuolentiam seu imputationē. Est enim Antithesis: Laboribus debetur merces. At credenti, etiāsi non affert merita, tamen fit imputatio iusticiæ gratuita.

Donum per gratiam:

Eodem modo postea loquitur. Ideo ex fide secundum gratiam, ut sit firma promissio, id est, ut sit certa reconciliatio, non pendet ex conditione nostræ dignitatis, sed est gratuita. Hic quantum referat uocabulum Gratię rectē intelligi non obscurum est. Nam si iudices ita te habere remissionem, cùm fueris dignus & mundus, & habueris excellentes uirtutes, quas Monachi nominant gratiam, sequetur infinita dubitatio & desperatio. Et Romanos 6. Si gratiam interpreteris ut Monachi, deletur consolatio. Non estis sub Lege, sed sub gratia: Hic Paulus hoc ipsum agit, nos placere Deo propter Filium, non propter nostram dignitatem, cùm quidem adhuc hæreat in renatis ingens imbecillitas & peccatum.

Significat igitur Gratia gratuitam misericordiam, promissam propter Filium. Quanquam autem hæc significatio natiua est: tamen sciamus cùm accipitur remissio peccatorum, simul in ea consolatione fieri uiuificationē per Filium, cùm Fide accipitur uox Euangelij, & donationem Spiritus sancti. Ideo & Iohannes duobus uocabulis usus est, sicut Paulus inquiens: Per Iesum Christum gratia & ueritas facta est. Gratiam nominat gratuitam remissionem &

Gratia.

reconciliationem seu acceptationem. Deinde umbris opponit ueritatem, uidelicet regno Politico, sapientiæ & iusticiæ carnis & alijs bonis perituris. Et nominat ueritatem, uera & duratura bona, ueram agnitionem Dei, æternam uitam, lucem, iusticiam & læticiam semper duraturam, cùm erit Deus omnia in omnibus sanctis resuscitatis. Ita congruit dictum Iohannis cum uerbis Pauli, Per Christum habemus gratiam, & donum per gratiam. Expressè enim damnamus Pelagianos & Monachos, qui finxerunt homines sine regeneratione posse Legi Dei satisfacere, & mereri reconciliationem, & iustos esse propria Legis impletione.

Has Pharisaicas imaginationes, quæ tollunt ingentia beneficia Mediatoris, prorsus execrandas esse censemus: Et Deo gratias agimus, quòd non solum patefecit Legem, sed etiam misit Filium, & non solùm edidit promissionem gratiæ, sed etiam reuera adest nobis, regenerat, sanctificat, protegit & gubernat nos assiduè, Sicut in Iohanne dicitur: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Gratia & donum per gratiam quomodo accipiantur.

Hic quoq; duo illa beneficia recitantur, Gratia & donum per gratiam, & modus exprimitur quo accipiuntur. Initium est ab auditu Euangelij, cùm in conuersione uoce Euangelij nos sustentamus, simul hæc fiunt, Pater diligit nos, id est, recipit per misericordiam propter Filium, & Filius dicit consolationem in corde, ostendit misericordiam patris, & uiuificat credentes retractos ex doloribus inferorum, & Pater per eum effundit Spiritum sanctum in corda, ut tales motus habeamus qualis ipse est, lætemur in Deo, diligamus & inuocemus eum, & nos ei subijciamus, agnoscamus infirmitatem & pericula nostra, & sciamus nobis immensa misericordia Dei propositum esse auxilium diuinũ, contra infirmitatem nostram, & contra Diabolorum rabiem. Aduersus ista petamus Dei præsentiam, sicut dicitur: Saluabo uos non in arcu, sed in Domino Deo uestro, id est, in Filio, qui uerè est Emanuel, uerè adest credentibus, cùm uoce Euangelij sustentantur, & simul dat Spiritum sanctum: Sic 1. Ioh. 4. dicitur, In hoc scimus, quòd in ipso manemus, & ipse in nobis, quia de Spiritu suo dat nobis.

DE VOCABVLO
FIDEI.

Vocabulum Fidei.

CVm Paulus inquit: Iustificamur fide, Vocabulum Fidei, non tantùm historiæ notitiam significat, ut Diaboli etiam norunt historiam seu dogmata, Sed significat assentiri omnibus articulis fidei, & in his huic articulo: Credo remissionem peccatorum, & uitam æternam, non tantùm alijs dari, sed mihi quoq;. Cùm hoc assensu, quo tibi credis remitti, cor erigitur fiducia promissæ misericordiæ, acquiescente in Deo propter Mediatorem, lucet in mente assensus apprehendens uocem Euangelij, & fiducia Mediatoris & misericordiæ in corde.

Fides iustificans non est imaginatio mortua.

Hæc fides non est mortua imaginatio, sed est illa fides, de qua dicitur. Iustificati pacem habemus. Item, Hæc est uita æterna, ut agnoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Item, Qui habet Filium, habet uitam, Sic enim accenditur hæc Fides, Filio dicente consolationem per uo-

per uocem Euangelij, & Spiritu sancto accendente lætitiam & pacem in corde. Vsitata est igitur nobis hæc definitio.

FIDES est assentiri uniuerso uerbo Dei, nobis tradito, atq; ita & promissioni gratiæ, Et est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, accedens ad Deum, uerè inuocans eum, & clamans Abba pater. *Fides quid sit.*

Sic intelligendum esse uocabulum Fidei certissimum est, ut multa illustria testimonia ostendunt, Romanos quinto. Iustificati fide pacem habemus. Ac noticia historiæ, qualis in Diabolis est, non affert pacem, imò auget pauores & desperationem. Quò enim certius sciunt Diaboli, Filium Dei iudicem esse, & se futuros esse in pœnis æternis, eò horribilius metuunt & oderunt Deum. Nec potest quicquam cogitari tristius aut peius, quàm creaturam sic in tota æternitate uicturam esse, ut habeat summam acerbitatem odij aduersus Deum, & uelit horribili furore, omnia contraria diuinæ uoluntati, omnia turpissima, & destructionem Dei & uniuersæ naturæ, si esset possibilis. Tales sunt Diaboli, & horum similes erunt homines damnati. Huius summi & infiniti mali cogitatione expauescant animi. *Noticia historiæ non affert pacem.*

Inde autem perspicuè intelligitur, longè aliam esse fidem, quæ credentibus pacem affert, id est, lætitiam acquiescentem in Deo propter Mediatorem. Loquitur ergo Paulus de hac Fide, qua sic amplecteris promissionem, ut credas tibi ipsi remitti peccata, teipsum reconciliari, Quæ Fides est assensio, qua accipis omnes articulos Fidei, & est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem. Quare Paulus ad Romanos quarto, correlatiuè connectit Promissionem & Fidem. Nominat igitur FIDEM hanc assensionem, quæ promissionem accipit. Nec dubium est, mandatum Dei esse, ut assentiamur promissioni: Sicut Iohannes inquit: Qui non credit Deo, mendacem eum facit. Vt igitur fide accipi promissio possit, docet Paulus eam non pendere ex conditione Legis. Hæc non possunt intelligi de sola noticia historiæ, ut aduersarij cæci, & falsis opinionibus fascinati contendunt.

ALIVD TESTIMONIVM.

Ephesios tertio, Declarat Paulus quid nominet Fidem plurimis uocabulis, quæ ostendunt, qualis sit motus accensus per Filium uoce Euangelij, & dato Spiritu sancto: Dicit enim Fidem talem esse, quæ non fugiat Deum, non fremat aduersus eum, Sed accedat ad eum, & quidem propter Mediatorem. Sic enim loquitur Paulus: Per quem audemus accedere in fiducia per fidem eius.

Necessariò igitur dicimus, Fidem & assensionem esse, quæ promissionem accipit, & esse fiduciam acquiescentem in Deo propter Mediatorem. Huc adiungantur dicta, Iustus fide sua uiuet. Item, Omnis qui credit in eum, non confundetur. Certè sola historiæ noticia nemo uiuit: Quare necesse est hanc fidem intelligi, quæ est fiducia misericordiæ propter Mediatorem promissæ. Nec turbentur pij cauillatione Sophistica eorum qui uociferantur, nos miscere uirtutes theologicas, Fidem & Spem, & disputant fiduciam esse actū spei. Ad hęc respondeo: Certū est reipsa has uirtutes seu motus nō posse distrahi. Sed tamē officijs propriis distinctę sunt. Fides & noticia est, & motus accensus à Spiritu sancto *Fides est assensio & fiducia.* *Fiducia est actus spei, quomodo intelligendum.* *Fides.*

sancto in uoluntate & corde, quo in præsentia uolumus & accipimus remissionem peccatorum, reconciliationem & uiuificationem, quæ fit per Filiũ & Spiritum sanctũ. Sed spes est certa expectatio, salutis æternæ, gratis dandæ propter Mediatorẽ, & mitigationis calamitatum in hac uita, iuxta consilium Dei: Estq; hæc expectatio motus in corde, accensus ā Spiritu sancto, sequens fidem, Sic propria cuiusq; uirtutis officia intelligantur & rectè discernantur.

Spes.

Ad enarrationem uocabuli Fides & hæc admonitio pertinet. Idem est dicere. Per misericordiam homines iustos esse, seu placere Deo, & dicere. Homines Fide iustos esse. Expressẽ autem & sæpẽ repetitæ sunt hæ sententiæ Psalmo sexto: Saluum me fac propter misericordiam tuam. Psal. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates &c. Item, Dixi confitebor aduersus me iniusticiam meam, & tu remittes impietatem peccati mei. Danielis nono. Non in iusticia nostra, sed misericordia tua propter Dominum exaudi nos. Sic & Moyses precatur Exodi 34. Domine Deus misericors, qui aufers inquitatem, & innocens coram te non est innocens. Et Ionæ secundo. Relinquentes misericordiam uana custodiunt.

Idem ualent, Fide iustificamur, & per misericordiam iustificamur.

Quoties autem misericordia nominatur, simul intelligi oportet promissionem & Mediatorem. Quia loquuntur Prophetæ de misericordia certa, & promissa propter Mediatorem. Idem est igitur dicere, Fide iustificamur. Quia promissionem Fide accipi oportet, & ei credentes acquiescimus in Mediatore, & statuimus nos propter ipsius obedientiam recipi & placere. Ideo Paulus Rom. 4. Fidem & Promissionem coniungit: Ideo ex fide gratis, ut firma sit Promissio. Et nos usitatè dicimus hanc propositionem, Fide iustificamur, intelligi correlatiuè pro ista, per misericordiam gratis propter Mediatorem placemus, Qui tamen ita nobis applicat sua beneficia cùm promissioni credimus.

Cùm nominatur misericordia includenda sunt promißio & mediator.

Hæc ideo dicenda sunt, ut natiua sententia retineatur in propositione, Fide iustificamur. Nam Origenes, Thomas, & multi alij deprauarunt Pauli sententiam, qui finxerunt Synecdochen, Fide iustificamur, id est, præparamur, ut postea simus iusti alijs uirtutibus, ut si quis dicat, Motus calefacit, id est, excusitat aliquid quo postea sumus calidi, Thomas hanc Synecdochen his uerbis expressit, Fide scilicet formata alijs uirtutibus sumus iusti, quod nihil aliud est, quàm dicere homines iustos esse suis operibus.

Synecdoche Thomæ falsa.

Osiander pro effectu nominat causam, Fide præparamur, ut postea simus iusti Deo habitante in nobis, nec recipit hanc interpretationem, Fide iusti sumus, uidelicet, per misericordiam propter Mediatoris obedientiam.

Osiander pro effectu causam nominat.

Simus igitur uigilantes in refutatione huius Synecdoches, & confirmemus nos in quotidiana inuocatione, illis ipsis exemplis Prophetarum. Non erras, quando inuocas ut Moyses, Dauid, Daniel, & cæteri Prophetæ. Hi omnes confugiunt ad misericordiam gratuitam, & hanc statuunt certam & promissam esse propter Mediatorem: Sic cùm tu quoq; inuocas, rectè inuocas. Hæc sæpẽ cogitanda sunt, ut contra illam Sophisticam Synecdochen confirmemur.

Deinde uerum est, cùm sustentamur & liberamur ex doloribus inferorum, adest filius Dei & uiuificat nos, Sed obedientia Mediatoris fide intuenda est, & propter illam statuas te certò placere: Et obedientia Mediatoris in infinitum anteferenda est illis nouis actionibus, quæ in te fiunt.

CONCLVSIO.

Rectè

Rectè explicatis uocabulis, recito propositionem, quæ est summa Euãgelij, recitata à Paulo Rom. 3. & deinceps. Propter Filium Dei Mediatorem, & quidem propter eius obedientiam, Gratis, non propter ulla nostra merita, accipimus in ueris pauoribus sola Fide remissionem peccatorum & reconciliationem, & in ea consolatione cùm Fide sustentamur, Filius Dei ipse in nobis est efficax, dicit consolationem uoce Euangelij, ostendit misericordiam Patris, & liberat nos ex doloribus inferorum, & dat Spiritum sanctum, ac reputamur iusti coram Deo, id est, accepti Deo propter obedientiam Mediatoris, & simul sumus hæredes uitæ æternæ propter Mediatorem, non propter nostram dignitatem aut nostras uirtutes seu opera.

Summa Euangelij Gratis propter obedientiam mediatoris, non propter nostra merita accipimus remissionem peccatorum.

Huius conclusionis testimonia propria & perspicua sint in conspectu, ut doctrinæ puritas conseruetur. Primùm propter gloriam Filij Dei. Deinde ut firmam consolationem teneamus, & Deum rectè inuocare possimus, fiducia Mediatoris.

TESTIMONIA.

Primùm. Act. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Hic Petrus affirmat, hunc esse consensum omnium Prophetarum, ut significet hanc perpetuam uocem esse promissionum in Ecclesia Dei, & quidem discernentem ueram Ecclesiam ab alijs gentibus & congregationibus.

Testimonia doctrinæ de iustificatione gratuita.

SECVNDVM TESTIMONIVM.

Rom. 3. principalis propositio his uerbis constituitur. Omnes peccauerunt, & carent gloria Dei. Iustificamur autem Gratis ipsius gratia per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per Fidem in sanguine eius. Initiò ut ostendat homines non esse iustos propria mũditia, inquit, Omnes esse reos, & carere gloria Dei, id est, sapientia & iusticia, quam Deus approbat, seu ducit esse gloriam, seu Deo ipso, seu præsentia Dei in nobis. Deinde addit quomodo reconciliemur: Iustificamur, id est, accipimus remissionem peccatorum, & reputamur iusti seu accepti Gratis, ipsius gratia, id est, misericordia gratuita propter Christum, quem proposuit Deus propiciatorem. Addit autem iustificamur in sanguine eius, id est, propter obedientiam ipsius. Sed hoc beneficium Fide applicari oportet.

Statuendum est igitur, quòd propter hunc propiciatorem, & quidem propter eius obedientiam, tibi uerè propicius sit Deus, non propter tuam dignitatem. Hæc Fides est fiducia, quæ pacem & uitam cordibus affert, ut suprà de Fide dictum est, quæ in Deo propter Mediatorem acquiescit. Deinde Paulus in quarto capite instituit confirmationem huius propositionis, & testimonia ac argumenta recenset. Primum testimonium sumtum est ex Genesi. Vt enim ostendat hanc perpetuam esse Ecclesiæ doctrinam, citat primam concionem, in qua expressè fit mentio Fidei & Iusticiæ. Allegat & illum uirum qui proponitur, ut ab ipso cæteri discant promissiones & uerum cultum Dei. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam.

Semper in conspectu sit Pauli Syllogismus in quarto capite ad Romanos,

Promissionem reconciliationis oportet esse certam,
Promissio pendens ex conditione Legis nobis est incerta,
Ergo

Syllogismus Pauli ad Rom. declaratus; quòd promissio reconciliationis si ex lege pendeat, sit incerta.

Ergo, Promissio reconciliationis non pendet ex conditione Legis, sed datur Gratis propter Mediatorem.

Maiorem in Syllogismo Paulus confirmat, inquiens, Lex iram efficit, id est, Lex semper accusat homines in hac naturæ imbecillitate, & ostendit nos non esse tales, quales esse præcipit. Non igitur affert consolationem, sed dolores animi fugientis Deum, & tristes fremitus, de quibus dicitur: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea, & Rom. 7. copiosè declaratur propositio hæc: Peccatum per Legem fit excellenter peccatum, id est, reum. Tunc enim reatus sentitur, cum Lege perterrefacti sentimus iram Dei, & 1. Corinth. 15. Aculeus mortis peccatum est, potentia uerò peccati lex est, id est, Peccatum quidem immediatè est causa mortis, & æternæ pœnæ, & est per se causa: tunc autem sentitur, quale malum sit, quando lege homines perterrefacti, sentiunt se propter peccatum à Deo abijci, & non uiuificari.

Hanc doctrinam de Lege Paulus opponit Pharisaicis opinionibus, & expressè postea inquit: Legi erat impossibile iustificare. Alia igitur uox est, annuncians reconciliationem, uidelicet promissio propter Mediatorem Filium, gratis offerens remissionem peccatorum & reconciliationem, & uiuificationem, quæ tunc fit in illa consolatione per Filium & Spiritum sanctum. Hunc totum Pauli Syllogismum omnibus familiarissimè notum esse oportet. Quia discrimen Legis & Promissionis gratiæ, quæ propria est Euangelij, & discrimen Ecclesiæ & Ethnicorum perspicuè ostendit.

Quare promissionem reconciliationis oporteat esse certam.

Deinde minorem sic declarat, uidelicet, oportet promissionem reconciliationis esse certam. Si enim non esset certa reconciliatio, nulla consolatio nota esset hominibus, & nullum discrimen esset Ecclesiæ Dei & Ethnicorum, Quia Ethnici etiam norunt Legem. Vt autem discrimen esset Ecclesiæ & Ethnicorum, tradita est alia uox præter Legem, scilicet promissio gratiæ, seu reconciliationis. Hanc qui audiunt & Fide amplectuntur, ij sunt uera Ecclesia Dei. Nec satis est nosse Legem, & uiuere in perpetua dubitatione, sicut Ethnici cogitant. Et prorsus Ethnico more iubent Papistæ te semper dubitare, an te recipiat Deus, & hanc imaginationem retinent. Deus legem dedit, hanc seruantes Deo placent. Ego fateor me non esse talem, qualem lex esse præcipit, ideo dubito an placeam Deo, & an me exaudiat. Hæc imaginatio est prorsus Ethnica, & delet promissionem gratiæ. Pugnat igitur Paulus de promissione, & affirmat eam esse certam oportere, & à Lege distingui, sicut inquit: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Hæc sunt perspicua, rectè institutis, & intelligentibus exercitia pœnitentiæ, quia certè oportet esse aliquam firmam consolationem, sed fascinati Pharisaicis opinionibus, hæc non intelligunt, & dubitationem Ethnico more retinent.

Recitaui aliquot illustria testimonia, sumta ex ijs locis, ubi hæc doctrina principaliter traditur, contra Pharisaica iudicia, & ex sede huius materiæ, Sicut in qualibet controuersia, quærenda est perpetua sententia scribentium, non tantùm excerpenda sunt mutilata testimonia.

Manifestissimum est autem omnes Prophetas & Apostolos retinere hanc propositionem uniuersaliter, de omnibus hominibus, excepto Christo. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item, Omnes egent gloria Dei.

Posita

Posita hac negatiua uniuersali de personis: Sequitur altera de misericordia: Sicut Daniel coniungit, Non in iustitia nostra, sed in misericordia tua propter Dominum exaudi nos: Item, Psalmo 6. Saluum me fac propter misericordiam tuam. Item, Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam, & tu remittis impietatem peccati mei, &c. Hoc modo uniuersaliter accedunt ad Deum omnes sancti, ut ad Romanos et Ephesios sic dicitur. Per hunc habemus accessum fide. Item, Propter unius obedientiam iustificantur multi. Sic & nos accedamus ad Deum.

His fontibus cognitis intelligi potest, sententiam quæ in nostris Ecclesijs proponitur, perpetuum consensum esse, expressum in omnibus scriptis Propheticis & Apostolicis. Sicut & Petrus perpetuum consensum citat: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, &c. Ideo firmissimè complectamur hanc sententiam, & non sinamus nobis eripi, aut Pharisaicis deliramentis Papistarum, aut alijs præstigijs eludi.

Sententia nostrarum Ecclesiarum perpetuus consensus est Prophet: & Aposto:

Hic rursus etiam consideremus, quare necesse sit, retineri particulam exclusiuam, Gratis uel sola Fide. Vsitatum est autem nobis propter iuniorum commonefactionem, recitare quatuor causas, propter quas necesse est retineri exclusiuam.

Causæ quare sit retinenda particula gratis.

Prima est, ut Mediatori filio Dei tribuatur debitus honos, quòd propter ipsum Gratis, non propter nostram dignitatem ullam accipiamus remissionem & reconciliationem. Quia hic est honos solius Filij Dei tollere peccatum iuxta dictum: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. I.

Secunda est, ut nostræ mentes teneant firmam consolationem: Quia si penderet remissio ex dignitate nostra, fieret incerta: Sicut & Paulus dicit, Ideo ex Fide gratis, ut sit firma promissio &c. II.

Tertia, ut sit illustre discrimen Legis & Euangelij: Quia particula Gratis propter Christum, discernit Legem & Euangelium. Lex enim non habet gratuitas promissiones, sed semper postulat integram obedientiam. III.

Quarta causa, ut possit fieri inuocatio ad Deum. Quia omnes sentimus in Inuocatione turbari corda, cogitatione indignitatis nostræ, iuxta hoc dictum: Peccatores Deus non exaudit. Semper igitur necesse est in Inuocatione primùm nos confirmari cogitatione gratuitæ promissionis, quæ in conuersione remissionem & reconciliationem offert credentibus in Filium, etiamsi manent in nobis reliquiæ peccati, ut hæc alibi copiosius declarantur. IIII.

DE NOVA OBEDIENTIA
SEV DE BONIS OPERIBVS.

NON ideo ingentem iram Dei sustinuit Mediator, sudans sanguinem et moriens in cruce, ut confirmetur peccatum in hominibus, et sit licentia omnium scelerum: Sed ut Peccatum et Mors reipsa deleantur in homine, et incoëntur æterna uita, et æterna lux, sapientia et iusticia in homine, et homo rursus fiat templum Dei, Sicut inquit Filius: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum ueniemus, et mansionem apud eum faciemus. Et Rom. 8. dicitur: Si quis Spiritum Christi non habet, hic nõ est eius. Sciamus igitur, sic fieri remissionem peccatorum et reconciliationem, seu iustificationem fide, ut simul fiant regeneratio et uiuificatio, Sicut et Dominus in-

Simul fiunt reconciliatio & regeneratio ac uiuificatio.

nus inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Et Petrus inquit: Regenerati estis per Verbum uiuum Dei, & manens in seculum. Et 1. Iohan. 3. Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, Quia Semẽ eius in eo manet. Sic autem fit Regeneratio, & sic fit homo templum Dei. Sicut Adam in prima consolatione, sensit sese ex morte liberari: Auribus accepit foris uocem promissionis: cum hac uoce simul Filius Dei est efficax, dicit consolationem, ostendit hanc esse uoluntatem Dei, ut Adam habeat remissionem, uiuificat eum, & cõfirmat assensionem, ac effundit Spiritum sanctum in cor Adæ, qui cùm sit lætitia, iam lætatur Adam in Deo rectè agnito, seu agnita misericordia, & accenduntur motus tales, qualis est ipse Spiritus sanctus, iuxta dictum: Dabo Legem meam in corda eorum.

Exemplum Dauidis conuersi.

Eodem modo de Dauide, & de omnibus qui uerẽ conuertuntur ad Deum cogitandum est. Dauid auribus accipit hanc uocem, Dominus abstulit peccatum tuum: Cum hac uoce simul Filius Dei λόγος in mente Dauidis est efficax, dicit consolationem, & ostendit hanc esse uoluntatem Dei, ut Dauid habeat remissionem peccatorum, & iam fit reconciliatus, & uiuificat eum, ac confirmat assensionem, & simul effundit Spiritum sanctum in corda Dauidis, quo lætatur Dauid in Deo, agnita iam eius misericordia: Sicut inquit: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.

Quomodo tres personæ in ministerio.

Hæc mutatio est regeneratio seu uera conuersio ad Deum, & quomodo simul sint tres personæ, piè considerandum est. λόγος dicit consolationem, & ostendit hanc esse uoluntatem Patris, ut simus recepti, & lucet in mente, ut assentiamus. Et Pater per Filium dat Spiritum sanctum, ut scriptum est: Dans dona hominibus. Et Act. 2. Promissionem Spiritus sancti accipiens à Patre,

Dicit igitur Athanasius: In quocunq; homine est Spiritus sanctus, in eo est per Filium, & quia prius agnosci oportet Mediatorem, quõd propter ipsius obedientiam recipiamur, & quia cum uerbo uocali Filius est efficax, & dat Spiritum sanctum. Et Paulus inquit ad Galatas, ut promissionem Spiritus accipiamus per Fidem. Et Ephe. 3. Vt habitet Christus per Fidem in cordibus uestris, id est, λόγος adsit in uobis, ostendat uoluntatem Patris, & sit efficax, & uos ita transformemini, ut noticia & affectus fiant similes Filio Dei, qui est imago æterni Patris, Sicut de transformatione dicitur. 2. Corinth. 3. Hæc renouatio seu regeneratio seu conuersio fit, cùm in ueris doloribus accipitur remissio peccatorum, & reconciliatio, fide. Inde perspicuè intelligi potest, nouã obedientiam necessariam esse. Nec uocabulum necessitas propriè significat uiolentam coactionem, ut indocti sæpè interpretantur, ut cùm dicitur: Latro captus necessariò desinit latrocinari, ubi necessitas significat coactionem foris accidentem etiam cùm uoluntas repugnat. Sed cùm inquit Paulus, Debitores sumus, intelligit necessitatem, ordinem à Deo sancitum, quo creatura subiecta est Creatori, quo uult Deus immutabiliter, ut & uolens obtemperet creatura rationalis, & sciat non esse faciendum contra illum ordinem.

Quinq; sunt quæstiones de bonis operibus seu de noua obedientia.

Hæc relinquo considerationi piorum & eruditorum: Sequar autem usitatam dispositionem, in doctrina de bonis operibus, seu de noua obedientia, iuxta has quæstiones:

I. Quæ opera sint docenda & facienda.
II. Quomodo fieri possint.
III. Quomodo placeant.

IIII. Qua-

IIII. Quare facienda sint.
V. Quod sit discrimen peccatorum, cùm necesse sit fateri, quòd in hac uita magna sint peccata in sanctis.

DE PRIMA QVÆSTIONE.

Quæ opera sint docenda & facienda?

Opera in uerbo Dei præcepta sunt facienda.

Respondeo. Illa quæ præcepta sunt in Verbo Dei, ac summa comprehensa est in Decalogo, rectè intellecto: Sicut Ezech. 20. dicitur: In præceptis meis ambulate. Vult enim Deus normam certam in Ecclesia conspici, & semper in Ecclesia, inde usq; ab initio generis humani doctrina Decalogi fuit. Ac tenendæ sunt perspicuæ confirmationes, contra Antinomos & Anabaptistas, qui deleta hac norma, concedunt infinitam licentiam contra uocem diuinam. In præceptis meis ambulate. Item, contra dictum Iohannis, ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Item contra dictum: Si uis ingredi in uitam æternam serua mandata. Item, Per Fidem Lex stabilitur.

In sola Ecclesia mansit incorrupta uox legis.

Nec opus est longa disputatione. Quia manifestum est propriam uocem Ecclesiæ esse, doctrinam de pœnitentia, arguentem peccata, ad quam partem opus est uoce Legis, iuxta dictum: Per Legem cognitio peccati. Nec dubium est semper in uera Ecclesia Dei mansisse uocem Legis incorruptam. Quod quidem & illustre testimonium est, solam Ecclesiam esse cœtum Deo placentem. Quia etiam ratio naturalis intelligit impossibile esse placere Deo, sectam probantem aliqua peccata contra Legem Dei, Sicut Ethnici approbauerunt confusiones libidinum, homicidia in ludis gladiatorijs: Item manifestam Idolatriam: Sicut & Papa manifestam Idolatriam approbat, delet præceptum: Non concupisces: Corrumpit præceptum, Non mœchaberis &c. Sciendum est autem in renatis, non tantùm externam obedientiam esse, sed etiã incoari interiorem obedientiam: Quia Spiritus accendit iam tales motus, qualis ipse est, qui quidem sunt congruentes cum Lege Dei.

Opera interiora pertinentia ad primũ & secundum præceptum.

Præcipuè autem considerentur opera interiora, quæ ad primum & secundum Præceptum pertinent: ut ad primum hęc pertinent, uera agnitio Dei, id est, uero assensu & firma fide amplecti totam doctrinam ã Deo traditam, uerè credere comminationibus, & perterrefieri agnitione iræ Dei. Rursus etiam credere promissioni gratiæ, & erigi Fide, id est, fiducia Mediatoris, & lætari in Deo. Hæc fides dilectionem parit, qua uoluntas iam se subijcit Deo, & habet bonum propositum obediendi Deo, iuxta omnia præcepta. Coniunctæ sunt cum fide & lætitia in Deo, Spes & Patientia. Item, cum Timore & Fide coniuncta est uirtus, quæ nominatur humilitas, quæ est in agnitione propriæ infirmitatis uerè timere Deum, & expauescere agnitione iræ Dei contra peccata, & sordes nostras, & est non erumpere extra uocationem, & tamen in uocatione, fiducia auxilij diuini seruire, & fateri præsentiam & auxilium Dei, & non despicere aut premere alios, sed singulis suo loco honorem tribuere, nec fremere aduersus Deum cùm punit. Ita hæc uirtus ex multis composita est.

Ad primum & secundum præceptum pertinent, uera agnitio Dei, gratiarum actio, confessio, propagatio doctrinæ. Diligenter autem cognoscenda est enarratio Decalogi, ut aliquo modo cogitari possit, qualis sit interior obedientia, & quæ sint præcipuæ uirtutes iuxta singula præcepta, & quod sit discri-

& quæ sint præcipuæ uirtutes iuxta singula præcepta,& quod sit discrimen Ecclesiæ & prȩstantium Ethnicorum,ut Scipio est honestus Princeps,sapiens Senator,& Dux fortis & felix. Hæc omnia sunt & in Dauide, sed accedunt alia, Dauid est domicilium Dei,qui accendit in eo nouam lucem uerbo, scilicet noticiam ueram Dei, & assensionem Spiritu sancto confirmat, accendit timorem Dei,fidem,læticiam acquiescentem in Deo,spem,ueram inuocationem, petitionem auxilij in omnibus prælijs,& reliqua uita,gratiarum actionem, confessionem & propagationem doctrinæ,humilitatem,patientiam. Et tota obedientia interior & exterior in Dauide refertur principaliter ad Deum, & ut ipsi obediat,præstet ei ueros cultus,& alij confirmentur in uera agnitione Dei, & simul cum ipso Deo gratias agant, & confirmati exemplis liberationum Dauidis,inuocent & ipsi ardentius.

II. QVÆSTIO.

Quomodo possint fieri bona opera?

Sæpẽ dictum est suprã, reliquam esse in homine non renato libertatem utcunq; regendæ Locomotiuæ,sicut usitatẽ loquimur. Quare potest homo aliquo modo externas actiones facere congruentes Legi Dei: Quanquãm hæc libertas languidior est in hac infirmitate naturæ hominum,& sæpissimẽ impeditur insidijs Diabolorum.Sed de interiore obedientia sciendum est,uidelicet, de uera agnitione Dei,de uero timore,de uera fiducia Mediatoris,de lætitia in Deo & dilectione Dei, de firmitate fidei in periculis, hanc interiorem lucem, & motus congruentes Legi Dei, non posse incoari sine Euangelio, & nisi ipso Deo trahente,mouente & renouante mentem & cor, quod ita fit: Ipse Filius Dei est efficax uoce Euangelij in mente tua, & ostendit uoluntatem patris, & simul effundit Spiritum sanctum in cor,ut assensionem confirmet,exuscitet Timorem, Fidem, Dilectionem Dei, & flectat cor ad inuocationem, & adiuuet omnes uires,etiam ad regendas actiones externas. Ipse etiam Filius Dei potenter depellit Diabolos insidiantes, menti dat bona consilia in rebus dubijs cogitatione doctrinæ,& cor in bonis consilijs confirmat Spiritu sancto, & ducit ad occasiones salutares,ut Dauidi dat consilium ne interficiat Saulem. Et in hoc consilio confirmat eum Spiritu sancto, & exitus est salutaris. Inquit igitur Filius Dei, Sine me nihil potestis facere,id est, nullas actiones salutares. Item, Apparuit Filius Dei,ut destruat opera Diaboli. Et de Spiritu sancto dicitur: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Et Rom.8. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum,clamantem Abba pater. Item, Si Spiritus Christi non est in uobis, non estis ipsius.

Interior obedientia non potest incoari sine Deo.

Quomodo incoẽtur interior obedientia.

Et de Filio & de Spiritu sancto dicitur in Epistola Iohãnis,In hoc scimus, quõd filius sit in nobis, & nos in eo, quia de Spiritu suo dat nobis. Itaq; totis pectoribus damnamus & detestamur Pelagianos & similes omnes, qui tantũ habent Philosophicas imaginationes de impletione Legis.Cogitant Legi Dei satisfieri externa obediẽtia,& dicũt LegiDei posse satisfieri sine Spiritu sancto, & illam externam obedientiam affirmant esse iusticiam coram Deo, & meretur remissionem peccatorum & uitam æternam,delent beneficia Mediatoris, & tollunt Spiritum sanctum, & abolent ueram Dei agnitionem & inuocationem; Sunt ingrati Deo pro summis beneficijs, & peccatum & potentiam Diaboli

Pelagianæ & Philosophicæ imaginationes quæ.

boli in hominibus confirmant. Sciamus igitur execrandos esse Pelagianos,& eorum similes, qui transformant Ecclesiæ doctrinam in Philosophicas imaginationes. Et aliqui apertè scripserũt,idem dicere Philosophos,cùm distinguũt hominis uires in affectus et rationem, et Paulum, cùm distinguit carnem et Spiritum. De his blasphemis mendacijs necesse est iuniores præmoneri. Nam Caro significat omnes uires naturales sine regeneratione,sensus,affectus & rationem. Sed Spiritus in hoc proposito,significat ipsum Spiritum sanctum personam diuinam,quæ effunditur in corda credentium, De qua Filius inquit,Ioan.14.Rogabo Patrem,& dabit uobis alium paracletum,ut maneat uobiscum in seculum, Spiritum ueritatis, quem mundus non potest capere, quia non uidet eum,nec nouit eum,Vos autem nouistis. Dolendum est tantas esse tenebras hominum, ut nec propriam imbecillitatem, nec ingentia Dei beneficia considerent.

Caro & Spiritus apud Paulum quid significet.

Intueamur & nos ipsos, & totam mundi historiam, singuli aliqua uulnera non parua habemus, ut sentimus multos morbos in nobis, dubitationes & prauos affectus: Sicut Hieremias inquit:Cor hominis peruersum est & ærumnosum. Deinde insidiæ Diaboli,quales sint,ostendunt horrendi lapsus primorum parentum,Saulis,Dauidis, & furores omnium impiorum, quos tenent Diaboli captiuos. Ac alij fanaticis opinionib.fascinati,sese & multos alios perdunt, alij cœci ruunt in libidines, alij furentes ambitione, aut cupiditate uindicte mouẽt seditiones &iniusta bella. Ac nota sit tristissima concio de nostris periculis: Circumit Diabolus,tanq; Leo rugiens,quærens quem deuoret. Aduersus hæc tanta mala,Deus seipsum nobis immensa bonitate offert,mittit Filium, ut ira placata remittantur peccata, & per Filium uoce Euangelij colligatur Ecclesia,& potenter seruetur contra furores Diabolorum, sicut inquit:Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

Filius Dei mititur auxiliator contra mala generis humani.

Hic Filius est umbraculum,propiciatione,perpetua intercessione,& gubernatione, quia docet mentes,& regit consilijs, & Spiritu sancto accendit nouos motus in cordibus, congruentes Legi Dei, & ea confirmat contra illecebras peccatorum, ne ruant, Sicut confirmantur Ioseph, Dauid in præliando, Helias,Helisæus in reprimendis blasphemis,Martyres in confessione & perferendis supplicijs.Et affirmat Deus,se uelle nobis adesse,& in afflictis inuocantibus ipsum habitare. Psalm.90. inquit: Cum ipso sum in tribulatione. Psalm. 33. Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde &c. Hanc tantam bonitatem grati agnoscamus & celebremus, & sciamus uelle Deum peti hæc beneficia,& nos ad inuocationem & ad gratiarum actionem exuscitemus, sicut mandatum est,Petite & accipietis. Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item,Orate ne intretis in tentationem.

Pertinet ad promissiones auxilij & hæc sententia: Deus est qui efficit in uobis & ut uelitis,&ut perficiatis,ut aliqua ipsi grata fiant,id est,Deus non uoluit perire totum genus humanum, sed misit Filium, ut sit Redemtor & Saluator,dedit uocem Euangelij & Spiritum sanctum, ut trahat & conuertat homines. Hæc non ideò tantùm facit,ut initia conuersionis fiant: Sed ut perficiatur totum beneficium saluationis, ut ædificans non tantùm initia molitur, sed domum uult extruere totam. Sic argumentatur Paulus à principio ad beneficij perfectionem,ut consoletur & confirmet nos, ne in medio cursu fracti magnitudine onerum deficiamus,ut cogitandum fuit Moysi,Dauidi,&omnibus sanctis.

Dictum Pauli, Deus qui efficit ut uelitis: pertinet ad promissionem auxilij.

ctis. Deus eduxit te in hanc molem periculorum. Voluit autem non tantũm initia fieri, sed multõ magis perfici beneficia. Addit igitur ut aliqua ipsi in genere humano grata fiant, quasi dicat. Ideò colligit æternam Ecclesiam Deus, ne totum genus humanum pereat, & sit simile Diabolis in tota æternitate contumelia ipsum afficientibus, sed uult esse aliquos, qui ei in hac uita & post hanc uitam grata faciant, qui rectè de ipso sentiant & doceant, qui inuocent eum, & quibus uicissim sese, suam sapientiam, iusticiam & læticiam in tota æternitate communicet, ut sint ipsi conformes.

Sic ad consolationem de auxilio tradita est hæc sententia Pauli, nec est assingenda Manichæa uel Enthusiastica imaginatio, ocioſos & indulgentes uoluptatib. expectare debere uiolentos raptus ad benefaciendum. Imõ trahit Deus, sed uolentem trahit, & in renatis incoatur restitutio libertatis in uoluntate, qui in uera inuocatione discunt præsentiam Dei tripliciter.

Tripliciter in uera inuocatione sentitur et discitur præsentia Dei.

Primõ, sentiunt consolationem in corde in conuersione, ut dicitur: Iustificati fide pacem habemus, quæ uerè est testimonium præsentiæ Spiritus sancti, iuxta dictum: Accepistis Spiritum clamantem Abba pater. Item, Vos non uistis Spiritum sanctum.

Secundò, sentiunt & auxilium in ipso labore, ut dicitur: Spiritus opitulatur infirmitatibus nostris.

Tertiò, cognoscunt in euentu Deum fuisse gubernatorem, iuxta hæc dicta: Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Item, Iste pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum. Item, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me.

III. QVÆSTIO.

Quomodo placet noua obedientia incoata?

Diuersi gradus hominum. Securi.

Diuersissimi gradus sunt hominum. Alij securi uiuunt in sceleribus contra conscientiam, qui nihil anguntur, cùm tamen audiant hæc fulmina: Scortatores, adulteri, homicidæ, non possidebunt regnum Dei. Hi sciunt, & fateri coguntur se displicere Deo.

Hypocritæ.

Alij Hypocritæ iactitant se facere Legem Dei & placere Deo propter externam disciplinam, sicut Pharisæus apud Lucam. Sic Papistæ dicunt, renatos satisfacere Legi Dei, & posse esse sine peccato.

Dubitantes.

Tertius gradus est eorum qui conuersi sunt ad Deum, & habent initia timoris & fidei, & cùm sentiunt infirmitatem suam, quàm frigida sit inuocatio, quàm multæ errantes flammæ cupiditatum, quanta ignorantia, quàm multa errata in uocatione, quàm multæ prætermissiones officij, ualdè excruciantur & disputant, An & quomodo placeant Deo.

Hic Papistæ delent totam doctrinam de fide, & dicunt, semper dubitandum esse. Hæc humana & Ethnica imaginatio est doctrina contemtus Dei & desperationis. Nam uiuens in tali dubitatione an Deo placeat, uiuit sine inuocatione, & tandem opprimitur desperatione, & pugnat hæc dubitatio cum his dictis: Per hunc audemus accedere in fiducia, per Fidem Iesu Christi. Item, Quomodo inuocabunt nisi credent.

Noua obedientia placet in conuersis fide propter mediatorem.

Sit igitur breuis & perspicua responsio. Noua obedientia seu bona opera in conuersis seu renatis placent Fide propter Mediatorem. Hæc responsio declaretur his tribus membris.

Primum

Primùm ſtatuat conuerſus perſonam iuſtam eſſe, id eſt, acceptam Deo & placentem, gratis propter Mediatorem, Sola Fide, non propter propriam Legis impletionem.

Secundò, agnoſcat & fateatur conuerſus, ſe nequaquàm Legi Dei ſatisfacere, & adhuc circumferre in ſeſe peccata, magnam caliginem, ignorantiam, dubitationem, nec in mente lucem fidei & firmitatem eſſe tantam, quanta eſſe debeat, nec in corde timorem qualis eſſe debet, nec ardentem dilectionem, & lætitiam in Deo, nec inuocationem, nec gratiarum actionem ſatis ardentem: & multas eſſe flammas errantium cupiditatum, ualdè multa peccata ignorantiæ & omiſſionis: & uerè doleat, tantam eſſe molem peccati reliquam in nobis, nec naturam hanc integrè obedire Deo, nec integrè lætari in eo, & habere multa peccata, quæ reuera Deo diſplicent, & languefaciunt Inuocationem, ſicut Paulus queritur, ſe captiuum rapi Lege peccati.

Tertiò ſciat conuerſus, quanq; non ſatisfacimus Legi Dei, tamen Deum uerè & immutabiliter uelle, ut incoëtur obedientia, & ad eius incoationem, effundere in corda Spiritum ſanctum, & placere Deo incoatam obedientiam, non propter dignitatem, Sed Fide propter Mediatorem, qui & intercedit pro nobis aſſiduè, & eſt umbraculum tegens infirmitatem noſtram, ſicut Petrus inquit: Offerte hoſtias ſpirituales, acceptas Deo per Ieſum Chriſtum. Hac breui reſponſione complectimur doctrinam de hac quæſtione, Quomodo placeat noua obedientia, cùm ſit mutila & languida. De hac quæſtione, cùm uetuſtas multa obſcurè diſputauerit, fontes diligenter conſiderandi ſunt, qui paſſim in Prophetis monſtrantur, & ad Romanos ſexto, 7. & 8. cap: copioſè illuſtrati ſunt. *Fontes doctrinæ de quæſtione quomodo placeat noua obedientia.*

Primùm taxatur horribilis impietas & ſecuritas, quæ fingit non neceſſariam eſſe nouam obedientiam.

Secundò taxatur arrogantia Hypocritarum, qui putant ſe Legi ſatisfacere, & ſe & opera propter propriam dignitatè placere, ſicut ſeſe admiratur Phariſæus Lucæ 18.

Tertiò. Monemur de uera humilitate, cùm agnoſcimus infirmitatem noſtram: Sicut Iob clamitat, Verè ſcio, quòd non ſit iuſtus homo coram Deo.

Quartò, oſtenditur amplitudo miſericordiæ Dei, recipientis propter Filium hanc mutilam & mendicam obedientiam in tuis moribus, in quibus ipſe cernis multum eſſe ſordium.

Quintò accenduntur corda ad inuocationem, & ad ſtudium benè operandi, Cùm ſciamus uelle Deum nos non deterreri ab inuocatione propter noſtram infirmitatem, & uelle nos non eò ſegniores eſſe in benè operando, quia cogitamus operum imperfectionem.

Tenenda ſunt igitur teſtimonia de utraq; propoſitione. De priore: In renatis in hac uita manent peccata, teſtimonia ſunt illuſtria, Pſal. 147. Nõ intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Iob. 9. Verè ſcio, quòd non ſit iuſtus homo coram Deo: Et longa declaratio extat Rom. 7. Sciamus igitur oportere abeſſe arrogantiam, qualis eſt in Phariſæo Lucæ 18. qui putat ſe Legi ſatisfacere, & ſine peccato eſſe: Sed addenda eſt etiam conſolatio, uidelicet altera propoſitio: Conuerſi placent Deo, & exaudiuntur à Deo, etiamſi adhuc hærent in eis reliquiæ peccati. Teſtimonia illuſtria ſunt, Roman. 8. Nulla nunc condemnatio eſt his, qui in Ieſu Chriſto am- *Teſtimonia quòd renatis in hac uita maneant peccata.*

Testimonia quòd conuersi exaudiantur à Deo etsi habẽt reliquias peccati.

sto ambulant, quasi dicat, quanꝯ sentio aliam Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ, tamen nulla condemnatio est ambulanti in Christo, id est, conuerso, iam placenti fide propter Mediatorem, & uiuificato per eum. Et Rom. 5. Iustificati Fide pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus in gratiam hanc in qua stamus. 1. Petri 2. Offerte hostias spirituales placentes Deo per Iesum Christum, quasi dicat, placentes non propter propriã dignitatem, sed propter summum sacerdotem Filium, qui, quid maius petere potest, quàm cùm dicit, Sit dilectio tua in eis, qua me diligis. Sic & Paulus inquit: Dilexit nos in dilecto. Rom. 6. Non estis sub Lege sed sub Gratia. Ibi hoc ipsum quæritur, an placeat obedientia cùm Legi non satisfaciamus. Respondet placere, Quia sumus in gratia propter Mediatorem, per quem habemus iam hoc beneficium, ne simus sub Lege, id est, captiui & condemnati. Nam sub Lege esse, est condemnatum esse à Lege. Rom. 8. Quis nos condemnabit? Christus pro nobis mortuus est, & resurrexit, qui est ad dexteram Dei & intercedit pro nobis, id est, placent conuersi propter CHRISTVM, qui & uictima fuit, & nunc semper offert sui sacrificij satisfactionem, & pro nobis precatur, sicut dicitur: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ephes. 3. Per quem habemus audaciam & accessum in fiducia per Fidem Iesu Christi, id est, fiduciam accedentem & inuocantem Deum propter Mediatorem Filium, propter quem hæc inuocatio placet. Colos. 2. In Christo consummati estis, id est, etiamsi renati nondum satisfaciunt Legi, tamen sunt iusti & placent Deo, propter Filium Fide.

Hic agnoscamus & celebremus amplitudinem misericordiæ Dei, quod uidelicet in reconciliatis hanc mutilam, mendicam & squalidam obedientiam tamen recipit & ipsos diligit & exaudit, Sicut Dominus inquit: Pater meus diliget eos. Item, Sit dilectio tua in eis, qua me diligis. Rom. 14. Qui in his seruit Christo beneplacebit Deo. Hebræ. duodecimo, Ideò regnum accipientes quod destrui non potest, retineamus gratiam, per quam seruiamus placentes Deo, cum reuerentia & circumspectione: Iubet retineri gratiam, id est, non amitti fundamentum nec ruere in scelera contra conscientiã, & affirmat placere obedientiam propter gratiam, uidelicet propter Mediatorem. Sic postea capite 13. dicit: Per quem offerimus sacrificium laudis omni tempore Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & communicationis ne obliuiscamini: Tales enim hostiæ placent Deo.

His & similibus testimonijs confirmemus nos contra diffidentiam & segnitiem. Ideò enim in Inuocatione trepidamus, & negligentius omnia facimus, quia remoratur nos conspectus nostræ indignitatis quo mouemur ut cogitemus: Cur inuocas? cur multum uis conniti? cùm fortassis non exaudiaris, nec placeat tuus labor. Sicut Petrus inquit: Egredere à me Domine quia peccator sum.

Vtrunq; cogitandum est, & indignos nos esse, & tamen accedendũ esse ad Deũ fiducia mediatoris.

Contrà uerò utrunq; cogitandum est, & indignos nos esse, & tamen accedendum esse ad Deum fiducia Mediatoris, sicut Ephesios 3. dicitur, & certò statuendum est, recipi, diligi & exaudiri nos. Psal. 33. dicitur, Accedite ad eum & illuminamini, & facies uestræ non confundentur. Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum. Et Dominus inquit Lucæ 18. Semper orate, & non fiatis languidi. Item, Petite & accipietis,

accipietis. Et Syraci. 7. μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν τῇ προσευχῇ σου, id est, non sic accedas ad Deum, ut trepides dubitatione an te recipiat & exaudiat, aut an uelit tam multa & tam magna largiri, quæ pro te & alijs petis.

IIII. QVÆSTIO.

Propter quas causas noua obedientia retinenda sit seu bona opera facienda?

Semper retinenda est perspicua doctrina & asseueratio, quòd nostræ uirtutes & bona opera non sint meritum remissionis peccatorum, neq; reconciliationis, neq; uitæ æternæ, sed quòd hæc beneficia certò propter Filium Dei Gratis dentur credentibus, uidelicet, remissio peccatorum, reconciliatio & hęreditas uitæ æternæ. Roman. 6. Donum Dei uita æterna per Christum Iesum Dominum nostrum. Ephes. 2. Gratis saluati estis per Fidem. *Bona opera nõ sunt meritũ remissionis peccatorum.*

Simul autem propositio uera est, Noua obedientia est necessaria. Et rectè intelligantur uocabula, Noua obedientia seu bona opera intelligantur non tãtùm de externis operibus, sed prius de interiore luce & nouitate. Et insulsum est necessaria interpretari extorta coactione uel metu pœnarum: Sed necessitas significat ordinem quem sapientia & iusticia Dei immutabiliter sanxit, ut creatura Deo obtemperet. Sic & debitũ intelligatur, non extortum coactione uel metu pœnarum, sed ordo, quem Deus immutabiliter sanxit. Sic Paulus inquit: Debitores sumus. Scio quosdam petulanter ludos & præstigias quærere in harum uocum deprauationibus, qui cum non habeant studium Veritatis, nolo cum eis rixari, tantùm breuiter hæc moneo de natiua significatione uocum, & iuniores adhortor, ut rectè loqui & iudicare studeant. Impropria enim & Ambigua pariunt errorem. *Noua obedientia est necessaria.* *Necessitas significat ordinem quẽ Deus sanxit.*

Sic igitur dico. Noua obedientia est necessaria necessitate ordinis causæ & effectus, item necessitate debiti seu mandati. Necessitas ordinis causæ & effectus sic intelligatur, cùm fide accipitur Spiritus sanctus, fit uiuificatio, & lætitia in Deo, & accenduntur tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus. Est igitur hoc ordine nouitas necessaria, ut si dicas, Aquam calefactam necessariò calere & calefacere. Sic Iohannes inquit: 1. Iohan. 3. Omnis natus ex Deo peccatum non facit, quia semen Dei in eo manet. Item, Omnis qui non facit iusticiam, non est ex Deo. Hæc dicuntur propriè de hac necessitate quæ est ordo causæ & effectus. Altera necessitas est debiti seu mandati, Quia manet debitum, id est ordo immutabilis, ut creatura Deo obtemperet. Nec liberatio à Lege est talis laxatio, ut Lex, id est sapientia & iusticia in Deo desinat, quæ ordinat, ut rationalis creatura sit ipsi conformis. *Noua obedientia est necessaria necessitate ordinis causæ & effectus. Primo.* *II. Necessitas debiti seu mandati.*

Cùm igitur fit reconciliatio, fit ideò, ut restituatur conformitas cum Deo, sicut Paulus inquit: Per fidem Legem stabilimus. Habet igitur & conuersus latro in cruce nouam obedientiam & bona opera, est in eo pœnitentia integra, & audita consolatione fide erectus, habet iam nouam & magnã lucem de Messia, & incipit Deum diligere, lætatur in Deo, inuocat eum & ei gratias agit, subijcit se ei in pœna, ostendit etiam testimonia confessionis, obiurgat impium latronem, & iam conuersus fit templum Dei. Insulsum est somniare non esse lucem & uirtutes diuinitus accensas in eo. *Reconciliatio fit ut restituatur conformitas cum Deo.*

Necessitas retinendæ fidei.

Ex his gradibus necessitatis, sequuntur & alij. Necessitas retinendæ fidei, Quia cùm fiunt peccata contra conscientiam, Spiritus sanctus expellitur: Et lapsus contra conscientiam rursus fit reus iræ Dei & pœnæ æternæ, ut clarè dicitur 1. Iohan. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est. 1. Cor. 6. Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidæ &c. non possidebunt regnum Dei, &c. Est & hæc necessitas considerandæ ex ordine partium conuersionis, quod ne potest esse quidem Fides in ijs, qui sunt sine pœnitentia, & perseuerant in delictis contra conscientiam. Ideò dicitur in iuramento, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. 1. Cor. 6. Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidæ, non possidebunt regnum Dei.

Necessitas ex ordine conuersionis.

III.

Necessitas uitandi pœnas.

Tertia necessitas est uitandi pœnas temporales & æternas, quia lapsi, qui non rursus conuertuntur, ruunt in pœnas æternas. 2. Pet. 2. Fiunt eis posteriora prioribus deteriora, & sunt sicut canis rediens ad uomitum.

Calamitates sæpè sunt pœnæ certorum lapsuum.

De temporalibus pœnis sciendum est plurimas magnas calamitates in genere humano priuatim & publicè pœnas esse certorum lapsuum, etiam in his, qui sancti fuerunt, & postea redeunt ad pœnitentiam. Quanquàm enim pœnæ mitigantur agentib. pœnitentiam, & Deus in ira recordatur misericordiæ, quod certissimum est, tamen etiam ostendit testimonia iræ aduersus peccata, & multos lapsus seuerè punit, ut Eccles. 8. dicitur: Non erit impunita impietas: Vt propter Dauidis adulterium & homicidium, secuta est horribilis sedition mota à filio &c.

Cultus Idoli permissus à Salomone causa fuit dilacerationis regni, quæ postea præbuit occasionem bellis sine fine.

Propter Manasse bellum illatum est patriæ. Denicq; tota uita priuatim & publicè, plena est exemplorum, ut de pœnis electorum dicitur, Psal. 88. Visitabo in uirga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eis. Et in genere dicitur: Ierem. 22. Quare sic fecit Deus huic magnæ ciuitati? Quia Deum reliquit &c. Et in Psalmo, Propter iniquitatem corripis filios hominum. Psalm. 106. Propter iniusticias suas humiliati sunt. Item, Psalm. 72. Propter iniquitatem suam perierunt. Mich. cap. 7. dicit de Ecclesia, Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Et Daniel inquit, Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei nostræ &c. Et explodenda est illa frigida, Sophistica & stulta cauillatio, quæ reprehendit benefacta metu pœnæ. Multi sunt fines uius facti, sed ordinati. Sciunt sancti primùm propter Deum rectè faciendum esse, sed sciunt hoc quoq; uelle Deum conspici iram suam in pœnis, & uelle metui pœnas præsentes & futuras, Quia sunt testimonia & commonefactiones de ira Dei. Ostenduntur pœnæ in toto genere humano, & Deus multa exempla scribi uoluit, uult igitur eas considerari & commonefactiones esse de ira sua.

Non igitur Sophisticè disputemus, non metuendas esse pœnas, quia rectè faciendum sit, etiam non metu pœnæ. Hic considerandum est hoc quoq;, quòd æternæ pœnæ sint infinitus cumulus æternorum peccatorum. Et pœnis temporalibus multa peccata implicita sunt, sicut in pœnis Saulis & Dauidis intelligi potest.

Necessitati nouæ obedientiæ addenda dignitas.

Dictum est de necessitate, cui quomodo addatur dignitas considerandum est. Papistæ dicunt, uirtutes & bona opera renatorum mereri uitam æternam de condigno, ut ipsi loquuntur. Dicunt item, quòd sint impletio Legis & precium

precium uitæ æternæ,& tamen iubent homines manere in dubitatione,& doctrinam fidei obruunt. Hoc totum χάος errorum damnandū est. Suprā autem exposuimus ordinè ueram doctrinam de Fide, item de obedientia,qualis sit & quomodo placeat. Sint igitur in conspectu hæ regulæ.

Primùm remissio peccatorum,reconciliatio,uiuificatio per Filium &Spiritum sanctum, & hæreditas uitæ æternæ, donantur gratis propter Christum credentibus.

Secundò,Noua obedientia in hac uita non satisfacit Legi Dei, & non est meritum seu precium uitæ æternæ, imò adhuc manent in renatis multa & tristia peccata,ut sæpē diximus.

Tertiò, Quæ est igitur dignitas nouæ obedientię cùm nominetur cultus Dei & sacrificium. Item cùm præmia à Deo offerantur? Respondeo. Non est hæc dignitas,quod sint Legis impletio, meritum seu precium uitæ æternæ, sed postquam fide persona est iusta & hæres uitæ æternæ, placet Deo noua obedientia,ut dictum est suprā,propter Mediatorem. Et propterea nominatur cultus Dei & sacrificium. Talis est dignitas: quia placere Deo & esse sacrificia, magnum bonum est. Nō uult Deus perire totum genus humanum,sed immensa misericordia colligit ex eo æternam Ecclesiam, cui se in tota æternitate communicet, & hanc collectionem & communicationem uult incoari in hac mortali uita, Per hanc Ecclesiam uult agnosci, & celebrari doctrina, & certo modo obedientiæ,& uult eam discerni ab impijs. Non placent impiorum actiones, quanquā splendidæ: Sed prior obedientia placet, iuxta dictum Petri, Offerte hostias spirituales,placentes Deo per Iesum Christum. Et hæc ipsa obedientia placens Deo,nominatur cultus Dei & sacrificium,scilicet ἐυχαριστικὸν. Hęc nomina sunt honorifica.Nam sacrificium significat opus,quo Deus iudicat se honore affici. Ideò dictum est, Esai. 61. Vos sacerdotes Domini uocabimini,ministri Dei nostri dicetur uobis. Psalm. 50. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus,cor contritum. Malach. 3. Purgabit & colabit eos sicut aurum & argentū, & erunt duo offerentes sacrificia in iusticia.

Dignitas nouæ obedientiæ est quod placet Deo,& est sacrificium.

Quanta consolatio est scire,Pastorem,Doctorem,Discipulum,Magistratum,Militem, Patremfamilias, Matrem, placere Deo, & personam & hanc squalidam obedientiam in maximis laboribus & ærumnis uocationum, & discerni nos ab impijs. Quantum refert scire Militiam Dauidis esse sacrificium Deo gratum & utile Ecclesiæ: Iulij militiam esse horribile incendium,& impetum in quo Deus contumelia afficitur. Ideò dicit Paulus, Deus est, qui facit ut uelitis,& ut perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant, quasi dicat, Non uult totum genus humanum tale esse,ut contumelia Deum afficiat. Sed uult esse aliquam partem,quæ celebret Deum & grata ei faciat,& quidem ipse adiuuat uolentes ipsi obedire,& facit ut seruetur Ecclesia, & prosint labores, Sicut alibi inquit Paulus,Non est inanis labor uester in Domino.

Hæc bona scilicet placere Deo,esse sacrificium,esse labores utiles, qualis dignitas sint,diligenter considerandum est,ut & necessitas,& hæc ingentia bona,uidelicet,quòd obedientia placet Deo, quòd est sacrificium, quòd utilis est Ecclesiæ, excitent nos ad curam benē operandi, & maius donum est, quòd Deus affirmat se hæc ipsa bona gubernare & adiuuare,se præsentem esse in illa obedientia.

Deinde addatur doctrina de præmijs, ubi sciendū est duplices esse promissiones. *Duplices promissiones.*

missiones. Prima Euangelij est propria & gratuita. Altera est operum, quæ potest nominari Legalis. Promissio Euangelij propria, est promissio gratiæ, id est, remissionis peccatorum, reconciliationis, uiuificationis per Filium & Spiritum sanctum, & uitæ æternæ propter Mediatorem donandæ. Hæc & præcipua & prima promissio est, Ideō enim misit Deus Filium, ut ab æternis malis nos liberet & restituat æterna bona. Ac certō tenenda est hæc consolatio, hanc promissionem & gratuitam esse, & semper ratam esse ijs qui conuertuntur ad Deum, & confugiunt ad Filium Fide, etiamsi amittenda sint omnia bona corporis, iuxta dictum, Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Ideò promissio gratiæ nominatur æternum Testamentum. Quia uero Deus in hac uita uult incoari collectionem Ecclesiæ, addidit etiam promissiones bonorum corporalium seu præsentium, quę etiam sunt ratę propter Filiū, Sicut 2. Cor. 1. dicitur: Omnes promissiones in Christo sunt ratę. & tamen differentia est, Deus dat bona corporalia, neqꝫ eadem, neqꝫ eodem modo, ut Abrahæ dat diuitias, non dat Lazaro. Sinit Ionatham interfici cum patre, non sinit occidi Dauidem. Item punit exilio Dauidem, non sic punit Ezechiam.

Promissio gratiæ est propria Euangelij.

Vult autem & pœnas & præmia operum in hac uita quoque conspici, quare atrocia delicta punit atrocibus pœnis in hac uita, & pro benefactis dat præmia aliās aliter suo consilio. Et uera est propositio. Bona opera sanctorum, etiamsi neqꝫ remissionem peccatorum, neqꝫ reconciliationem, neqꝫ uitam æternam merentur, tamen mereri alia præmia corporalia & spiritualia in hac uita, aliquo modo mitigationem pœnarum præsentium, gubernationem tranquiliorem. Et gradus erunt in uita æterna.

Sint igitur in conspectu promissiones additæ operibus. Date & dabitur uobis. Beati mites, quia possidebunt terram. Et sæpē cogitemus, quare Deus tradiderit promissiones corporalium bonorum, & quod uelit etiam in his bonis petendis & accipiendis exerceri Fidem, Inuocationem, & gratiarum actionem. Numerantur autem quinqꝫ causæ, propter quas traditæ sunt promissiones bonorum corporalium.

Promissiones additæ operibus.

Quinqꝫ causæ propter quas sūt traditæ promissiones bonorum corporalium.

I. Prima. Vult Deus nos confirmari contra Epicureas imaginationes, & sciri non casu offerri hæc bona sine ipsius consilio. Vult ergo primùm exerceri Fidem de prouidentia, quod & creata sint ab ipso bona corporalia, & distribuantur ipsius consilio, iuxta dictum: Benedictio Domini diuites facit.

II. Secunda causa est, Vult has promissiones præsentium bonorū testimonia esse, quod in hac uita Ecclesiam seruaturus sit. Ideò Paulus inquit: Pietas habet promissionem præsentis & futuræ uitæ, & Dominus inquit: Scit Pater uester cœlestis, quòd uobis his rebus opus sit. Item, Primùm quęrite regnum dei, & cætera adijcientur uobis. Et Esa. 30. Dabit Dominus panem & aquam cum tribulatione, & non sinet auolare doctorem.

III. Tertia causa est. Quia uult Deus in his bonis petendis et accipiendis exerceri Fidem, Inuocationem, et Gratiarum actionem, iuxta dictum: Inuoca me in die tribulationis et eripiam te, et glorificabis me.

IIII. Quarta causa. Vult Deus promissiones bonorum corporalium commonefactiones esse de promissione gratiæ, Quia bona corporalia dantur propter promissionem gratiæ, propter Mediatorem et collectionem Ecclesiæ, nec potest fieri inuocatio ac petitio bonorum corporaliū, nisi prius apprehēsa gratia.

Semper

Semper igitur in petitione corporalium bonorum simul cogitanda est promissio gratiæ, ut accendi fides, & fieri inuocatio possit.

Fides petitione bonorũ corporalium excetur generaliter & specialiter.

Exercetur autem & confirmatur fides multipliciter, generaliter & specialiter. Primùm generaliter, quia petens hæc bona agnoscit ea non casu spargi, sed uerè à Deo dari, foueri & seruari etiam hanc corporalem uitam, ut in hac uita Ecclesia esse possit, soboles ali & institui, & homines regi possint, iuxta dictum: Ipse est uita tua, & longitudo dierum tuorum. Item, In ipso sumus, uiuimus & mouemur. Et confirmatur fides, cùm liberatio aut mitigatio calamitatis ostendit præsentiam Dei, iuxta dictum: Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum. Pater & Mater dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me. Castigans castigauit me, & morti non tradidit me. Non moriar, sed uiuam, & narrabo opera Domini. Item, Misericordiæ Domini quòd non consumti sumus.

Deinde specialiter exercetur & confirmatur fides, Quia Deus uult hæc corporalia cõmonefactiones esse de inuocatione, ut simul de promissione gratiæ cogitetur. Non enim potest fieri inuocatio, nisi prælucente hac fide, quòd Deus nos propter Mediatorem gratis recipiat & exaudiat. Simul igitur hæc specialis fides de gratia exercetur & confirmatur.

V.

Quinta causa, Cur traditæ sint promissiones corporales, ut hæ liberationes sint testimonia præsentiæ Dei in Ecclesia, iuxta hæc dicta. 1. Reg. 17. Vt sciat omnis terra, quòd sit Deus in Israël. Item Esa. 37. Salua nos de manu Sennaherib, ut sciant omnia regna terræ, quòd tu solus sis Deus. Hanc causam semper intueri debemus cùm petimus mitigationem pœnarum publicarum aut priuatarum, ut hostes Euangelij fateri cogantur Deum adesse his Ecclesijs. Hęc tota doctrina de promissionibus sit notissima & sæpè cogitetur propter gloriam Dei, & propter necessitatem nostram. Et quanq; sunt sua pręmia bonorum operum: tamen simul teneatur doctrina de Fide, quæ gratis accipit reconciliationem, & intelligit corporalia quoq; dari principaliter propter Mediatorem, & ut seruetur Ecclesia, nec amplificat merita, sed semper simul indignitatem propriam fatetur, Sicut Iacob inquit Genes. 32. Minor sum cunctis miserationibus tuis, & uidet, quanta bona sequantur, ut cùm Sareptana uidua dedit cibum Heliæ. Sic sciamus etiam unum lapsum sequi longam Iliadem multorum scelerum, & multarum calamitatum, ut Dauidis lapsus ostendit, & Diabolus insidians non est contentus uno lapsu, sed longam telam texit.

DE DISCRIMINE PECCATORVM.

Quæ peccata sunt reliqua in renatis in hac vita?

In sanctis relicta sunt peccata cõtra cõscientiam.

Respondeo. In renatis sunt reliqua multa peccata, sed non contra conscientiam, nec defensio falsi articuli contra fundamentum. Nomino autem fundamentum, articulos doctrinæ necessarios, Decalogum, Promissionem gratiæ, & Symbolum, iuxta dictum: Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Donec igitur in renato lucet Fides, seu Fundamentum non labefactatur defensione Idolorum, aut impij dogmatis, & conscientia non est saucia lapsu contra Legem Dei, renatus manet in gratia, retinet Spiritum S. est templum Dei, & hæres uitæ æternæ. Quanq; enim in eo multum caliginis est, & multi sunt uicioſi affectus, & multa

peccata

peccata ignorantiæ & omissionis: tamen retinet Fidem,& repugnat falsis opinionibus,& prauis affectibus. Ideō Paulus inquit: Si actiones carnis Spiritu mortificabitis,uiuetis. Et ad Timoth. integrè comprehendit omnia,quæ in renato esse oportet, cūm inquit: Milita bonam militiam,retinens fidem & bonam conscientiam.

Non leue certamen est,retinere fundamētum & integram conscientiam.

Nec cogitandum est leuia certamina esse,retinere fundamentum, contra tumultuantes dubitationes rationis, & contra uarios laqueos Diabolorum. Item, retinere integram conscientiam, cū natura imbecilla facilē uincatur prauis affectibus, & Diaboli securos & negligentes astutē impellant uarijs occasionibus,ut labantur.

Vult igitur Deus nos munitos & armatos esse duabus rebus,cogitatione uerbi sui,& precatione. Sicut Paulus hæc coniungit Ephesios ultimo. Accipite gladium Spiritus,quod est Verbum Dei,in omni precatione uigilantes.

Addit enim uigilantiam cogitationi uerbi Dei & precationi,ut requirat diligentiam uitandi occasiones lapsuum, iuxta dictum: Qui amat periculum, peribit in eo,Item,Accuratē ambulate non ut fatui. Et Prouerb.30.Omne uerbum Dei purgatum clypeus est sperantibus in ipsum. Et Dominus inquit, Orate ne intretis in tentationem. Cùm igitur Paulus inquit: Si Spiritu actiones carnis mortificaueritis,uiuetis,utrunq; docet, Et effundi Spiritum sanctum, si non repugnemus dubitationibus & prauis affectibus,& quomodo repugnādum sit: discernit Ioseph & Scipionem.

Collatio Scipionis et Ioseph.

Scipio pulcritudine uirtutis, quam ratio utcunq; intelligit, mouetur, ut abstineat ab aliena sponsa, & illa actio est cogitatio rationis frenans externos gestus,quæ tamen utcunq; addiuuatur heroica naturæ inclinatione. Sed Ioseph cogitat mandatum DEI, nec uult DEVM offendere, nec uult abijcere præsentem gratiam, nec contristare Spiritum sanctum, nec accersere pœnas. Abstinet igitur ab aliena propter uoluntatem DEI, & refert suam abstinentiam ad gloriam Dei, ne Deus offendatur, & ne doctrina scandalis deformetur.Simul etiam orat se regi ā Deo,& statuit se placere Deo, & exaudiri suam orationem propter Mediatorem. Est igitur actio Ioseph,non tantùm actio rationis,sed lux,quam Verbo Filius Dei in ipso Ioseph accendit, ut cernatur uoluntas Dei, & est incendium Spiritus sancti in corde, quo mouetur Ioseph,ut obediat Deo,& confirmatur ne pericula pertimescat.

Hæc omnia complectitur Paulus, cùm ait, Spiritu mortificate, quasi dicat,non sola ratione frenate, sed Verbo Dei & Spiritu sancto corda reganta actiones carnis,id est, dubitationes & motus in corde, quos eruditē nominat actiones,ut,aliqua assensio & delectatio simul rapitur,sed fide & Spiritu sancto, retinens fundamentum & bonam conscientiam,manet in gratia,& manet hæres uitæ æternæ. Hæc eadem doctrina tradita est Rom. 6. Non regnet peccatum in mortali corpore uestro, quod sumtum est ex Genesi, Sub te erit appetitus, & tu domineris ei.

RESPONSIO AD ARGVMENTA
QVÆ CONTRA DOCTRINAM DE IVSTICIA FI.
DEI OPPONVNTVR.

I.

Dæmones

Dæmones credunt & contremiſcunt,
Ergo non dicendum ſola Fide homines iuſtificari.

Nego conſequentiam & ratio eſt, Quia non congruit exemplum Fidei Dæmonum ad Fidem, qua iuſtificantur homines, ſed infinita differentia eſt. Fides qualis eſt in Diabolis, eſt mutila, quia etſi eſt certa noticia hiſtoriæ, Legis, iræ, & uenturi iudicij, tamen non aſſentiuntur promiſſioni, cùm ſciant Diaboli eam non pertinere ad ſeſe, ſed tantùm ad homines, iuxta dictum Symboli, Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Quia autem norunt Diaboli, uerè iudicem eſſe filium Dei, & ſe futuros eſſe in pœnis æternis, hæc noticia iudicij & iræ, quò certior eſt, eò truculentius odium, horribiliores dolores, & triſtiores fremitus aduerſus Deum, & aduerſus Chriſtum accendit. *Fides in diabolis qualis ſit.*

Sed fides qua homo iuſtificatur, eſt aſſentiri omni uerbo Dei nobis tradito, atq; ita & promiſſioni gratiæ, cui aſſentiens cernit non tantùm iram, ſed miſericordiam propter Filium promiſſam, & acquieſcit in Deo propter hunc Mediatorem. Ideo addimus in definitione, & eſt fiducia acquieſcens in Deo propter Mediatorem, accedens ad eum, & rectè inuocans & clamans Abba pater. Ideo ſæpè dicimus, Fidem complecti omnes articulos fidei, & hiſtoriam referendam eſſe ad hunc articulum, Credo remiſſionem peccatorum, ſcilicet non tantùm aliis dari, ſed mihi quoq;. Hæc fides in uera conſolatione magna lucta uincit dubitationes & trepidationes animæ fugientis Deum, de qua lucta dicit Pſalmus 41. Quemadmodum ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Quare triſtis es anima mea? ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei. Et in hac ipſa lucta, Filius Dei agnitus in Verbo uocali, dicit conſolationem in corde, & oſtendit Patrem & uoluntatem eius, ſicut inquit: Nemo nouit Patrem niſi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare, & dat Spiritum ſanctum, quo confirmatur aſſenſio, & quo fiducia & lætitia in uoluntate accenduntur, iuxta dictum, Iuſtificati fide pacem habemus. *Fides qua homo iuſtificatur.*

II.

Impoſsibile eſt aliquam naturam ſola noticia iuſtam eſſe,
Fides eſt tantùm noticia,
Ergo non ſola fide homo eſt iuſtus.

Nego Minorem. Quia Fides de qua Paulus loquitur, eſt & noticia promiſſæ gratiæ & fiducia acquieſcens in Deo propter Mediatorem, & uelle hoc beneficium, quod in promiſſione offertur, ut & Paulus ad Epheſios his uerbis deſcribit Fidem, inquiens. Per hunc audemus accedere confidenter in Fide ipſius, & ut iam dixi, ipſe λόγος filius Dei ſic habitat in corde, dicens hanc conſolationem, & uiuificans ac liberans ex doloribus inferorum, ut Ephe: 3. dicitur, habitare Chriſtum per fidem in cordibus ueſtris, & dato Spiritu ſancto, accenduntur fiducia & lætitia in corde. 1. Iohan. 4. In hoc cognoſcimus quòd in eo manemus, & ipſe in nobis, quia de Spiritu ſuo dat nobis. De hac uera noticia loquitur Eſaias, cùm ait, Agnitio ſerui mei iuſti, iuſtificabit multos. Hæc in uera pœnitentia & quotidiana inuocatione fiunt illuſtriora. *Fides apud Paulum eſt noticia & fiducia.*

III.

Vbi multæ uirtutes ſimul ſunt, non ponenda eſt excluſiua,

In conuersione sunt multæ uirtutes,
Non igitur dicendum est sola Fide.

Virtutes etsi plures concurrũt tamẽ nõ sunt causa aut meritum iustificationis.

Respondeo ad Minorem. Etiamsi sunt simul multæ uirtutes, tamen non sunt causæ aut meritum remissionis seu iustificationis, etsi scio quosdam procul quærere alias responsiones: tamen hæc est uera & plana. Necesse est enim fateri in conuersione aliquam contritionem esse, quæ cũm accedit Fides, fit excellens uirtus ac sacrificium, ut dicitur: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Item, Vbi habitabit Dominus, in spiritu contrito & tremente sermones meos, & cùm fit consolatio fide, cor in Deo lætatur, iuxta dictum, Iustificati fide pacem habemus. Cum hac lætitia certè coniunctæ sunt, Dilectio Dei, Inuocatio & Spes, & multæ aliæ uirtutes. Cũm igitur dicimus, Sola fide, non excluduntur cæteræ uirtutes ne adsint, sed excluditur conditio meriti, & hoc dicitur, nullas uirtutes seu opera in nobis meritum seu causam esse iustificationis sed propter solam Mediatoris obedientiam Gratis dari remissionem seu reconciliationem, & imputationem iusticiæ, & fieri uiuificationem per Filium Dei Fide.

Viuificatio nõ fit sine ardentibus motibus diuinis.

Hæc est natiua Pauli sententia in exclusiua Gratis. Insania est enim cogitare uiuificationem, in qua Filius Dei uiuificat, & de Spiritu suo dat nobis, esse sine magnis & ardentibus diuinis motibus. Memini multorum de hac re barbaricos clamores. Quidam dicebat, Sola, id est, sine contritione, postea cùm cogeretur admittere contritionem, respondit, Contritionem non esse opus, sed Passionem. Lautterwald clamitat, fidem aliquo tempore, sed exiguo, esse sine cæteris uirtutibus. Alius recens de Hyperbole non intellecta magnas tragœdias egit, Fides non est fides, nisi sit sola, quod rectè dicitur sic intellectum, Fidem non esse fidem, nisi sit fiducia solius misericordiæ Dei, propter Mediatorem, sed ille contendit, oportere solam esse sine cæteris uirtutibus, quasi in Ioseph, Elia, & similibus, non simul fuerint excellentissimi motus diuini. Sed fugiamus in re tanta Sophismatum præstigias, nec implicemus nos & alios inextricabilibus labyrinthis, ne postea dubitationes & odium pariant. Cognita igitur simplici ueritate, retineamus eam, & proprijs & perspicuis uerbis eam exponamus.

IIII.

Fide sumus iusti,
Fides est opus,
Ergo operibus sumus iusti.

Fide sumus iusti, correlatiuè intelligendum.

Respondeo primùm ad maiorem, hæc propositio, Fide sumus iusti, correlatiuè intelligenda est, uidelicet, Misericordia propter Filium Dei sumus iusti, sed hanc oportet Fide apprehendi, audita uoce Euangelij, quia certè aliquid esse oportet, quo fiat applicatio misericordiæ. Ideo Esaias dixit, Agnitio serui mei iustificat multos. Vult Deus agnosci Filium, & agnitione Filij colligi Ecclesiam, & discerni eam ab alijs gentibus. Est autem hæc fides agnitio Ilij, & assensio, qua misericordiam propter eum promissam agnoscimus & accipimus. Sic igitur mutandus est prior Syllogismus. Misericordia propter Filium sumus iusti, Misericordia non est nostrum meritum, Ergo non nostris meritis aut operibus sumus iusti. Hæc est uera & simplex responsio.

Postea & de Minore dicas, Fides est opus, sed non sumus iusti propter ipsius

ipsius operis dignitatem, sed quia apprehendit misericordiam propter Filium promissam. Alij respondent, Fidem non esse opus, quia sit donum Dei. Hæc responsio est aliena, Quia cùm dicitur: Non sumus iusti ex operibus, etiam illæ uirtutes intelliguntur, Dilectio, Castitas, Patientia, quæ sunt accensæ à Spiritu sancto.

Fide sumus iusti, quia apprehendit misericordiam.

V.

Deus iustificat,
Deus est dilectio,
Ergo dilectio iustificat.

Respondeo. Concedo totum, Si dilectio intelligatur sine ambiguitate de dilectione, quæ est in Deo erga nos propter Filium. Ac prorsus correlatiuæ sunt propositiones: Fide iustificamur, & illa dilectione, qua Deus nos diligit propter Filium iustificantem, Quia hæc dilectio est misericordia, qua propter Filium recipimur, ut Paulus inquit: Sumus dilecti in Deo. Et Dominus inquit: Sit dilectio tua in eis, qua me diligis. Iohan. 17. Quod dictum semper fit in conspectu, quid enim dulcius dici potest, quàm quod Filius petit, ut ab æterno Patre diligamur, sicut ipse diligitur? Hæc est præcipua responsio ad hoc argumentum. Deinde addatur Antithesis. Cùm Papistæ dicunt, Dilectione iustificamur, intelligunt dilectionem, qua homines Deum diligunt. Hæc procul abest à perfectione Legis in hac uita, nec meretur remissionem peccatorum, nec est illa res propter quam persona est iusta, id est, reconciliata & accepta coram Deo, sed est effectus sequens Fidem.

Correlatiuæ propositiones fide iustificamur, & dilectione qua nos diligit Deus.

VI.

Iohannes inquit:
Qui non diligit manet in morte,
Ergo non sola fide viuit homo.

Respondeo. Nego consequentiam, quia est fallacia à non causa ut causa. Antecedens simpliciter uerum est, Qui non diligit manet in morte. Quia uerissimum est, quòd in conuerso sunt Fides & Dilectio, qua fide clamamus Abba pater. Item, Fide accipimus Spiritum sanctum, qui est Spiritus gratiæ & precum, id est, quo læti sentimus nos liberatos esse à doloribus inferorum, & esse in gratia, & Deum inuocamus, & nos ei subijcimus. Est igitur incoata dilectio, Sed non sequitur, Ergo iustificat uel uiuificat, uel est causa uiuificationis, ut cùm dico: Omne uiuum habet motum, inde non sequitur, motum illum esse uitæ causam. Sic dilectio, etsi est in credente, tamen præcedit fides, qua fiunt iustificatio & uiuificatio, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus.

Dilectionem in credente præcedit fides

VII.

1. Corinth. 13.

Si habeam omnem fidem, dilectionem autem non habeam, nihil sum,
Ergo non sola fide iustificamur.

Simpliciter responderi potest, sicut antea, Nego consequentiam. Quia est fallacia à non causa ut causa. Etsi necessariò adest dilectio in conuersis: tamen

Dilectio adest, sed non est causa iustificatiõis

men non est causa Iustificationis. Alij respondent ibi loqui Paulum de Fide quæ est donum faciendi miracula, nec reprehendo. Sed altera solutio est simplicior, & multa similia dicta explicat.

VIII.

Danielis 4.

Redime peccata tua Eleemosynis,
Ergo Bona opera merentur remissionem.

De dicto Danielis, redime peccata tua Eleemosynis est concio pœnitentiæ.

Respondeo ad antecedens, quia textus non tantùm nominat Eleemosynas, sed prius nominat iusticiam. Iusticia autem comprehendit initiò ueram Dei agnitionem & fidem, Libera te à peccatis iusticia & misericordia erga miseros. Deinde sequitur expressa promissio, Ecce erit sanatio delictorum tuorum. Hæc uerba Danielis sunt breuis concio pœnitentiæ, quæ multa membra complectitur, quæ distinguenda & enarranda sunt ex alijs locis Prophecticis & Apostolicis, ubi eadem doctrina distinctè exponitur, ut pœnitentiæ concio est apud Esaiam, desinite malefacere, & discite benefacere. Hæc pars est doctrina contritionis: secunda pars est promissio: Si fuerint peccata uestra ut coccinum, eritis candidi ut nix.

Hic quoq; multa membra continentur, quæ euoluenda sunt. Prima pars in Daniele præcipit mutationem uitæ iuxta omnia præcepta Decalogi. Cùm enim nominat iusticiam, complectitur uniuersalem obedientiam, nominatim uerò deinde mentionẽ facit misericordiæ exercendæ erga iniustè oppressos. Est enim regia concio: docet Daniel hunc summum Monarcham, & inter homines imperia constitui diuinitus, ut defendant iusticiam, & communem societatem contra latrocinia, ut & Aristoteles Alexandrum monet, ut cogitet Imperium debere esse non ὕβριν, sed εὐεργεσίαν. Daniel uerò & singularem admonitionem adhibet, sciebat Ecclesiam in exilio in dura seruitute esse, uiderat Regem erexisse statuam adorandam & coniecisse in ignem uiros sanctos qui statuam adorare noluerant. Itaq; de tota iusticia, id est, & de ueri Dei agnitione, & deponenda sæuitia ei concionatur. Et consentaneum est hæc omnia copiosius dicta esse quàm in illa breui narratione recitantur, quæ tamen cuilibet bono principi summa doctrinæ esse potest de præcipuis rebus. Sit princeps iustus erga Deum & erga homines, protegat Ecclesiam. Tantum dicitur in illa parte concionis. Quomodo autem sit agnoscendus Deus, quomodo fide sit accipienda remissio, id copiosius Danielem docuisse inde intelligi potest, quòd rex uoluit huius populi doctrinam audire relicta doctrina Chaldæorum. Sensit ergo tantùm in hoc populo doctrinam de uero Deo, de remissione peccatorum & de salute æterna quærendam esse. Secunda pars in concione Danielis est expressa promissio de remissione: Ecce erit sanatio delictorum tuorum, Promissio autem fide accipienda est: Ergo Daniel cùm promissionem expressè tradit, simul & doctrinam de Fide complectitur. Hieronymus non rectè addit particulam dubitationis μόριον ἀπορηκὸν. Nam in textu manifesta asseueratio est: Ecce erit sanatio delictorum tuorum. Hæc explicatio Danielis plana & non Sophistica est. Alij dicunt, Danielem loqui de remissione pœnarum temporalium, sed hæc solutio etsi alibi locum habet: tamen hic prius docendus erat rex de remissione culpæ. Et dulcissima consolatio est in hoc exemplo proposita omnibus: Cùm tanto Tyranno promittatur remissio peccatorum,

peccatorum, si agat pœnitentiam, & agnito uero Deo apprehendat promissionem. Exuscitemus nos quoq; ad pœnitentiam & fidem. Meminerimus huius regis conuersionem insigne exemplum esse, & pœnitentiæ & remissionis peccatorum & mitigationis pœnarum.

IX.

Remittite & remittetur vobis,
Ergo nostra remissio meretur remissionem apud Deum.

Responsio. Multa dicta loquuntur de remissione pœnæ temporalis, ut in Tobia necesse est hæc dicta accipi de remissione pœnæ temporalis. *Multa dicta loquuntur de remissione pœnæ temporalis & præmijs bonorum operum.*

Eleemosyna liberat à morte, & purgat peccata. In talibus dictis necesse est adhibere interpretationem, quia alia dicta expressè affirmant, gratis remitti peccata, & tolli mortem æternam propter Mediatorem. Decurro igitur ad hanc breuem enarrationem, hæc dicta loqui de præmijs bonorum operum, quæ fiunt à conuersis. Certissimum est enim, quòd bona opera piorum habent sua quædam præmia, iuxta dictum: Date & dabitur uobis. Item, Si quis dederit potum aquæ uni ex minimis propter doctrinam, habebit mercedem. Ita Eleemosyna liberat à morte, scilicet in periculis corporum, ut dicit Psalmus: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Hæ promissiones legales discernendæ sunt à promissione reconciliationis, quæ est gratuita, sicut dicit Dominus Conuersis & habentibus remissionem culpæ: Remittite & remittetur uobis. Tu Dauid parcito Nabal: Ita uicissim tibi pœnas Deus mitigabit, ut 1. Reg. 25. dicitur, Non erit tibi hæc offensio, quòd fuderis sanguinem innocentem, & te ultus sis, sicut sæpissimè repetita est doctrina, quæ prohibet indulgere iræ, odijs, & cupiditati uindictę. Et sint noti dulcissimi uersus Nazianzeni. *De dicto: Remittite & remittetur uobis*

εἰδὲ οἴδας ὄφλων καὶ πρόχρησον τὸ πρᾶον
οἴκτῳ γὰρ οἶκτος τῷ θεῷ σταθμίζετι.

Si quibus autem hæc responsio non placet, utamur altera, quòd hoc dictum: Remittite & remittetur uobis, & similia, sint conciones pœnitentiæ: In altera parte præcipitur conuersio Rectè facite. In altera parte ostenditur promissio, quam alia dicta Euangelij declarant quòd sit gratuita & detur propter Mediatorem, sicut Paulus inquit: Ideo ex Fide gratis, ut sit firma promissio. Si enim ex nostra condonatione penderet quæ semper est imperfecta, fieret incerta remissio. Attexuntur autem tales promissiones operibus, quia uult Deus etiam bona opera non meritum, sed commonefactiones esse de promissione gratiæ. Vtraq; enarratio est simplex & sine Sophistica.

X.

Vniuersa delicta operit dilectio,
Ergo dilectio meretur remissionem.

Nego consequentiam, & ratio est, quia apud Salomonem non hoc dicitur, Nostra delicta operit dilectio, sed aliena, id est, dicitur de condonatione inter homines, quia est Antithesis: Odium excitat rixas, sed uera beneuolentia tegit & sanat offensiones. Quia Saul odit Dauidem, ideo accusat, quod ei insidietur. Sæpè aliud est rixæ causa, aliud prætextus seu occasio, ut dicitur: *Dilectio operit uniuersa delicta scilicet aliena.*

plectimur διὰ ἁμαρτίαν πολὺς πρὸς λύραν. Quare hoc dictum, uniuersa delicta operit dilectio, præceptum est de ἐπιείκεια inter homines. Aliud est loqui de remissione nostræ culpæ apud Deum.

XI.

Si uis in uitam ingredi serua mandata,
Ergo & fieri Lex potest, & bona opera merentur uitam æternam.

Si uis in uitam ingredi serua mandata complectendo Euangelium.

Respondeo breuiter. Serua mandata, scilicet complectendo Euangelium, Nam Christus est finis Legis. Ac semper legalibus dictis necesse est addere uocem Euangelij, quod docet Fide reconciliari hominem, & simul incoari nouam obedientiam, cùm filius Dei uiuificat cor, dicens consolationem uoce Euangelij, & dat Spiritum sanctum, qui tales motus accendit qualis ipse est, & hæc noua obedientia etiamsi languida & infirma est, placet propter Mediatorem, ut Rom. 8. dicitur. Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Ita Euangelium est dulcissima ἐπιείκεια Legis, docens placere in conuersis, cùm Fide reconciliati sunt, incoatam obedientiam, quanquam hærent adhuc in nobis magni morbi interiores, & multa incendia prauorum affectuum, sicut inquit Psalmus: Propter nomen tuum Domine propiciaberis peccato. Et Paulus de hac ἐπιείκεια concionatur inquiens: Milita bonam militiam habens fidem & bonam conscientiam. Hinc non sequitur, hominem satisfacere Legi in hac uita, sed sic placere Deo, cùm habet Fidem & iusticiam bonæ conscientiæ. Nec sequitur bona opera esse meritum uitæ æternæ, quia fides præ lucens gratis accipit propter Mediatorem remissionem peccatorum, reconciliationem & hæreditatem uitæ æternæ.

XII.

Lucæ 7. de muliere peccatrice.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.
Ergo propter dilectionem fit remissio.

De dicto Lucæ Remittuntur ei peccata multa &c.

Respondeo. Christus manifestè nominat ibi & Fidem & dilectionem. Cùm autem fides nominatur, excluditur meritum. Quia fides tantùm nititur Mediatore, & accipit promissam misericordiam propter eum. Hæc responsio est simplex & sine Sophistica.

Cur igitur & dilectionem nominat? Respondeo etiam simpliciſſimè, usitata Synecdoche est, Remittuntur ei multa, quia conuersa est, ut Esaiæ 1. dicitur: Auferte malum cogitationum uestrarum: Si fuerint peccata uestra ut coccinum, eritis candidi sicut nix. Et Hieremiæ 3. Conuertimini filij reuertentes & sanabo uos. Deniq; usitata est hæc Synecdoche. Tamẽ sciendum est, quæ sint partes in tota pœnitentia, seu conuersione, & quid differant sola Fide accipitur reconciliatio: Sequitur autem noua obedientia, quia ad hoc ipsum uiuificamur, ne maneamus in peccato & morte æterna: sed deinceps simus templa Dei.

Absolutio priuata.

Est & alia splendida solutio seu responsio. Duplex est absolutio, Altera priuata conscientiæ luctantis cum ira Dei. In hac absolutione necesse est intelligi, gratis fide accipi remissionem peccatorum propter Mediatorem. Ideo hic inquit, Fides tua saluam te fecit. Nec existere dilectio potest, nisi sit apprehensa remissio ista.

Altera

Altera absolutio est publica coram Ecclesia, in hac conspici necesse est ab aliis testimonia conuersionis, ut hic Christus ostendit Pharisæo cur eam recipiat, quia extent signa conuersionis, & quidem illa opera recitat, quorum contraria peccata sunt in Pharisæo. Hæc mulier agnoscit me uerè esse Messiam, à me petit & accipit remissionem & reconciliationem, meum Euangelium in ea efficax est, ungit pedes meos lacrimis, id est, benefacit ministris Ecclesiæ, tu contrà tumes hac falsa persuasione, quòd iustus sis disciplina, securus non agnoscis iram Dei aduersus interiorem immunditiem. Deinde non agnoscis me esse Messiam: non petis à me remissionem. Hæc tota narratio recitat signa fidei. Posset igitur breuissimè dici, nominari signa fidei pro ipsa fide: sicut in eadem narratione lacrimæ nominantur pro contritione. *Absolutio publica.*

XIII.

Cùm dictum sit: Delicta quis intelligit, Nemo potest omnia sua peccata scire. Ergo possibile est hominem habere delictum ignotum propter quod displiceat Deo. Quare non est affirmandum quod placeat Deo.

Respondeo. Nego consequentiam, & ratio est, Quia firmissimè retinenda est regula: Omnis conuersus ad Deum rectè tenens fundamentum, debet credere se placere Deo, & hac fide inuocare, quod propter Mediatorem placeat & exaudiatur, etiamsi habet delicta ignorantiæ, sicut in omnibus hominibus magna hæret infirmitas. Ac propterea traditur doctrina de remissione propter Filium, iuxta dicta: Beati quorum sunt remissæ iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, quia in nobis non est integra impletio Legis in hac uita, sed ut dixi, Fundamentum rectè teneatur, id est, non sit error in articulis fidei. Paulus enim inquit, Fundamentum aliud poni non potest, præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. Et tamen de ipso fundamento in alijs plus in alijs minus est lucis. *Omnis conuersus retinens fundamentum debet credere se placere Deo*

Et Paulus inquit: Alios aurum, alios stipulas extruere supra fundamentum, sicut ualdè multum est stipularum in plurimis scriptoribus, quia quælibet tempora habent sua contagia. Cyprianus absurdè dicit, Peccata post Baptismum remitti propter Eleemosynas. Item nimis contentiosè pugnat de ritibus publicæ pœnitentiæ sui temporis inquiens: Inutilem esse absolutionem sine illis spectaculis: & tamè talis uir postea constans fuit in confessione & lætus pertulit supplicium. Cogitemus igitur nos non esse omniscios, & simus dociles, & studium discendi & precationem coniungamus.

XIIII.

Nemo placet Deo nisi habens nouas virtutes ortas à Spiritu sancto,
Nemo potest affirmare se habere illas uirtutes: Quia possunt esse virtutes similes ortæ à ratione,
Ergo nemo potest affirmare se placere Deo.

Respondeo. Nego minorem, quia in uera conuersione seu pœnitentia utrumq; debemus affirmare, & quod detur remissio propter Mediatorem, & quod simul uiuificemur per Filium dato Spiritu sancto erecti uoce Euangelij. Et quanquam intueri mens fide Mediatorem debet, non nouitatem in nobis: tamen simul in ueris doloribus sentit hanc consolationem, iuxta hæc dicta, Iustificati fide pacem habemus. Item, clamamus Abba pater. Et rectè inquit Augustinus: Credens scit se credere, scilicet in doloribus sentiens consolationem. *In conuersione utrumq; affirmandū est, & quod detur remissio peccatorū, & quod simul uiuificemur per fidem dato Spiritu sancto.*

nem. Ac certitudo in Philosophia & in consolatione quæ fit fide, habet contraria itinera. In Philosophia præcedit sensus colligens singularia experimenta, postea sequitur assensio: Sed fide sic fit consolatio, prior est assensio, qua propter Deum assentimur uerbo seu uoci diuinæ, deinde sequitur lætitia.

XV.

Impossibile est nosse uoluntatem Dei erga nos, iuxta dictum, Quis consiliarius eius fuit?

Credere quòd habeas remissionem peccatorum, est aliquid asseuerare & affirmare de uoluntate Dei erga nos,

Hæc igitur affirmatio est impossibilis.

Voluntas Dei reuelata in lege & Euangelio est cognoscenda.

Respondeo breuissimè. Nego maiorem de reuelata Dei uoluntate: Vtramq; autem uocem tradidit Deus Legem & Euangelium. Ac uult nos certò scire hanc suam esse uoluntatem quam in Verbo suo expressit. Ac de Lege minus obscuritatis est, quia rationi nota est, & Moyses ipse inquit contra Pyrrhonias dubitationes, Ne dicas quis ascendet in cœlum, iuxta te est sermo in ore tuo & in corde tuo, ut facias illa. Et Paulus inquit: Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidæ, non possidebunt regnum Dei. Quare iuxta Legem certò statuere debemus omnes, Deum uerè irasci omnibus omnium peccatis. Deinde & uox Euangelij addenda est, de qua dicitur, Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis. Item, Qui credit in Filium habet uitam æternam. Certissimè igitur statuamus omnem promissionem reconciliationis & uitæ æternæ ueram esse, quæ quidem & morte ac resurrectione filij obsignata est, & multis illustribus testimonijs confirmata. Quare necesse est nos ei credere, & cùm sit uniuersalis, singuli nos in eam includamus, certissimum est enim mandatum uniuersale esse & immutabile, ut omnes Filio credamus, nec fingendæ sunt contradictoriæ uoluntates in Deo. Ac simus memores dicti Iohannis, Qui non credit Deo, mendacem eum facit. Et certissimè statuamus, Filium Dei ueracem nuncium esse, qui inquit: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.

Sed humana ratio opponit hoc argumentum. Addita est conditio Legis, Hoc fac & uiues: Cùm igitur non satisfiat Legi, dubitandum est. Respondeo. Et hoc ipsum in reuelatione Euangelij considerandum est, ideo immensa misericordia missum esse Filium, ut nos à maledictione Legis redimeret, & Gratis propter Filium donari reconciliationem. Hanc lucem Euangelij de gratuita promissione obruerunt Papistæ, qui fingunt dubitandum esse de remissione, quia pendeat ex conditione Legis. Ideo simus uigilantes in retinendo discrimine Legis & Euangelij, & quanquam necessaria est pœnitentia seu magna seu parua, tamen remissio non pendet ex dignitate nostræ contritionis uel obedientiæ: Sed propter Mediatorem, & gratuita & certa est, iuxta dictum: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio, Rom. 4.

Non reuelata Dei consilia non sunt inquirenda.

Cæterum de non reuelatis consilijs, ut quare Alexandro Deus tribuat imperium non tibi, rectè dicitur, hanc uoluntatem necq; sciri posse, necq; quærendam esse. Ideo capite tertio Syracidæ dictum est. Quæ mandata sunt tibi, hæc cogita sanctè, non enim est opus te arcana uidere oculis.

Prorsus

XVI.

Prorsus simile argumentum est, quod huc detorquetur ex capite 9 Ecclesiastici non rectē enarrato.

Nescit homo an amore uel odio dignus sit, &c.

Respondeo breuissimē. Tota series in eo textu ostendit Salomonem hoc uelle, non iudicandum esse ex spectaculis humanorum euentuum in hac uita, uidelicet ex secundis uel aduersis rebus de fauore & odio Dei, ut Dauid non iudicet se ā Deo abiectum esse quia ex regno expulsus est. Achab non iudicet se placere Deo etiamsi est rex potens & uictor. Sed Dauid iudicet ex uerbo Dei se placere Deo quanq̄ exulem: quia dictum est, Dominus abstulit peccatū tuum. Achab iudicet se displicere Deo quanq̄ est rex potens & gloriosus: quia scriptum est Deute. 27. Maledictus omnis qui facit Idolum abominationem Dei. Congruit igitur dictum Salomonis cum nostra sententia, quæ iubet de uoluntate Dei ex uerbo iudicare, non ex spectaculis externis. Nec difficile est copiosē refutare enarrationes Papistarum. Insaniunt enim si hoc dicunt, Non scire homicidas & adulteros an sint digni odio Dei. Hinc manifestē apparet ipsorum interpretationem esse tetram corruptelam. Sed regula uniuersalis teneatur, De uoluntate Dei ex uerbo ipsius iudicandum esse, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Et Verbum Dei uniuersaliter damnat omnes, qui non sunt conuersi ad Deum, iuxta dictum. 1. Corinth. 6. Nolite errare, Idolatræ, homicidæ, adulteri &c. nō sunt hæredes uitæ æternæ. Item, Qui non credit in Filium, manet ira Dei super eum. Rursus uniuersaliter recipit Deus omnes qui in conuersione seu pœnitentia credunt in Filium, iuxta dicta: Viuo ego dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Item, Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Hæ summæ regulæ semper in conspectu sint, quæ multis alijs sententijs lucem afferunt.

De dicto Ecclesiast: Nescit homo an amore uel odio dignus sit.

Detestanda est autem Synodi Tridentinæ impudentia, quæ in decreto detorsit hoc dictum Salomonis ad confirmandam falsam doctrinam, quæ iubet semper dubitare an simus in gratia. Contra hunc errorem sint in conspectu consolationes in Paulo traditæ. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Item, Iustificati fide pacem habemus. Et notum sit Augustini dictum in Libro Meditationum. Totius fiduciæ certitudo est in precioso sanguine Christi. Etsi autem naturalis imbecillitas semper concutitur dubitatione, tamen fides eluctetur & uincat dubitationes, & quotidiē clamemus ad Dominum, Credo Domine sed opem fer imbecillitati meæ.

Synodus Tridentina detorsit dictum Ecclesiastici ad confirmandam dubitationem.

XVII.

Naturalia sunt immutabilia,
Dubitatio de reconciliatione est naturalis, vt nunc quidem nascimur,
Ergo est immutabilis.

Respondeo. Concedo esse immutabilem in hac deprauatione sine uoce Euangelij & sine auxilio diuino, sicut Adam nō solū in dubitatione mansisset, sed etiam oppressus æterna dubitatione fuisset, si promissio gratiæ non prolata esset ex sinu æterni Patris, & per uerbum Deus flexisset cor Spiritu sancto ad assen-

Naturalia sunt immutabilia sine Euangelio & auxilio diuino.

ad assensionem, & sic in illa consolatione Filius uoce Euangelij primos parentes retraxisset ex morte. Hoc exemplum intueamur, quod ostendit, quomodo fiat hæc consolatio & liberatio à dubitatione, & docet promissionem Euangelij, non esse natura notam, & discernendam esse à Lege, & ab alijs naturalibus noticijs.

XVIII.

De dicto Pauli: Maior horum dilectio.

Virtutes non sunt confundendæ: cùm Paulus discernat: Fides, Spes, Dilectio, hæc tria, maior horum dilectio.
Fiducia est actio Spei,
Ergo fiducia est discernenda à Fide.

Distinctio fidei, spei & dilectionis.

Respondeo ad Maiorem. Verum est, Virtutes non esse confundendas, sed rectè intelligenda sunt discrimina. Nam Fides non tantùm est noticia, sed est simul assentiri promissioni, in qua offeruntur remissio peccatorum, reconciliatio, uiuificatio per Filium dato Spiritu sancto, & hæreditas uitæ æternæ. Et est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, accedens ad Deum, & accendens inuocationem, & clamans Abba pater. Et quia fides in præsentia accipit remissionem & reconciliationem, est fiducia præsentis beneficij. Spes est certa expectatio uitæ æternæ, gratis dandæ propter Mediatorem, id est, expectatio mitigationis pœnarum corporalium, iuxta uoluntatem Dei. Cùm igitur fiducia nominatur actus Spei, intelligitur fiducia futuræ liberationis, seu futuræ mitigationis. Dilectio est obedientia, quæ prælucente fide præstatur Deo iuxta omnia mandata, cum lętitia cordis acquiescente in Deo propter Filium.

XIX.

Maxima virtus maximè iustificat,
Dilectio est maxima virtus,
Ergo maximè iustificat.

Respondeo. Concedo totum argumentum de iusticia Legis: Sed quia non habemus integram iusticiam Legis, Euangelium concionatur de alia, & docet imputari credenti iusticiam propter Mediatorem. Hæc est simplex & uera responsio, quæ prolixius explicari potest, si quis postulat. Ac sciendum est, longè aliud esse loqui de collatione uirtutum inter sese, aliud de remissione peccatorum, & reconciliatione coram Deo.

Declaratio dicti Paulini de coaceruatione fructuum dilectionis.

Vtile est autem in eo ipso loco Pauli, diligenter considerare collationem integram. Affirmat Paulus dilectionem necessariam esse, fidem miraculorum, efficientem sanationes & alia opera, non singulis necessariam: Ideo longam coaceruationem fructuum addit, qui distribuendi sunt in præcepta Decalogi, iuxta uirtutum appellationes.

Dilectio est patiens, id est, non iracunda, non cupida uindictæ. Sic ordiatur fructus ab ea uirtute, quæ maximè necessaria est, scilicet ā patientia seu mansuetudine, quæ ad quintum præceptum pertinet, & excludit odia & cupiditatem uindictæ, unde plurima mala in communi societate oriuntur.

Benefica est: pertinet uirtus beneficentia ad quintum & septimum præceptum.

Non

Non est æmulatrix,excluditur inuidentia, ut Cain, Saul æmulatione seu inuidentia peccant. Est contraria candori.

Non est insidiatrix, seu fraudulenta, seu calumniatrix, seu astutè depra-uans rectè dicta seu facta: ut Vlysses Palamedi insidiatur, Anytus & Melytus Socrati,Siba calumniosè accusat filium Ionathæ. Talia exempla pertinent ad Verbum περπερεύεσθαι.

Non inflatur,excludit superbiam, & certamina ambitionum.

Non deformes gestus habet, præcipit modestiam, contra assentationes, & contra tumultus contentionum.

Non sua quærit, ut multos auaricia mouet ad assentationes, & multa turpia ministeria, ut dicitur: Malus est minister regij Imperij pudor. Item, Exeat aula, qui uult esse pius.

Non est irritabilis, excluditur stulta credulitas, quæ admittit delationes non exploratas contra præceptum octauum.

Non malum cogitat,id est, non est suspicax,ut plurimum peccant suspicaces impulsi falsis ratiocinationibus contra alios.Id uicium etiam pugnat cum octauo præcepto.

Non gaudet propter iniusticiam,id est,non est ἐπιχαιρέκακος, non lætatur calamitatibus innocentum, uel in genere non lætatur scelere,sicut Catullus inquit: Tantùm tibi gaudium in omni culpa est in quacunq; est aliquid sceleris. Contraria uirtus est lætari ueritate & rectè factis. Item, Propter res secundas iustorum, & certè sunt officia ueritatis & iusticiæ propria, probare rectè dicta & rectè facta,& lætari rectè dictis & rectè factis.

Omnia capit στέγει, ἐπιεικεια est, quæ placidè fert aliorum dissimiles mores, nec alienatur propter Morositatem, aut tales aliquos morbos, qui sunt sine scelere,nec mouet certamina propter quaslibet ineptias, quia certè sapientem considerare oportet, ubi sit præliandum seu pugnandum.

Omnia credit. Alibi dicitur, Qui citò credit leuis est corde. Et utilis est uetus admonitio, μέμνησο ἀπιστεῖν ταῦτα ὅσι ἄρθρα φρενῶν. Hæc uera sunt de credentibus, sine probabilibus argumentis, ut qui odio iudicant non argumentis, libenter admittunt calumnias, etiam impudenter confictas, de his quos oderūt, Sicut inquit Cæsar, Quod uolunt homines libenter credunt, quod ex Demosthene sumtum est, ἅπας γὰρ θυλόμεθα ταῦτα μᾶλλον πιστεύομεν. Sed uirtus est candor uicina ueritati, quæ rectè facta non deprauat, & ambigua flectit in meliorem partem probabili ratione. Quòd igitur hic dicit,omnia credit, de candore intelligatur, probabili ratione credente & uitante suspiciones & calumnias.

Omnia sperat, Opponitur sæuitiæ, quæ properat ad ultimam pœnam non tentata emendatione, iuxta Euangelium ubi ordo traditur: Argue eum inter te & ipsum. Sperat enim omnia dilectio, donec locus est emendationi.

Omnia perfert. Repetitum est præceptum de patientia,præsertim in iurijs tolerandis, ne cupiditate uindictæ ruant doctores ad turbandam Ecclesiam, sicut iniuriæ dolor Coriolanum armat contra patriam, Iulium contra Pompeium.

Nunquam excidit,id est,durabilis est,non amittitur in uita æterna, & semper eius usus est.Nam uerbū ἐκπίπτειν significat excuti uel amittere aliquid, ut ἐξέπεσε πόλεως, id est, amisit ciuitatem.

PRO-

PROPOSITIONES DE DISCRIMINE VERÆ ECCLESIÆ DEI A CÆTERIS SECTIS SEIUNGENDÆ.

I.

IN tam horrendis confusionibus generis humani, in tanta uarietate opinionum de Deo, & inter tot scelera libidines, iniusta bella, latrocinia, uastationes, mendacia, & infinitam Sophisticam turbatur humana ratio, quærens an sit Deus, & an certa pars generis humani sit Ecclesia Dei, quæ curæ sit Deo & exaudiatur, & cui sese in tota æternitate communicaturus sit, & quæ ac ubi sit illa Ecclesia, an uerò omnes homines pariter negligantur à Deo.

II.

Dubitationibus de Deo opponenda sunt testimonia cõfirmantia ad sensionem & fidem.

Cùm hæc horrenda spectacula tristissimis dubitationibus concutiant omnium hominum animos, necesse est opponere testimonia de Deo & de Ecclesia, & mentes uerbo Dei, quod illustribus testimonijs traditum est docere ac confirmare, & simul ardenti precatione petere, ut diuinitus doceamur & confirmemur, sicut scriptum est: Orate ne intretis in tentationem.

III.

Testimonia de Deo ex natura.

Non satis est cogitare argumenta, quæ ratio humana naturali luce cernit, sed tamen pædagogia utilis est, hæc argumenta quoq; colligere ad refutandos Epicureos furores: Nam & Paulus iubet uestigia Dei in natura aspicere & considerare.

IIII.

Noticiæ ordinatæ non sunt ex natura bruta.

Notæ sint igitur hæ demonstrationes, Impossibile est noticias ordinatas, ut numeros, discrimen honestorum & turpium, immutabile conscientiæ iudicium, gaudium & horribiles pauores uniuersaliter sic existere casu in hominibus, aut ex corporali et bruta materia oriri. Necesse est igitur mentem infinitæ potentiæ, sapientiæ et iusticiæ esse, à qua hæ noticiæ et iudicium conscientiæ oriuntur.

Ordo corporum mundi.

Ad hoc argumentum adiungatur generale argumentum de pulcerrimo ordine corporum mundi, Legibus motuum cœlestium, de uicibus temporum, de annua fœcundatione terræ, de conseruatione specierum, de distributione plantarum ad nutricationem et medicationem, de multis συμπαθείαις et ἀντιπαθείαις in natura: Item argumentum ualde firmum de conseruatione humanæ societatis in hac uita, quam in tantis confusionibus et furoribus hominum durare impossibile esset, nisi Deus eam sua potenti dextra tueretur.

Conseruatio humanæ societatis.

Atroces pœnæ atrocium delictorum.

Huc adiungatur regula, quod atrocia delicta comitantur atroces pœnæ in hac uita, iuxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Omnis anima quæ fecerit has abominationes, eradicabitur etc. Hanc regulam experientia etiam Ethnicos docuit, et eos de prouidentia commonefecit, ut uersus est:

εὐσεβεέσσιν ἀεὶ τὸ τέλος γλυκερώτερον ἐστὶ.
Item, τεύχων ὡς ἑτέρῳ τι, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Et Isocrates inquit etiamsi aliquando secus euenit, tamen prudentes regulam anteferre debere ijs, quæ rarò et extra regulam accidunt: οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει

τεύχα ἀνὴρ ἄλλῳ καὶα τεύχωρ. Addunt Philosophi demonstrationes ex ordine causarum, Item argumenta ex signis: cùm futura significẽtur singularibus prodigijs, apparet regi mutationes rerum humanarum mente, quæ præmonet homines. *Signa futurorum.*

V.

Simul etiam naturales noticiæ ostendunt, quòd & qualis sit Deus, uidelicet mens æterna, fabricatrix totius naturæ & ordinis in natura, & quidem talis, qualem se esse in Lege naturæ ostendit, quia cùm homo facit contra illas Leges, sequitur destructio naturæ in pauoribus conscientiæ & in alijs pœnis. Cũ igitur uelit congruentia Legi, certum est, Deum esse mentem sapientem, veracem, beneficam, iustam, castam, punientem scelera & destruentem contrarias naturas. Ex his naturalibus noticijs extructa est definitio Platonica: Deus est mens æterna causa ordinis ac boni in natura. *Naturales noticiæ ostendũt quòd & qualis sit Deus.*

VI.

Sed hæc noticia de Deo quam cernit ratio naturaliter, etiamsi ueras demonstrationes habet, non est sufficiens, sed uult Deus se agnosci, sicut se in uerbo suo patefecit, cui addidit illustria testimonia. Ideò dicitur 1. Corinth. 1. Cùm non nosset mundus Deum in sapientia per sapientiam, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et Ioan. 1. Deum nemo uidit unquam, unigenitus filius Dei qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Item: Hunc audite. Item, Pater sanctifica eos in ueritate, sermo tuus est ueritas. *Naturalis noticia de Deo non est sufficiens.*

VII.

Dupliciter differt Ethnica noticia Dei ã uera, quæ est Ecclesiæ propria, uidelicet agnitione essentiæ & agnitione uoluntatis Dei. Nam essentia sic patefacta est, quòd una sit essentia æterna, omnipotens, sapiens & bona, creatrix, & tamen sint tres personæ ὁμοούσιοι, æternus pater, coæternus filius imago æterni patris, & Spiritus sanctus. *Agnitione essentiæ & uoluntatis Dei differt ethnica noticia à uera*

VIII.

Ideò definitionem in Ecclesia tradimus. Deus est essentia spiritualis, intelligens, æterna, alia ã creaturis omnibus, uerax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, immensæ sapientiæ & potentiæ, irascens peccatis: Pater æternus, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filius imago æterni patris, & Spiritus sanctus procedens ã Patre & Filio: Sicut patefacta est diuinitas certo uerbo & testimonijs diuinis, quòd Pater æternus cum Filio & Spiritu sancto condiderit & conseruet cœlum & terram & omnes creaturas, & adsit omnibus creaturis quo ad conseruationem, & colligat sibi in genere humano æternam Ecclesiam propter Filium & per eum, & sit iudex iustorum & iniustorum. Hic uides in definitione nominari personas, & dici de collectione Ecclesiæ propter Filium, & per eum. Hæc non sunt nota rationi, sed diuinitus patefacta sunt, ut illustri patefactione tres personæ ostensæ sunt in Baptismo Christi. Et de singulis postea recitabimus testimonia. *Definitio Dei in Ecclesia.*

IX.

Vocabulum essentiæ significat id, quod reuera est, etiamsi est communicatum Græcè οὐσία. Vocabulum personæ in Latina Ecclesia receptum est, cùm uetus Græcia significantius dixerit, tres esse ὑποστάσεις seu ἰδιοσυμβώτους. Id uocabulum oppo- *Vocabulum essentiæ & personæ quid significet in Ecclesia.*

lum opponitur euanescenti cogitationi, uel uoci euanescenti, uel motui accidentali euanescenti,& definitio hęc traditur. Persona seu ὑφεστὼς est subsistēs uiuum, indiuiduum,intelligens,incommunicabile,non sustentatum in alio.

X.

Tres personæ diuinitatis.

Sunt autem tres personæ diuinitatis, Pater, Filius & Spiritus sanctus, ὁμοούσιοι & coëssentiales,non plures nec pauciores,quia sic se diuinitas patefecit, ut postea testimonia addemus.

XI.

Patris descriptio.

Sic autem discernuntur. Pater æternus est prima persona dininitatis, non nata,nec aliunde procedens, sed quæ ab æterno genuit Filium imaginem suam,& ā qua procedit Spiritus sanctus, & quæ cum Filio & Spiritu sancto omnes alias res creauit, & earum substantias conseruat.

XII.

Creare & gignere quid differant.

Creare autem nominat Ecclesia usitatē, aliud ex nihilo facere, sicut Deus cœlum & terram, angelos, & totam hanc mundi machinam dicendo fecit ex nihilo, non ex aliqua præcedenti æterna materia, ut multi Philosophi cogitauerunt. Gignere est alium de sua essentia gignere.

XIII.

Prouer. 8. Deus possedit me initio uiarū suarum, de sapientia quæ est filius Dei.

De his uocabulis Ariani certamina mouerunt, quia enim in Græca lectione Salomonis prouerb. 8. scriptum est de sapientia, Deus creauit me initium uiarum suarum &c. Inde Ariani contendebant filium esse πλάσμα ἐκ μὴ ὄντων, id est, rem creatam ex nihilo. Sed in Hebræo textu aliter legitur: Dominus possedit me initio uiarum suarum,id est,operum,consiliorum.Etsi autem ludæi nolunt hic intelligere sapientiam, quæ sit persona seu ὑφεστὼς: tamen dico rectē intelligi illa dicta de Filio, Sicut postea inquit: Fui cum eo artifex, & delectationes quotidianæ, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terræ, & delectationes meæ cum filijs hominum: Nunc ergo filij audite me,& beati qui uias meas custodiunt. Sicut Iohannes inquit: Omnia per ipsum facta sunt. Ita & hic dicitur: Fui cum eo artifex. Et sicut inquit: Filius qui est in sinu patris ipse enarrauit nobis. Item, Nemo nouit patrem nisi filius, & cui uolet filius reuelare: Ita hic dicitur, Delectationes meæ cum filijs hominum. Dicit se ad hominem mitti, ut Euangelium patefaciat. Hic Filius est persona per quam immediatē profertur promissio,& quæ immediatē ad Prophetas loquitur,& quę adest immediatē uerbo uocali,& per illud est efficax. Estq; dulcissimē dictum, quòd inquit: Se delectari consuetudine hominum, mittitur uolens, & lætatur nostra salute, sicut Luc. 10. inquit: Lætatus est in Spiritu & agit gratias æterno patri, quòd multi conuertuntur. Et de Ecclesia dicitur Psalmo 16. Omnis uoluntas mea in eis,id est,ego diligo eos, delector eis, & pro eis laboro. Contrā uerò de hostibus inquit: Non libabo libationes eorum de sanguine, nec assumam nomina eorum in labijs meis, id est, non recipiam sacrificia hostium Euangelij,nec precabor pro eis qui stabiliunt Idola & blasphemias,& propter confessionem Euangelij interficiunt rectē sentientes & innocentes. Tales non sunt Ecclesia Dei,etiamsi gloriantur se esse Ecclesiam Dei. Et hoc uno clypeo defendunt errores suos Papistæ, ut ostendant plurimorum recentium scripta

Sapiētia apud Salomonem, Delectationes meæ cum filijs hominum.

Poli,

Poli,Caniſij,Staphyli & ſimilium &c.Sit igitur in conſpectu hoc dictum:Non libabo libationes &c. Teneamus conſolationes,quōd Filius Dei inquit ,ſe adeſſe Eccleſiæ ſuæ, Omnis uoluntas mea in eis.

XIIII.

Filius æternus eſt ſecunda perſona diuinitatis, quæ eſt ſubſtantialis & integra imago æterni Patris , quam pater ſeſe intuens & conſiderans ab æterno gignit,quæ nobis ſic quidem manifeſtata eſt, quōd ſit perſona, per quam Pater æternus dicit decretum, & totum ordinem creationis & reparationis hominū, & mittitur ut patefaciat Euangelium,& aſſumat naturam humanam,& ſit Mediator, Redemtor, Iuſtificator & Saluator. *Filij deſcriptio*

XV.

Spiritus ſanctus eſt tertia perſona diuinitatis,procedens ā Patre & Filio, & eſt ſubſtantialis amor, & lætitia coæterna inter Patrem & Filium, & nobis ſic manifeſtata eſt, quōd mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem & læticiam acquieſcentem in Deo in eis accendat,qualis eſt ipſe,ſicut 2. ad Timoth. 1. expreſſē ſcriptum eſt, Non dedit nobis Spiritum timiditatis, ſed roboris,dilectionis Dei,& caſtificationis. *Spiritus S. deſcriptio.*

XVI.

Differunt naſci & procedere. Naſci eſt ā potentia cognoſcente, quia genitum eſt Imago gignentis. Vt autem in hominibus potentia cognoſcens formatimagines & loquitur : Sic Filius eſt æterni patris imago cogitatione genita eſt λόγος oſtendens eum in reuelatione Euangelij. Procedere uerò eſt ā uoluntate ; quia Spiritus ſanctus eſt motor ſeu agitator. *Differūt naſci & procedere.*

XVII.

Filius nominatur λόγος, non ſolūm quia cogitatione naſcitur , ſed etiam quia eſt perſona proferens Euangelium ex ſinu æterni Patris,& conſeruans miniſterium Euangelij,& eſt efficax in his qui credunt Euangelio, & uoce Euangelij dicens conſolationem in mentibus eorum & uiuificans eos,ſicut inquit, Ego uitam æternam do eis , & oſtendens patrem & effundens Spiritum ſanctum in corda eorum. Etſi enim fit uiuificatio per tres perſonas, tamen hoc ordine fit. Aeternus pater per Filium colligit Eccleſiam,qui immediatē uoce Euangelij mouet corda & monſtrat Patrem,& dat Spiritum ſanctum. Ideō dicit Athanaſius ; Quandocunq; dicitur in homine Spiritus ſanctus eſſe, eſt ibi per Verbum. *Filius nominatur λόγος.*

Conſiderandum eſt igitur Filium dici λόγον,& reſpectu patris & reſpectu noſtri,quia eſt λόγος per quem pater ſe nobis patefecit.Ideō in Iohanne dicitur: Filius qui eſt in ſinu Patris &c. Item, Nemo nouit Patrem &c. Et Dominus ipſe reſpondet interrogantibus quis ſit: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Ego ſum uerbum quod loquor uobis ab initio , Sum illa perſona initiō miſſa ad Eccleſiam, quæ protuli Euangelium ex ſinu æterni patris , & locuta ſum cum Patribus. Hæc declaratio nominis λόγος, quōd alloquatur Eccleſiam,congruit ad dicta in Iohanne,& eſt dulcior quām declaratio de modo generationis. Nazianzenus utranq; declarationem recitat,Filius dicitur λόγος,quia ſic ſe habet ad patrem, ſicut ad mentem ſermo , & quia eſt ἐξαγγελικὸς, id eſt, proferens Euangelium.

XVIII.

Filius apud Esaiam uocatur consiliarius.

Congruit ad hanc enarrationem τὸ λόγος, quod Esaias nominat eum Consiliarium, uidelicet proferentem hoc mirandum consilium de Redemtione & saluatione ex sinu æterni Patris, & postea capite 41. nominat eum Euangelistam.

XIX.

In Epistola ad Hebræos appellatio est Imago, quam nominat fulgorem paternæ lucis. Est enim usitata phrasis apud Hebræos dicere gloriam pro luce. Postea inquit: Character substantiæ patris. Dicitur autem filius imago, quia pater sese perfectè intelligit, cùm sese intuetur: in ea cogitatione fulget integra & substantialis imago æterni patris, sapiens, uerax, benefica, iusta, casta, misericors. Congruit autem & hæc appellationis ratio. Filius eò dicitur imago, quia annunciando Euangelium ostendit arcanam uoluntatem patris. Nec dissimiles sunt uoluntates filij, & æterni patris. Promissio gratiæ edita per Filium est uniuersalis. Cùm igitur Filius sit imago æterni patris, non cogitetur alia & dissimilis arcana esse uoluntas patris.

XX.

Testimonia quod λόγος sit ἐνεργάμενον.

Sint autem in conspectu testimonia, quòd λόγος sit ἐνεργάμενον non cogitatio aut uox euanescens. Sitq; hoc primum ualdè illustre testimonium, quod in quotidiana inuocatione cogitandum est. Certissimum est nihil inuocandum esse, quod non est natura Deus & omnipotens, iuxta dictum, Dominum Deum tuum adorabis & ei soli seruies, & Inuocatio absentis tribuit ei omnipotentiam, uidelicet audire & iudicare corda, Quia solus Deus penitus uidet corda & discernit Hypocrisin à uera inuocatione. 1. Paral. 28. Omnia corda scrutatur Dominus, & uniuersas mentium cogitationes intelligit.

Affirmat autem tota scriptura Prophetica & Apostolica Messiam inuocandum esse, Psalm. 45. Quoniam ipse est Deus tuus, & adorabis eum, & Psalm. 72. Deprecabuntur coram ipso semper, & Gen. 48. Ipse Iacob inuocat eũ dicens: Deus Abraham, & angelus qui eripuit me de cunctis malis, benedicat his pueris, & Matth. 11. dicit. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam uos. Et 2. Thes. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus & Deus & Pater noster, qui dilexit nos & dedit consolationem æternam & spem bonam, in gratia confirmet uos. Ergo fateri necesse est, quòd Messias sit non tantùm homo, sed quòd sit λόγος, de quo dicitur: Verbum caro factum est, & sit ἐνεργάμενος, non euanescens. Hæc in quotidiana inuocatione cogitanda sunt, & statuendum est uerè aspici & exaudiri gemitus cordium nostrorum ab hoc ipso Messia ad Ecclesiam misso, qui immediatè uult custos esse Ecclesiæ suę, sicut inquit: Nemo rapiet oues meas de manibus meis.

XXI.

Testimonia de diuinitate filij.

Deinde addantur testimonia quæ de diuinitate filij loquuntur, ut Iohan. 1. Deus erat Verbum. Et cùm Paulus ad Colossenses de persona Christi inquit: Omnia per eũ facta esse, & consistere per eũ omnia, Fatendum est in Christo non tantùm esse humanã naturam, sed & diuinam, & uerbum non esse euanescentem sermonem, sed ἐνεργάμενον quod manet in persona Christi. Sicut ipse testatur Iohannis 8. Antequam Abraham natus est, ego sum. Item, Si uideritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius. Item, Glorifica me Pater ea gloria,

gloria, quam habui apud te antequām esset mundus. Est igitur λόγος ἐνσάρκος.

XXII.

Huc pertinent omnia dicta de omnipotentia Christi, Iohannis 10. Ego uitam æternam do eis. Iohan. 5. Pater meus usq; modo operatur & ego operor. Quæ ille facit Filius similiter facit. Item, Sicut Pater exuscitat mortuos & uiuificat, sic & Filius quos uult uiuificat. Quid simplicius & planius dici potest. Cogita autem, quantum referat firmissimē statuere, quòd natura Deus se demiserit, ut nostræ naturæ massam assumeret, & fieret Redemtor. Sæpè igitur cogitentur hæc testimonia, & ad confirmationem & ad consolationem. Matth. 18. Vbicunq; sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Sunt autem propria naturæ diuinæ, ubiq; adesse, exaudire, & opitulari ubiq;. Quid dulcius cogitari potest, quām hunc Redemtorem, qui pro te uictima factus est, nunc quoque adesse custodem tuum, & gestatorem, Sicut in Esaia inquit: Ego gestabo uos, sicut pastores agnos recens editos in gremio suo gestant.

Dicta de omni potentia filij.

XXIII.

Ideò Paulus inquit: Habitat in Christo plenitudo diuinitatis corporaliter. Hic duo sunt discrimina quæ sic interpretor. In alijs sanctis habitat Deus separabiliter, docens & mouens eos, & non totam sapientiam & omnia dona tribuit, sed in Christo habitat σωματικῶς, id est ita, ut sint una persona λόγου & natura assumta, & sint hæ duæ naturæ inseparabiliter iunctæ in tota æternitate. Nam ut nos dicimus nunc usitato sermone persona, sic Græci dixerunt σῶμα. Et cùm λόγος in persona Christi sit essentialiter Deus, ibi plenitudo est potentiæ, sapientiæ, iusticiæ, uitæ, & omnium donorum.

De dicto Pauli, In Christo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter.

XXIIII.

Primæ Corinth. 10. Paulus affirmat, Christum adfuisse populo Israël in deserto. Bibebant ex spirituali comitante eos petra, Petra autem erat Christus. Hæc dicta quæ affirmant ante assumtionem naturæ humanæ adfuisse Ecclesiæ Filium Dei, maximè perspicuè ostendunt λόγον ἐνσάρκον esse, & declarant missionem ad Ecclesiam, & quòd semper per ipsum immediatè collecta sit & colligatur Ecclesia, & quòd ideò hæc persona assumserit naturam humanam, quia hæc ipsa persona ad colligendam Ecclesiam missa est. Notum sit igitur & dulcissimum dictum Irenæi libro 3. cap. 2. ubi affirmat λόγον esse personam & semper adfuisse Ecclesiæ, etiam antecq; assumsit humanam naturam. Verba Irenæi hæc sunt: Ostenso manifestè, quod hunc, qui à principio λόγος fuit apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui & semper aderat humano generi, nouissimis temporibus secundum præfinitum tempus à patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum misit.

Testimonia quòd Christus affuerit Ecclesiæ ante assumtionem humanæ naturæ.

Sint igitur in conspectu testimonia, quæ affirmant, semper adfuisse Ecclesiæ Filium. Fit enim inuocatio ardentior, cùm hoc officium Filij & hanc familiaritatem nobiscum cogitamus, quòd sit missus, ut semper colligat Ecclesiam, seruet ministerium Euangelij, sit efficax cogitatione Euangelij, sicut dicitur: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item Christus est nobis factus à Deo sapientia, iusticia, sanctificatio & redemtio.

De dicto Pauli, Christus factus est nobis sapientia iusticia &c.

SAPIENTIA est, quia profert Euangelium ex sinu æterni Patris, &

credentibus ostendit patrem. IVSTICIA est, quia propter eum dantur remissio peccatorum & reconciliatio, qua coram Deo iusti, id est, accepti sumus. Est & SANCTIFICATIO, quia per eum immediatè noua lux in mentibus accenditur, & ostenditur uoluntas Patris, & datur Spiritus sanctus. Est & REDEMTIO, id est liberator, per quem redemta est Ecclesia, & liberatur à morte æterna, & donatur gloria & uita æterna. Est autem & hæc descriptio effectuum Christi testimonium, quòd sit omnipotens. Ac pertinent dicta de missione ante assumtionem humanæ naturæ ad hanc propositionem, uidelicet, Abraham uidit diem meum & lætatus est. Item, Antequam Abraham natus est ego sum. Item, πάλω ἀρχὴν ὅθεν καὶ λαλῶ ὑμῖν. Item, Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis. Item, Ex plenitudine eius nos omnes accepimus, inquit Baptista, Omnes Patres & Prophetas accepisse Euangelium & uiuificationem & iusticiam ad uitam æternam, dante hoc Filio & propter eum.

XXV.

Valdè confirmant piam mentem cogitantem de diuinitate in Filio Dei, dicta quæ loquuntur de præsentia eius in Ecclesia ante natiuitatem ex uirgine. Simul autem cogitetur de omnipotentia, qua & tunc fuit efficax, & eodem modo efficax est in Ecclesia post assumtam humanam naturam. Nam & hæc dicta de omnipotentia sunt testimonia diuinitatis. Nominatur Christus caput Ecclesiæ Ephes. 1. Dedit eum caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus eius integrum, perficientis omnia in omnibus. Expressè autem fatentur scriptores lib. 3. sententiarum distinctione 13. Nomen capitis tribui toti personæ, & aliās additis proprietatib. competere ei secundum humanam naturam, aliās secundum diuinam.

Dicta de omnipotentia.

Est caput efficacia, perfectione, merito & ordine. Primùm efficacia, quia hæc persona propriè missa est, ut immediatè per eam æternus Pater colligat Ecclesiam. Hæc persona initiò profert Euangelium, per eum immediatè Adam & Eua uiuificantur: Adest Ecclesiæ, & eam immediatè uiuificat, sustentat, & seruat. Per eum Noæ in arca, populus in mari rubro, tres uiri in flammis, & in summa uniuersa Ecclesia immediatè per hanc personam seruatur: Sic inquit Paulus in Ephesijs. Perficere eum omnia in omnibus, & suprā dictum est: Ego uitam æternam do eis. Item, Quos Pater uiuificat, hos & Filius uiuificat. Hæc efficacia est capitis præsentis in Ecclesia, secundum diuinam naturam.

Christus quomodo sit caput Ecclesiæ.

Primùm efficacia.

Quanq̃ autem aliquæ actiones, uiuificare aut resuscitare mortuos competunt Christo secundum naturam diuinam: tamen actiones dicuntur esse totius personæ communicatione Idiomatum, ut dicimus homo numerat, etiamsi tantùm mente numerat. Fiunt iam hæ actiones in natura assumta, & ideò fiunt, quia decretum de illo mirando fœdere factum est, uidelicet de Filio mittendo ad assumendam humanam naturam. Et fiunt actiones multæ ministerio assumtæ naturæ, ut cùm iudicabit Filius resuscitatos uisibiliter, iudicium uerè erit potentiæ diuinæ, sed ministerio naturæ assumtæ, sicut inquit: Omne iudicium dedit Filio. Est autem & sua efficacia naturæ assumtæ, quæ antecellit omnibus creaturis potentia, depellit diabolos, protegit Ecclesiam, & multa potenter agit, quæ capiti congruunt.

Secundò Christus est caput perfectione, non solùm iuxta diuinam naturam, sed

Secundò perfectione.

ram,ſed etiam humanam, quia & humana natura in Chriſto antecellit ſapientia & iuſticia omnibus angelis & hominibus.

Tertiō eſt caput merito,iuxta humanam naturam. Quia cùm perfectiſſima obedientia meruerit Eccleſiæ Redemtionem, iuſtum eſt eum ſuperiorem eſſe uniuerſa Eccleſia. *Tertiò merito.*

Quartō ordine iuxta miſſionem, ſicut Iohannes inquit:Prior me eſt,quia primum hæc ſecunda perſona propter decretum de aſſumenda humana natura ad Eccleſiam miſſa eſt. Dignitas autem etſi ſumma eſt, & propter has cauſas quas recitaui, efficaciam, perfectionem, Meritum & ordinem: Tamen per ſe eſt digniſſima perſona,propter naturam diuinam, & propter aſſumtæ naturæ Excellentiam. *Quartò ordine.*

Hæ cauſæ omnes cogitentur, cùm Paulus nominat Chriſtum caput. Expreſſē autem dicit: Perficiens omnia in omnibus, quod intelligatur ſicut hoc dictum,Ego ſum uitis uos palmites: Sine me nihil poteſtis facere,ſcilicet ſalutare.Etſi tota diuinitas colligit Eccleſiam & eſt in ea efficax: tamen per Filium miſſum ad Eccleſiā hæc immediatē fiunt,& fiūt uoce Euangelij: Et uerū eſt dictum, Filius agit per ſe, ſed non à ſe. Ideō dicit, Sedet ad dexteram æterni Patris,dans dona hominibus. Hæc dona dantur à Patre, Filio & Spiritu ſancto, Et tamen immediatē dantur per Filium. Sic & Pſalmus loquitur: Dixit Dominus Domino meo,ſede à dextris meis. Etſi tota diuinitas colligit Eccleſiam, tamen Pſalmus tribuit hoc Filio,quia per ipſum hoc fit immediatē miſſum,ut proferat Euangelium ex ſinu æterni Patris, et ſit Redemtor & ſaluator Eccleſiæ, *Per filium immediatè colligitur Eccleſia.*

EX VETERI TESTAmento.

ADiungantur & teſtimonia ex Prophetis: apud quos hoc commune ſemper in conſpectu ſit, quōd uniuerſaliter docent Prophetæ,Meſſiam inuocādum eſſe. Nihil autem inuocandum eſt,quod non eſt natura Deus. Item: quōd uniuerſaliter docent Prophetæ, Meſſiam reddere iuſticiam & uitam æternam, quod eſt naturæ omnipotentis. Et quia ante naturæ humanæ aſſumtionem, cum Patribus & Prophetis loquitur, & tribuuntur ei proprietates diuinæ, fateri neceſſe eſt, quōd Meſſias ſit Deus. Iacob inquit: Benedicat Deus his pueris,& angelus qui liberauit me ex omnibus malis. Vbi non dubium eſt, nominari angelum Filium miſſum ad Eccleſiam,qui ſemper fuit & eſt cuſtos ſuę Eccleſiæ, & proprietates ſunt diuinæ naturæ, liberare ex cunctis malis, à peccato à morte & à furoribus Diabolorum, item reſtituere iuſticiam & uitam æternam. Loquitur Daniel cum Domino quem nominat Palmoni, id eſt, mirificum,uidelicet mirandis modis colligentem & ſeruantem Eccleſiam, & mortuis reddentem uitam. Et perſona immediatē loquens cum Moyſe, & oſtendens ſe ei in Petra. Exodi 33. & Filius λόγος qui ibi expreſſē inquit: Vocabor in nomine Domini coram te: Et cùm inquit,Poſteriora mea uidebis,ſignificat hanc perſonam aſſumta natura humana in fine iſtius politiæ cernendam eſſe. Quare & ueteres ſapienter illud Pauli: Lex eſt data in manu Mediatoris, intellexerunt de Filio. In manu Mediatoris,ſcilicet Filij, ſicut affirmat Paulus adfuiſſe eum populo in deſerto, *Teſtimonia de diuinitate filij ex ueteri Teſtamento.* *Inuocatio filij & proprietates diuinæ quæ tribuuntur ei ante aſſumtionem humanæ naturæ ſunt teſtimonia quòd ſit Deus.*

Iehouah. Hieremiæ 33. Et hoc est nomen quod uocabunt eum IEHOVA iustitia nostra: ubi Propheta expressè nominat Messiã Iehouah, quod nomen nusquam creaturis tribuitur. Etsi autem Iudæi astutè eludunt: tamen manifesta est refutatio, cùm ait, Vocabunt eum Iehoua, id est, inuocabunt. Est autem & ipsa Inuocatio testimonium diuinitatis, & ait sic inuocandum esse, ut fateamur hoc germen Dauid quod est Iehouah, esse iusticiam nostram, id est, uiuificatorem & iustificatorem, tollentem peccatum, reddentem iusticiam & uitam æternam. Hæc est proprietas diuinæ potentiæ, nec tribui potest creaturis.

Emmanuel. Esaiæ 7. Vocabitur nomen eius Emmanuel, id est, nobiscum Deus, Nec ualet elusio Iudaica de uocabulo, quia additur proprietas naturæ omnipotentis. Pater uitæ perpetuæ. Dare enim uitam æternam est naturæ omnipotentis: Sic inquit ipse Dominus: Ego uitam æternam do eis. Est autem in hoc dicto Esaiæ, & in appellatione Emmanuel considerandum testimonium de missione Filij ad Ecclesiam, quòd uidelicet propter hanc personam recipiamur, & quòd per eam immediatè colligatur Ecclesia, & quod hæc persona immediatè sit custos & caput Ecclesiæ, quòd semper ei adest, eam seruat & gestat.

Mich. 5. Egressiones eius ante dies mundi. Hoc testimonium etsi breue est, tamen affirmat Messiam fuisse ante creationem mundi. Est igitur æternus & Deus. Quare & norunt eum patres ab initio, & adesse eum Ecclesiæ sciuerunt, & eum inuocauerunt, ut apparet in precatione Iacob suprã recitata.

Psalmus 45. Et concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est Deus tuus, & adorabis eum. Hic & adoratio & proprietas competit naturæ omnipotenti. Et dulcis consolatio est, cùm Ecclesiæ species propter infirmitatem, crucem, & scandala uideatur deformis esse: tamen Psalm. inquit, Hunc regem delectari pulcritudine Ecclesiæ. Rex concupiscet decorem tuum. Est enim pulcra coram ipso, quia non est Idolatrica, sed retinet Euangelium, agnoscit & inuocat uerum Deum sine Idolatria, & huic uero Deo desponsata est fide, & est domicilium & templum Dei. Cùm igitur in ea sit lux, uidelicet uerus Deus & agnitio ueri Dei, est pulcra, etiamsi in hac mortali natura adhuc sunt reliquiæ peccati & multiplicia uulnera & scandala Ecclesiam lacerant. Hanc consolationem deformitati nostræ opponamus, & lętemur nos esse in uera Ecclesia, quę coram Deo pulcra est, non est Idolatrica ut agmina Mahometistarum, Papistarum, Anabaptistarum, & multorum fanaticorum.

Psalm. 72. dicit Messiam sempiternum esse & semper adorandum. Fuit nomen eius semper ante solem, & benedicentur in eo omnes gentes. Item, Timebunt eum donec erunt Sol & Luna. Item, Adorabunt eum omnes Reges. Hic Psalmus affirmat Messiam æternum esse, item adorandum esse. Hæ sunt proprietates Dei, & intelligitur adoratio, non de externo gestu corporis tantùm, qui exhibetur prẹsenti regi more politico, Sed de adoratione naturæ quã non cernimus oculis corporalibus, ã qua petimus bona quæ non possunt dari à creaturis, quam confitemur dare uitam, iusticiam & salutem. Et in hoc ipso Psalmo sic declaratur adoratio, quia affirmat hunc Regem tribuere bona, quæ creaturæ dare non possunt. Eripiet Pauperem cui non est adiutor, dicit talem esse opitulatorem, qui desertos ab omnibus creaturis seruat, ut seruantur Adã & Eua deserti ab omnibus creaturis.

Responsio

XXVI.

Responsio ad quædam argumenta.

POstquàm autem certis & illustribus testimonijs uera doctrina de Christo confirmata est, tenendæ sunt etiam perspicuæ responsiones ad ea quæ contra ueritatem opponuntur: Ac maximè speciosa obiectio est:

Natura diuina non patitur, non moritur,
Christus est mortuus,
Ergo non est Deus.

Responsio ad minorem uera & necessaria est. Christus mortuus est secundum naturam humanam, sicut Petrus inquit, Christum passum esse carne, & Irenæus piè & eruditè dicit pag. 185. Christum crucifixum & mortuum esse requiescente uerbo, ut crucifigi & mori posset, id est, natura diuina non est quidem lacerata aut mortua, sed quieuit, cessit iræ æterni patris aduersus peccatum generis humani, non est usa sua potentia, non exeruit suas uires, & uoluit hanc obedientiam & humilitatem, qua quidem maiorem humilitatem ostendit erga æternum patrem, quàm ulla alia creatura. Huius solutionis hic fons est, cùm in Christo sint duæ naturæ, quædam propria uni naturæ non impediunt, quò minus & altera natura adsit, ut proprium est humanæ naturæ, edere, dormire, esurire, sitire. Hęc non impediunt, quò minus adsit diuina natura, quia naturæ retinēt suas proprietates: Sic lacerari membra, pati, mori, propria sunt humanæ naturæ, nec impediunt quò minus adsit diuina natura, sicut expressè dictum est, Ego habeo potestatem ponere animam et rursus eam sumere: Nam & sic assumsit humanam naturam, & sic induit infirmitatem, ut non maneret in morte. Hanc personā uoluit æternus pater esse uictimam, & quiescente uerbo mori, secundum eam naturam quæ mori poterat: Sed uoluit eum non manere in morte. Ideō inquit Athanasius pag. 28. Corpus assumsit quod mori posset, quia morte placanda erat ira æterni patris. Manere autem in morte fuit impossibile propter unitam naturam diuinam, quæ mori non poterat. Teneantur autem hoc loco modi loquendi in Ecclesia, bono iudicio distincti. Hæc propositio non est recepta in Ecclesia, Natura diuina moritur, Quia in abstracto natura secundum se consideratur, non comprehenditur persona. Et uetustas tam seuerè custodiuit hunc modum loquendi, ut decretum extet inter cæteras optimas sententias, in libro 9. Tripartitæ historiæ: Si quis dicit, quòd in passione crucis dolorem sustinuerit filius Dei diuinitate, & non carne & anima rationali quam assumsit in serui forma, ut dixit sancta scriptura, anathema sit: εἴ τις εἶπη, ὅτι ἐν πάθει τοῦ σαύρου ὁ υἱὸς θεὸς θεότης, ἤγουν σαρκὶ ἤγουν ψυχῇ λογικῇ, τῇ ἀνέλαβεν ἐν δούλου μόρφῃ ὥσπερ εἶπεν ἁγία γραφή, ἀνάθεμα ἔστω. Sed hæ propositiones de Christo receptæ sunt: Christus mortuus est, Deus mortuus est, & dicuntur esse ueræ communicatione Idiomatum.

Christus mortuus est secundum humanā naturam.

Propria uni naturæ non impediunt, quò minus altera adsit.

Est autem communicatio Idiomatum figura loquendi in qua proprietas unius naturæ, tribuitur personæ in concreto propter unionem Hypostaticam, ut rectè dicimus, homo numerat, quanquàm mente numerat tantùm. Nec intelligatur communicatio Idiomatum, Physica confusio naturarum, sed prudenter cogitetur, quid sit persona.

Cōmunicatio Idiomatū quid sit.

Cōmunicatio Idiomatum nō est Physica cōfusio naturarū

Ingens

Ingens dissimilitudo est harum propositionum: Baptista patiente Deus patitur, iuxta dictum, Quicquid feciſtis uni ex minimis meorum mihi feciſtis: Et huius propositionis: Christo patiente Deus patitur. Nam Baptista patiente Deus patitur: hæc uera est per μεταφορὰν, scilicet quia relatio, hoc est, contemtus ad Deum pertinet, ut contumelia Legati pertinet ad Dominum, scilicet relatione seu cogitatione: Sed in hac propositione Christo patiente Deus patitur, non est Metaphora, sed significatur personæ unitas, uidelicet, quòd hęc persona patiens uerè sit Deus, & tamen non intelligatur Physica confusio naturarum. In hoc qui moritur est natura diuina, sed hæc ad tempus quiescit, & uult istam humilitatem.

Prodest autem exempla intueri tradita in scripturis. Ioan. 8. Antequam Abraham natus est, ego sum. Hæc propositio uera est communicatione Idiomatum, id est, de persona rectè sic dicitur. Etsi enim natura humana Christi non erat ante natum Abraham, tamen persona eadem est, quæ & antè fuit, & deinde assumsit humanam naturam. Et Zachar. 12. Videbunt me quem confixerunt. Filius inquit se uulnerari, cùm nondum naturam humanam assumsisset, sed propositio uera est communicatione Idiomatum. Sic Esa. 43. Seruire me fecisti in peccatis tuis, laborare in iniquitatibus tuis.

Testimonia ueterum de formis loquēdi in doctrina de duabus naturis in Christo.

Vtile est etiam nosse dicta ueterum scriptorum, qui de formis loquendi certa testimonia tradere uoluerunt. Verba Hieronymi in expositione fidei ad Damasum hæc sunt: Nos autem ita dicimus à Dei filio susceptum esse passibile nostrum, ut Deus impassibilis permaneret: Passus est enim Filius Dei secundum illud quod pati poterat, scilicet secundum substantiam assumtã. Item mortuus est Dei Filius secundum scripturam iuxta id quod mori poterat.

Et Augustin. Psalm. 129. Per illud quod homo erat mortuus est Deus, & per illud quod Deus erat, homo exuscitatus est & resurrexit.

Ambrosius de incarnatione uerbi, Ergo moriebatur secundum naturæ nostræ susceptionem, & non moriebatur secundum æternæ uitæ substantiam.

Cumq; nemo in Ecclesia sic sit locutus: Christus secundum utramq; naturã mortuus est, diligentiã & circũspectionem Ecclesię ueteris nos quoq; imitemur, ac sciamus eos usos esse particula, secundum, tanq; disiunctiua. Christus mortuus est secundum humanam naturam. Hic non fit diuulsio personæ, sed sua cuiq; naturæ proprietas attribuitur, sicut particula Secundum usus est Paulus Rom. 1. Nato ex semine Dauid secundum carnem. Ex Act. 2. dicitur: Secundum carnem resurgere Christum.

Retinenda est personæ unitas & nõ sunt confundendæ naturæ.

Retinenda est igitur personæ unitas & tamen non sunt confundendæ naturæ. Nestorius autem non retinuit unitatem personæ negans hanc propositionem de Christo: Deus est passus, Quia sentiebat τὸν λόγον adesse humanæ naturæ per assistentiam, ut ipsi loquebantur, id est, societatem, sicut reuera adfuit Heliæ uel Esaiæ. Huic impiæ imaginationi necesse fuit aduersari, sicut necesse est discerni Christum ab omnibus sanctis. In Christo sic sunt unitæ duæ naturæ, ut sint unum ὑποστάμενον, id est, ut gestetur humana natura ἀ λόγῳ, Sic ut sint inseparabiles naturæ deinde in tota æternitate, & ut natura humana rediret in nihilum, nisi sic gestaretur. Vsi sunt hac similitudine Athanasius, Cyrillus & Iustinus: Sicut homo est ὑποστάμενον habens animam & corpus, sic unum est ὑποστάμενον, λόγῳ & natura assumta: Sed tamen correctionem addidit Iustinus, quia exemplum non prorsus congruit. Verba Iustini hæc sunt:

Quidam

Quidam sic explicarunt, cogitantes tanquam animæ & corporis coniunctionem: etsi autem concinnum est exemplum, tamen non congruit per omnia, congruit tamen secundum aliquid. Græci sic: τίνες μὲν τὴν ἕνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν, καὶ ἁρμόδιόν γε τὸ παράδειγμα, εἰ μὴ κατὰ πάντα, κατά τι γοῦν.

Iudico etiam discernendas esse proprietates, aliæ sunt solius naturæ diuinæ, ut non posse uulnerari, non posse mori, aliæ sunt solius naturæ humanæ, posse uulnerari, mori 2c. Ex his fiunt propositiones ueræ communicatione Idiomatum, & tamen cauendum est ne fiat confusio naturarum. *Discernendæ sunt proprietates naturæ utriusq;.*

Aliæ sunt proprietates, quæ sunt immediatè personæ; Christus est Mediator, Redemtor, Sacerdos, Rex, Saluator, Quia fatendum est, quòd λόγῳ uenerit, non tantùm ut hanc suam massam quam assumserat, sustentaret, sed propter nos, ut hæc persona esset saluatrix, quæ habet multa officia, quorum exercet quædam immediatè per humanam naturam, ut passionem, mortem, quædam per diuinam naturam, ut uiuificationem. *Proprietates personæ.*

Christus est sacerdos benedicens. Benedicere autem non est solius humanæ naturæ sed personæ, quia est & orare pro nobis, & offerre pro nobis suam obedientiam, & remittere peccata, & communicare sese nobis, iuuare & uiuificare. Ac orat Filius pro Sanctis à principio mundi, ut in Psalmo dicitur: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem. Missus est ad Ecclesiam, professus Euangelium & immediatè colligens Ecclesiam. Ideò etiam filius propriè assumit humanam naturam, quia ipse immediatè missus est ad Ecclesiam.

Et quanquàm Viuificatio est opus totius diuinitatis, tamen fit hoc ordine, Patre mittente Filium, & Filio dicente consolationem, & Spiritu sancto accendente nouos motus. Quod uerò obijcitur, actiones ad extra communes esse tribus personis: Rectè respondetur, Seruata cuiusq; personæ proprietate, uel seruato ordine personarum. Vnde & regula Augustini tradita est: Agit Filius non à se, sed per se. *Viuificatio quo fiat ordine.*

ALTERVM ARGVMENTVM.

Pater maior me est:
Ergo Filius non est natura Deus.

Vsitata responsio est: Patrem maiorem esse Christo secundum naturam humanam, Ego concinniorem responsionem esse iudico: Discernere diuinitatem mittentem à persona missa ad ministerium & ad humiliationem. Pater maior me est, non quod ad essentiam attinet: Sed quod ad hoc officium attinet, in quo ego sum persona missa, passura sine gloria, sed Pater mittens glorificabit me. Ita Pater maior est, mittens scilicet & glorificans: Loquitur enim ibi Dominus non de essentia, sed de ministerio suo. *Pater maior me quomodo sit intelligendum.*

ALIVD ARGVMENTVM.

Honorans est minor honorato,
Filius honorat Patrem,
Ergo Filius minor est Patre.

Respondeo. Simpliciter nego maiorem, quia honos & obedientia non tollunt

Honos & obedientia non tollunt æqualitatem essentiæ et potentiæ.

tollunt æqualitatem essentiæ & potentiæ, sed distinguunt ordinem personarum. Ac uerum est, quòd Filius in tota æternitate magis honorat patrem, quã ulla creatura, quia perfectissimè nouit patrem, sicut inquit: Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui Filius uolet reuelare.

De dicto Pauli non est rapinã arbitratus.

Ex his dictis declaretur sententia Pauli ad Philippenses, Sic sitis affecti, sicut & Christus Iesus affectus erat, qui cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & gestu inuentus est ut homo. Vetustas formam interpretatur essentiam & potentiam diuinam, quasi dicat, qui cùm esset natura Deus & potens, & posset uiuificare naturam humanam, non rapinam arbitratus est esse æqualẽ Deo, id est, non rapuit æqualitatem Dei, id est, non exeruit potentiam diuinam extra uocationem, sed ad tempus quieuit, & uoluit hanc humilitatem, qua hæc persona patri obediret.

Ac sciendum est usitatam φράσιν esse, quæ & apud Thucydidẽ extat, ἁρπαγμὸν, id est, ducere rapinam, pro rapere. Vtrique dimicarunt de hoc dicto pij & Ariani: Sed retineamus simplicem interpretationem. Prior pars testatur Filium esse natura Deum & potentem, cùm ait, in forma Dei. Secunda pars de certo tempore humiliationis loquitur: Non rapuit æqualitatem Dei, id est, non est usus sua potentia extra uocationem: deinde formam serui nominat & naturam humanam & proprietates naturæ humanæ, passibilitatem, lætitiam, dolores, mortalitatem sine peccato.

λόγος assumsit humanã naturam integrã & incorruptã

Tenenda est etiam regula, quòd λόγος assumserit humanam naturam integram & incorruptam habentem omnes uires & appetitiones naturæ proprias & ordinatas: Item non uiciosam, sed tamen passibilem sine peccato & mortalem. Et has infirmitates assumsit uolens propter nos, ut fieret uictima. Sic Ebr. 4. dicitur: Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia secundum similitudinem sine peccato. Etsi igitur Christus uidebat patrem & beatus erat, tamen ut uerè esurijt secundum humanam naturam, ita uerè sine simulatione sensit dolores in lacerationibus & morte, scilicet quiescente uerbo: Sicut inquit, Tristis est anima mea usq; ad mortem. Assumsit naturam humanam cum illis proprietatibus & affectibus sine peccato. Ideò ad Philippenses dicitur: Gestu inuentus est ut homo, ubi intelligas proprietates humanæ naturæ non simulatas, appetitiones, affectus, lætitiam & dolorem, iram & zelum, mortalitatem &c.

ALIVD ARGVMENTVM.

1. Corinth. 15. Tradet regnum Deo patri: Tunc & ipse Filius subijcietur patri, qui subiecit ei omnia. Ex hoc dicto ratiocinabantur Ariani, Filium esse inæqualem patri. Cyrillus breuiter respondet, subiectio seu obedientia non tollit æqualitatem essentiæ & potentiæ, sed ostendit ordinem personarum. Nec displicet mihi hæc breuis responsio, sed adiungo magis propriam.

Filius considerandus quo ad essentiam.

Filius considerandus est dupliciter, quo ad officia ut persona missa, uel quo ad essentiam diuinam. Nam ut persona missa, & assumens naturam humanam, colligens Ecclesiam & regnum ministerio Euangelij, & ut rex & caput Ecclesiæ, subijcit se æterno patri, & tradet regnum Deo & Patri, id est, adducet Ecclesiam in conspectum patris.

Regnum Christi in hac uita.

Etsi enim idem est regnum æternum Christi, sicut dicitur: Regni eius nõ erit

erit finis: tamen modus differt in hac uita & post hanc uitam. Modus in hac uita est propriè hanc personam Christi missam esse ad colligendam Ecclesiam ministerio Euangelij. In hac missione diuinitas est efficax in ministerio immediatè per Filium, qui est caput omnia in omnibus perficiens, intercedens pro Ecclesia, seruans Ecclesiam & ministerium, sicut scriptum est, Sedet ad dexteram Patris dans dona hominibus. Item, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi.

Alter modus regni est in uita æterna, in qua non erit regnum per ministerium Euangelij, sed Deus immediatè erit omnia in omnibus beatis, immediatè communicabit se eis, & suam sapientiam, iusticiam & læticiam, & agnoscent eum beati à facie ad faciem, ut 1. Corinth. 4. dicitur. Cùm hæc persona quæ est Christus sit rex Ecclesiæ, Deus & homo, in quantum rex, erit sub Patre seu mittente diuinitate, quia hoc agnosci oportet, quòd hoc regnum sit à diuinitate, quòd per Filium rursus ad Deum tanquam ad caput adiuncti simus, sicut ad Ephesios dicitur: Deo placuit cuncta redigere in unum caput. Ita de officio dicitur in quantum rex ostendet suam subiectionem & copulationem cum Patre, & tradet regnum, id est, adducet Ecclesiam ad caput, ut ita diuinitas immediatè regnet, non in ministerio. *Regnum Christi in uita æterna.*

Multa sunt & alia dicta, quæ dextrè explicantur hac distinctione, quòd loquantur, non de essentia, sed de officio, ut Matth. 20. Sedere ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare uobis, scilicet in hoc officio quo nunc fungor, missus ad hanc obedientiam in docendo & in patiendo. Alibi uerò dicit: Omnia mihi tradita sunt à Patre. Item, Omnia mea tua sunt, & tua omnia mea sunt. Vtamur hac distinctione & in hoc dicto Marci 13. De die illo uel hora, nemo scit, neq; angeli in cœlo, neq; Filius, nisi Pater. Non Filius, scilicet, quatenus ad hoc officium docendi Euangelij in hac uita missus est: ad id officium pertinet asseuerare, quòd sit futurum iudicium resuscitatis mortuis, sed diem & horam prædicere, ad hoc officium non pertinet. *Alia dicta de essentia filij, alia de officio loquuntur.*

Magna fuit contentio de hoc dicto, Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Hoc explicant alij Grammaticè hoc modo, ut faciant copulatiuam in subiecto. Hæc est uita æterna, ut agnoscant te, & Christum Iesum esse solum uerum Deum: Ego sic respondeo, distingui officia. In priore parte diuinitatem intelligit diuinitatem mittentem, ubi tres personæ intelligendæ sunt: Secunda pars discernit officium personæ missæ, quæ est Deus & homo, à diuinitate mittente. Vult enim hoc dicere, In Ecclesia has duas doctrinas necessarias esse, scilicet doctrinam, quis sit uerus Deus: Et doctrinam, quis sit Messias, & quæ sint eius beneficia, & quomodo accipienda sint. *De dicto, Hæc est uita æterna &c.*

Primùm affirmat hunc uerum Deum esse, qui misit hunc Messiam. Hic intelligitur diuinitas mittens Filium, & intelliguntur tres personæ. Deinde discernit personam missam, patientem, resurgentem, quæ est mediatrix, à diuinitate mittente. Has duas doctrinas teneri & coniungi necesse est, & utraq; opponenda est Ethnicis & alijs, qui aberrant à uero Deo, sunt blasphemi aduersus Christum. Illi inquit non norunt uerum Deum, quia negant hunc esse Deum, qui misit Filium, negant hanc personam passam & resuscitatam esse Christum, ut hæc omnia Mahometistæ negant.

Nos autem in inuocatione alloquamur hunc uerum Deum, qui se patefecit,

fecit, missa hac persona, crucifixa & resuscitata, & hunc Christum intueamur, sicut ipse inquit: Qui me uidet, uidet & Patrem, id est, omnes aberrant ā Deo, qui non sic eum agnoscunt, hunc esse uerum Deum, qui misit hanc personam passam & resuscitatam.

Dictum, Hæc est uita æterna discernit diuinitatem mittentem & personam missam.

Quare dictum illud in Iohanne. Hæc est uita æterna &c. intelligatur discernere mittentem diuinitatem & personam missam, inde non sequitur, in persona missa non esse duas naturas. Hac igitur Grammatica Syntaxi utor. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum esse, te scilicet mittentem, & hunc Iesum quem misisti esse Messiam, Mediatorem, Redemtorē, & Saluatorem, colligentem Ecclesiam.

DE APPELLATIONIBVS
FILII DEI.

Appellationes Filij.

APud Nazianzenum in fine secundæ orationis de filio Dei extat breuis declaratio appellationum. Filius unigenitus dicitur, ut discernantur ā Christo Filij adoptionis. Vnicus autem est Filius unigenitus, qui est de essentia Patris, Deus de Deo, Lumen de Lumine. Sed homines renati nominantur filij adoptionis, quia propter unigenitum diliguntur, qui factus est frater noster assumta humana natura, ut nos uicissim efficeremur fratres ipsius, uidelicet participes diuinæ naturæ. Et tamen alia est essentia creata hominis, & alia est diuinitatis essentia, quæ separabiliter est in renatis qui sunt templa Dei.

Filius cur λόγος dicatur respectu patris

Dicitur & λογος æterni Patris. Hoc declarat uetustas, sic, ut tantūm respectu Patris multi intelligant eum dici λόγον, uidelicet ita, sicut in hominibus Verbum cogitatione formatur, quod est imago rei cogitatæ, ut cūm homo cogitat amicum, illa cogitatione mox format imaginem eius: Sic aiunt Patrem, qui sese perfectē intelligit, gignere imaginem suam seu eloqui uerbum, quod est ipsius integra & substantialis imago. Differunt enim imagines in creaturis ab hac imagine in diuinitate, quia imagines in creaturis sunt umbræ euanescentes: Sed Filius æterni Patris est imago subsistens, uiua & integra, & manens ὁμοούσιος patri, de essentia patris.

Respectu nostri.

Hæc declaratio rectē sumitur ex uocabulo imaginis. Sed adiungo dici λόγον respectu nostri, quia est persona quam æternus pater immediatē mittit ad Ecclesiam, quæ profert Euangelium ex sinu æterni Patris, & nos alloquitur, seruat ministerium Euangelij, colligit Ecclesiam, & immediatē est in ea efficax uoce Euangelij ostendens patrem. Ideo & hæc eadem persona, quia missa est ad Ecclesiam, assumit humanam naturam: Ad hanc interpretationē περὶ τοῦ λόγου congruit dictum, Filius qui est in sinu patris ipse enarrauit nobis. Item, Ego sum qui ab initio uobiscum loquor. Et 1. Iohan. 1. dicitur: Quod uidimus, quod manus nostræ contrectauerunt de uerbo uitæ. Ibi nominatur Filius Verbum uitæ, quia missus est ut nos uiuificet.

SEQVITVR VOCABVLVM
Imago.

Filius cur dicatur imago.

Vocabulum IMAGO extat in Epistola ad Ebræos, ubi dicitur, Filius per quem fecula fecit est splendor lucis & imago substantiæ æterni Patris. Hic locus

locus & de diuina natura in Christo est testimonium. Quia expressè dicitur, mundum per hunc Filium conditum esse, & per eum conseruari. Non est autem conditus mundus per humanam naturam, fuit igitur natura conditrix & conseruatrix mundi, quæ postea est in Christo nato ex uirgine, & hanc nominat splendorem gloriæ, id est, lucis paternæ: sicut Symbolum inquit: Lumen de Lumine. Ac significantius hoc græcè dicitur ἀπαύγασμα id est, fulgor à Luce, & est imago substantiæ, quia ut mens in homine format imagines cogitatione, sic Pater sese intuens, cùm sese perfectè intelligat, gignit imaginem suam, quæ quidem est imago non euanescens sed subsistens, quæ est ὁμοούσιος Patri.

Declarari autem imago & per illa potest, quod Filius sit fulgor ostendens Patrem, id est, persona loquens, seu uerbum ostendens, quæ sit Patris sapientia, iusticia, libertas, ira aduersus peccatum, & misericordia erga credentes promissioni, & hæc persona loquens, seu hoc uerbum, in quo fulget sapientia & iusticia similis patri, splendet in tota natura assumta. Ita Filius Deus & homo nominatur imago æterni patris ad Colossenses & Philippenses, ubi dicitur, Qui cùm esset in forma Dei, formam serui accepit, id est, cùm esset potens, sapiens, iustus, fortis, sicut pater, tamen non exeruit suam potentiam &c. Et 2. Corinth. 3. dicitur: Nos retecta facie gloriam Dei intuentes, id est, Verbum lucens in nobis, in quo in conuersione cernimus Deum & præsentiam eius, cernimus iram aduersus peccatum, quam ratio non sic cernit: cernimus & misericordiam Dei præsentis reuelatam in Euangelio, ac cernentes uerbum lucens in nobis, transformamur ad imaginem illam, id est, efficimur similes uerbo lucenti in nobis, à gloria in gloriam, id est, luce Filij ad agnitionem æterni Patris, & hæc fiunt Spiritu sancto simul mutante corda, & nouas flammas in cordibus accendente.

Addamus & dictum Pauli 1. Corinth. 1. In Christo qui factus est nobis sapientia à Deo, Iusticia & Sanctificatio & Redemtio. Intelligo personam Christi Deum & hominem, & tamen effectus alij sunt immediatè naturæ diuinæ, alij sunt totius personæ Dei & hominis immediatè.

Christus est nobis sapientia, & quia λόγος initiò protulit Euangelium ex sinu æterni Patris: & quia ipse in mentibus lucem accendit uoce Euangelij, sicut inquit, Ego sum uitis uos palmites, & quia hæc persona Christus Deus & homo uisibiliter docet Euangelium, & de eo edit testimonia, nec Deus uerè agnoscitur nisi per Euangelium. *Christus est nobis sapientia.*

IVSTICIA. Prius nominat iusticiam, postea sanctificationem. Intelligatur ergo primùm iusticia Christi, ipsius obedientia qua nos uestit & tegit. CHRISTVS est nobis iusticia, id est, ipsius obedientia est illa res, propter quam habemus reconciliationem & acceptationem in hac uita. *Christus est nobis iusticia.*

Simul autem est efficax, & erit consummata in nobis iusticia in uita æterna, quando erimus ei similes, id est, sic ab eo transformati, ut sit in nobis lux, quæ est uera agnitio Dei, congruens cum noticia in Filio Dei. Hunc effectum nominat sanctificationem. Simplicissimè enim significat sanctum, ipsum Deum, & res quibus se Deus communicat, uel dedicatas usibus Dei, ut homo conuersus ad Deum uerè templum Dei sanctum dicitur, quia in eo Deus habitat ut in Iesaia & Iohanne dicitur. Templum saxeum & uasa dicuntur san- *Christus est nobis sanctificatio.*

cta procul ducta Metaphora, quia sunt dedicata usibus Dei.

Christus est nobis redemtio.

Redemtio. Quia hæc persona Christus Deus & homo est precium pro nobis, Nam Redemtor significat non idem simpliciter quod liberator, sed significat persoluentem precium seu λύτρα. Inde enim componitur uocabulum Græcum, quo Paulus usus est. Iam cogita quàm dulcis sententia sit illud Pauli dictum, & quàm suaues consolationes nobis proponat, ideo attexit, qui gloriatur, in Domino glorietur. Cùm expauescunt corda mole & magnitudine peccatorum, Cogita Dominum Iesum Christum tuam iusticiam esse, id est, obtulisse pro te, qua places credens in Christum, etiamsi es sordida massa, similis abortiuo, & idem uult esse efficax in te, etiamsi sumus ualde imbecilles.

Gloriamur ergo, id est, iudicamus nos habere bona seu gloriam, scilicet non bona naturæ nostræ: Sed obedientiam Filij Dei, quæ est redemtio nostra, & precium pro nobis, & est iusticia propter quam nos accepti sumus fide, qua & ipse Christus uiuificat corda, & dat nobis de suo Spiritu, ut inquit Iohannes.

Christus Dei potentia.

Nominat etiam Paulus in eodem capite ad Corinthios, Christum Dei potentiam, quod ibi certum est dici de potentia saluationis. Hoc ideo moneri necesse est, ut refutentur blasphemiæ Thammeri, qui confusionem facit Ethnicorum & Ecclesiæ, nec discernit Euangelium à noticia naturali, Et hoc modo diuersa loca Pauli consideremus.

Thammeri argumentum, de potentia Dei.

Rom. 1. Potentia Dei fuit nota Ethnicis ex operibus creationis. 1. Corinth. 1. Christus est potentia Dei, Ergo Christus fuit notus Ethnicis & rationi. Respondendum est. Nego consequentiam, & ratio est, quia sunt quatuor termini. Ad Romanos dicitur, de potentia creationis, quam rationi aliquo modo notam esse fatendum est. Quia ratio habet demonstrationes, quòd hoc pulcerrimum mundi opificium non casu confluxerit ex Democriti Atomis, Sed quòd sit creatrix & conseruatrix mundi Mens immensæ sapientiæ & potentiæ, uerax, casta, iudex &c. Et sunt causæ maximæ, quare Deus etiam post lapsum uelit hanc noticiam de Deo & de Lege in natura humana reliquam esse, scilicet ut ostendat & arguat peccatum, & regat disciplinam.

Quanquam autem aliquam generalem cognitionem ratio habet de una essentia creante, & definitionem Platonicam probat: Deus est mens æterna causa boni in natura: tamen non nouit distinctionem & ordinem personarum.

Deinde in Minore ad Corinthios, Potentia significat potentiam saluationis, & in hac noticia comprehenditur distinctio Patris & Mediatoris, qui est Filius Dei λόγος ad Ecclesiam missus, qui assumsit humanam naturam, ut sit propiciator, & immediatè sit efficax in collectione Ecclesiæ, iuxta dictum, Ego uitam æternam do eis. Item, Ego sum uitis uos palmites.

Hanc dulcissimam sententiam de potentia saluationis sæpè consideremus, ut nos in tanta infirmitate consolemur, sciamus Filium Dei & propiciatorem esse & potentem esse, & nos sustentaturum esse quanquam ualdè infirmi sumus, iuxta dictum: Virtus mea in infirmitate tua perspicitur.

Aliud Argumentum.

Ebræ. 3. Considerate Apostolum & summum Sacerdotem pacti nostri Christum

Christum Iesum, qui est fidelis ei qui fecit eum. In hoc loco uerbum fecit detorserunt Ariani ad suam causam, ratiocinantes inde quod λόγος sit creatura, id est, ex nihilo factus. Sed breuissima & firmissima responsio est: Loquitur textus non de essentia, sed de officio. Nominibus autem officij rectè additur uerbum fecit, quod significat, libera uoluntate ordinauit seu constituit: Sicut uerbo cõstituendi utitur Psalmus 2. Ego autem constitui te Regem meum, seu ordinaui certo ritu. Quare & Petrus in Actis sic loquitur, Sciat omnis domus Israël, quod Dominum & Christum eum fecit Deus, ubi & nomen Christus officij appellatio est.

De dicto Pauli Ebre. 3. Considerate summum sacerdotem Iesum Christum, qui est fidelis ei qui fecit eum.

Ac diligenter considerandi sunt modi loquendi, ubi de essentia dicatur ubi de officio, ubi propositiones ueræ sint communicatione Idiomatum, quæ receptæ sint, quæ non sint receptæ.

Vsitatæ & receptæ sunt hæ propositiones in Ecclesia, ὁ λόγος est Deus, ὁ λόγος est homo. Christus est Deus, Christus est homo. Hæc reiecta est & prorsus falsa, ὁ λόγος est creatura, quia creatura intelligitur res facta ex nihilo. Et propositio reiecta est: Christus est creatura propter insidias. Quia Ariani eam sic interpretabantur, ut dicerent τὸν λόγον etiam nondum humana natura assumta creaturam esse, id est, seu uocem creatam missam ad Ecclesiam, seu personam creatam ex nihilo, missam ad Ecclesiam. Quanquam enim Ariani uideri uoluerunt aliud sentire quàm Samosatenus sensit, tamen existimo eos idem uoluisse, sed præstigijs uerborum offudisse populo caliginem.

Vsitatæ & receptæ propositiones de Filio in Ecclesia.

Posteriores addiderunt ueterum disputationibus nouas & spinosas cauillationes, quas prorsus omitti propter ambiguitatem satius est, cùm res exponi alijs uerbis perspicuè possit.

Hæc propositio à cõmentarijs Longobardi reiecta est. Christus in quantum homo creatura est. Alia uerò quæ non multò aliter sonat à nonnullis recepta est, Christus secundum humanam naturam creatura est. Hæc exilitas disputationum fugienda est, præsertim cùm res aliter perspicuè dici possint, uidelicet in Christo nato ex uirgine sunt duæ naturæ, λόγος & natura humana assumta. λογος est persona ὁμοούσιος patri, & coæterna patri, non creata sed genita de essentia patris. Sed natura humana est creatura.

Item: Sicut non recepta est propositio, Christus est creatura: Sic non recipiendæ sunt hæ propositiones. Christus incipit esse. Item, Christus factus est. Sunt autem receptæ hæ propositiones, λόγος incipit esse homo. Item, λόγος factus est homo, λόγος factus est Christus, & tamen hæ propositiones Græcè mollius efferuntur quàm Latinè: Nequaquã enim diceretur, ὁ λόγος ἐποιήθη ἄνθρωπος. Sed Iohannes mollius dicit, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Videndum est etiam quæ uocabula significent naturam, quæ personam, ut rectè dicitur, λόγος assumsit humanam naturam, non dicitur usitatè, λόγος assumsit hominẽ (etsi hac phrasi utitur uetus cantilena, suscepturus hominem) nam homo est nomen integræ personæ: sed naturam humanam.

Propositiones non receptæ in Ecclesia.

Cùm dicimus, λόγος assumsit humanam naturam, significat naturam quę sustentatur in diuina, sic ut sit una persona λόγος, & natura humana. Reiecta est & illa propositio, Christus est compositus seu compositum ex natura humana & diuina. Hæc admonitio de phrasibus pertinet ad hoc, non ut infinitas cauillationes seramus, sicut quæsiuerunt in hac materia multi ociosas propositiones, & aliquas recensere σύσφημον est, sed uerecundè utamur receptis propositi-

onibus, & uitemus reiectas, Quia docti in Ecclesia ueteri plerumq; eruditis causis moti sunt, quare alias phrases reiecerint, alias receperint.

Dictum Pauli Christus est prædestinatus esse filius Dei.

Interdum peperit certamina & linguarum insciti a ut de prædestinatione, Christus est prædestinatus esse Filius Dei. Rom. 1. Hic in Paulo non dicitur de æterna electione in Deo, sed de agnitione seu manifestatione apud homines, de hac tota persona Christi Deo & homine, quod uidelicet certò cognitum sit, hunc Christum esse Filium Dei, quia resurrexit ex mortuis, & alios resuscitauit. Non loquitur Paulus de electione in Deo, sed de testimonio quo nos conuincimur, ut uerè statuamus in hoc Filio, non tantùm esse naturam humanam, sed etiam diuinam omnipotentem. Disputant autem de illa propositione scriptores in Lib. 3. Longobardi distincti. 10. & quærunt interpretationes ne ab usitata uersione recedant. Nos omissis illis labyrinthis, retineamus natiuam Pauli sententiam.

Vt autem sæpè monui suprà, diligenter discernenda esse dicta quæ loquuntur de essentia, à dictis de officijs: Ita consideranda est natura uocabulorum. Ex hoc dicto ad Hebræos, Deus fecit Christum sacerdotem summum, Ariani hoc extruebant, Filium esse creaturam, quia in hoc dicto usus est uerbo fecit. Respondeo. Tunc usurpatur uerbum fecit, quando adijcitur mentio officij. Significat enim libera uoluntate ordinauit seu constituit eum. Illustre exemplum est in dicto: Eum qui non nouit peccatum, Deus fecit pro nobis peccatum, ut nos fieremus iustitia Dei in ipso. Hic manifestum est, uerbum ἐποίησε nequaquam de essentia loqui, sed de officio, fecit eum peccatum, id est, ordinauit seu constituit hostiam pro peccato, in quam effunderetur ira aduersus nostra peccata. Simul autem pondera uerborum considerentur. Tristissima appellatio est peccati, quod significat quiddam reum coram Deo, & sustinẽs horrendam iram Dei: Sic & Esaias loquitur: Ponet animam suam peccatum, id est, hostiam pro peccato, in quam scilicet effunditur ira Dei. Sic & Ethnici nominarunt piacula, anathemata, καθάρματα, quasi dicat, tales hostias quæ si non tollantur, ira Dei aduersus totas gentes irritetur.

Dictum ad Hebræ. Deus fecit Christum summum sacerdotem.

Dictum, Qui non nouit peccatum &c.

Contrà uerò lætissima omnium appellationum est Iustitia Dei, id est, quiddam placens Deo & conforme cum eo. Iam quod est tristissimum, ut sensus inferorum, transfertur in Christum, sed ita, ut pro nobis sustineat: Contrà uerò hoc quod est lætissimum & glorioſum, transfertur in nos, scilicet ut fiamus iustitia Dei, uidelicet in hac uita imputatione & incoatione: post resurrectionem erit integra nouitas & conformitas cum Deo. Addit autem, in ipso, id est, propter Filium & per eum sumus iustitia Dei, hoc est, iusti coram Deo, placentes in hac uita non propter nostram dignitatem, sed propter Mediatorem. Hanc dulcissimam consolationem in tanta infirmitate huius uitæ sæpè cogitemus, ut beneficia filij Dei intelligantur, & confirmentur Fides & Inuocatio. Et adiungantur similia dicta, Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus. Item, Per hunc habemus accessum in gratiam hanc in qua stamus. Item ad Ephesios, Per hunc audemus accedere confidenter per fidem in Iesum Christum.

DE SPIRITV SANCTO.

Vocabuli Spiritus significatio.

NEcessaria est admonitio de uocabulo Spiritus, quod in genere quidem significat agitationem seu flatum seu naturam, seu uim agitantem, sed non tantùm

tantũm Deo tribuitur. Sæpẽ enim de creata agitatione usurpatur. Interdum significat uentos: Interdum hominis uitam: Sæpẽ motus seu impetus hominũ creatos, tũm bonos tũm malos, ut: Terribili & potenti, qui aufert Spiritum principum. Hæc discrimina consideranda sunt, ne misceantur dicta de creata agitatione testimonijs de Spiritu increato. Cũm in Iohanne dicitur, Deus est Spiritus, ibi Spiritus significat essentiam spiritualem, id est, uiuam, intelligentem, efficacem, sine mole corporali. Estq; in eo loco nomen commune patri & alijs personis.

Quoties autem de distinctione personarum diuinitatis dicitur, discrimina ex appellationibus sumantur. Filius nominatur λόγος, quia est persona ab initio missa ad Ecclesiam, ut promissionem gratiæ ex sinu æterni patris proferat. Hic alloquitur Ecclesiam perpetuò, seruat ministerium Euangelij, & ostendit Patrem uoce doctrinæ, ut fulgeat in credentibus notitia præsentiæ DEI & dilectionis erga nos & misericordiæ, Sicut de hoc proprio officio loquitur Filius, Nemo nouit Patrem nisi FILIVS, & cui uolet Filius reuelare. Cumq; per uocem Euangelij Filius docet mentes & lucet ipse in mentibus, sicut Iohannis 1. dicitur: Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem, ueniens in hunc mundum: simul Pater & Filius spirant Spiritum sanctum, qui corda mouet, ut luce Filij seu uerbo lætentur et assentiantur, confirmentur, uiuificentur, inuocent Deum, diligant eum, & se subijciant ei, denicq; ut motus tales accendantur qualis est ipse, Qui qualis sit docent multa dicta, Zach. 12. Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Nominatur Spiritus gratiæ, quia efficit læticiam in corde, quæ testatur nos esse in gratia, de quo effectu dicitur 2. Cor. 1. Dedit nobis Arrabonem Spiritus in cordibus nostris. Et Ephe. 1. Audientes sermonem ueritatis Euangelium salutis uestræ, & credentes ei obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est Arrabo hæreditatis nostræ, ubi dulcissimè coniungit Paulus ministerium Euangelij & donationem Spiritus sancti. Deinde nominatur spiritus precum, id est, incitans corda ad inuocationem, & nomine inuocationis comprehenduntur omnes motus qui copulati sunt, fiducia accedens ad Deum & dilectio Dei & cæteri copulati motus, subiectio qua mens se subijcit Deo.

Declaratio uocabuli & appellationum Spiritus sancti.

Paulus ad Rom: læticiam & inuocationem complectitur his uerbis, Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Similis descriptio est 2. Tim. 1. Non dedit uobis spiritum timiditatis, sed roboris, id est, confirmantem corda contra dubitationes, contra metum in periculis, ut Laurentium in supplicio confirmat Spiritus sanctus, & efficit eum fortem, seu est fortitudo ipsius. Deinde nominatur ibi spiritus dilectionis, scilicet Dei & propter Deum proximi: Quia accendit in corde dilectionem, ut in corde Ionathæ ardet dilectio Dei & Dauidis accensa ã Spiritu sancto. Tenet Ionathas uerbum Dei, nemo apperat regnum sine uocatione, Item, Non occidas, Item, inuocandus est Deus fiducia Mediatoris, ut sit conscientia illæsa: Cũ his notitijs adest Spiritus sanctus, confirmans cor, ut constanter Deo obediat iuxta has noticias: Non igitur occidit Dauidem, sed diligit eum.

Tertiò nominatur Spiritus castificationis, quia sicut ipse Spiritus sanctus est amans castitatis, ita efficit motus ordinatos & extinguit incendia libidinũ, ut in Ioseph. Ita Paulus trium uirtutum, fortitudinis, dilectionis & castitatis appellatione complexus est totius Decalogi doctrinam.

Testimonia quòd Spiritus sanctus sit ὑφιστάμενον.

Quòd autem Spiritus sanctus sit ὑφιστάμενον, seu ut latini loquuntur persona & non sit motus creatus seu accidens in creatura rationali seu ipse pater creans motum, hæc testimonia ostendunt: Primùm patefactio in Baptismo Christi, ubi clarè discernuntur tres personæ. Pater inquit, Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui. Est igitur alia persona Pater, alia Filius &c. descēdit autē Spiritus sanctus in specie columbæ. Iam si Spiritus sanctus esset creata in cordibus agitatio, non appareret peculiari specie corporali, Quia accidentia non sunt extra sua subiecta, aut si esset ipse pater non discerneret Spiritum sanctum. Inquit autem, Super quem uideris Spiritum sanctum.

Hanc patefactionem prodest in quotidiana Inuocatione mente intueri, ut discernamus nostram Inuocationem ab Ethnica, Cogitemus quem Deum aloquamur & ubi patefactum. Ideo enim hæ patefactiones factæ sunt, ut nos doceant & confirment, & ut cogitatione aspiciantur: Sic & in Pentecoste apparet Spiritus sanctus peculiari specie corporali, quod non fieret si esset creata agitatio in cordibus.

Inuocatio Spiritus S. testimonium est quod sit Deus.

Ad hæc testimonia adiungatur dictum de Baptismo. Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, id est, Ego hac externa mersione testificor, nomine, id est, mandato Dei, te recipi ā uero Deo qui est pater Domini nostri Iesu Christi, & recipit te propter Filium, & sanctificat te Spiritu suo sancto. Et tu uicissim agnoscas hunc esse uerum Deum, discernendum ā commentitijs numinibus, & inuoces Patrem Filium & Spiritum sanctum. In nomine, id est, mandato uel inuocatione: Vel in nomen, id est, ad agnitionē & inuocationem. Cūm autem directē inuocatio fiat ad SPIRITVM sanctum sicut ad Patrem & Filium, necesse est eum personam esse, non creatam in hominemotionem. Non enim inuocanda est creata motio. Verba Baptismi comprehendunt summam doctrinæ quæ est propria Ecclesiæ, & mersio significat mersionem in sanguinem & mortem Christi, qua abluimur ā peccato, & rursus uiuificamur. Basilius urget uerba Baptismi contra πνευματομαχούς. Citat etiam dictum Eusebij Palęstini, quod eò sit familiariter notum, quia est commonefactio de modo Inuocationis: Sanctum Deum lucis conditorem per Saluatorem nostrum Iesum cum Spiritu sancto inuocandum. Iohan. 14. Rogabo Patrem & alium Paracletum dabit uobis: Cūm ait alium, discernit ā Patre & Filio hunc Paracletum. Non igitur significat Spiritus ipsum Patrem agitantem: Non enim esset alius, nec significat agitationem creatam: Non enim mittetur ā Filio si esset pater agitans aut tantūm agitatio creata à Patre. Ac Christus inquit Iohan. 15. Cūm uenerit Paracletus quem ego mittam uobis ā patre, Spiritus ueritatis, qui à Patre procedit: A se inquit mitti Spiritum sanctum. Non est igitur aut pater agitans, aut tantūm agitatio creata à Patre.

Significant & hæ proprietates ὑφιστάμενον. Alius παράκλητος, qui docebit uos, quæ audiet loquetur. Si Spiritus significaret agitationem creatam, esset doctrina, non Doctor ā Patre & Filio audiens & accipiens.

Docent Filius & S. S. quo discrimine.

Docent Filius & Spiritus sanctus, sed in hoc ipso dicto discrimen ostenditur, Quæ audiet loquetur. Filij proprietas est proferre Euangelium ex sinu æterni patris, & cum uoce externa noticiam accendere in mentibus, sicut inquit: Cui

Cui uolet Filius reuelare. Simul autem per Filium datur Spiritus sanctus, qui est flamma seu agitator mouens cor ut assentiatur & confirmans ac lætificans.

Loquitur ergo quæ ā Filio audit, non discedit à uerbo per Filium prolato, sed ad hoc ipsum uerbum traditum trahit corda & confirmat assensum, & dat firmitatem in docendo, in confessione, in consilijs, in omnibus bonis actionibus. Docet ergo quia ad assensum trahit cor, & in assensu & affectu doctrina intelligitur.

Et nota sunt dicta Athanasij & Cyrilli, Vbicunq; dicitur in homine esse Spiritus sanctus ibi est per Filium: Sicut ipse Filius inquit, quem ego mittam, & Actorum 2. dicitur, promissionem Spiritus sancti accipiens ā Patre effudet &c. *Athanasij & Cyrilli dicta de Spiritu sancto.*

2. Cor. 12. clarè discernit Spiritum sanctum ā donis creatis, autorem ab effectibus: Omnia hæc efficit unus & idem Spiritus.

Quòd autem Spiritus sanctus fuerit antequam Filius assumsit humanam naturam, perspicuè testatur Petrus cùm inquit de Prophetis, Spiritus Christi in eis prædicens Christum passurum esse. *Quòd Spiritus sanctus fuerit antequam Christus assumeret humanā naturam.*

Hic disertè nominatur Spiritus Christi, qui fuit in Prophetis. Ergo & est λόγῳ ante assumtionem humanæ naturæ, & eodem Spiritu sanctificati sunt Patres, Prophetæ, Apostoli & omnes electi omnibus temporibus.

Huc & dulcissima promissio Esaiæ 59. pertinet. Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps & in sempiternum. Eundem Spiritum ait esse in Iesaia, & in tota Ecclesia ad omnem æternitatem. Non igitur tantùm post resurrectionem Christi effusus est in pectora sanctorum Spiritus sanctus: Sed semper Spiritu sancto omnes electi sanctificati sunt. Et quidem dictum Esaiæ dulcissimam doctrinam & cō solationem continet. Affirmat semper mansuram esse Ecclesiam Dei, & ibi mansuram esse, ubi sonat uox Euangelij incorrupta & cum ea uoce efficacem esse Spiritum sanctum.

Hæc tota doctrina, de Patre, Filio, & Spiritu sancto, quotidie in inuocatione cogitanda est, & discernenda Inuocatio uera ab Ethnica & Mahometica, cogitandum quem Deum & quomodo patefactum alloquamur, sicut sæpè dicimus Inuocationem ueram discernendam esse ab Ethnica, Mahometica, Papistica, cogitatione essentiæ & uoluntatis Dei.

Mahometistæ etiamsi cogitant unum esse Deum creatorem, tamen non uolunt hunc esse Deum, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, nec agnoscūt Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Manifestè autem scriptum est, Qui non honorat Filium, non honorat patrem. Item: Nemo uenit ad patrem nisi per Filium. Item: Qui non credit in Filium iam iudicatus est. Impossibile est igitur inuocationem Ethnicam & Mahometicam Deo placere. *Mahometistarum inuocatio in quibus aberret.*

Deinde differunt Ethnici, Mahometistæ & Papistæ ā uera Ecclesia, quia non norunt, An & quare exaudiat Deus. Talis inuocatio in dubitatione inanis est, iuxta dictum: Quomodo inuocabunt si non credent. Item, Quicquid petieritis credentes accipietis. Item, Orate sine ira & sine hæsitatione. Sed uera Ecclesia nouit promissionem Euangelij, scit Filium Dei ideo missum esse, ut sit huius mirandi consilij nuncius testis & obsignator, quòd Deus uerè uelit

nos

nos recipere, exaudire, iuuare, ſaluare inuocantes fiducia Mediatoris, ſicut inquit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit uobis.

In inuocatione intuendæ ſunt tres perſonæ.

Cumq; fit inuocatio mente intueamur perſonas, & cogitemus propria beneficia earum, ſicut nobis patefactæ ſunt, & ſciamus ſimul à Patre, Filio & Spiritu ſancto dari bona, ſed dari propter Mediatorem Filium, & per Filium dari uocem & agnitionem Euangelij, & oſtendi præſentiam & uoluntatem Patris, & ſic per Filium dari Spiritum ſanctum flectentem corda noſtra, ut aſſentiantur Euangelio, & confirmantem aſſenſionem & accendentem lætitiam in Deo, & dilectionem Dei, & alios motus tales qualis ipſe eſt. 2. Corinth. 3. dicitur: Transformamur in eandem imaginem (ſcilicet Filij) tanquam à Domini Spiritu. Item, Effundam ſuper domum Dauid Spiritum gratiæ & precum.

Bonitas Dei cernitur in collatione piorum et impiorum.

Vt autem bonitas Dei immenſa, magis agnoſcatur & celebretur, collatio cogitanda eſt, piorũ & impiorum. Quàm tetri furores ſunt in hiſtorijs impiorum omnibus ætatibus Cain, Caligulæ, Neronis, Philoſophorum, Epicureorum & Cynicorum, item Hæreticorum, ut Marcionis, Manichæorum, & aliorum fanaticorum. Quanti furores noſtro tempore in multis Anabaptiſtis conſpecti ſunt. In talibus omnibus tenet Diabolus captiuas mentes & captiua corda, ſicut de Iuda dictum eſt: Satanas intrauit in eum.

A quam res miſſus ſit Filius.

Hæc mala quanta ſint in exemplis inſignibus conſideretur, ut cogitemus maximas cauſas eſſe propter quas Deus immenſa bonitate Filium miſit, & donat Spiritum ſanctum, ut ſcriptum eſt, 1. Iohan. 3. Ad hoc apparuit filius Dei, ut deſtruat opera Diaboli, quæ ſententia prorſus congruit cum prima promiſſione: Semen mulieris conculcabit caput ſerpentis. Deſtruit autem merito & efficacia. Filius meretur nobis remiſſionem peccatorum, reſtitutionem iuſticiæ & uitæ æternæ, & omnia bona quæ continentur in remiſſione & deletione peccatorum.

Simul etiam immediatè efficax eſt, proferendo Euangelium ex ſinu æterni patris & conſeruando miniſterium, in quo ipſe docet mentes, & oſtendit Patrem, & quæ ſit uoluntas eius, & quod ſit præſens, & per Filium datur Spiritus ſanctus, quo immediatè corda ad aſſenſionem & ad Inuocationem flectũtur & lætificantur, reguntur & confirmantur, & protegit Filius Dei inuocantes, & depellit Diabolos: ſicut inquit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Hæc ſciamus magna certamina eſſe in Eccleſia.

Dauid eluctatur ex ſuis doloribus, non ſuo robore, ſed quia Filius per uocem promiſſionis eſt efficax & eum uiuificat, & dato Spiritu ſancto lætificat et confirmat.

Agnoſcamus igitur bonitatem & præſentiam Dei in Eccleſia, & gratias ei agamus, et ſciamus uelle eum ut petamus hæc ingentia beneficia, uidelicet ut regamur et protegamur per Filium et Spiritum ſanctum, ſicut ſcriptum eſt, Petite et accipietis: Quantõ magis pater ueſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus.

Teſtimonia cõtra Pelagianos fingentes homines ſuis uirib. facere legem Dei.

Itaq; expreſſa uoce damnamus Pelagianos, et omnes qui fingunt homines ſine Spiritu ſancto, proprijs uiribus poſſe facere legem Dei, et ſeſe gubernare & protegere &c. Hæc impia imaginatio eſt horribilis ingratitudo, cùm Filius

Filius Dei sese nobis donauerit, Spiritus sanctus promissus sit, nolle ipsum Deum nobis sese donantem agnoscere, nec eius beneficia petere uelle. Aduersus hanc ingratitudinem contumelioſam contra Deum, his dictis nos muniamus. Sine me nihil potestis facere. Item, Qui non habet Spiritum Christi non est eius. Et ueris gemitibus petamus beneficia Filij Dei & Spiritus sancti, ut petit Propheta: Cor mundum crea in me Deus, id est, Fide purificatum, rectè sentiens de Deo, & Spiritum rectum, id est firmum innoua in uisceribus meis, confirmantem me contra dubitationes uera luce, depellentem tenebras, & accendentem ueram inuocationem: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me, id est, sanctificantem me, dantem motus congruentes cum omnibus præceptis Dei: Redde mihi lætiam salutarem, id est, liberes me ex doloribus mortis & inferorum, lætifica cor meum ut in te acquiescat: Et Spiritu sponaneo confirma me, id est, in cruce obediente. In tali inuocatione considerentur discrimina personarum, beneficia Filij propria, & illa quæ sunt immediatè Spiritus sancti.

Addo & hoc testimonium de discrimine personarum, quod est in Actis capite 2. Vbi Christus discernitur ã Patre & ã Spiritu sancto, cùm dicit: Dextera Dei exaltatus accipiens promissum Spiritum à Patre. Alius igitur est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Nam si Spiritus sanctus esset ipsa persona Patris mouens, non diceretur accipi à Patre & dari per Filium. Et nisi esset ὑφισάμενος Spiritus sanctus, non acciperet eum Filius, sed tantùm esset motio creata in cordibus. *Dictum Act: 2. Dextera Dei exaltatus est &c.*

Huius testimonij magna perspicuitas est, utilis ad confirmationem doctrinæ de Personis, & simul docet nos de beneficio, & de regno Filij Dei, quòd ad hoc ipsum constitutus sit Rex Ecclesiæ hic Filius Christus, ut uerè per eum detur Spiritus sanctus: sicut alio loco dicit, Sedet ad dexteram Patris dans dona hominibus. Vult igitur sic coli petitione istorum beneficiorum, ut agnoscatur eius præsentia & potentia in sanctificatione & defensione omnium inuocantium ipsum.

Recitatis testimonijs addantur & Symbola, & ueterum dicta, inter quæ præcipuè nota sit confessio Gregorij Neocæsarienſis, edita contra Samosatenum, quæ officia personarum etiam eruditè discernit. Vnus Deus Pater uerbi uiuentis, sapientiæ subsistentis, & imaginis suæ integer integræ genitor, Pater Filij unigeniti, Vnus Dominus solus ex solo, imago Patris, Verbum efficax, Filius sempiternus ex sempiterno, Vnus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit sanctificans, per quem Deus super omnia & in omnibus cognoscitur. Spiritus sanctus incitat corda, ut Verbo Dei assentiantur, agnoscant Deum & inuocent eum, & accendit motus bonos, sic ut simul mentes intueantur Deum, ut Castitas Ioseph differt à castitate Scipionis, quia in Ioseph non solùm prælucet Fides accensa Verbo Dei per Filium, sed etiam in ipsa castitate mens intuetur Deum, sentit se ab eo regi & confirmari, & ei obtemperat, & dirigit obedientiam ad gloriam ueri Dei. *Gregorij Neocæsarienſis testimonia.*

Recitaui doctrinam traditam in Symbolis Apostolico & Niceno, & in Symbolo Athanasij, & hæc piè me amplecti affirmo. Damno autem contrarios errores omnes, qui cùm sint multi, necesse est eos considerare, ut præmuniti Deum uerè inuocemus & celebremus, & nostram inuocationem expresse ab Ethnicis & ab Hæreticis seiungamus. Quia omnis inuocatio quæ à uero *Ecclesia suam inuocationem debet seiungere ab Ethnicis & Hæreticis.*

Deo

Deo aberrat est cultus Idoli, iuxta dictum, Dominum Deum tuum, id est, tibi patefactum in Verbo tradito per Patres & Prophetas, Filium & Apostolos adorabis, & ei soli seruies. Item, Non habebis Deos alienos coram me. Item, Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Item, Nemo uenit ad Patrem nisi per Filium. Item, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit uobis. Item 1. Iohan. 2. Qui negat Filium, nec Patrem habet. Item, Quomodo inuocabunt nisi credent.

Hæc dicta omnia commonefaciunt nos, ut discamus quomodo Inuocatio ad uerum Deum dirigenda sit, & seiungenda ab Ethnicorum & Hæreticorum inuocatione, de qua in Psalmo 16. dicitur: Multa sunt Idola eorū, post quæ accelerant, Non libabo libationes eorum de sanguine, nec assumam nomina eorum super labia mea.

Hic clarè damnat inuocationem & sacrificia omnium hostium Euangelij. Legendæ sunt igitur historiæ certaminum in Ecclesia. Quidam nomine Valentinus innumerabilem turbam Deorum finxit, ludens Allegorijs, sicut Poëtæ ludunt.

Marcionis & Manichæi furores de principijs.

Marcion & deinde Manichæi posuerunt duo principia æterna pugnantia inter se, bonum & malum, & nominarunt lucem & ὕλην. Vt enim causam mali ostenderent, finxerunt ā luce oriri bonas naturas, & ab Hyle malas. Postea multa deliramenta Stoica addiderunt, finxerunt necessitatem omnium actionum, & homines ortos ab Hyle non posse conuerti ad Deum, & ortos ā Luce non posse perire quicquid facerent. Contra hæc portenta simus armati testimonijs, quæ affirmant unicam esse essentiam immensæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis, omnium creaturarum creatricem Angelorum & hominum, & mali causam esse uoluntatem liberam in Angelis labentibus, & hominibus, Sicut expressè dictum est in Epistola Iudæ, Angelos in lapsu non retinuisse initium suum, & reliquisse proprium domicilium.

Seruetus Hispanus. Conitza Lithuanus. Thammerus.

Statim etiam tempore Apostolorum, Ebion, Cerinthus & deinde Paulus Samosatenus, Photinus & multi alij contenderunt, In Domino nostro Iesu Christo nato ex uirgine tantūm esse humanam naturam. Hæc blasphemia fons est Mahometicæ impietatis, & nunc recens Seruetus Hispanus & Conitza Lithuanus & Thammerus defendere illam blasphemiam ceperunt, & astutè eludunt dicta Iohannis 1. & alia dicta congruentia.

Teneamus autem illustria testimonia, quæ affirmant λόγον esse ὑπερκόσμιον, & esse Filium ante assumtionem humanæ naturæ, sicut inquit Dominus, Antequam Abraham natus est, ego sum. Item Paulus inquit: Affuisse Christum populo in deserto, & ad Colloss: Qui est ante omnia.

DE CREATIONE.

Patefactio ante & post lapsum & status hominis.

VOluit Deus immensa bonitate se patefacere, & se creaturis rationalibus communicare. Ideo & rationales creaturas & earum domicilium condidit, et ipsis rationalibus creaturis & domicilio impressit innumerabilia de sese testimonia, ut agnosceretur, quia in agnitione sese communicaturus erat. Insuper etiam addidit externum uerbum, quo alloquens primos homines, testimonium singulare ostendit, quia hoc miraculo alloquentis Dei commonefacti, agnoscebant esse Deum & esse creatorem, & intelligebant ei obediendum esse, & audito

& audito uerbo simul per Filium Pater erat in eis & lætificabat eos Spiritu suo sancto, Sicut Ioan. 1. dicitur: In ipso uita erat, & uita erat lux hominum. Et sic erant iusti primi homines, Deo inhabitante in eis, cùm quidem omnes potentiæ suo ordine Deo obtemperarent sine peccato. Postea uerò cùm homines libera uoluntate defecerunt à Verbo, excusserunt Deum Rectorem, & cœperunt in mente esse tenebræ, in corde fuga & fremitus aduersus Deum, & magna confusio appetitionum, cùm desijsset regi à Deo. Rursus tamen Deus sese patefecit edita promissione & additis mox ingentibus miraculis, allocutione manifesta, promissione restituendæ uitę, & inter terrores & sensum mortis noua uiuificatione. Postea subinde noua miracula accesserunt, renouata & illustrata est doctrina, sacrificia de cœlo accensa sunt. Henoch uiuus in cœlũ translatus est, postea diluuium secutum est, & seruata familia Noë. Deinde secuta est uocatio Abrahæ, exitus ex Aegypto. Hæc miracula omnia sunt testimonia de Deo, de tota eius doctrina, de Filio, de Creatione & Ecclesiæ collectione.

Sic Deus opitulatur nostræ infirmitati, qua naturalis assensio post lapsum turbata est & est plena dubitationum, ideò reuocat nos Deus ad agnitionem creationis expresso uerbo suo & miraculis.

Primũm igitur articulum de creatione ex Verbo Dei discamus, Postea intueamur etiam uestigia Dei in natura, quæ sunt utiles commonefactiones illis qui doctrinam prius ex Verbo didicerunt. *Articulus de creatione discendus est ex uerbo Dei.*

Est autem articulus de creatione Genes: 1. & alibi sæpẽ expressus, quòd uidelicet Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi unà cum Filio coæterno & Spiritu sancto condiderit ex nihilo cœlum & terram, angelos & homines, & omnia reliqua corpora. Sic de Filio Iohan. 1. dicitur: Omnia per ipsum facta sunt. Et de Spiritu sancto creante dicitur: Verbo Domini cœli formati sunt, & Spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Semper autem in cogitatione de creatione simul comprehendatur doctrina de assidua præsentia Dei & conseruatione rerum. *In cogitatione de creatione comprehendatur doctrina de præsentia Dei assidua.*

Infirmitas humana etiamsi cogitat Deum esse conditorem: tamen postea imaginatur, ut faber discedit à naue extructa, & relinquit eam nautis, Ita Deũ discedere à suo opere, & relinquere creaturas tantùm propriæ gubernationi. Hæc imaginatio magnam caliginem offundit animis, & parit dubitationes.

Alij Stoica imaginatione fingunt Deum alligatum esse causis secundis, nec quicquam aliter posse fieri, quàm ut causæ secundæ cient. Alij Epicurea cœcitate imaginantur omnia casu uolui & confundi. Vterq; error magnos tumultus in hominum mentibus excitat. Quoties in periculis sumus quæ superant humana consilia, mouentur homines cogitatione causarum naturalium, ut putent malum immedicabile esse, quia natura sic uoluatur sine Deo. Aduersus has dubitationes confirmandæ sunt mentes cogitatione uera articuli de Creatione, ac statuendum est, non solùm conditas esse res à Deo, sed etiam perpetuò conseruari & sustentari à Deo rerum substantias, quotannis fœcundat Deus terram, procreat fruges ex terra, impertit uitam uiuentibus. Hæc rerum sustentatio seu conseruatio usitata appellatione uocatur actio Dei generalis, quæ tamen non ita alligat eũ causis secundis, ut nihil faciat aliter, quàm ut causæ secundæ cient. Sed Deus est liberrimum agens, seruat sui operis ordinem, & tamen multa propter homines mitigat, cedit natura rerum precibus Moysi, Heliæ, Elisæi & omnium piorum, Sicut Christus inquit: Matth. 21. Omnia *Actio Dei generalis conseruatio naturæ.*

quæ petieritis credentes accipietis. Si dicetis monti huic, iactà te in mare, fiet. Item, Iacta curas tuas in Deum, & ipse te enutriet. Adest Deus suæ creaturæ, sed non adest ut Stoicus Deus, sed ut agens liberrimum, sustentans suam creaturam, & sua immensa misericordia moderans, dans bona, aliquando impediens causas secundas, aliquando maiorem efficaciam præbens.

Deus est agens liberrimum.

Ac maximè illustre testimonium est de Deo, quòd sit agens liberrimum, & multa sine causis secundis agat, quod post lapsum Adæ seruat Adam defertum ab omnibus creaturis, & de sua Lege dispensat. Multò plus est autem de Lege dispensare, quàm de ordine naturæ.

Sint in conspectu testimonia & de Creatione Genes. 1. & alibi, & de assidua præsentia Dei in conseruatione naturæ, Deut. 30. Ipse est uita tua, & longitudo dierum tuorum. Act. 17. In ipso uiuimus, mouemur & sumus, id est, per ipsum datur & fouetur uita nostra, & naturæ uires ac motus. 1. Paral. 18. Omnia corda scrutatur Dominus, & omnes omnium cogitationes uidet. Iob 14. Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius, qui præteriri non possunt.

Argumenta ex natura sumta quæ ostendunt esse Deum.

Confirmata fide testimonijs quæ Deus tradidit in scriptis Propheticis & Apostolicis, deinde utile est aspicere rerum naturam, & ibi considerare uestigia Dei, & argumenta quæ testantur & esse Deum, & esse sapientem, ueracem, beneficum, iustum, castum, iudicem, punientem sceleratos & liberum, de quibus argumentis Paulus Rom. 1. loquitur, & in Actis capite 17. Tam propè adest Deus, ut si posset contrectari manibus, non procul quærendus esset.

Ab ordinè corporum mundi.

Sumitur autem ab ordine corporum mundi primum argumentum: Perpetuus ordo corporum mundi, motuum cœlestium, generationes in singulis speciebus & ordinata in singulis rebus nascentibus, neq; casu ortus est, neque maneret, si natura casu uolueretur, Ideò necesse est, esse sapientem & bonũ conditorem.

A mente hominis.

Secundum argumentum à mente hominis & immutabilibus notitijs in ea, ac præcipuè à discrimine honestorum & turpium, quod quidem præcipuum testimonium est de Deo, ostendens & quòd sit & qualis sit, uidelicet qualẽ se ostendit his notitijs quas indidit mentibus humanis, quas ut sciamus ratas esse, ipse in natura hominis addidit uindicem, dolorem conscientiæ, destruentem naturam cùm ruit contra naturales notitias, etiamsi ciuiles pœnas effugiat. Iam cogita quantus fuerit amor in Deo erga homines, quòd suæ sapientiæ & iustitiæ radios in creatione in eos transfudit.

DE CAVSA PECCATI ET DE CONTINGENTIA.

CVM autem pulcerrimus ordo sit in corporibus mundi & in multis rebus naturæ, & homines conditi sint ad hunc ordinem, ut uerum Deum agnoscant, & cum eo congruant mentes & corda: quidnam turbauit hunc ordinem & hanc dulcissimam harmoniam, ne corda cum Deo congruerent, & unde sunt tot horrendæ hominum dissensiones, naturæ lanienæ & infinitæ calamitates? Philosophi quærunt causas in materia. Manichæi finxerunt duos Deos, ut causam mali ostenderent: Sed nos firmissimè teneamus, unicum esse Deum creato-

creatorem, sapientem, ueracem, bonum, iustum, castum, non uolentem, nec efficientem, nec adiuuantem, nec approbantem peccata, & sint in conspectu testimonia, Esaiæ 45. Præter me non est Deus alius formans lucem & creans tenebras, id est, corpora obscura in quibus non est lux. Item Psalm. 5. Non Deus iniquitatem uolens tu es. Gen. 1. Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valdè bona, id est, placentia ipsi, & rectè ordinata, congruentia ad ordinem in mente diuina quælibet suo loco, ut homo sic est conditus, congruens cum Lege in mente diuina. Ideò tunc dicitur bonus ante lapsum, quia congruebat cum mente diuina. Nec fingendæ sunt contradictoriæ uoluntates in Deo.

Deus non uult nec efficit nec adiuuat nec approbat peccata.

Iohannis 8. Quando mendacium loquitur Diabolus, ex propriis loquitur, quia mendax est & pater mendacij, pater, id est, primus fons & causa mendacij.

Discernit autem Christus mendacium ā substantia, quasi dicat, substantiam quidem habet Diabolus aliunde acceptam. Nam omnes angeli ā Deo creati sunt, quorum aliqui postea uolentes auerterunt se à Deo. Illa auersio est propria Diaboli, id est, causa auersionis fuit uoluntas libera, quæ poterat & repugnare & obedire. 1. Iohannis 2. Concupiscentia carnis non est ex Patre, sed ex mundo, id est, ex natura hominis corrupta qualis nunc est. 1. Iohan. 3. Qui facit peccatū ex Diabolo est, quia ab initio Diabolus peccat, id est, prima causa peccati est uoluntas Diaboli, Rom. 5. Per hominē intrauit peccatum in mundum, id est, peccatum non est res condita ā Deo, sed homo sua libertate se auertit à Deo, & excussit dona Dei, & illam suam destructionem propagauit in posteritatem. Zach. 8. Malum ne cogitetis in cordibus uestris, & iuramentum mendax ne diligatis, Omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.

His perspicuis testimonijs diuinis confirmati teneamus hanc regulam immotam, Deum non esse causam peccati, nec uelle peccatum, nec impellere uoluntatem ad peccandum, nec approbare peccatum, sed uerè & horribiliter irasci peccato, sicut iram suam expressit in Verbo suo, & ostēdit in assiduis pœnis & calamitatibus, & morte hominū. Ac illustrissimum est iræ Dei testimonium aduersus peccatum, quòd non est facta remissio, nisi Pater placaretur obedientia Filij. Non est igitur Deus causa peccati nec peccatum est res condita aut ordinata, sed est horribilis destructio operis & ordinis diuini.

Deus non est causa peccati.

Sunt autem causa peccati, uoluntas DIABOLI & uoluntas HOMINIS, quæ auerterunt se liberē & sua sponte à Deo, nec uolente Deo, nec approbante illam auersionem, & hæserunt extra ordinem in obiectis contra mandatum Dei, ut Euæ uoluntas auertens se ā Verbo Dei hæsit in Diaboli dicto, & in externo obiecto pomi.

Causæ peccati uoluntas diaboli & uoluntas hominis.

Prodest etiam hic declarari, quid propriè sit peccatum, ut discernantur res conditæ ā Deo, & peccatum quod est conturbatio seu confusio ordinis diuini. Ideō peccatum rectē dicitur defectus seu priuatio: sicut Iohannes definit: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία.

Peccatū rectè dicitur defectus seu priuatio.

DE ORIGINALI facilis est declaratio, id enim est in mente tenebræ, uidelicet non habere illustrem noticiam & firmam assensionem de prouidentia, comminationibus & promissionibus diuinis, & in uoluntate est auersio à Deo, id est, sine metu, fiducia, dilectione Dei esse, & in corde sine obedientia esse quæ congruebat Legi naturæ, id est, Legi Dei in mente lucenti, sed uagis

Qualis sit defectus originale peccatum.

& errantibus inclinationibus ferri extra ordinem contra Deum.

Hæc mala esse defectus non obscurum est, quos Deus neq; condidit neque uult, Non est igitur causa peccati. Erat autem hos defectus mox secutura subita mors totius naturæ humanæ. Sed Deus immensa bonitate propter Filium naturam & propagationem seruat, sed seruat talem massam qualis nunc est, ut si faber poculum non ex auro, sed ex plumbo faceret. Ac ipsi destructioni uerē & horribiliter irascitur, quod ostendit, quia aliter placari non uoluit nisi per Filium. Nec fingantur in Deo contradictoriæ uoluntates. Ac in narratione de saucio uiatore Luc. 10. pingitur & morbus & causa. Expresse enim dicit Dominus ā latronibus, id est, ā Diabolis spoliatum & uulneratum esse uiatorem. Amisit enim homo lucem & rectitudinem uoluntatis & cordis congruentem cum Lege quæ in mente lucebat. Amisit & acceptationem qua Deo placebat. In horum bonorum amissione facta sunt uulnera in natura, Mortalitas, & calamitates horribiles in toto genere humano, morbi & neces, & in mēte dubitationes, in uoluntate & corde errantes motus & lacerationes in doloribus inferorum, Sicut in Ieremia dicitur: Peruersum est cor hominis & çrumnosum, id est, auersum ā Deo. Et in illa auersione plenum horribilium dolorū, ruens in mortem & æternas pœnas.

Amissionem bonorum quæ uulnera sint secuta.

Talia dicta Prophetica commonefaciant nos de magnitudine peccati & pœnarum in nobis, ut è regione & beneficia Filij Dei agnoscamus & petamus. Et simul iram Dei & magnitudinem misericordiæ cogitemus, & firmissimē statuamus, Deum nec causam esse peccati, nec uelle, nec adiuuare, nec approbare peccatum. Nam illa falsa imaginatio, quæ fingit Deum uelle peccatum, extenuat iram, & confirmat cœcam securitatem, quam emendari necesse est, sicut dicitur: Vbi habitabit Dominus in Spiritu contrito & tremente sermones meos &c.

Quōd autem & in ACTVALI peccato sit priuatio, id intelligi potest, si non tantūm consideres externum motum, Sed mentem & uoluntatem, quæ propriè est subiectum peccati, ut in Cain, in mente est dubitatio de prouidentia, & de pœna, & uoluntas est sine rectore Deo. Quanquām igitur motus uoluntatis & membrorum est res positiua: tamen in eo motu est auersio ā Deo, ut si nauis sine uelis & remis iactetur extra uiam.

Qualis sit priuatio in actuali peccato.

Rectè igitur dicitur: Peccatum esse priuationem seu destructionem, & id malum non est creatum ā Deo, sed initiō Deus condidit Angelos & homines ornatos hoc bono, scilicet libertate, Qua si uoluissent, poterant obedire Deo, & cùm non uellent obedire, auersi sunt, non uolente, non cogente, non adiuuante Deo, Sed libera uoluntate sic ruente, Erat enim condita uoluntas cum libertate.

Peccatum est priuatio seu destructio.

Ideō dicitur: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, Et 1. Iohan. 2. Concupiscentia carnis non est ex Patre, sed ex mundo est.

Deinde post lapsum fateri necesse est, esse reliquam libertatem aliquo modo ciendi externa membra, seu regendi locomotiuam, ut Physici loquuntur. Ideō enim opera Legis dicuntur iustitia carnis, Quia huius naturæ uiribus uncq; etiam ā non renatis externa Legis opera effici possunt.

Post lapsum aliqua libertas reliqua est in regenda locomotiua.

Abstinuit Alexander ā filiabus Darij coërcens externa membra. Sic & Paris coërcere externa membra poterat. Ideō dicitur: Lex est iniustis posita, id est, ad coërcendos non renatos, & puniendos contumaces. Ac nisi hæc libertas aliquo

aliquo modo reliqua esset, nulla utilitas esset Legum & totius ciuilis gubernationis.

Manet igitur aliqua libertas, quæ fons est contingentiæ etiam actionum post lapsum primorum parentum, Quia contingentia nominantur, quæ cùm fiunt, habent causam, quæ poterat ex natura sua aliter agere, ut hæc in Physicis copiosius declarantur, ubi & gradus necessitatis distinguuntur. Etsi autem multa contrà disputantur, tamen retinenda est uera sententia in scriptis Prophetis & Apostolicis tradita, & puriori uetustati Ecclesiæ probata, quæ Stoica & Manichæa deliramenta magno consensu improbauit. Explicanda sunt autem quædam contraria argumenta.

PRIMVM.

Determinatio diuina est immutabilis,
Omnia contingentia sunt determinata à Deo,
Ergo: Omnia quæ fiunt sunt immutabilia & necessaria.

Respondeo ad maiorem. Determinatio diuina est immutabilis, scilicet ratione consequentiæ, quę reipsa non affert necessitatem. Et aliter Deus determinat bona, quæ uult, & quæ solus efficit, ut resurrectionem mortuorum, Aliter mala quæ neq; uult neq; efficit, sed præuidet quousq; ea passurus sit, ut prę uidet Saulem ruiturum esse, & metam constituit in qua eum repressurus sit, sicut de Sennaherib dicitur: Injciam ei frenum. *Determinatio contingentium quomodo sit immutabilis & quo ordine ac discrimine.*

Talis determinatio malarum actionum longè differt à determinatione positiua bonarum actionum.

Aliter etiam agit & determinat actiones in uoluntate hominum, aliter in natura quæ non agit liberè, ut dicitur: Trahit Deus, sed uolentem trahit. Quia cùm non obtemperat Dauid trahenti Deo, sua uoluntate liberè repugnat, iuxta dictum, Perditio ex te est, à me autem salus.

Hac simplici enarratione contenti simus, quia certè necesse est discerni determinationem bonarum actionum quas uult Deus, & malarum quas nõ uult.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

Hierem. 10. Scio Domine, quòd non est hominis uia eius, nec est uiri dirigere gressus suos. Ex hoc dicto ratiocinantur quidam, uoluntatem hominis nec bonarum nec malarum actionum causam esse. Ideò respondeo, primũ phrasin rectè intelligendam esse. Via significat uocationem, id est, gubernationem homini mandatam quæcunq; est, siue in Ecclesia, siue in Politia, siue in Oeconomia. *De dicto Hieremiæ, Scio Domine, quòd nõ est hominis uia eius.*

Monet igitur Propheta, ut & infirmitatem nostram consideremus, & petamus recta consilia nobis à Deo ostendi & dari felices euentus: & dirigere gressus significat recta, felicia & salutaria consulere & agere.

Est igitur fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Vocatio Dauidis, non est felix sine Deo. Ergo Dauid nihil agit. Item, Dauid necessario rapit alterius coniugem. Hæc esse ἀναπόλυθα manifestum est, à particulari ad uniuersale.

Consideretur autem ubi sit nostra infirmitas siue imbecillitas, aliud est

Aliud electio est, aliud euentus.

electio in mente & uoluntate, aliud euentus. Interdum erramus in eligendo, ut errat Iosias inferens bellum Aegyptijs, et Iosaphat adiungens se impio regi. Interdum etiam cùm non est error consilij, tamen euentus est infelix, ut sæpè cùm Medicus non errat, tamẽ curatio non procedit ex alia causa. Non errant Israëlitæ punituri Beniamin, & tamen multi trucidantur. Non errabant Iudæi resistentes Antiocho, & tamen magnæ clades acceptæ sunt ex alijs causis, quia Deus etiam ipsorum peccata puniuit. Sed plurima sunt errata consiliorum, ut Periclis in mouendo Peloponnesiaco bello, Bruti & aliorum innumerabilium, ut dicitur Prouerbio. 14. Est uia quæ uidetur homini bona, cuius nouissima ducunt ad mortem: Et Theognis inquit: οὐδεὶς ἀνθρώπων ὅστις ἅπαντα σοφός. Quare consideratio infirmitatis nostræ de qua loquitur Ieremias, doceat nos reguam. Subditus esto Deo, & spera in eum, id est, fac necessaria in uocatione, & nihil facias contra præcepta DEI, & pete ac expecta auxilium ab eo, iuxta dictum: Commenda Deo uiam tuam, spera in eum, & ipse faciet. Item, Dan. 2. Deus dat sapientiam &c. Et sapientia Dei inquit apud Salomonem, Penes me est consilium & successus.

Hanc necessariam doctrinam de timore, & dulcissimam consolationem de fide, inuocatione, & spe auxilij diuini nequaq̃ sinamus transformari in Stoica deliramenta, quæ sunt falsa & contumeliosa in Deum, & abducunt homines à diligentia, à fide, spe & inuocatione. Et in tota hac quæstione de necessitate prudenter considerandũ est, quæ sit natiua sententia in dictis quæ citãtur.

Gradus necessitatis.

Valdè prodest in hac disputatione considerare etiam gradus necessitatis, qui recitantur in doctrina Physica.

Absoluta necessitas.

Primus gradus nominatur absoluta necessitas, quæ est propositionum quarum oppositæ simpliciter impossibiles sunt. Sic dicuntur necessariæ propositiones de essentia Dei, & de uirtutibus in Deo: Deus est, Deus est essentia intelligens, uerax, bona, iusta, casta, liberrima.

Necessitas definitionum & demonstrationum.

Secundus gradus est definitionum & demonstrationum, quæ etiam dicuntur necessariæ simpliciter, quod si fingatur oppositum fit implicatio contradictionis, ut si Trigonus non habeat tres angulos, non est Trigonus: Si uirtus non est quiddam congruens cum regula mentis diuinæ, non est uirtus. Hic gradus proximus est primo, Quia est regula mentis diuinæ immota, sicut hæc immota est, Deus est castus, ita & hæc immota est, Castitas est uirtus. Et in omnibus artibus considerandum est quæ membra sint necessaria, id est, lumen congruens cum norma diuina, & quæ membra non sint necessaria, sed probabili ratione addita necessarijs. Hinc Legum naturæ & iuris positiui discrimen sumitur.

Necessitas Physica.

Tertius gradus est necessitas Physica: Sunt enim necessaria necessitate Physica, quę quia sic ordinata sunt in natura, eodem modo se habent, sed tamen à Deo mutari possunt, ut exempla testantur, & sic condita sunt liberrima uoluntate Dei, & reguntur liberrima uoluntate Dei, ut ignis necessariõ calefacit necessitate Physica, id est, sic instituto ordine diuinitus, sed tamen Deus potest sistere solem, ut fecit in pugna Iosuæ.

Ac Stoicorum delirium execrandum est, qui fingunt Deum alligatum esse causis secundis, nec posse aliter agere, quãm ut cient causæ secundæ: Imõ ideõ inuocamus, ut sua libertate regat & moderetur causas secundas, id est, Physicas.

Non

Non sunt igitur prorsus immutabilia hæc, quæ in hoc tertio gradu recensentur, ut illa quæ ad primum & secundum gradum pertinent.

Quartus gradus est mutabilium, quæ tamen nominantur necessaria necessitate consequentiæ, id est, quæ sunt quidem reipsa mutabilia, sed non mutantur, uel quia sic à Deo decreta sunt, uel quia sequuntur ex causis, quæ non mutantur, cùm tamen mutari potuissent, uel quia cùm fiunt, contradictoriæ simul ueræ esse non possunt: ut necessaria est resuscitatio mortuorum hominum, quia Deus edidit decretum de ea. Necesse est puniri genus humanum magnis calamitatibus quia causæ non mutantur: subinde enim multorum scelera irritant iram Dei. Hæc nequaquàm necesse est fieri, sed se quisq; disciplina regere posset. *Necessitas consequentiæ.*

Necesse est hæreses esse, scilicet necessitate consequentiæ, quia mala ingenia delectantur ludis opinionum alia aliis, & tamen frenare petulantiã possent.

Deniq; omnia cùm fiunt, tunc necessaria hoc modo dicuntur, quia contradictoriæ non possunt simul esse ueræ: Etsi enim in multis causæ non necessariò agunt, tamen cùm fiunt, dicuntur necessaria necessitate consequentiæ, quę non est propriè necessitas, quia causæ aliter agere poterant: Sed cùm fiunt manet regula: Quòd duæ contradictoriæ non sunt simul ueræ: uult enim Deus qui est uerax propositionem ueram esse ueram.

DE LIBERO ARBITRIO, SEV DE *VIRIBVS HVMANÆ VOLVNTATIS.*

Diuersissimæ quæstiones sunt, altera de contingentia, in qua disputatur, An omnes motus in materia corporum in brutis & hominibus, & an bonæ & malæ actiones hominum necessariò fiant? Hanc necessitatem finxerunt Stoici, ab his Manichæi sumta initia cumularunt horribilibus furoribus. Suprà autem refutata sunt Stoica & Manichæa deliramenta. *Distincte quæstiones sunt: an omnes in materia motus, et an actiones hominum necessariò fiant.*

Altera quæstio est, non de omnibus in materia motibus, sed tantùm de actionibus humanæ uoluntatis, ubi hoc præcipuè quæritur. An & quomodo uoluntas humana Legi Dei obedire possit. Quas actiones & quomodo facere possit, quarè nos ipsos aspiciamus, & qualis sit hæc hominum natura consideremus. Prodest autem ad hanc considerationem nosse usitatam doctrinam de potentijs animæ, & scire quæ agant naturaliter, & quæ agant liberè propria libertate, quæ regantur ab alijs, & quantum regi possint.

Vocabula etiam rectè intelligantur. Liberum arbitrium significat has duas potentias copulatas, Intellectum & Voluntatem, seu facultatem uoluntatis ad eligendum & expetendum ea quæ monstrata sunt, & ad reijciendum eadem, quæ facultas in natura hominis integra, longè fuit præstantior quàm nunc est in deprauatis, ut Liberi arbitrij est, quòd Scipio non uoluit alienam sponsam attingere, sed uult eam inuiolatam sine contumelia reduci ad parentes. De his uocabulis multa exiliter disputat uetustas, quæ tamen & intelligi & explicari facilè possunt ab his, qui Physicæ doctrinæ elementa rectè didicerunt. *Liberum arbitrium quid significet.*

In scriptis Propheticis & Apostolicis hæc uocabula usitata sunt, mens & cor, quæ

Mens & cor in scriptis Prophet: & Apo.

cor, quæ ambo usurpantur pro intellectu & uoluntate, uerè et non simulatè aliquid uolente, hoc est, complectuntur iudicium & appetitiones ueras, non simulatas, nec tantūm opus externum.

Cùm ergo in Ecclesia disputatur an uoluntas humana sit libera, hoc quæritur, An & quatenus uoluntas humana Legi Dei obedire possit.

In quæstione de libertate uolūtatis necesse est sciri doctrinā de peccato & de Lege Dei.

Hic necesse est scire doctrinam de peccato quod nascentes afferimus, quod est tristis caligo in potentia cognoscente, uidelicet esse sine luce agnoscente Deum, & esse sine firma fide assentiente minis & promissionibus, & in uoluntate & in corde esse sine rectore Deo, & uagari flammis cupiditatum contra ordinem ā Deo in Lege sancitum. Hæc mala impediunt interiorem obedientiam erga Legem.

Necesse est etiam scire ueram doctrinam de Lege Dei, quid sit & quare data sit, quid interfit inter politicas Leges & diuinam. Voci Magistratuum satisfacit externa obedientia: Sed Lex diuina est iudicium contra peccatum in natura, ostendens qualis esse debeat homo. Nec tantūm præcipit externa facta, nec satisfacit Legi Dei externa obedientia.

Vt autem uoluntas humana non potest deponere mortem, ita nec deponere potest suis uiribus prauitatem nobiscum nascentem. Et semper sunt in non renatis horrendæ dubitationes de Deo, & inordinatæ flammæ uiciosorū affectuum.

Voluntas humana potest aliquo modo externa legis opera facere.

Disputatio est igitur, quid & quantum facere humana uoluntas possit? Hic primùm respondeo. Cùm manifestum sit in mentibus hominum reliquam esse noticiam aliquam Legis, & uoluntatem etiam post lapsum liberē posse ciere Locomotiuam, id est, regere motus membrorum externos, potest uoluntas humana etiam sine renouatione, propriis uiribus aliquo modo externa Legis opera facere. Hæc est libertas uoluntatis, quam Philosophi rectē tribuunt homini, & hæc externa obedientia sæpè nominatur disciplina seu pædagogia, quam dicimus in potestate uoluntatis aliquo modo esse, ut sitiens possit imperare Locomotiuæ ut manus cieat, quæ poculum ori admoueant, aut ut reprimat manus. Ita cogitatio & uoluntas possunt in Achille imperare Locomotiuæ, ut reprimat manus ne stringant gladium.

Hanc libertatem esse reliquam in hominibus etiam in non renatis manifestum est, sicut & uerba Pauli significant, qui nominat iusticiam carnis eam disciplinam, quam caro, id est, homo non renatus efficit. Fatetur ergo in homine non renato talem facultatem esse, actiones conuenientes Legi externas facere aut non facere.

Propter duas causas reliqua est aliqua libertas uoluntatis.

Voluit autem Deus talem libertatem reliquam esse propter duas causas, uidelicet, primùm ut intelligamus discrimen inter agens liberum & naturale, & sciremus ipsum Deum esse agens liberrimum.

Deinde ut externæ hominum actiones regi possent noticia Legis. Nec tamen hæc externa obedientia satisfacit Legi Dei, nec est iusticia, qua homo coram Deo iustus est, nec est meritum remissionis peccatorum. Ideō dicitur: Ex operibus Legis non iustificabitur coram Deo omnis caro. Nominatur autem litera, quia cogitatio illa regens motū externum, est ueluti pictura seu scriptura illita cerebro, sine uita in corde, sine flamma cordis diuinitus accensa, & intuente Deum: Vt cogitatio de ira reprimēda in Achille est picta in cerebro, cū quidem cor reluctetur, nec mens Achillis intuetur Deum, nec cor lætatur in Deo

Deo: Sicut Dauid reprimens se ne occidat Saulum, intuetur Deum & acquiescit in Deo.

Typus etiam huius iusticiæ externæ est folium fici, quo se tegunt primi parentes: Nam externa disciplina utcunq; tegit deformitatem naturæ interiorem, ut sunt res pulcræ ordinati gestus in Scipione nolente attingere alterius sponsam, nec tamen illud folium aufert peccatum & mortem à primis parentibus.

Sunt autem aliæ causæ quatuor, propter quas externa obedientia in omnibus necessaria est, etiam in non renatis. *Quatuor causæ propter quas externa obedientia est necessaria.*

Prima est mandatum Dei. Nam omnis creatura rationalis debet obedientiam Deo. I.

Secunda, Vt uitentur pœnæ corporales. Hæc est enim regula diuina: Atrocia delicta puniri atrocibus pœnis etiam in hac uita, iuxta hæc dicta: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Væ qui spolias, quia spoliaberis. Omnis anima quæ fecerit has abominationes, euometur ex terra. Hæc dicta uera esse testantur assiduæ calamitates in toto genere humano, morbi, discordię, inopię, seditiones, bella, tragici exitus, calamitates in sobole, & aliæ innumerabiles pœnæ, quæ sunt commonefactiones manifestę de ira Dei aduersus peccatum. Ideō & apud Ethnicos recitantur sententiæ congruentes Legi Dei, quæ & à Patribus traditæ sunt, & confirmatæ sunt quotidiana experientia, ut apud Homerum, ὃν γὰρ ἀχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι, & apud Pindarum πυθ: δ. II.

ἐντὶ μὲν θνατῶν φρένες ὠκύτεραι
κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκης δόλιον,
τραχεῖαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίβδαν θ' ὅμως.

Hoc iudicium in hac uita corporali Deus regulariter exercet aduersus omnes sontes, quia uult conspici testimonia iræ suæ aduersus peccatum. Et quanq̄ his qui conuertuntur remittit culpam, & tollit pœnam æternam, tamē pœnas corporales non semper aufert, sæpè autem conuersis mitigat, ut Zach. 1. dicitur: Conuertimini ad me & ego conuertar ad uos. Et Oseæ 10. Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus ego sum. Syrac. 16. Effundens iram secundum misericordiam. Ieremias in Threnis: Misericordiæ Domini quōd non consumti sumus. Item Abacuc 3. In ira misericordiæ recordaris.

Tertia causa propter quam disciplina necessaria est, uidelicet necessitas tuendæ communis pacis, Quia hanc iusticiam communi hominum societati debemus, ut alios non lædamus iniustè. III.

Quarta causa ualdē insignis est, de qua Paulus inquit, Lex est pædagogia in Christum, id est, sit directa disciplina non tantùm ad decus Philosophicum & ad pacem communis societatis, sed ad hunc finem potissimum, ut doceri homines de Christo possint. Quomodo enim inter assidua latrocinia propagari doctrina potest. Præterea certum est, eos qui perseuerant in sceleribus contra conscientiam nequaquàm conuersos esse ad Deum: Quia sæpè repetita est hęc sententia, Ne erretis, Scortatores, Mœchi, Homicidę non possidebunt regnum Dei. IIII.

Hæ quatuor causæ sint notissimæ, & singulos ad amorem disciplinæ hortentur. De his causis & Paulus loquitur, cùm inquit, Lex est iniustis posita, id est rata, & premit eos quoad præcepta & ad pœnas attinet. Non dubitet homicida ratam esse uocem de pœna, Qui gladium acceperit, gladio peribit.

Item,

Item, Lex est data propter transgressiones, scilicet coërcendas in hac corporali uita.

Libertas externis duabus causis impeditur, insidijs diaboli & imbecillitate naturæ.

Quanꝯ autem hanc externam disciplinam, id est, gubernationem locomotiuæ, ne fiant externa facta contra Legem, humanę uires etiam in non renatis aliquo modo efficere possunt, tamen simul sciendum est, hanc libertatem duabus causis sæpē impediri, insidijs Diaboli, & imbecillitate nostræ naturæ, qua fit, ut sæpē homines contrà iudicium mentis impulsi affectibus ruant in scelera, Sicut Medea inquit: Video meliora proboꝯ, deteriora sequor.

Miratur Philosophia, unde sit tanta infirmitas in homine, ut affectus tanto impetu repugnent noticijs recta iubentibus: quærit igitur quid sit uirtus, & an uirtutem humana diligentia assumere possit, sicut pictores, Musici, artes suas assumunt exercitijs. Paulus disciplinam nominat opera Legis, id est, actiones externas, quæ fiunt locomotiua ciente aut frenante externa membra, & regitur locomotiua cogitatione & imperio uoluntatis, etiamsi cor habet contrarios affectus, ut cùm Achilles reuocat manus ne interficiant Agamemnonē. Hæc externa moderatio fit cogitatione & imperio uoluntatis ciente membra, & tamen interea in corde magnum est iræ incendium.

Opera sine deo litera sunt Paulo.

Nominat etiam Paulus talia opera Literam, id est, cogitationes tanꝯ pias in cerebro, quæ non sunt uita & Spiritus sancti motus, seu Deus mouens cor.

Folium fici.

Typus est illustrior de folio fici, sicut folium tantùm foris tegit motus inordinatos membrorum: Sic rectio locomotiuæ est externorum membrorum qualiscunꝯ frenatio. Si qua igitur est uirtus in homine non renato, est ualdē exilis, econtrà uicia ualdē conspicua sunt, quæ sunt affectus, id est, flammæ inordinatæ in corde, ut amor in Dauide, uel sunt impulsiones Diabolorum seu ipsi Diaboli impellentes infirmam naturam. Vt odium in Cain, Saule, & innumerabiles impetus mali contra σαρκὸς quæ adhuc reliqua est in natura post lapsum, oriuntur principaliter à Diabolis, qui odio Dei grassantur, ut maximam multitudinem hominum perdant, iuxta dicta: Circuit Diabolus tanquàm Leo rugiens, quærens quem deuoret. Et Ephes. 2. Diaboli sunt efficaces in impijs, sicut de Iuda dicitur: Satanas intrauit in eum. Hinc sunt incestæ libidines, parricidia, seditiones, furores mouentes bella iniusta & cædes, blasphemiæ, Idolorum defensio & alia multa.

Hanc tantam miseriam generis humani consideremus, & de causis cogitemus patefactis in Ecclesia, & remedia quæramus. Sciamus Filium Dei missum esse, ut destruat opera Diaboli & conterat caput serpentis, discernamus

Vera uirtus quæ sit.

Philosophicam doctrinam ab Euangelica: sciamus ueram uirtutem esse lucem accensam per Filium Dei uoce Euangelij, qua uerum Deum intuemur, & motus Spiritus sancti in corde, sicut 2. Cor. 3. dicitur: Transformamur ut efficiamur imago Filij Dei à Domini Spiritu, id est, lucet uerbum in mente, & illi luci congruentes motus accenduntur per Spiritum sanctum. Hæc remedia salutaria discamus & petamus, sicut sæpissimē præcipitur: Petite & accipietis. Quantō magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus, Item, Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Hęc præcepta et has dulcissimas promissiones quotidiē in inuocatione cogitemus.

Disciplina externa non est impletio legis.

Suprà autem dixi disciplinam illam, quam ratio efficere utcunꝯ potest, nequaquam esse Legis diuinæ impletionem neque iusticiam, qua homo sit iustus

iustus coram Deo, neq; mereri remissionem peccatorum, neq; reconciliationem, neq; uitam æternam. Et infrà de Lege taxabimus Pharisaica deliramenta, quæ fingunt Legi Dei satisfieri externis operibus, cùm Lex præcipiat integram obedientiam in mente, corde & externis actionibus, iuxta dictum: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Congruere cum Lege mentem & cor oportebat, quæ horribiliter repugnant Legi Dei, Sicut & testatur Paulus: Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Mens in non renatis plena est dubitationum de Deo, corda sunt sine uero timore Dei, sine uera fiducia Dei, & habent impetus ardentes contra Legem Dei, deniq; natura humana oppressa est peccato & morte. Hæc ingentia mala intueamur, cùm extenuatur libertas uoluntatis.

Hic igitur primùm & perspicuè dicitur: Non potest humana uoluntas exuere nobiscum nascentem prauitatem, nec potest Legi Dei satisfacere, quæ iudicat & damnat peccatum in natura hominis, non tollit, sicut nec mortem tollit, nec potest uoluntas mereri remissionem peccatorum, nec reconciliationem, nec uitam æternam mereri potest: sed firmissimè tenenda est regula Iohannis 8. Si uos liberauerit Filius, uerè liberi eritis. Et Rom. 3. Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram eo. Item, Iustificamur gratis fide per sanguinem eius. Deinde & hoc uerum est, Non potest humana uoluntas credere de promissione diuina, & incoare interiorem obedientiam, nisi luce accensa per Euangelium à Filio Dei & effuso Spiritu sancto in corda eorum qui conuertuntur. Ideò clarè dicitur Rom. 8. Qui ducuntur Spiritu Dei, hi sunt filij Dei. Item, Si quis Spiritum Christi non habet, is non est Christi. Iohan. 6. Nemo potest uenire ad me nisi Pater traxerit eum. Item, Sine me nihil potestis facere. Item, Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui uolet Filius reuelare. Scien-dum est autem Filium Dei, qui est caput Ecclesiæ perficiens omnia in omnibus efficacem esse uoce Euangelij, & dare Spiritum sanctum cùm uoce Euangelij sustentamur, ut clarissimè dicitur Galat. 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per Fidem. Item, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Ac sæpè hanc uerissimam commonefactionem repetimus: Cogitantes de Deo à patefacta uoce doctrinæ ordiri oportere, nec quærendam esse uoluntatem Dei sine Verbo ipsius, ideò expressè dicit: Cùm mundus non nosset Deum in sapientia per sapientiam, placuit Deo per stultam prædicationem saluos facere credentes.

Humana uoluntas non potest exuere nobiscum nascentem prauitatem, nec legi satisfacere.

Est autem utraq; concio uniuersalis: Prædicatio pœnitentiæ, & promissio, Vtriq; igitur omnes assentiamur, agamus pœnitentiam, credamus omnes in Filium, nec disputemus de alia arcana uoluntate, nec fingamus in Deo contradictorias uoluntates. Cumq; à uerbo Dei ordimur, sciamus concurrere has causas: Vocem à Deo traditam, & ipsum Filium efficacem per Verbi externi cogitationem & dantem Spiritum sanctum, sicut inquit: Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare. Scimus quod sit in nobis, quia de Spiritu suo dat nobis. Item, Ipse est caput Ecclesiæ omnia perficiens in omnibus: & tunc oportere uoluntatem non repugnare Deo, sed assentiri, cùm quidem iam à Deo trahatur. Posset enim excutere Spiritum sanctum, ut excutit Saul sua sponte: Sed cùm mens audiens ac se sustentans non repugnat, non indulget diffidentiæ, sed adiuuante Filio Dei per Spiritum sanctum assentitur: In hoc certami-

Vtraq; concio est uniuersalis pœnitentiæ & remissionis peccatorum.

Quæ causæ concurrant in cõuersione & quo ordine.

certamine uoluntas non est ociosa. Et ueteres dixerunt: Præcedente gratia, comitante uoluntate bona opera fieri.

Et Basilius inquit: μόνον θέλκσον καὶ θεὸς προαπαντᾷ. Deus anteuertit nos, uocat, monet, adiuuat, sed nos uiderimus ne repugnemus. Constat enim peccatum oriri à nobis, non à uoluntate Dei.

Chrysostomus inquit: οὐ ἕλκων τὸν θελόμενον ἕλκει, trahit, sed uolentem trahit. Sicut & in illo ipso loco Iohannis dicitur: Omnis qui audit ā Patre & discit, Veniet ad me. Discere iubet, id est, audire uocem doctrinæ traditam ab ipso, & assentiri ei, non repugnare, non indulgere diffidentiæ.

Manichæorū furoresnō sunt audiendi.

Nequaquām igitur audiendi sunt Manichæi furores, qui finxerunt alium esse numerum hominum, quos nominant ὑλικοὺς καὶ χοϊκούς, qui conuerti nō possunt, nec Enthusiastæ & Stenckfeldiani audiendi sunt, qui imaginantur raptos homines coactos & quidem sine cogitatione doctrinæ, & confirmant profanitatem in illis, qui cogitant, si raptus expectandus est, interea indulgebo diffidentiæ & alijs sceleribus. Nos regulam æternam & immotam teneamus, Audite Filium, Osculamini Filium. Omni tempore debemus assentiri prædicationi pœnitentiæ & promissioni & repugnare diffidentiæ, & addere inuocationem: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meæ. Hæc regula semper uera est, etiamsi hoc ita fit, quōd multa Deus in sanctis agit, in quibus uoluntas se tantūm passiuè habet: retinenda tamen est regula, quæ præcipit, ut Filium audiamus, & ei non repugnemus.

Spiritus S. sanat uoluntatē.

Certē postquām in conuersione datus est Spiritus, incipit sanare uoluntatem & affert initia Libertatis. Hic non cogitandum est, uoluntatem in actionibus se habere ut truncum, cūm Ioseph repugnat illecebris adulteræ, concurrunt hæ causæ, Verbum Dei quo Filius docet mentem & lucem accendit in cogitatione mandati Dei, pœnarum, promissionis, gratiæ, præmiorum, & multorum euentuum in utranq; partem.

Et Spiritus sanctus mouet uoluntatem, non solūm ut regat externa membra, sed ut uerē sentiat scintillas, quōd uelit Deo obedire & repugnare Diabolo. Postea reguntur externa membra & ā Spiritu sancto & ā uoluntate, & moueuntur ut caueant & uitent occasiones. Hic sentitur uoluntatem non esse truncō similem. Ideō Paulus iubet cauere, ne frustra gratiam acceperimus, effundens enim uolens effundit. Et ad Ephesios inquit, diligentiā præcipiens: Accuratē ambulate non ut fatui. Item, Habenti dabitur. Qui negociatur accepro talento. Ideō Augustinus interpretans dictum Syracidæ, addit interpretationem breuissimis uerbis, quę uniuersaliter Legi addenda est, proposuit tibi ignē & aquam, ad utrum uoles extendito manum. Addit Augustinus breuissimē, Extendito ad bonum, scilicet iuuante gratia. Vniuersaliter enim sciendum est, doctrinæ Legis addendam esse interpretationem ex Euangelio, & Christum finem esse Legis, & Legem per fidem stabiliri.

Hæc ut copiosius declarentur, duo uetera decreta explicanda sunt, quorum alterum inquit: Anathema sit, qui dicit Legem impossibilia præcipere. Alterum inquit: Anathema sit, qui dicit Legem Dei posse fieri sine gratia.

In posteriore uocabulum gratiæ rectē intelligendum est. Non enim satis

Lex non potest fieri sine gratia quomodo sit intelligendum.

est sic intelligere hoc dictum: Lex non potest fieri sine gratia, id est, sine auxilio Dei, ut: Laurentius non potest retinere in supplicio magnitudinem animi, nisi confirmatus ā Deo per Spiritum sanctum.

Hæc

Hæc enarratio etsi uera est, tamen non est sufficiens, sed prius intelligatur gratia de reconciliatione & imputatione iusticiæ propter Filium, ut obedientia Laurentij Deo placeat, & sit cultus Dei, necesse est prius personam placere propter Mediatorem fide, gratis accepta remissione peccatorum, & imputatione iusticię propter Filium, cuius iusticia uestitus Laurentius placet iam, ac si Legi satisfaceret, & tamen uerissimum est, omnes homines in hac uita procul abesse à perfectione Legis præter Christum.

Postea addatur altera interpretatio de auxilio. Illustrentur hęc & exemplorum collatione. Differunt repressio iræ in Achille & Dauide. Cùm Achilles incensus ingenti ira stringens gladium reprimit se, ea repressio est gubernatio locomotiuæ, seu externorum membrorum, quæ fit cogitatione Achillis: Nec tamen est mutatio cordis, nec est cultus Dei.

Sed repressio iræ in Dauide, est in persona, quæ placet Deo fide, qua accipit imputatam iusticiam propter Mediatorem, & est in corde, in quo lenit iram Spiritus sanctus, & accendit ueros motus mansuetudinis & commiserationis, qui sequuntur has cogitationes accensas Verbo Dei: Mihi uindictam & ego retribuam. Item, Vitato scandalo, pessimi exempli res esset etiam in causa iusta, & quidem in populo Dei, regem à Deo unctum interficere. Fit igitur hæc mansuetudo opus Deo placens, Quia prælucet fides, qua persona propter Mediatorem placet, & est incoatio obedientiæ quam Lex præcipit, Quia est in corde, & fit prælucente fide, & refertur ad gloriam Dei. In tali collatione exemplorum, hæc dicta magis fient illustria: Lex stabilitur per fidem, & Lex incoatur prælucente fide, & iuuante gratia. Sciant autem iuniores hoc decretum contra Pelagianos factum esse, & dignum esse consideratione.

Alterum decretum est, Anathema sit, qui dicit Legem Dei impossibilia præcipere, Vsitatum est hic respondere: Impossibilitas non est ex Lege, sed ex nobis post deprauationem naturæ. Sed mea responsio hæc est: Iudico decretum hoc simpliciter factum esse contra Manichæos, qui fingebant omnia peccata interiora & exteriora necessariò fieri, & negabant libertatem esse regendæ locomotiuæ reliquam in hac deprauata natura. Hæc falsa imaginatio de externa obedientia damnatur hoc decreto. Anathema sit, qui dicit Legem Dei impossibilia præcipere, scilicet in externa obedientia, seu in externo gestu. Colligatur magnus aceruus optimarum admonitionum, quæ simul de nostra infirmitate loquuntur, & iubent petere à Deo auxilium & consilium. Hierem. 10. Scio Domine, non est hominis uia eius. Prouerb. 16. Cor hominis cogitat uiam, sed Dominus confirmat gressum eius. Talia dicta continent & doctrinam necessariam, & dulcissimas consolationes. Docent aliud esse electionem, & aliud euentum, Vt aliud est electio belli in Pompeio, aliud euentus, ac manifestũ est, ad euentum requiri multas causas extra nos. In electione etiam sæpẽ est error consilij. Interdum cùm non errat consilium, ut non errabant Israëlitæ arma capientes contra Benlamin, tamen sæpẽ iustis consilijs non respondent euentus propter alias causas, propter quas Deus alios exitus tribuit, quàm quales non iniustè ratiocinati eramus. Hæc omnia uult nos Deus considerare. Primùm ne fiducia nostrarum uirium suscipiamus iniusta aut non necessaria. Deinde ut etiam in causis iustis & necessarijs petamus consilium & auxilium à Deo, iuxta dictum: Commenda Deo uiam tuam, spera in eũ, & ipse faciet. Nec propterea sequitur, nullam esse contingentiam, omnia fieri Stoica necessitate,

Legem Dei nõ præcipisse impossibilia quomodo sit intelligendum.

Aliud electio, aliud euentus.

humanam uoluntatem habere se ut truncum, ut: cùm Ioseph fugit adulteram, regitur quidem & custoditur luce accensa in eius mente ā Filio Dei, & cor accenditur à Spiritu sancto: Et tamen uoluntas eius non est ociosa, sequitur trahentem Spiritum sanctum, & uolens uitat illecebras & pernicioſas occasiones. Israëlitæ iustam & necessariam causam habent belli contra Benlamin: Tamen euentus initiō tristes sunt. Ideō dicit Salomon: Cor hominis cogitat uiam suam, sed Deus confirmat gressus, ut ibi Israëlitæ uincuntur, quia euentus non iuuatur ā Deo. Iosias etiam in consilio errat, fuitq; spectator illius magnæ calamitatis. Ieremias inquit: Scio Domine, quia non est hominis uia eius, id est, uocatio, sed ita est felix, cùm & consilia salutaria Deus monstrat, & præbet ipse secundos euentus, iuxta dicta: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. Item, Dominus dat sapientiam sapientibus.

Voluntas non est ociosa.

DE LEGE DIVINA.

Tres partes Legis diuinæ.

NEcesse est usitatam partitionem retinere: Præcipua pars Legis nominatur Moralis, quæ est Decalogus rectē intellectus, id est, conformitas cum sapientia & ordine in mente diuina. Aliæ duæ partes sunt politicæ, uidelicet Ceremonialis & Forensis seu iudicialis, ut in Politia Moysi, certæ Ceremoniæ & Leges, de distinctione facultatum, de delictis, Iudicijs, & pœnis corporum diuinitus traditæ sunt.

Ceremoniæ & Forenses Leges Moysi sunt deletæ cū politia

Tenenda est autem regula, sicut politia Iudaica deleta est, Ita & Ceremonias & Forenses Leges, quæ non sunt naturales, deletas esse, nec alligatam esse Ecclesiam ad Ceremonias Leuiticas, nec ad Leges Forenses quæ non sunt naturales. Hæc doctrina expressē tradita est in Actis capite 15. & in Epistola ad Galatas & alibi.

Hic autem considerandum est, & quare illa politia constituta sit, & quare Ceremoniæ & Forenses Leges traditæ sint. Iohannes eruditissimē discernit, Lex per Moysen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum facta est, id est, Messias missus est, ut deleto peccato & deleta morte restituantur in nobis æterna bona, iustitia & uita æterna, Sicut & Daniel inquit: Peccatum expiabitur & delebitur, & adducetur æterna iustitia.

Constat autem Ceremonias & ritus Forenses non esse res æternas, Ideō firmissimē statuendum est, Ceremonias & ritus Forenses non esse institutos, ut mereantur remissionem peccatorum, seu ut essent iustitia, qua homines coram Deo essent iusti, seu ut essent illud bonum, propter quod uenturus erat Messias. Quare & in Epistola ad Hebræos dicitur: Impossibile fuit sanguine taurorum deleri peccata.

Ceremoniæ & Forenses Leges Moysi fuerunt illius politiæ uinculum.

Quid igitur fuerunt Ceremoniæ & ritus Forenses? Respondeo, Fuerunt illius politiæ forma seu uinculum. Voluit enim Deus singulari beneficio certam politiam constituere, & ā cæteris gentibus separare, ut certum esset ex qua gente & stirpe, in quo loco terræ uellet nasci Christus, & ubi audiendus esset, ubi testimonia de ipso exhibiturus esset, ubi subinde repetiturus & illustraturus esset promissionem, & testimonia ostensurus, ut sciretur promissionem uerē traditam esse ā Deo.

Prædixit

Prædixit etiã exhibito Messia,& ostensis testimonijs resuscitatione mortuorum & alijs miraculis, finem fore politiæ Mosaicæ, & futurum ut Euangelium inter gentes spargeretur,& colligeretur æterna Ecclesia ex Iudæis & gentibus. Hæc ideò prædicta sunt, ut sciretur, promissionem Messiæ intelligendam esse de æternis bonis,& non tantùm de illa politia,& ueros cultus Dei esse æternam iusticiam,non umbras Ceremoniarum & rituum Forensium. Hæc in Daniele expressè prædicta sunt, adducetur iustitia æterna, & populus desinet esse,& templum destruetur ita, ut non rursus ædificandum sit. Destructo autem templo Hierosolymæ simul iacent inter rudera & cineres Leuiticæ Ceremoniæ & Forenses Leges,quæ non sunt naturales. Nec aliæ gentes ad Mosyſi ritus alligatæ sunt. Durauit autem illa politia ab Exitu ex Aegypto, usq; ad ultimam destructionem factam à Tito annos 1582. *Prædictiones de fine politiæ Mosaicæ.*

Cogitemus autem,quàm dulce beneficium Dei fuerit,quòd tam diu certa sedes Ecclesiæ fuit,quæ, etsi ingentibus ærumnis interea quassata est, tamen inter illas ipsas ærumnas uidit mirandas liberationes, quæ fuerunt testimonia de Deo. Semper etiam ibi seruauit Deus aliqua uiua Ecclesiæ membra,in quibus fulsit ueritas,ut fuerunt ultimo & tristissimo tempore Zacharias,Simeon, & alij.

Cogitentur etiam causæ destructionis, inter quas & hæc fuit, Ne Ceremoniæ Mosaicæ putarentur esse res necessarię. Omissis ergo illis duabus partibus,Ceremonialibus & Forensibus legibus Moysi, quæ ita deletæ sunt,ne fiant, hic dicendũ est de Lege Morali, quæ est æterna, & ad quam renouamur. De hac parte hanc definitionem constituo. *Causæ destructionis politiæ Mosaicæ cogitandæ.*

LEX MORALIS est æterna & immota sapientia in Deo,& regula iusticiæ,discernens recta & non recta, uolens recta, & horribili ira destruens contraria,cuius notitia in creatione, rationalibus creaturis insita est, & postea sæpè repetita, & declarata uoce diuina,ut sciamus quòd sit Deus, & qualis sit, & quòd sit iudex obligans omnes creaturas rationales,& præcipiens,ut omnes sint conformes ipsi,& habeant integram obedientiam iuxta totam Legem, & accusans ac destruens omnes non conformes, iuxta dictum: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in Lege. *Lex Moralis quid sit.*

Cùm autem in definitione sit uocabulum immota,ex Euangelio adijcitur interpretatio & ἐπιείκεια,nisi fiat remissio & reconciliatio propter Filium Mediatorem. Nam ante promissionem aliter iudicari non poterat,nisi iram prorsus immutabilem esse, & sic est immutabilis, quòd Deus peccato semper irascitur, & non sine pœna remittit, quam in Filium Mediatorem immensa bonitate & mirando consilio transtulit. Recipit autem creaturam suam propter Filium, Suntq; execrandi furores Stoicorum & Antinomorum,qui fingunt Deum uel le peccatum. Iuniores hanc breuem descriptionem teneant. Lex Moralis est Decalogus rectè intellectus. *Lex Moralis est Decalogus.*

DE VSIBVS LEGIS MORALIS.

REctè autem dicimus, tres esse usus Legis Moralis. Primus est Politicus seu Pædagogicus,coërcere externa membra etiam in non renatis,ut 1. Timot. *Primus usus legis diuinæ.*

1. dicitur: Lex est iniustis posita, & est Emphasis in uerbo κεῖται, premit iniustos, quoad utrunq; id est, coërcet externa membra, & punit facientes externa delicta pœnis corporalibus.

Sciendum est autem, quid sit hæc externa iusticia, & quòd sit aliquo modo etiam non renatis possibilis. Dixi autem suprà hanc externam iusticiam esse gubernationem locomotiuæ, regentem externa membra, ut faciant opera externa congruentia Decalogo.

Externa iusticia est gubernatio locomotiuæ.

Philosophi multa de uirtute quærunt, quæ sunt obscura, sed gubernationem externorum membrorum scimus esse cogitationem in cerebro, & uoluntatem imperantem externis membris, ut cieant tales motus, quales docet cogitatio, ut cùm Achylles reprimit se, ne interficiat Agamemnonẽ, cogitatio & uoluntas imperat manibus ne faciant cædem. Talis libertas adhuc in hominibus etiam non renatis reliqua est.

Ac præcipuè de politico usu hoc considerandum est, quod & hic usus illustrè testimonium sit de Deo, quòd sit Deus & qualis sit, quòd sit uindex.

Noticiæ ordinatissimè testantur, quòd hæc natura nõ casu ex Democriti Atomis confluxerit. Deinde hæ noticiæ discernentes recta & non recta, ostendunt qualis sit Deus.

Tertiò quia uniuersaliter sequuntur pœnæ atrocia scelera, testimonium ostenditur quòd uerè sit Deus præsens in genere humano, & puniat scelera. Nec contemnenda sunt hæc testimonia de Deo, sed sæpè multumq; cogitanda ut confirmetur assensio de prouidentia.

Hic etiam repetantur causæ, quare necesse sit facere externa Legis opera, etiamsi non merentur remissionem peccatorum, nec sunt illa res qua homo est iustus coram Deo.

Causæ, quare necesse sit externa Legis opera facere etiam non renatos.

Prima causa est, quare necesse sit facere externa honesta opera etiam non renatis, scilicet mandatum Dei.

Secunda, Vt uitentur pœnæ, quæ ordine diuino sequuntur atrocia scelera, iuxta dicta, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Omnis anima quę fecerit has abominationes euometur ex terra. Item, Væ qui spolias quia spoliaberis. Hinc regula est: Atrocia delicta comitantur atroces pœnæ in hac uita.

Tertia causa est, ut alijs pax sit, Quia nascimur ad fouendam societatem, non ad infinitam deletionem generis humani.

Quarta, ut externa modestia sit pædagogia in Christum, ut doceri possimus nos & alij, & perseuerantes in sceleribus contra conscientiam, non sunt sanctificati ã Christo per uocem Euangelij & Spiritum sanctum. Ideò dicitur: Scortatores, adulteri, homicidæ non possidebunt regnum Dei. Vsus est autem Paulus appellatione non terribili, Quia pædagogus non tantùm castigat, sed etiam docet, & ordinatis exercitijs assuefacit. Ita usus pædagogicus Legis ad hoc prosit, ut doceantur rudiores de Deo, & de uirtutibus, non ut confirmetur Cyclopica & effera barbaries. Hunc usum politicum ratio etiam in non renatis utcunq; intelligit, etsi hunc quoq; per caliginem aspicit, & addit errores, fingit esse merita remissionis peccatorum, esse impletionem Legis & iusticiam coram Deo. De his erroribus postea dicemus in secundo usu.

Secundus usus Legis diuinæ in iudicio conscientiæ, in quo cum uoce Legis accusantur, sensus iræ Dei aduersus peccatum ueros & horribiles dolores affert.

Secundus usus legis.

affert. De hoc usu concionatur Paulus cũm inquit: Lex iram efficit. Et ad Corinthios, Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati Lex est. Rom. 7. Peccatum occasionem accipiens per Legem occidit. Est enim Lex post peccatum horribile Dei iudicium, accusans & damnans omnes reos, quorum alij alio tempore sentiunt huius iudicij exequutionem. Et quanquãm multi damnandi, ut Nero, uiuunt securi, & habent ceruices ferreas, frontes æneas, corda adamantina: tamen tandem his terroribus opprimuntur.

Lex post lapsum iudicium Dei aduersus peccatum.

Alij uerò conuertendi, ut Dauid, Manasses, Ezechias, Paulus, in sensu talium terrorum eriguntur consolatione, intuentes promissionem gratiæ, credentes Euangelio, & fiducia Mediatoris sustentati uiuificantur, ut Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus apud Deum.

De hoc iudicio & de his terroribus loquitur Ezechias cũm inquit: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Et in Psalmo, Non est pax ossib. meis â conspectu peccatorum meorum.

Etsi autem in alijs hi terrores sunt maiores, in alijs minores, quia summos nemo ferre potest, sicut in Psalm. dicitur: Non accendit Deus totam iram suam. Et in Osea, Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus ego sum: tamen omnes conuertendi ad Deum aliqua initia talium terrorum sentiunt, ut Psalmo 50. dicitur: Deus noster manifestẽ ueniet, & non silebit ignis in conspectu eius.

Et uerè irascitur Deus carnali securitati, ut Paulus ad Ephesios damnat eos, in quib. nulli sunt dolores, quos nominat ἀπηλγηκότας, id est, qui dedoluerũt, Die da verschmertzt haben/die nichts darnach fragen. Ideò cùm de contritione in doctrina de pœnitentia dicitur, hi terrores intelligantur, quorum initia in uera pœnitentia discenda sunt.

Deus irascitur carnali securitati.

Etsi autem est aliqua noticia Legis diuinæ in toto genere humano quæ nobiscum nascitur: tamen simul magna caligo est, & ratio imaginatur, satisfacere homines Legi diuinæ externa disciplina. Ideò Deus semper in uera Ecclesia repetiuit Legem, & docuit eam esse iudicium accusans peccata externa & interiora, tenebras & dubitationes de Deo in mente, & prauitatem cordis, quod est in hac corrupta natura ante conuersionem sine timore Dei, sine fiducia & sine dilectione Dei, & ardet affectibus pugnantib. cum Lege Dei, & fremit aduersus Deum, sicut Ieremiæ 17. dicitur: Peruersum est cor hominis & ęrumnosum. Peruersitas significat culpam seu contumaciam contra Legem. Aerumnosum significat ingentes dolores in fuga & fremitu aduersus Deum, qui sunt culpæ & pœnæ.

Vt igitur peccata interiora & exteriora agnoscantur, uult Deus in Ecclesia sua doceri Legem, sicut Paulus inquit: Per Legem cognitio peccati. Et quãquam Christus non est missus ut sit Legislator, nouæ alicuius Legis, sed ut proferat Euangelium ex sinu æterni Patris, & sit Redemtor & Saluator: tamen cùm docet, ut minister repetit uocem Legis Moralis, & eam declarat, emendat errorem Pharisæorum, qui Legem tantùm de externis actionibus interpretabantur.

Vult Deus Legem doceri in Ecclesia.

Sic semper ab initio in sola Dei Ecclesia retenta est integra Lex, & subinde deterſæ sunt sordes quibus obscurata fuit.

Quare furor est execrandus dicere: Vocem Legis Moralis, sicut eam Christus, Prophetæ & Apostoli declarant, non docendam esse in Ecclesia. Constat enim necessariam prædicationem pœnitentiæ esse, in qua peccata ostendi

Execrandus furor est dicentium nõ esse docendam Legem in Ecclesia.

necesse est, sicut Ieremiæ primo scriptum est: Ecce dedi uerba mea in ore tuo, constitui te super gentes, ut euellas & destruas, scilicet arguendo peccatum. Et ad Titum secundo: Argue eos cum omni imperio, id est, præcipiendo cum comminatione iræ Dei & pœnarum æternarum. Simul autem docet Ecclesia, quòd nemo Legi Dei satisfaciat, & proponit Euangelium de remissione peccatorum & iustitia fidei, quæ donatur Gratis propter Mediatorem, & sola fide accipitur. Postea uerò quomodo placeat noua obedientia suo loco dicetur.

Tertius usus legis diuinæ in renatis.

Tertius usus est, docere renatos, qui cultus Deo placeant. Etsi enim quomodo renati & iustificati fide, sint liberi à Lege dicendum est suo loco: Sunt enim liberi à Lege, id est, à maledictione seu ira Dei, quæ in Lege proponitur, scilicet cùm fidem retinent, & fiducia Filij Dei repugnant peccatis & uincunt terrores peccati: Semper tamen in hac uita docenda est Lex.

Primùm, ut habeamus testimonium Dei, qui cultus ei placeant, quia totam obedientiam interiorem & exteriorem regi uult Verbo suo, iuxta dictum: In præceptis meis ambulate. Item, Lucerna pedibus meis Verbum tuum.

Manet etiam ordo æternus & immutabilis in mente diuina, ut creatura rationalis Deo obtemperet iuxta dictum: Non Deus uolens impietatem tu es. Ideò dicitur, Per fidem Lex stabilitur, id est, fide incoatur obedientia & placet.

Secundò cùm in renatis sint reliquiæ peccati, crescere pœnitentiam oportet. Vt igitur peccata magis magisq; agnoscantur uoce Legis, ira Dei monstranda est, ut crescat uera contritio: sicut scriptum est, Ad quem respiciam, nisi ad Spiritum contritum & trementem sermones meos. Et Dominus inquit ad suos discipulos: Nisi pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis: & Paulus inquit: Argue eos cum omni imperio, scilicet uocis diuinæ.

Itaq; propter reliquias peccati, etiam renati docendi sunt de Lege, sicut & in Deut. scriptum est, Repetas seu acuas eis præcepta mea, Quomodo autem intelligenda sit doctrina de liberatione à Lege, suo loco copiosius dicitur.

Postquã hæc de tribus usibus Legis Moralis dicta sunt, procedimus ad Decalogi explicationem quantulamcunq;, ubi primum cogitandum est, Quare Lex Moralis, cùm natura nota sit, tamen uoce diuina sæpè repetita sit & magnis miraculis audientibus sexcentis millibus uirorum promulgata sit.

Causæ quare repetita sit Lex moralis uoce diuina.

Prima causa.

PRIMA causa est, Quia post peccatum caligo accessit, quæ naturalem noticiam fecit obscuriorem, sicut manifestum est Ethnicos citò recepisse inuocationes multorum numinum & confusiones libidinum. Item ratio non damnat uiciosam concupiscentiam, quę nobiscum nascitur. Quotidiana experientia in omnibus hominibus ostendit rapi mentes, ut minus seuerè iudicent, cùm corda ardent cœco affectu, sicut dicitur: Quę uolunt homines libenter credunt.

Item, Τῷ γὰρ ἔρωτι τὰ μὲν καλὰ καλὰ πέφανται.

Secunda causa.

SECVNDA causa promulgationis est, quia uoluit Deus extare illustre testimonium, quod ostenderet has noticias naturales ab ipso nobis insitas esse, & iudicium conscientiæ & pauores, qui ex illis noticijs oriuntur, esse Dei iudicium, & pœnas interiores & exteriores, quæ sequuntur delicta, non accidere casu, sed ordine diuino, & hac sapientia & hoc iudicio uoluit ipse doceri homines, qualis sit Deus, uidelicet iustus, uerax, castus, uindex scelerum, & uelle

Deum

Deum se discerni à malis naturis, iuxta dictum: Non Deus uolens impietatem tues.

TERTIA causa promulgationis est, Quia Deus uult extare discrimen sua uoce monstratum iusticiæ Legis & peccati, & uult sciri in toto genere humano damnari peccatum, & pœnas non accidere casu, sed ordine diuino, & simul etiam uult omnes homines intelligere, cùm Lex à Deo hominibus insita sit & repetita, necesse est eam aliquando impleri, & restitui integram obedientiam, ita Lex illustre est testimonium de futura uita. Legem oportet integrè fieri: Non fit in hac uita, Ergo necesse est restare aliam uitam, in qua uel sit integra hęc iusticia, uel sit pœna æqualis magnitudini peccatorum, scilicet æterna. *Tertia causa.*

Cùm autem Legem, peccatum & pœnas consideramus, sciamus hoc iudicium non ideò monstratum esse, ut totum genus humanum pereat, quia Deus iurans inquit: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat: Quæramus igitur quomodo & per quem uelit nos liberare. Ideò Paulus inquit: Lex est pædagogus in Christum, iudicamur ut agnoscentes peccatum confugiamus ad Mediatorem. Et apud Iesaiam dicitur: Facit alienum opus, ut faciat opus proprium. Et apud Michæam: Iram Domini portabo, sed Dominus erit lux mea. Hæc procœmia de usu Legis & de causis promulgationum, semper in conspectu sint, & de amplitudine sapientiæ Legis, & ordinis diuini sæpè multumq; cogitemus, quod ut faciamus, admonent nos mors & plurimæ horrendæ pœnæ in hac uita, quarum omnium consideratio referenda est ad hoc dictum: Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.

DECALOGVS.

LEX Moralis postulat conformitatem in homine cum Deo, & cùm sint duæ tabulæ. Prior loquitur de uera agnitione, qua Deus agnoscitur lucens ipse in nobis, & sese nobis communicans, & qua nos uicissim diligimus eum, & lætamur in eo, & efficimur unum cum eo. Talis erit in beatis agnitio, dilectio & lætitia acquiescens in Deo, & econtrà in impijs in hac uita, & post hanc uitam mens est ignara Dei, sine luce Dei, plena dubitationum, odij, & fremitus aduersus Deum, ut in Saul & similibus. *Prior tabula de uera agnitione Dei.*

Secunda tabula ostendit conformitatem cum Deo, qualis in eo est erga homines, sicut in mente diuina est hæc sapientia & bonitas erga hominem, ut homo conseruetur non occidatur, sit castus, tota natura abhorrens à confusione libidinum, sit uerax, & fruatur suo conueniente ordine. Ita Lex ostendit, qualis esse conformitas cum Deo deberet, non tantùm in externis operibus, sed intra, in omnibus partibus hominis. Obserues igitur uocabulum conformitatis, & cùm de Lege cogitas gemens deplorato, non esse hanc integram conformitatem in hac deprauata natura. Visitatum est sic discernere primam & secundam tabulam. PRIMA loquitur de operibus, quæ Deo immediatè tribuuntur. SECVNDA de operibus quæ immediatè hominibus tribuuntur: Sed fiunt cultus Dei, quia propter eum fiunt. Hæc phrasis usitata, facilius intelligitur in Catechesi, quàm si de integra conformitate diceretur, de qua tamen cogitent illi, qui processerunt in discendo. *Secunda tabula de conformitate cum Deo qualis in eo est erga homines.* *Alia distinctio tabularum.*

Sciendum est autem, cùm hic recitantur breuia dicta, Non occidas, Non mœchaberis, comprehendi enarrationes, quæ alibi scriptæ sunt in Lege Dei, ut de puniendis homicidis, de incestis &c. Hæc omnia etiamsi dicuntur Forensia, tamen reipsa sunt Moralia.

Addantur & enarrationes Matth. 5. quæ ostendunt in Ecclesia Legem Moralem intelligi oportere de integra conformitate cum Deo, non tantùm de externis operibus. Postremò consideratis his enarrationibus, sciamus quæ opera sint cultus Dei. Et sint in conspectu regulæ, Frustra colunt me mandatis hominum, Et apud Ezechielem: In præceptis meis ambulate.

Et ualdè dignum est consideratione dictum Christi, Matt. 22. ubi inquit: Mandatum de dilectione proximi esse simile primo. Hæc similitudo est obligationis, Quia utracp obedientia est necessaria. Est & conformitatis: Sicut Deus necessariò est uerax, & uult se rectè agnosci, sic est necessariò castus, & non uult confusiones libidinum. Vt igitur sit conformitas cum Deo, fit similitudo non solùm in primo præcepto, sed etiam in alijs. Hæc eruditi piè expendant.

Cultus Dei quid sit.

Sit igitur definitio cultus Dei hæc. Cultus Dei est opus mandatum à Deo, factum in agnitione & fiducia Filij Dei, relatum ad hunc finem principaliter, ut Deo præstetur obedientia & honos, id est, testificatio, quòd statuamus hunc solum uerè Deum esse, quem sic colimus, & quòd sic uelit coli, ut castitas Ioseph tribuit honorem Deo, id est, ostendit, quòd statuat hunc solum uerum Deum esse quem sic colit, & quòd sic uelit coli. De his cultibus loquitur Petrus: Offerte hostias spirituales placentes Deo propter Filium.

DE PRIMO PRÆCEPTO.

Primum præceptum de uera agnitione Dei.

Primum præceptum initiò loquitur de uera agnitione Dei, quam lucere in nobis in hac uita oportet fide accensa per uerbum, quo se uerus Deus patefecit. Quia enim uerax est, uult uerè agnosci, non uult ludibria opinionum de se fingi, sicut impij homines horribili furore semper fecerunt, faciunt & facient.

Deinde præcipit de unitate cum Deo, Quia enim ideò conditus est homo, ut sit adiunctus Deo tanquam capiti, & sese Deus in tota æternitate homini communicet, non communicat se auulsis ab ipso, furentibus odio ipsius & iustitiæ ipsius.

In primo ponuntur expressæ affirmatiuæ & negatiuæ sententiæ.

Consideres autem hic expressè positas esse affirmatiuas & negatiuas sententias, Primùm ponitur affirmatiua: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Hoc opus seu testimonium de Deo propter discrimen additum est, quia discernendus est uerus Deus & patefactus suo uerbo in Ecclesia ab omnibus commentitijs numinibus. Omnes Ethnici fatentur aliquid esse Deum, & intuentur opus, uidelicet mundi opificium, quod est testimonium de Deo, sed tamen non satis est sic agnoscere Deum, Quia hæc noticia excutitur cùm uidemus iustos affligi & malos florere, & magno impetu dubitationes irruunt, an Deus nos curet, an exaudiat, an sic uelit coli, & quomodo uelit coli.

Deus uult coli sicut se patefecit.

Edidit igitur Deus & Verbum & alia testimonia, & se patefecit, & sic uult coli sicut se Verbo patefecit, & uult se uerum Deum patefactum agnosci et discerni à commentitijs numinibus. Sic Adæ principiò fuit datum Verbum in Paradiso, & propositum totum opificium mundi, ut esset testimonium de Deo,

Deo,sed postea cùm lapsus fuit homo & moriturus ésset, editum est aliud Verbum,scilicet promissio gratiæ propter uenturum semen,& additum est illustre testimonium,scilicet uiuificatio Adæ & Euæ,postea addita sunt alia signa. Accendebantur uictimæ cœlestibus flammis, sic & nobis idem uerbum Euangelij propositum est, & certum testimonium scilicet Filius Dei crucifixus & resuscitatus,per hunc placatus est Pater,& propter eum exaudit &saluat,& uult sic agnosci Deus, quod hic sit uerus Deus, qui se patefecit misso Filio,ut sit Mediator, qui dedit huic Filio Euangelium de remissione peccatorum & de uita æterna,& quòd sic uelit coli, sicut per hunc Filium nos docuit. Quare in omni inuocatione discernamus hunc uerum Deum à commentitijs numinibus, & semper cogitemus nos alloqui hunc uerum Deum, qui se patefecit misso Filio, & commonefactionis causa prodest sæpè expressè recitare formam hanc.

Omnipotens Deus ęternè Pater Domini nostri IESV CHRISTI, creator cœli & terræ & hominum, unà cum Filio tuo coæterno & Spiritu tuo sancto,miserere mei, & iustifica me per & propter Iesum Christum Filium tuum,& sanctifica me Spiritu tuo sancto,collige,serua & rege Ecclesiam.

Hæc forma comprehenditur in uerbis Baptismatis & Symboli, & quod sic uelit inuocari Deus mentione Filij, ostendunt hæc dicta: Qui non honorat Filium,non honorat Patrem. Item,Hæc est uita æterna, ut agnoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum.

Sciamus igitur initiò in hoc mandato doceri,oportere lucere in nobis ueram agnitionem Dei, sicut se patefecit misso Filio suo, per quem colligitur Ecclesia,propter quam collectionem omnia miracula facta sunt. *Quæ præcipiantur in primo præcepto.*

Deinde præcipitur huius ueri Dei ardens & perfecta dilectio super omnia,& lætitia in eo,timor Dei super omnia & fiducia super omnia, iuxta dictum: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Considerata autem Antithesi,fit illustrior doctrina,& magis conspicitur ingens miseria nostra,quæ uerò dolore deploranda est. In mentibus humanis sunt tenebræ & dubitationes horrendæ. *Antitheſis illorum,quæ primum præceptum requirit.*

Epicurei & Cyclopes cogitant nihil esse Deũ. Academici dubitant, Stoici fatentur aliquid esse mentem ordinatricem, sed alligant eam ad causas secundas. Pharisæi fatentur esse Deum, sed negant se ab eo exaudiri,diligi & iuuari sicut Saul. Hanc dubitationem comitatur horribilis fremitus aduersus Deum,ut Paulus inquit: Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Et Ieremias: Peruersum est cor hominis & ærumnosum. Sic auersæ sunt mentes & corda à Deo,cùm deberent esse copulata cum Deo,templa Dei,uiuificantis ea, ut sine peccato & sine morte uiueremus.

Pugnant ergo in una parte cum primo præcepto ignoratio Dei. In altera parte odium ueri Dei & cultus Idolorum. Homines in metu quærunt aliquid tanquam Deum: Quia ratio scit aliquid esse Deum, idipsum tamen amittunt & oderunt,cùm deseri se uident,Sicut Hecuba inquit: Inuoco ignauos opitulatores seu Deos.

Donec autẽ metuunt, quærunt aliquid ut Poëta inquit: Primus in orbe Deos fecit timor,quod uerũ est de Idolis. Alius fingit aliud numen,et uult Deum placare alio cultu. Bellatores collocant statuam Martis: Puerperæ Lucinæ statuam. Deniq; ut cupiditas uagatur, ita finguntur cultus. Amatores Ve-

res Venerem, Mercatores Mercurium, Sapientes Palladem finxerunt. Alij fiduciam Deo debitam collocant in suas uires, ut Aiax. Alij pacta cum Diabolis faciunt, ut Magi, Omnes autem aberrantes à uero Deo nominantur cultores Idolorum, & eò peccant, quia fingunt id esse Deum quod non est Deus. Aut tribuunt omnipotentiam Dei creaturæ, & hac fiducia eam inuocant, ut inuocantur homines mortui, aut fiduciam collocant in aliquid quod non est Deus, ut Magi in diabolo, Aiax in suam fortitudinem, aut cogitant Deum esse mendacem, ut Saul, Iudas, desperatione à Deo deficientes.

Magna moles peccatorũ cõtra primũ præceptum.

In hac longa Antithesi consideretur, quanta sit moles peccatorum in hac natura hominis deprauata, contra primum præceptum, & è regione discamus quid doceatur in hoc præcepto, & quomodo incoëntur agnitio & dilectio Dei & quomodo perficiantur. Vtrunq; sciri necesse est quæ peccata in hoc præcepto damnentur, & quomodo fiat incoatio nouæ obedientiæ.

Etsi enim in nemine præter Filium Dei fulsit & fulget perfecta obedientia sine ullo peccato: tamen in omnibus qui conuertuntur incoari obedientiã necesse est, iuxta dictum: Per Fidem Lex stabilitur.

Lex non incoari potest nisi agnito filio & apprehensa promißione gratiæ.

Sciendum est igitur, Legem ne quidem incoari posse, nisi agnito Filio, & apprehensa promissione gratiæ, iuxta dictum: Nemo uenit ad Patrem nisi per Filium. Quia Lex loquitur de Deo sicut se patefecit. Sic autem se patefecit, q̃ uelit agnosci, se esse Patrem Domini nostri Iesu Christi, & quòd propter Filium remittat peccata credentibus, & sanctificet eos Spiritu suo sancto, & reputet iustos propter Filium, quanquãm non habentes in hac uita perfectam obedientiam.

Non agnoscens Filium non nouit Patrem. Et 1. Ioan. 2. Qui negat Filium nec Patrem habet, nec potest esse dilectio Dei in corde, nondum habente remissionem peccatorum: fugit enim Deum tristi dubitatione & fremitu, sed agnito Christo dirigitur mens ad uerum Deum, & accepta remissione peccatorum fiducia Mediatoris, cor acquiescit, & accenditur lætitia per Spiritum sanctum, qua homo incipit se Deo subijcere & eum diligere. Sic incoatur obedientia, & quanq̃ ualdẽ languida & imperfecta est, placet tamen Deo propter Mediatorem, propter quem persona reputatur iusta.

Opera primi præcepti uera agnitio Dei.

Quanquãm igitur puerile est numerare opera huius præcepti, cũm mens & cor deberent ardere firmissima agnitione & amore Dei, tamen ut in Catechesi puerili recensemus præcipua opera, quæ hæc sunt.

Primũm, Vera agnitio Dei, sicut se patefecit misso Filio: Sicut ostenditur in scriptis Propheticis & Apostolicis, In Lege Morali & Euangelio & Symbolis. Et hanc agnitionem amplecti uera assensione quæ nominatur Fides. Item, Non indulgere dubitationibus sed repugnare, & abhorrere ã falsis opinionibus de Deo, à quibuscunq; traduntur, siue à Philosophis, siue ab impijs Iudæis, siue à Mahometicis &c. & damnare omnia Idola. Horum operum summa comprehensa est in his dictis, Dominum Deum tuum adorabis & ei soli seruies. Item, Fugite Idola. Item, Non habebis Deos alienos. Item, Qui non honorat Filium non honorat Patrem.

Post agnitionem sequuntur tres affectus in corde, qui magis sentiri possunt, quàm alij affectus remotiores à sensu. Timor Dei, Fides, id est, fiducia, & lætari in Deo.

Timor est expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccata, Sed cum fide accedente

accedente ad Deum,ut sit timor filialis. Hæc est enim distinctio perspicua inter timorem seruilem & filialem.

Timor sine fide,qui est dolor sine consolatione, nominatur seruilis, ut in Saule. Hic timor est fuga & fremitus aduersus Deum, & pugnat cum hoc præcepto,quod præcipit fidem & dilectionem: Sed timor Seruilis fugiens Deum, negat eius promissionem esse ueram: negat ipsum esse misericordem. *Timor Dei sine fide.*

Sed timor Filialis est reuerentia aut dolor cum fide,de hoc timore dicitur: Initium sapientiæ timor Domini. Item, Ad quem respiciam, nisi ad tremen tem sermones meos. *Timor Filialis.*

Tertium opus seu tertia uirtus,est Fides,quæ est fiducia misericordiæ acquiescens in Deo propter Mediatorem, & accedens ad Deum, accipiens remissionem peccatorum & reconciliationem, inuocans eum, & petens omnia necessaria bona in hac uita & salutem æternam, Quæ fiducia accenditur,cùm agnoscimus uerum Deum & Mediatorem Filium, assentientes Euangelio, per quod & Filius colligens Ecclesiam efficax est, & Spiritu sancto consolatur eos, qui in ueris doloribus se Euangelio sustentant. In hac consolatione fidem & fiduciam,comitatur lætitia acquiescens in Deo,ut Rom.5. dicitur,Iustificati fide pacem habemus erga Deum. *Fides.*

Cum hac lætitia coniuncta est dilectio, qua homo fide accipiens remissionem & reconciliationem iam lætatur in Deo,& se ei subijcit,& habet bonum propositum obediendi ei iuxta omnia præcepta diuina,cum lętitia acquiescente in Deo,prælucente uera fide.Ita describitur Dilectio Dei. 1.Ioan.5. Hæc est dilectio Dei mandata eius seruare. Tantum autem in hac uita de dilectione intelligitur quantum sentitur lætitiæ acquiescentis in Deo. Ad has uirtutes, fidem,lætitiam,dilectionem, accedunt & spes & patientia. *Dilectio.*

Est autem Spes certa expectatio uitæ æternæ gratis dandæ propter Mediatorem: & est expectatio auxilij in hac uita iuxta consilium Dei. Etsi autem uicinę uirtutes sunt Fides & Spes, & diuelli non possunt,tamen aliquod est discrimen. *Spes.* *Discrimen fidei & spei.*

Fides accipit in præsentia remissionem peccatorum,& reconciliationem seu iustificationem, statuit se iam placere Deo & exaudiri innixa promissioni, & iam accipiens Spiritum sanctum in præsenti consolatione,ut Laurētius sentiens lætitiam in supplicio,tunc sentit se corroborari à Spiritu sancto.

Sed Spes est expectatio futuræ liberationis, cuius conspectu lenitur dolor, Quia bonum est obiectum lætitiæ,Doloris obiectum est res crucians quatenus cruciat.

Cùm autem affectus uicini sint fides & spes,uocabula, fiducia, fides, spes, expectatio,interdum promiscuè usurpantur,ut Psalm. 2. Beati omnes qui sperant in eum. Et Esaiæ 58. Qui confidunt in me hæreditabunt terram. Vbi uocabulum accommodatius est spei. Esaiæ 28. Omnis qui credit in eum non confundetur. Ibi uocabulum propriè significat credere. In Psalmo de profundis: Sustinuit anima mea in Verbo eius.Sperauit anima mea in Dominum,utrunque uocabulum significat expectationem, & tamen comprehendi fidem & spē oportet,Quia fides intuetur Verbum. *Interdum promiscuè usurpantur uocabula fiducia, fides,spes,expectatio.*

Primi præcepti Virtus est etiā patientia,quæ est in fide & dilectione Dei tolerare aduersa, quæ Deus uult nos sustinere, & uelle hanc obedientiam propter Deum, ac intuentes uoluntatem DEI, minus habere dolorum,nec fremere ad- *Patientia.*

mere aduersus Deum, sed à Deo expectare aut liberationem aut mitigationẽ, ut Latro in cruce accepta remissione, iam in fide & dilectione Dei tolerat pœnam, quam scit à Deo impositam esse, qui uult homicidas puniri, Ideõ & hanc obedientiam uult Latro propter Deum, & intuens uoluntatem minus habet dolorum, nec fremit aduersus Deum, sed expectat finem pœnæ & uitam æternam. Sentit etiam in corde mitigationem.

Promißiones & comminationes omnibus legibus additæ.

Omnibus autem Legibus additæ sunt promissiones & comminationes, Quia ordo sapientię et iusticiæ in Deo hic est, ut Iustis benẽ sit, & iniusticia destruatur. Et sic conditæ sunt rationales creaturæ, ut essent conformes Deo in sempiterna iusticia & sempiterna lætitia. Postquãm autem Diaboli & natura humana defecerant à Deo, secutæ sunt pœnæ, sicut de genere humano concionatur Paulus: Per peccatum mors. Hunc ordinem Lex etiam in corporalibus pœnis ostendit, & in atrocibus delictis ac manifestis, siue Magistratus facit officium siue non facit, tamen etiam in hac uita Deus ipse corporalibus pœnis atrocia delicta punit, iuxta hæc dicta, ut de blasphemis & periuris: Non habebit Deus insontem quisquis uanè usurpabit nomen eius. Et de homicidis: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. De incestis: Omnis anima quæ fecerit has abominationes eradicabitur de terra. De furtis: Væ qui spolias, quia spoliaberis &c.

Promißiones & commnationes additæ primo præcepto.

Sunt igitur & primo præcepto additæ promissiones & comminationes. Etsi autem pœnæ corporales in Lege sunt umbræ significantes iram Dei & destructionem æternam, tamen cũm Lex dicit, uagari eas per tertiam & quartam generationem, loquitur propriè de corporalibus pœnis, quas Deus exequitur, ut propter Idolorum cultus per totum genus humanum omnibus temporibus horribiles pœnæ corporales uagantur.

De dicto Deut. Non occidentur patres pro filijs &c.

Quòd autem obijcitur dictum Deut. 24. Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, Præceptum traditur politico iudici de externis delictis, sed Deus pœnam in hoc præcepto maiorem sancit corporalem, quam ipse tamen exequitur, non iudex politicus, quia huius peccati magnitudinem ipse intelligit.

Postea Ezechiel capite 18. addit ex collatione Euangelij mitigationem, quia Euangelium est promissio gratiæ, quæ aufert pœnam æternam, & mitigat corporales pœnas. In hanc sententiam ibi dicitur: Filius non portabit iniquitatem patris, scilicet in pœna æterna, si conuersus fuerit. Opponit igitur Euangelium Legi, inquiens: Viuo ego dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Et Ezech: 33. Quocunq; die conuersus fuerit impius ab impietate sua, &c. omnia peccata eius non imputabuntur ei, id est, pœna æterna auferetur, & mitigabuntur corporales, etiamsi non prorsus auferuntur.

DE SECVNDO PRÆCEPTO.

Ordo in Decalogo.

Dulcis & utilis est consideratio ordinis in Decalogo. Primum præceptum loquitur de mente & corde, quia Lex docet de totius hominis conformitate cum Deo, & orditur à summis potentijs, per quas fit copulatio cum Deo, uidelicet lucente Deo ipso in hominibus per noticias, & transformante nostra corpora ad suos motus ad ordinatum amorem, ordinatam læticiam, & ad alios affectus ordinatos.

Quia

Quia uerō homo conditus est ad societatem,& sermo est nuncius mentis & cordis in societate,mox secundum præceptum loquitur de sermone, & præcipit conuenientiam sermonis cum corde, quod est conforme cum Deo. *Secundū,conuenientiā sermonis cum corde præcipit.*

Vt autem prius affirmatiuam sententiam tradidit, Ego sum Dominus Deus tuus,& addit negatiuam,Non habebis Deos alienos: Ita deinceps scias in negatiuis semper inclusas esse affirmatiuas,cùm ait: Non usurpabis nomen Dei uanē, prohibentur omnes abusus nominis diuini. *Negatiuis inclusæ sunt affirmatiuæ.*

Sciendum est igitur qui sint ueri usus. Hi comprehenduntur his gradibus, Vera inuocatio Dei, Gratiarum actio,doctrina & confessio. *Verus usus nominis diuini quatuor gradibus cōprehenditur.*

Quæ sit uera inuocatio, discitur in communi doctrina de precatione, uidelicet,in qua uerum Deum alloquimur,& cogitamus præcepta de inuocatione & de promissione, & fide petimus bona quæ promisit &c. *I. Inuocatio.*

Pertinet ad inuocationem & iuramentum, quia reipsa iuramentum est inuocatio Dei,in qua affirmamus,Deum ueracem esse, & punire mendacia, & petimus ut nobis sit testis,nos uerē ea sentire quæ dicimus,& ita sit testis,ut puniat fallentes,quod & facit Deus iuxta pactum in hoc præcepto sancitum:Nō habebit Deus insontem, qui uanē usurpat nomen eius. Ita duas res magnas facit iurans, tribuit Deo honorem ueritatis, & Deum orat,ut sit testis ueritatis puniens fallentem iuxta pactum,& benefaciens non fallenti. Ac seruat Deus pactum,horribiliter punit fallentes, benefacit non fallentibus,&c. *Iuramentū pertinet ad inuocationem.*

Est autē uniuersaliter tenenda regula de omnibus uirtutibus, Deus uult notas esse uirtutes,ueritatem,castitatem & alias,ut doceat nos qualis sit ipse,& discernamus eum à malis naturis,Quia uult nos uerum Deum agnoscere,alloqui & discernere à malis naturis & à commentitijs numinibus. *Cur Deus notas esse uelit uirtutes.*

Non enim brachijs Deum amplectimur, sed mente cogitandum est, nos hunc uerum Deum alloqui, qui se patefecit in Lege & promissionibus, qui & ille ipse est,qui misit Filium mediatorem. Hæc quotidiè in inuocatione cogitanda sunt.

Sciendum & hoc est, uniuersaliter & cæteris præceptis includi primum præceptum,quia obedientia præstatur illi uero Deo, & ad hunc finem referenda est,ut Deo hic honos,quem ipse nos docet,præstetur.Quod autem & suprà de primo præcepto monuimus, ita incoari & placere obedientiam, cùm prius fide accipitur remissio peccatorum, & iustificatio, id est, reconciliatio & acceptatio propter filium gratis: Idem de singulis præceptis cogitandum est, iuxta illud: Christus est finis Legis. *Cæteris præceptis includitur primum.*

Secundus usus nominis diuini quem postulat Deus est gratiarum actio. Hic sciatur, quid propriè sit gratitudo, de qua usitatam hanc definitionem tradimus. *II. Gratiarum actio.*

GRATITVDO est uirtus composita ex duabus uirtutibus, Veritate & Iusticia. Veritas profitetur unde sint accepta beneficia,& Iusticia uicissim obligat ad mutua beneficia. De Veritate dicitur in Psalmo: Sacrifica Deo sacrificium laudis. Item,Inuoca me in die tribulationis,& eripiam te & glorificabis me. Item,Confitemini Domino quoniam bonus &c. De obligatione uerò ac mutuo officio dicitur Oseæ 2.Ego frumentum eius dedi,& aurum ex quo fecerunt Baal. Et Dominus significat uniuersam obedientiam esse debitum,ad quod Deo obligati sumus,ut grati simus,Quod debuimus,fecimus. *Gratitudo.*

Tertius usus diuini nominis est, rectè docere doctrinam quā Deus tradidit. *III. Vera doctrina.*

IIII. Confessio. Quartus, confiteri uoce & alijs signis in tota uita, iuxta dictum: Luceat lux uestra coram hominibus, ut glorificent patrem uestrum cœlestem. De his quatuor usibus colligantur præcepta affirmatiua, passim in Propheticis & Apostolicis scriptis tradita: ut de Inuocatione. Oportet semper orare & non languefieri. Et Syracid: 7. μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν προσευχῇ σου. E regione considerentur antitheses, quia mundus plenus est abusuum nominis diuini. Manifestum est enim multos esse sermones Epicureos & blasphemos, innumerabiles falsas inuocationes & falsas doctrinas. Nomen Dei, item nomen Ecclesiæ, item nomen libertatis Christianæ quantis sceleribus prætexuntur.

Omnia scandala pugnant cũ secundo præcepto. Pugnant cum secundo præcepto uniuersaliter omnia scandala, Quia propter mala exempla multi alienantur ã doctrina, & multi imitatores fiunt deteriores & Epicurei.

Regula de fama pertinet ad secundum præceptum. Pertinet ad secundum præceptum & regula de fama, Syracid: 41. Curato nomen, quia Deus uult intelligi discrimen uirtutum & uiciorum, & propterea approbari recta, & uituperari turpia. Vetat etiam Deus proponi mala exempla propter pericula imitationis, de qua dicitur apud Iuuenalem. Quoniam dociles imitandis turpibus & prauis omnes sumus, Et nota sit uox AVGVSTINI: Bona conscientia mihi opus est propter Deum, bona fama propter proximum.

DE TERTIO PRÆCEPTO.

Vt in primo dicitur de mentis & uoluntatis conformitate cum Deo, In secundo de sermonis conformitate: Ita nunc in tertio, cũm Ecclesia colligatur uoce doctrinæ, præcipitur singulariter de conseruatione ministerij docendi Ecclesiam, ad quam opus est congregatione & signis, quæ sunt nerui congregationis.

Tertium præceptum de conseruatione ministerij.

Ceremoniæ Mosaicæ iuris positiui. Etsi autem in Moyse uerba nominatim præcipiunt de septimo die, tamen sciamus certò Mosaicas Ceremonias, quæ sunt iuris positiui, abolitas esse. Et Paulus expressè inquit, Nemo uos arguat in uicibus Festorum aut Sabbatorum. Sed post politiam Mosaicam liberum est eligere diem nostro arbitrio ad publicum congressum, in quo populus doceatur, & administrentur Sacramenta & ritus diuinitus traditi, ut sint uincula publicæ congregationis, sicut de cœna domini dicitur: 1. Cor. 11. Quoties comedetis panem hunc, & poculum hoc bibitis, mortem Domini annunciate donec ueniat.

Tertium præceptum quo ad genus naturale quoad speciem ceremoniale. Sic igitur ueteres scripserunt. Tertium præceptum quo ad genus est naturale, & pertinet ad omnia tempora, scilicet quo ad conseruationem ministerij. Sed quo ad speciem, est Ceremoniale, & non obligat nos, scilicet quo ad ritum septimi diei, & ad modum ocij seu cessationis eo die. Sed tamen decet eo die non facere operas quæ impediunt ministerium Euangelij, aut aliàs abducunt à ministerio. Hæ nominantur operæ seruiles. Ex hoc fonte sumatur responsio ad uulgare argumentum.

Ceremoniæ Mosaicæ sunt abolitæ.
Præceptum de Sabbato est Ceremoniale,
Ergo est abolitum.

Respondeo ad minorem. Præceptum de Sabbato est Ceremoniale quo ad speciem, id est, quo ad certi diei obseruationem & cessationis modum. Hæc species est abolita. Sed est naturale seu morale quo ad genus attinet, id est, ad præcipuam

præcipuam ſententiam præcepti, ſcilicet ut conſeruetur miniſterium. Conſentaneum eſt autem Apoſtolos hanc ipſam ob cauſam mutaſſe diem, ut oſtenderent exemplum abrogationis legum Ceremonialium politiæ Moſaicæ in die ſeptimo.

Simul autem ſciamus Deum uelle publicos & honeſtos congreſſus eſſe, & uelle doctrinam Euangelij non eſſe arcana Eleuſynia, ſed uocem publicam, ut Filius in toto genere humano agnoſcatur, ſicut præceptum eſt, Hunc audite. Qui quidem & ipſe immenſa bonitate conſeruator eſt miniſterij, ſicut ſcriptum eſt: Sedet ad dexteram æterni Patris dans dona hominibus, Prophetas, Apoſtolos, Euangeliſtas, Paſtores & Doctores. Item, Ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad ſeculi conſummationem. Et quidem per eum & propter eum Eccleſia uſq; ad extremum iudicium colligitur, Idq; regnum Chriſti nominat Paulus cùm inquit: Poſtea traditurum eſſe regnum Deo & Patri. Ac ualdè neceſſarium eſt hanc aſſiduam præſentiam & efficaciam Filij Dei in Eccleſia cogitare, de qua Paulus inquit: Ipſe eſt caput omnia in omnibus perficiens. Et Dominus inquit, Ego ſum uitis uos palmites. Item, Sine me nihil poteſtis facere, Manete in me & ego in uobis.

Deus uult eſſe honeſtos & publicos congreſſus.

Filius Dei aſſiduè præſens et efficax eſt in miniſterio.

Hæc de præſentia & de efficacia Filij Dei in miniſterio, & de dignitate miniſterij complectitur doctrina Tertij præcepti, iuxta hanc ſententiam, Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Quo dicto expreſſè affirmatur, Deum efficacem eſſe, per externi uerbi, lecti ſeu auditi cogitationem. Eſt ergo opus tertij præcepti, conſeruatio miniſterij Euangelij, quæ pertinet nõ ſolùm ad docentes, ſed etiam ad populum audientem, & ad cœtum qui præparatur ad docendum. Docentes recta doceant, & Sacramenta rectè adminiſtrent. Auditores ſint memores huius dicti, Qui uos audit me audit, qui uos ſpernit me ſpernit.

Conſeruatio miniſterij opus eſt tertij præcepti.

Nec conſtituitur hoc dicto poteſtas extra Euangelium, ſed mandatum traditur de audiendo Euangelio, & neceſſaria conſolatio additur, uult nos ſcire Filius Dei, reuera efficacem eſſe Deum uoce miniſtri, ſicut uoce Filij, & non quærendas eſſe alias reuelationes extra ſcriptum uerbum, ſicut Stenckfeldius & Anabaptiſtæ abijciunt ſcriptum Verbum.

Etſi autem omnes corruptelæ doctrinæ ſimul ſunt peccata, contra primũ, ſecundum, & tertium præceptum, tamen quatenus labefactatur miniſterium, propriè pugnant cum tertio præcepto, & quidem Stenckfeldiani furores & Anabaptiſtici, qui negant Deum efficacem eſſe per uocem doctrinæ, directè delent totum miniſterium. Sunt igitur peccata contra tertium præceptum, & Donatiſtarum furores, qui contendunt Deum non eſſe efficacem, ſi doctores aut adminiſtrantes Sacramenta non ſint ſancti: Cùm tamen fides Verbo Dei non ſanctitate miniſtri niti debeat, iuxta hoc ipſum dictum, Qui uos audit me audit, id eſt, non miniſtri perſonam, ſed meam reſpiciat.

Quæ labefactant miniſterium pugnant propriè cum tertio præcepto.

Donatiſtarum furor pugnat cum tertio præcepto.

Sunt & alia multa peccata contra tertium præceptum, prorſus abolere miniſterium Euangelij, ut multi Tyranni faciunt. Item, Corrumpere doctrinã aut Ceremonias. Item, Non conuenire ad publicos congreſſus in Eccleſijs rectè conſtitutis, & malo exemplo alios abducere. Item, Non tribuere debitam reuerentiam Euangelij miniſtris. Item eripere eis uictum. De pœna horum manifeſtiſſimorum delictorum expreſſè dicitur, Aggæi 1. Quia domum meam negligitis, cœli non dant rorem, & terra ſit ſterilis: & Ieremiæ 17. Si non ſanctificabi-

Alia peccata contra tertiũ præceptum.

ctificabitis diem Sabbati, succendam ignem in portis Ierusalem, & deuorabit domos & non extinguetur, & simus memores dicti Ignatij, τὰς ἑορτὰς μὴ ἀλμάζειν. Longiorem enarrationem de Sabbato hic omitto.

DE SECVNDA TABVLA.

Similitudo obligationis in utraq; tabula qualis sit.

MIrum uidetur dictum Christi de secunda Tabula, cùm inquit, Secundum mandatum simile est primo, Sed causæ grauissimæ sunt uidelicet, ut intelligatur similitudo obligationis eatenus, quòd humana autoritate nullum mandatum secundæ Tabulæ aboleri possit.

Hypocritæ ceremonias præferunt laboribus Oeconomicis & Politicis.

Est & Antithesis opposita errori Hypocritarum omnium temporũ, qui præferunt Ceremonias laboribus Oeconomicis & Politicis à Deo mandatis, ut Monachi suos ritus nominant perfectionem, & longè anteferunt uitæ Oeconomicæ & Politicæ: Tunc etiam sacrificia ualdè quæstuosa erant, sicut Missa apud Sacrificulos. Ideò amplificabatur dignitas sacrificiorum, quæ stultè cumulabantur sine mandato diuino.

Tales superstitiones taxantur dicto Christi, quod dilectionem antefert, sicut Prophetæ sæpè docent, Oseæ 6. Misericordiam uolo non sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocausta, id est, præcipio ueram agnitionem & inuocationem Dei, de qua prima tabula Decalogi concionatur, & præcipio beneficentiam erga homines, de qua secunda tabula loquitur, Et Ecclesiast. 4. Custodi pedem tuum cùm accedis ad domum Dei, & appropinqua, ut audias potius quàm ut offeras uictimas stultorum, qui nesciunt quantum faciant mali.

Ceremoniæ etiam diuinitus traditæ in casu necessitatis omitti possunt.

Ad hæc testimonia adiungantur alia similia in concionibus Prophetarum. Illustratur dictum Christi & hac differentia: Ceremoniæ etiam diuinitus traditæ in casu necessitatis omitti possunt, ut Dauid comedit panes propositionis, sed moralia non habent talem exceptionem, & semper de his tenenda est regula: Non sunt facienda mala ut eueniant bona, quia Deus immutabiliter postulat in mente & corde hominis conformitatem cum ipso.

Officia Oeconomica & Politica uerè sint cultus Dei.

Discendum & hoc est ex illo dicto Christi, quòd officia Oeconomica & Politica uerè sint cultus Dei, in his qui fide reconciliati sunt, & referunt hæc opera ad debitum finem, id est, ut testentur eo opere hunc esse Deum quẽ colũt, & Deum uelle sic coli, & hac obedientia Deo præstent debitum honorem: Sicut cultus Dei est castitas Ioseph. Item, Militia Dauidis. Item, Omnia officia patrisfamilias & matrisfamilias.

Honora Patrem & Matrem.

Lex Moralis est sapientia & norma iusticiæ in Deo, patefacta creaturæ rationali &c. Est autem primus gradus sapientiæ uera Dei agnitio, & ut uiuificet Deus creaturam rationalem, uult in ea lucere, & sic illa fit unum cum eo, & uicissim eum diligit, ita fit ei conformis. Deinde sapientia est in homine intelligere ordinem, quem & inter homines sanxit Deus, & iusticia est conformitas cum uoluntate diuina, quæ uult hunc ordinem seruari. Sicut Deus condidit homines, non ut perirent, sed ut essent, sic uult parentes gignere & genita seruare, & uicissim diligi parentes à genitis. Vult & deinde cæteros esse, non deleri, unde sunt præcepta, Honora patrem & matrem. Non occides &c. Deinde

inde uult intelligi Deum esse castum & ueracem, & nos debere ei conformes esse in castitate & ueracitate: hinc sunt præcepta: Non mœchaberis. Non dices falsum testimonium. Præceptum, Non furtum facies, habet similem causam, ut præceptum, Non occidas, Quia inferiores spoliati fame perirent. Vtraq; igitur tabula ostendit, qualis debeat esse in homine conformitas ad sapientiam & iusticiam in Deo erga ipsum & erga homines propter ipsum.

Est autem secundæ Tabulæ primum præceptum, Honora patrem & matrem, Quia ordinem personarum primum constitui oportet. Estq; primus gradus imperij autoritas parentum. Includantur ergo in hoc præceptum alia passim tradita, de obedientia debita legitimis Magistratibus, quibus Deus tradidit locum parentum, & summa comprehensa est, Rom. 13. Vnde longior declaratio sumatur. *Primus gradus imperij autoritas parentũ.*

Vocabulum honoris tres gradus complectitur: Reuerentiam in mente propter Deum. Deinde externam obedientiam: Tertiò ἐπιείκειαν in quibusdam erratis parentum & Magistratuum tolerandis. *Honor tres gradus complectitur.*

Primus gradus honoris est intelligere ordinem Diuinum, & propter Deum uenerari hunc ipsum ordinem, & uelle subijci Parentibus & Magistratibus, uidelicet ordine diuino: Nam cuicunq; tribuendus est honos propter aliquid diuinum tribuendus est. *I. gradus honoris.*

Est autem ipse ordo opus sapientiæ Dei & testimonium de Deo, & de prouidentia, ut res ipsæ, generatio, & sobolis conseruatio. Deinde custodia societatis, Legum, iudiciorum, pacis, non fiunt sine auxilio Dei. Itaq; præsentiam Dei in coniugio & in imperijs aspicere debemus, & has res propter Deum uenerari & diligere. *Ordo politicus est opus sapientiæ Dei.*

Hęc reuerentia in mente primus gradus honoris est: Deinde accedat externa obedientia, de qua teneatur regula: Necesse est obedire non solũm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Hæc sententia testatur peccatum mortale esse, contumaciter uiolare edicta politica ciuilium Magistratuum. *II. gradus honoris.*

Tertius gradus est ἐπιείκεια in tolerandis quibusdam oneribus grauioribus, quæ uel à parentũ infirmitate oriuntur, uel comitantur ærumnas imperiorum, ut 1. Petri 2. dicitur, Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, Subditi estote Dominis, non solũm bonis & æquis, sed etiam asperis. *III. gradus honoris.*

Necesse autem est res & personas discernere, ut coniugium est res ordinata diuinitus, bona, & digna reuerentia, etiamsi multi eo abutuntur. Ita politicus ordo est res ordinata diuinitus, & quidem illustre testimonium est sapientiæ, iusticiæ & præsentiæ Dei inter homines: Significat enim ordo has res bonas, leges honestas, iudicia, iustas pœnas, distinctionem dominiorum, contractuum, conseruationem communis societatis. Huius ordinis quantum reliquum est, id uerè à Deo conseruatur, etiam cũm partes aliquæ lacerantur, ut etiamsi lupi aliquas oues rapiunt, tamen diligentia Pastoris magna pars gregis seruatur: Ergo etiamsi aliqui iniustè dominationem ad se transferunt, ut Pisistratus, iniustè se facit Dominum Athenarum, aut cũm turpissima belua NERO præest in imperio, quanquam personę peccant, tamen ipsi ordini politico debetur reuerentia, ut Paulus execratur Neronem, sed ueneratur ordinem diuinitus institutum. *Res & personæ in ordine politico discerni debent.*

Deinde de personis quærendum est quæ tolerandæ sint, & quomodo eis

debeatur obedientia, & quæ non sint tolerandæ, & quo ordine sint remouendæ. Hic definitiones tenendæ sunt.

Bonus Magistratus quid sit.

Bonus Magistratus est qui habet προαίρεσιν iusta faciendi, & plerumq; iusta facit, etiamsi aliquando labitur, aut in aliqua parte est negligentior aut asperior quàm esse debebat.

Hæc definitio necessariò tenenda est de personis, in qualibet honesta functione, de milite, de scholastico &c. & sumta est ex his dictis, Paulus inquit, hoc requiritur ut fideles inueniamur: Medicus sciat artem & habeat bonam uoluntatem, quæ comprehendit etiam sedulitatem.

Dictum Petri, Subditi estote Dominis, non solũ bonis, sed etiam asperis.

Altera pars sumitur ex Salomone: Non est iustus in terra qui benefaciens non etiam peccet, ut Dauid, Cyrus, Augustus, etiamsi & uoluntatem rectè faciendi habent, & multa rectè faciunt, tamen multa negligunt. De talibus loquitur Petrus, Subditi estote Dominis, non solùm bonis & æquis, sed etiam asperis.

Hic postulatur obedientia, & erga publicum ordinem, & erga personam talis Magistratus, cui congruit definitio iam recitata. Nam aut præcipit ea, quę congruunt ad ordinem politicum: tunc Deo necesse est præstari obedientiam, illa ipsa præcipienti, quæ sunt sancita Legibus, aut quædam agit negligentius, aut in parte aliqua asperius agit, tamen retinenda est persona & præstanda obedientia propter diuinum mandatum.

Malus Magistratus seu Tyrannus.

Contrà uerò malus Magistratus seu Tyrannus est, qui habet προαίρεσιν sceleratè faciendi, & in præcipuis rebus scelerate facit, etiamsi interdum aliquid iustè facit, ut NERO. Tales remouendi sunt à gubernatione per Magistratus ordinarios, ut Neronem Senatus & præstantissimi Duces iudicarunt hostem. Constantinus Ecclesias defendit contra Collegas & affinem. Ius etiam habent singuli immediatè læsi, si sint affecti atroci & notoria iniuria, interficiendi Magistratus, ut & textus in Iure dicit: Consulem licere interfici deprehensum in adulterio. Et Hipparchum Athenis interfecit Harmodius propter sororem & alias contumelias. Sed disputationem de personis relinquo prudentibus considerandam.

De distinctione obedientiæ erga magistratus & ministros.

In quarto præcepto propriè de parentibus & Magistratibus loquimur. In tertio de Sabbato, dicimus de ministris Euangelij, & de obedientia quæ eis debetur, & quia Pontificij faciunt κακοζηλίαν, cùm imitatione potestatis politicæ constituunt regna in Ecclesia, necesse est de discrimine admoneri homines. Violatio Legum politicarum in Imperijs est peccatum mortale, iuxta dictum: Necesse est obedire non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam: ut contumaciter gestans arma contra prohibitionem legitimi Magistratus, aut nolens obedire latæ sententiæ in legitimo iudicio, iuxta honestas leges, haud dubiè facit peccatum mortale.

Violatio traditionum humanarum in Ecclesia extra casum scandali non est peccatum mortale.

Sed in Ecclesia sciendum est de traditionibus humanis, quæ ab Episcopis aut Pastoribus conduntur, non esse peccatum earum traditionum uiolationem extra casum scandali, Quia expressè scriptum est, Nemo uos arguat in cibo, potu, uicibus festorum &c.

Sed magna contentione opponitur hoc argumentum:

Non debetur minor reuerentia Ecclesiasticæ potestati quàm politicæ,

Legum

Legum politicarum violatio est peccatum mortale.
Ergo & traditionum in Ecclesia.

Respondeo: Concedo maiorem de reuerentia, sicut eam Deus ordinauit. Ordinauit autem ut debeatur obedientia ministris Euangelij in omnibus quæ sunt iuris diuini, iuxta dicta: Qui uos audit me audit, Qui uos spernit me spernit. Hæc dicta tantùm ad doctrinam & mandata iuris diuini pertinent, & non constituunt Episcopis aut Pastoribus regnum extra ministerium.

Qualis reuerentia debeatur potestati Ecclesiasticæ.

De ipsorum autem traditionibus Euangelium hoc sancit. Ordinationes humana autoritate factas intelligendas esse sine opinione cultus & sine opinione necessitatis, ut sunt obseruatio festorum, lectionum &c. Sed cùm opponitur exemplum Legum politicarum constanter respondendum est, dissimile esse, & causa hæc est, Quia Deus armauit potestatem politicam autoritate condendi proprias leges, quæ non pugnant cum iure diuino, & uult illo uinculo munitam esse pacem, uidelicet obedientia debita honestis legibus & sententijs Magistratuum.

Ordinationes humanæ intelligendæ sunt sine opinione cultus & necessitatis.

Dissimilitudo legũ Politicarũ & traditionum humanarum.

Sed ministros Euangelij nequaq; uult instituere nouos cultus, & si quid boni ordinis causa instituitur, ut series festorum, uult ea intelligi sine opinione cultus & necessitatis. Hanc libertatem in Euangelio sancitam nulla humana autoritas mutare potest, Hæc scire necesse est.

DE QVINTO PRÆCEPTO.

Non occides.

Tota hæc pars Decalogi constituens politiam in externa gubernatione manifestam habet necessitatem. Et hic ipse politicus ordo manifestum testimonium est, quòd sit Deus, & quòd sit iudex & uindex. Quia Deus manifestè est exequutor harum legum, etiamsi Magistratus non faciunt officium, aut non possunt facere iuxta dictum: Omnis qui acceperit gladium gladio peribit. Ideò & Ethnici dixerunt hunc ordinem iusticiæ diuinum esse, ut in uersibus Empedoclis dicitur:

ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον νόμιμον διὰ τ' εὐρυμέδοντος,
αἰθέρος ἠνεκέως τέτατ' ἠδ' ἁπλέτου αὐγῆς.

Comprehendantur autem in hac Decalogi parte etiam dicta de Magistratuum officio, quos Deus uult executores esse pœnarum. Qui cùm non faciunt officium, Deus tamen pœnas exequitur, & seruat regulam: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Omnis anima quæ fecerit has abominationes eradicabitur.

Cogitentur etiam in his præceptis non utilitates tantùm, sicut Iurisconsulti cogitant, pacis causa prohiberi cædem & adulteria, sed intueamur causas priores: Deus uult conformitatem cum suo ordine. Ipse autem diligit filium Christum, prohibet iniustas cædes in toto genere humano. Est castus, ideò uult & nos castos esse & destruit contraria. Item, sciamus etiam interpretationem à Christo traditam Matth. 5. uidelicet non tantùm externa opera contraria Legi, iniustas cædes & libidinum confusiones prohiberi, sed etiam interiores flammas pugnantes cum Lege Dei.

Causæ præcepti quinti priores.

Sciamus etiam quomodo respondendum sit Iuliano & alijs, qui disputa-

uerunt Euangelij doctrinam absurdam & pernicioſam eſſe uitæ humanæ, quia prohibeat uindictam. Reſpondendum eſt enim prohiberi uindictam priuatam ſeu non ordinatam à Deo. Seueriſſimè uerò præcipi & muniri ordinatam à Deo, uidelicet officium Magiſtratuum.

Quinto præcepto prohibetur uindicta priuata nõ ordinata à Deo.

Hæc ipſa diſtinctio utiliſſima eſt imperijs, & oſtendit præſentiam Dei in dilectione ſocietatis humanæ. Hæc tota doctrina perſpicuè in Eccleſijs noſtris explicata eſt Dei beneficio, & refutanda ſunt deliramenta Monachorum & Anabaptiſtarum, ad quorum argumenta eruditè reſpondendum eſt.

De dicto, Mihi uindictam & ego retribuam.

Deus dicit, Mihi vindictam & ego retribuam,
Ergo nec Magiſtratus exerceat vindictam.

Reſpondeo: Nego conſequentiam, quia in antecedente comprehenditur officium Magiſtratus, ego retribuam uel per me immediatè, ut cùm Deus delet Pharaonem, Sodomam, uel mediatè, ut Deus punit Catilinam per Conſules.

DE SEXTO PRÆCEPTO.

Non mœchaberis.

Deum uelle castitatem quæ ostendant.

Legem & uirtutes uult Deus intelligi, ut & ſciamus qualis ipſe ſit, & in Inuocatione diſcernamus eum à malis naturis. Facit autem illuſtrè diſcrimen, Caſtitas, quam quantum uelit Deus dupliciter intelligi poteſt, & quia ipſe horribiliter punit confuſiones libidinum, & quia Diaboli tam furenter impellunt homines, ut uariè contaminentur, quod faciunt, non quia uoluptas ſimilis ſit in ipſis, ut in carnali natura, ſed odio Dei, ut magis offendatur Deus, & plures homines perdant. Quare magnifaciamus caſtitatem, & in Inuocatione Deum diſcernamus ab omnibus immundis naturis cogitatione caſtitatis. Ego expreſſè dico: Omnipotens, æterne, uiue Deus, ſapiens, caſte, uerax, liberrime &c.

Sexto præceptoincludendæ omnes prohibitiones incestarum commixtionum.

Sciamus autem in præcepto, Non mœchaberis, comprehendendas eſſe omnes prohibitiones de inceſtis commixtionibus recitatas Leuit. 18. capite, ubi & uniuerſalis comminatio pœnæ corporalis expreſſa eſt: Omnis anima quæ fecerit has abominationes eradicabitur.

De pœnis æternis expreſſè dicitur, 1. Cor. 6. Nec ſcortatores, nec mœchi regnum Dei poſſidebunt.

Cognita Lege & pœnarum comminatione, definitio caſtitatis conſtituatur. Caſtitas eſt uirtus, uitans omnes commixtiones & effuſiones ſeminis à Deo prohibitas.

Castitas quid sit.

Deinde conſideretur, quomodo uelit Deus coniungi marem & fœminã.

Qualem uelit Deus esse coniunctionem maris et fœminæ.

Prima regula in Paradiſo tradita eſt, Erunt duo in carnem unam, id eſt, inſeparabiliter iuncti. Hæc ſententia & inſtitutionem coniugij & prohibitionem uagarum libidinum continet, & prorſus idem dicit quod præceptum Non mœchaberis. Cogitemus autem cauſam, quare expreſſa uoce in Paradiſo prohibitæ ſint uagæ libidines, cùm non ſit expreſſè dictum: Non occides. Quia luce naturæ magis intelligebatur hoc præceptum, Non occides, quam alterũ, Non mœchaberis. Vt autem alibi dicitur: In negatiuis præceptis comprehendi affirmationes, ita hic dicimus cùm adulterium prohibetur, ſimul legitimum coniugium

coniugium approbari ſciamus, & complectamur uniuerſam doctrinam de coniugio, caſtitate, & pœnis uagarum libidinum, & ſciamus etiam cùm in conuerſione remittuntur pœnæ æternæ, tamen pœnas corporales in hac uita ſequi contaminatos, ut in Dauide: Mitigatio tamen fit his qui conuertuntur ad Deum, iuxta dictum: non accendit Deus totam iram ſuam. Item, In ira tua Domine miſericordiæ recordaberis.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO.

Non furtum facies.

Deus uult intelligi Iuſticiam æqualitatem eſſe, ut ſciamus ipſum æqualem eſſe, & non προσωπολήπτην: Lex, Non occides, ſancit æqualitatem, ne tu alterius corpus uioles, nec alius tuum, ſed æqualiter ſeruentur omnia membra generis humani, Ita Lex, Non furtum facies, ſancit æqualitatem, ne alteri quicquam eripias ui aut fraude, nec alius tibi quicquam eripiat, ſed æqualiter ſuum quiſq; teneat. Rurſus igitur conſiderandum eſt in negatiuis præceptis comprehendi affirmatiua. Cùm prohibetur furtum, perſpicuè confirmatur dominiorum diſtinctio. Ideò hoc pręceptum fanaticis hominibus opponendum eſt, qui clamant in Euangelio præcipi Platonicam communicationem facultatũ, ſicut nũc Anabaptiſtæ docẽt, & ſæpè magni tumultus ex hoc delirio orti ſunt.

Septimũ præceptum ſancit æqualitatem et diſtinctionem dominiorum.

Confirmat autem Deus diſtinctionem Dominiorum non ſolùm Lege, ſed etiam pœnarum executione, Quia etiam cùm ceſſat Magiſtratus, tamen Deus regulam ſeruat, Væ qui ſpolias &c. Item, Malè parta, malè dilabuntur. Et notum ſit illud Pindaricum:

Diſtinctio Dominiorum confirmata lege et executione pœnarum.

ἐντὶ μὲν θνατῶν φρένες ὠκύτεραι
κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκας δόλιον
τραχείαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίβδαν θ' ὅμως.

Hæc doctrina grata ſit omnibus, ut habentes proprium, læti ſciant Deo placere hunc ordinem, & à Deo defendi & ei gratias agant, & omnes ab alieno libentius abſtineant, ſintq; in cõſpectu plura teſtimonia ex hoc præcepto Decalogi nata. Prou. 5. Fontes tui deriuentur foras, & tu Dominus eorũ maneto.

Citatur Auguſtini dictum: Tolle iura Imperatorum, & nemo audet dicere hæc uilla mea eſt, Vnuſquiſq; quod poſſidet, iure humano poſſidet.

De Auguſtini dicto: Tolle iura Imperatorum.

Hæc dicta etſi in ſpeciem excuſantur, tamen ſi fontes conſiderentur, impropria & periculoſa ſunt, & quidem à multis non rectè intelliguntur. Vnuſquiſq; quod iuſtè poſſidet tenet iure diuino iuxta hanc Legem, Non furtum facies. Et cùm dicunt: Aliud eſt induci in poſſeſſionem, ſeu initiõ diſtingui dominia, ut cùm deducuntur Coloniæ, uictor attribuit agros, Aliud eſt loqui de retinendis ijs, quæ attributa ſunt. Ad id quoq; reſpondeo. Nec prima origo diſtinctionis dominiorum eſt ab autoritate humana, ſed à Deo, hæreditas tibi relicta à parentibus eſt tua iure diuino & humano, emtione, mutatione, donatione, transferuntur dominia iure diuino & naturali.

Tales translationes non oriuntur ab imperijs. Magiſtratus ſit cuſtos illius ordinis: Sic nec attribuit tibi hæreditatem, ſed ſit cuſtos & executor Legum.

Sed omiſſa ſubtiliore diſputatione teneamus uocem Decalogi: Non furtum facies, Quæcunq; eſt origo diſtinctionis Dominiorum, poſtq; Deus furta prohibet, ſciamus iure diuino contractus, & proprietates confirmari, & muniri, & hoc iure teneri reges, principes & priuatos.

Nec

Non licet principibus rapere alienas facultates.

Nec licet principibus sumere ex alienis facultatibus quantum uolunt, sicut & historia de uinea Naboth ostendit.

De dicto 1. Reg. 8. Hoc est ius regis.

Sed dictum 1. Reg. 8. Hoc est ius regis, auferet agrum &c. loquitur de legitimis stipendijs, quæ ad regni constitutionem & ad communem defensionem, conferuntur, iuxta dictum: Estote contenti stipendijs uestris.

De dicto, Omnia sunt regis. Historia Henrici Lucelburgensis.

Prudenter etiam intelligendum est dictum, Omnia sunt regis, quod aulici assentatores nimiùm amplificant. Sicut in historia HENRICI LVCELBVRGENSIS narratur; mota quæstione in itinere de quadam arce, disputatum simul esse, An uera sit propositio: Omnia sunt Imperatoris. Cùque alter lurisperitus defenderet eam propositionem ueram esse, alter contrarium tueretur, fecerunt iudicem Imperatorem Henricum, ita ut uictus daret equum uictori. Imperator, ut solet fieri, magis fauet illi, qui amplificat potentiam Imperatoris, pronunciat ueram esse propositionem, Omnia esse imperatoris, uictus dedit equum uictori. Inde faceti homines reprehendentes assentationem, hunc iocum sparserunt: Alter respondit æquum, alter habet equum.

Hæc inserui commonefactionis causa, ut consideretur humana leuitas, quæ de hoc præcepto ludens, laudem ingenij esse ducit, grauiter defraudare homines, ut sunt infinita artificia Stellionum & impostorum in contractibus, & iniustarum expilationum in aulis, unde uetus Prouerbium est, τάμιου λάμιαι.

DE OCTAVO PRÆCEPTO.

Non dices falsum testimonium.

Octauo præcepto postulatur ueritas.

Vt suprà dixi, Notícias uirtutum traditas esse diuinitus, ut sint testimonia, quòd sit Deus, & ostendant qualis sit, & quòd sit uindex: Ita in hoc mandato considerandum est, Deum seueriſſimè postulare ueritatem, ut ipsum ueracem esse sciamus, sicut Iohannis 8. inquit Dominus, Qui misit me est uerax. Rom. 3. Sit autem Deus uerax. Quod eò firmius statuendum est, ut sciamus Deum nec uelle peccata, nec causam esse peccati, quia sæpiſſimè affirmat, se irasci peccato. Zach. 8. Iuramentum mendax ne diligatis, omnia hæc odi, dicit Dominus. Cùm autem sit uerax, non sunt in eo contradictoriæ uoluntates.

Veritas quid sit.

Est autem VERITAS uirtus seruans conuenientiam cogitationis, sermonis & gestuum cum re cogitata, & conuenientiam sermonis & operum in pactis seu contractibus. Ac sciamus de ueritate præcipi, cùm dicitur: Sit sermo uester est, est, non, non: & prohiberi mendacia in plurimis locis Prouerb. 12. Abominatio Domini labia dolosa, & Prouerb. 19. Testis mendax non erit impunitus, & qui loquitur mendacium peribit. Hæ prohibitiones & commiserationes flectant nos ad ueritatis amorẽ, & ad fugienda mendacia, præstigias Sophismatum & impostúras in tota uita, in iudicijs, in pactis, in contractibus, in doctrinis & in artibus.

Corruptelæ doctrinæ de Deo pugnant cũ secundo, Artiũ cum octauo præcepto.

Corruptelæ quidem doctrinæ de Deo propriè pugnant cũ secundo præcepto: Non usurpabis nomen Dei tui uanè, sed corruptelæ in artibus collocentur inter mendacia pugnantia cum hoc præcepto: Non dicas falsum testimonium &c.

Figuræ à mendacijs discerni debent.

Discernantur autem à mendacijs figuræ, quibus aliquando sancti & sapientes cum magna laude utuntur. Rachel arte occultat Idola. Raab negat se habere

habere hospites Israëlitas. Coniunx Dauidis fingit maritum ægrotare,& collocat statuam in lecto. Et 2.Regum 17. teguntur in cisterna Achimas & Ionathas. Tales figuræ non sunt mendacia propriè loquendo,sed uelut stratagemata,& ut ab Herodoto dicitur, χρήματα λόγου seu Ironiæ,seu πρὸς τοῦτο,id est,non causa ut causa: ut Rachel non surgit simulans morbum.

Mendacium propriè loquẽdo quid sit.

Est autem propriè loquendo mendacium cogitatio contraria rei seu dictum contrarium rei,quam dici necesse est, seu gestus contrarius rei,cùm ex futilitate aut studio nocendi oritur. Hæc definitio comprehendit omnia mendacia,quæ propriè sic nominãtur & sunt peccata,ut cùm miles gloriatur se eodem die præliatum esse in Cilicia & Macedonia. Item alia palàm falsa & pernicioſa alijs,ut cùm Palamedes calumnioſè accusatur.

Sed figuræ de quibus dictum est, sunt occultationes earum rerum, quas non necesse est dici interroganti, sicut Michol non debuit maritum prodere. Vetustas sic distinxit: mendacia alia sunt pernicioſa, alia iocosa, alia officioſa. Etsi aũt modos loquendi ueterũ scire non est inutile:tamẽ concinnius est nomẽ Mendacij non transferre ad stratagemata,aut figuras, aut iocos,uidelicet ut ad Apologos aut poëmata,ut cùm lupus accusat ouem,aut cũ pictor pingit Sphingem,uolens significare Sophisticam. Vetustas iocosa mendacia nominat Apologos & Poëmata. Officioſa sunt,ut stratagemata,aut figuræ Raab,Michol & similes. Hæc non sunt peccata, sed sunt consilia singularis sapientiæ, quæ congruit cum sapientia Dei. Sunt enim commonefactiones de rebus ueris & bonis quasi pictura ostensa: & referuntur ad hũc finem,ut prosint alijs, ut quid sunt aliud Ceremonię Mosaicæ nisi tales figuræ,aliud significantes,quàm quod oculis cernitur. Vult enim Deus homines docere,aut proprio sermone, aut figurato, aut picturis.

DE NONO ET DECIMO PRÆCEPTO.

NONVM & DECIMVM præceptum ostendunt discrimen Legum Politicarum & Legis diuinæ. Leges Politicæ tantùm præcipiunt de externis actionibus,non loquuntur de motibus aut cordis prauitate, ut non rapias res alienas, Quia reliqua est in natura libertas frenandi externa membra, seu regendi Locomotiuam. At Leges diuinæ præcipiunt de integra obedientia, de interiore & exteriore, seu de integra conformitate omnium uirium hominis, mentis & uoluntatis & cordis cum Deo, ut accusent & damnent,non tantum externa delicta,sed etiam tenebras mentis,& prauitatem cordis. Ideò hæc duo præcepta postrema addunt hanc declarationem superioribus. Non concupisces uxorem alterius. Non concupisces res alienas. Et repetitur hæc declaratio Matth.5.

Leges politicæ præcipiũt tantùm de externis actionibus.

Leges diuinæ de interiore et exteriore obedientia præcipiunt.

Phariſæorum & Monachorum error de lege.

Pharisæi & Monachi dixerunt tantùm damnari uicioſos affectus cùm accedit consensus, non προπάθεια, hoc enim nomine aliqui usi sunt. Hunc errorem taxat Paulus ad Romanos septimo & octauo capite, & affirmat peccata esse omnes uicioſos affectus,etiam cùm nondum accessit consensus,& radicem eorum,scilicet peccatum originis, quod comprehendit tenebras in mente, dubitationes de Deo,& in uoluntate & in corde auersionem à Deo, scilicet quòd cor est sine timore Dei, & sine dilectione Dei, & habet horribiles fremitus aduersus DEVM in iudicio seu pœnis. Complectitur & ingentem confusionem affectuum,pugnantiam cum Lege Dei. De his malis omnibus de radice

& fru-

& fructibus inquit Paulus: Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Hæc mala damnantur in his præceptis.

Vocabulum concupiscentiæ.

Discant autem iuniores hæc uocabula rectè intelligere, & discernant affectus. Vocabulum concupiscentiæ sæpè usurpatur pro illa mala radice, etsi appetitiones differunt, quædam sunt conditæ à Deo in natura, quæ fuissent etiam in integra natura, ut amor Dei, appetitio cibi, potus & similes. Itē σοργαὶ, ira, qualis est in Elia zelus.

Appetitiones cōditæ à Deo.

Appetitiones suo genere uicioſæ.

Aliæ sunt appetitiones suo genere uicioſæ, ut fremitus aduersus Deum, ira in Cain, incendium inordinati amoris in Dauide, & omnes tales motus pugnantes cum Lege Dei. Ideō Augustinus cùm damnat concupiscentiam addit restrictionem, & nominat malam concupiscentiam.

ἀταξία.

Ego breuius uocabulo ἀταξίας utor, cùm damnatur concupiscentia, dico ἀταξίαν significari in omnibus uiribus, in hac deprauata natura, sicut loquitur Ieremias: Cor hominis peruersum est & ærumnosum in omnibus.

Hæ admonitiones propter iuniores in his præceptis repetuntur. Pharisæi & Monachi negant peccata esse radicem uicioſorum affectuum, & uicioſos affectus. Stoici pariter uolunt tolli omnes affectus, cùm necesse sit discerni conditos in natura & alios pugnantes cum Lege Dei.

ADMONITIO COMMVNIS DE PRÆMIIS ET POENIS SEV DE PROMISSIONIBVS ET COMMINATIONIBVS.

VT autem in gubernatione humana uidemus Leges contemni, si non delinquentes puniantur, sicut dicunt Aeschines & Demosthenes, οὐδὲν ὄφελος τῆς πολιτείας μὴ ἐχόντος νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας. Ita consideremus in Lege diuina promissiones & comminationes: & longa commemoratio est benedictionum & maledictionum in fine Deuteronomij. De quibus primùm hoc sciamus, quòd omnes homines nati in hac prauitate naturę, sint rei peccati, et communem pœnam sustineant scilicet mortem corporis.

Omnes in hac prauitate naturæ rei sunt peccati et mortem corporis sustinent.

Item cùm nemo Legi satisfaciat, quæstio est, quid prosint comminationes & promissiones. De hac quæstione postea dicemus. Quia necesse est discerni promissionem Euangelicam uidelicet gratiæ, & promissiones legales, & exponi quomodo hæ quoq; prosint reconciliatis.

Prius autem de maledictionibus & pœnis dicamus, & sicut usus Legis alius est politicus, alius accusare peccata coram Deo: Ita executio pœnarum differt. Atrocia delicta in uita politica uniuersaliter comitantur atroces pœnæ etiam in hac uita corporali, sicut de homicidio hæ regulæ testantur, Omnis qui acceperit gladium gladio peribit: & de incestis libidinibus, Omnis anima quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. De rapinis, Væ qui spolias, quia spoliaberis. De periurijs & blasphemijs: Non habebit Deus insontem, quisquis nomen DEI uanè usurpauerit. His comminationibus regulariter euentus respondere experientia testatur, quæ etiam Ethnicos has regulas docuit, quam & à patribus eas acceperunt. Et ut apud Pindarum dicitur: βέβαιον ἕρμα τὸν βίον δίκαιον ὦρ. De hac pædagogica doctrina etiam homines sæpè monendi

Executio pœnarum corporalium differt.

monendi sunt, & sciendum est has corporales pœnas non casu accidere, nec tantùm hominum consilio institutas esse, sed ordinatas esse à Deo, & quidem Deum executorem esse, etiam cùm Magistratus sunt infirmiores & negligentiores, aut non faciunt officium.

Vult enim Deus hæc manifesta spectacula testimonia esse quòd sit Deus, & ostendere qualis sit, uidelicet iustus & uindex, uult commonefactiones esse, quòd Lex naturæ insita rationi sit Lex diuina, & quòd sit prouidentia, & quòd Deus custos sit politicæ societatis. De hac præsentia Dei inter homines commonefaciunt nos hæc horrenda spectacula, de quibus & concio Christi dicit, Mensuram confertam & agitatam dabunt eis in sinum.

Deinde cogitentur causæ, de quibus Iurisconsulti loquuntur, quòd tranquillitatis publicæ causa oporteat tolli sceleratos: Sed prius in his pœnis iudicium Dei contemplemur.

Sed præter exequutionem pœnarum corporalium accedit & alia maledictio, uidelicet ordinatio ad pœnas æternas, quæ opprimunt omnes homines qui non sanantur agnitione Filij Dei, ut cùm in Saule, Iuda, incipit sensus iræ Dei, in quo sese interficiunt. Illi ingentes dolores & fremitus aduersus Deum sunt initium æternarum pœnarum, ut Iohannes inquit: Qui non credit in Filium, ira Dei manet super eum. Et sic maledictionem in Lege denunciatam, declarat Paulus de æternis pœnis. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in Lege, ut sciamus ea.

Ordinatio ad pœnas æternas accedit ad pœnas corporales

De utilitate autem benedictionum legalium & promissionum corporalium nihil dici potest, nisi prius dicatur de promissione gratiæ. Ideo semper in conspectu sit hæc distinctio.

Duæ sunt promissiones, altera gratiæ, propria Euangelij propter Filium Dei Gratis dandæ, uidelicet remissionis peccatorum, reconciliationis, seu iustificationis, donationis Spiritus sancti & uitæ æternæ.

Promissio gratiæ propriæ Euangelij.

Altera promissio est bonorum corporalium, quæ duplex est: aut gratuita, conseruationis corporis Ecclesiæ iuxta dictum: Primum quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Esaiæ 48. Etiam in senecta gestabo uos. Item, Erit sicut in diebus Nohæ, unus assumetur, alter relinquetur. Item, Ero uobiscum usq; ad consummationem seculi: Aut est addita bonis operibus iustorum, ut: Qui dederit potum aquæ uni ex minimis meorum propter doctrinam, Amen dico uobis, non perdet mercedem suam.

Promissio bonorum corporalium quæ duplex est.

Traditæ sunt autem promissiones de conseruatione Ecclesiæ & bonis corporalibus propter quatuor causas.

Causæ traditæ promissionis bonorum corporalium.

PRIMA est, ut sciamus bona corporalia non casu obijci, sed uerè à Deo dari. Sicut dicitur: Benedictio Domini diuites facit. Item, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. Item, Leones esurierunt, timentibus autem Dominum non deerit ullum bonum.

SECVNDA causa, Vt sciamus Deum uelle conseruare Ecclesiam in hac uita, iuxta hæc dicta: Primum quærite regnum Dei, & cætera adijcientur

uobis. Item apud Esaiam, Posui uerba mea in ore tuo, & dextera mea protegam te, ut plantes cœlos.

TERTIA causa, ut petitio corporalium sit exercitium inuocationis iuxta dictum: Inuoca me in die tribulationis, & ego eripam te. Item, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Item, Ipse est uita tua & longitudo dierum tuorum: In ipso sumus, uiuimus & mouemur.

QVARTA causa, Quia uult petitionem corporalium esse commonefactionem de promissione & petitione gratiæ, Quia petitio sine fide, inanis est, uel ut Augustinus dicit: Oratio sine fide peccatum est. Oportet igitur in omni petitione corporalium prælucere fidem, petentem & accipientem gratiam propter Filium Dei: sicut & in precatione communi mox additur: Remitte nobis debita nostra. Item, Si fuerint peccata uestra ut coccinum & uermiculus, eritis candidi sicut nix: ubi & promissio gratiæ, & promissio conseruationis corporis Ecclesiæ, & mitigationis pœnarum comprehenduntur.

Promißio conſeruatiõis corporis Eccleſiæ eſt gratuita.

Quòd promissio conseruationis corporis Ecclesiæ sit gratuita, ostendunt hæc dicta Esaiæ 48. Propter nomen meum longè faciam furorem iræ meæ, propter me faciam ut non blasphemer, id est, propterea ut sit aliqua pars generis humani, in qua Deus rectè agnoscatur, & rectè inuocetur, non sinam funditus interire Ecclesiam. Psalm: 88. Visitabo in Virga iniquitates eorum, misericordiam uerò meam non amouebo ab eis. Hæc & similia dicta sint in conspectu, & inter tantos fluctus & confusiones generis humani consolentur nos, ut certò statuamus, mansuram esse Ecclesiam Dei, gratuita misericordia Dei propter Filium. Dabit igitur ei aliqua hospitia. Sicut & Esaiæ 30. hæc coniunguntur. Dabit uobis Dominus Doctorem, & panem & aquam cum tribulatione.

Promißiones corporales omnes habent exceptionem caſtigationis & crucis.

Sciamus autem omnes promissiones corporales habere exceptionem castigationis & crucis, ut castigatur Dauid rapiens alterius coniugem: Castigantur 10. tribus, item duæ tribus. In his calamitatibus publicis aut priuatis aliquando etiam pij onerantur, ea afflictio nominatur crux, ut afflictio Iob, Ioseph & similium.

Opera quanquam imperfecta habent præmia, quia in credentibus ſunt cultus Dei.

Etsi autem bona opera piorum non sunt impletio Legis, & hærent peccata in sanctis in hac uita: tamen eis promissa sunt & corporalia & spiritualia præmia. Quia Deus approbat ea, & nominat iusticiam & cultus Dei prælucente fide, & uult Deus exerceri fidem & spem & dilectionem talium operum exercitijs, ut hæc omnia simul exercet uidua Sareptana. Credit doctrinæ Eliæ & agnoscit uerum Deum, scit ei hanc obedientiam placere, quòd Prophetæ præbet hospitium, exercet simul fidem, exercet dilectionem, quia Deo præstat obedientiam, & pascit Prophetam.

Ita Abdemelech, quia benefecit Ieremiæ, seruatur in excidio Ierusalem. Talia multa sunt præmia corporalia, mitigatio pœnarum præsentium, defensio uitæ, politiæ & œconomiæ, felicitas liberorum &c.

De talibus præmijs loquuntur hæc dicta: Date & dabitur uobis. Item, Qui dederit potum aquæ uni ex minimis meorum propter doctrinam, habebit mercedem. Esaiæ 33. Regem in decore suo uidebunt, id est, uidebunt

bunt florentes politias, florentia imperia. Item 58. Frange esurienti panem tuum, & requiem dabit tibi Dominus semper.

Ita fiunt ratæ promissiones, additæ operibus, in his qui iustificati sunt fide, & rectè præstant obedientiam, de qua dicit Petrus, Offerte hostias spirituales placentes Deo propter Iesum Christum, quasi dicat non propter Legē: Tamen de his regula semper tenenda est, cumulari beneficia hæc immensa Dei bonitate, non propter operum dignitatem, sicut Iacob inquit, Minor sum cunctis miserationibus tuis. Hæc confessio simul in his exercitijs luceat.

Promißiones ratæ sunt his qui iuſtificati sunt fide.

Considerandum & hoc est, promissiones in Moyse de politia Israëlitica in specie loqui. Ac post destructionem politiæ Israëliticæ non est una Ecclesiæ sedes in politia certa, sed passim inter gentes Ecclesia colligitur. Quare promissiones quæ de hospitijs & alijs bonis corpori necessarijs in Euangelio loquuntur, iuxta dictum: Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis: intelligantur in genere. Deus dat hospitium Athanasio in urbe Treuirensi, etiamsi Alexandria pellitur. Semper autem corporalibus promissionibus addantur exceptio castigationis & crucis.

Promißiones bonorum corporalium aliæ sunt ſpeciales, aliæ generales

DE PECCATO.

VOcabulum peccati in Ecclesia nõ tantùm intelligatur de actione, ut Latini Grammatici loquuntur, sed significat auersionem à Deo, ream coram Deo, seu damnatam nisi fiat remissio, siue id malum sit actio, siue morbus hærens in natura. Ac usitatum est nominare duas species, peccatum Originale & peccatum Actuale. Et usitata definitio est sumta ex Anshelmo. Peccatum originis est carentia iusticiæ originalis debitæ inesse. Etsi autem magni labyrinthi sunt disputationum de hac descriptione, tamen rectè institutis explicatio facilis est.

Peccati uocabulum quid ſignificet.

Cùm priuationes definiantur per habitus, prius cogitetur, quid fuerit iusticia originalis, quæ sæpè describitur cùm dicitur homo conditus ad imaginem & similitudinem Dei. Et interpretatur Paulus imaginem Ephes. 4. Vt induatis nouum hominem creatum secundum Deum in iusticia & sanctitate uera. Erat igitur iusticia Originalis & acceptatio coram DEO, & in mente lux rectè agnoscens DEVM, & quæ assentiri Verbo Dei poterat, & radij illustres sapientiæ Legis transfusæ in homines in creatione. Et erat in corde congruentia cum Lege Dei, Dilectio Dei, & Lætitia in Deo & integer ordo omnium uirium hominis. Et talis si mansisset homo, fuisset templum Dei, & sicut in primo capite Iohannis dicitur, si homo retinuisset Verbum Dei, Filius DEI in homine uiuificasset eum, sicut dicitur, Verbum erat uita hominis, & fuisset homo sine peccato & morte, ac fulsisset in eo firma noticia Dei per Verbum habitans in mente, & arsissent corda dilectione per Spiritum sanctum habitantem in corde.

Iuſtitia Originalis.

Hæc bona omnia comprehenduntur, cùm nominatur iusticia Originalis. Carentia igitur non tantùm est reatus, sed etiã amissio integritatis naturalis, & bonorũ quæ fuissent addita. Sicut usitatè loquuntur scriptores de uiatore

Carentia non tantùm eſt reatus ſed amißio æternorum bonorum.

saucio, spoliatum esse gratuitis, id est, desijsse hominem esse templum Dei, & uulneratum esse in naturalibus, id est, secutam esse caliginem in mente, quæ gignit horribiles dubitationes, & secutam esse contumaciam in corde. Item, Mortem & omnes corporis languefactiones. Hac simplici declaratione considerata, definitionem Anshelmi non aspernamur, sed multi, qui quæstiones in Longobardum scripserunt, corruperunt eam insulsis explicationibus.

Peccatum originis quid sit.

Existimo autem definitionem sic constitui posse. Peccatum originis est reatus propter lapsum primorum parentum, propter naturæ humanæ depravationem, quæ secuta est lapsum primorum parentum, quæ non tantùm pœna est primi lapsus, sed etiam peccatum. Membra huius definitionis confirmantur his testimonijs. Quòd posteritas sit rea propter lapsum primorum parentum, Rom. 5. dicitur: Per unius delictum in omnes homines mors intrauit. Deinde quòd deprauatio naturæ simul cum illo reatu accesserit, non tantùm ut pœna, sed etiam ut peccatum, id est, malum, propter quod etiam homo est reus æternæ pœnæ, nisi sit facta remissio propter Filium. Nam Paulus expresse nominat hunc morbum, Legem in membris, & ne pœna tantùm intelligatur, addit, pugnantem cum Lege mentis. Et cùm dicitur, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Vocabulum prius significat propriè deprauationem, alterum significat propriè reatum.

FINIS.

COM.

COMMENTARIVS IN GE- 377
NESIN QVI EST INTER PRIMA AV-
TORIS SCRIPTA.

IN GENESIN PRÆFATIO
PHILIPPI MELANTHONIS.

PRÆTERQVAM QVOD GENESIS RERVM CONDITIONEM INdicat, ad hoc ea potißimum utendum eßt, vt inde diſcas originem peccati, & primam gratiæ promißionem, ex quibus duobus locis poſtea uniuerſa pendet ſcriptura. Sunt & exempla prodita, in quibus tùm iræ filios, tùm gratiæ filios adumbrat: timorem Dei illorum exempla docent, hi fidem. Quod enim inuenias triſtius exemplum diluuio, aut Zodomorum exitio? & quî poterit erigi confidentius fides, quàm ſi conſideres, quàm blande, quàm ſuauiter, & tamen in cruce, filios gratiæ tueatur? Mihi certè nullis blandioribus exemplis φιλοσοργίαν ſuam teſtatus videtur.

DE CONDITIONE RERVM.

Vt à conditione rerum ordiretur, non hiſtoriæ tantùm ordo poſtulabat, ſed & ipſa docendæ pietatis ratio, quia hoc caput omnium quæſtionum eſt: Sit'ne Deus: Sint'ne à diuina aliqua vi hæc condita: Regantur'ne aliquo diuino numine. Et hoc caput eßt ignorantiæ & impietatis humanæ, quæ comprehendere non poteſt rerum vel conditionem vel adminiſtrationem, ſentitq; res temerè ferri, naſci, interire, redire &c. Rom. 1. & 1. Corinth. 1. Sic in vniuerſum ſentit caro, ut maximè aliter doceant hypocritæ. Et veteres quidem Theologi contenti fuerunt Eccleſiam contra Philoſophica dogmata armare: contra hypocriſin non item: Ita factum eßt, vt eneruaretur Verbum Spiritus. Nobis ea contra hypocriſin vtendum eßt, vt quando de conditione rerum loquitur, intelligenda ſint verba viua potentia &c. iuxta illud: Dixit, & facta ſunt. Ita quando Deus tangit cor noſtrum fide creationis, & oſtendit quòd ex ſe, in ſe, & per ſe ſint omnia, erigitur cor fiducia erga Deum, ſentitq; ſe de manu Dei accipere omnia, & illi omnia reſignat, ſiue viuat, ſiue moriatur. Et video non alium locum eſſe, in quo ſe mirabilius fides exerceat, quàm hunc. Nam hic demùm in obſcuriſſimas tenebras ingreditur, ſic ſentiens: Ecce tu condidiſti me, idq; ſine meo conſilio, ſine mea opera: Ita nunc egentem, morientem &c. ſubleuabis. Sic Chriſtus Pſalmo vigeſimo primo. Tu es qui extraxiſti me de ventre matris meæ. Et centeſimo tertio, Dante te illis colligent &c. Et Hebræorum vndecimo, Fide intelligimus aptata eſſe ſecula. Quomodo fit autem vt hæc cognoſcamus? Reſpondeo, Mortificata ſapientia carnis per crucem, 1. Corinth. 1.

Litera ſententiæ de creatione, eßt hypocriſis & opinio carnalis de conditione rerum. Spiritus autem eßt fides, hoc eßt, certa ſcientia cordi à Spiritu ſancto indita, qua ſentimus amplitudinem bonitatis diuinæ, effundentis ſe in omnes creaturas: & confidimus inde nos accepturos omnia bona corporalia & ſpiritualia, atq; ita fidentes nos illi permittimus ſiue viuamus ſiue moriamur, iuxta illud: In ipſo ſumus, viuimus & mouemur.

Literam norant illi de quibus Roman. primo. Cognoſcentes Deum non ſicut De-

um glorificauerunt, Et primæ Corinthiorum primo. Non cognouit mundus Deum per sapientiam. De spiritu ad Hebræos loquitur: Fide intelligimus condita secula, verbo Dei, vt inuisibilia visibilia adparerent, id est, vt potentia & diuinitas appareret in opere Creatoris. Porrò hæc fides cùm credimus omnia regi diuina prouidentia, nihil temerè ferri, est ipsissima mortificatio rationis nostræ, negantis esse Deum, aut nostra Deo curæ esse. Hæc de præfatione in Genesin.

CAPVT I.

In principio.

Tempus est ipse cursus rerum.

DE principio multa fabulati sunt, & pro eo quod est in principio, quidam in Filio legerunt, ut & Hieronymus indicat: nos simplicissimè literam sequemur, ut debemus, siquidem ea sola facit ad ædificandam fidem. Principium significat exordium temporis & rerum. Ergo cùm ait, In principio, significat ante rerum conditionem æternum fuisse Deum, non enim in hoc principio Deus factus est. Porrò sicut incomprehensibilis est rationi rerum æternitas ante principium: ita & post finem incomprehensibiles abyssi sunt. Fides autem quæ capit Deum, & sentit ante omnia in omnibus, & post omnia esse Deum, abyssos hos ingreditur gestata uerbo Dei uelut utero, sicut Esaias dicit, ut uel hinc adpareat, quid sit, quod ad Heb. ait, Omnia portans uerbo Dei.

Creauit.

Cùm de creatione dicitur, non est imaginandum poëticè, quòd tum tantùm condiderit prima rerum corpora & semina, nunc ea sinat ferri sponte, pro sua cuiusq; uel natura uel industria: Sed sicut à Deo condita sunt prima corpora, ita sentias omnia condi, seruari, & regi. Atq; hæc rerum administratio incomprehensibilis est rationi, fidei autem certissima est.

Variæ opiniones.

Sunt qui tituli uice exponunt hoc, In principio creauit Deus cœlum & terram, Quasi uelit Moses generali propositione & titulo complecti totam creaturam, quasi diceret, Cœlum & terram, id est, omnes creaturas cœlestes & terrestres, quos mouet, quod firmamentum secundo primum die conditum est & adpellatũ cœlum. Iam & uulgato more in scripturis, cœli & terræ nominibus omnes creaturæ ueniunt. Ego sic sentio διαγκλικῶς exponendum esse, non tituli uice, ut intelligas primum opus & primi diei opificium fuisse cœlum & terram.

Nam quia ratio lectionis postulat, ut de terra ita sentias, quòd in principio creata sit ante lucem, cogimur ut idem de cœlo sentiamus. Nam & post ea inquit, non fiat terra, sed adpareat ex aquis. Sed obstat quòd secundo die firmamentum conditum est, quod & dici & esse cœlum nihil est quod dubitemus. Mea sic est ratio, primum omnium esse condita corpora, quæ locus & receptaculum aliarum creaturarum essent. De terra non est quod laboremus, quam eodem ubiq; nomine signat. De cœlo non conuenit. Mihi simpliciter uidetur, cœlum quoddam conditum, quod postea abyssum, id est, obscurum quoddam aqueum corpus uocat, cùm ait, Terra erat inanis & uacua, & tenebræ erant super faciem abyssi. Vult enim significare obscura fuisse, & tenebrosa illa corpora quæ condiderat, terram & abyssum seu cœlum. Deinde idem cœlum quod primo die conditum est, factum esse firmamentum, & digestum esse

Cœlum.

esse in tot orbes: Ita ut non creatura, sed ornatus creaturæ describatur secundo die. Non enim dicit fiat cœlum, sed fiat firmamentum seu extensio, id est, fiat illa cœlorum compages & dispositio, quam nunc cernimus. Nam aliàs nusquam narrat cœlorum seriem compositam, & quòd secundo primùm die cœlos adpellauit nihil obest. Nam & tertio primùm die uocauit aridam terram. Sic ergo sentio, primo die condita esse hæc corpora, cœlum quoddam obscurum, quod esset reliqui opificij receptaculum, & terram, & in adpellatione cœlorum aquam comprehendit: nam cœlos esse aquam, etiam Hebræi nominis affinitas declarat. Et cùm cœlum, & terram, & aquam dico, intellige solida ac integra corpora, non chaos Platonicum, aut materiem rerum, quam finxerunt prorsus informem.

Vt loquuntur Prophetæ, Extendit cœlum.

שמים quæ sunt aqua.

Chaos Platonicum.

Iam & hoc obseruandum est, quòd hic Moses de solis corporalibus creaturis scribit, nihil de spiritibus, sed Prophetę opus creationis latius postea exposuerunt, ut est cernere Psalmo centesimo tertio. Et hæc quidem de historia, quam frustra audieris, nisi fide sentias Deum esse infusum intra creaturas, seruare eas & administrare &c. Hic usus creationis docetur à Hieremia capite quinto & decimo.

Vsus.

Hactenus de conditione primorum corporum, nunc sequuntur causæ cur reliqua condita sint. Hieronymus duo Hebræa duobus synonymis reddidit, Septuaginta interpretes, inuisibilis & incomposita: ea expositio multum negocij fecit Augustino: Chaldæi, uasta & uacua, quemadmodum & nunc Iudæi exponunt, & ego naturam uocum Hebræarum rectè reddi iudico. Estq; sententia, Terra erat uasta, id est, incomposita, immixta aquis, nullo dum certo loco consistens: Et uacua, id est, nondum tecta plantis, nihil dum gignens. Primum ad terræ figuram pertinet, secundum ad uim gignendi. Docet autem Moses, quòd sicut per sese gigni res non potuere, ita nec per sese perfici, & ut antè de conditione diximus, ita nunc de rerum conseruatione & perfectione dicendum est.

Terra uasta, Vacua.

Wüst / leer.

Philosophi docuerunt eam esse terræ naturam, ut si extra suum naturalem locum dimoueatur, sua sponte relabatur ad locum suum, ut in saxo adparet. Hic ostendit Moses non esse naturam terræ hoc uel illo loco subsidere: sed uoluntatem Dei, qui ei definiuit locum, sicut postea dicetur.

Item nemo Philosophorum non putat esse terræ naturam, quòd seminibus in eam coniectis gignit plantas. At Moses dicit terram uacuam fuisse, id est, cùm iam condita esset adhuc immixta aquis circunlatam, & nihil gignere potuisse. Ergo quòd talis est terra, quòd credita semina cum fœnore reddit, non terræ natura est, sed uoluntas Dei est: & hanc immensitatem Dei undiq; se in omnia effundentis qui capiat humana ratio? Et rectè quidem terræ uastitatem & uacuitatem tribuit, abysso tenebras: nam & terra est quæ gignit, cœlum corpus lucis capax, ideo ait, & tenebræ erant super faciem abyssi.

Philosophorum opinio.

Abyssus aquæ sunt, quæ cœli & receptaculi uice erant, nam de eo certè corpore loquitur, cui postea lux indita est. Atq; hic iterum docemur non natura corporibus congenitam esse lucem, sed uoluntate Dei inditam, ut sciamus non initia tantùm, sed & conseruationem corporum Dei opus esse.

Abyssus aquæ.

Hic ferē de iuſtificatione hominis & noua creatura diſſeritur, quomodo infatuari carnem & tenebras fieri in nobis oporteat, ut reficiamur ſpiritu & luce Dei: tectē quidem illi, ſed hæc nos ſuo loco capite tertio dicemus. Cæterùm fateri neceſſe eſt, eandem eſſe rationem creandi & recreandi, ſed hic Moſes hoc potiſſimum docebat, quod Apoſtolus ait: Omnia ex ipſo, per ipſum, & in ipſō eſſe, ut diſcamus confidere ei, cui ſcimus creaturas curæ eſſe.

Spiritus ferebatur ſuper aquas.

Hæc de aquis dicit, quas abyſſus illa intra ſe continebat.

Spiritus Dei. Spiritus Dei in ſcripturis Spiritum ſanctum ſignificat, ideo non exponemus de aëre, nam aër aqua eſt, & pro ferebatur, fouebat, legunt Baſilius, Ambroſius, & Hieronymus, & Syrum quendam teſtem citat Baſilius. Atqꝫ ita idē hic docetur, quod ſuprā: conſeruationem aquæ non naturæ eſſe, ſed Spiritus ſancti incubantis aquæ. Et hæc de cauſis ſequentium operum.

Et dixit Deus.

Sequitur creaturæ ſeu opificij mundi diſpoſitio.

Ex hoc loco ferē accepta ſunt, quæ de uerbo dicuntur Pſalmo trigeſimo ſecundo. Verbo Domini cœli firmati ſunt &c. Item, Ipſe dixit & facta ſunt. Et Iohannis primo. Omnia per uerbum ipſum facta ſunt. Et Hebræ. 1. Portans omnia uerbo uirtutis &c.

Dicere, eſt parere uerbum aliquod, & quia ante omnia ſeſe conſiderat pater, & in conſideratione ſuæ potentiæ ordinem & rationem omnium, quæ condi poſſunt: Ideo Verbum parit, quod & imago patris eſt, & ipſiſſimum conſilium faciendi omnia &c. Per hoc Verbum & condita ſunt omnia, & ſeruantur omnia, & renouantur omnia. Ideoꝫ Iohannes in eo ait eſſe uitam & lucem, ſicut in hoc textu uidemus lucem & uiuentia per uerbum condi. Diſcemus ergo hic præter cætera, quam oporteat eſſe uerbi incarnati operationem in corde noſtro, nimirum condere nouam uitam & nouum lumen, iuxta Pſalmum centeſimum ſextum, Miſit uerbum ſuum, & ſanauit eos. Ita facilē intelligi poterit, quid Iohannes ſecutus ſit in Euangelij ſui principio. Cæterūm de uerbi potentia uide Pſalmum uigeſimum octauum. Habes quid ſit quod ait,

Non eſt ſimpliciter cogitare, ſed paulò plus.

Dixit.

dixit, id eſt, Verbum effudit, quod eſt eius conſilium condendi omnia. Sed hic mirari quiſpiam poſſit, cūm per Verbum omnia condantur, cur non & ſuprā addiderit, dixit, & creauit cœlum & terram: ego cauſam non uideo, niſi fortē uerbi naturam Moſes indicari certius ita putauit, penes hoc, quōd tum demūm fecit eius mentionem cūm lucem condi ſcriberet. Certē enim Verbum lux eſt, & ſplendor paternæ gloriæ, & illa ipſa illuminatio uultus Dei, quam ſic ubique uocant Prophetæ. Nam creaturæ ſic deſcribuntur, ut ex eis diſci diuinitas debeat: ſicut & antea Spiritum ſanctum ſupra aquas ferri ſcriptum ſit, ut eius naturam nobis indicaret aliqua parte: & huc reſpexit Iohannes, cūm uim illuminandi uerbo tribuit.

Aquæ coniunguntur ſpiritui.

Lux. Lux quid ſit, cerni rectius poteſt, quām dici, eſtꝫ illa ipſa claritas quæ cernitur, quæ omnia oſtendit, ſic & in corde noſtro, clara oſtenſio, lux eſt.

Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona.

Id eſt, adprobauit, porrò adprobatio eſt eius conſeruatio. Ita iterum uides

des non condi tantũm res,sed & seruari ã Deo. Bona, id est,cuius esset aliqua in creaturis utilitas.Nam omnes creaturæ,alicui officio seu ministerio destinatæ sunt.

Et diuisit Deus lucem.

A Vespere ad manẽ supputatur dies, tũm ut intelligamus in hoc signo, omnia ex tenebris, & nihilo progressa esse, tũm ut uniuersaliter intelligamus opera Dei ã nihilo ad esse creaturarum progredi &c. Item uices diei & noctis, somni & uigiliarum,haud dubiẽ significationes sunt, mortis & resurrectionis. *Tenebræ non sunt conditæ quia nihil sunt*

Dixit.

Idem uerbum est,quod paulò antẽ diximus esse consilium patris.Hic obseruabis egregiam sententiam Secundæ Petri tertio,ubi docet & conditionem & conseruationem, & durationem cœlorum in uerbo Dei consistere: reprehendit enim impias cogitationes de natura rerum (sic enim cogitat ratio) hi motus, stati sunt & regulares, hic naturæ cursus est, quem uidemus: quid negocij esset Deo, cum tam minutis & uilibus creaturis, res quæq; pro sua natura fertur &c. commentum est de die nouissimo &c. Has dico rationis nostræ cogitationes reprehendit, inquiens: Imõ uerbo Dei consistunt cœli, non natura sua, & idem uerbum Dei est, quod prædicatum est uobis, de die nouissimo,de renouanda creatura: ergo tantisper cœli durant, donec Verbo conseruantur, & pulcerrima uoce ibi usus est, ut thesauri repositi uerbo. Idem est in Psalmo centesimo quadragesimo octauo. Statuit & non præteribit. Ita uides urgere scripturam,ut discamus & omnia in manu Dei esse,& postea confidere Deo,& timere Deum. *Vt musca.*

Firmamentum siue extensio.

Haud dubiẽ significat illam orbium compositionem & distinctionem, quæ nunc est: & sic huius diei opus ã primo opere distinguitur, quod primo die conditi sunt cœli,aquea quædam moles &c. quam hic opinor uocari aquas suprã cœlos: secundo die digestos esse hos orbes inter aquas: iuxta Psalmum centesimum tertium. Extendens cœlum sicut pellem,laqueans inter aquas altitudinem eius: nam cœli sunt aquea corpora. Quia Ezechiel primo capite scribit se supra firmamentum uidisse thronum,& in throno sedentem uelut hominem, intelligamus aquas supra cœlos locum illum, qualis qualis est: ego aërem esse iudico. *Firmamentum quid significet*

Quod hic locus est, Hebræis rectius statio est, ut significet ad uerbum Dei constitisse aquas,etiam nullo commodo receptaculo.Quis enim aquarum receptaculum æstimet? Huc illud Prouerb. octauo pertinet: Legem ponebat aquis ne transirent fines suos. Et Prouerb. decimo. Qui colligauit aquas &c. Sic de terra consistente in aquis, Sicut in Prouerbijs ait, Adpendebat fundamenta terræ &c. Hæc cùm considerant Sancti, aquas, terram, suspensas esse Verbo Dei, certẽ intelligunt omnia diuinitus regi,seruari,& donari. Et uidimus exempla ubi aquæ cesserunt uerbo Dei contra naturam, sicut in diluuio, in profectione ex Aegypto.

Videre quod sit bonum.

Est aspectus seu decretum Dei ordinantis creaturam ad utilitatem aliquam, sicut infrã de homine latius dicemus.

Primum

Primùm hic obseruabis uanum esse commentum Philosophorum, quod de ordine causarum & de fluxu siderum prodiderunt. Nam ante astra conduntur planetæ, quas potissimum nasci & seruari uirtute siderum existimauerunt.

Quòd non simpliciter dixit herbam aut lignum, significat non naturam herbæ esse aut ligni semen gignere, sed Dei donum esse, ut Matth. 6. dicitur, Fœnum agri uestit: & eodem loco uides, quomodo creationis argumento Christus ad confirmandam fidem usus sit.

Pater operatur in uerbo.

Item quod dicit facientem semen, non eò pertinet, quasi seminis natura sit gignere: nam Verbi Dei est. Dicit enim Christus, pater uestit: sed ideo sic loquitur, ut doceat creaturas esse instrumenta in quibus operetur, Quòd si res tantillas administrat & saluat, cur non animas etiam nostras regeret & saluaret? Ideo minutæ istæ creaturæ conditæ sunt, ut significaret uelle se in uilibus & abiectis rebus operari. In hoc opere disputari solet, quomodo cùm antea lux creata sit, & distinctus à nocte dies, iam hoc soli tribuatur. Basilius respondet antea conditam esse lucem, nunc lucernam, & illius lucis uelut candelam, cem esse conditam, diffusam passim in totam uniuersitatem mundi, quæ postea ceu undiq; collecta atq; coacta sit in solem.

Ambrosius aliam lucem esse, quæ primo die, aliam quæ quarto condita est in sole, putat. Ego sic sentio, & lucem primo die conditam esse, & dici nostisq; discrimina. Deinde die quarto additum esse Solem lumen clarius, & discriminatorem nobiliorem. Fuerunt ante Solem certè orbes cœlestes, quos lucidos esse etiam si uacarent Sole aut Stellis uerisimile est.

Sint in signa.

Hic palàm redarguuntur Philosophi, qui uim quandam sideribus tribuunt, defluentem in rerum inferiorum corpora, cùm Scriptura dicat ea esse tantùm signa: sed hic laboratur, quarum rerum, & quorum euentuum signa sint? Respondeo, eorum ad quæ is instituit qui condidit, & ille se exponit in lege, cùm uetat prædictiones humanas audiri: In Euangelio, cùm inquit: Erùt signa in Luna, significat indicari magnas calamitates per eiusmodi signa. Sunt ergo Stellæ non autores, sed signa, & signa non omnium euentuum, sed eorum ad quæ Deus ordinauit, & quorsum ordinarit hæc signa, sciri non potest nisi ex Scripturis. Porrò Scripturæ docent signa esse operum uel euentuum, sicut uocant naturalium, seu tempestatum.

VICES TEMPORVM.

Hic uerò pulcerrimum opus sapientiæ Dei, & discrimina motuum orbium cœlestium indicantur. Sed & hic obseruabis motibus orbium non res, sed tempora uariari.

QVINTVS DIES.

QVòd ex aquis uolatilia produxit, id est quod antè dixit, aërem aquam esse. Iam inter natantia & uolantia magna cognatio est, quòd eodem modo in suo elemento utraq; ferantur: deinde multis auibus & natare & uolare cõcessum est, sicut mergis & similibus quæ ad aquas colunt.

Dignissimum obseruatu est, quòd quanquam aquis præcepit, ut produ-

cerent

cerent, tamen postea subijcit, creauit Deus, ut significet omnia nascentia, quanquam naturali modo gigni uideantur, tamen diuina ope condi. Sic nobis inculcat accuratè Moses, omnia fieri arbitrio & uirtute Dei.

Vidit quòd esset bonum.

Prima utilitas omnium creaturarum est, quòd conditæ sunt ad declarandam autoris gloriam. Ideoq; in singulis animantibus præter alia commoda, singula ferè uitæ exempla, item significationem tùm potentiæ, tùm potestatis suæ prodidit. Et quia de uenenatis potissimum quæri solet, primùm considerabis nullum esse uenenum, cuius non sit aliqua insignis commoditas. Deinde quàm uilibus bestiolis quanta sæpè conficiat Deus, ut cùm uides solo aspectu aspidis necari robustissima corpora; considerabis quàm horrendus sit aspectus autoris, si irascatur. *Serpens.*

In Leone manifesta sęuitia aduersum sæua & repugnantia, manifesta clementia erga imbecilles. Et huc pertinent discrimina animantium, quæ sunt in Lege, ubi alia conceduntur, alia interdicuntur. Cæterùm quæ sit utilitas ex piscibus, ex capite nono adparebit, ubi primùm Deus ius fecit hominibus uescendi animantibus.

DIES SEXTVS.

PLenissimus hic locus est multis & Euangelicis mysterijs, propterea singulas eius partes ordinè exequamur, & principiò intelligamus hic loqui Mosen de homine, qualis conditus est incorrupto & gerente imaginem Dei. De alijs animantibus inquit, producat terra, producant aquæ, &c. de hominis ortu ait, Faciamus &c. ut significet aliter nasci & interire alia animantia atq; hominẽ. Quòd dicit Faciamus, certa nota est Trinitatis, neq; hoc temerè est, quòd Trinitatem indicat, cùm de homine condendo loquitur (nam antea dixit: Fiat lux) Ad imaginem & similitudinem nostram, Hebraicè, In imagine nostra secundum similitudinem nostram. I. II. III.

Nondum apud me constitui quid uelit sibi hæc loquendi figura, de sententia conuenit hominem esse imaginem Dei, quod quid sit paucis exponendum est.

Sunt qui rationem imaginis eò referunt, quòd homo præsit alijs creaturis, sicut Apostolus uidetur dicere prima Corinthiorum undecimo. Vir est imago & gloria Dei, id est, uir præest. Quæ sententia quanquam mihi non satisfacit; tamen in eam cadit quoq; quam nos sequimur. IIII.

Quid sit imago ex quarto Ephesiorum intelligi potest, cùm inquit: Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iusticia & sanctitate ueritatis. Et ad Colossenses tertio: Renouatur in agnitione Dei secundum imaginem eius qui creauit eum. Et 2. Corinth. 3. Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur. Est ergo imago Dei, natura perfusa sapientia & iusticia, lumine & gloria Dei. Et hinc intelligis, qui fuerit status primæ conditionis, & qua gloria exciderimus, nunc caro nihil nisi carnalia intelligit aut quærit &c. Et quia talis fuit homo, ideo præfectus fuit omnibus creaturis. Ita uides priorem sententiam cum hac conuenire, & de hoc imperio Psalmus loquitur, Omnia subiecisti sub pedibus eius. Nam quod in Adam amisimus, per CHRISTVM recuperatum est. Et V. VI.

quid

Esse in Deo quid sit esse Dominos omnium creaturarum, notum est. Est enim omnibus creaturis ad salutem uti, nulli creaturæ subijci posse, sed soli Deo subijci. De hoc imperio ad Romanos octauo loquitur Paulus, Confido quòd neq; mors &c. Quæ hic dicuntur de imagine & de imperio in creaturas, non dubium est, quin ad Christum pertineant, qui & perfecta imago est Patris, & sedet à dextris Patris &c. Ita uides omnia esse condita in Christum, Christum uerò factum esse, ad declarandam magnitudinem gratiæ & misericordiæ Patris &c.

Vaticinium de Christo.

Fides. Quando in uniuersa scriptura omnia sunt ad fidem & caritatem referenda, disces ex primo capite fidem, in eo quòd condi, seruari, ali & regi omnia manu Dei scribitur. Nam cùm humanæ impietatis caput sit ignoratio Dei, qua cogitamus omnia nasci & euenire naturali quadam dispositione, nec curari res tãm uiles à Deo, necesse est Verbo Dei fidem ædificemus, qua credamus & committamus nos ei: hoc Christus ait Matthæi decimo: Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Huc pertinet totus Ecclesiastes. Præterea & Christum disces, cùm scribitur ad similitudinem & imaginem Dei conditum esse hominem, cui imagini nos restituit Christus, qui fuit natiua & propria imago Patris. Sunt & alia de uerbo, de Spiritu sancto, quæ suo cuiusq; spiritui meditanda relinquo.

Caritas. Caritatem hinc disces, quòd omnes creaturas usui alicui destinat, cùm inquit: Vidit Deus omnia quæ condidit, & erant ualdè bona. Quæ sententia primùm hoc docet, gloriam Dei, potentiam & misericordiam in singulis creaturis repræsentari: sapientiam in dispositione orbium cœlestium: potentiam uultus iræ eius in aspide etiam aspectu necante: misericordiam in pullis coruorum. Deinde iubet ut singula singulis per sua dona seruiant. De lege naturæ uariè disputatum est à multis: mihi non aliter posse rectius explicari uidetur, quàm hic expressit Moses, Decretum Dei esse legem naturæ, ordinantis singula ad gloriæ suæ ostensionem, & ad mutuum obsequium inter creaturas: ut si de homine loquaris, homo conditus est ad imaginem Dei, Et uidit Deus bonum esse opus quod fecerat, id est, ordinat hominem ad imaginem illam conseruandam: & cùm imago Dei sit perfusum esse luce & cognitione Dei, ordinatur homo ad cognoscendum & glorificandum Deum. Deinde, quòd uidet bonum opus esse, destinat utilitati creaturarum, ut mutuum obsequium alij alijs præstemus. Item lex caritatis expressa est, cùm iubet crescere & multiplicari. Nam cùm gignere iubet, certè excolere præcipit quæ genuimus. Ita inter se omnes homines necessitudine genituræ cohærere mus. Iam in Hebræis pro crescite est fructificate, quod ad omnia obsequia pertinere uidetur.

Lex naturæ.

CAPVT II.

Quomodo intelligenda sit quies diei septimi. IN Scripturis de Sabbato passim multa leguntur, quæ ex hoc loco uelut ex fonte deriuata sunt. Primùm autem hic quæritur, quomodo septimo die quieuerit, cùm tamen perpetuò creet, iuxta illud in Iohanne, Pater meus usq; modò operatur. Et in Actis: In ipso sumus, uiuimus & mouemur. Respondeo primùm, hanc requiem esse accipiendam sic, quòd non perrexerit plura genera rerum condere, quàm enumerata sunt, adeoq; quòd conquieścat Deus in hoc opificio. Ita certè sentimus, non plures esse aut futuros mundos, hunc solum esse

lum esse hominum ortum & lapsum, hoc solum esse hominum genus, ad quos Christus pertineat, quod expectet consummationem seculi & iudicium.

Item ideo circumscripsit creaturas, & finiuit opus die septimo, cùm iam omnia homini subiecisset, ut certò sciremus, omnia nobis subiecta esse, siquidem nulla alia genera creaturarum erant condenda: hoc dominium in Adam amissum, in Christo recuperauimus. Postremò ideo conquieuit in hoc opificio, ut sciamus hoc esse opificium, quod glorificandum sit.

Requies finit genera creaturarum, sed hæc non consummatur, nisi ubi nihil prorsus operatur Deus, & creaturæ intereunt. Ea requies est Christi, qui Deus est, morientis & quiescentis Sabbato in sepulcro, & uerè sabbatizantis: significauit ergo Moses hoc uerum Sabbatum Dei. Præterea hoc Sabbatum Dei, & interitus creaturarum benedicitur & sanctificatur, ergo non sic intereunt creaturæ, ut non renouentur, sed ut ex hoc interitu renascantur glorificatę & sanctificatæ.

Et hoc est quod Exodi uigesimo præcipitur sanctificatio Sabbati, scilicet ut credamus Sabbatum Christi sanctum esse & salutare, & nostrum Sabbatũ seu interitum benedici, eò quòd Sabbatum Christi benedictum est. Huc pertinent ea quæ de Sabbato ad Hebræos tertio scribuntur, & quarto, Requieuit Deus die septimo ab omnibus operibus suis.

Deus quiescit in his creaturis, quia uult has glorificare. I.

Adam excidit. In lege iterum præcipitur Sabbatum, ut significetur futurum tamen quanquam ceciderimus, ut quiescat in nobis Deus. II. III.

Quiescere Deum in nobis, est non mouere creaturas, ut agant naturalia opera, sed absorbere nos intra se, ubi est æterna quies. Huc facient quæ sunt apud Esaiam de Sabbato, & in Epistola ad Hebræos. IIII.

Illud quiescere non potest fieri integra uetere creatura, quia uetus creatura tantũ est capax motionum naturalium, ergo oportet eam destrui. V.

Vetus creatura destruitur uacante Deo ipso, sic quieuit in sepulcro Christus. VI.

Benedicere, est incolumitatem & profectum imperare, sicut suprà benedixit animantibus, id est, dixit, ut existant. Ita hic septimo diei benedicit, id est, dicit, ut proficiat hic dies. Nam cùm in creaturis incipit quiescere Deus, septimus dies est: illa uerò quies est perpetua, iuxta illud Esaiæ sexagesimo sexto: Erit Sabbatum ex Sabbato. Sanctificare est ad usus Dei accommodare, sicut sancta uasa dicuntur. Itaq; dies septimus est accommodatus usui Dei, Et uide pugnantiam, Deus quiescit Sabbato &c. tamen cũm Sabbatum eius usui sanctificatum sit, necesse est ut agat aliquid in eo? Respondeo, Sabbato cessat mouere naturali motione, & absorbet in se creaturas, quod Esaias uocauit Sabbatum dedicatum. Itaque quoad naturaliter mouemur, nondum Sabbatum est. *Benedicere quid sit.* *Sanctificare.*

Præcedit conditio rerum ante describendam hominis conditionem, ut intelligatur omnia esse condita propter hominem, & hominem esse præpositum uniuersæ creaturæ: quæ hominis prærogatiua describitur Psalmo octauo. Et Coloss. primo de Christo Paulus ait. Omnia per ipsum, in ipso, & in ipsum, id est, ut in hæredem qui dominetur omnibus. Et ad Romanos quarto. Promissio Abrahæ, & semini eius, ut hæres esset mundi. Nam omnia quæ de hominis dignitate dicuntur, in quo recuperauimus dignitatem amissam in *Dignitas hominis.*

Adam. Magnum est autem credere Christum dominari, credere nobis subiecta esse omnia.

Hæc multis uerbis describuntur, ut fides de creatione confirmetur &c. de qua suprà. Iam hoc quoq; obseruabis, Pluuiam esse non naturalem colluuiem aquarum, sed opus Dei fœcundantis terram &c. ut Deuteronomij undecimo, De cœlo expectans pluuiam: & Actorum decimo quarto. De cœlo dans pluuiam & tempora fructifera. Sic scriptura per omnia nobis inculcat non naturam aliquam esse, quæ per sese gignat, sed Dei beneficia esse omnia quæ gignuntur &c. Quòd homo compositus est ex puluere terræ sæpè in scripturis repetitur, Psalmo centesimo secundo: Recordatus est quòd puluis sumus, homo sicut fœnum, dies eius sicut flos agri, id est, respexit uilitatem & miseriam nostram, ideo quemadmodum Pater miseretur Filiorum &c. Itaq; mortalitas & infirmitas nostra nobis proposita est in puluere, sicut infrà repetit, Puluis es, & in puluerem reuerteris.

Egregia collatio.

Tractat Apostolus prima Corinthiorum decimo quinto. Adam primus factus est in animam uiuentem: nouissimus Adam in spiritum uiuificantem, id est, Primus Adam factus est, ut esset uiuus uita naturali, ederet, biberet, gigneret, haberet actiones naturales. Item ita conditus est, ut mori tamen posset. Nouissimus Adam, id est, omnes qui in Christo resurgunt sic sunt conditi in spiritum uiuificantem, ut perpetuò uiuificentur spiritu, non habeant actiones ullas naturales, sed tantùm spirituales, amorem Dei, cognitionem Dei, lætitiam spiritualem, laudem Dei.

Plantauerat autem Dominus.

Qui totam terram opinantur Paradisi uice futuram fuisse, eos necesse est fateri tamen præ cæteris terræ partibus unam aliquam amœnissimam, hic paradisum uocari, quando & fluuium in eo esse sic scribitur, ē quo deriuentur Ganges, Nilus, Tigris, & Euphrates, & infrà capite sequente dicitur Cherub & gladius flammeus eum locum custodire. Porrò ubi sit sciri nequit, nam & ortus Nili ac Gangis ignorantur: Ita ut in Prouerbium cesserit de re ignota, Nili caput quærere. Nobis satis esto, locum in oriente esse, ubicunq; est, quem hortum hic uocat. Porrò quòd homo in Paradisum positus est, iterum significat, eum propositum fuisse omnibus creaturis. Indicatur item cura Patris de seruando & alendo homine. Lignum uitæ, cuius fructus uiuificabant perpetuò.

Lignum uitæ & scientiæ.

Lignum scientiæ boni & mali, ea arbor dicitur, quam lex interdixerat, quia enim lex bona & mala docet, ideo arbor de qua lege cautum fuit, lignum scientiæ boni & mali dicitur. Et ex ijs facilè est allegoriam inuenire ut uerbum uiuificum, intelligas lignum uitæ dici, Prouerbiorum tertio. Lignum uitæ est, his qui apprehenderint eam, & qui tenuerint eam beati. Lex autem lignum scientiæ boni & mali.

Quod Paradiso imposuit hominem significatum est, hominem præesse reliquis omnibus creaturis, sicut suprà dicit, hominem conditum non in Spiritum uiuificantem, qui spiritualiter tantùm mouetur, sed in animam uiuentem, hoc est, cuius opera essent naturalia, edere, bibere, gignere &c. Ea opera hic quoq; indicat, cùm ait, homini paradisum commissum esse ut eum coleret.

Hæc Lex duo insignia docet. Primùm in legibus diuinis non esse spectandum, quantum sit opus quod præceptum est, sed spectanda est uoluntas Dei

Dei præcipientis, qualecunq; quantilluncunq; sit opus: quia ratio semper disputat de lege diuina, & iudicat eam iniquam esse, cur hoc uel illud constituerit, & uoluntatem Dei ab operis modo æstimat. Ita primum peccatum quotiescunq; lex uiolatur, est infidelitas: Sicut in Luca præcepit Dominus, ut caueamus ne grauentur corda nostra crapula, caro cogitat uile opus esse, & ab operis modo æstimans uoluntatem Dei, legem contemnit. Sic in multis alijs fit, quæ in speciem non sunt turpia, ubi sic cogitat caro, age quid ista curet Deus, & hoc est quod Paulus ait: Omne quod non est ex fide, peccatum est. *Disputatio impia de lege Dei*

Secundò hic spectanda est infirmitas nostra, quòd si natura integra Adæ non potuit consistere re tàm facili præcepta, quantò minus nunc consistent corrupta, & hic se contemplentur hostes gratiæ.

Morte morieris.

Quidam hic offensi sunt, quare dicat morte morieris, cùm tamen Adam non sit statim mortuus. Respondent alij, statim mortuum esse quò ad animam. Alij dicunt quia in Hebræis est moriens morieris, significari mortalem fieri. Ego sic sentio, simplicissimè intelligendum esse textum, ut sonant uerba. Nam & eo die mortuus est Adam, sicut ex capite sequenti apparet. Nam mori in scripturis propriè significat confundi à conspectu Dei. In Ioanne ait Christus, Qui credunt in me, non morientur. Apud Esaiam: Omnis qui inuocauerit eum non confundetur. Illa confusio ipsissima mors est. Et extinctus planè fuisset Adam, nisi uiuificatus fuisset iterum uerbo gratiæ: Ipsum semen conteret caput tuum. Item tota natura sine spiritu Dei uiuificante, planè moritur, quamquam non semper sentiat mortem, quo modo Apostolus ait, Prudentia carnis mors est. *Interpretatiõ mortis secundum scripturas.*

Non est bonum hominem esse solum.

Hic expressa est lex caritatis, tùm multiplicandi generis humani causa, adeoque hominis adiuuandi causa homo conditus scribitur, ortus noster, nutricio, educatio, breuiter omnes uitæ necessitates ab alieno præsidio pendent. Et hanc societatem hominum magnifecit Salomon Ecclesiast. quarto. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur: uæ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se &c. Et in corporalibus quidem satis apparet, quis sit mutuus usus hominum inter se.

In spiritualibus idem Christus expressit, cùm dedit potestatem remittendi peccata. Item, quod feciſtis uni ex minimis meis, mihi feciſtis &c. & quæ hic naturæ hominis tribuuntur, ea potissimum ac primum sunt in Christo requirenda, quia in Christi cognitionem hæc omnia destinata sunt, quòd homo conditus est, ut homini sit auxilio, id ita proprium est naturæ Christi, ut præterea nulli. Et nisi hoc in Christo uideris, nondum nouisti Christum, ipse pro nobis mortuus, ideo resuscitatus est, ut adiuuaret, ut subleuaret, ut tueretur fratres suos. Præterea nos sumus costa ex eius latere execta, & pro costa lateri eius caro inserta est, ut ipse sit infirmus, nos ualidi &c.

Hoc nunc os ex ossibus meis.

Hoc quoq; argumentum est omnia homini subiecta esse &c.

Erat autem uterq; nudus.

Pudor ex peccati conſcientia fit, propterea uacaſſe peccato eos ſignificat, cùm negat erubuiſſe.

CAPVT III.

QVia de Spirituum conditione nihil ſuprã dixit, Ideo Satanam non ſuo aliquo nomine, ſed Serpentis uocat: & in ſerpente repræſentat, ut uerſutiam, inſidias, ingenium Satanæ ex ſerpente æſtimemus: ut infrã, Super pectus tuum ingredieris &c. Sunt enim omnes creaturæ corporales rerum & euentuum typi & figuræ.

Carnis iudicium.

Dixi ſuprã, in omni lege non opus, ſed uoluntatem diuinam ſpectandam eſſe. Caro de uoluntate Dei non iudicat, ſed opere: & de opere iudicare incipit, nec tribuit Deo ſapientiam & iuſticiam, ſicut eſt experiri in omnibus tentationibus, in quibus aliãs ſtultẽ, aliãs iniquẽ conſtituiſſe Deum, iudicamus. Hoc argumento primũm ſollicitat imbecillem rationem mulierculæ Satan. Et quæ hic extrinſecus geruntur, omnia geri ſolent in cordibus hominum. Sic enim Satan alios aliò impellit, illum ad libidines carnis, hunc ad cædes &c. quia cogitatione aliqua cor occupat &c. princeps enim mundi eſt. Et Apoſtolus dicit eum excæcare corda incredulorum, ut non illuceſcat eis illuminatio Euangelij.

Infidelitas peccatum.

Satan pater mendacij.

Vides infidelitatem primum peccatum eſſe, credit mulier Satanæ, & uocem Dei pro uano terriculamento, pro irritis minis habet. Et hic conſidera blaſphemi ſpiritus impietatem, qui mendacij diuinam uocẽ accuſat: & hoc eſt quod eum Chriſtus apud Ioannem patrem mendacij uocat, & ſatis declarat hoc exemplum, quæ ſit Satanæ uoluntas, ſcilicet gloriam Deo uelle detractam, & uelle omnia perditum iri. Iam ubicunq; tale cor eſt, quod uerbum Dei eum modum pro uanitate habet, ita certò ſcias, captiuum teneri à diabolo.

Exemplum tentationum.

Calumniatur autem hic Satan, cùm in bonam partem uertit, quod extrema miſeria erat, ſcilicet ſcire bonum & malum. Nam ſcire bonum & malum eſt experiri iuſticiam & peccatum, pacem & mortem &c. Sic obſerua Satanam peruertere uerba Dei.

Cumq; cognouiſſent.

Hactenus peccatum, nunc fructus peccati deſcribuntur, Conſcientia & mors. Videre ſe nudos, eſt pudore tangi, pudor malæ conſcientiæ opus eſt: conſcientiam uerò caro, uerbo Dei carens, erigere conatur operibus, & ſatisfactionibus ſuis. Has ſatisfactiones folia fici ſignificant, hoc eſt, quidquid humana induſtria parat quo tegatur peccatum. Sed id quàm nihil profit, declarant quæ ſequuntur, ubi uoce Dei occiditur Adam, & rurſum uiuificatur, non aliquo humano opere, ſed promiſſo ſemine, quod conterat caput ſerpentis.

Folia fici.

Et cùm audiſſent vocem.

Sequitur pœnitentiæ deſcriptio, & Adæ iuſtificatio. Primum autem eſt pœnitentia, confundi conſcientiam, id quod fit, cùm audimus uocem Dei accuſantẽ, & coarguentẽ nos peccati. Hic iam nihil proſunt προῤῥήματα, quõ minus moriamur, nullæ ſatisfactiones noſtræ, nulla creatura poteſt nos conſeruare iudicante Domino, iuxta illud: Sileat à facie Domini omnis terra, Et hoc eſt quòd

Pœnitentia quid.

Præſidia quæ quærunt homines.

quod dicit Christus in Euangelio ædificare supra arenam, qui audiunt uocem suam. Iam moriebatur Adam iuxta legis sententiam, intentabatur ira, & redactus fuisset in puluerem, nisi statim resuscitatus esset uoce Dei.

Hic primùm obserua, quòd ait uespere Dominum deambulasse in Paradiso, quo significat nouissimis temporibus Dominũ uenturum fuisse, iuxta illud Ioëlis Actuum secundo. Et erit in nouissimis diebus &c. Deinde non simpliciter dicit, cùm audissent Dominum, sed cùm audissent uocem Domini, ut significaretur filius descensurus in mundum, qui uox seu uerbum patris est.

Euangelium accusat & remittit.

Itaq; quod hic in solo Adam, parente generis humani gestum est, geritur in toto genere humano per prædicationem Euangelij, accusantis & remittentis peccata nostra. Et quòd hic resurgit Adam remisso peccato, & audita promissione de cõterendo serpentis capite, id perficietur die iudicij, cùm mors destruetur, prima Corinth. decimo quinto. Interrogat Dominus de peccato, ut ad autorem peccati perueniat, hoc est, quòd Adam mulierem, mulier serpentem accusat. Non enim in hoc, opinor, transferri culpam in serpentem, quod uellent uideri se excusasse, aut negare se peccasse: nam hoc non solet uera pœnitentia. Interrogat autem de peccato ut condemnetur & maledicatur serpens. Nam in hoc textu mirabili mysterio serpenti maledicitur, cùm homini non maledicatur, ut homini relinquatur spes recuperandæ salutis: & nos discere-mus, ut antea potentiam Satanæ, nunc rursus imbecillitatem eius. Præterea hoc spectandum est, quia maledicitur Satan, non potest uicissim non maledicere: ergo uoluntas eius est omnia uelle perdita & pessum ire quæ sunt Dei, sed non prævalet, quòd ā semine Euæ conteratur.

Transfertur peccatum in diabolum.

Voluntas diaboli.

Et ait Dominus ad serpentem.

Hoc loco duo proponuntur, maledictio æterna Satanæ & corporis illius, homo autem non maledicitur æterna maledictione, quod futurum fuerit, ut redimeretur. Nam quæ postea sequuntur, quæ uidentur esse pœnæ, non maledictiones sunt, sed crux & benedictio. Deinde, quid sit æterna maledictio indicat, cùm inquit: Super pectus tuum ingredieris, & puluerem &c. Porrò super pectus ingredi, est pauere: atq; ea est pœna iuxta Iob, Sempiternus horror inhabitans. Deinde ubi hæc æterna confusio & mors est, ibi esse non potest consolatio spiritualis. Nam cùm uerbum uita sit, & lux: Maledicti autem uerbo careant, necesse est eos & uita & luce carere. Alterum est quod obserues, promissio gratiæ, per quam promissionem uiuificatus est Adam. Est autem hæc, Ipsum semen conteret caput tuum. Est autem semen mulieris Christus, & quicunq; sunt in Christo. Caput autem serpentis proprijssimè regnum peccati & mortis est: Peccatum aculeus mortis est, prima Corinthiorũ decimo quinto, id est, mors uires accipit ā peccato, ut sit metus æternæ iræ Dei. Porrò insidiæ Satanæ sunt, uictoria autem nostra est, iuxta illud, Absorpta est mors in uictoriam.

Indicium æternæ maledictionis.

Promissio gratia.

Mulieri quoq; dixit.

Mors & omnes afflictiones corporis pœna sunt peccati primi, sed ea pœna desijt esse pœna iustificatis, fitq; instrumentum mortificandæ carnis, hoc est, maledictio sublata est, & benedicta crux est. Ad eum modum hic cùm mo-

ri oportuisset primos homines, uiuificati sunt spiritu, & imposita est eis crux, quæ porrò carnem mortificet. Viuificatio spiritus facta est uerbo promissionis, Ipsum semen conteret caput tuum: & crux imponitur uerbis sequentibus.

Pugnantia scripturarum.

Mirum uerò, quòd simul præcipit ut laboremus, simul maledicit terræ, ut frustra uideamur laboraturi, siquidem terra nihil præter spinas & tribulos latura est? Respondeo, in cruce potissimum hoc esse cognoscendum, quòd nondum deseruerit nos Dominus. Ita hic, ideo terræ maledicit, ut sciat Adam donum Dei fore, quidquid terra tulerit, & laturam tantùm, quantùm nos credimus, nihil laturam, ubi nos non credimus.

Et sub viri potestate eris.

Vir caput mulieris.

Obseruandus est locus necessarius, in eo quòd ait: Sub potestate uiri eris, quòd ijsdem uerbis uiro commissa est potestas regendi, non mulierem tantùm, sed præter eam omnia. Id Apostolus prima Corinthiorum undecimo tenet, cùm uirum caput mulieris uocat. Item imaginem & gloriam Dei, id est, præsidentem & regentem. Nunc cùm uiro committitur imperium, uult Deus per illum non mulierem tantùm, sed omnia humana regi, à patre sobolem & familiam &c. quæ ordinatio & in Decalogo continetur, Honora patrem & matrem, ubi parentibus committitur imperium. Hoc item est quod Rom. tredecimo, Dei ordinationem potestatem uocat: nam hac ordinatione, cùm uiro committitur gubernatio, facit autoritatem ciuili ordinationi, in qua multi se, uelut unius patris curæ familia, committunt. Cui ordinationi Apostolus iubet obedire, quanquam sæpè hi qui regunt, per uim usurparunt imperium, sit fieri uix possit, ut unus tàm multis regendis satis &, tamen quia Dei ordinatio est, parendum est. Sed hæc obserua, quòd mulieri præcipit, ut pareat, non uiro ut imperet, quanquam hoc necessariò sequatur, sicut & in Decalogo, Honora patrem & matrem, ut eos qui parent, doceat, autoritati diuinæ obnoxios esse magistratui, & parendum esse magistratui, sicut Paulus scribit ad Ephesios, sicut Domino. Hic autem locus de magistratibus subinde in hoc libro & reliqua scriptura latius explicatur.

Etiam discolis parendum esse.

Magistratus.

Et vocauit Adam.

Quòd indidit mulieri nomen Viuæ iam post lapsum, auditis iam uerbis Dei, haud dubiè significauit Moses fidem Adæ, conceptam iam de uita è promissione Dei: quasi sic uelit dicere Adam, Viuemus ergo qui morti destinati eramus, peccatum condonauit pater, reliqua uita, iam uerè uita esto, quia spiritu uiuificamur, & quia semen tuum conteret caput serpentis, hoc est, regnum mortis, adpello te matrem uiuentium, ut sit hæc adpellatio mulieris testimonium fidei Adam, & Mnemosynon gratiæ Dei promissæ per semen mulieris: & breuiter, signum fidei credentis mortem iam non esse mortem, sed uitam.

Exultatio sentientis se restitutum in uitam.

Fecit quoq; Dominus Deus.

Pudor opus conscientiæ.

Ex perizomatis & uestium significatio colligenda est. Perizomata autem certum est Adam fecisse, quòd nuditatis puderet. Sic enim ait, Cùm cognouissent se nudos esse &c. quæ perizomata nuditatem tegere, ueniente Deo in paradisum,

radisum, non potuerunt. Itidem ait. Timui eò quòd nudus essem. Fuit itaque hæc faciendæ uestis causa, ut tegeretur Adæ nuditas, hoc est, turpitudo: nam hæc nuditas est, cuius pudet Adam. Proinde cùm tegitur uestę, confirmatur eius conscientia à Deo, ut sustinere eius conspectum & uocem possit. Nullis humanis operibus aut satisfactionibus tegi peccata nostra possunt. Teguntur autem fide uerbi Dei: Iuxta illud, Beati quorum tecta sunt peccata. Nam iudicio Dei nihil opponas, præter uerbum eius, quo uelut propiciatorio tegimur, ne gloria seu claritate Dei consumamur. Primùm ergo tegitur Adæ nuditas à Deo, quia nullo humano opere conscientia confirmari potest, iudicante Deo, deinde pellibus tegitur, hoc est, uerbo crucis, interim dum glorificemur. Nam hic haud dubiè significatum est, futurum, ut tegat nuditatem nostram noua carne in resurrectione mortuorum, Sicut secunda Corinthiorum quinto, de uestiendo & superuestiendo differit Apostolus. Ita hic dicimus primùm uestiri nos uerbo crucis, postea etiam glorificari carne noua & spirituali.

Nuditas est confusa conscientia.

Ex Ezechielis capite 16.

Ecce Adam quasi unus.

Ironiam esse uolunt coarguentis Adam, quòd serpenti crediderit, pollicenti similem fore Deo, quasi diceret, Vide Adam cuius uerbo credideris, ego iussi, ne ederetis è ligno scientiæ boni & mali. Serpens contrà, edentibus pollicitus est similes fore Deo, meo uerbo non credidisti, quod ueritas & uita est, ergo mori te oportuit credentem mendacio, uide quàm non similis nostri factus sis, morti, peccato factus es obnoxius, ubi sunt igitur illæ formæ Dei, sapientia, iusticia, uita, quas promisit Serpens? Sed præter hæc sentio simul coargui Adam, & promitti similem fore Deo, quasi diceret, Vide qualis sis, scilicet damnata caro & immunda, quæ non saluabitur: erit tamen, cùm sicut unus ex nobis fias, non hac uia qua uolebat Serpens, sed hac uia quam ego nunc propono tibi, nempe uia crucis & mortis: erimus enim similes Dei in Christo induti gloria Dei &c. Ioannis tertio. Cùm apparuerit similes erimus ei &c.

Crucis commendatio.

Emisit eum Dominus Deus.

Quanquam iam obscurè promissum sit Adam similem fore Deo, tamen nunc ejicitur è Paradiso, quia non antè Deus glorificat quàm humiliauit, adeò sunt dona Dei iusticia & uita abscondita formis crucis seu mortis. Et hoc est cur ejiciatur Adam, & objiciatur morti, quanquam Spiritu uiuificatus sit.

Et collocauit ante Paradisum.

Dixi suprà hoc loco me cogi, ut sentiam Paradisum esse peculiarem quendam locum in terra, à qua simplicitate textus non facilè discedo, qui uolet hæc curiosius persequi, is sciat incerta esse, quæ scriptura non docet, & nobis in ijs locis potius immorandum esse, qui fidem & caritatem ædificant, quàm in huiusmodi quæstionibus curiosis magis quàm utilibus.

Certum est autem hæc ideo scripta esse, ut sciamus ad uitam nullis humanis uiribus nos redire posse, iuxta illud: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.

Atq; hic obserua miram contradictionem, antea dictum est, futurum ut

Pugnantia scripturarum.

semen Euæ conterat caput serpentis: hic negat ad uitam reditum esse hominibus: ergo necesse est, ē cœlo uenire qui uiam faceret ad uitam. Cæterùm si quis allegoriam requirat, angelus armatus gladio legem significat, quæ instrumentum mortis est, custodit igitur uiam ad lignum uitæ.

CAPVT IIII.

I. VIde fidei conflictationem, unico uerbo subleuatus est Adam, Ipsum semen &c. ē quo uerbo spes salutis concepta est, postea ejcitur è Paradiso, iter ad

II. uitam intercluditur per angelum, inter hos insultus tamen concipit fidē. Confirmata est fides genito Cain, quòd iam cerneret non se tantūm uicturos, sed & posteritatem fore, imò quòd scirent promissam de semine salutem, quasi sic dicerent, Ecce promissionem de semine habemus, quod conteret caput serpentis, gaudeamus igitur nobis sobolem esse, ē qua nascatur olim, qui serpentem conterat: hunc adfectum testata est mulier, cūm ait, Acquisiui hominem per Deum &c. Sed iterum concussa est fides, ubi uiderunt Abel occisum, Cain ā Deo reiectum.

I. Sequenti exemplo exhibentur nobis primūm, cura Dei pro nobis, donantis uerbum, docet autem hoc uerbo suo fidem & caritatem.

II. Docetur caritas cūm reprehendit Deus Cainum iratum fratri.

III. Fides docetur & discrimen operum, cūm ait, nonne si bonus fueris, acceptus es &c. id est, ualebit quidem opus, si cor bonum est, quod quid aliud est, quàm quod scriptura ubiq; docet, ex operibus legis non esse iusticiam.

Proposito discrimine operum & fidei legem subjcit, nisi enim discrimen operum & fidei tenetur, frustra docetur lex. Sub te erit cupiditas eius, scilicet peccati, id est, Ira concepta aduersus fratrem sub te esto, & tu domineris illius, id est, ne obsecundes iræ, ne subigat te ira, sed tu illi imperes. Nam quòd futura & indicatiua uerba sunt, sub te erit, Hebraica phrasis est, quæ pro imperatiuis solet indicatiuis uti, ut in alijs legibus est cernere: Non concupisces. Porrō ijsdem uerbis suprā dictum est, sub uiri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Vides autem hic præcepta utriusq; tabulæ, primæ tabulæ de colendo Deum, non operibus, sed fide, ubi negat oblationem esse, qualecunq; opus. Deinde secundæ tabulæ præceptum, cūm uetat occidere fratrem, neq; id solūm, sed & irasci uetat, hoc est, quomodocunq; alterius famæ, rebus, uitæ, malē uelle. Quid autem efficiat lex sine spiritu uide, animus Cain magis insolescit, quanquam interim dissimulet iram: dicit enim scriptura, Et locutus est Cain cum Abel fratre suo, id est, iam uelut posita ira, in speciem benignè compellauit & tractauit fratrem, nihil minus præ se ferens, quàm quod gerebat in pectore.

Præcepta utriusq; tabulæ.

Vbi est frater tuus.

I. Multa sunt in hac historia obseruanda. Primūm, Dei cura pro fidelibus,

II. siue uiuant siue moriantur: iuxta illud, Domini sumus siue uiuimus siue morimur. Secundum cūm tanta cura sit, cur non potius uiuentem seruauit, cur conniuebat cūm occideretur Abel? Respondeo, Hæc doctrina crucis est, ut discamus non esse desertos, tunc, cūm maximē desertí uidemur. Item post mortem uindicat Dominus, ut ostendat illi meliorem spem repositam esse post mortem.

Figurata

Figurata est Ecclesia: nam ut Christo sublato, putabant iam Iudæi se regnare, tùm resurgit Christus, & illos disperdit &c. III.

Fides est certò sentire Deo nos curæ esse, Deum præstò esse, opem ferre &c. qualecunq; est quod patimur. Sed quòd hic non ostendit se Deus, nec adiuuat prius quàm Abel interfectus sit, nõ solùm ostendit quæ spes superstit mortuis, sed & docet primũ bonã uoluntatem esse suam occidi nos, & ne tum quidem abesse, cùm minimè adesse uidetur: desertus uidetur Abel à Deo, cùm iam à fratre oppressus esset, sed post illius mortem palàm testatur, se nondum deseruisse eum, quem putat esse desertum: curæ erat Abel Deo, nec tamen adiuuit ille, tùm cùm oportuisse uidetur, ergo bona uoluntas Dei est adfligi & occidi sanctos. *Definitio fidei.*

Caro uult iustificari omnia sua, spiritus est qui Deo gloriam ueritatis & iusticiæ tribuit: iuxta illud, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cùm iudicaris, id est, peccatum meum confiteor tibi, ut palàm fiat, quòd tu sis iustus, non ego, & uincas cùm te iudicant Hypocritæ. Itaq; non tribuunt Deo impij gloriam ueritatis & iusticiæ. Quare hic Cain dissimulat cædem, & id quidem coram Deo, quem putat falli posse, atq; hæc radix est omnium peccatorum, quòd in carne talis est ignoratio Dei, ut putet Deo nec bona nec mala nostra curæ esse, Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Et in uniuersum sic in sanctos impij per contemtum Dei grassantur, sic peccant in uniuersum quicunq; peccant. *Impij de Deo quid sentiant.*

Impij non possunt fateri peccatum, aut tribuere gloriam iusticiæ Deo, & tamen conuincuntur à Deo, & confunduntur. Nam à facie Domini fileat omnis caro. Pij fatentur peccatum, ideo non confunduntur.

In quorum cordibus non est cognitio Dei, ea corda sua tantùm quærunt, se uolunt magnificri, adorari &c. Ideo in huiusmodi cordibus nec caritas est, quæ se alijs subijcit, cedit honorem alijs, inseruit omnibus, sentit se omnium custodem esse: quare hic Cain negat se fratris custodem esse, quod fide careret cùm tamen antea legem audisset, quare iratus es? *Caritatis opera.*

Conuincitur Cain, cùm inquit, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, qui clamor iuxta phrasin scripturæ non est sanguinis, sed Dei, ea solicitudo est eius pro sanctis, cùm uiuis tùm mortuis, ut etiam ex anima clamare dicat. Iam & indicat nondum interijsse Abel, quanquam occisus sit, cùm uocem cùm clamorem sanguini tribuit. Porrò hac loquendi forma usus est, ut Euangelium figuraret, quod uox sanguinis Christi est, quæ iam extincto, ut illi putabant, Christo erupit. Hæc maledictio cum superiore illa conferenda est, superiore non maledicitur Adæ & Euæ, ne uniuerso generi humano maledicatur, sed serpenti tantùm & eius semini, hoc est, corpori & regno Satanæ maledicit. Hæc maledictio Cain, non ad uniuersum genus pertinebat humanum, ideoq; ipsi maledicitur: nam ex semine serpentis est. *Maledictio.*

Hic statim peccatum uindicta secuta est, ne dubitemus iudicaturum & multaturum sontes, quanquam interim dissimulare & differre uideatur. Caro secura minas diuinas contemnit, cùm iusserit Dominus uigilare nescientes qua hora uenturus sit &c. quid quòd uniuersa posteritas Cain extincta est diluuio Noë?

Vagus & profugus.

Quod

Quod de serpente dictum est, futurum, ut perpetuō pronus ingrediatur, & incumbat terræ: Idem hic dicit, uagus & passim fugiens eris in terra &c.

Maior est &c.

Sicut antea gloriam iusticiæ non tribuebat Deo Cain, ita nec modō gloriam misericordiæ tribuit. Huiusmodi sunt corda fide uacua, florente carne Deum contemnunt, in adflictione desperant. Econtrā, qui Deum norunt, sicut sentiunt nihil esse horribilius ira Dei: ita rursum, quia Deum norunt, sentiunt nullum esse peccatum, quo non sit ille maior, qui uocat ea quæ non sunt, ut sint, Rom. quarto, & cuius gloria nostro mendacio fit celebrior. Caro autem de Deo iudicat carnaliter, extra adflictionem eum stertere putat, propterea sua libidine fertur &c. In afflictione quia aduersantem sentit, fugit tanquam malum iniquum &c.

Vide autem quām multipliciter describantur pœnæ. Primō, est desperatio. Deindē corda ita perpetuō pauere, ut nullo certo loco consistas. Tertiō quærere quorsum effugias uultum Dei. Quartō, metus adsiduus mortis.

Nequaquam ita fiat.

Autoritas Dei occidit hominem.

Quid igitur de iure gladij, an in homicidam animaduertere non licet? Respondeo, nihil hic de iure gladij constitui, sed generalem legem esse qualis illa in Decalogo est, non occides. De iure gladij infrā constitutum est capite nos. Quicunq; effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius.

Posuit Dominus in Cain signum.

Quidam sentiunt tremorem quendam perpetuum in Cain fuisse.

Et ædificauit ciuitatem.

Quod in Hismaël & Esau scriptura reprehendit, idem hic in posteritate Cain accusat, scilicet condidisse eum urbem, constituisse imperium, militasse, conuersum esse ad excolendas res humanas &c. Nam imperium aliud constitutum est, præter id, quod est Patris imperium, quod erat scilicet uno usurpante sibi dominationem in multos. Nam lex ita ordinauit, ut singuli patresfamilias familiarum suarum Domini essent iuxta legem, Honora patrem & matrem.

Dixitq; Lamech.

Occidere est non amare, non iuuare.

Lex de caritate multipliciter prodita est hoc capitulo suprā. Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Et deinde, Qui occiderit Cain septuplum punietur. Et hic, Occidi uirum in uulnus meum, id est, luam pœnam cædis illius, quandoquidem diuina lege cautum erat, ne quis occideret eum.

De Lamech uero septua.

Nunquam non condonat peccatum.

Ex Euangelij loco Matthæi decimo octauo, de septuplo & septuagies septies satis adparet accipiendum esse numerum certum pro incerto. Nam Hebræis septenarius numerus uniuersalitatis numerus est. Porrō quōd septuagies septies pœnam se daturum inquit, non aliud est quām suprā dixit Cain, Maior est iniquitas mea, quām ut ueniam merear.

Cognouit quoq; adhuc.

Suprā recensuit impium genus Cain, cui imperium, militiam, & ciuilem cultum

cultum tribuit, uoco autem cultum ciuilem & luxum, & concupiſcentiam oculorum, quod geſtientes nos extollere, excolimus ciuilia munera quæcunq;, non ex fide, ſed ut celebremus nomen noſtrum, ut infrā de conditoribus Babylonicæ turris dicitur, Gaudent ingenia & ſuperbiunt opibus ſuis. Hoc nomine potiſſimum Tyrus accuſatur apud Ezechielem 26. 27. & 28. O Tyre, dixiſti perfecti decoris ego ſum. Nunc redit ad genus pium. Hic primum conſideranda fides Adæ & Euæ, qui ē Paradiſo eiecti ſperabant benedictum Semen inter tantas adflictiones, cūm Abel occiditur, Cain maledicitur, nec reddita eſt ſoboles pia ante trigeſimum annum ſupra trecenteſimum. Seth filio nomen factum eſt ā ponendo, quo haud dubiē ſignificauit non naſci natura filios Dei, ſed ā Deo donari, quaſi ſic dicat. Ecce uideo ea quæ ē carne naſcuntur maledicta eſſe omnia, ſolum id ſemen Deo acceptum eſſe, quod ipſe ponit, ſicut aliàs ſæpē dicitur. Suſcitabo mihi ſemen &c.

Prædeſtinationis locus.

Tunc cœptum eſt.

Id eſt, poſteaquām non Adæ tantùm, ſed & filio pium ſemen fuit, latius propagatus eſt iam cultus Dei. Et quia multitudo docenda fuit, neceſſe fuit inſtitui quaſdam ceremonias quibus moueretur multitudo. Item ad conſolationem pertinet, qua confirmati Adam & Eua, poſteaquam uiderunt pium ſemen exortum eſſe, cūm annos plus centum nihil uidiſſent præter impiam & maledictam multitudinem familiæ Cain.

CAPVT V.

SIcut ſuprā diximus ortum mundi, lapſum & reſtitutionem hominum deſcribi, ut ſciamus & nos eſſe, ad quos uerbum Dei pertinuerit, & idem eſſe uerbum, quod ā principio mundi prædicatum eſt, & quod nos accipimus. Ita hic γενεαλογίαι recenſentur, & ut certi ſimus, nos eſſe ad quos prædictiones pertinent, & ut certi ſimus, unde & ex quibus Patribus ſit Chriſtus. Nam hoc egit in uniuerſum ſcriptura, ut redderet nos de Chriſto certiſſimos, atq; id ita oportuit, eō quòd uenerit Chriſtus tectus formis crucis, ut ā carne agnoſci non potuerit. Quòd Enoch translatus eſt ad Deum exemplum oſtenſum eſt, quo confirmaretur fides Patrum. Sicut nato Seth renouata eſt generatio ſanctorum, cūm tota poſteritas Cain oblita Dei ſuis cupiditatibus ferreretur: Ita hic nato Noē renouata eſt ſanctorum generatio: nam paulō antē deceſſerant Adam & Seth, & Enoch translatus erat, & ſicut Seth ā ponendo nomen eſt inditum, Dominus enim eſt qui ſemen ſanctum donat: Ita Noæ nomen inditum eſt ā fructu, quòd ipſe inter tot impios futurus eſſet qui conſolaretur ſanctos, conſeruaret uerbum & promiſſionem Dei, & confirmaret fidem expectantium ſemen, quo reſtitueretur uita.

CAPVT VI.

QVæ peccata diluuium præceſſerint textus hic exponit: Promiſcua libido atq; adeō luxus omnis generis, qui cum libidine coniunctus eſt. Sic enim inquit, acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant, id eſt, quotquot libebat corrumpebant. Et quia ſecum habet libido potiſſimum ſecuritatem cōtemtricem iudiciorum Dei, accuſatur hic quoq; ſecuritas & contemtus uerbi Dei,

Dei, cũm inquit, iudicabit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt, id eſt, uerbũ meũ non audient, nõ credent, non metuent, nõ mortificabuntur: & in Corinthijs huic peccato potiſſimum tribuit Apoſtolus, quõd carnaliores faciat, qui adhæret ſcorto, unum corpus eſt cum ſcorto: qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt cum Domino. Non peccabant tantum filij Cain generationis impiæ, ſed filij Dei, hoc eſt, filij generationis ſanctæ, & principes, ut iam propẽ in uniuerſum Dei memoria interiret. Opprimebantur inopes pro libidine potentiorum, nam hi gigantes erant. Terribiliſſimum omnium eſt, quõd octo tantũm animæ relictæ ſunt, quæ ſeruatæ ſunt.

Hæc conferre potes cum ſignis iudicij, dicit enim Chriſtus, edent, bibẽt, nubent &c. Hic primùm libidines & luxum notauit. Securitatem accuſat, cũm inquit, & non cognouerunt &c. Et Paulus, Cùm dixerint pax & ſecuritas &c. & de hypocriſi, duæ erunt molentes in una mola. Neglectum doctrinæ accuſat Apoſtolus in 2. Theſſal. de Antichriſto.

Non permanebit ſpiritus meus.

Genus humanum cur extinctum.

Videmus interpretis hanc fuiſſe ſententiam, breui futurum, ut aboleatur creatura, cùm uertit non permanebit ſpiritus meus in homine. Sed in Hebræis eſt, Non iudicabit, ut hic cauſam explicet cur extincturus ſit genus humanum, quia non ſit auditurus homo uerbum Dei, non ſit iudicaturus & mortificaturus carnem, ideo perdendum eſſe. Sicut & Matthæi 24. dicitur, Niſi abbreuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro.

Quia caro eſt.

Id eſt, tota nihil niſi carnalia ſapit & quærit.

Eruntq́ dies illius.

Id eſt, centum & uiginti annos permitto eis, quibus reſipiſcant interim, tũm perdam eos diluuio.

Videns autem Deus.

Tota caro damnata.

Duo potiſſimum loci hic conſiderandi ſunt, prior, ſit ne uniuerſalis ſententia & iudicium aduerſus omnes homines, quod ait: Videns Deus quõd multa eſſet hominis malicia in terra, & omne figmentum cogitationum cordis eorum uanum & prauum omni tempore. Deinde, ſi uniuerſalis eſt ſententia, quomodo Noë excipitur? Poſterior locus: quomodo cadunt in Deum uerba dolendi & pœnitentiæ.

Primõ, Vniuerſalem eſſe ſententiam, & iudicium uniuerſale aduerſus omnem carnẽ, apparet ex eo quod poſtea dicit, Omnis caro corruperat uiam ſuam. Et quia inquit, uidens Deus, neceſſe eſt uniuerſalem eſſe ſententiam, quòd uidere idem ſit quod iudicare. Nunc autem ſatis conſtat, quõd iudicio Dei tota caro damnata ſit.

Pſalmo centeſimo quadrageſimo ſecundo. Non intres cum ſeruo tuo in iudicium &c. Et uidemus Pſal. 13. hinc acceptum eſſe, Dominus proſpexit ſuper filios hominum.

Noë ab uniuerſali ſententia excipitur, non quõd ipſe non ſit peccator, aut non iudicetur, ſed quia ut textus inquit, Inuenit gratiam coram Domino. Id quod hoc loco animaduertendum eſt, quõd hoc exemplum ſecuti Prophetæ, damnant

damnant uniuersaliter omnes homines, & tamen postea excipiunt pios, quod sic accipiendum est, cùm damnant Prophetæ uniuersaliter omnes homines, damnari, quia & electi peccatores sunt, & antè iudicantur quàm iustificentur, & omnes sanctos oportet coram Deo fateri se esse peccatores, & resignare se uoluntati diuinæ, quæ pro sua gloria uel saluet uel damnet: Sic Hieremiæ quadragesimo sexto. Cùm damnasset omnes homines terror undiq; &c. adiecit tandem & de Israël, Te uerò non consumam, sed castigabo te in iudicio, nec quasi innocentí parcam tibi. Et prima Petri quarto. Iudicium incipit à domo Dei: Et si iustus uix saluabitur, impius & peccator ubi apparebit? Et ad Romanos primo, Reuelatur ira Dei, super omnem impietatem. Proinde hanc accusationem scias uniuersalem esse, non σωεκδοχικῶς ad impios tantùm pertinere, sed iudicari simul omnes homines, hoc est, & pios & impios, quia oportet humiliari omnia Deo, requirit enim & à sanctis timorem sui. Ita hoc loco cùm uidet, hoc est, iudicat omnium corda esse uana & praua, necesse est, ut fateatur Noë se quoq; talem esse, se quoq; mortem & exitium commeruisse, nec habet quod ipse præ cæteris præsumat. Nam & Dauid sic queritur Psal. 88. Memorare quæ mea substantia, nunquid uanè constituisti omnes filios hominum? Sed cùm iudicatur, seruantur pij, non operum merito, sed gratuita misericordia Dei. Ita hic de Noë dicitur, Inuenit gratiam coram Deo. Ad eum modum planè Esaiæ 1. scribitur, Omne caput languidum &c. quòd iudicium ad omnes pertinet. Et paulò post: Nisi Dominus feciſſet nobis reliquum semen, sicut Sodoma & Gomorra facti essemus.

Etiam electi peccatores sunt.

Consolationes sanctorum cũ iudicantur, nẽ desperent.

Pœnituit eum quod hominem &c.

Primùm omnium simpliciſſimè exposueris uerbum pœnitendi, si sentias idem esse quod mutare rem præsentem: ut cùm dicit Dominus, quòd pœniteat fecisse genus humanum, intelligas simpliciter, hanc creaturam odi, & sic odi ut nunc mutaturus sim, & perditurus genus humanum. Secundò, sicut in uerbo miserendi adfectus est beneuolentiæ paternæ erga eos quorum est misertus Deus: Ita hic in argumento iræ diuinæ, adfectus iræ, furoris, & similes, in uerbo pœnitendi comprehendi debent, Ita, ut sit pœnitere, rem præsentem mutare, & significatione iræ uel furoris sui mutare. Sic uti uerbo pœnitendi Scripturam satis liquet, Psalmo centesimo nono: Pœnituit eum secundum multitudinẽ misericordiæ suæ, id est, simpliciter adflictiones finiuit, & mutauit in consolationes. Et Hieremiæ uigesimo sexto. Pœniteat me mali quod cogitaui facere. Grammaticis uerbum pœnitendi displicere significat, id quod antea placuit, quo modo si hic exponas pœnitendi uerbum, redit res ad disputationem de prædestinatione. Sed quia in confesso est uerbo pœnitendi scripturam latius usam esse, scilicet mutare tantùm rem præsentem, satis fuerit id hic quoq; interpretari. Habes exemplum superius, Pœnituit secundum multitudinem misericordiæ suæ &c. Non enim antea sic intulit adflictiones, quasi parum prospiceret se aliquando mutaturum, nec finiuit sic, ut doluerit illatas adflictiones, quandoquidem per crucem humiliat, & ideo iudicat ne cum hoc mundo damnemur: quòd si sunt adflictiones bono electis, ergo non dolet adflixisse. Pœnituit scilicet declarauit Noë quòd perditurus esset genus humanum, tactus dolore intrinsecus, quia pœnitere cum dolore cordis mutare significat. Pœnitet enim me feciſſe eos, id est, muto factum, aboleo quod anteà feceram.

Pœnitere quòmodo accipiatur.

Noë verò inuenit gratiam.

Quanquam & ipse reus esset iudicij, & iam iudicaretur audiens uerbum & sententiam damnationis, tamen ereptus est gratuita misericordia Dei.

ARGVMENTVM IN ESAIAM PROPHETAM, PHILIPPI MELANTHONIS.

Cur missi Prophetæ.

CAusæ, cur & quomodo Prophetæ inde usq; ab initio generis humani missi sint, sumantur ab ipsa patefactione Dei, & promissione tradita, mox post lapsum primorum parentum. Sunt enim hæc summa Dei beneficia, quòd certis & illustribus testimonijs sese patefecit generi humano, & tradidit promissionem de Mediatore, per quem & propter quem generi humano iusticia & uita æterna restituenda esset. Hæc etsi multi fabulis poëmatum similia esse cogitant, tamen nos in Ecclesia scimus esse uera & certa & confirmata subinde illustribus testimonijs.

Estq; hæc præcipua causa, cur Prophetæ uocati & missi sint, ut per uiros antecellentes testimonia ostenderentur patefactionis diuinæ, & per eos renouaretur doctrina de Deo, & promissio de Mediatore repeteretur & illustraretur.

Et quanquam multa politica Prophetæ gubernarunt, ut Ioseph regnum Aegypti rexit: Samuel, Heliseus reges unxerunt, tamen hæc negocia non sunt præcipua pars Prophetici Ministerij, sed fuerunt occasiones miraculorum, in quibus Deus illustria testimonia de sese ederet. Multi ignari doctrinæ Christianæ, cùm audiunt nominari Prophetas, intelligunt tantùm gubernatores politicos, præstantes alijs consilio & felicitate, quales fuerunt apud Ethnicos Zaleucus, Solon aut alij legumlatores sapientes & felices.

Præcipuum munus Prophetarum.

Sed nos sciamus præcipuum munus esse omnium Prophetarum, inde usque ab Adam, ut per eos testimonia patefactionis diuinæ ostendantur, & renouetur promissio Euangelij, & tota doctrina de Deo repurgetur, & Ecclesia instauretur.

Testimonia & miracula de Prophetarum doctrina & uocatione.

Fiunt autem miracula, ut diuersis temporibus, ita & in negocijs diuersis. Seruari Noë familiam in diluuio, testimonium fuit & est omnibus seculis posteà, Deum uerè se patefecisse, & eius doctrinæ autorem esse, quæ Nohæ uoce propagata est.

Talia testimonia fuerunt, nasci Isaac ex matre sterili & effœta, prædictiones & tota gubernatio Ioseph in Aegypto, Eductio populi ex Aegypto, uictoriæ Iosuæ, in quibus Sol, omisso suo itinere, non progressus est biduo. Resuscitatio mortuorum facta ab Elia & Elisæo, Solis regressio tempore Esaiæ facta. Denicq; omnes mirandæ uictoriæ & liberationes factæ in gubernatione Prophetarum, testantur Deum se patefecisse & ueram esse Prophetarum doctrinam. Alijs temporibus aliæ fuerunt politiæ, & alij Prophetæ alijs maiores fuerunt. Sed tamen causa præcipua, cur missi sint, eadem est, idem ministerium & doctrina eadem est.

Quid sit Prophetia.

DEfinitio igitur Prophetæ teneatur. Propheta est persona immediatè à Deo uocata ad docendum Euangelium, & ad consilia certa politica, habens

bens testimonia diuina, quòd non erret. Iam hic initiò bonitatem Dei immensam consideres, ut ei gratias agas, quòd toties renouauit doctrinæ lucem. Vt in acie post alios manipulos alij collocantur, ita continua successione non longis interuallis, Prophetæ missi sunt, post Adam Seth, deinde Henoch, Matusalem, Noha, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moses, Iosuæ, & post hos alij, Deinde Samuel, Nathan, Dauid, Ahias Silonites, Elias, Elisæus. Post Elisæi mortem anni quinquaginta sunt aut circiter, usq; ad initia gubernationis Esaiæ. Ieremias, ut existimo, uidit Esaiam, Ieremiam uidit & audiuit Daniel; Atq; ita deinceps continuò aliqui fuerunt Doctores ornati singularibus testimonijs, alij alijs præstantiores.

Continua series & successio Prophetarum in Ecclesia.

Et, ut dixi, præcipuum munus fuit, repurgatio doctrinæ, postquam enim promissio post lapsum primorum parentum edita est, Deus immensa bonitate eam sæpè repetiuit, noua uoce edita, ut cùm ad Abrahæ semen restricta est. Deinde & illustrata est, ut de abolēdo peccato & morte, & de instauratione iusticiæ, & uitæ æternæ intelligeretur. Fulsit igitur singularis lux diuina in his Doctoribus, qui promissionem enarrauerunt, ut in priori Epistola Petri dicitur, de qua salute scrutati sunt Prophetæ, tempus considerantes, quod ostendit eis Spiritus Christi.

Præcipuum munus Prophetarum.

Sed interea, ut esset occasio miraculorum, & ut hospitia Ecclesiæ seruarentur, simul ad certa consilia gubernationis missi sunt Prophetæ, ut Nohæ mandatum est, ut arcam extrueret, in qua reliquias generis humani Deus seruari uoluit. Sic alij ad alia negocia sui temporis politiæ conuenientia uocantur, Dauid ad regnum uocatur, & ornatur illustribus miraculis, quæ sunt testimonia doctrinæ. Sic Esaias expressa Dei uoce mittitur ad docendum in populo Dei, etiamsi ex stirpe Iuda erat, non ex tribu Leui, & ad Regum consilia gubernanda, & ornatur ingentibus miraculis. Eo deprecante pro populo, urbs Hierosolyma liberatur obsidione, & ingens exercitus regis Assyrij Sennacherib trucidatur. Sol etiam omisso usitato itinere regreditur. His testimonijs confirmauit Deus doctrinam, quam Esaias propagabat, quæ erat, ut posteā dicam, enarratio promissionis de Messia.

Alterum munus Prophetarum gubernatio politica.

POstquam igitur in genere dictum est, quare & quomodo Prophetæ uocentur, & monui ordine singulorum tempora & politias considerandas esse, iam quo tempore, & in qua politia uixerit Esaias, & quarum calamitatum spectator fuerit, quid docuerit, & quid egerit, quæramus.

De Esaia Propheta.

Non longo tempore post mortem Elisæi uocatus est Esaias, regnante in Iuda Ozia, sub quo Amos prædixit exilium decem tribuum Israël. Ac ab initio prædictionis Amos sumtum esse numerum scribunt, qui recitatur Capite septimo Esaiæ his uerbis, Adhuc sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus. Constat autem Samariam deletam esse sexto anno regis Iuda Ezechiæ, Inde, cùm retro numeramus annos quinq; & sexaginta, peruenimus ad annum regis Oziæ uicesimum quartum, quo tempore Amos uaticinatus est, ad cuius uaticinium referunt eius numeri initium, ut suo loco copiosius dicetur.

Quo tempore Esaias uocatus.

Sed uocatum esse Esaiam regnante Ozia, manifestum est ex ipsis narrationibus Esaiæ. Inde annos amplius octoginta sub regibus Iothan, Achas, Ezechia, & spectator fuit ingentium calamitatum Israël & Iuda, & sua uoce Ecclesiam fouit, & multa consilia publica gubernauit.

Esaias docuit annos amplius octoginta.

Prophetæ Esaiæ contemporanei.

Nec solus fuit doctrinæ & prædictionum testis, sed eadem ætate uixerunt Ionas, Amos, qui prius uocati fuerunt ad sua misteria, & deinde Micheas.

Calamitates tempore Esaiæ.

Vidit autem Esaias bella ciuilia in decem tribubus, cùm breuibus interuallis subinde alij regnum inuaderent, qualia certamina omnium regnorum interitus antecedunt. Vidit à regibus Assyrijs duobus Tiglat Phul Assur, & deinde à Salmanassar dilacerari & dissipari decem tribus Israël. Nihil autem tristius in uita hominum cogitari potest dissipatione gentium, euersis politijs, in quibus uel mediocris disciplina fuit. Ac doloris sui magnitudinem Prophetа significat in crebris & lugubribus deplorationibus harum miseriarum. Vidit interea & in Iuda regem impium & infelicem Achas, quo regnante Hierosolyma cincta est obsidione à rege Syriæ, & à rege Israël, quo tempore & regis hypocritæ impietas & stultitia auxit dolorem Esaiæ.

Achas non obtemperat Esaiæ.

Cùm enim suaderet Esaias, ne Achas fœdus faceret cum rege Assyrio, & ostenderet Deum affuturum esse quiescenti & non mouenti bellum, Achas diffidens Deo, & humana præsidia contra uocem Prophetæ quærens, præbuit occasionem maioribus malis, quo in loco apud Esaiam in Capite septimo insignis doctrina est, ut in aduersis rebus simus quieti, id est, non moueamur impatientia, ut confugiamus ad auxilia inconcessa, aut ordine non probato quæramus humana præsidia, sicut nostra ætate uidimus in Pannoniam accersi Turcica auxilia, uidimus & alibi fiducia fœderum moueri bella, quæ uitari poterant. Ac sæpè fit in publicis & priuatis calamitatibus, ut errent homines impatientia, ubi augent mala medicando, quæ facilè sanarent, si quiescerent, sed hæc suo loco dicentur.

Secunda obsidio Hierosolymæ tempore Esaiæ.

Vidit postea Esaias alteram obsidionem Ierosolymæ, cùm Senacherib rex Assyrius, multò potentior patre, uastata magna parte Iudææ, accessisset ad urbem Ierosolymam. Hic ualuit Prophetæ uox & consilium, Et Deus hac miranda liberatione testimonium dedit doctrinæ Esaiæ.

Cur Deus per Esaiam uoluerit edi miracula.

Postea accessit aliud testimonium, uidelicet Solis regressio, & consentaneum est in tàm longa gubernatione multos mirabiles euentus fuisse consiliorum Esaiæ, quos Deus exhibuit, & ut interea hospitium Ecclesiæ his consilijs seruaret, & ut ostenderet non esse felicem gubernationem solius humanæ sapientiæ, sine uoce prophetica, & sine inuocatione Dei, & ut testimonia doctrinæ ederet.

Esaiæ pericula & uitæ exitus.

Cùm autem dissimiles Reges habuerit, necesse est eum magna pericula & certamina sustinuisse. Etsi autem de morte eius nihil narrat historia in libris Propheticis, tamen scribunt Epiphanius & Hieronymus, à Rege impio Manasse interfectum esse, ac serra dissectum. Quare autem & tota Ecclesia subiecta sit cruci, & cur uelit Deus summos Doctores sustinere tristissima supplicia, sæpè aliàs exponendum est. Nos enim uult similes fieri imagines Filij sui, & tali morte testari se doctrinam non uoluptatis aut utilitatis suæ causa profiteri, nec simulatam esse assensionem, sed cùm confessionem uitæ antetulerunt, ostendere, se uerè timere iudicium Dei, ac sentire uera esse quæ docent.

HActenus de tempore dixi, quo uixit Esaias. Nunc de toto genere doctrinæ dicendum est, quas materias docuerit & illustrauerit, ut ipsius operis argumen

gumentum teneatur. Vna & perpetua uox est ministerij Euangelici, inde usque à prima concione post lapsum Adæ, uidelicet prædicatio pœnitentiæ, arguens peccatum, & deinde promissio remissionis peccatorum & reconciliationis.

De genere doctrinæ & argumento concionum Esaiæ Prophetæ.

Quare præcipuæ conciones in Esaia hæ sunt, grauissimæ accusationes peccatorum multiplicium, & certæ prædictiones horribilium pœnarum. Et econtrã consolationes, quæ repetunt & illustrant promissionem de Messia, & affirmant remitti peccata agentibus pœnitentiam, & mansuram esse Ecclesiam, narrant quales futuri sint exitus calamitatum.

Hic inseruntur uaticinia de multorum regnorum euersione, quæ propter duas causas recitantur. Primùm ut Ecclesiæ consolatio proponatur, ne existimet Deo magis placere florentia imperia, quæ defendunt idola, quàm hunc paruum & ærumnosum cœtum custodem doctrinæ cœlestis. Altera causa est, ut hæ ipsæ prædictiones de ruinis & successione imperiorum testentur doctrinam Prophetarum ueram, & à Deo traditam esse. Cùm enim respondent euentus, qui à nulla creatura prospici poterant, manifestum est ã Deo monstratos esse, & uocem Prophetarum diuinam esse. Imò nulla doctrina ullius gentis aut religionis unquam seriem Monarchiarum ita complexa est, sicut solius Ecclesiæ doctrina. Hoc signo confirmamur, ut alijs miraculis, ut firmius statuamus, doctrinam Ecclesiæ ã Deo traditam esse.

Vaticinia de euersione regnorum, cur à Prophetis rẽ citentur.

Nec in accusatione peccatorum arguunt Prophetæ tantùm scelera, quæ humana ratio iudicare potest, ut tragœdiæ. Etsi enim aliqua est similitudo prophetic orum scriptorum & tragœdiarum, tamen ingens discrimen est. Prophetæ taxant uicioſos cultus Dei, & interiora mala humani cordis, ignorationem Dei, securitatem carnalem, hypocrisin, fiduciam propriæ sapientiæ, iusticiæ, potentiæ & alia arcana uicia.

Discrimen inter reprehensiones uiciorum, quæ à Prophetis & quæ à tragicis scriptoribus fiunt.

Differunt etiam prædictiones pœnarum. Tragœdiæ uaticinantur ex communi lege, quæ affirmat atrocia scelera puniri præsentibus pœnis: Sed Prophetæ aliquoties modum & tempora pœnarum prædicunt.

Differunt & Prophetarum scripta à Tragœdijs consolatione, quia in tragœdijs aut nullæ consolationes proponuntur, aut tantùm philosophicæ, quę non ostendunt auxilium, nec dicunt, quomodo aut quando penitus tollatur malum, sed iubent moderatè ferri dolores. At in concionibus Prophetarum exponuntur causæ, quare Ecclesia cruci subiecta sit, & adduntur consolationes ueræ & efficaces, recitatur & illustratur promissio de Mediatore, de remissione peccatorum, de conseruatione Ecclesiæ, de præsentia Dei in Ecclesia, exaudientis nos & mitigantis pœnas in hac uita, ut seruet Ecclesiam, & de donatione uitæ & gloriæ æternæ, in qua prorsus tolluntur omnia mala.

CVm autem singula membra Ecclesiæ Dei necesse sit tenere fundamentum, id est, articulos fidei omnes, quærenda sunt de singulis articulis Prophetarum testimonia, & apud Esaiam, cùm sit copiosus, extant præcipuorum articulorum omnium illustria testimonia.

Testimonia de præcipuis articulis doctrinæ cœlestis in Esaia.

De unitate essentiæ Dei Cap. 43.

De natura diuina in Messia Cap. 9. Vocabitur nomen eius Deus fortis, Pater æternitatis.

De Spiritu sancto Cap. 44. Effundam spiritum meum super semen tuum.

De natura humana in Messia Cap. 7. Ecce uirgo concipiet, & pariet Filium. Idem locus testatur matrem esse uirginem.

Deinde de morte Messiæ, & causis, cur fiat uictima. Item de resurrectione concionatur totum Caput 53.

Deinde de Ecclesia collecta ex Iudæis & Gentibus, & qualis cœtus sit Ecclesia, & quòd semper mansura sit, repetuntur conciones in multis Capitibus 54. & 55. Item 59. & 60.

Item de beneficijs Messiæ, & de remissione peccatorum Cap. 61.

De restitutione uitæ æternæ Cap. 25.

De præmijs & pœnis æternis Cap. 66.

Vtilissimum est autem meminisse in singulis testimonijs ipsa Prophetæ uerba, in quibus amplissima doctrina continetur, quam nunc in Præfatione complecti nimis longum esset. Sed cùm ad singula ueniemus, addenda erit expositio.

Vnam esse doctrinam Ecclesiæ Dei omnium seculorum

Nunc recito hunc admonitionem, ut recentes Lectores sciant, eandem esse uocem ueræ Ecclesiæ omnium seculorum, & idem Euangelium, & congruere uocem Prophetarum cum uoce Filij Dei & Apostolorum, nisi quòd Prophetæ de uenturo Messia concionantur, Apostoli de exhibito, Cætera sunt eadem.

Vaticinia de imperijs.

Intexit autem uaticinia de imperijs, ut, sicut suprà dixi, consolationem hanc teneamus, mansuram esse Ecclesiam, etiam ruentibus imperijs, & expressè trium Monarchiarum mentionem facit, Babylonicæ, Persicæ & Græcæ. Et prædicit Babylonijs & Assyrijs regibus exitium, & imperio potituros esse Medos & Persas. Deinde Macedonas, quos nominat Cithim, et Græcos, quos nominat Dodanim, id est, Dodoneos.

Cur series Monarchiarum à Prophetis recitetur.

Series autem Monarchiarum in Prophetis ideo recitatur, ut tempus certum significaretur aduentus Messiæ, præterire enim has Monarchias Babylonicam, Persicam & Græcam oportuit, postea uenturus erat Messias. Et consolatio proponitur infirmissimæ genti, inter tantas ruinas maximorum imperiorum mansuram esse politiam Mosi, & sedem Ecclesiæ ac doctrinæ certam fore in Iuda, donec Messias ipse in eo templo concionaretur.

Consolatio, Ecclesiam esse mansuram.

Hæc consolatio quàm grata fuerit pijs, intelligere possumus ex nostra sollicitudine de posteritate. Scimus mansuram esse Ecclesiam, sed ubi mansura sit, angimur. Tribus Iuda sciebat in sua posteritate, & in hoc ipso uestigio, in Zion, mansuram esse, etiamsi interuenerunt exilia & multæ clades.

Numerus annorum.

Sunt autem anni à morte Oziæ ad natalem Christi 776. ad resurrectionem uerò anni 809. ac numerus significatus est Capite nono in literis uocabuli Lemarbeh hammisrah.

Non licet nisi uocatis docere in publico.

POstquam autem de doctrina Prophetica dictum est, iam & accommodatio ad uirtutes consideretur. Fungitur munere Prophetæ, sed manifesta uoce Dei uocatus. Et Deus ornat eum miraculis, ut extent testimonia uocationis & doctrinæ. Hinc discendum est, ne ad gubernationem sine uocatione accedamus.

Fides Ecclesiæ

Deinde lucet fides in uera inuocatione, in reprehensione falsorum cultuum, in illustratione doctrinæ, in consilijs gubernationis, in expectatione auxilij

xilij diuini, in prohibitione fœderum, & reprehendenda πολυπραγμοσύνη, quæ oriebatur ex diffidentia. Quia enim Reges erant impij, & solis humanis consiliis munire se uolebant, ideo passim discurrebant, nunc ab Aegyptijs, nunc ab Assyrijs petebant auxilium, à quibus fallebantur.

Ac dissimilis est gubernatio Prophetica à gubernatione Ciceronis aut Themistoclis. Cicero tantùm humana consilia sequitur, & quærit humana præsidia. At Propheta manet intra metas mandatorum diuinorum, & exitus Deo commendat & fide expectat à Deo auxilium. Cumq; adsit Deus in tali gubernatione, euentus sunt felices. Hoc discrimen ostendit, inquiens Cap. 30. In silentio & spe erit fortitudo uestra. *Discrimen inter gubernationem piorum & impiorum.*

Præterea in cruce tolerantiam & constantiam confessionis & præstat Propheta, & præcipit, ut Cap. 51. inquit, Ne timete probra hominum. *Patientia Ecclesiæ.*

Præmonet etiam posteritatem de futuris tenebris in Ecclesia, & orat, ne lux doctrinæ prorsus extinguatur, ut Cap. 29. & Cap. 64. Et nunc Domine Pater noster es tu, nos uerò lutum. Ecce respice, populus tuus omnes nos.

Hactenus utcunque expositi argumentum uniuersi operis Esaiæ, ut quæ sit principalis materia & propria Prophetæ, ac discernenda à Philosophicis adhortationibus, consideretur. Deinde uerò addam singulorum Capitum argumenta.

ARGVMENTVM PRIMI CAPITIS.

INitium est titulus, quia non uult Deus extare in Ecclesia libros sine certis autoribus: Sed ideo uocat Prophetas & Apostolos, & ornat eos testimonijs, ut sciamus, unde & per quos accepta sit doctrina. Necesse est igitur præponi titulos.

Exordium autem ualdè grande est, Audite cœlum & terra, quia Deus uult exaudiri suam uocem à toto genere humano, & uult Ecclesiam in mundo notam esse, ut scriptum est, In omnem terram exiuit sonus eorum. *Exordium Esaiæ Prophetæ*

Est autem totum primum Caput concio pœnitentiæ. Arguit peccata, & præcipuè idolorum cultum, & falsas opiniones de sacrificijs. Et huic accusationi intexta est querela, quòd latissimè uagentur peccata, & paucissimi reliqui sint rectè sentientes & rectè inuocantes Deum. Hæc pars simul testatur exiguam esse ueram Dei Ecclesiam, & tamen aliquas manere ueras reliquias. Ideo dicit, Nisi Deus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma & Gomorra essemus. *Summa primi capitis.*

Postea addit accusationi promissionem de remissione peccatorum, cuius declaratio copiosior sumenda est ex alijs locis, in quibus sunt conciones de Messia, quæ affirmant propter hanc uictimam, & non propter alia opera & sacrificia dari remissionem peccatorum. Hic tantùm in genere loquitur de conuersione ad uerum Deum, scilicet, quem adprehendi necesse est per promissionem & agnitionem Messiæ, Desinite peruersè agere.

Est autem illustris pictura in hac parte, in qua recitatur promissio, Si peccata uestra fuerint ut coccinum, sicut nix dealbabuntur, & si fuerint rubra ut uermiculus, eritis candidi ut lana.

Cruentus. Cruentum esse est reum esse, ut cruentus sit latro in supplicio, cũm caput præciditur. Sic igitur dicit, Etiamsi rei estis, & tristissimæ pœnæ uos oppressurunt, tamen si conuertimini ad Deum, remittentur peccata, & pœnæ tollentur aut mitigabuntur.

Coccinum. Vermiculus. Coccinum significat purpureum colorem. Idem significat uermiculus, quia κόκκος βαφικὴ est granum in ilice nascens, quod in uermiculum uertitur, quẽ uocant σκωλήκιον. Inde color est coccineus, & putant uocabulum Scharlach ã Græca uoce σκωλήκιον factum esse. Sed tota imago pulcrẽ ad Filium Dei quadrat, is fit pro nobis cruentus uermiculus, ut nostra peccata tollat.

Christus uermiculus cruentus.

IN CAPVT ESAIÆ SECVNDVM.

INitium est consolatio. Est enim promissio promulgationis Euangelij & incoationis Ecclesiæ æternæ quæ fiet in hoc ipso monte Zion. Mansura est igitur posteritas Abrahæ in hoc loco, & mansura hæc politia, donec fiant hæc quæ prædicit.

Congruit autem hæc Prophetia ad uerbum cum dicto Psalmi, Virgam uirtutis tuæ emittet Dominus ex Zion. Ita hic dicitur, Ex Zion egredietur Lex. Mentio fit certi loci, & hæc tota politia Mosaica ideo constituta fuit, ut ibi repeterentur promissiones additis illustribus testimonijs miraculorum, & ibi certõ exhiberetur Messias. Vult enim Deus certam esse Ecclesiam de Messia & de Euangelio. Ideo certo loco patefactiones fieri miranda bonitate uoluit.

Cur certi loci Zionis mentio fiat.

Quõd uerõ dicit, Conflabunt gladios in uomeres, discrimen indicatur inter uetus & nouum Testamentum, quasi dicat, In nouo Testamento non constituetur mundana politia, ut Iudæi putabant, Sed incoabitur uera agnitio Dei, & iusticia, & uita æterna, in qua erit pax perpetua & consuetudo cum Deo. Nec erit similis uita huic politicæ & mortali uitæ.

Discrimen inter uetus & nouum Testamentum.

Reliqua pars secundi Capitis est prædicatio pœnitentiæ, arguens cultum idolorum, & magicas diuinationes, Econtrã uerõ prædicit fore iudicium, in quo Messias iudicabit & delebit omnes impios, & omnes creaturæ agnoscent solum hunc Deum uerẽ Deum esse, qui se patefecit datis promissionibus in populo Israël. Ideo dicit, In die illa exaltabitur Dominus solus.

IN TERTIVM ET QVARTVM CAPVT ESAIÆ.

CVm narratio continua sit prædictionum in tertio & quarto Capite, quarum altera concionatur de excidio Ierosolymæ & fine regni, & politiæ Mosaicæ, altera promissionem dulcissimam repetit de seruandis reliquijs in Ecclesia Dei, sicut suprã dictum est, Prophetas non solũm proponere comminationes, sed etiam consolationes, necesse est hæc duo Capita coniungi.

Et quanquam hæc concio præcipuẽ loquitur de ultimo excidio, & de collectio-

collectione Ecclesiæ facta uoce Apostolorum, tamen uniuersaliter ad pœnas eius populi, & ad nostras comminationes accommodanda est, quia similes causæ sunt, & similes uiæ interitus omnium imperiorum, durant aliquantisper, donec adhuc multi Deum rectè inuocant, & donec gubernatores puniunt scelera, deinde cum numerus rectè colentium Deum fit nimis paruus, & iam gubernatores certa genera scelerum magnorum non puniunt, tales ciuitates Deus euertit, Sicut hoc loco dicitur, Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Hic enim accusat hunc ultimum gradum, scilicet impunitatem, quæ auget licentiam, & magis magisque disciplinam laxat.

Comminatio ad omnes pertinens.

Causæ interitus imperiorum.

Quanquam enim semper in quacunq; frequentia hominum multa sunt uicia, & multi tetri lapsus, tamen donec manet disciplina, id est, gubernatorum seueritas, & coërcet petulantes, & punit lapsus & contumaciam, tantisper Deus parcit ciuitatibus. Sed quando uentum est ad hunc gradum, ut impunitas licentiam confirmet, & iam petulantia penè ducatur esse uirtus, hic statim Deus ipse est uindex, & horrendis modis punit totas gẽtes, Vt quia Principes in tribu Beniamin nolebant punire eos, qui Leuitæ coniugem compressam interfecerant, exarsit ira Dei, sic, ut ferè tota tribus deleta sit. Et regula est, cùm Magistratus non punit atrocia scelera, pœnæ publicæ diuinitus Magistratum & populum opprimunt, ut ut Deut. 19. dicitur, Non misereberis eius, ut bene sit tibi.

Impunitas scelerum irritat Deum & accelerat pœnas

Sunt autem initia ruinæ ciuitatum uniuersaliter talia, ut primùm orbatæ ciuitates uel gentes sapientibus gubernatoribus, tumultuentur inter sese, uel irritent alios. Ideo hic talis pœna describitur, Auferet Dominus fortes & sapientes. Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eorum.

Initia ruinæ ciuitatum.

Deinde sequuntur seditiones, ut hic dicitur, Corruet uir ad uirum. Erunt diuersæ factiones, & quærent diuersos duces.

Et cùm in his certaminibus utrinq; uires labefactatæ sunt, postea uel sine externis hostibus dissipantur, uel opprimuntur ab externis hostibus, ut Græcia oppressa est à Turcis, cùm duo fratres inter se de imperio certarent. Et similia exempla multa sunt omnium ætatum.

Palæologi.

Repetit autem Propheta subinde easdem conciones & comminationes. Et quia plerunq; principes & sapientes uolunt perhiberi iusti, & accusari nolunt, ac de populi stulticia & peccatis queruntur, nominatim inserta est accusatio principum. Dominus ad iudicium ueniet cum senibus populi sui & principibus, Vos estis uastatores uineæ meæ, sicut & in tertio capite Micheæ dicitur, Propter uos Zion quasi ager arabitur.

Videmus nunc quoq; tantum miseræ & indoctæ plebeculæ uicia & delicta accusari, cùm longè maiora sint principum & sapientum, & doctorum peccata. Hi audacissimè corrumpunt doctrinam de Deo, & inflectunt religiones ad suas cupiditates, stabiliunt idola, & confirmant errores & multiplicia peccata. Et talia consilia nominant sapientiam salutarem patriæ, dicunt se neruos pacis & bonæ gubernationis tueri. Sed Deus hos prætextus haud dubiè iudicabit, iuxta secundum mandatum Decalogi, Non erit impunitus, qui nomen Domini uanè usurpat. Et infrà dicit Esaias, Væ uobis, qui malum dici tis esse bonum.

Principum peccata.

Doctorum peccata.

Post

Post accusationem uirorum & mulierum, & postquam pœnas & calamitates utriscp, & excidium Hierosolymæ denunciauit, addit consolationem, ut suprà dictum est, Prophetas non tantùm denunciare calamitates, sed etiam addere promissiones de reliquijs Ecclesiæ seruandis. Ideo tristissimæ concioni addit postea dulcissimam promissionem, quæ adfirmat inter has tantas clades, tamen Deum immensa misericordia seruaturum esse aliquos cœtus.

Promißio de seruanda Ecclesia.

Quanto in dolore nunc sunt multi mediocres homines, qui uident subinde nouas dissipationes fieri, & paulatim tenebras & barbariem crescere? Hinc Turci, alibi Pontifices & Reges opprimunt ueram doctrinam, & inter imperiorum tumultus studia doctrinæ languefiunt, & insuper fiunt uariæ distractiones Ecclesiarum & docentium, iuxta tristissimam Esaiæ querelam, Iniquitates nostræ ut uenti dissipauerunt nos.

Quanquam autem manifestum est, humana consilia non posse his tantis malis mederi, tamen speremus Deum collecturum esse aliquos cœtus, & hac spe studia doctrinæ colamus. Sciamus etiam in illis ipsis gentibus manßuras esse Ecclesiæ reliquias, ubi pia doctrinæ studia erunt. Quia Filius DEI est custos Ecclesiæ, & semper aliquos cœtus colligit. Hunc modum liberationis hic quoq; recitat Propheta, & beneficia præcipua nominatim commemorat.

Primùm, inquit, in illo ipso excidio, tamen seruabuntur aliquæ reliquiæ per Messiam, qui est germen Domini. Hoc germen Filius Dei, seruabit aliquos cœtus, & agnoscetur ab eis, & erit eis gaudio, & uicissim celebrabitur ab eis.

Meßiam seruaturum aliquas reliquias ex excidio Hierosolymitano. Consolatio.

Hæc etsi de tempore prædicationis Apostolorum hic dicuntur, tamen liberationes similes sunt, Ipse filius Dei sedens ad dexteram æterni Patris, seruat aliquam partem generis humani, & colligit aliquos cœtus, nec finit funditus deleri totum genus humanum. Vicissim autem in seruatis reliquijs sonat uox Euangelij, qua noticia eius propagatur, & ei gratiæ aguntur.

Qualis est autem liberatio? Est remissio peccatorum, sanctificatio, gubernatio, & defensio diuina, Ideo in textu dicit, Dominus abluet sordes filiorum Zion.

Liberatio Meßiæ qualis.

Affirmat igitur annunciandam esse remissionem peccatorum, & cum hac fit sanctificatio, id est, conuersi ad Deum, sunt iam uerè sanctus & Deo dicatus populus, sunt custodes uerbi Dei, & eum agnoscunt, & seruiunt ei ueris officijs & ueris cultibus, & quidem purificantur ab eo, per Spiritum sanctum, ut ibi dicit, spiritu ardoris & iudicij, id est, spiritu iudicante & tollente carnales opiniones & cupiditates.

Populus sanctus.

Quæ sequuntur, perpetuam defensionem & gubernationem significant, & sumta est descriptio à typo, ã defensione populi in deserto, qui interdiu tegebatur nube, & noctu lucentibus flammis circumdatus erat.

Hæc pictura dulcissimam consolationem proponit, & quidem commonefacit nos simul de magnitudine miseriarum & periculorum, & de defensione. Deus est ignis consumens, ut in Mose scriptum est, Nec iram & iudicium eius sustinere Ecclesia posset. Ideo nube tegimur, & Filius Dei umbraculum est inter Deum iudicantem & nos. Dulciter fouemur, ne consumamur horrenda ira Dei.

Consolatio pro populo.

Filius Dei umbraculum Ecclesiæ.

Deinde oppugnatur Ecclesia ã Diabolis, à tyrannis, & premitur inter commu-

communes calamitates generis humani, & inter tumultus imperiorum. Sed tanquam flammeo muro cincta est, ne Diabolus & Tyranni sæuire in eam possint, ut furenter cupiunt. Et tota hæc defensio comprehensa est in dicto Christi, quo nos dulcissimè consolatur, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Filius Dei custos Ecclesiæ.

Sed quoties has promissiones legimus, audimus, cogitamus, quas quidem propter assidua pericula semper in conspectu esse oportet, simul doctrinam de fide & spe complectamur.

Non satis est audire promissionem, Sed nostræ mentes fiducia filij Dei, faciant inuocationem, ardenti fide petant gubernationem & defensionem, & constanti spe eam expectent, Et intuentes in Filium Dei, qui nobis umbraculum est, & flammeus murus, uincamus dubitationes, metum, dolores nostros, & statuamus nos ab ipso seruari, regi & protegi. Et hac fide & spe constantes simus in confessione & omnibus officijs uocationis nostræ.

In reliqua Capita desiderantur argumenta.

FINIS.

ARGVMENTVM IN IEREMIAM PROPHETAM, PER PHILIPPVM MELANTHONEM.

ARgumentum complectitur multos grauissimos & utilissimos locos, quorum præcipuos ualdè prodest semper in conspectu habere in tota lectione Prophetæ.

I.

PRimus locus & præcipua pars Argumenti.

Summa prophetiæ principalis est, exemplum seruatæ Ecclesiæ, mirabili & nouo modo, in populo Iuda, & promissionum mirabili modo & fide expectandarum, non sicut iudicat humana ratio.

Quod enim exemplum seruatæ Ecclesiæ nouum sit, res ostendit. Superiores Duces & Prophetæ seruauerunt populum glorioſis uictorijs, ut Moses, Iosua, Samuel, Dauid, Esaias. Sed hic Ieremias seruat populum suadendo deditionem, quæ uidebatur excidium populi. Quomodo enim sperari potuit reditus ex dissipatione totius gentis? Aut quæ unquam gens dissipata, in ulla Historia, ueteres sedes post tàm longum tempus recuperauit? Ac profectò recuperatio maius est miraculum, quàm prima occupatio.

Deinde, quàm difficilè fuit suadere deditionem, cùm post deditionem Regis Iechoniæ intercederent anni undecim usq; ad obsidionem. Interea qui manserant reliqui, execrabantur Prophetam, Et dicebant eum errasse, & esse impostorem, Pseudoprophetam, Ipse tamè manet in sententia cõtra omnium iudicia, & contra illam euentuum speciem. Hæc quàm sint difficilia in tantis rebus, ubi regnum, patria, populus Dei, templum, cultus, sunt in extremo discrimine, cogitari à prudentibus utcunque possunt, uerbis explicari non possunt.

DE

DE PROMISSIONIBVS.

MAximē autem urgebatur Ieremias oppositis promissionibus. Non auferetur Sceptrum de Iuda, donec uenerit Siloh. Item, Hunc cultum, hoc templum mansurum esse usq; ad Messiam.

Hic Ieremiæ fuit opus spirituali sapientia, interpretante promissiones.

Abrahæ posteritas.

Præstat eas Deus, sed non more cogitato ā ratione humana. Dat Abrahæ posteritatem, sed non more cogitato ab ipso. Ita seruat Deus hunc populum & cultum, sed non ut cogitabat humana ratio. Prius uniuersam gentem dissipat, Templum funditus euertit, cultum abolet, Et tamen reducto populo, præstat promissionem.

Apostolis promissa Ecclesiæ conseruatio.

Hæc discenda sunt, ut uerbum Dei omnibus euentibus & nostris consiliis & cogitationibus anteferamus. Apostolis promissa erat Ecclesiæ conseruatio. Ipsi & auditores trucidantur, et tamen interim propagatur, & magis magisq; floresçit Ecclesia. Ita in omni uita cogitemus, promissiones mirabiliodo præstari.

Moses.

Moses nequaquam cogitauit se quadraginta annis in deserto uagaturum esse. Quām multi interim desperauerunt & execrati sunt Mosen, tanquam impostorem, seditiosum & tyrannum. Et tamen Deus tandem perficit, id quod per Mosen incoarat.

Hoc exemplum diligenter obseruandum est, quōd Deus promissiones præstet, aliter quām humana ratio cogitat.

SECVNDVS LOCVS.

Promißiones de Meßia.

HVic interpretationi promissionum temporalium de reductione, adiscentur etiam promissiones de Messia. Sicut alioqui constat omnes temporales referendas esse ad hanc de Messia, quæ est principalis. Et est doctrina de iusticia fidei, & de nouo & perpetuo Testamento.

Deus iustificator noster.

Prædicat igitur Ieremias, ut omnes Prophetæ, partim Legem, partim promissiones de iusticia promissa propter Messiam, cuius nomen ponit, Deus iustificator noster, nam hoc est potissimum officium Prophetarum, de uenturo Messia & eius beneficijs concionari.

TERTIVS LOCVS.

Peccata à Ieremia allegata.

TOta Prophetia horrendum exemplum est pœnæ impiorum Pontificum, Regum & omnium in Ecclesia defendentium idolatriam. Item adulteriorum, & uiolationis Sabbati, id est, contemti ministerij. Nam hæc peccata allegat Ieremias.

Imago Ecclesiæ postremi temporis.

Ista est haud dubiē imago postremi temporis in Ecclesia, Punietur orbis terrarum propter idolatriam, libidines & contemtum ministerij Euangelij.

QVARTVS LOCVS.

Persona Prophetæ.

IPsa persona Prophetæ est egregium exemplum totius gubernationis Ecclesiæ & ministerij Euangelij & ipsius Christi. Quōd uidelicet Ecclesia regatur,

Ecclesiæ gubernatio, liberatio, conseruatio.

liberetur & seruetur, non humana potentia, sed diuina, per infirmos, ideoq; per infirmos tantæ res geruntur, ut agnoscatur Dei potentia, ut apud Paulum dicitur, Virtus mea in infirmitate tua perficitur.

Ieremias rem maximam gerit, & quæ superat omnia humana consilia,

Suadet

Suadet Regi & populo, ut faciant deditionem, contra omnia superiora exempla magnorum Ducum & Prophetarum. Et hoc nouo modo ait futurum, ut seruentur regnum, cultus & populus, Concionatur etiam contra impios cultus & alia scelera. Denicq; per ipsum seruatur populus.

Res à Ieremia gestæ.

Impij cultus.

Interim qualis est eius persona? Annis quadraginta uagatur, sicut erro, deridetur ut fatuus, includitur carceri, eximitur, rursus includitur. Non facit subita miracula glorioſa, ut Esaias aut Elias, aut Elisæus, Sed uidetur infirmus, cùm per eum Deus res maximas gerat ac seruet electos.

Persona Ieremiæ qualis.

Hoc exemplum nobis considerandum est, ut discamus non nostra sapientia, nostris consilijs Ecclesiam regi posse, sed tantùm diuinis, & nostras ærũnas boni consulamus, nec desperemus propter potentiam aduersariorum.

Quomodo Ecclesia regatur &c.

QVINTVS LOCVS.

VTile exemplum est, in quo discimus Ecclesiæ regimen dissimile esse humano. In regimine humano plus ualent suffragia maioris partis, In Ecclesia plus ualet unus uir habens uerbum Dei, ut Ieremias contradicit Regibus, Pontificibus, Sacerdotibus, & maiori parti populi.

Regimen humanum. Ecclesia.

Ac maximè nos hoc tempore confirmat contra iudicia Papæ, Episcoporum & totius ordinariæ potestatis, cùm sic clamant, nos dissentire ab Ecclesia, quia dissentimus à maiori parte & ordinaria potestate. Intueamur Ieremiam, & ab ipso discamus anteferendum esse mandatum Dei autoritati Pontificum & Episcoporum. Est quidem durum dissentire à legitima potestate, quæ se ornat promissionibus Dei. Sed exemplum Ieremiæ ualdè consolatur nos, quod est illustre. Nam hic Propheta acerrimè aduersatus est suis regibus & Pontificibus, non solùm de migratione, sed etiam de cultibus, Sicut nos cum Pontificibus litigamus.

Iudicium Papæ contra nos

Ieremias opponit se Pontificibus &c.

Antea dictum est de mirabili conseruatione & gubernatione Ecclesiæ. Nunc etiam Prophetæ persona consideretur, Non solùm docet, prædicit exitus, terret impios, consolatur pios, & regit eos suo consilio, sed etiam sustinet personam alteram, sæpè orat pro populo, ita fungitur integro munere sacerdotis, Et in his precibus sunt acerbissimæ querelæ & sensus iræ Dei.

Ieremias non solùm docet &c. sed etiam orat pro populo.

Hæ sunt Propheticæ tentationes, in quibus degustant Prophetæ passiones Christi, quas etiam significant hi terrores. Ipsi enim agnoscunt iram Dei aduersus peccatum, sentiunt Deum horribiliter irasci idolatriæ populi, audaciæ Hypocritarum, qui falsa docebant, & iactitabant se Prophetas esse diuinitus missos. Item in uniuersum prophano contemtui Dei, Deinde uident & sustinent immunditiem, metuunt se unà abijci cum populo, metuunt tantam esse iram, quæ absorbeat uniuersam Ecclesiam, ne reliquiæ ullæ seruentur. Sicut in diluuio, in conflagratione Sodomæ, in perditione Aegypti, postea in deletione Cananæorum. Hæc exempla habent Prophetæ ob oculos, & lugent ac clamitant, ne funditus deleatur Ecclesia, ne ipsi unà pereant.

Prophetæ tentationes.

Diluuium, conflagratio Sodomorum, perditio Ægypti, deletio Cananæorum.

Hinc sunt hæ uoces Capituli 10. Corripe me Domine, ueruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me, effunde indignationem tuam super Gentes &c.

Ex his exemplis multa discimus, uidelicet, debere nos affici communi luctu pro peccatis populi, & simul agnoscere immunditiem. Nunc quoq; grassantur peccata atrocissima idolatriæ, blasphemiæ, prophanæ opiniones, &

Peccata, quæ hodie grassantur.

turpitudo omnis generis. Hęc non aſpiciamus ſine dolore, ſine metu horrendæ iræ Dei, Cogitemus impendere pœnas, & deprecemur, ne funditus omnes pereamus.

Eccleſiam caſtigari.

Eſt etiam doctrina conſideranda in ipſa precatione, Oportet Eccleſiam caſtigari, ſicut hic dicit, Corripe me &c. Idem dicit Cap. 31. Caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum quaſi iuuenculus indomitus. Et hæ caſtigationes non ſunt leues, ſed uidentur ſignificare prorſus nos abiectos & damnatos eſſe ā Deo.

Caſtigationes imponi, ut reuocemur ad pœnitentiam.

In hac tentatione conſolatur Eccleſiam, & docet imponi caſtigationes, ut reuocemur ad pœnitentiam, Et non eſſe uoluntatem Dei, ut pereamus. Ideo orat ſe corripi in iudicio, non in furore, ne penitus pereat. Item Cap. 31. Conturbata ſunt uiſcera mea ſuper eum, miſerans miſerabor. Item Cap. 29. Cogito ſuper uos cogitationes pacis & non afflictionis, ut dem uobis finem, quem expectatis, & inuocabitis me, & ibitis & orabitis me, Et ego exaudiam uos. Quæretis me & inuenietis: Cùm quæſieritis me in toto corde ueſtro, inueniar ā uobis, ait Dominus.

Precationes.

Conſideranda eſt igitur perſona Prophetæ orantis, conſiderandæ ſunt & ipſæ precationes, quæ ſunt plenæ doctrinæ, de peccato, de ira Dei, de pœnis, de fide accipiente remiſſionem peccatorum, propter immutabilem promiſſionem de uenturo Saluatore.

SEXTVS LOCVS.

Peculiares tentationes.

IN perſona Prophetæ ſunt & peculiares tentationes conſiderandæ, Quōd mo

Euentus.

ra euentus prædicti præbet occaſionem Hypocritis calumniandi prædictiones Ieremiæ. Suaſerat Ieremias Ieconiæ & magnæ multitudini, ut diſcederent ultrò in exilium. Poſtea cūm ferē per decem annos urbs ſtaret, & mediocrem pacem haberet, ſperabant multi nullum periculum reliquum eſſe. Hi qui manſerant, gratulabantur ſibi de ſua conſtantia. Et deridebant eos, qui conſilio Ieremiæ obtemperauerant. Accuſabant Ieremiam, quōd decepiſſet populum, Et prodibant aliqui, tanquam Prophetæ, contra Ieremiam, ut Hananias Capite

Hananias.

24. & alij Cap. 29. Et Reges & Principes aſſentiuntur adulatoribus benè pollicentibus, Ideo perſequebantur Ieremiam.

In hac mora non ſine magno certamine retinet fidem commendatæ prophetiæ, ut Cap. 20. Et dixi, Non recordabor eius, neq; loquar ultrā in nomine eius. Hic penē ſuccumbit dolori, ut uideatur defecturus. Sed rurſus erigitur mox, inquiens, Dominus autem mecum eſt, tanquam bellator fortis. Ideo qui perſequuntur me, cadent, & infirmi erunt.

Impatientia Ieremiæ.

Deinde rurſus in eo ingens impatientia oritur, ut quaſi deſperare & fremere aduerſus uoluntatem Dei uideatur.

Aculei in carne.

Hæc ſunt ſingularia Sanctorum certamina, in quibus ipſi cernunt peccati magnitudinem in natura humana. Et conueniunt hæc cum Paulo, Rom. 7. Et alibi cūm ait, Sibi datos eſſe cruciatus ſeu aculeos in carne, id eſt, ingentes pauores & trepidationes. Sed in his Spiritus inenarrabili gemitu petit auxilium & eluctatur.

Septimus

SEPTIMVS LOCVS.

CVm euentus responderit de 70. annis. Item, cũm cæteræ prædictiones de aliȝs regnis euenerint, habemus testimonium firmum, quòd doctrina huius populi, tradita per Prophetas, sit uerbum Dei. Nulla alia gens habet tales prædictiones de certo numero annorum, ut hic de 70. annis dicitur. *Testimonium doctrinæ.*

Nec erat exigua res populi reductio & totius politiæ restitutio, Nec ullum simile exemplum extat in toto mundo, & omnibus ætatibus. Nulla politia penitus deleta sic restituta est, præsertim post tàm longum tempus. Ideo tota hæc Historia est plena ingentium miraculorum & operum Dei. Et ipsa prophetia miraculum est, quòd testatur hanc doctrinam ã Deo traditam esse. Complectitur autem Propheta & totam Euangelij doctrinam, ut Cap. 31. *Reductio populi.*

OCTAVVS LOCVS.

VIdetur autem Prophetia de tanta calamitate populi etiam significare uastationes Ecclesiæ ultimis temporibus, Sicut Turci uastarunt Ecclesias in Asia & Græcia. Vt autem tunc uastata Iudæa, manserunt tamen reliquiæ, Sic sciamus nunc mansuras esse reliquias, Sed accedent ingentes uastationes. *Vastatio Ecclesiæ ultimis temporibus. Reliquiæ.*

Ideo sicut Ieremias suis precibus mitigauit mala, Ita & nos excitemus nos ad pœnitentiam & inuocationem Dei, & nobis iam in præsenti periculo concionari Ieremiam statuamus, Sicut uerẽ concionatur nobis præsertim hac ultima ætate.

NONVS LOCVS.

EXempla memorabilia & hæc sunt, Quõd Propheta seruatur mirabiliter in tanta persecutione, postea liberatur per Regem Babylonicum, Is etiam donat ei aliquam partem populi, & hi ab ipso seruantur, postea eum interficiunt. *Prophetæ conseruatio. Ieremias interfectus.*

Hic est finis laborum ingentium, quos sustinuit per annos quadraginta in hac admiranda uocatione, in qua Deus nouo & inusitato modo populum seruauit uoce & ministerio Ieremiæ.

FINIS.

ARGVMENTVM IN THRENOS IEREMIÆ, PHILIPPI MELANTHONIS.

IN totius ueteris Testamenti lectione prudenter discerni oportet promissionem generalem gratiæ, pertinentem ad omnium temporum, locorum & gentium Ecclesiam, & alteram promissionem singularem de politia Mosaica certi populi Israël, quæ etsi & ipsa est ingens beneficium Dei, tamen immensum discrimen est inter æternarum rerũ & præsentis politiæ promissionem. *Discrimen inter promißionem gratiæ & rerum corporalium.*

Fuit autem constituta politia, ut certus populus & certus locus esset, qui esset uelut certa scholæ sedes, ubi illustribus testimonijs & miraculis ederentur promissiones, & subinde repeterentur & confirmarentur, & ubi uelut in schola excitaret Deus Doctores sonantes doctrinam de cœlo traditam, & ubi libri eius doctrinæ per certos testes custodirentur, & ad posteros transmitte- *Causa, cur politia & certus locus Ecclesiæ constitutus sit.*

rentur, Denicp ut certum esset, quo in loco, inter quos homines, & penè in quo uestigio Deus Messiam nasci, conspici, doceri & pati uellet. Propter has tantas causas politiam Israël Deus constituit, & assiduis miraculis ornauit, ut certum esset in eo populo, ueram doctrinam diuinitus traditam, ueri Dei agnitionem, inuocationem, & ueram Ecclesiam esse.

Erant membra Ecclesiæ Dei etiam alibi, aliqui qui didicerant ab hoc populo promissiones, & fide cum hoc populo coniuncti erant, & hunc uerũ Deum qui se patefecerat in hoc populo, inuocabant, ac se recipi propter Messiam uenturum credebant: Sed tamen sedes doctrinæ erat in isto populo.

Cur politia Mosaica ad certum tempus diuinitus seruata sit.

Etsi igitur discrimen est promissionis gratiæ, & promissionis de politia, tamen, quia hæc politia erat schola & sedes Ecclesiæ certa, plurimum referebat hanc sedem non deleri, quõd ea deleta magna dissipatio fiebat Ecclesiæ, impediebantur & negligebantur studia doctrinæ, atcp ita funditus interitura Ecclesia uidebatur, sicut & magna ex parte post exilium secutus est interitus Ecclesiæ. Ideo excidium urbis Hierosolymæ & dissipatio gentis Iudaicæ, non fuit tantũm corporalis calamitas, sed simul etiam duriter adflixit Ecclesiam, eamcp angustiorem & squalidiorem reddidit.

Discrimen inter excidium Hierosolymæ & aliarum urbium.

CVm igitur de excidio urbis Hierosolymæ cogitamus, aut legimus hanc tristissimam querelam, causæ cogitandæ sunt tanti luctus Prophetæ, & discernenda sunt excidia Troiæ & Hierosolymæ. Deplorat Aeneas interitum suæ patriæ, & nemo sine ingenti dolore potest ruentem patriam uidere: Sed de Ierosolyma tunc grauiores causæ doloris erant, quia hic locus erat sedes doctrinæ, & forma Ecclesiæ conspectior & uenerabilior fuit, donec certa sedes manst, & populus melius doceri & regi potuit, & consensus doctrinæ facilius retinebatur.

Dissipatio Ecclesiarum & scholarũ per nicioſior excidijs aliarum urbium, quæ non sunt hospitia Ecclesiæ.

Miserum est in talibus excidijs distrahi parentes & natos, coniuges. Hæc deplorant etiam Ethnici, sed multõ tristiora sunt hæc Ecclesiæ, quæ scit distractos obliuisci ueræ doctrinæ, ut nunc sæpè fit, cùm Turci abducunt captam aliquam multitudinem.

Harum horribilium miseriarum magnitudo non subit animos securos, qui in ocio & in pace hæc mala nec experti sunt, nec uiderunt, Sed uicini turcicæ tyrannidi quotidiana exempla uident. Et umbram uidimus in hoc Germanico bello, factæ sunt multis locis dissipationes Ecclesiarum & scholarum, quæ etiamsi nondum magnæ fuerunt, tamen orandus est Deus, ut sua immensa misericordia parcat huic infirmæ senectæ Ecclesiæ, nec sinat alias atrociores dissipationes sequi.

Dictum uetus est Pindari, Domestica angunt animos, aliena leuiter curantur. Sic igitur Ieremiæ querelæ magis intelligentur, & magis adficient animos nostros, cùm ad nostras & recentes calamitates conferentur.

Quibus Propheta has querelas scripserit.

Quæ collatio ideo etiam facienda est, quia scripsit Ieremias hæc lugubria carmina, non suæ tantùm ætati, sed Ecclesiæ secuturæ post eum omnibus temporibus. Nunquam fuit Ecclesia sine ingentibus ærumnis, sed tamen postcp tunc Ieremiæ tempore regni forma deleta est, necp hæc Respub: etiamsi restituta est, perinde postea floruit, ut ante exilium floruerat, necp ulla post Christi prædicationem similis politia fuit Ecclesiæ toto orbe terrarum. Nec habet nunc Ecclesia promissionem certæ sedis, ut tunc habuit.

Paulus

Paulus & Iohannes Apostolus docuerunt Ecclesiam in Epheso, nunc nihil est Ephesus. Talia exempla sunt innumerabilia, ac ruinas talium Ecclesiarum simul hic significat & deplorat Ieremias, & miscet querelis consolationes. *Ecclesia in Epheso.*

HAec initiō cogitanda sunt in lectione huius querelæ Ieremiæ, uidelicet, quid & cur doleat, & quid uaticinetur futuræ Ecclesiæ, Deinde etiam, quas proponat consolationes, Omnes enim ueras doloris causas recitat. Deinde & ueras consolationes ignotas Philosophiæ, ac proprias Ecclesiæ, proponit.

Estq; lectio utilis non solūm in publico luctu, sed etiam in priuatis doloribus, quia de publicis & priuatis miseriis & causas monstrat, & proponit cōsolationes ignotas Philosophiæ ac patefactas in Ecclesia.

ESt itaq; argumentum huius querelæ Ieremiæ. Narrat excidium urbis Ierosolymæ, & dissipationem Ecclesiæ Dei, & causas recitat ueri & magni doloris, quōd nō solūm, ut alij, patriæ interitū defleat, sed deploret sedem doctrinæ euerti, dissipari Ecclesiam, distrahi liberos à parentibus, populum à doctoribus, à quibus erudiri debebat, quōd doleat multos in hac ipsa dissipatione defecturos esse à Deo, quōd scandalo excrucietur, quia Ethnici insultabant uictis, obijciebant Iudæis falsam eos de suo Deo persuasionem habere. Postremō hunc ingentem dolorem auxerunt ipsæ causæ, Ira Dei nos propter nostra peccata oppressit. *Argumentum querelæ Ieremiæ. Causæ doloris & luctus Ieremiæ.*

Est aliquid magnis crimen abesse malis.

Id uerè dicitur. Crescit igitur dolor, cūm nos ipsos culpa nostra accersiuisse calamitatem agnoscimus, & cùm iram Dei sentimus, sicut hic dicitur, Propter peccata Prophetarum &c. qui effuderunt sanguinem iustorum.

Hæc pars de causis doloris primùm consideranda est, posteā & consolationes quærendæ sunt, ac de causis diligenter hic obseruetur indignatio Prophetæ. Multi erant in hoc ipso populo, qui ut Ethnici ad casum, aut ad fatales causas referebant initia, incrementa & inclinationes imperiorum, & excidia urbium. Horum impietati irascitur Propheta, quōd nec constitutam esse à Deo hanc politiam, nec Deo curæ esse, nec eam propter iram Dei euerti sentiebant. *Cur Propheta Ieremias irascatur.*

Docet igitur præcipuam causam esse magnarum calamitatum publicarum, contumaciam in peccatis atrocibus, uidelicet in cultu idolorum, epicureo contemtu Dei, parricidijs sanctorum, & libidinibus.

Etsi autem nulla, quanquam parua domus sine peccatis est, tamen differunt peccata, & contumacia in atrocibus peccatis: parcit Deus populo, donec manet disciplina, ac puniuntur peccata, ut aliqua pars populi mores emendet, Sed cūm non solūm peccat multitudo, sed etiam impunè peccat, & confirmatur idola, ac ridentur epicureæ opiniones & libidines, tunc sine ulla dubitatione impendent extremæ calamitates, ut accidit Asiæ, Græciæ, & uicinis gentibus, & similes pœnæ oppriment alias gentes. *Discrimen inter peccata & inter contumaciam in atrocibus delictis.*

Nunc quidem mediocri castigatione commonefacti sumus, & iudicium à domo Dei incepit, satis triste, quod sic descripsit Esaias, loquens de bello ciuili, Vnusquisq; uorabit carnem brachij sui. Hac castigatione si flectemur ad emendationem, mitigabuntur mala, Et aliquorum paucorum emendationem fore spero, Et Deum oro, ut propter Ecclesiam & iuuentutem mitiget pœnas. *Admonitio, ut castigati emendent uitam.*

Sed si nimis magna multitudo erit contemnentium Deum, & potentes stabilient magna peccata, odium ueræ doctrinæ & alia, metuo secuturas esse horrendas uastationes.

Consolationes dolori opponendæ.

Hæc de causis calamitatum in horum lugubrium carminum lectione cogitanda sunt. Postea & opponendæ sunt consolationes. Cùm autem omnis consolatio intueatur obiectum bonum, tria hic bona recensentur, quorum cõsideratio triplicem consolationẽ parit, primùm in conspectu erat hoc bonum, quòd uidebat Ieremias non totam gentem deleri, Sed seruari florem Ecclesiæ, Regem, summum Sacerdotem Danielem, & multa millia ciuium.

Prima consolatio.

PRima igitur consolatio est ex ipso facto sumta, Cùm Deus seruarit florem populi, non doleas, quasi funditus perierit Ecclesia, propterea dicit, Misericordiæ Domini, quòd non consumti sumus. Ingens Dei beneficiũ est, quòd non funditus deleti sumus, Vt, cùm Adam ac Heua meruissent æternum exitium, tamen immensa misericordia Dei restituti sunt, ita, cùm nostra peccata meruissent tristiores pœnas, tamen Deus, ne genus humanum frustra conditum sit, reliquias Ecclesiæ sibi inter nos seruauit, imò maiore gloria nos in exilio ornauit, quàm quantam domi habuimus. Miracula ingentia edita sunt, cùm seruati sunt uiri Israëlitæ in igni, cùm Rex conuersus est, cùm Daniel uaticinatus est de imperijs, & seruatus inter leones, & alia multa.

Secunda consolatio.

SEcundum bonum, quod intuetur Ieremias, est promissio seruandæ & liberandæ Ecclesiæ, scit Ieremias promissiones Dei non fore irritas, sed certò mansuras esse populi reliquias & redituras, etiamsi nunc dissipantur, quia sciebat oportere Messiam, stante adhuc politia Mosaica, nasci, concionari, pati & resurgere. Facilius autem toleramus aduersa, cùm scimus nos aut nostros eluctaturos esse. & hanc consolationem in alijs concionibus sæpè repetit & inculcat. Et hic breuiter inquit, Pars mea Dominus, propterea expectabo eum. Sicut nos iam in magna confusione imperiorum & dogmatum, oportet intueri hanc consolationem, uidelicet, quòd promissiones nobis traditæ sunt, quæ adfirmant Ecclesiam mansuram esse, ut Filius Dei inquit, Maneo uobiscum usq; ad consummationem seculi. Item Esaiæ 59. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps & usque in sempiternum. Et notissima tunc populo erat promissio, Non auferetur Sceptrum à Iuda, donec uenerit Siloh.

Quomodo seruata sit promissio Dei.

Etsi autem impij Iudæi offendebantur, euersa urbe, abducto Rege, dissipata gente, ac disputabant hanc promissionem inanem esse, tamen Ieremias & alij pij norant eam ratam & firmam esse, Sciebantq; promissiones bonorum corporalium intelligendas esse cum exceptione castigationis & crucis, ut Psalmus dicit, Visitabo eos in uirga, Misericordiam autem meam non amouebo ab eis. Respondit euentus promissioni mirabiliter, non ut humana imaginatio ratiocinatur, Seruatur enim hic populus in ipso exilio, & ibi magna gloria ornatur, & postea reducitur ad urbis & templi restaurationem. Nec minus miraculum est instauratio illa collapsæ politiæ, quàm fuit eductio populi ex Aegypto. Monetq; hoc ipsum exemplum, quomodo intelligendæ sint promissiones corporalium bonorum, & cùm non isto modo præstentur, quem humana imaginatio prospicit, fide expectandas esse, ut fides exerceatur, & crescat in utro-

in utroq; genere, in expectatione æternæ salutis & expectatione corporalium. Ideo inquit, Bonum est expectare cum silentio salutare Domini. Seruat Deus & liberat Ecclesiam, sed non istis modis, quos humana imaginatio prospicit, ut nunc cogitamus, hos principes in hoc periculo fore defensores &c. Tales imaginationes sæpe fefellerunt Israëlitas, sæpe fallunt & alios omnibus ætatibus.

Quomodo intelligendæ sint promissiones rerum corporalium.

TErtia consolatio sumta est ab hoc bono, quod calamitas non sit signum abiectionis populi, Sed est exercitium fidei pijs. Ideo inquit, Bonum est uiro portare iugum ab adolescentia. Humana iudicia, cùm intuentur Hierosolymæ excidium, non aliter sentiunt quàm de Troiæ excidio, existimant uno & eodem modo imperia ruere, uel casu, uel causis fatalibus, uel quia Deus ea euertat, ut exempla iusticiæ suæ ostendat. Et fatetur Ieremias hanc calamitatem esse pœnam, Sed tamen negat significare abiectionem.

Tertia consolatio.

Hic promissionibus corporalibus addit promissionem gratiæ, quæ inter pres est pœnarum, Punimur non ut pereamus, sed ut reuocemur ad pœnitentiam, Sicut hanc ipsam consolationem Deus in concione Ezechielis proposuit populo his uerbis, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Amittimus patriam, domos, & omnia ornamenta uitæ corporalis: Sed non propterea putes amitti promissionem gratiæ. Hæc promissio simpliciter immota est, ac docet commonefieri nos hac castigatione, ut ad misericordiæ agnitionem & inuocationem, & ueros cultus redeamus. Hoc cùm facimus, mitigantur & pœnæ corporales, ut Esaiæ 1. dicitur, Si peccata uestra fuerint ut coccinum, erunt candida ut nix.

Promissionib. corporalibus additur promissio gratiæ.

Ita promissio gratiæ interpres est pœnarum, & docet calamitatem non tantùm esse pœnas exitiales, sed commonefactionem. Et hæc necessaria doctrina sæpe in concionibus Ieremiæ repetita est.

Has ueras consolationes nos quoq; in priuato & publico dolore intueamur, Ipse euentus ostendit seruari aliquas Ecclesiæ reliquias, pro quo beneficio agamus Deo gratias. Deinde promissiones de seruanda Ecclesia nobis proponamus, & fidem in nobis confirmemus, ac petamus, ut seruetur & sanetur Ecclesia, & hac spe studia doctrinæ colamus, & non deseramus gubernationem.

Admonitio & conclusio argumenti.

Tertiò uulnera etiam nostra agnoscamus, & puniri peccata sciamus, nosque ad pœnitentiam excitemus, Ideoq; Ecclesiam cruci subiectam esse sciamus, ne in ocio & in luxu crescant prauæ cupiditates, ut plerunq; fieri solet.

SCripsit Ieremias hoc lugubre carmen, non suæ tantùm ætati, sed scit eius temporis calamitatem, imaginem multarum ingentium ruinarum esse, quæ secuturæ erant, in his uult nos eodem modo & dolorum causas, & consolationes considerare.

FINIS.

IN DANIELEM PROPHETAM COMMENTARIVS, EDITVS A PHILIPPO MELANTHONE, ANNO M. D. XLIII.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO MAVRICIO, DVCI SAXOniæ, Landgrauio Thuringiæ, & Marchioni Misniæ, Domino suo clementissimo, Philippus Melanthon. S. D.

Halcyones aues.

HAEC CVM IN BRVMA SCRIBEREM, TEMPVS ME DE HALcyonijs admonuit, Aiunt enim Halcyonas in marinis scopulis nidificantes, hoc asperrimo anni tempore incubare ouis, & pullos excludere, Eamq; ob causam diebus quatuordecim id mare, quod hospitium præbet incubanti Halcyoni, adeo placidum esse, ut tutò nauigari possit, nec sæuitia uentorum quassari, nec undis obrui auis hospitæ nidum, Ideoq; tranquillitatem & quasi inducias certorū dierum circa brumam uocari Halcyonios dies.

Vt autem Deus multas in natura rerum imagines Ecclesiæ nobis proposuit, ita mihi legenti totam earum auium descriptionem, sæpè venit in mentem Ecclesiæ nidificantis tanquam in mari, in magnis & turbulentis imperijs, in quibus aliquantisper Deus & domicilium, tanquam nidum, & tranquillitatem mediocrem pijs studijs concedit, vt propagari Euangelium possit.

Talia fuerunt Halcyonia genti Iudaicæ, cùm Christus & Apostoli docuerunt. Nisi enim aliquantisper pax fuisset, non spargi vox Euangelij, non erudiri adolescentia, nō coalescere cœtus aliqui potuissent. Hæc enim fieri non possunt, cùm terrore armorum & barbarie ac furore militum dissipantur honesti cœtus, cùm vrbes euertuntur, cùm nulli sunt receptus discentium, cùm à complexu parentum auulsa adolescentia iugulatur. Hæc cùm fiunt, iram Dei aduersus humani generis peccata agnoscamus ac deploremus.

Cur pacem regionibus concedat Deus.

Sed tamen immensa Dei bonitas interdum aliquas concedit inducias, propter Ecclesiam, vt maris fluctus aliquantisper sedantur, ne fœtificantem Halcyonem impediant. Quòd igitur Deus aliquantisper tranquillitatem, tanquam Halcyonia his regionibus dedit, dum Euangelium illucesceret, agamus ei gratias, & veris ac pijs votis petamus tranquillitatem in posterum, vt iuuentus piè educari ac doceri queat, & vt honesti & pij gubernatores disciplinam regere & tueri possint.

Etsi autem semper Ecclesiam magnæ difficultates exercuerunt, tamen & res ostendit, & Deus prædixit, vltimam mundi senectam futuram multò ærumnosiorem superioribus ætatibus. Nec verò frustra prædictiones editæ sunt, vult eas legi Deus, vt pij præparent animos ad multiplicia certamina, discant quæ sit vera Dei Ecclesia, in qua videlicet sonat vox Euangelij filij Dei, sciant hanc dimicaturam esse cum hostibus Christi, qui nobis sua morte iram æterni Patris placauit, & resuscitatus regnat, vt Ecclesiam suam donet vita æterna, sciant finem harum ærumnarum fore, cùm Ecclesia ex morte resuscitata ornabitur æterna gloria.

DE his rebus cùm prolixè nos Deus in scripto Danielis præmonuerit, temporum etiam seriem & metas aliquo modo constituerit, certè bonis mentibus hæc lectio vtilis est. Quid quòd vox Angeli in fine huius scripti hortatur, vltimam ætatem ad hanc lectionem

ctionem, cùm ait, Stabis Daniel in sorte tua in fine, id est, fungeris tuo munere, docebis & confirmabis pios. Et Christus non modò ad lectionem eius nos deducit, sed etiam iubet attentos considerare de quantis rebus nos doceat Danielis narratio, cùm ait, Qui legit, attendat. Tanta autoritate moueamur, vt hoc scriptum libenter & studiosè legamus. Accedit huc, quòd reuera Epitome est historiæ mundi inde usq; à prima Monarchia, & exempla bonorum & malorum Principum illustria proponit.

Sed de vtilitatibus postea plura dicam. Ego quidem vt Scholasticos ad hanc lectionem inuitarem, breues annotationes addidi. Tam fœcunda sunt dicta Prophetarum, vt exhauriri non possint. Quanquam igitur magnitudini argumentorum hi ieiuni & mutili commentarij non satisfaciunt, Tamen prodest iuuentutem commonefieri de præcipuis materijs, & quasi digito monstrari eos locos, quos studiosi postea sua meditatione propius contueri & euoluere debent. Sunt autem in Danuele multa historica, quæ certè requirunt interpretem. Et in his arbitror nostram lucubratiunculam profuturam Iuuenibus.

Sed quidquid est operæ, totum permitto iudicio piorum & doctorum, quos etiam scio candorem in iudicando adhibere. Et vt aliàs, ita tunc testatum uolo de dogmatibus me consensum Ecclesiarum nostrarum amplecti, quem quidem certissimum est verè esse consensum perpetuum Ecclesiæ Catholicæ Dei. Ideo & iudicio nostrarum Ecclesiarum omnia mea scripta subijcio.

CVm autem vsitatum sit Principibus dedicare scripta, & hic mos multas habeat probandas & graues causas, hanc lucubrationem tibi, Illustrissime Princeps, dedicare volui, vt cùm voluntatem tuam erga Ecclesiam Christi & honesta studia laudari audiam, vicissim hanc tuam virtutem Scholasticis prædicem, eosq; adhortor, vt se ad amandos & venerandos bonos & salutares Principes assuefaciant, & assiduis precibus Deo commendent politias & fideles Gubernatores. Magna est humani generis infirmitas, magnus furor Diaboli, qui ardens odio Dei, sicut primos Parentes impulit, ut ruerent in has ærumnas, Ita perpetuò nocere Ecclesiæ studet, ac præcipuè summo vitæ fastigio insidiatur. Nec vlla tanta est sapientia, quæ quantum sit in omni gubernatione periculi, satis intelligat.

Quare Principes coniuncti Ecclesiæ Dei, omnium piorum votis adiuuandi sunt, vt Deus æternus, QVI DAT SALVTEM REGIBVS, vt Psalmus inquit, consilia eorum regat, ac mentes atq; impetus ad suam & publicam salutem flectat. Hac de re Lectores in hoc genere dedicationum admonendi sunt. Ipsos etiam Principes lectio illustrium exemplorum hortetur ad moderationem, & ad timorem Dei, quæ quidem eò proposuit Deus, vt posteritatem ad virtutis studium vocaret.

Deum æternum Patrem Liberatoris nostri Iesu Christi toto pectore oro, vt te seruet incolumem, & ita regat, vt tua gubernatio sit fausta & felix, tibi & Patriæ, ac Ecclesiæ Christi, quæ est altera & verior Patria. Calendis Ianuarij, Anno 1543.

ARGV-

ARGVMENTVM LIBRI DANIELIS.

MVltas res magnas,utiles, & dignas cogitatione bonarum mentium complexus est Daniel,quas euoluere & explicare omnes ingenij nostri angustia certè non potest. Multum se profecisse studiosus Lector sciat, si præcipua capita mediocriter animaduerterit, & ad pia exercitia transferre didicerit, ac uiderit quæ pars erudiat mentes de uera inuocatione,quæ pars confirmet fidem, quæ refutet Iudæos, quæ concionetur de pœnitentia, & de certis uirtutibus. Nam ad hos locos referre narrationes utilissimum est.

Recensebo igitur quasi titulos rerum præcipuarum quæ hic continentur,qui ostendent,quæ sit utilitas huius lectionis.

Primùm cogitabis de uniuerso opere. Testimonium est tota historia Danielis seruatæ Ecclesiæ & ornatæ ingenti gloria, tùm cùm uideretur penè extincta. Monet igitur & castigari Ecclesiam, & in cruce rursus eam instaurari. Testatur item Ecclesiam non humanis consilijs, uiribus, ordinationibus, sed singulari Dei opere inde usq; ab initio defensam & propagatam esse.

Monet item de promissionibus, Deum præstare promissa, etiamsi non eo modo præstat,quem nos cogitaueramus, Vt tribui Iuda facta est promissio, Non auferetur sceptrum,nec doctor à Iuda, donec uenerit Saluator. Hac freti promissione Reges Iuda toties rebellabant,& Ieremiæ prædictionem de euersione Regni audacissimè damnabant, tanquam pugnantem cum manifesta promissione Dei. Sed Ieremias norat utrumq;,fore ut castigaretur populus, & tamen familia regia non extingueretur, nec deessent Prophetæ. Atq; ita accidit præter hominum opinionem, Regia familia etiam in exilio, honore affecta est,Et excitauit Deus Prophetas,& suam Ecclesiam ingenti gloria ornauit. Imò adiunxit ad societatem Ecclesiæ gentes, Facta est conuersio Gentium ad Deum insignis.

Secundò obseruabis testimonia de Messia. Vt cæteri Prophetæ præcipuè ad hoc excitati sunt, ut per eos sonaret promissio Messiæ: Ita & Danielem hoc munere fungi oportuit, qui quidem multa docet, uaticinatur de tempore quo nasci Messiam durante politia Iudaica oportuit. Disertè uaticinatur de passione Christi, ait fore, ut occidatur.

Tertiò considerabis seriem Monarchiarum, quæ ideo tradita est, ut indicaretur tempus, quo Christum nasci Deus uoluit, & significaretur tempus resurrectionis mortuorum ac iudicij.

Quartò obseruandi sunt loci doctrinæ de pœnitentia, de fide, de iustificatione.

Quintò, exempla bonorum & malorum Regum excerpenda sunt.

Sextò testimonia de Resurrectione mortuorum considerentur.

Septimò præmonitio traditur de regnis impijs, quæ circa finem mundi Euangeliũ Dei delere conabuntur. Et luctuosa dispersio Ecclesiæ describitur, ut nunc sub Turcis & alijs Regibus,qui magna crudelitate Idola defendunt,dispersi sunt pij, doctrinam Euangelij puram amplectentes. In tanta gentium confusione multæ sunt humanæ rationis disputationes, An sit discrimen gentium seu hominum futurum post hanc uitam? An Deus sit præmia & pœnas distribu-

distributurus hominibus? An sit certus hominum cœtus, quem Deus amet reiectis cæteris hominibus? Epicurus negat superstites esse animas hominũ. Alij Philosophi cogitant animas esse flammas æthereas, si quid sunt alienum à materia Elementorum, euolantes in sublime nescio quò.

Aduersus has prophanas imaginationes discamus ex Euangelio, uerè fidelium Dei resuscitaturum esse mortuos, ut pios ornet æternis præmijs, & impios pœnis adficiat. Et testimonium huius doctrinæ editum est illustre, Resuscitatio mortuorum, id signum peculiare & proprium est eius cœtus, qui profitetur doctrinam traditam per Prophetas, Christum & Apostolos. Nec quisquam alius mortuos in uitam reuocauit, nisi eius doctrinæ professores. Certùm est igitur hanc doctrinam esse diuinam, quæ quidem sola prima est omnium in mundo. Et hæc pronunciat Ecclesiam seu populum Dei esse eos qui hanc doctrinam amplectuntur, cæteros non esse. Docet item Ecclesiam non esse maximam hominum multitudinem, imò sæpè exiguum & miserum cœtum esse oppressum seruitute & alijs multis calamitatibus, sæpè penes impios & hostes Dei esse imperia & opes.

Cùm autem hæc species offendat humanam rationem, quæ ignara iræ Dei aduersus peccatum hærens in natura hominum, somniat illos potius Deo caros esse, quibus dat opes & imperia, Ideo ualdè opus est nobis hac præmonitione, quæ docet quomodo de Ecclesia Dei sentiendum sit, ubi sit quærenda, uidelicet tantùm in eo cœtu, qui complectitur doctrinam traditam per Prophetas, Christum & Apostolos. Non imperia, non opes, non multitudo, non temporum diuturnitas moueat, ut populũ esse Dei existimes, eos qui aut uniuersam doctrinam Propheticam & Apostolicam abijciunt, aut palàm & pertinaciter Idola defendunt.

HAec Capita breuiter recensui, ut studiosus Lector in uestibulo statim uideat res magnas & utiles in hac historia tradi. Accedunt obiter & alij multi loci doctrinæ Christianæ. Estq; prudentia adhibenda in distribuendis rebus & usurpandis, uidendum quæ pars cõtineat leges, quæ concionetur de promissionibus & de Euangelio. Nam ad hæc prima Capita utile est materias omnes referri, Videndum quæ pars illustret dogmata. Vt, quid potest illustrius ἐναργέσερον dici contra Iudæos, quàm quod Daniel disertè adfirmat Christum nasci oportere durante politia Mosaica. Ergo illud horrendum excidium urbis Ierosolymæ, & ruinæ totius Iudææ, iam annis 1470. testimonium dicunt, Christum natum esse, & refutant Iudæorum amentiam & execrandam pertinaciam. Videndum etiam quæ ad usum in inuocatione transferre possimus. Daniel sic precatur, Agnoscit peccata, & petit à Deo liberationem fiducia misericordiæ, & nominatim addit, PROPTER DOMINVM, uidelicet, propter promissum Messiam.

Hæc est uera precationis forma in Ecclesia Dei, accedere ad Deum fiducia misericordiæ promissæ propter Filium mediatorem ac deprecatorem. Arcana res est, & ignota mundo hæc inuocatio, Sed pijs qui uerè Deum timent, in quotidianis exercitijs discenda est, ac prodest in conspectu habere hanc formam in Daniele propositam, ut suo loco copiosius dicetur. Habent usum in horum temporum periculis & præmonitiones, quæ ostendunt quæ sit Ecclesia, & iubent uitare societatem eorum, qui nomen Christi delere conantur, aut Idola contra Euangelium defendunt.

LOCI

LOCI PRÆCIPVE OBSERVANDI IN PRIMO CAPITE.

I.

Pœna impietatis, uidelicet, ingens calamitas populi Iudaici.

II.

Quòd Deus mirabiliter præstat promissiones, & seruat suam Ecclesiam, etiam cùm punit impios.

III.

De moderatione uictoriæ. Item, quòd Regum officium sit curare, ut iuuentus instituatur.

IIII.

Danielis & trium Adolescentum fides & perseuerantia, Quòd non defecerunt à Lege diuina inter Ethnicos, nec uel exemplis uel uoluptatibus, uel admiratione potentiæ impiorum deprauati sunt.

V.

Præmia corporalia & spiritualia pro illa fide, perseuerantia, & temperantia. Data est melior ualetudo, gratia apud Regem & Principes, doctrina & prophetia. Hæc dona eis contigerunt, quia Deus testari uolebat se seruare suam Ecclesiam, & promissiones non esse irritas. Docet item hoc exemplum Deo placere hæc fidei & confessionis officia, & mereri ingentia præmia.

VI.

Obseruandum est ad quem finem debeat esse destinata temperantia. Daniel abstinet à regijs cibis, non propter humanas traditiones, sed propter legẽ Dei, Quia multi regij cibi interdicti erant Iudæis, ut lepores, sanguis, & multa piscium genera.

Vini usus non erat prohibitus, & Daniel infrà legitur bibisse uinum. Non ergo tùm superstitione à uino abstinuit, sed propter adolescentiam, & cauenda sodalitia, &c.

DE I. LOCO.

AD primum & secundum locum penè omnes Ieremiæ conciones pertinent, qui uaticinatur de pœna, & causas exponit, Vt cap. 22. Quare sic fecit Dominus huic ciuitati, Quia reliquerunt pactum Dei sui, & adorauerunt Deos alienos.

Ioiakim. Item de Ioiakim, cuius hic fit mentio, inquit, Sepultura asini sepelietur, proiectus extra portas Ierusalem.

Discamus igitur timere iudicium & iram Dei, & fugiamus impios cultus & alia flagitia, Quia si illi populo Deus non pepercit, cui amplissimas promissiones dederat, multò minus cæteris parcet.

II.

Deus seruat Ecclesiam etiam cùm punit impios. DE secundo loco etiam extant multæ conciones apud Ieremiam, Quòd promissiones non sint irritæ, & tamen impij puniantur, & interea promissiones mirabiliter seruentur, alijs modis quàm humana sapientia cogitat.

Spes impiorũ stultæ. Ideo Ieremias taxat stultas spes impiorum, qui promissiones eò detorquebant,

torquebant,ut negarent pœnas illas uenturas esse. Iere 7. Nolite confidere in uerba mendacij, dicentes, Templum Domini, Templum Domini, &c.

Cap. 28. Cùm Hananias uaticinaretur post biennium redituros esse Iudæos ex Babylone, & rupisset catenam quam gestabat Ieremias, increpat eum Ieremias, & addit, Hananiam eo anno moriturum esse, quia aduersus Dominum locutus sit, Ac respondit euentus uaticinio Ieremiæ.

Ex hac historia apparet maximam fuisse autoritatem Pseudoprophetarum, quia iactabant promissiones, sed malè detortas. Econtrà Ieremias prædicebat pœnas, & tamen consolabatur pios, ut in sequentibus Capitibus 29. & 30. ac deinceps. *Autoritas Pseudoprophetarũ maxima.*

Cap. 30. inquit, Castigabo te in iudicio, ne tibi uidearis innocens. Vulnera tua sanabo, &c. ubi docet, quare Deus in illis communibus pœnis corporalibus, Sanctos unà rapiat, Quia hos quoq; uult agnoscere, quòd habeant peccata, & detrahit eis fiduciam propriæ iustitiæ. Ita Propheta docet de pœnitentia, & postea promittit liberationem. *Quare Sancti affligantur.*

Cap. 31. Castigasti me Domine, & eruditus sum, sicut iuuenculus indomitus, &c. Hic quoq; docet affligi Sanctos, ut crescat pœnitentia. Dupliciter ergo consolatur eos, Docet ad quid prosint adflictiones, & pollicetur liberationem.

Hic igitur ualdè prodest obseruare certamè de promissionibus. Sic omnes in adflictionibus decurrunt ad promissiones, Et cùm non contingunt citò, & illo modo sicut imaginatur ratio humana, languescunt animi, & deficiunt à Deo, sicut Saul deficiebat. Et hic multi Iudæi defecerunt, arbitrantes hunc populum à Deo desertum esse. *Certamen de promißionib.*

Sed pij agnoscant primùm, quare adflictiones nobis imponãtur, & quòd Deus in illis requirat obedientiam. Deinde etiam fide erigamus nos, sustentemus nos promissionibus, & petamus & expectemus auxilium, Sicut Iere. 29. dicitur, Orabitis me, & ego exaudiam uos &c. Et Ezech. 33. Viuo ego, Nolo mortem peccatoris. Et hic prudentia opus est, sciamus Deum gubernaturum esse euentus, supra nostra consilia, Ideo etiamsi differtur liberatio, non deficiamus.

Hoc docet Paulus cùm inquit ad Ephes. Ei qui potens est facere supra quam petimus aut intelligimus, sit gloria &c. Ita hic populus maiorem gloriam in exilio habuit, quàm domi. Habuit Prophetas multos, Danielem, Ezechielem, Zachariam, Haggæum. Deus miraculis ingentibus testatus est, hunc populum habere uerbum Dei, ueros cultus, & promissionem salutis. Quale fuit miraculum liberatorum ex camino. Item summi Reges conuersi sunt ad uerum cultum Dei, Conseruatur & regia stirps, & regaliter tractatur. Non igitur erat irrita promissio, non auferetur sceptrum, &c. Sed Deus alijs modis præstitit promissiones, quàm Pseudoprophetæ cogitauerunt. *Gloria populi Israël in exilio &c.*

Discamus igitur & nos in afflictione retinere fidem, inuocare & expectare auxilium, etiamsi euentus non contingunt iuxta nostras imaginationes, nec languescamus, sed expectemus eos, sicut Dei consilio gubernantur. Ideo scriptum est, In oratione instantes. Oratio humiliati non discedet à Deo.

QVidam hic litigant de annotatione temporum, quando Daniel in captiuitatem abductus sit, Sed facilis est explicatio, Textus ipse narrat abductum *Daniel quando abductus sit in captiuitatem.*

ctum esse anno tertio Ioiakim, uidelicet septennio ante migrationem sponta-
neam Ieconiæ. Nam Ioiakim regnauit ante Ieconiam. Venerat autem Nabog-
donosor Ierosolymam etiam regnante Ioiakim, exacto tertio anno regni Ioia-
kim, ac prædam abstulit, & captiuos aliquos abduxit. Regi uerō Ioiakim non
eripuit regnum, sed socium esse iussit, qui cùm post annos sex rebellasset rede-
untibus Chaldæis, in patria interfectus est, & cadauer inter uulgi cadauera ab
iectum, ut Ieremias ei prædixit, Cap. 22. de sepultura Asini.

Deus differt pœnam. Sæpē rebellabant reges Iudæorum, ideo sæpē redibant Chaldæi. Illud autem est considerandum, Quōd Deus diu distulit extremam pœnam, ut eos ad pœnitentiam inuitaret, Sicut concionatur Ieremias 26. Sed cùm putarent impij se perfunctos esse pœnis, fiebant contumaciores &c.

III.

Finis uictoriæ. FInis uictoriæ debet esse non uastitas, sed constitutio melioris status, Ideo mo-
deratione opus est, & saniores seruandi sunt. Sicut Nabugdonosor seruauit
Ieremiam & Regem, & maximam multitudinem populi.

Clementia. Huc pertinent præcepta de clementia, quæ est benefacere bonis, discer-
nere bonos ā malis, moderari pœnas illorum qui sunt sanabiles, Impios uerō
& insanabiles ē medio tollere. Prouerb. 20. Misericordia & ueritas custodi-
unt Regem, & clementia fulcitur thronus eius.

Principum officium. Præterea, quōd Principum officium sit curare, ut ciues discant uerbum
Dei, & alias artes uitæ necessarias, testatur præceptum Deute. 17. Vbi iubet
Regem tenere in manibus librum Legis, ut legat & discat, Ergo necesse est re-
ges curare, ut habeant ā quibus discant.

Et huc pertinet dictum Esaiæ, Reges erunt nutritores tui, id est, Præci-
puē regibus mandat Deus, ut Doctores Ecclesiæ foueant & tueantur.

2. Paral. 31. Laudatur Ezechias, quōd studia Sacerdotum restituit. Qua-
re docendi sunt Principes, ut sciant Deum ab ipsis hoc officium poscere, ut stu
dia necessaria Ecclesiæ foueant.

Iudæi persecuti fuerant Prophetas, nunc alit eos rex Ethnicus, & magna
ab eis beneficia accipiet. Conuertetur ad pietatem, habebit florens regnū pro-
pter hos gubernatores, Quia Deus hoc genus officij largiter conpenſat, iuxta
illud: Qui dederit potum aquæ, propter doctrinam &c. habebit mercedem.
Econtrā tyranni, qui negligunt aut persequuntur studia Ecclesiæ, aut minis-
tros pios, afficientur horribilibus pœnis.

Deinde quōd priuatim singuli discere debeamus, præcipit Petrus, Para-
ti ad satisfactionem &c. Item de cæteris artibus inquit Paulus ad Titum 3.
Discant nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infru-
ctuosi.

VI.

Danielis temperantia. DE postremo loco principaliter hic obseruandum est, Danielis temperanti-
am fuisse opus confessionis, & quidem hanc abstinentiam fuisse præce-
ptam lege Dei, non humanis traditionibus, Ergo abstinebat Daniel, ut testa-
retur se non abijcere doctrinam, in qua sola extabat uerbum Dei, & abhorrere
ab aliarum gentium religionibus.

Hoc exemplum nos quoq; ad confessionem, perseuerentiam & temperan
tiam hortetur. Quia Deus hæc officia requirit, & ornat magnis præmijs.

Daniel

Daniel in aula nec minis nec cõtemtu, nec illecebris uoluptatum aut potentiæ uictus est, ut deficeret â uero cultu. Hanc constantiam pauci imitantur, sed qui imitantur habebunt ingentia præmia corporalia & spiritualia. Sicut inquit textus: Glorificantes me glorificabo, &c. *Constantia Danielis.*

II. CAPITIS LOCI PRÆCIPVI.

I.

DEus reuelat ordinẽ quatuor Monarchias, Et testatur in fine mundi uenturum regnum sempiternum Sanctorum, qui Deum uerẽ coluerunt.

In hac reuelatione primũm populo proposita est consolatio & doctrina. Videbant se non desertos esse â Deo, cũm habebant Prophetas tales, qualis fuit Daniel, Discebant etiam quando expectanda esset illa perpetua gloria promissa patribus.

Deinde Rex & alij multi Ethnici hac doctrina admoniti sunt, ut agnoscerent uerum Deum, & amplecterentur ueros cultus & uerbum Dei.

II.

Exemplum, quod testatur Deum exaudire pios, & dare petentibus donа, sapientiam & alia bona.

III.

Testimonium, quòd imperia diuinitus constituantur.

IIII.

Admonitio, quòd imperia paulatim ruant in deterius. Posteriora subinde magis turbulenta erunt, & minus iusta, Sicut Romanum multõ fuit aspe rius quàm Persicum.

V.

Testimonium, quòd liceat Sanctis gerere Magistratus, Quia Daniel hic impetrat socijs prouincias.

DE I. LOCO.

TOtum hoc miraculum exhibitum est propter quatuor causas.

Quia Deus testari uoluit solum Iudaicum populum habere uerbũ Dei, & ueros cultus. 1.

Vt Iudæi haberent consolationem. 2.

Vt de tempore uenturi Regni perpetui admonerentur. 3.

Vt conuerterentur etiam Gentes ad agnitionem Dei. 4.

Propter has tantas causas miracula ingentia proposita sunt, & ad hoc delectæ sunt non uulgares personæ, sed rex ipse & principes.

Ac ut magis perspicuum fieret, religiones Chaldaicas falsas esse, Vnum esse uerum Deum, qui tradidit uerbum populo Israël, ideo primùm confunditur sapientia Magorum, & patefit eorum impietas & cæcitas. *Religiones Chaldaicæ.*

Hoc ut fieri posset, Deus uoluit Regem obliuiscì somnij, Et tamen talis fuit consternatio animi & ἔκστασις in eo somnio, ut senserit esse quandam diuinam admonitionem. Ideo tãm dura edicta proponit, Minatur mortem coniectoribus, nisi ipsum somnium narrent. *Rex oblitus somnij.*

Et habet probabilem rationem. Si interpretationes diuinitus monstrantur, ut iactitabant coniectores, potest diuinitus monstrari non tantùm interpretatio, sed etiam ipsum somnium. Si uerò interpretatio est humana coniectura, & non proficiscitur à Deo, est ambigua & fallax.

Ergo, quia non possunt reperire somnium, & Daniel reperit, constat Chaldæorum doctrinam non esse à Deo, sed Danielis doctrinam & religionem à Deo traditam esse.

Ita primùm ostenditur testimonium, doctrinam & religiones Chaldaicas falsas & ementitas esse, sicut in Aegypto conuicti sunt Magi &c. Sic uniuersaliter in reuelatione Euangelij arguit Deus contrariam doctrinam.

Quibus somnijs credendum.

De somnio breuiter dico, Illis somnijs certò credendum esse, quibus Deus dat testimonium, quòd sint diuinitus ostensa, Sicut hic miraculum reperti somnij testatur hoc somnium à Deo esse, & Deus alibi aliter reddidit certas conscientias.

Enarratio somnij.

POstquam autem Daniel recenset somnium, ipse interpretatur de quatuor Monarchijs, & de regno perpetuo Christi, Hæc enarratio non tantùm est politica de imperijs, sed etiam præbet occasionem Danieli concionandi de toto regno Christi, de nouissimo iudicio, de causa peccati, de redemtione & instauratione humani generis. Cur sit tanta mundi breuitas, Quale sit futurum perpetuum regnum, Vtrum in hac natura immunda uel alia: Qualis sit futurus Redemtor, & quomodo ad hoc regnum perueniatur. Ita hæc breuis narratio complectitur summam Euangelij. Ideo non tantùm hic politica doctrina obseruetur, sed multò magis Euangelica.

Politicum est, quòd admonemur diuinitus constitui imperia. Item, quòd mirabili consilio Deus uoluit consociare Gentes per Monarchias, siue ut melius regerentur disciplina, legibus, iudicijs, pœnis, siue ut per eam occasionem facilius propagari & innotescere Euangelium posset. Sicut in singulis Monarchijs fulsit Euangelium aliquantisper apud Gentes.

Aureum caput.

Aureum caput significat primam Monarchiam, quæ complectitur successionem Chaldæorum & Assyriorum.

Argenteum pectus.

Argenteum pectus, secundam Monarchiam significat, complectentem Medorum imperium & Persicum.

Venter æneus.

Venter æneus, Alexandrum & successores potentiores, qui erant coniuncti fœdere.

Tibiæ ferreæ.

Tibiæ ferreæ Romanum imperium, Cui adijcit descriptionem, quòd futurum erit asperius cæteris, Quia reipsa durius imperauerunt gentibus, & inter se gesserunt bella ciuilia, & deleuerunt gentem Iudaicam, & exercuerunt crudelissimas persecutiones in Ecclesiam.

Pedes partim testacei, partim ferrei.

Pedes partim testacei, partim ferrei, significant regna nata post dissipatam Monarchiam, uidelicet, Francicum, Hispanicum, Germanicum, Sarracenicum, Turcicum, & in his alia sunt alijs bellicosiora. Et quanquam inter se luctantur, & conantur efficere Monarchiam, tamen non perficient.

POrrò in quarta Monarchia inquit Daniel uenturum esse Christum, qui sit incoaturus regnum æternum promissum Patribus. Voluit Deus patefieri tempus

tempus aduentus Christi, ut inter cætera testimonia de Christo etiam circumstantia temporis pios admoneret, & refelleret impios. Sicut Iudæi nunc manifestè refelli possunt per circumstantiam temporis. Oportet Christum nasci ante dissipationem gentis Iudaicæ in quarta Monarchia, durante adhuc politia Iudaica, in Bethlehem &c. Ergo necesse est fateri, quòd sit natus, quia nunc euersa est Bethlehem, & nulla est politia Iudaica. *Christus natus in quarta Monarchia, durãte adhuc politia Iudaica &c.*

Item proderat pios tenere consolationes de tempore, ut interea afflictiones sustinere possent & expectarent uenturam liberationem, nec errarent, arbitrantes tempus præteriisse.

Postremò prodest omnibus scire, quòd mundi tempus sit exiguum spacium, quod instet iam & sit in foribus dies iudicij, Sicut & hunc regem Babylonicum Deus admonere uoluit, de breuitate temporum mundi, de uenturo iudicio, de salute piorum, de æternis pœnis impiorum, Ne Rex putaret omnia casu fieri, sed disceret esse Deum saluantem pios, & punientem impios, constituentem imperia, & adiuuantem iustos Principes. Ita hic locus complectitur totius religionis & Euangelij doctrinam. Dixi de tempore. *Breuitas temporum mundi.*

SIc autem describit hoc regnum. Ait, Lapidem abscissum esse de monte sine manibus. Lapis significat Christum, qui de monte, id est, ex populo Israël natus est, Sed sine manibus inde abscissus est, id est, non humano consilio datus est huic populo, nec postea Regnum constituit humana potentia aut uiribus illius populi. Tota res geritur diuinitus, Filius Dei uenit à Patre æterno missus, nascitur sine uirili semine, Regnum constituit sine humanis consilijs & uiribus. Hæc est simplicissima enarratio, ut mons intelligatur de regno seu populo Iudaico, Quia postea rursus dicit, Hunc lapidem fieri magnum montem, id est, ingens regnum. *Lapis abscissus de monte sine manibus.* *Mons.*

Alij interpretati sunt montem de matre Maria, alij de cœlo, Sed has interpretationes omitto. Sine manibus etiam alij interpretantur, impolitum lapidem, id est, spretum & abiectum, sicut in Psal. 118. dicitur, Lapis quem reprobauerunt &c. Sed hanc interpretationem nostra complectitur, Sine manibus, id est, sine humanis consilijs, sine humana potentia. *Aliorum interpretationes.*

Breuiter autem concionatur Daniel de utroq; aduentu Christi, Deus suscitabit regnum durantibus adhuc alijs regnis. Qualis hæc est pugnantia, Quo modo durante Monarchia Romana, tamen regnabit Christus? Hic significat regnum Christi non futurum politicum, sed spirituale, quod per uerbum administrabitur. Et dicit disertè, Deus constituet id regnum, Nam hoc regnum immediatè constituit & regit ipse, per uerbum suum palàm traditum, & per Spiritum sanctum, Cætera etiamsi diuinitus constituuntur, tamen mediatè per humanam potentiam constituuntur & reguntur. *Christi regnũ spirituale.*

Incoabitur ergo hoc sempiternum regnum durantibus adhuc imperijs, quæ id regnum contemnent, & ei aduersabuntur, Ideo conteret & finiet omnia regna. Primùm enim arguet prædicatione, postea euertet & afficiet hostes æternis pœnis. Christus autem cum sua Ecclesia permanet, retinet regnũ, & fruitur æterna gloria.

HActenus breuiter percurrimus historiam & interpretationem, in qua, ut ante dictum est, non tantùm politicæ sententiæ, sed etiam Euangelicæ cõsiderandæ sunt, & cogitandum, quid hæc historia uel interpretatio nos ipsos moneat. *Testimonia de tempore aduẽtus Christi cõfirmant fidem nostram.*

moneat. Confirmant autem nos testimonia de tempore aduentus Christi, cùm in quarta Monarchia, durante adhuc politia Mosaica, Christum nasci oportuerit, necesse est fateri, quòd sit natus.

Præterea, quia hic de regno æterno dicitur, necesse est dici, de causa abolente mortem. Item, de causa mortis, de peccato, de promissionibus liberationis, de Christo, de redemtione nostra per sacrificium Christi, de resurrectione mortuorum.

Sancti perpetuò regnabunt &c.

Quomodo autem regnaturi sunt Sancti perpetuò, cùm plurimi sint mortui tot seculis, & deinceps morituri reliqui, nisi resurgant? Ergo hic locus complectitur uniuersam Euangelij doctrinam, ad hanc respiciendum est, cùm hæc concio Danielis legitur.

Lapis præcisus.

Interim hæc præcipuè consideremus de Lapide præciso à monte, Vnum esse Dominum, scilicet Iesum Christum, qui hoc regnum æternum incoat, qui abolet mortem, qui uincit uniuersam Diaboli & mundi potentiam. Nec aliud hic dicit Daniel, quàm quod antea extabat apud Esaiam, qui nominat Christum patrem perpetuæ uitæ.

Hæ sententiæ prorsus idem uolunt, quod toties repetit Euangelium, Ioh. 3. Qui credit in Filium, habet uitam æternam. Qui autem non credit in Filium, non uidebit uitam, sed ira Dei manebit super eum.

Et rursus Iohan. 17. Hæc est uita æterna, ut agnoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

Sic ergo incoat uitam æternam, cùm credimus hunc Lapidem datum esse, ut aboleat peccatum & mortem, & credimus nobis propter eum donari remissionem peccatorum & uitam æternam. Hæc de Lapide hoc loco præcipuè considerentur, quomodo incoët uitam æternam.

Gratis.

Et diligenter obseruetur in doctrina de fide, particula Gratis, sicut aliàs sæpè dictum est, Quòd gratis donentur nobis beneficia Christi, ne transferatur honos Christi in iusticiam humanam. Item, ut maneat fidei certitudo, Non posset fides existere, si penderet ex conditione nostræ dignitatis, aut Legis. Et quid sit hæc fides, in inuocatione, discendum est in omnibus uitæ negocijs & periculis, tunc intueamur Christum Mediatorem & Pontificem, & cogitemus eum hunc esse Lapidem, qui destruit potentiam Diaboli, Sicut Iohannes inquit, In hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera Diaboli. Et meminerimus particulæ Gratis, quam ipse Daniel nobis inculcat infrà cap. 9. Nec enim in iustificationibus nostris inuocamus, sed in miserationibus tuis multis.

Imperia constituuntur diuinitus.

Postremò excerpantur testimonia de politicis negocijs. Primùm, quòd imperia diuinitus constituantur, testatur hic Daniel inquiens, Sit nomen Dei benedictum &c. Qui transfert regem & consistere facit.

Pijs licere administrare imperia.

Secundò, quòd pijs liceat administrare Imperia, testantur hic exempla Danielis, & aliorum Sanctorum, qui præfuerunt prouincijs, & quidem dixerunt ius, non ex legibus Mosaicis, sed ex Babylonicis.

LOCI III. CAPITIS.

I. Exem-

EXemplum humanæ cæcitatis & audaciæ instituentis nouos cultus sine uerbo Dei, quos hic ostendit se Deus improbare.

II.

Doctrina est, quōd oporteat reprehendi impios cultus.

III.

Quōd oporteat mandatum Dei anteferre omnibus rebus humanis, potestati, legibus humanis, paci, tranquillitati uitæ nostræ.

IIII.

Blasphemia refutanda est, Vt hic refutatur dictum Regis, Quis Deus potest uos liberare?

V.

Qualis debeat esse fides de corporali liberatione, uidelicet cum conditione, si Deo placet. Et de discrimine promissionum, Aliæ habent conditionem, aliæ non habent.

VI.

Glorificatio piorum contra blasphemiam, & pœna impiorum, præsertim satellitum, qui alieni furoris ministri sunt.

VII.

Testimonium, quōd in periculis Deus addat Angelos pijs.

VIII.

Conuersio Regis, sequens concionem & glorificationem piorum.

IX.

Edictum, quod docet pertinere ad officium principum, prohibere & punire blasphemias.

DE I. LOCO.

CVm magnitudo rerum non possit uerbis explicari, sum breuior, & tantūm admonere lectores cupio. Primùm igitur hic discant pij, ingens & horribile peccatum esse contra primum præceptum, instituere & defendere cultus sine uerbo Dei. *Cultus sine uerbo instituti &c.*

Ac sciamus non unum Nabogdonosor hic significari, sed idolatriam totius mundi, Sicut Nabogdonosor horribili audacia, & tamen summa opinione religionis, instituit cultum, Ita multi fecerunt alijs temporibus. Imperia plerunq; defendunt idolatriam: In Ecclesia uerō impij Pontifices regna sibi constituunt, & muniunt prætextu nouorum cultuum, Sicut Ieroboam fecit. Et eō spectauit consilium Nabogdonosor, ut suo cultu consociaret gentes, &c. *Imperia defendunt idolatriam.*

Ideo cogitandum est, ingens peccatum esse Pontificum & Principum, qui defendunt cultus institutos sine uerbo Dei, & pugnantes cum uerbo Dei, Missam, Monachatus, & alias traditiones. Vt Esaiæ 29. dicitur, Miscuit uobis Dominus spiritum soporis &c. quia coluerunt me mandatis hominum &c. *Peccatum impiorum Pontificum &c.*

Et Iere. 2. Duo mala fecit populus, Me dereliquerunt fontem, & sibi fecerunt cisternas.

Hæc cogitanda sunt, ne nos polluamus societate defendentium impios cultus, ne eis assentiamur, ne eos adiuuemus &c.

II.

COlligendæ sunt sententiæ, quæ hortantur nos, ut reprehendamus impios cultus, ut primum præceptum ait, Non habebis Deos alienos.

Item, Qui non confitebitur me coram hominibus, confitebor eum coram Patre cœlesti.

Item, quōd anteferendum sit mandatum Dei legibus humanis, & potestati. Iuxta illud, Oportet Deo magis obedire quām hominibus.

Item de scandalis, Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.

IIII.

Tyranni deridēt pios.

REx non solūm præcepit honorem statuæ haberi, sed addidit manifestam blasphemiam, qua suam potentiam antefert diuinæ. Et omnibus temporibus Tyranni deridēt pios, expectantes auxilium diuinum, Quia aut sunt Epicurei, aut sibi persuadent se esse præcipua membra populi Dei, sicut Pharisæi de sese sentiebant.

Senacherib.

Deus autem plerunq; insignibus exemplis & corporali liberatione uindicat gloriam nominis sui, ut 4. Reg. 19. de Senacherib, Insanisti aduersus me, superbia tua ascendit ad aures meas &c.

Et post subsannationes in historia passionis Christi statim sequuntur terræmotus, Eclipsis, & ipsa rerum natura testatur, se abhorrere ab istis blasphemijs, Ita solet sequi glorioſa uindicta.

Porrō pij tales blasphemias dissimulare non debent, sed apertē refutare, Sicut hic dicunt, Est Deus noster quem colimus, qui potest nos liberare. Dicitē autem dicunt, quem colimus, ut significent se prædicare illum solum esse Deum, qui hoc uerbum & hos cultus certis testimonijs tradidit, quos populus Israël habebat.

Deus uerbo agnoscitur.

Quare discamus Deum non agnosci neq; coli nisi in illo uerbo, quod ipse nobis proposuit, Et repudiandos esse cultus & opiniones de Deo extra hoc uerbum, Sicut docet Christus, inquiens, Qui me uidet, uidet Patrem.

V.

HIc de promissionibus quærendum est, & natura fidei consideranda, quomodo expectet liberationem? Nam textus apertē prædicat fidem horum confitentium. Respondeo, Promissiones omnes requirunt utrunq;, scilicet, ut credamus, Deum & posse & uelle nobis opitulari. Sed de uoluntate discrimen est, Promissio gratiæ postulat, ut nominatim credamus hoc ipsum tribui, uidelicet remissionem peccatorum & imputationem iusticiæ, & uitam æternam.

Promissio gratiæ.

Nam hic expressit Deus suam uoluntatem, & hæc petenda & expectanda sunt nominatim sine aliqua conditione, sicut textus inquit, Omnis qui credit in Filium, habet uitam æternam.

Promissio corporalium beneficiorum.

Et hæc fides semper debet prælucere & gubernare expectationem corporalium beneficiorum. Quanquam autem promissiones corporalium beneficiorum etiam requirunt, ut credamus, non solūm de potentia Dei, sed etiam de uoluntate, quōd Deus uelit iuuare: tamen fides de præsenti liberatione addit conditionem, scilicet, Si Deo placuerit, me in præsentia liberabit. Nec conditio pugnat cum natura fidei, sed præstat obedientiam, Quia simul requiruntur ista, ut simus parati ad obedientiam, ut inuocemus, petamus, & expectemus auxilium, sed iuxta consilium Dei.

Ita orat Dauid, Si Dominus uolet, reducet me, Si non uolet, fiat uoluntas Domini.

Ita

Ita dicunt & hoc loco isti confitentes, Non oportet nos respondere, id est, An Deus sit nos exemturus ex hoc camino, non scimus, Quasi dicant, Exitum & euentum & modum liberationis consilio Dei permittimus, sumus etiam parati ad obedientiam. Sed gloriam Dei defendimus, affirmamus eum nos posse liberare, & hunc uerè Deum esse, quem colimus, id est, qui nobis uerbum & cultus tradidit, Et interea ipsorum fides tamen expectat à Deo qualemcunq; consolationem & auxilium, iuxta consilium Dei.

VI.

Quo consilio Deus imponat pijs afflictiones corporales.

AC diligenter hic obseruandum est, Ideo nobis imponi afflictiones corporales, ut excitemur ad inuocationem & fidem. Sicut Esaiæ 26. dicitur, Angustia ad clamandum disciplina tua eis. Ideo non est indulgendum diffidentiæ, nec cogitandum, frustra fieri inuocationem, aut promissiones esse irritas, etiamsi illa conditio additur. Liberat enim Deus, cùm inuocamus, ut nobis testimonia ostendat suæ præsentiæ, Sicut inquit in Psalmo, Eripiam te, & glorificabis me.

Incessanter orandum.

Et cùm non uult præsentem calamitatem tollere, tamen addit consolationem. Quare nunquam promissio est irrita, Iubet igitur Christus incessanter orare, id est, Etsi differtur liberatio, ut exerceamur, tamen orare non desinas, quia inuocatio non est irrita.

Sed hoc agere difficile est rationi, cùm Deus non liberat, franguntur animi, existimant se non exaudiri, incipiunt indignari ac prorsus deficere à Deo, sicut Saul defecit.

Huic tentationi fides repugnare debet, ut crescat & ardentius petat, & expectet auxilium, etiamsi non statim aut prorsus tollitur præsens calamitas. Nam quia Deus hanc inuocationem exaudit, opitulabitur, uel præsenti consolatione ac mitigatione calamitatis, uel constituens suo mirabili consilio bonum euentum, Sicut Paulus inquit, Fidelis Deus, qui dat cum tentatione euētum, &c.

VII.

MIraculum editum est, ut Rex conuerteretur ad agnitionem Dei, Qui conuersus etiam edit confessionem, & prohibet blasphemias.

Hic discamus ad officium Principum pertinere, ut impiam doctrinam & impios cultus aboleant, & curent piam doctrinam & pios cultus proponi. Nam Magistratus est custos totius legis, quod ad disciplinam attinet: Sicut prohibet homicidia, etiamsi non mutet corda, Ita prohibere debet externam idolatriam, blasphemias, impios cultus.

Quanquam enim Magistratus non est ministerium spiritus, id est, quanquam non conuertit corda, Tamen est Minister tuendæ externæ disciplinæ totius Legis, & ut membrum Ecclesiæ præcipuum, adiuuare reliqua membra debet, ut pia doctrina propagetur.

LOCI IIII. CAPITIS.

I.

Officium principis.

EXemplum, quod indicat conuersos postea subijci horrendis adflictionibus, Sicut rex Nabogdonosor post conuersionem hic in acerbissimam calamitatem

Officium pij magistratus.

lamitatem incidit: iuxta illud, Iudicium ā domo Dei incipit. Item, Humiliamini sub potenti manu Dei. Nec dubium est, fuisse multos, qui dixerunt eum pœnas dare mutatæ religionis.

II.

Pœna securitatis, superbiæ & negligentiæ in secundis rebus, Quia textus dicit, Erat florens in palatio. Et postea, Nonne hæc est Babylon, quam ego ædificaui? Et angelus ipse dicit, Hoc exemplum proponi, ut omnes gentes Deum agnoscant, & sciant eum resistere superbis, & humiles tueri.

III.

Imago regni, Rex est arbor, sub qua pascuntur animantia. Ergo Principes non sint tyranni, sed præbeant umbram, id est, defensionem subditis, & concedant eis, ut quærere uictum, & frui suis possint. Item, Angelus additur custos Regis.

IIII.

Mitigatio pœnæ. Daniel iubet Regem agere pœnitentiam. Ergo comminationes mitigari possunt, ut testatur exemplum Niniues. Et scriptum est, Viuo ego, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Nec sunt huc afferendæ disputationes de Stoico fato.

V.

Concio de pœnitentia, Libera te ā peccatis per iusticiam & beneficia erga oppressos, Et erit longanimitas ad tuam salutem, uel erit sanatio delictorum tuorum.

Hæc concio utrumq; complectitur, doctrinam contritionis, scilicet Legem, quæ arguit peccata, & promissionem gratiæ seu absolutionem.

VI.

Testimonium, quòd Euangelium pertineat ad Gentes. Item, de libertate Euangelica, quòd cultus Legis non fuerint necessarij ad gratiam.

VII.

Cùm hic tradatur promissio, Erit sanatio, necessariò sequitur requiri fidem. Quare non intelligunt hoc dictum, qui detorquent contra doctrinam de fide.

VIII.

Cùm fides non nitatur nostra dignitate, sed intueatur promissionem, necesse est intelligi, gratuitam esse remissionem.

IX.

Nec satis est intelligi dictum de remissione pœnæ temporalis, quia pœnæ non mitigantur sine uera pœnitentia & remissione culpæ, Ideo prius hic intelligatur remissio culpæ.

X.

Post concionem conceditur interuallum Regi ad pœnitentiam totus annus, Sed manent securitas & superbia, Ideo sequitur pœna.

XI.

Pœnæ infliguntur, ut admoneant nos de pœnitentia, Sicut inquit Paulus, A Domino corripimur, ne cum mundo damnemur.

XII

XII.

Post pœnam hic Rex præstat ueram contritionem, fidem, confessionem & inuocationem. Vox est contritionis, Gradientes in superbia ipse humiliat. Fidei, Leuaui oculos meos ad cœlum. Inuocationis & confessionis, Laudo & glorifico Regem cœli.

Sic igitur in pœnis agnoscenda est ira Dei aduersus peccatum, Et rursus agnoscenda misericordia, quòd puniat Deus, non ut perdat, sed ut uocet ad pœnitentiam &c.

XIII.

Vtrumcp̃ considerent, præcipuè Principes, deinde & alij̃, uidelicet pœnas impendere securis, superbis, & præditis excellentibus donis, Sicut inquit Christus, Abominatio est coram Deo, quidquid est sublime apud homines.

Rursus etiam misericordiæ exemplum consideretur, quòd tantus idolatra, tàm superbus Tyrannus recipitur in gratiam, & quidem liberatur etiam à corporalibus pœnis, Et consolatur pios hoc exemplum contra tentationem de magnitudine peccati, ut discant exuberare gratiam supra peccatum, ut inquit Paulus.

Breuiter complexus est Propheta imaginem & officia pij̃ Principis, requirit primùm pietatem, agnitionem Dei, & fidem. Deinde beneficentiam erga oppressos, hoc est, iusticiam in administratione, defensionem piorum, & Ecclesiæ aduersus Tyrannos.

DE II. LOCO.

TExtus ostendit peccata Regis fuisse, securitatem & superbiam, quæ ambo sunt arcana, & multorum Sanctorum peccata, & facilius obrepunt in rebus secundis, ac præcipuè excellentibus uiris, qui habent admirabiles successus, ingentem gloriam, magna Dei dona. His commodis cũm delectatur animus, nec sentit significationes iræ Dei, paulatim extinguitur timor iræ & iudicij̃ diuini, incipit animus immodicè mirari & amare hæc bona, & obliuiscitur Dei, nec cogitat successus illos à Deo esse, sed intuetur suam sapientiam, suas uirtutes, suam potentiam, Harum rerum ope iudicat se tantas res gerere & efficere, & confidit similes se perpetuò gesturum esse. Confidit se munitum esse his præsidijs contra omnes fortunæ casus, Sicut Pompeius dicebat se supplosione pedis Italiam totam completurum esse exercitibus. Et Timotheus Dux Athenienſis in concione dixit, Hoc ego feci, non fortuna. Post eam uocem scribunt ei postea nihil succesſisse. *Securitas & superbia.* *Pompeius.* *Timotheus Dux Athenienſis.*

Porrò elatus animus illa fiducia sui, quòd per sese res magnas efficiat, ꝙ sua sapientia sit munitus aduersus omnes casus, incipit alios homines contemnere, sese amat & admiratur, sibi permittit licentiam multorum scelerum. Vult coli & magnifieri, & fit asper non colentibus. Exempla illustria conspiciuntur in Alexandro, Pompeio & Cæsare. Existimant sua sapientia, sua uirtute & potentia, tot uictorias partas esse, & se inuictos esse. Ideo contemnunt cæteros, sibi permittunt licentiam, & ruunt in uaria scelera, uolunt coli nequacp̃ familiari consuetudine. *Elatus animus* *Alexander.* *Pompeius.* *I. Cæsar.*

Sic etiam Sanctis obrepit negligentia, ut Samsoni & Dauidi, quia Dauid in præsentia non sentit significationes iræ Dei, minus timet iudicium, & obsequitur illecebris uoluptatum. *Samſon.* *Dauid.*

Plerunqp̃

Securitatem comitatur superbia.

Plerunq; autem in magnis uiris securitatem comitatur superbia, id est, fiducia propriæ sapientiæ, iusticiæ, potentiæ, obliuio Dei. Postea accedunt iracundia, crudelitas, & alia uicia. Cùm autem Deus præcipuè superbiam, id est, fiduciam propriæ uirtutis horribiliter puniat, Exempla omnium historiarum continent tristissimos casus magnorum uirorum, ut Saulis, Herculis, Thesei, Miltiadæ, Themistoclis, Pompeij, Cæsaris &c.

Oedipus.

Et apud Euripidem inquit Oedipus, Ego qui excellui omnes Reges sapientia, Nunc quid sum, nisi euanescens umbra, uel cadauer, uel uolatile somnium? Hæc est magni Regis uox, & summo gradu detracti in acerbissimas calamitates.

Dauid.

Talis fuit imago Dauidis in seditione, cùm ipse cogitaret, quanti sceleris pœnas daret.

Nabogdonosor

Talis fuit imago huius Babylonici Regis, qui non solùm fit furiosus, sed, ut insania sit celebratior, uagatur inter bestias. In hac calamitate non solùm amisit regnum, & autoritatem, sed quod multò plus est, mentem etiam. Consideremus igitur quale sit eius peccatum, ut discamus timere Deum, & non alere securitatem & superbiam, quæ pariunt multa alia peccata & pœnas: sicut scriptum est, Sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere. Item, Cùm dixerint, Pax & securitas &c.

DE IIII. LOCO.

Remoue peccata tua per iusticiam.

COncio pœnitentiæ diligenter consideranda est, Nam ut dixi, utraq; pars hic breuiter proponitur, doctrina Legis & promissio. Prima pars est concio Legis, Remoue peccata tua per iusticiam, & per beneficia erga miseros. Hæc est uox Legis, quæ præcipit de pœnitentia seu de contritione. Nec aliud est, quàm quòd dicit Esaias, Desinite malè facere, & discite recta facere. Item, Si egeritis pœnitentiam, peccata uestra remittuntur &c.

Requirit pœnitentiam, nec tamen sentit opera mereri remissionem. Necessaria enim est pœnitentia seu contritio, sed non est causa nec meritum remissionis peccatorum. Nec hoc dicit Daniel, sed præcipit cessationem, Auferte peccata tua per iusticiam, id est, cessa, desine peccare, & incipe iusta facere. Hæc est simplex & non perplexa interpretatio. Manifestum est autem hanc esse uocem Legis, & concionem de pœnitentia seu contritione.

Promissio implicita doctrinæ operum.

Sed omissis aduersarijs, de re dicamus. Quanquam non uult Daniel opera mereri remissionem, tamen huic ipsi concioni est implicita promissio de remissione peccatorum. Nisi enim esset proposita remissio, non diceret, Auferte peccata tua. Certè enim hoc uult, Emenda te, & conuersus habebis remissionem. Ita sæpè implicitæ sunt promissiones doctrinæ operum, & tamen discerni fidem ab operibus & merito necesse est, Sicut Esaias capite 1. Non potest enim existere fides, si nitatur conditione nostræ dignitatis.

Omnis promissio requirit fidem.

Sed sequens pars expressè addit promissionem, Ecce erit sanatio delictorum tuorum. Porrò omnis promissio requirit fidem, & quidem promissio reconciliationis requirit fidem, quæ statuat gratis condonari peccata, Quia fieret incerta, & excuteretur animis, si penderet ex conditione dignitatis nostræ. Ergo nemo peritus negare potest, quin hic requiratur fides proposita promissione. Vbicunque igitur uel apertè uel tectè promissio traditur simul fidem requiri sciamus, Sicut docet Paulus Rom. 4. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

Aduersa-

Aduersarij insulsè intelligunt has grauissimas conciones, Nec discernũt promissiones à Lege, nec intelligunt usum promissionum & certamina fidei, tantùm somniant hæc esse puerilia præcepta de moribus. Abducamus igitur animos ab eorum deliramentis, & cogitemus hic proponi seriam & grauissimam concionem de re maxima, de remissione peccatorum, de uita æterna.

Ac Daniel in hac Concione haud dubiè complexus est totam doctrinam de promissionibus. Nam hæc absolutio non est humana uox, sed sententia diuina, ex promissionibus sumta, in quibus norat Daniel propter uenturum Christum promissam esse remissionem peccatorum, Et beneficium non tantùm ad Iudæos pertinere, sed etiam ad Gentes, hoc est, ad omnes, qui promissioni de Christo credunt. Nec fuit uulgaris sapientiæ, sic intelligere promissiones, quòd etiam ad Gentes pertineant. Et simul docet nos Daniel de uocatione Gentium, de abrogatione Legis, de gratuita iustificatione. Ostendit enim ceremonias Iudaicas non esse iusticiam, nec mereri remissionem peccatorum, Quia has non imponit Regi. Hæc omnia complexus est in hoc exemplo. *Doctrina de promißionibus*

DE FRVCTIBVS POENITENtiæ seu bonis operibus.

VT autem in conuersione seu pœnitentia semper sequi debet noua obedientia, Sicut Iohannes inquit, Facite fructus dignos pœnitentia, Ita hic adijcit Daniel doctrinam de bonis operibus. Ac primùm uide quæ opera flagitet, uidelicet non opera Monastica, non humanas traditiones, sed opera, quæ Deus præcipit. Et nominatim concionatur de officio uocationis. Cùm iubet eum præstare iusticiam, intelligenda est uniuersalis obedientia, scilicet agnitio Dei, timor, fides, dilectio Dei, Iusticia in regendo imperio, continentia & cæteræ uirtutes, quas Deus postulat. *Opera à Deo mandata &c.*

Nominatim uerò additur particula de præcipuo opere uocationis, Singuli enim præcipuè debent opera suæ uocationis præstare, Sicut Paulus 1. Thessal. 4. iubet singulos in hoc studio excellere, ut suum officium faciant. Item, Melior est obedientia quàm uictima. Ideo hic Daniel Regi de propria functione concionatur, iubet eum præstare beneficentiam erga oppressos, Hic complectitur generaliter iudicia, pœnas, bella, & omnem defensionem innocentum. *Propria functio Regis. Beneficentiá erga oppressos.*

Sed præcipuè admonet eum de defensione ueræ Ecclesiæ, quæ tunc in exilio ab impijs crudeliter tractabatur. Hortatur ergo Daniel regem, ne sinat Ecclesiam Dei deleri, sed ut eam conseruet, ornet, & adiuuet suis beneficijs, Hoc est præcipuum munus Regum & Principum, Sicut inquit Esaias, Reges erunt nutritores tui &c. *Defensio ueræ Ecclesiæ.*

Meminerimus ergo hanc concionem, ut eam Principibus etiam hoc tempore proponamus, quo exercetur iniustissima crudelitas contra ueram Ecclesiam. Quanquam enim non omnes Tyranni flecti ad pietatem possunt, tamen pij principes confirmantur his dictis Prophetarum, & aliqui hostes reuocantur in uiam, sicut hic Nabogdonosor, qui etsi fuerat hostis, tamen conuertitur ad agnitionem Dei, & defendit pios. De his officijs præcipuè concionatur Daniel, Et hanc regiam concionem sciamus ad omnia tempora, & omnes principes pertinere.

Veri fructus pœnitentiæ.

Sciamus & illud, Hæc opera à Deo mandata, ueros fructus pœnitentiæ esse, seu nouam obedientiam, in qua lucet & exercetur fides, Quia enim Rex iam ornat Ecclesiam, ostendit signum confessionis, quòd agnoscat unum esse Deum, conditorem cœli & terræ, qui uelit agnosci per uerbum, quod huic uni populo Israël tradiderat, qui dederit promissiones de remissione peccatorum, exaudiat & saluet. Testatur cæteros Deos & cultus extra hoc uerbum reiciendos esse. In hac confessione multos inuitauit Rex ad pietatem. Exercuit & fidem in periculis, Quia non dubium est, fuisse impios Principes, qui ei aduersati & insidiati sunt, Sed ipse pertulit has difficultates, & expectauit à Deo defensionem.

De his grauissimis rebus concionatur Daniel, de pœnitentia, promissione, fide, de ueris fructibus pœnitentiæ, de proprio Regum officio, de exercitijs fidei in periculis administrationis.

Locus hic Danielis ad satisfactiones translatus &c.

SEd Monachi multis modis contaminauerunt hunc locum, transferunt ad satisfactiones & opera indebita, Quia hic rex affligitur, disputant, non remitti peccata sine satisfactionibus. Item, quia interpres hic nominat eleemosynas, ipsi detorquent dictum ad ceremonias certas eius officij, & fingunt eas esse satisfactiones, & mereri remissionem culpæ & pœnæ. Hæc facilè refutari possunt.

Noua obedientia sequi debet pœnitentiam.

Primùm igitur sciendum est, totum deliramentum de satisfactionibus, quas uocant opera indebita reijciendum esse, luxta hoc dictum, Fruſtra colunt me mandatis hominum. Sed post pœnitentiam sequi debet noua obedientia, à Deo præcepta. Ad hanc etiam eleemosynæ pertinent, quæ dandæ sunt pro modo facultatum. Et quanquam hæc opera non merentur remissionem culpæ uel pœnæ æternæ, tamen promissio Dei certa & credenda est, quòd Deus uerè ignoscat agentibus pœnitentiam, credentibus & inuocantibus ipsum, & uelit tollere aut mitigare pœnas corporales. Hæc beneficia fide petenda & expectanda sunt, cùm agimus pœnitentiam. Ac minus esset calamitatum publicarum & priuatarum, si hac fide peteremus mitigationem, & ageremus pœnitentiam, iuxta illud Zachariæ, Conuertimini ad me, scilicet agentes pœnitentiam, & credentes & inuocantes me, Et conuertar ad uos, scilicet dandis beneficijs.

Pœnæ sunt testimonia iudicij Dei.

Quod autem de pœnis obijcitur: Adam, Dauid, Osias, Manasses, Nabogdonosor, & multi quotidie puniuntur, Ergo cùm peccata non sine pœnis remittantur, necessaria est satisfactio. Respondeo, Neganda est consequentia, nam pœnæ illæ nec satisfactiones, nec compensationes sunt, nec merentur remissionem culpæ nec damnationis. Sed sunt singularia Dei opera, quibus uocat lapsos ad pœnitentiam, aut exercet Sanctos, Sicut scriptum est, Iudicium à domo Dei incipit, & quanquam Deus uult pœnas illas exempla esse omnibus, quæ admoneant omnes de ira & iudicio Dei, tamen multis parcit, ut Niniuitis, & in Euangelio passim remittit sine pœnis.

Exempla pœnarum sunt testimonia iudicij Dei, quòd uerè Deus aliquando omnes impios puniturus sit, Sicut prima concio inquit, Si malefeceris, peccatum tuum quiescet donec reuelabitur, Quasi dicat, Etsi aliquandiu differtur pœna, & eris securo ac ocioso animo, tamen tandem Deus iudicabit & puniet.

Ex

Ex Exod. 23. Ego autem in die uisitationis meæ uisitabo peccata eorum, Quasi dicat, Etsi differo pœnas, tamen non propterea existimate me obliuisci scelera, non humano consilio, sed meo, constituo pœnas, Do spacium pœnitentiæ, Ideo metui uolo, & uos ad pœnitentiam uoco.

Sic de pœnis sentiendum est, non quòd sint satisfactiones, sed sint testimonia iudicij Dei, & nos uocent ad pœnitentiam, aut exerceant Sanctos.

Alia exempla, ubi mitigatæ aut sublatæ sunt pœnæ, sunt dulcissimæ consolationes, quæ testantur agentibus pœnitentiam, remitti aut mitigari pœnam, Sicut docet Esa. cap. 1.

Cæterùm exempla Sanctorum, ut Abel, Esaiæ, Ieremiæ, Iohannis Baptistæ, & similium non sunt pœnæ, sed exercitia, ut antè dictum est. Quia oportet Ecclesiam subiectam esse cruci, ut agnoscat magnitudinem peccati hærentis in carne, Et rursus abolita carne, incoëtur nouitas spiritualis inter afflictiones. *Ecclesia subiecta cruci.*

Hæc breuiter de afflictionibus adieci, ut Lectores admoniti repudient deliramenta de satisfactionibus, & sciant nec pœnas diuinitus irrogatas, nec nostra opera satisfactiones esse.

Sed hic obijciunt, Textus inquit, Redime, Ergo significat opera esse precium seu meritum. Respondeo breuiter, Vocabulum significat cessationem, non compensationem, Quasi dicat, Cessa à peccatis, & rectè facito, seu libera te à peccatis, quod idem est, Cessa à peccatis &c. Sed non ero prolixus in hac Grammatica cauillatione tractanda. Opponantur alia illustria testimonia, quæ loquuntur de gratuita remissione, & de fide in Christum, & de sacrificio Christi. *Redime peccata.*

ORigenes transformauit hanc historiam in allegoriam prorsus intempestiuam de Diabolo. Scripsit significari per Regem Babylonicum Diabolum eiectum per superbiam &c. Et aiunt addidisse errorem de liberatione Diaboli. Sed hæc portentosa deliria improbanda sunt, & fugiendæ absurdæ allegoriæ. *Origenis allegoria.*

Nos historiam retineamus, & meminerimus illustre exemplum pœnitentiæ propositum esse, in quo admonemur de securitate, de pœnis, de gratuita remissione peccatorum, de uocatione Gentium, de promissione, de uera fide, de fructibus pœnitentiæ, de Principum officijs &c. *Exemplum pœnitentiæ.*

Veræ fidei uox est, qua hic cognoscit non solùm potentiam Dei, sed etiam uoluntatem, scilicet, quòd puniat superbos, & remittat peccata agentibus pœnitentiam, exaudiat & saluet inuocantes. Hæc agnitio est uera fides, quam hic profitetur, cùm ait, Gradientes in superbia humiliat. Ergo agnoscit Deum non ocioſum, sed uerè punientem. *Fidei uox.*

Addit etiam, Omnes uiæ eius iudicia, id est, prædicat Deum esse iustum, punientem eos, qui ipsum contemnunt, & recipientem in gratiam agentes pœnitentiam, sicut ei Propheta dixerat, Nam ad Prophetæ concionem respiciendum est, Agnoscit rex se à Deo punitum esse, & nunc pœna liberatum, Agit igitur gratias pro liberatione, & recordatur promissionis, credit remissionem peccatorum &c.

CAPVT V.

SVprà propoſuit Regem agentem pœnitentiam, & propagantem ueros cultus, quem Deus etiam ornauit præmijs. Nunc addit contrarium exemplum Regis impij, reſtituentis idolatriam, non agentis pœnitentiam, quem Deus punit & regno exuit.

Euilmerodach. Primùm autem hiſtoria conſideranda eſt, Nabogdonoſor regnauit annos 45. Patris pietatem imitatus eſt filius Euilmerodach, qui Ieconiæ regi Iuda tribuit regium honorem, & magnis beneficijs affecit populum Dei, regnauit autem Euilmerodach annos 23.

Baltaſar. Huic ſucceſſit Balthaſar diſſimilis maiorum, & relapſus ad idolatriam, Qui ut teſtaretur ſe hoſtem eſſe ueræ doctrinæ, & confirmaret idolatras, profanabat Iudaica pocula, & manifeſto contemtu inſultabat Deo. Sicut Rapſaces & Senacherib 4. Reg. 18. & 19. Et ſicut Iudæi Chriſtum deridebant, Si Filius Dei eſt, deſcendat de cruce. Has blaſphemias citò ſequuntur pœnæ, iuxta ſecundum præceptum, Non habebit Deus inſontem &c.

I.

HAec hiſtoria primùm admonet nos de horribili potentia Diaboli, qui omnibus ſeculis abutitur ſummis principibus ad confirmandam idolatriam, & lacerandam Eccleſiam, Quare pauci Principes retinent ueros cultus Dei, & contra hoc ſcandalum neceſſe eſt præmunitos eſſe animos piorum, Et prodeſt pijs intelligere Principum peccata, qui ideo corrumpunt ueram doctrinam, ut attemperent religiones ſuis utilitatibus, quod eſt uerè & ſimpliciter illudere Chriſto, Et huius rei habet hæc ætas multa exempla.

II.

Secundò, Hæc hiſtoria hortatur Principes ad pietatem, & admonet de pœnis impiorum.

III.

Mutationes regnorum. Tertiò, teſtatur mutationes regnorum fieri diuinitus, propter uaria peccata Principum. Hic punit Deus idolatriam & blaſphemiam, ſicut in Manaſſe, & regibus Iſraël, In Dauide puniuit adulterium & conſilium cædis.

Oſeæ 4. Sed plerumq; fit, ut concurrant peccata populi & principum, Sicut Oſeæ 4. dicitur, Qualis ſacerdos, talis populus. Nec dubium eſt plerasq; calamitates mundi nunc accidere, propter multiplicem idolatriam, inmiſſis, inuocatione Sanctorum, & alijs erroribus ac impijs cultibus. Hinc ſunt Turcici ſucceſſus, bella inteſtina, & aliæ diſſipationes.

IIII.

DE REBVS SACRIS.

Res conſecratæ. QVartò. Hic de ſacris rebus quæritur. An non liceat eas transferre ad profanos uſus? Reſpondeo, Conſecratas ſine uerbo Dei non eſſe diſcernendas à prophanis, quòd ad conſecrationem attinet, Quia nulla eſt conſecratio ſine uerbo Dei, imò impietas eſt fingere conſecrationem ſine uerbo Dei, Sicut in Act. 11. clarè dicitur, Quòd Deus purificauit, tu ne commune dixeris &c.

Quare

Quare pĳ rebus illis uti possunt, quæ fuerunt dedicatæ templis nostris, si alioqui teneant eas, sine furto aut aliorum iniuria, Imò peccant, qui non utuntur propter superstitionem, quasi sint res sacræ, quibus uelit Deus peculiarem reuerentiam tribui, quia sine uerbo Dei non debet ille honos tribui ullis rebus. Præterea rectè faciunt qui idolis consecrata prophanant, Sicut Rachel patri simulcra aurea rapuit.

Res dedicatæ templis. Idolis consecrata.

Aliud est de consecratis uerbo Dei, Sicut in lege Mosaica erant certæ res consecratæ, à quibus populus debebat abstinere propter uerbum Dei, quod ad illa tempora & illas res pertinebat. Et tamen ibi quoq; licuit pĳs in necessitate uti illis rebus, Vt ostendit exemplum Dauidis comedentis panes propositionis &c.

Consecrata uerbo Dei.

Sed Balthasar hic prophanat res diuinitus consecratas, & addit blasphemias, Ideo enim prophanat, ut ostendat se esse hostem Dei, sicut textus clarè dicit, Laudabant Deos aureos, ligneos &c. Sicut enim Iulianus restituere conatus est idolatriam: Ita hic Balthasar adiunxerat sibi hostes ueræ doctrinæ, & faciebat spem restituendæ idolatriæ. Quare prudenter discernenda sunt facta Rachel & Balthasaris, ut similia iudicari possint.

Balthasar prophanat res diuinitus consecratas.

Non peccat qui res templorum ad usus prophanos transfert, scilicet, si id sine furto & aliorum iniuria fiat. Vt enim furtum est, si priuatus, res fisci ciuitatis auferat, sine legitimo contractu, Ita furtum est, si priuatus aliquid auferat ex rebus Ecclesiasticis, sine iusto contractu. Possunt autem res Ecclesiasticæ, per contractus transferri ab ĳs qui legitimè administrant eas, ex probabili causa, sicut aliæ res fisci.

Porrò superior Dominus, ut defensor est aliorum publicorum bonorum, sic est defensor Ecclesiasticorum bonorum, Et ut Principis interest, si ciuitas bona fisci malè administrat, curare ut diligentius & utilius collocentur: Ita de facultatibus Ecclesiasticis interest Principum curare, ut inde alantur idonei doctores & scholastici, Et si fruuntur eis hostes Euangelĳ aut ocioſi, debent curare ut his remotis homines idonei substituantur. Sicut in C. præcipitur, Et scriptura inquit. Qui non laborat, non manducet.

Idonei Ministri alendi ex bonis Eccles. siast. non Epicurei porci Canonici & Episcopi &c.

Quare singuli Principes in suis ditionibus debebant ocioſos & hostes Euangelĳ, Episcopos, Canonicos & monachos eĳcere ex possessionibus facultatum Ecclesiasticarum, & curare ut idonei ministri cum coniugibus & liberis honestè alerentur. Item ut pauperes scholastici ex Ecclesiasticis facultatibus sustentarentur, ad conseruanda studia Ecclesiæ necessaria, Sicut inquit Paulus, Nemo militat suis stipendĳs, Quare uictus non solùm docentibus, sed etiam discentibus debetur. Et iniustissimum est suppeditare luxui canonicorum, & interea negligere non solùm Pastores, sed etiam ipsa studia, quæ sine publicis auxilĳs conseruari non possunt.

Victus debetur docentibus.

Nec habent potestatem superiores Domini transferendi ad se illa bona Ecclesiastica defraudatis Ecclesĳs, hoc est, quantum opus est Ecclesĳs, impertire debent. Id debebant facere etiam si de proprio esset largiendum, quantò magis antè partæ res Ecclesĳs conseruandæ sunt.

Sed si supereſt, aut sunt bona quæ Ecclesia non potest administrare, quia Episcopis non congruunt politica imperia, hæc superior Dominus rectè ad se transfert, Vt superiores Domini, debebant imperia, ditiones, exercitus Episcoporum ad se transferre, sed interea curare, ut ex bonis prospiceretur Ecclesĳs.

V.

In mutatione regnorum conseruat Deus Ecclesiam.

QVintō, In mutatione regni Deus non obliuiscitur Ecclesiæ suæ, Sicut Christus nos consolatur, Matth. 24. Cùm audietis rumores bellorum, ne turbemini. Prudenter enim discernenda sunt regna mundi à regno æterno, quod est Ecclesia. Et quanquam bella concutiunt Ecclesias in mutationibus regnorum, tamen pij debent intueri hanc consolationem, quōd Ecclesia sit æternum regnum, non debent desperatione desciscere ad impios, sicut fit nunc in Græcia. Contra hanc infirmitatem consolari pios Christus uoluit, Cùm audietis rumores bellorum, ne turbemini.

Itaq; hic in regni mutatione Deus rursus euehit Danielem, & attribuit ei maiorem autoritatem, quam antea habuit, ut noui reges etiam conuertantur ad agnitionem Dei, ut seruetur Ecclesia, & extent publica miracula, quæ testentur hunc populum habere uerbum Dei, & ueros cultus.

Non tantùm huic regi denunciant exitium uerba scripta in pariete, sed exemplum in genere significat modum mutationum omnibus temporibus.

Mane.

Prima uox Mane, id est, numerauit, significat Deum constituere metas Tyrannis, ultra quas progredi non possunt, Consolatur itaq; omnes pios, omnibus temporibus, ut sciant sæuitiam nec perpetuam nec diuturnam esse, Sicut Psalmus inquit. Fiant dies eius pauci &c. Quare prima uox admonet Principes de iudicio Dei, quōd metas eis constituerit, Consolatur pios quōd non sit duratura sæuitia, sicut omnium temporum historiæ testantur.

Sæuitia Tyrannorum non diuturna.

Autoritatis amissio.

Reliquæ duæ uoces, loquuntur de pœnis, Est autem regum & gubernatorum prima pœna, autoritatis amissio, Sicut dicitur Psal. 107. Effusus est contemtus super Principes, & errare fecit eos in inuio, & non in uia, & adiuuit pauperem ex afflictione, & pauit familias ut oues. Cùm enim imperia stent diuinitus, Deus addit gubernatoribus autoritatem, Vt 1. Regum 10. Et abijt cum eo pars exercitus, quorum Deus tetigerat corda. Et alio Psalmo. Qui dat salutem regibus. Et exempla omnium ætatum testantur, heroicos uiros autoritate ualuisse, & non humanis modis aut uiribus retinuisse uolunt*Heroici uiri autoritate ualent.*tates. Ideo quandocunq; impendet mutatio, autoritas mutatur. Aliter iudicat consensus bonorum, aliō inclinant animi, quàm antè, ut nunc de statu Pontificio apparet.

Regni Amissio.

Altera pœna est ultima, uidelicet, regni amissio, Vt Sauli succedit Dauid, & hic Chaldæis & Assyrijs succedunt Medi & Persæ. Atq; ita finis est primæ Monarchiæ, & aurei regni.

Desinant igitur nunc quoq; Tyranni opibus & potentia sua confidere, & cogitent se facili casu posse amittere sua Imperia: Vt illud florentissimum regnum occupauerunt Persæ, qui admodum exiguas uires initiō habuerunt. Agnoscebant igitur diuinitus se potitos esse Babylone, Nam & Xenophon scribit, Captam esse urbem tali tempore, cùm celebrarentur dies festi, & agi*Quali tempore capta Babylon.*tarentur conuiuia magna securitate, Alludens haud dubiē ad hoc conuiuium à Daniele descriptum.

Scribit etiam apud Cyrum fuisse duos Principes ex regno Balthasaris, Gobriam, & Gadatam, qui primi ingressi sunt urbem atq; arcem, & regem trucidauerunt, Nam Gobriæ filium in uenatione rex Balthasar iniustē per inuidiam occiderat. Ex horum & similium sermonibus, haud dubiē Daniel cepit innotescere

innotescere duobus regibus, Dario & Cyro, Etsi autem hunc Darium Medum ante Cyrum Græci non nominant, tamen uidetur ille ipse esse, qui à Xenophonte appellatur, Cyaxares Medus, cui successit Cyrus.

Cyaxares.

CAPVT VI.

I.

PRimum exemplum monet, quòd uictorias sequi debeat constitutio reipub. & præcipuè ueræ religionis restitutio, Sicut hic Prouinciæ ordinantur, legguntur præsides, & præficitur Daniel doctor ueræ religionis. Itaq; uicissim ornat Deus Persas ingenti gloria, luxta illud, Glorificantes me glorificabo.

II.

SEcundum exemplum ostendit, Non deesse Ecclesiæ persecutionem, & artificioſè irretiri Principum animos. Erant duo Reges, Darius senior, & Cyrus iunior, & non natus patre rege, sed gloria superior. Hæc dissimilitudo facilimè parit suspiciones & simultates, Sicut & Xenophon scribit, Cyaxaren offensum gloria Cyri, etiam lacrymantem cum eo expostulasse & questum esse, se contemni, tametsi placatur mirifica diligentia & fide Cyri. Facilè igitur fuit astutis & aulicis ingenijs inuenire technam ad impellendum regem, qui nolebant crescere Cyrum. Ideo patitur fieri edictum, ut à se omnia beneficia petantur.

Darius senior & Cyrus iunior.

Tales habet Diabolus ministros, qui captatis occasionibus regum animos astutè à ueritate auertunt, ubi summa officij & uirtutis specie insidiæ struuntur. Ita hic dum bonus senex suo honori aduersus collegam consuli arbitratur, non uidet quantum admittat sceleris, quòd in edicto etiam Dei inuocatio prohibetur.

Edictum Darij.

Monet igitur hoc exemplum, ut cauti sint Principes, in obseruandis talibus insidijs, ac præsertim in legibus & edictis condendis.

III.

TErtiò, proponitur exemplum infirmæ fidei. Diligenter autem discernendum est inter infirmos & persecutores. Infirmus est, qui amat & amplectitur doctrinam & propagare cupit, patitur se doceri, ac studet proficere. Cupit etiam saluos esse doctores, & cõfitetur aliquo modó, etiamsi nõ satis liberè nec satis fortiter propugnat: Neq; tamen negat aut oppugnet doctrinam. Talem iubet Paulus recipi, & addit, Deus eum recepit, & potest eum confirmare. Tales erant Apostoli tempore mortis Christi.

Infirmus. Rom. 14.

Et quidem ita gubernat Deus Sanctos, ut suam infirmitatem & habeant & agnoscant, ex qua tandem eluctantur. Ideo dicit Esaias. Linum fumigans non extinguit. Et Psal. 144. Alleuat Dominus omnes qui corruunt, Et erigit omnes elisos.

Sic & hoc loco infirmus est Darius, amplectitur doctrinam, cupit defendere confitentem, adiuuat etiam eum suo testimonio, & sua confessione. Hæc sunt signa piæ mentis, nec dubitat de causa, sed de facultate sua dubitat. Arbitratur se unum, præsertim in hac regni nouitate, non posse obtinere quod uolebat

Darius infirmitate lapsus.

lebat, nec licere soli sententiam omnium Principum improbare. Et isti non leuiter pugnauerunt, toto die contendunt, urgent legis autoritatem, dicunt exemplum fore pernicioſum,& contra regnum,ſi retractentur edicta. Tandem igitur uictus Rex dubitans uel de autoritate ſua, uel de facultate, permittit ut uincant accuſatores.

Quanquam igitur peccauit Darius, tamen infirmitate lapſus eſt, & contra furorem accuſatorum ſuſtentat ſe quadam ſcintilla fidei, quæ oſtendit,non ipſum, ſed Principes eſſe ſupplicij autores, etiamſi ipſe non ſatis fortiter eos repreſſerat. Oſtendit igitur ſuam confeſſionem, Deus tuus, inquiens,liberabit te. Tales infirmos Deus ſubleuat, ut hic apparet. Sequitur enim ſtatim acerbiſſima pœnitentia Regis, Ac deinde tantum fidei robur, tanta magnitudo animi, ut puniat etiam accuſatores.

Perſecutores doctrinæ.

Econtrā uerō perſecutores ſunt,qui non amant nec amplectuntur doctrinam, nec doceri ſe patiuntur, nec proficere ſtudent, nec tuentur doctores, nec propagare cupiunt ea quæ intelligunt, Sed mallent quoq; ſepelire & obruere, ac ſignificant odium. Hæc qui faciunt cognita doctrina, timeant iudicium Dei de Blasphemis. Eſtq; de eis ſeruanda regula Pauli, Hæreticum hominem poſt unam atq; alteram monitionem uitabis, quia eſt ſuo ipſius teſtimonio condemnatus.

Tit. 3.

Iam nos exemplo Darij agnoſcamus noſtram infirmitatem & proficere ſtudeamus,ac rogemus ſicut ille Marci 9. Credo Domine, ſed adiuua incredulitatem meam.

Duplex conſolatio exhibita regi.

Et memineris hoc loco duplicem conſolationem Regi exhibitam eſſe, uidelicet, Non ſolùm Daniel liberatus eſt ā ſuo periculo,ſed etiam rex liberatus eſt ā contagio parricidij,& conſecutus remiſſionem peccatorum. Hæc conſolatio quæ ad ipſius conſcientiam propriè pertinuit, non minus miraculum fuit quām alterum.

IIII.

QVartō exemplum de iniuſtis legibus retractandis, hoc tempore maximē obſeruandum eſt.

V.

Danielis confeſſio.

QVintō Danielis confeſſio hortatur nos ut aduerſemur impijs Edictis, Quia publicē orauit apertis feneſtris, Hortatur item ad precandum, & quidem ſignificat modum, quòd ſpectans ad Hieruſalem, dixerit ſuas preces, id eſt, fretus promiſſione data ueræ Eccleſiæ. Quia 3. Reg. 8. iubentur exules orantes ſe uertere uerſus Hieroſolymam, Sic ſe uertit Daniel uerſus occaſum meridianum,hoc eſt, cogitans de mandato & promiſſione, quòd Deus uelit ſeruare hunc populum, & exaudire propter promiſſum Dominum. Prorſus ſicut Euangelium docet nos orando intueri promiſſionem, & petere ac expectare auxilium propter Chriſtum. Sic illi templum intuentes, de promiſſione & de uenturo Domino cogitabant.

VI.

Hoſtes Eccleſiæ.

SExtō, Periculum Danielis pingit robur & uiolentiam hoſtium Chriſti, Sicut Daniel imbecillis, obijcitur leonibus: ſic tota Eccleſia habet hoſtes ualidiſſimos, Diabolum, Reges, potentes, ſuperbos, præſtantes autoritate & opibus in mundo.

Septimō

VII.

SEptimò, Liberatio Danielis est testimonium quòd Deus adsit Sanctis, & seruet eos suo iudicio, aliàs corpore, aliàs spiritu,

Est autem hic duplex liberatio, Daniel liberatur à morte, Rex liberatur à peccato, & ã morte æterna, Discit hic remissionem peccatorum & confirmatur in fide. Eam liberationem & Daniel præcipuè optauit, ut Deus glorificaretur, & Rex reuocaretur in uiam, & intelligit Rex ipse multò hanc esse maiorem, quàm erat incolumitas Danielis, Ideo ardentissimo pectore agit gratias Deo, ac edit testimonia confessionis. *Danielis liberatio.*

VIII.

OCtauò, Tres sunt insignes sententiæ in textu, de fide & operibus. Præcipua est de fide, cùm inquit, Credidit Deo suo.

Quanquam autem breuis est sententia, tamen admonet Lectorem de tota doctrina fidei, quòd Deus requirat fidem & quòd fides impetret ingentia dona. Credidit, uidelicet initiò proposito impio edicto, non abiecit fidem & professionem, sed constanter confessus, se Deum Israël inuocare, & hac fide petiuit & expectauit à Deo auxilium, pro Rege & pro se, uidelicet ne delereretur in regno uera doctrina. *Fides impetrat ingentia beneficia.*

Significat igitur fides hic, ut alibi, fiduciam quæ audet constanter confiteri, & statuit Deum nos per misericordiam recipere, & uelle saluare, & expectat auxilium pro Ecclesia, pro nobis, pro ijs, qui sunt conuertendi. Hanc fidem requirit Deus, & hæc impetrat beneficia. Iuxta illud Esaiæ. Qui confidit in Dominum, non pudefiet. Item Matth. 21. Quicquid petieritis credentes accipietis. Vt igitur fide impetrarunt auxilium, Moises ad mare rubrum, Esaias in obsidione urbis & alij Sancti in ueris periculis, Ita hic Daniel fide impetrat liberationem. *Fides.*

Hæc exempla nos quoq; in confessione & omnibus periculis exuscitent, & ad fidem ac inuocationem adhortentur, Suntq; opponenda hæc testimonia aduersarijs, qui de operibus multum uociferantur & reijciunt doctrinam de fide.

Reliquæ duæ sententiæ loquuntur de iusticia operum, quæ & coram Deo in credentibus esse debet, & coram hominibus, Disertè inquit Daniel, Inuenta est mihi iusticia coram Deo, Deinde addit etiam, Coram te Rex nihil mali feci. *Iusticia operum in credentibus.*

Obseruabis igitur hæc tria proponi, fidem, item incoatam obedientiam, quæ etiamsi est immunda, tamen placet Deo in credentibus, qui fide iusti sunt: oportet enim adesse in nobis iusticiam bonæ conscientiæ, ut inquit Paulus 2. Corinth. 1. Hæc est gloriatio nostra testimonium conscientiæ nostræ.

Ita hic Daniel ait, Inuenta est mihi iusticia coram Deo, Quod ut rectè intelligatur, adiunge alteram sententiam de fide, Credidit Deo suo, Nequaquam enim uult Daniel se esse iustum propter propriam dignitatem aut suas uirtutes, sed per misericordiam fide. Et tamen scit requiri & placere Deo iusticiam bonæ conscientiæ in credentibus.

Tertiò additur iusticia erga homines, nam & coram hominibus conspici innocentiam oportet exempli causa, Iuxta illud, Luceat Lux uestra &c.

Et

Daniel exemplo suo hortatur nos ut impijs Edictis aduersemur.

Et diligenter obseruandum est. Quòd quanquam fecit contra edictum, tamen affirmat se nihil mali feciſſe. Hanc uocem Danielis ad nos hoc tempore transferamus. Quanquam enim contra edicta Imperatoris facimus, tamen sciamus nos nihil mali contra eum facere, nec esse seditiosos nec lædere maiestatem superiorum. Talia enim edicta uiolari necesse est, quæ quidem ipsi pro inanibus habere debent. Ita nihil mali contra imperatorem faciebat Nicomedensis patricius, qui edictum publicè propositum concerpsit. Opponamus igitur uocem Danielis, his qui accusant nos contumaciæ, & uituperant tanquam seditiosos. Ad hæc reclamemus, Nos nihil mali contra Imperatorem facere.

IX.

NOno, Pœna calumniatorum admonet hostes Euangelij de iudicio Dei, & adhortatur eos ad pœnitentiam.

X.

DEcimo, Vt suprà exemplum Nabogdonosor de officio Principum docet, quòd debeant abolere impios cultus &c. Sic Darij exemplum hoc loco idem docet, qui etiam Edictum proponit de colendo Deo Danielis.

XI.

Deus Daniel.

VNdecimo, Obseruanda est in Edicto Regis Euangelica concio, ait, Hunc Deum Danielis esse Liberatorem & Saluatorem. Nominat Deum Danielis, id est, qui agnoscitur & colitur fide uerbi, quod prædicat Daniel, quia uerbum diuinitus traditum discernit Ecclesiam ā Gentibus. Deus enim non uult agnosci aut coli sine aliquo suo uerbo & testimonio. Ideo dicitur, Deus Abraham, id est, Qui dedit hoc uerbum, has promissiones Abrahæ, &c. Sic dicitur Deus Israël, qui eduxi te de terra Aegypti. Sic nos inuocamus Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi. Testatur igitur Rex illum Deum esse uerum Deum, cuius uerbum prædicat Daniel.

Deus Abraham.

Deus liberator & saluator.

Deinde addit alterum discrimen, Hunc Deum esse liberatorem & Saluatorem, Nam & hoc discrimen est ueræ religionis ā cæteris omnibus.

Vbi tantùm est Legis noticia, manet dubitatio, & afflicti non possunt statuere, Deum uerè uelle misereri, exaudire, iuuare, Sed Euangelium clamitat, quòd Deus gratis nos recipiat credentes, Item, quòd uerè uelit exaudire & saluare, quòd hanc fidem requirat, quòd hoc cultu præcipuè coli uelit. Opponenda est igitur uox Euangelij & promissio naturali dubitationi & Ethnicis opinionibus, & excitanda fides, ne arguamus Deum mendacij. Quare hæc concio in edicto, quæ prædicat Deum esse liberatorem & saluatorem, uerè Euangelica est, sicut illa in Psal. 147. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Hæc fides in quotidiana inuocatione exercenda est.

CAPVT VII.

Visiones de successione Imperiorum.

HIc Daniel incoat proprias uisiones de successione Imperiorum, & de aduentu Christi, ac certamine Ecclesiæ, quod postremis temporibus futurum erat. Ideo enim hæc uisio exhibita est, ut significaretur tempus aduentus Christi, ne propter morā & propter afflictiones pij desperarent de promissis.

Porrō

Porrō iterum in his uaticinijs admoneo, quod suprà dictum est, multipliciter erudiri & confirmari Ecclesiam. Primùm testantur Deum esse autorem Imperiorum, Item defendi & seruari Ecclesiam inter hæc imperia.

Secundò, cùm prædictiones de omnibus Imperijs euenerint, constat haud dubiè diuinas esse. Quare fatendum est istos Prophetas uerè habuisse uerbum Dei, & hanc doctrinam quam nobis tradiderunt uerè diuinam esse.

Tertiò, monent etiam nos de futuris periculis, ut obseruemus, qualis sit Antichristus, ne incauti assentiamur belligerantibus cum uera Ecclesia, nec propter scandala deficiamus à fide.

ENARRATIO.

VT autem suprà quatuor Monarchias constituit, Ita hæc uisio easdem Monarchias ostendit alia specie.

Leo significat Chaldæos & Assyrios. Duæ alæ significant duas præcipuas gentes, quæ per uices regnauerunt Chaldæos & Assyrios. Eleuatur supra terram, & mutatur in figuram hominis, id est, regnum ualdè fit glorioſum, & deponit immanitatem, quia uocatur ad agnitionem Dei. *Leo.*

Vrsus significat Persas. Tres longi dentes in ore, significant tres præcipuos Reges, Cyrum, Darium, Artaxerxen. *Vrsus.*

Pardus significat Alexandrum Macedonem. Quatuor alæ & quatuor capita successores sunt, Nam post ingentia certamina quatuor duces post Alexandrum, obtinuerunt regna maxima, Seleucus Syriam & ulteriora, Ptolemæus Aegyptum, Antigonus Asiam minorem, Antipater Macedoniam. *Pardus.*

Natura Pardi uel Pantheræ conuenit Græcis ingenijs, sunt Maculosæ, fragrantes, terribili capite, uenantur bestias odore, & occultato capite, animosissimè dimicant pro natis & sobole, nulla tela formidantes, capiuntur uino inebriatæ. *Natura Pardi.*

QVarta bestia significat Romanum imperium, quod significat omnium fore truculentissimum, Vel quia foris difficilima bella gessit, uel quia habuit plurima ciuilia bella, uel quia maximè sęuijt in Ecclesiam, uel quia deleuit gentem Iudaicam. *Romanum Imperium.*

Sed præcipuè obseruanda est hæc particula, quòd inquit, Residuum pedibus conculcabat. Hæc pictura significat postremam Imperij partem habitu- ram plus crudelitatis & calamitatum. Vt apparet Italiam nunc annis ferè non- gentis miserabiliter dilaceratam esse, Primum à Gottis, Græcis, posteà à Longobardis, deinde à nostris Imperatoribus usq; ad hoc tempus, Residuum, id est, partem Imperij reliquam, Pedes, id est, postremi Imperatores, maximè conculcabunt. *Residuum pedibus conculcabat.*

Sed non solùm accommodanda est significatio ad ciuilia, uerùm etiam ad Ecclesiam. Reges postremi maximè conculcabunt Ecclesiam, sicut iam annis sexcentis apparet, Reges esse satellites Pontificum, & crudelitatem horribilem in Ecclesiam exercere ad defensionem idolatriæ. *Ecclesia conculcata &c.*

Decem cornua significant maximas prouincias Imperij, Nec de numero anxiè disputandum est, quia septenarius & denarius usitatè in scripturis significant magnum numerum, ut in Hiob, En decies me confunditis. Item in Euangelio Matth. 25. Simile est regnum cœlorum decem Virginibus. Intelligit igitur multa ampla regna, ac plura quàm superiores Monarchiæ habuerunt. *Decem cornua Denarius numerus.*

Sed

Sed tamen si quis uolet numerare, non ineptè quadrat enumeratio maximarum prouinciarum, Vt, Italia, Hispania, Gallia, Germania, Illyricum, Græcia, Africa, Aegyptus, Asia, Syria, Hæ fuerunt amplissimæ imperij prouinciæ. Ac singulis uicinæ partes addendæ sunt, ut Illyrico Pannonia, Græciæ Macedonia.

Ingens Cornu. EXoritur autem in fronte ingens Cornu tribus alijs cornibus euulsis, Id cornu ait potentius fore cæteris uicinis, mutaturum religionem Christi, & habiturum ingentes successus, bellaturum cum Sanctis.

Hæc necesse est intelligi de regno aliquo exorto in dissipatione Romanę Monarchiæ, quod est potentius cæteris regnis, & profitetur religionem ac doctrinam pugnantem cum Euangelio, interficit Sanctos, & habet ingentes successus.

Dißipatio Romanæ Monarchiæ.

Cùm autem constet multò antè præterijsse tempus, quo Romana Monarchia collapsa est, Historiam mundi consideremus, & ex ipso euentu sumamus interpretationem. Præsertim cùm hæc ipsa uaticinia maximè tradita sint, ut moneant & confirment pios, quorum ætas incidit in ea pericula, quæ minitatur Ecclesiæ noua illa dominatio, oriens post collapsam Romanam Monarchiam.

Mahometicum regnum. QVod est autem regnum statim natum collabente Romana Monarchia, proponens dogma, quod apertè contumeliosum est in Filium Dei, & apertè abolet scripturam Propheticam & Apostolicam, & cogit armis alias Gentes ad amplectendam nouam, commentitiam & impiam doctrinam, & potentia omnibus Regnis antecellit? Res loquitur ipsa id esse regnum Mahometicum, hoc est, Saracenicum & Turcicum, Nam Turcicum ortum est ex Saracenico, seu pars est.

Dominatio Pontificia hypocrisi creuit

Nec admisceo huic loco pontificiam dominationem, nam hæc alio loco describitur, ut postea indicabo. Fit hic mentio regni armis constituti, At dominatio Pontificia præstigijs ceremoniarum & hypocrisi creuit, & magis alienis armis Regum quàm suis munita est. Sequitur autem alius locus infrà, quem cùm Paulus ad pontificiam dominationem transferat, sequar & ego Apostoli interpretationem ut decet.

Nunc de uaticinio huius loci dicam breuiter. Conueniunt ad Saracenicum regnum, Tempus, Doctrina, Potentia, & Locus.

1. *Quo tempore constitutum sit regnum Saracenicum.*

De Tempore notæ sunt Historiæ, Iam Galliam Franci tenebant, Italiam Longobardi cum in oriente Mahometus Heraclij tempore seditionem mouet circiter annum à natali Christi 623. Collabente igitur Monarchia Romana Saracenicum regnum constitutum est, & quidem breui magnæ factæ sunt accessiones.

2.

Doctrina describitur in textu cùm ait, Cornu habere oculos hominis, & os loquens grandia, & contumeliosa in Deum.

Mahometus abolet Prophetarum & Apostolorum scripta.

Constat Mahometum, horribili audacia abolere omnia Prophetarũ & Apostolorum scripta, Est autem ueriſsimum & præcipuum signum Ecclesiæ, professio Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ. Quare satis perspicuè constat, id regnum Deo bellum inferre, quod abolet scripta Prophetarum & Apostolorum, Deinde & articulos præcipuos Euangelij penitus delet. Finxit Christum esse doctorem similem Mosi aut alijs Prophetis, nec agnoscit esse Saluatorem

torem & uictimam pro peccatis hominum. Abijcit prorsus ea quæ de Filio Dei in Euangelio dicuntur, Ignorat prorsus doctrinam de fide & uera inuocatione, deniqꝫ propriam Euangelij doctrinam delet. Tantùm particulam retinet ciuilium præceptorum, quanquam hæc quoqꝫ corrumpit. Concedit flagitiosas libidines, iubet armis cogi Gentes ad amplectendam impiam doctrinam, & interfici aduersantes. Hoc uerè est impium & infinitum latrocinium præcipere. *Doctrina Mahometi contumelioſa in Christum &c.*

De potentia etiam notæ sunt historiæ. Tota Africa, magna pars Asiæ, magna Europæ, tenetur ab ijs qui Mahometi sententiam defendunt. Et nunc Turci omnium latissimè dominantur, quorũ imperium hic non distinguitur à Saracenico. 3. *Potentia regni Mahometici.*

Sed Ezechiel & Apocalypsis nominatim de hac barbarie concionantur, quam scribit Ezechiel uenturam ab Aquilone postrema mundi ætate, & tribuit eis appellationes Gog & Magog, quòd Scythico more tecta circumferant, nec habeant certas sedes, Constat autem Turcos à Caucasi rupibus progressos, postea in Asia uagatos esse ac paulatim Galatiam & Ponti oram occupasse. Hanc barbariem uaticinantur Ezechiel & Apocalypsis postremò imperaturam esse, & quidem latè uastaturam esse Ecclesias Dei, & tandem in montibus Israël perituram esse, ut posteà dicam. *Gog & Magog.*

De loco obseruandum est, quòd nominatim inquit Daniel, Euulsa esse priora uel anteriora cornua. Significat defecturas fuisse prouincias Romanas in oriente sitas. Et nominantur tria cornua. Primùm enim statim coniunxerunt Saraceni has tres regiones, Aegyptũ, Syriam, & Ciliciæ oram. Quòd uerò postea plures Prouinciæ domitæ sunt, id non pugnat cum textu, qui hoc loco initium regni describit. 4.

POstquam exposui, quod regnum describatur, Iam causas consideremus cur Deus hæc patefecerit? Humanæ mentes sunt auidæ cognitionis futurorũ quadam peruersa curiositate. Sed Deus maximas res initiò patefecit, Aduentum filij sui, futurum iudicium, resuscitationem mortuorum, æternas pœnas impiorum, æternam gloriam piorum, Regnorum præcipuorum successionem seu ordinem ante ultimum iudicium. Has tantas res cùm non frustra monstrarit Deus, uoluntas eius diligenter consideranda est, Ac tunc quidem Danielem & cæteros hac doctrina erudijt de uita æterna, & uenturo iudicio. *Res maximæ patefactæ in sacris literis.*

Nos magis etiam confirmare eadem doctrina debet, uidemus enim respondisse euentus, Extiterunt ordinè quatuor Monarchiæ, Nunc dominatur gens inimica Deo, quæ palàm delet scripta Prophetica & Apostolica. Non dubitemus igitur euentura & cętera quæ uisio ostendit, uidelicet de iudicio, de pœnis impiorum, de gloria piorum, Sciamus certò hanc doctrinam, quam Daniel professus est, diuinam esse, nec ab ea auelli nos sinamus.

Continet autem hic locus doctrinam, comminationem & consolationem.

Doctrina ad hanc ultimam ætatem maximè pertinet, Valde mouentur homines fortuna in utramqꝫ partem, Cùm autem fuerint ingentes successus, & admirandæ uictoriæ regni Turcici, Ecclesiæ uerò tam latè uastatę sint, sequuntur homines fortunam, multi ad Turcos deficiunt, & amplectuntur impiam doctrinam. Alij expetunt societatem & συμμαχίαν cum Turcis, & quanquam non amplectuntur eorum doctrinam tamen regnum impium adiuuant. *Successus & uictoriæ Turcici regni.*

Præmonet igitur nos Deus, ne capti admiratione potentiæ, aut fracti noſtris ærumnis, deficiamus ab Euangelio. Manifeſtæ notæ ſunt impij regni quæ hic deſcribuntur, quòd doctrina eſt contumelioſa in Deum, & Sanctos trucidat. Sed euidens ſignum ſit, quòd ſcimus à Mahometo prorſus aboleri ſcripta Prophetica & Apoſtolica. Ad has notas addidit Deus hoc teſtimonium quòd ſit damnaturus & in ſupplicia æterna abiecturus hanc beſtiam, id eſt, totum regnum impium.

Comminatio eſt in textu, quam modò recenſui, quæ regno Mahometico exitium denunciat.

Eccleſiæ calamitas diuturna ſub Tyrannide Turcica.

Sed alia etiam comminatio hic obſeruanda eſt, quæ de calamitatibus Eccleſiæ concionatur. Prædicit Regnum Mahometicum bella moturum eſſe aduerſus Sanctos, & futuras uaſtationes Eccleſiarum, & cædes Sanctorum. Hæc eſt triſtis concio & aliena à iudicijs humanis. Cur imperium & uictorias tribuit Deus genti impiæ, palàm contumelioſæ in Chriſtum, palàm delenti doctrinam Propheticam & Apoſtolicam? Cur nos qui inuocamus Deum & mediatorem filium Dei, qui retinemus doctrinam Propheticam & Apoſtolicam, ſinit aut deleri aut opprimit.

Eccleſiarum ſpes in Turcia

Nec de exigua aut breui calamitate concionari Danielem euentus oſtendit. In tota Africa & magna parte Aſiæ deletum eſt nomen Chriſti. In Europa, etſi in imperio Turcico adhuc paſſim reliquiæ ſunt Eccleſiæ, tamen adeo crudeli & barbarica ſeruitute premuntur, ut ſtudia literarum coli non poſſint, & ſint Eccleſiæ ſine Doctoribus, & multi paulatim nomen Chriſtianum abijciant. Ipſe etiam Tyrannus à parentibus abſtrahit certum numerum liberorum, quos ad militiam & ſuos ritus inſtituit. Hæc triſtiora ſunt Aegyptiaca ſeruitute, & tamen quidam amentes expetunt hoc imperium.

QVæ ſunt autem cauſæ tantarum calamitatum Eccleſiæ? Si hic humana iudicia conſulantur, Nonne dubitabunt, an uerè hunc oppreſſum cœtum diligat Deus? An ſanguine filij redemerit?

Qualis Eccleſiæ ſpecies fuerit inde uſq; ab initio.

Sed hic intuenda eſt Eccleſiæ ſpecies inde uſq; ab initio. Cùm primi parentes uidiſſent teſtimonium de cœlo exhibitũ in ſacrificio Abel, quo in ſpem adducebantur propagandæ Eccleſiæ ad poſteritatem, mox Abel interficitur, & reliquus eſt unus Cain impius, Huius etiam poſteritas impia ciuitatem condit, & dominatur uiuis ad huc primis Parentibus, qui contemnebantur.

Poſt diluuium condita Babylone rurſus Gentes palàm contemta doctrina Nohæ & Sem, deficiunt à Deo, & exiguus cœtus piorum reliquus manet, qui miſer uagatur incertis ſedibus, uidelicet, familia Abrahæ.

Deinde in Aegypto quàm atrox ſeuitia in poſteritatem exercetur?

Cùm uerò occupaſſent Palæſtinam, quantæ clades, regni mutationes, & diſſipationes ſecutæ ſunt, & quantula mundi pars erant Iſraëlitæ, cùm interim Gentes ignaræ Dei ſumma Imperia tenuerint.

Eccleſia cruci ſubiecta mirabili Dei conſilio &c.

Talis cùm plerumq; fuerit Eccleſiæ ſpecies, agnoſcamus iram Dei aduerſus mundum, & non deficiamus à Deo, etiamſi hoc poſtremo tempore uidemus Eccleſiam duriter quaſſari. Illam autem hypotheſin teneamus infixam animis. Mirabili Dei conſilio & uoluntate, Eccleſiam ſubiectam eſſe cruci. Cauſæ etiam indicantur in doctrina Prophetarum & Apoſtolorum, quas omnes nunc non recenſeo.

Tantùm

Tantùm hoc de postrema senecta mundi consideremus, quòd prædicunt Prophetæ & Apostoli mundum pœnas daturum esse, quod post sparsum Euangelium Tyranni sęuiant in membra Christi, Deinde & ab illis ipsis qui gubernant Ecclesiam, polluta sit Ecclesia, Idolis, falsis dogmatibus, parricidijs Sanctorum, & libidinibus. Et ex his seminibus ortam esse Mahometicam pestem historia ostendit.

Crudelitas Tyrannorum in membra Christi.

Cùm Arabia & Aegyptus, multis monstrosis dogmatibus dilaceraretur, Opinionum confusio mouit leues homines, ut nouo dogmati Mahometi adplauderent, quòd tollebat controuersias ueteres, & tantùm politicas sententias & gratas humanis iudicijs proponit. Ideo dicit Daniel, Cornu habere oculos humanos. Vides igitur his ipsis exordijs punita esse dissidia, punitas factiones Samosatenam, Arianam, Manichæam, Nam his delirijs omnibus & pluribus illa ipsa loca referta erant.

Arabia & Ægyptus dilaceratæ monstrosis dogmatibus

Creuit postea potentia Turcica, ut puniretur mundus propter idola, cultus Sanctorum & prophanatam cœnam Domini, & impurum cœlibatum.

Ac uide quomodo congruant tempora. Decretum de transsubstantione, ut uocant, quod confirmauit horribilem εἰδωλομανίαν, factum est anno à natali Christi 1215. Innocentio tertio Pontifice. Statim secuta sunt auspicia regni Othomanici, anno à natali Christi 1250. Mox igitur post confirmationem idolomaniæ, Regnum alibi exoriri cepit, & proferre arma uersus occidentem ad has Ecclesiæ labes puniendas.

Decretum de transsubstantiatione factũ Anno 1215.

Regnum Othomanicum.

Hæc in comminatione hoc loco apud Danielem consideranda sunt, & errores emendandi & mores corrigendi, ac uera doctrina, uera inuocatio Dei in Ecclesia restituenda. Id si faciemus, Deus mitigabit pœnas, & reprimet arma Turcica, Non enim sinet funditus deleri Ecclesiam.

Consolatio est addita, quòd Daniel significat non futuram quintam Monarchiam, Quare Turcica potentia non erit par Romanæ, non opprimet totam Europam.

Monarchiam non esse futuram.

DE tempore uerba sunt obscura, Vsq; ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Sed in genere intelligo, longum tempus, & deinde subitam ac inexpectatam inclinationem, Quia dicit, Dimidium temporis, quasi dicat, Cũ peruenerit ad fastigium Turcica potentia, & iam sperabit se potituram imperio totius orbis, & pollicebitur sibi dominationem sine fine, subita aliqua fiet inclinatio. Et mox illucescet lætissimus ille dies, quo filius Dei resuscitabit mortuos, & Ecclesiæ suæ uitam & gloriam æternam tribuet, ac impios omnes abijciet in æternos cruciatus.

Vsq; ad tempus & tempora & dimidium temporis.

Eadem de Gog & Magog apud Ezechielem & in Apocalypsi dicuntur. Ezechiel ait Gog & Magog, factis ingentibus uastationibus, tandem in montibus Israël perituros esse.

Gog & Magog.

Etsi de iudicio ultimo Christi intelligi potest, tamen arbitror significari prælia, quæ pijs erunt in hac ultima mundi senecta cum Turcis, qui uincuntur in montibus Israël, id est, seu in locis Ecclesiæ, in qua uerè sonat Euangelium, uel à populis uerè inuocantibus Deum in fide filij eius Iesu Christi. Non enim uincentur Turcæ, nisi per filium Dei dimicantem pro sua Ecclesia, ut infrà clarè inquit Daniel, cap. 12. Stabit Michaël, id est, Christus, Dux magnus pro filijs populi. Sed & apud Danielem & apud Ezechielem magnæ uastationes denunciantur, quas ut Deus mitiget, toto pectore petamus.

Turci uincentur in montibus Israël.

CAPVT VIII.

ALiquoties dictum est, ad quid prosit tenere prædictiones de serie Monarchiarum, & omnium temporum usq; ad extremum iudicium. Est enim Ecclesiæ hac doctrina & consolatione opus, ne inter tot afflictiones & scandala desperet.

Causæ adflictionum quibus Ecclesia subijcitur.

Est etiam admonitione opus, ut causas cogitemus afflictionum. Hic diserte in cap. 8. inquit, Propter peccata populi permitti ut tantam crudelitatem Antiochus exerceat, Sicut Paulus inquit, 2. Thes. 2. Quia ueritatem non dilexerunt, mittit eis Deus efficacem deceptionem, ut credant mendacio. Hę atroces comminationes exuscitent nos, ut simus diligentiores in conseruanda puritate doctrinæ, & in uita, ne Deus sinat exoriri maiores tenebras.

Monarchia Persica & Græca &c.

Porrō cùm in proximo capite Daniel omnes Monarchias & postremū regnum, belligerans cum uera Ecclesia descripserit, Nunc redit ad duas Monarchias clarius describendas, ad Persicam & Græcam, nam hæ erant proximæ, Et proderat piis, præscire horribilem dissipationem, quam Antiochus Epiphanes facturus erat, ut haberent consolationem, nec deficerent, neue putarent fore, ut omnino deleretur populus Dei.

ESt autem perspicuum uaticinium, & à filio Dei declaratum angelo interroganti. Summam breuiter recitabo. Daniel sub Balthasaro abfuit ab aula, nec fuit in urbe Babylone, sed in Persia, quam Ebræi uocant Elam in arce Susis, quæ ā rosis appellationem habet ad amnem Vlai, quem Strabo & Plinius Euleum uocant. Cùm igitur iam instaret finis primæ Monarchiæ, uidit Daniel Persas imperio potituros esse, Ideo hæc ipsa uisio ei in Persia exhibetur.

Elam.

Euleus.

Cyrus.

Videt Arietem in Persia stantem, hoc est ducem Cyrum, qui utrunq; exercitum Medicum, & Persicum duxit, Ideo duo cornua adduntur Arieti, quæ significant regnum Medorum & Persarum. Ac durauit Monarchia Persica circiter ducentos annos. Postea Alexander Asiam occupauit, qui hic significatur per Hircum. Quatuor cornua significant successores Alexandri, qui fœderibus uariē coniuncti summam potentiam habuerunt. Hæc est summa historię quæ hic recitatur usq; ad Antiochum Epiphanem.

Alexander.

Pardalis.

Non dubium est autem in picturis contineri certas significationes, ut suprā de Pardali breuiter dixi, quæ & sagax est & animosa, & celeritate insigni prædita, audet occurrere armato uenatori & celeritate excutit tela, nec ui capitur, sed opprimitur ebria, quia enim Pardalides sunt auidæ uini, uenator in loco uicino eius bestiæ latebris uinum fundit, postea longiore interuallo, collocat cymbia plena uini. Statim odor elicit ex antris Pardalides, quæ cùm ad cymbia uentum est, hausto uino accensæ discurrunt, ludunt unā, & coĕunt. Deinde ebriæ & coitu defatigatæ sopiuntur, Ibi sopitas opprimit uenator. Huius rei luculenta descriptio est apud Oppianum Libro 4. κυνηγετικῶν, ubi & hi uersus leguntur.

λάπτουσι Διόνυσον, ἐπὶ ἀλλήλοισι δὲ πᾶσαι
Σκιρτῶσι μὲν πρῶτα χοροιτυπέουσιν ὅμοιαι.

Imago regum Macedonicorum.

Quæ potest autem cogitari imago illustrior Regum Macedonicorum plurimorum, Sagacitate, hoc est, solertia & consilio, uix ulli Duces antecelluerunt

runt Philippo & Alexandro. Deinde quod decreuerant re cogitata, & occasionibus prospectis, celerrimē susciebant, quæ uirtus in Ducibus plurimum pollet. Erant autem & in dimicando acerrimi & inuicti, Postremō uerō uoluptatibus periere, alter Venere, alter temulentia, Tales & postea fuerunt Demetrius, & posterior Philippus.

Nec rarō accidit, ut uiri præstantes cùm in rebus gerendis acerrimi fuissent, & nec periculis ullis nec laboribus succubissent, postea tamen uoluptatibus fracti, calamitosos & tragicos exitus habuerint. *Tragici exitus uirorum præstantium.*

Possem recentia exempla magnorum Ducum recitare. In Francisco Sfortia, quanta primùm uirtus fuit, quanta magnitudo animi, Senex uerō, quasi Circes uenenis natura eius mutata esset, priora decora libidinibus deformauit atq; obruit. *Franciscus Sfortia.*

Sed omitto exempla, quæ lector admonitus consideret ipse in communi uita. Nam & Daniel has picturas proposuit, ut magna ingenia admoneat, ne sibi indulgeant, sed impetus & cupiditates moderentur, ne pœnas sibi accersant, ut illi ipsi quos recensui fecerunt, Philippus, Alexander, Demetrius, & alij innumerabiles.

In hoc loco alia est pictura Græcæ gentis. Capras uocat Daniel, ut enim hæ eximiam habent in scandendo solertiam, & saltationibus assiduis gaudent, ita Græcorum ingeniorum mira fuit in experiundis nouis rebus, artibus & consilijs curiositas. Taxari etiam existimo ludos Scenicos, quibus ea Gens præcipuē dedita fuit, qui quidem multa magna flagitia pepererunt & confirmauerunt. *Pictura Græcæ gentis.*

REdeo autem ad narrationem uaticinij. Longus Catalogus successorum Alexandri infrà ab ipso Daniele recensebitur. Nunc cæteris omissis de Antiocho Epiphane dicit, qui fuit ortus à Seleuco, ut infrà exponam, ac regnum Syriæ tenuit. Cepit autem regnare anno post Alexandri mortem 137. ut testatur primus liber Macabęorum, hoc est, secundo anno Olympiadis centesimæ quadragesimæ nonæ. *Antiochus Epiphanes.*

Vsitatum est autem, ut omnium ætatum historiæ ostendunt, Reges attemperare atq; inflectere religiones ad suam utilitatem, Itaq; cùm Epiphanes sciret Iudæos propter religionem non facilè pati externa Imperia, & uideret tamen se nactum esse occasionem utriusq; rei, potiundæ Iudææ, & mutandæ religionis, homo atheos & qui omnes religiones pariter fabulosas esse ducebat, & immani petulantia ruebat in libidines, & in omnia flagitia, quō cæco impetu rapiebatur, in utrumq; incubuit omnibus uiribus, ut & Iudæam in seruitutem redigeret, & ueterem de Deo doctrinam à Prophetis acceptam prorsus aboleret. *Impios Reges inflectere religiones ad suam utilitatem.*

Obtulerant autem occasionem scelera Pontificum. Cùm teneret pontificatum uir pius Onias, frater eius Iason profectus ad Antiochum, in auspicijs regni pecuniam ei dedit, ut capto fratre pontificatum sibi traderet. Simili fraude alius postea Menelaus eripuit pontificatum Iasoni, & utercq; inuexit Græcos ludos in urbem, contemnebant & negligebant studium diuinæ legis, imitabantur Ethnicum splendorem, delicias, mores Ethnicos &c. Menelao postea interfecto successit Alcimus pontifex, qui etiam fuit hostis Macabęorum, Hæc scelera Pontificum fuerunt initia calamitatum eius temporis. *Scelera Pontificum fuerunt initia calamitatum in populo Israël.* *Menelaus.* *Alcimus.*

Duæ expeditiones Epiphanis quibus uenit Hierosolymam.

DEscribuntur autem duæ expeditiones Epiphanis, quibus uenit Hierosolymam, Bis enim in Aegyptum profectus, in reditu uenit Hierosolymam, Petiuit autem Aegyptum iactitans se tutorem esse cognati, & uicini Regis adoscentis, ut prætextu tutelæ Aegyptum occuparet, Et in prima expeditione aliquot urbibus præsidia imposuit, adhuc simulans amicitiam cum cognato adolescente. Rediens autem accersitus est Hierosolymam à Iasone, ubi spoliato Templo,& facta magna cæde, rursus discessit nondum mutans Iudæorum Rempub: Hæc acciderunt cũm iam sexto anno regnaret Epiphanes,uidelicet, post Alexandri mortem 143. anno.

Iason.

Ptolemæus Philometor.

Post biennium rediit Antiochus in Aegyptum,Nam Philometor expulerat præsidia Antiochi, & petiuerat auxilium à Romanis. Venit igitur Antiochus bellum illaturus cognato. Sed Romanus legatus Popilius uetuit bellum inferri Aegypto,& commemorauit senatum defensurum esse Aegyptum. Cumq; Antiochus ambiguè responderet, Popilius circumducto gyro circum Antiochum,inquit, Se postulare, ut disertè respondeat, An ex Aegypto discessurus sit,& abducturus exercitum,aut non, priusquam ex hoc circulo egrederetur? Ibi perterritus Antiochus promittit pacem.

Popilius legatus Romanus.

Menelaus.

Templum prophanatum ab Epiphane.

Rediens igitur iam à Menelao uocatur Hierosolymam,ibi celebrat Bachanalia, adiutore Menelao, prophanat templum collocato ibi Idolo Iouis Olympij, ubiq; ante domos extruuntur aræ , & imponuntur Idola gentilium more, prohibet Legem & Circumcisionem. Et addidit Menelao Pontifici cohortem quæ tueatur regia edicta. Cremantur sacri libri, multi pij interficiuntur, maxima pars populi defecit ad Ethnicos. Hæc acciderunt anno 145. post mortem Alexandri.

Matathias.

Iudas Macabæus.

Templum recuperatum.

HIc Deus excitat senem Matathiam ex tribu sacerdotali, patrem Macabæorum, qui collecto exercitu cepit passim euertere Idola, & dimicare cum cohorte Antiochi. Post patrem Iudas Macabæus duxit exercitum, Hæ paruæ copiæ, priuato consilio collectæ recuperarunt templum,& deleuerunt Antiochi exercitus multis prælijs, Ideo infrà dicit, Subleuabuntur auxilio paruulo. Estq; templum recuperatum 3. anno postquam Antiochus ibi collocauerat Idolum & præsidia, uidelicet anno post mortem Alexandri 148. Reliqua Historia petatur è libris Macabæorum, Nam hanc partem propter numeros hic positos recitaui, & ut uaticinij uerba diligentius expendantur.

DAniel tempus ponit hic,dies bis mille trecentos,hoc est,sex annos,tres mẽses & uiginti dies, Id tempus incoari iudico à secunda expeditione Epiphanis, hoc est, ab anno 145. Vsq; ad annum 151. quo tota Regio recuperata fuit, deleto Nicanoris exercitu, Et uides euentum rectissimè respondere uaticinio.

Statua in templo posita.

Nicanor uictus.

Hanc consolationem aliqui pij intellexerunt, qua promitti senserunt, nõ fore hanc calamitatem diuturnam , Adeoque ad hanc interpretationem quadrat numerus, ut menses etiam congruant, Statua enim in templo posita est anno 145. mense Casleu,qui nobis est Nouember. Deinde uictus est Nicanor anno 151. mense Adar,qui nobis est Februarius. Sunt igitur anni Iudaici integri sex, qui incoabantur à uerno æquinoctio, His adde menses proximos post Statuam in templo collocatam , Decembrem , Ianuarium , Februarium. Item aliquot dies,nam mense Nouembri statua in templo collocata est, exactissimè igitur conuenit tempus Danielis cum hoc euentu.

Quod

Quòd autem hoc uaticinium propriè concionetur de hiſtoria Antiochi Epiphanis, teſtatur angelus Gabriel, interpres in textu, qui quidem colloquens cùm filio Dei, accepit ab eo interpretationem.

PORrò hic locus admoneat nos de præſentia Chriſti, Quod uidelicet Filius Dei ſemper affuerit Patribus, quodq; uerè nunc quoq; Eccleſiæ adſit, exaudiat & gubernet inuocantes ipſum, Sicut dicit in Euangelio, Ecce ego uobiſcum ſum &c. *Filius Dei ſemper adeſt Eccleſiæ.*

Item, Vbicunq; duo aut tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. *Matth. 28.*

Item, Aſcendit in altum, ut det dona hominibus &c.

Gene. 48. inquit Iacob de Chriſto, Angelus qui eripuit me ex omni malo, benedicat pueris &c.

Et Iohan. 1. dicitur, Omnia per ipſum facta ſunt &c.

Et hic intereſt colloquio Angelorum apud Danielem.

Et Paulus inquit, Omnes bibebant de ſpirituali petra eos comitante, Petra autem erat Chriſtus. *1. Cor. 10.*

Sic nos ſtatuere debemus adeſſe Chriſtum, exaudire, iuuare, & gubernare nos, Idq; uocat ſcriptura regnum Chriſti. Sed infirmitas humanæ mentis non poteſt ſic intelligere Regnum Chriſti, cogitat de eo, tanquam de abſente, non agente aliquid nobiſcum. Sed his tenebris humanæ rationis repugnandum eſt, & iuxta teſtimonia promiſſionum, & iuxta hęc exempla credendum, quòd uerè adſit nobis, exaudiat, & iuuet inuocantes ipſum. *Regnum Chriſti.*

Hæc breuiter adieci de interprete uaticinij, quem hic uocat Palmoni, id eſt, admirabilem quendam, ſicut alibi Chriſtus uocatur admirabilis Conſiliarius.

Eſt & illud conſiderandum, quòd adeſt filius Dei, cùm fit mentio ſummæ calamitatis, ut ſignificet ſe in illa ipſa calamitate futurum eſſe in excubijs, Sicut infrà inquit, In illo tempore, Michaël, qui ſtat pro filijs populi &c. Hæc eſt magna conſolatio, præſertim hoc tempore, ſcire quòd Chriſtus ſit in excubijs pro nobis.

DE ACCOMMODATIONE AD REgnum Antichriſti.

QVanquam uaticinium de Antiocho & de populo Iudaico, primùm concionatur, tamen ſimul Propheta ſignificat ſimilem calamitatem Eccleſiæ uenturam ante finem mundi, poſtquam Chriſtus paſſus eſſet, & Euangelium inter Gentes ſparſum. Quòd autem Daniel ſimul depinxerit Imaginem impij regni, in Eccleſia bellígerantis cum Chriſto, teſtatur Paulus, qui uerba de Antiocho dicta, expreſſè accommodat ad Antichriſtum 2. Theſſal. 2. Cumq; teſtem habeamus Paulum huius accommodationis, autoritatem eius ſequamur omiſſis aliorum cauillationibus, qui hæc nolunt accommodari ad Antichriſtum. *Calamitas Eccleſiæ ante finem mundi.*

Deinde cogitemus, ut pijs profuit apud Iudæos eſſe præmonitos, ne aſſentirentur regno Antiochi, Ita ſciamus nos quoq; commoneri, ne aſſentiamur regno Antichriſti, ſeu regno impio dominanti in Eccleſia.

Nomine Antichriſti comprehenduntur ambo regna, Mahometicum & Pontifi-

Vtrumq; regnum Mahometicum & Pontificium damnat scriptura.

pontificatus Romanus, ut de utroq; concionatur scriptura, & utrumq; damnat. Vt Apoca. 13. apparet, ubi de utroq; uaticinatur cùm ait, perituros esse Gog & Magog, bestiam & Pseudoprophetam. Hic complectitur regnum Turcicum & alterum regnum, in quo dominatur Pseudopropheta, id est, pontifex defendens idola.

Turcicum regnum armis partum: Pontificium superstitione constitutum.

Cùm autem aliquid interfit inter hęc duo regna: Mahometicum seu Turcicum armis partum est, nec tenet titulum Ecclesiæ Christi, Ideo de eo suprà dixi, ubi Imperia describebantur armis parta. Sed Pontificium regnum fraude & superstitione constitutum est, & retinet titulum Ecclesiæ Christi.

Cùm igitur Paulus accommodet imaginem Antiochi ad regnum, quod in Ecclesia dominatur, hoc est, quod retinet titulum Ecclesiæ, sequar & ipse Paulum, & hoc uaticinium de Antiocho accommodabo ad pontificium regnum, Quo nomine non tantùm Romanum Pontificem intelligo, sed omnes Episcopos ubiq; terrarum eius Idolatriam defendentes, siue ei alioqui sint coniuncti, siue non sint coniuncti.

Notæ duæ Antiochi tribuuntur.

Ac infrà notæ duæ tribuuntur Antiocho, quæ præcipuè conueniunt ad pontificium regnum, uidelicet, quòd Idolum in templo collocet, & auro ac argento colat. Item, quòd non adficiat honore mulieres.

Idola in Pontificatu.

Hæc sunt duo propria pontificatus, Idola manifesta sunt impiæ missæ, cultus Sanctorum & Statuæ, quæ in auro & argento ostenduntur, ut ibi colantur. Id nusquam fit, nisi in pontificio regno. Item in nullo regno unquam prohibitum fuit legitimum coniugium, nisi in pontificio. Ergo conuenit ad id, quòd ait Daniel, Non futuras in honore Mulieres, Porrò ubi non est honos Coniugio, sequuntur uagæ libidines & multiplex turpitudo. Hæc apertissimè conueniunt ad regnum pontificium. Quare nihil dubium est, Danielem & Paulum concionari de regno pontificio, Quod cùm ita sit, admoneri nos sciamus, ne assentiamur impietati pontificum, neue eam adiuuemus ac stabiliamus.

Coniugium prohibitum in Papatu.

IAm redeo ad descriptionem Antiochi in textu, in quo sunt multæ particulæ, quæ tristissimas significationes continent, quas attentus Lector per sese expendat, intuens in hæc nostra tempora.

Prosternetur ueritas in terra.

Prosternetur, inquit, Veritas in terra. Videmus iam Episcopos & eorum Satellites manifestissima flagitia contra conscientiam defendere, ut prodigiosos Missarum abusus, cultus Sanctorum, cœlibatum & libidines. Constat igitur eos ueritatem ludibrio habere, & uerè conculcare pedibus &c.

Rex impudẽs facie.

De Antiocho sic inquit textus, *Surget Rex impudens facie, & intelligens propositiones*, Id est, audax, contemtor Dei, ut Mezentius, & tamen astutus, *Is crescet non suis Viribus*, sed pontificum Iudaicorum perfidia, & populi leuitate. *Et supra quàm credi potest omnia Vastabit*, Id est, abolebit ueros cultus, inuehet Idolatriam & latè propagabit, traducet populum ad ritus & uoluptates Ethnicorum, habebit magnos successus, interficiet pios, & deliniet sibi multos largitionibus, & retinebit inescatos magnis commodis & illecebris opum, dignitatum, ac uoluptatum.

Sine manu conteretur.

Tandem Verò sine manu conteretur. Quia Antiochus non est interfectus à Iudæis, sed in apparatu noui belli, domi ex lapsu mortuus est, cùm iam multas nationes à se defecisse uideret, quæ eum propter crudelitatem, & morum turpitudinem oderant & contemnebant. Saltabat enim in scena inter histriones, baccha-

bacchabatur per omnes ganeas, spargebat pecuniam in compitis, ut à multis non ἐπιφανὴς, sed ἐπιμανὴς diceretur.

HAec imago conferatur ad Pontifices, hi de regno cogitantes, uident Reges & populum duabus rebus maximè teneri, uidelicet superstitione, & utilitatibus. Astutè ergo excogitauerunt cultus, quos ualdè admirantur Principes & populus, Mouentur animi illis prodigiosis laudibus missæ, quòd mereatur omnis generis bona, uictorias, lucra, prosperos euentus in omnibus negocijs. Et quia animus impius non potest à Deo expectare auxilium, quæruntur plures Dij, & placabiliores, Ideo gratissimus est hominibus cultus Sanctorum. *Cultus excogitati à Pontificibus &c. Missa.* *Cultus Sanctorum.*

Postea ceperunt templa compleri statuis Sanctorum, & secuta est prorsus Ethnica idolomania. Simul etiam obruta est doctrina de iusticia fidei, & ueris cultibus. Receptæ sunt superstitiosæ traditiones, uota, cœlibatus, discrimina ciborum, uestium &c. Et in his excogitandis simul & astutia & audacia usi sunt. Est enim summa audacia spreto uerbo Dei, nouos cultus instituere, contra mandatum Dei, uel sine mandato. Et calliditas est uidere, quibus artibus capiantur hominũ animi. Item uidere aucupia augendæ potentiæ & quæstus. Paulatim igitur opes creuerunt miris modis. *Doctrina de iusticia fidei obruta.* *Superstitiosæ traditiones.*

Quare nunc addicti Romano Pontifici, retinentur partim superstitione, partim magnitudine utilitatum. Huc pertinent uerba Danielis, *Copia rerum multos interficiet*, id est, Pontifices inuitabunt, & retinebunt multos inescatos opibus, dignitatibus, splendore, uoluptatibus, sicut palàm est. *Addicti Romano Pontifici.*

Nec propris uiribus siue armis, ut cætera regna, parta est, aut munita Pontificia dominatio, sed partim superstitione Regum & populorum, partim quia ultrò homines impij expetunt & defendunt ista ingentia commoda. Sicut hoc tempore nobilitas acerrimè dimicat, ut retineat in manibus Collegia sui commodi causa. Reges defendunt pompam pontificum, ut nobilitati gratificentur, Item, ut ipsi habeant aulas frequentiores & splendidiores, Ideo inquit Daniel, *Crescet non suis viribus*. *Regnum Pontificum superstitione constitutum.*

Et quidem tradunt mutuas operas Pontifices & Reges, Sicut Menelaus inuitarat Antiochum, offerens ei prædam ex templo & regnum. Et uicissim Antiochus addidit cohortem Menelao. Ita nunc Reges, Principes, & nobiles fruuntur opibus Ecclesiasticis, neglectis officijs uerè Ecclesiasticis. Vicissim autem Reges addunt Pontificibus cohortem, hoc est, in eorum gratiam exercent sæuitiam, etiam contra conscientiam. Vt hoc tempore constat multos Reges & Principes, etsi non probant pontificum Idola & tyrannides, tamen in pontificum gratiam exercere horribilem crudelitatem. Et interea sibi pulcrè blandiuntur, conficta inani excusatione, quòd prosit tueri autoritatem Ecclesiæ. *Pontifices & Reges tradunt mutuas operas.*

Quòd uerò Daniel inquit, Dolus prosperabitur in manu eius, hoc latè patet. Primùm significat falsa dogmata, magna specie commendata mundo, ut suprà dixi. Deinde significat alias technas, quibus Reges sibi obligauerũt, aut Regum potentiam imminuerunt, aut regna ad se traxerunt. Nunc quoq; mira calliditate de nouo pingunt abusus, & solicitant Reges miris artibus ad exercendam sæuitiam. Hæc omnia complectitur, cùm nominat dolum. *Dolus prosperabitur in manu eius.*

Postremò quòd inquit, Sine manu conteretur, significat ante extremum iudicium uenturam renouationem Euangelij, in qua autoritas Pontificum labefactabi- *Sine manu conteretur.*

befactabitur sine armis, hoc est, Docendo reprehendentur errores Pontificij, renouata luce Euangelij, Sicut & infrà inquit, Docti in populo docebunt multos, & ruent in gladio. Et ad Thessal. Tunc reuelabitur ille iniquus, quem destruet Dominus spiritu oris sui, Significat enim futurum, ut quædam reprehensio errorum Antichristi præcedat extremum iudicium, sicut aurora Solem præcedit.

Porrò satis perspicuè apparet, hoc uaticinium pertinere ad hanc nostram ætatem, & doctrinam hoc tempore diuinitus patefactam. Sicut Daniel & Paulus significant postremò futura certamina de doctrina, Quare utraq; pars hæc uaticinia contempletur, nec contemnat admonitionem spiritus sancti.

Ecclesiæ nomen.

Nomen Ecclesiæ multos mouet ac detinet, quò minus aduersentur Pontificibus. Sed Spiritus sanctus apud Danielem & Paulum clarè testatur, id regnum, uidelicet Pontificium, quod defendit εἰδωλομανίαν, & interficit pios, non esse Ecclesiam, sed factionem à Deo reiectam, hortatur omnes, ut eam deserant, Sicut in Apocalypsi clamat Angelus: Exite ex Babylone.

Docti in populo docebunt multos &c.

Econtrà consolatur pios, qui reprehendunt errores, ut sciant se habere mandatum Dei, Deo placere hanc sedulitatem & defendere se ueram Ecclesiam. Sicut disertè inquit Daniel, Docti in populo docebunt multos, & ruent, &c. Et tamen pollicetur mansuram esse ueram Ecclesiam, etsi multi trucidabũtur, Sic enim inquit. Populus sciens Deum suum uincet &c. Non igitur deterreamur à professione ueræ doctrinæ, nec frangamur animis, etiamsi aduersarij uociferantur, nos seditiosos esse, & concitant omnes Reges ad exercendam crudelitatem.

Populus sciens Deum suum uincet.

Neq; tamen ruet totum regnum Pontificum ante nouissimum diem, sed pars aliqua manebit ut Paulus inquit, Abolebit eum illustri aduentu suo. Idem significat Apocalypsis de Pseudopropheta abiecto in uoraginem.

CAPVT IX.

ETsi singula Capita uberrimam doctrinam continent, tamen hoc Caput longè antecellit cæteris. Tradit enim illustre testimonium de tempore aduentus Christi, de morte Christi, de iusticia noui Testamenti, de excidio politiæ Iudaicæ. Complectitur & in precatione doctrinam pœnitentiæ, taxat fiduciam propriæ iusticiæ, & monstrat iusticiam fidei. Quare hoc Caput doctrinam utilissimam continet, ad erudiendos & confirmandos pios de multis articulis.

Iudæorum amentia &c.

Ad hæc perspicuè refutat amentiam Iudæorum, qui negant Messiam uenisse, negant Messiam oportuisse pati, contendunt Iudæos habituros regnum mundanum &c. Hic locus maximè conuincit Iudæos, & ostendit eos contra conscientiam suam peruicaces esse.

Vaticinium Ieremiæ de 70. annis &c.

Sed primùm historica consideremus, Iere. cap. 25. & 29. prædicit exilium populi Iudaici in Babylone duraturũ esse annos 70. Hæc Prophetia diluebat argumenta Pseudoprophetarum, qui obijciebant promissiones, Deus promisit se seruaturum esse hunc cultum & hoc regnum, donec ueniat Messias. Ergo iudicabant non posse deleri templum, nec populum abduci, nec politiam huius populi redigi in uastitatem. Ieremias diluit argumentum, Deus promisit & præstabit, sed aliter quàm nos imaginamur, Interea etiam castigabit & castigatos mirabiliter restituet.

Ac

Ac profectō, hæc ipsa reductio ex Babylone non fuit minus miraculum, quàm eductio ex Aegypto. Et tardè processit hic reditus & templi restitutio. Nam paulatim alij post alios redierunt, & ædificatio impedita fuit toto Cyri tempore, & deinceps annos 42. usq; ad secundum annum Longimani. *Reductio ex Babylone.*

Hæc legentes, cogitare debemus, quàm sit horribilis ira Dei aduersus peccata, cùm de hoc suo populo tantas pœnas sumserit. Cogitandum etiam, quàm sit exigua Ecclesia.

Rursus consolatio pijs proponitur, uident in tantis periculis, tamen nulla mundi potentia opprimi Ecclesiam posse, sed regi eam & seruari diuinitus. Videmus & hoc, Pia consilia bonorum Principum multis modis impediri, Sicut Cyri beneficium impeditum fuit tempore Cyri, & postea tempore Darij, quem Græci sic uocant. *Ecclesia nulla mundi potentia opprimitur.*

CVm igitur iam ageretur annus septuagesimus exilij, primo anno Cyri, post captam Babylonem, Daniel memor promissionum, & sperans restitutionem populi, recordatur uaticinium Ieremiæ, & ingenti impetu mouetur ad precandum.

Hic locus significat Prophetas ex lectione quæsiuisse consolationem, & profeciſſe.

Monet item, quòd, etsi promiserat Deus reditum, tamen uoluerit peti hoc beneficium precando, & inuocatione exerceri fidem Sanctorum, Sicut inquit Christus, Petite & accipietis. Item, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te &c. Etiamsi promisit Deus beneficia corporalia uel spiritualia, tamen precibus uult exerceri fidem, & uult crescere pœnitentiam, Sicut inquit Zacharias, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos &c. Et orat Daniel de restituenda Ecclesia, Ita nos quoq; afficiamur uero dolore propter Ecclesiæ calamitates, & oremus, ut Deus eam augeat, gubernet, & seruet. *Deus uult peti beneficia corporalia & spiritualia.*

Maximè displicet Deo securitas illorum, qui nihil afficiuntur calamitatibus Ecclesiæ, Sicut queritur Amos cap. 6. Væ opulentis &c. qui nihil patiuntur super contritione Ioseph. Ac Daniel intelligit magnitudinem calamitatū, Ideo tàm tristem querelam de peccatis populi & de pœna recitat.

DIxi autem hic tradi doctrinam pœnitentiæ, Daniel fatetur peccata populi, & tribuit Deo laudem iusticiæ, quòd iustè puniuerit populum. Deinde petit remissionem peccatorum, & reductionem populi. Est ergo uera contritio, agnoscere iram Dei aduersus nostra peccata, expauescere propter iram Dei, dolere quòd Deum offenderimus, tribuere ei laudem, quòd iustè nos puniat & obedire in pœnis. Hanc confessionem hic recitat, Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei. Hæc est uox ueræ contritionis, Sicut & Psalmus 32. docet. Dixi, confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino &c. *Doctrina pœnitentiæ. Vera contritio.* *Tibi Domine iusticia &c.*

Et Psalmo 51. Tibi solùm peccaui, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cùm iudicaris, id est, Agnosco me tantùm esse peccatorem, ac reum coram te. Vt iustificeris, id est, Vt tibi tribuam laudem iustè punientis ac plectentis. Ac uincas cùm te iudicant Hypocritæ, scilicet qui cogitant Deum nimis asperum, nimis durum esse aduersus hanc miseram naturam, accusant iudicium Dei, non possunt se ei ita subijcere, ut agnoscant se iustè plecti. *Tibi soli peccaui.*

Hic

Hic fremitus est ingens & arcanum malum in animis hominum. Ideo Paulus aliquoties inculcat hæc duo, Vt sit Deus iustus & iustificans, id est, Tribuamus ei laudem iustē punientis, non arrogemus nobis iusticiam, sed credamus, quōd Deus sit iustificator, id est, Quōd ita iusti pronunciemur, cūm ipse nostri miseretur, nos iustificat. Facilē est uerbis tribuere Deo laudem iusticiæ, sed ex corde agnoscere magnitudinem nostrorum peccatorum ac sentire, quōd iustē plectamur, ac petere ueniam, hæc sunt ardua & difficilia.

Doctrina contritionis.

Necesse est autem hanc doctrinam contritionis diligenter inculcari Ecclesijs, ut uerē agnoscant peccata, uerē sciant pœnas & calamitates nobis infligi propter peccata. Sicut Ieremias inquit cap. 5. Peccata uestra prohibuerunt bonum ā uobis. Et hoc loco, Iustus est Dominus Deus noster in omnibus operibus quæ fecit, uidelicet, quamuis grauissimas pœnas de nobis sumserit &c.

Ad contritionem debet accedere fides.

Nec tamen satis est peccata agnoscere, intueri pœnas, sed accedat etiam consolatio. Ergo Daniel non solùm doctrinam contritionis proponit, sed addit alteram partem. Docet suo exemplo petere, & expectare ueniam, propter misericordiam & promissiones. Sicut alibi dicitur, Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Accedat Fides ad contritionem & intueatur promissiones, Sicut hic Daniel non tantùm dicit, Tibi Domine iusticia, Sed addit, Tibi misericordia & propiciatio, Tu promisisti te uelle misereri & ignoscere, Et hanc sententiam aliquoties repetit, disertē excludens merita. Non in iusticia nostra petimus, sed propter magnam misericordiam tuam.

Propter Dominum.

Et nominatim dicit, Exaudi Deus orationem serui tui, & aspice templum tuum desertum, propter Dominum, id est, exaudi, aspice propter Dominum. Nam apud Ebræos hæc particula sic inseritur, ut Daniel loquens ad Deum secunda persona, Exaudi Deus, aspice &c. postea adijciat tertiam personam in fine, Propter Dominum. Ideoq; Iudæi interpretati sunt, Propter Abraham, Sed hæc interpretatio aliena & repudianda est, Sciebat enim Daniel non Abraham esse Dominum populi, sed promissum liberatorem, Sicut in Psalmo dicitur, Dixit Dominus Domino meo, sede ā dextris meis &c. Nec dubium est quin hic Daniel Christum intellexerit, inquiens: Propter Dominum, id est, propter Christum.

Conciones Prophetarum de contritione & fide.

Ac similes conciones de contritione & fide passim extant in Prophetis, ut Iere. cap. 14. Si iniquitates nostræ responderint nobis, Domine fac propter nomen tuum, tibi peccauimus, Saluator noster in tempore tribulationis non relinquens nos &c.

Discamus autem & nos, & exerceamus utramq; doctrinam, agnoscamus peccata, & petamus ueniam, excitent nos publicæ & priuatæ calamitates. Quia hæc exempla in Prophetis proposita sunt, ut intelligamus & consideremus Ecclesiæ calamitates, & petamus liberationem, Nam præsertim

Calamitates Ecclesiæ postremis temporibus.

postremis temporibus non est futura Ecclesiæ minor calamitas, quām fuit illud exilium Babylonicum istius populi. Et hæc Danielis precatio recitanda est, tanquam communis precatio pro Ecclesia his temporibus.

Testimonium doctrinæ Pauli in Daniele.

Hic admonendi sunt Lectores, ut obseruent hanc concionem Danielis confirmandæ sententiæ causa, quæ traditur ā Paulo de iusticia fidei. Hic enim proponitur certum & perspicuum testimonium doctrinæ Pauli, Nam astuti quidam conantur inflectere Pauli sententiam ad iudicium humanum de iusti-

cia

cia operum & clamitant horridius eam ā nobis accipi. Negant illas propoſitiones, Omnes homines ſub peccato eſſe, Noſtra opera non mereri reconciliationem, Naturam hominis uicioſam eſſe, non poſſe ſatisfacere legi, Item gratis per miſericordiam homines reputari iuſtos propter Chriſtum, non propter opera.

Hæc Paradoxa, inquiunt, aliena eſſe ā communi ſenſu. Ideo quærunt cauillationes ad eludenda Pauli dicta, & ita mitigant ea. Fatentur ceremonijs detrahi iuſticiam, ſed aiunt propter moralia opera homines iuſtos eſſe. Sicut Philoſophi dicunt, Hominem iuſtum eſſe propter ciuiles mores. Quia enim habent ſecuros & ocioſos animos, admirantur illam ciuilem iuſticiam, & putant eam ſatisfacere legi Dei, putant ſe ſine peccato eſſe, Ideo conſolationes alias nec quærunt nec intelligunt.

Sed in ueris pauoribus experimur opus eſſe doctrina de gratuita miſericordia. Ac niſi hac fide ſuſtentemur, animi ruunt in deſperationes & blaſphemias, non poſſunt Deum inuocare, non poſſunt expectare, aut petere auxilium. Quare pij non ſinant ſe decipi ab illis ſecuris, qui obruunt doctrinam Pauli de Fide. Fateamur nos eſſe auditores Pauli, ab ipſo diſcamus, non arrogemus nobis cenſuram contra eius dicta.

DEinde illud conſideremus, Cùm Paulus concionetur de iuſticia coram Deo, neceſſe eſt eius ſententiam congruere cum Prophetis ac Patribus, Atq; ita eſt profectò, Ordinē omnes Prophetæ idem docent, Teſtantur omnes homines ſub peccato eſſe, accuſant humanam iuſticiam. Et rurſus propoſunt gratuitam miſericordiam reuelatam in promiſſionibus ā Deo propter promiſſum liberatorem, Et hanc miſericordiam iubent fide accipi, Ita affirmant nobis ignoſci. *Sententia Pauli congruit cum Prophetis &c.*

Hæc eſt una & conſentiens uox omnium Prophetarum. Ideo Petrus inquit, Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Et hæc eſt liberatio promiſſa per Meſſiam, liberari ā peccato, & reſtitui integram iuſticiam, & uitam æternam. At Iudæi ſomniant ſe eſſe iuſtos lege, & expectant liberationem non ā peccato, & ā morte, ſed ab exilio & inopia. Hunc errorem Prophetæ & Apoſtoli taxabant. *Liberatio promiſſa per Meſſiam.*

Quòd autem congruat Paulus hic cum Daniele, manifeſtum eſt, Daniel inquit: *Tibi Domine iuſticia, nobis autem confuſio faciei noſtræ*, Agnoſcit totam Eccleſiam habere peccata, Et nominatim dicit, Non in iuſticia noſtra precamur &c. Item ne quis fingat Synecdochen, loqui eum de multis, non de omnibus (Sicut Origenes corrumpit dictum Danielis) nominatim dicit, *Cùm confiterer peccata mea, & peccata populi.* Sed ita eſt, peccati onus tantùm ſentiunt pij, alij ſecuri contemnunt. *Eccleſia habet peccatum.* *Pij tantùm ſentiunt onus peccati.*

Vt igitur Paulus tollit meritum, & contendit omnes ſub peccato eſſe, Item inculcat particulam gratis. Ita hic docet Daniel, inquiens, Non in iuſticia noſtra &c. Deinde ut Paulus inquit, Remitti peccata per gratiam. Ita hic clamitat (confugimus ad miſericordiam quæ magna eſt) Et nominat Mediatorem, inquiens, *Propter Dominum.* Porrō quoties fit mentio miſericordiæ, correlatiuē intelligenda eſt fides, qua ſtatuimus nobis contingere miſericordiam. Omnino igitur cum Paulo congruit Daniel. *Non in iuſticia noſtra &c.* *Propter Dominum.*

Ita prodest in cæteris Prophetis consentientes sententias considerare, ut in Psalmis, Quòd omnes sint rei, testantur hæc dicta: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item, Delicta quis intelligit? Item, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Rursus de misericordia & remissione gratuita, Dixi confitebor aduersum me iniquitatem meam. Sic Esaias uno uersiculo utramq; partem complexus, accusat omnes, & proponit misericordiam, Omnes nos quasi oues errauimus, unusquisq; in suam uiam: Et posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum.

Esai. 53.

Sic agnoscebant Prophetæ uenturum Liberatorem, longè maius beneficium allaturum esse quàm uoluptates & opes, uidelicet destructurum esse opera Diaboli, id est, peccatum, quo natura humana oppressa est, tyrannidem Diaboli, & mortem æternam.

Beneficium Christi.

Quare legentes Paulum intueamur animo omnes Patrum ac Prophetarum conciones, inde usq; ab initio, & de peccati magnitudine cogitemus, Et sciamus non esse leuia beneficia, quæ filius Dei attulit. Hæc breuiter adieci, ut confirmentur studiosi aduersus Sophisticam, qua nonnulli cauillantur & corrumpunt Pauli dicta de iusticia fidei.

VATICINIVM DE LXX. *hebdomadibus.*

SEquitur uaticinium de septuaginta hebdomadibus traditum Danieli, quod est perspicuum testimonium cõtra Iudæos, de tempore aduentus Christi, & de fine politiæ Iudaicæ. Ac multa breuiter complexus est Daniel, ut fit in uaticinijs. Cùm loquitur de Christi aduentu, simul monet de beneficijs, quæ allaturus est. Interpretatur promissiones, uidelicet, futurum ut aboleatur peccatum, & incoëtur perpetua iusticia, & noua ac æterna uita. Addit etiam Christum moriturum esse, & tamen multis ex populo daturum sua beneficia. Et postea finem fore huius politiæ Iudaicæ. Hæc est summa uaticinij, in qua satis apparet proponi testimonia de multis articulis contra Iudæos.

Primùm refutat hic locus errorem de lege retinenda, & de regno politico Christi, Si erit perpetua iusticia, Item, Si Christus occidetur, sequitur legem Mosaicam non retinendam esse, nec fore mundanum regnum.

Error Iudæorum de lege retinenda &c.

Secundò tradit testimonium de passione Christi.

Tertiò cùm politia iam desierit, ita ut nullos habeat Duces, nullos Prophetas, nulla tribuum discrimina, constat impletum esse dictum Iacob, Non auferetur Sceptrum de Iuda, donec uenerit Saluator. Necesse est igitur uenisse Saluatorem.

Estq; diligenter consideranda diuturnitas temporis post excidium Hierosolymorum, & conferenda cum duratione legis ante excidium. Nec est consentaneum, uelle Deum iacere deletam politiam diutius, quàm florere, si eam iam approbaret. Sunt autem anni à data lege usq; ad excidium Hierosolymorum, capta urbe à Tito, mille quingenti sexaginta quatuor. Nunc econtrà iacet politia deleta annis 1468. usq; ad hunc annum, quo iam numeramus à nato Christo 1542. Cùm igitur tàm diu iaceat politia Iudaica, necesse est uaticinium Iacob impletum esse, ac Christum uenisse.

Vaticinium Iacob impletum Gene. 49.

Anni à data lege usq; ad excidium Hierosolymorum.

Ac uoluit Deus hanc politiam deleri, tùm ut esset exemplum iræ aduersus im-

ſus impios, tũm, quia non potuiſſet eximi perſuaſio hominibus de iuſticia Legis, ſi duraſſet ea politia. Voluit autem Deus oſtendere ritus illos, non eſſe iuſticiam. Item, Iuſticiam legis non eſſe iuſticiam, de qua concionantur promiſſiones. Item uoluit exæquare Gentes Iudæis, ut intelligeremus perſpicuè gratuitam reconciliationem.

Cur [illegible] politia [illegible] fit.

POrrõ Danieli etiam numerus annorum reuelatus eſt, uſq; ad Chriſti prædicationem & reſurrectionem. Nam poſtea poſt miſſionem Spiritus ſancti, & incoatam Euangelij prædicationem, populus Iudaicus deſinit eſſe populus Dei. Ideo non loquitur de anno excidij, ſed de prioribus uſq; ad Chriſti reſurrectionem & circiter.

Numerus annorum &c.

Nominat autem ſeptuaginta hebdomadas, quæ faciunt annos quadringentos & nonaginta. Sunt enim intelligendæ annorum hebdomades, Nam in ſcripturis tantùm ſunt uel dierum uel annorum hebdomades. Manifeſtum eſt autem hic dierum hebdomadas numerari non poſſe. Nam ſeptuaginta hebdomades dierum non faciunt niſi annum, 4. menſes & dies 14. Eo tempore ſatis conſtat nec ædificationem Hieroſolymæ fuiſſe abſolutam, nec populum uniuerſum adhuc reductum. Neceſſe eſt igitur numerari hic hebdomadas annorum, Vt Leuitici 25. fit mentio hebdomadum annorum. Sunt igitur 70. hebdomades annorum intelligendæ, uidelicet 490. anni.

Hebdomades annorum 70.

SVBDVCTIO HEBDOMADVM.

MAnifeſtum eſt, Angelum uelle tempus patefacere, ac præfinire poſt exilium Babylonicum uſq; ad Chriſtum ſeu naſcentem ſeu prædicantem, ut & ea ætas de aduentu Meſſiæ admoneretur, & nos confirmaremur, ac certõ ſciremus, deleta funditus Iudaica politia, iam adparuiſſe Meſſiam.

Ac Iudæis quidem poſt Danielem facilis fuit obſeruatio annorum, præſertim cùm in eo populo Sacerdotes tempora diligenter annotarent, & multi eſſent longæui. Nehemias qui Danielem ſenem uiderat adoleſcens, Alexandrum ſenex uidit. Poſtea Antiochi tempore multi ſenes interfecti ſunt. Seruauit tamen Deus poſteritatem aliquam, Simeon qui Chriſtum infantem geſtauit in ſinu, uidit adoleſcens ſenes, qui Macabæum uiderant. Tales uiri tempore quo Chriſtus natus eſt intellexerunt annos hic præfinitos exactè quadrare ad Chriſti aduentum.

Iudæi diligenter annotarũt tempora.

Eſſet autem & nobis facilior accommodatio, Si anni regni Perſici certius annotati eſſent. Nam retrò à Chriſti natiuitate uſq; ad Alexandrum ſeries annorum mediocri diligentia animaduerſa & præſcripta eſt. Extat enim in Ptolemæo tempus annotatum, à morte Alexandri ad primum annum regni Auguſti poſt Antonij mortem. Anni uidelicet, 294. Locus eſt in fine libri tertij.

ἀπὸ δὲ τῆς ἀλεξάνδρου τελευτῆς, μεχρὶ τῆς αὐγούστου βασιλείας ἔτη 294.

Ergo ſi principium Auguſti poſt interfectum Cæſarem habere uoles, detrahendi erunt anni 12. Eruntq; à morte Alexandri ad interfectum Cæſarem, 282. His adde annos 42. Auguſti, eruntq; ad natum Chriſtum à morte Alexandri, iuxta hanc computationẽ, anni 324. uel circiter. Adde annos 30. Chriſti uſq; ad baptiſmum eius, Ita erunt anni 354. Adde à morte Alexandri retrõ

collectos annos, uſq; ad ſecundum Longimani iuxta græcam ſupputationem annos 136. Ita erunt anni à ſecundo Longimani uſq; ad baptiſmum Chriſti 490. Tot anni ſunt ſeptuaginta hebdomadum.

Cur autem ordiamur hanc computationem à ſecundo Longimani anno poſteà dicemus. Sed ſi cui non placet ordiri à Longimano, ſed potius à Cyri Monarchia poſt captam Babylonem, conuenient hebdomades Danielis ad tempus quo naſcitur Chriſtus, non quo baptizatur.

Alexander regnare cepit Olympiade CXI.

ACut intelligat lector hanc computationem, quam dixi probabilem eſſe, annotatio temporum alia conferatur. Certum eſt Alexandrum cepiſſe regnare Olympiade centeſima undecima. Ita magno conſenſu traditur, & conſentaneum eſt propter magnitudinem rerum geſtarum Alexandri, tempus diligenter annotatum eſſe.

Inter Alexandrum & Herodem anni 292.

Deinde ſcribit Ioſephus, Olympiade 184. Herodem regem creatum eſſe. Erunt ergo iuxta hanc computationem inter Alexandrum & Herodem anni 292. Id tempus rectè congruit ad annos quos ſuprà ex Ptolemæo ſumſi. Nam hic additur initium Alexandri. Porrò ab Alexandro uſq; ad euerſionem templi, factam à rege Nabogdonoſor ſunt anni 256. Si tamen ut Veteres ſcripſerunt tẽpli deſtructio facta eſt Olympiade 47. Quod ſi rurſus demas tẽpus exilij, uidelicet annos 70. erunt à 70. anno poſt euerſionem templi, uſque ad Herodem Regem creatum 478. Adde autem annos ad Chriſtum natum 30. Ita habebis Hebdomadum annos 490. & paulò amplius. Sed bonis mentibus hoc ſufficit, quòd uident ad Danielis uaticinium congruere tempus, quod eſt inter reditum populi ex Babylone, & Chriſtum, etiamſi exactiſſimam ſupputationem non habent.

Quantulum autem in his ſupputationibus deſideratur? Teſtatur Angelus poſt 490. annos Meſſiam ſe populo huic oſtenſurum eſſe. Conſtat autem à liberatione populi ad Chriſtum natum tot eſſe annos, nec multò plures, aut pauciores. Notum enim tempus ab Auguſto ad Alexandrum. Conſtat & hoc, Monarchiam Perſicam non plus ducentis annis duraſſe. Venit igitur Meſſias filius Dei, & reſpondit euentus uaticinio Danielis.

SEd quoniam Angelus diſertè dicit, *Chriſtum multis confirmaturum eſſe teſtamentum hebdomade vna & dimidia, & tunc ceſſaturas eſſe hoſtias.* Si uolumus hebdomadas continuas eſſe, numerandæ erunt hebdomades ad Chriſti baptiſmum, quod fiet, ſi à ſecundo anno Longimani numerentur, quo uaticinia Zachariæ & Haggæi edita ſunt de populi reditu, qui fuerat antea impeditus, Nunc ſublatis impedimentis, reditus conceſſus eſt. Nam Angelus iubet numerari ab exitu ſermonis de reditu populi, & inſtauratione Ieroſolymæ.

Longimanus qui & Artaxerxes, & Darius. Xerxes.

Porrò hæc uerba alij aliter acceperunt. Quidam de Regum edictis interpretantur, quorum prius fuit Cyri, quod eo abſente in bello Scythico impeditum eſt. Alterum poſt annos 42. à Longimano editum eſt, qui in Eſdra uocatur & Artaxerxes, & Darius, Nam hæc fuerunt communia Regum nomina, ut Romæ, Cæſar, Auguſtus. Et Herodotus libro ſexto inquit, Darij uoce idem ſignificari, quod ſignificat uocabulum coërcentis: Xerxen ait eſſe bellatorem, Artaxerxen, magnum bellatorem.

Porrò eo tempore quo Longimanus decretum de conceſſione reditus renouauit,

renouauit, simul Haggæo & Zachariæ facta est reuelatio de liberatione & ædificatione deinceps processura. Quare hinc à secundo Longimani anno incoatur à quibusdam computatio, eō quòd tunc sermo exierit & à Deo, & à Longimano, ne liberatio & ædificatio deinceps impedirentur. Et si hinc sumemus initium, erunt continuæ hebdomades usque ad Christum prædicantem. Sed si quis mauult à Cyri decreto ordiri, perueniet ad natum Christum.

Decretum Longimani de concessione reditus, &c.

Est autem utraq; sententia seu computatio concinna, & quod ad summam negocij attinet, rem eandem confirmat utraq; computatio, ostendit inter liberationem populi & Christum esse 490. annos. Hoc cūm declaratum est, sciunt pij, non esse postea, deleta politia Iudaica, alium Messiam expectandum. Nam hoc præcipuè agitur in hoc uaticinio, ut extet testimonium, oportere adhuc durante politia Mosaica nasci & conspici Messiam. Sicut idem docet uersiculus, Et tu Bethlehem paruula in millibus Iuda, Ex te egredietur Dominator in Israël. Oportuit stante politia Mosaica in Bethlehem Messiam nasci.

Christus uenit durante adhuc politia Mosaica.

Constat autem nunc politiam totam Mosaicam iacere deletam, Ierusalem, Bethlehem, non tàm oppida, quàm casas esse aut spelæa latrunculorum Arabicorum, annos mille quadringentos sexaginta septem, Necesse est igitur Messiam natum esse.

Quid contra hæc dicere Iudæi possunt, si modō Prophetarum scripta non iudicant fabulosa esse? Sed quia gens Iudaica amat suas tenebras, nobis ipsis legamus, & expendamus Prophetarum dicta, ut fidem nostram accendamus & confirmemus. Interim & gratias agamus Deo, quòd Ecclesiam curat, quōd subinde doctrinam illustrauit, quōd certis testimonijs subinde erudijt.

VEnio igitur ad computationem, Sed initiō recensendus est Catalogus Regum Persicorum.

CATALOGVS REGVM PERSICORVM *iuxta Græcos.*

Cyrus	29.
Cambyses	7. *annos, Menses* 5.
Darius filius Hystaspis	36.
Xerxes	20.
Artaxerxes Longimanus	40.
Darius Nothus	19.
Artaxerxes Mnemon	40.
Ochus	26.
Arsames	3.
Darius vltimus.	6.

HAec series nota est eruditis omnibus, qui Græcas historias legerunt. Et inscitia Iudæorum recentium uituperanda est, qui fingunt non plures fuisse Reges Persicos, quàm quatuor, & propter hanc inscitiam, amittunt ex serie annorum mundi centum annos.

Inscitia Iudæorum recentium.

Metaſthenes. Extat autem & alius Catalogus in fragmento Metaſthenis, in quo appellationes magis congruunt cum Eſdra. Etſi autem apud quoſdam leuis eſt autoritas Metaſthenis, tamen quia congruit cùm Eſdra & Philone, non aſpernor, præſertim cùm primi tres de quibus diſcrepant Catalogi, eodem modo recenſeantur & nuncupentur ab Eſdra & Philone, de cæteris ambo Catalogi conſentiunt, & in prioribus facilis eſt conciliatio.

Darius Medus & Cyrus ſimul regnârunt	*annos 2.*
Cyrus ſolus	22.
Artaxerxes Aſſuerus	20.
Darius Artaxerxes Longimânus	37.
Darius Nothus	19.
Artaxerxes Mnemon	55.
Ochus	26.
Arſames	4.
Darius	6.

Primus Darius ignotus Græcis. IGnotus eſt Græcis primus Darius, qui Medus dicitur, & putant nonnulli Cyaxaren eſſe. Certum eſt autem ex Daniele, regnaſſe initiō hunc Darium Medum cum Cyro. Et quidem Daniel ipſe diſcernit hunc Darium ā Cyro, ait Darium eſſe Medum, Perſam uerō Cyrum. Non igitur pugnant hæc cum Græcis, qui omiſſis Medis, numerant Perſas.

Cambyſes. Cambyſen præterit Metaſthenes, ut ego exiſtimo, quia non regnauit poſt mortem patris: Sed cùm pater Cyrus in Scythiam duceret exercitum, more uſitato prius domi Regem creauit, ne abſente ipſo, de ſucceſſione certamina orirentur.

Artaxerxes Aſſuerus. Eſt ergo Artaxerxes Aſſuerus is, quem nominant Græci Darium Hiſtaſpis filium, quōd ita eſſe ex hiſtoria intelligitur. Quia Philo narrat hunc Aſſuerum recuperaſſe Aſſyriam & Babylonem, quæ defecerant. Id apud Herodotum narratur de Dario filio Hyſtaſpis. Et ſcribit Herodotus, Dario concubinam fuiſſe omnium cariſſimam Artiſtonam, quæ adpellatio conuenit cum appellatione Eſther.

Artiſtona.

Artaxerxes Longimanus. Ex Eſdra manifeſtum eſt ſucceſſiſſe Aſſuero Artaxerxen, huic additur cognomen ā Metaſthene & Philone Longimanus, ſeu μακρόχερ. Nec dubium eſt, hunc eundem eſſe Longimanum, quem ſic nominant Græci.

Xerxes. Sed cur hic omittitur Xerxes? Id rurſus eō fieri iudico, quia Xerxe procul in Europam ducente exercitum, neceſſe fuit cooptari Regem collegam domi, ne in Oriente ſeditiones orirentur, ſi nemo præeſſet regia autoritate, poſt Xerxis diſceſſum. Deinceps conuenit ſeries cum Græcis.

NVnc redeo ad Hebdomadas. Cùm Cyri & Aſſueri tempore fuiſſet impedita ædificatio, ut conſtat ex Eſdra, poſtea ſub tertio Rege, ſcilicet Longimano, rurſus ædificatio permiſſa eſt. Nam ut Cyrus, ita hic Longimanus benignior fuit erga Iudæos, quàm Aſſuerus, etſi hunc quoq; flexit Eſther, quæ fortaſſis diſciplina domeſtica Longimanum ad ueram pietatem aſſuefecit. Ac fuiſſe amplexum Longimanum doctrinam populi Iſraēl de Deo inde conſtat, quia

Benignitas Longimani erga Iudæos.

quia præcipui gubernatores in aula fuerunt duo uiri uerè colentes Deum, & duces Israëlitarum, Esdras & Nehemias.

Sæpè autem iam dixi eodem tempore Haggæum & Zachariam cœpisse uaticinari de ædificatione templi processura. De hoc uaticinio existimant loqui Angelum, cùm ait, Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Ierusalem &c. Constituamus ergo initium Hebdomadum à secundo anno Longimani.

Vaticinium Haggæi & Zachariæ de ædificatione templi &c.

Huic supputationi graue testimonium addit euentus ipse. Nam antè interruptæ erant operæ, nunc primùm processerunt, & anno sexto Longimani instauratio templi absoluta est. Ideo arbitrantur quidam dici in Iohanne, Quadraginta sex annis ædificatum esse templum. Sunt enim à Cyro usqꝫ ad secundum annum Longimani anni 44. quibus impedita fuit ædificatio, etiamsi incoatum erat templum. Postea uerò sub Longimano rursus nouo decreto concessa ædificatione templum absolutum est intra quadriennium. Ita fient anni à prima incoatione 46.

46. anni, quorum fit mentio ca. 2. Ioh.

Sunt autem iuxta Metasthenem à secundo anno Longimani usqꝫ ad initium Alexandri anni 145.

7. annis regnauit Alexander post interfectum Darium.

146. post Alexandri mortem usqꝫ ad initium Ducis Iudæ Macabæi, ut clarè constat ex libro Macabæorum.

127. ab initio Iudæ Macabæi usqꝫ ad Herodis initium.

30. anni ab initio Herodis usqꝫ ad natum Christum.

In hac supputatione post Alexandrum secuti sumus librum Macabæorum, qui numerat annos ab Alexandro usqꝫ ad Macabæos. Nec uerò dubium est, singularem fuisse diligentiam in populo Iudaico, in annotanda serie annorum, quare etiamsi hæc series aliquantò breuior est, quàm altera suprà tradita, ex Olympiadum catalogo, tamen hanc propter autoritatem libri Macabæorum non aspernandam duco.

Sed summam colligamus.

310. ab initio Alexandri usqꝫ ad natum Christum, Adde annos à Longimano usqꝫ ad Alexandrum 145. Et annos à nato Christo usqꝫ ad eius baptismum 30. His annis collectis habebis à secundo Longimani anno usqꝫ ad Christum prædicantem annos 485. Iam sexaginta nouem hebdomades continent annos 483.

Disertè autem inquit Angelus, usqꝫ ad Christum ducem, id est, prædicantem esse hebdomades sexaginta nouem. Ac deinde subiicit repetitionem, inquiens, Post sexaginta duas hebdomades occidetur Christus, quo loco ex superiore uersiculo etiam repetendæ erunt septem hebdomades, sicut antea dixerat, septem & sexaginta duas, quæ sunt sexaginta nouem, Nam postrema hebdomade, quæ tantum est dimidiata, Christus suo ministerio perfunctus, crucifixus & resuscitatus est, misit Spiritum sanctum, ac publicè edidit prædicationem Euangelij, missis Apostolis ad Gentes.

Christus Dux.

Post 62. hebdomades occidetur Christus.

Ideo inquit Angelus ad Danielem de Christo. Confirmabit testamentum multis, id est, incoabit suum regnum, prædicabit Euangelium, fiet uictima pro genere humano, resuscitatus dabit Spiritum sanctum, mittet Apostolos, ut Euangeliũ doceant, multos in illa dimidia hebdomade donabit æterna salu-

Confirmabit pactum multis.

te. Nam antequam postrema hebdomas tota post baptismum peracta est, Christus anno, scilicet post baptismum suum, quarto, crucifixus & resuscitatus est.

In hac supputatione non interrumpuntur hebdomades usq; ad prædicantem & resuscitatum Christum. Et significasse continuam seriem Angelus magis uidetur.

Nec comprehendendum est tempus excidij Ierosolymorum in ipso hebdomadum numero, quia post Christi resurrectionem & Euangelij promulgationem misso Spiritu sancto, cùm iam politia Iudaica aduersaretur Euangelio, reiecta est, Sicut in textu dicitur, Et non erit ei populus, scilicet qui fuit.

Præterea Angelus significat postrema hebdomade futurum, ut pactum confirmetur, id est, ut Christus fiat uictima, & resuscitatus incoët nouum regnum. Hæc cùm postremæ hebdomadi tribuantur, manifestum est, Angelū non complecti tempus reliquum usq; ad Titum, seu excidium Ierosolymorum. Iam antea desierat hæc politia esse politia Dei, cùm abiecit filium Dei.

HAbes, Lector, non intricatas supputationes, quæ ex testimonijs non contemnendis sumtæ sunt. Sed fortassis homines contentiosi talem subductionem postulant, in qua metæ hebdomadum congruant cū ipsis temporū articulis, ad natalem diem Christi, aut diem Baptismi. Etsi arbitror prophetiam exactè congruere, tamen qui hanc scrupulosam diligentiam requirunt, non hoc agunt, ut rem explicent, sed ut ea, quæ mediocriter sunt explicata, eludant. Quare aut propiora tradant, aut hæc cauillari desinant, si quid habent candoris.

Hoc uerò pijs sufficit, quòd uident præfinitum esse tempus aduentus Messiæ, uidelicet post reditum ex Babylone circiter annos 490. Et oportuisse nasci Messiam adhuc durante politia Iudaica. Hæc testimonia nobis hic præcipuè obseruanda sunt. Et quanquam articulos temporum difficile est constituere, tamen hoc apparet congruere hos annos 490. uel à Cyro ad nascentem Christum, uel à Longimano ad Baptismum Christi. Nam series annorum post Alexandrum notior est. Ab Alexandro si retrò quærantur anni iuxta Græcos ad Longimanum, magis etiam quadrabit computatio. Constat Alexandrum cœpisse regnare Olympiade 111.

Athenæ captæ 92. Olympiade &c.

Iam si retrò numeres annos, certum est ex Polybio diligentissimo & fidelissimo scriptore captas esse Athenas à Lysandro Olympiade 92. Habebis ergo annos 76. aut circiter. Nam articulum ipsum difficile est constituere. Durauit autem bellum illud tempore Periclis motum, aliquantò ante Darium Nothum annos 27. Si igitur coniunges annos, ab Alexandro ad initium belli Peloponnesiaci, habebis annos 103. Hæc à Græcis certa fide traduntur. Reliquum est tempus regni Longimani, qui circiter 40. annos regnauit. Consentaneum est igitur, quod antea posuimus ex Metasthene, à Longimano ad Alexandrum esse annos 145.

Ita collatio historiarum ostendit has computationes omnes, quas recensui, congruere, nec procul aberrare, etiamsi ipsi temporum articuli seu momenta non exactissimè monstrantur, summa tamen rei tenetur. Et spero eruditos & candidos probaturos esse, cùm studium nostrum in inquirenda temporum serie & collatione historiarum, tùm uerò etiam ipsas supputationes.

Illud

ILlud iterum monendi sunt lectores, ut cogitent, quid piis hæc concio Angeli, & hoc testimonium utilitatis adferat. Perspicuè refutantur multa Iudæorum deliramenta. Nam cùm durante politia Iudaica nasci Messiam oportuerit, ut hic dicitur, necesse est natum & exhibitum nobis esse Messiam. Refutantur etiam somnia de mundano imperio Messiæ, quod adhuc Iudæi sibi pollicentur. Docemur de passione Christi, & de ueris beneficijs, de abolendo peccato, abolenda morte, de restitutione iusticiæ & uitæ æternæ. Denicp summã Euangelij paucis uersiculis Angelus complexus est. Prodest igitur hæc concio Angeli piis mentibus ad confirmandam fidem, quia uident euentus, qui in Euangelio describuntur, cum prædictione congruere.

Nunc breuiter textum percurram.

Septuaginta hebdomades præcisæ sunt super populum tuum & super Vrbem sanctam tuam.

Id est, anni 490. præfiniti sunt seu constituti. Nam id haud dubiè significat uocabulum, quo Daniel utitur. Tantisper, inquit, hic populus & urbs uestra, hoc est, urbs & politia seruabitur ad id tempus usqp, quo finietur præuaricatio, & claudetur peccatum, id est, quo per aduentum Messiæ delebitur peccatum, cùm Christus erit uictima, & cùm Euangelium reuelabitur, delebitur enim in his, qui Euangelio credituri sunt, seu qui postea erunt membra populi Dei. Etsi enim in hac mortali uita manent in his, qui per Euangelium renati sunt, imbecillitas naturæ carnalis repugnans legi Dei, & mors corporis, tamẽ remissio prædicatur, & peccatum est, ut hic dicitur, clausum, tectum condonatione, & incoatur regnum Christi, noua agnitio Dei, noua iusticia & uita æterna in his, qui ad Christum conuertuntur.

Et expiabitur iniquitas.

Hic declarat Angelus priores particulas. Quomodo finietur peccatum? Sic scilicet, quia fiet expiatio, fiet sacrificium Messiæ promissum, quo solo Pater æternus placabitur.

Et veniet iusticia perpetua.

Vsitatum est Prophetis, cùm de regno Christi loquuntur, complecti integram instaurationem, Abolito peccato, abolita morte, eo tempore exhibebitur noua & perpetua iustícia & uita, quæ in hac mortali uita per Euangelium, & dato Spiritu sancto incoatur, sed postea post resurrectionem erit integra.

Et signabitur Prophetia & visio.

Id est, complebitur ac finietur, uidelicet, quia promissa in prophetijs de Messia exhibebuntur.

Et vngetur Sanctus sanctorum.

Id est, Pontifex & Rex ab æterno patre unctus, id est, missus, ut fungatur munere Pontificis & Regis, & perfusus Spiritu sancto. Hic inquam, Pontifex & Rex Messias ipse tunc aderit, & munere suo fungetur, docebit Euangelium, Sacrificium suum offeret, ostendet se esse Dominũ, per quem Deus aboleri pec- *Munus Messiæ.*

ri peccatum & mortem uelit, ſanctificabit credentes, id eſt, remittet eis peccata, & effundet in eos Spiritum ſanctum, Clarè igitur adfirmat tunc aduenturum eſſe Meſſiam promiſſum.

Pontifices & Reges uncti.

Vt autem Pontifices & Reges ungebantur, ſic & filius Dei, cũm mittitur, ungi dicitur, id eſt, mitti ad functionem Sacerdotij & Regij muneris, & perfundi Spiritu ſancto, ut Iohan. 6. dicitur: Hunc Pater ſignauit Deus, id eſt, peculiariter unum hunc ad tantum munus delegit, & miſit. Ingens & inenarrabilis eſt ira Dei aduerſus peccatum generis humani, nec ulla uictima alia, nec alio modo placanda erat, niſi interceſſione Filij, qui ſe abiecit, ut fieret uictima. Hanc uictimam unam Pater ſignauit, delegit, approbauit, perfudit Spiritu ſancto, ita, ut ex eius plenitudine cæteri haurirent, ut Baptiſta inquit.

Ira Dei aduerſus peccatum.

Hactenus igitur hæc dixit, Naſcetur & exhibebitur promiſſus Liberator, ac fungetur ſuo munere poſt annos 490. durante adhuc urbe Ieruſalem & politia ueſtra. Hæc ſententia pios tunc in publicis periculis uberrimè conſolabatur. Quid enim nobis optatius eſſet, quàm ſcire manſuram eſſe in his ipſis locis Eccleſiam, in quibus noſtra erit poſteritas.

Et ſcies & intelliges, Ab exitu ſermonis de reditu & ædificatione Ieruſalem.

Id eſt, à ſecundo anno Longimani, quo Deus per uaticinium Haggæi & Zachariæ pollicetur ædificationem proceſſuram eſſe, & quo anno Longimanus decretum edidit, ne impediretur ædificatio, Inde, inquit Angelus, numerabis Hebdomadas ſexaginta nouem, à populi reditu uſq; ad Chriſtum ducem, ſeu natum, ſeu prædicantem. Cùm enim nominatim dicat, uſq; ad Ducem Chriſtum, ſignificat iam fungentem miniſterio, quod poſt Bāptiſmum palām exercuit. Admonui autem ſuprà non interrumpi hebdomadas, ſi ad baptiſmum Chriſti à Longimano numerentur.

Vſq; ad Chriſtum ducem &c.

Cur autem iubet 69. hebdomadas numerari, id eſt, annos 483. Poſtremam hic non addit, deſcribit enim tempus, quod præcedit baptiſmum Chriſti, & pios confirmat, ut ſciant interim non delendam eſſe urbem, etſi magni motus, magnæ mutationes regnorum ſecuturæ erant, Et futurum erat, ut Iudæa duriter quaſſaretur inter uicinarum gentium tumultus. Ideo additur conſolatio.

Vſq; ad Chriſtum ducem hebdomadibus ſeptem & hebdomadibus ſexaginta duabus habitabitur Ieruſalem, & ædificata erit platea & murus.

Emphaſis uerborum in hac breuitate uaticinij expendenda eſt, Diſertè inquit, habitabitur Ieruſalem, & erit ædificata &c. hoc eſt, urbs & politia Iudaica interim non delebuntur. Addit autem textus (In anguſtia temporum) hoc eſt, & tamen uariè uexabitur Iudæa. Primùm in inſtauratione urbis & templi aduerſabantur proximæ gentes in Samaria, & præfecti Perſici. Poſtea Ochus crudeliter ſæuijt in Iudæos, Poſt Alexandrum cùm eſſent bella inter ſucceſſores aſſidua, præſertim inter Aegyptios & Syriacos, Iudæa in medio interiecta, utriſq; prædæ erat.

Inter hæc pericula & mala, tamen hic uox diuina pollicetur urbem Ieruſalem

salem & politiam Iudaicam non interituram esse. Hic pius Lector imaginem ueræ Ecclesiæ Dei & laborum Ecclesiæ consideret. Non minus miraculum fuit reductio ex Babylone, & instauratio politiæ, quàm olim fuerat eductio populi ex Aegypto. Primùm à Cyro concessus est reditus, aliquantò pòst Cyrus ex regno discedens in bello interficitur.

Cyrus in bello interfectus &c.

Amisso hoc Patrono beneficium concessum Iudæis rursus eripitur. Hic quanto in dolore fuit Daniel? Lugebat Regem amicum, uidebat inimicos ueræ doctrinæ gratulaturos sibi esse interitum Cyri, & impiæ factionis potentiam iterum confirmaturos esse, ut sunt in aulis uices. Hæc uiri sapientissimi Danielis animum non leuiter excruciabant. Sed is tamen se hac consolatione sustentabat, norat Dei promissiones certas, ueras & ratas esse, etiamsi euentus mirandi sunt, nec nostris coniecturis respondeant. Nam hac doctrina oportet nos in Ecclesia instructos esse, ut fide petamus & expectemus euentus. Tandem rursus concessa ædificatione, quàm uariæ ærumnæ, quàm uarij tumultus interuenerunt.

Ita Ecclesia semper exercetur inopinatis & uarijs terroribus & difficultatibus. Nos nunc in instauratione Ecclesiæ Dei, in scholis & in templis, quibus conflictamur difficultatibus? undiq; obijciuntur impedimenta domi & foris, Sed consolemur nos illo exemplo ueteri instaurationis lerosolymæ.

Et post hebdomadas sexaginta & duas excidetur Christus.

Hic repete ex superiore uersu septem, sicut antea dixit, Post sexaginta septem & duas, id est, post sexaginta nouem hebdomadas, uidelicet post annos 483. Christus interficietur, & fiet uictima pro Ecclesia. Anteà dixit mansuram esse urbem & politiam, donec ueniat dux Christus. Nunc expressè concionatur de Christi passione, Et perspicuum est testimonium de morte Messiæ, qualia sunt & apud Esaiam cap. 53. Abscissus est de terra uiuentium. Item, Ponet animam suam hostiam pro peccato.

Hæc cùm sint perspicuè dicta, non sunt alienis interpretationibus depranda, ut faciunt cæci & scelerati Iudæi, qui quia somniant Messiam occupaturum imperia mundi, & regnaturum Alexandri aut Augusti more, corrumpunt dicta de passione Messiæ. Non enim intelligunt qualis sit liberatio à peccato & à morte, promissa primis Patribus. Fingunt pueriliter eò tantùm mitti Messiam, ut in hac mortali, misera & fragili uita cumulet opibus & uoluptatibus posteros Abrahæ. Nec cogitant longè maiorem liberationem primis Patribus promissam esse, qui intelligebant, quas res amiserit humana natura, scilicet firmam agnitionem Dei, perpetuam iusticiam & uitam. Ideo Esaias uocat Messiam patrem æternæ uitæ. Et cap. 53. cùm de morte eius concionatus esset, addit concionem de eius resurrectione, & regno æterno.

Iudæi corrumpunt dicta scripturæ de passione Christi.

Liberatio Patribus promissa.

Itaq; repudiatis Iudæorum corruptelis, ipsum audiamus Angelum, τὸ ῥῆμα τοῦ θεοῦ teneamus, simus discipuli uocis diuinæ, eamq; dextrè intelligamus, non adfingamus ipsi interpretationes, omissa uerborum significatione.

DE persona loquitur, cùm nominat Messiam, ac de illo ipso, quem in proximo uersiculo nominauit sanctum sanctorum, hic, inquit, excidetur, Sicut & Esaias ait, Abscissus est de terra uiuentium. Meminerimus ergo hic certum & perspicuum testimonium tradi de morte & supplicio Christi. Sed id cùm legimus aut audimus, circumstantias etiam cogitemus, sumtas ex alijs

locis

locis Prophetarum, cogitemus & de resurrectione. Ideo adficitur supplicio,
Victima pro peccatis &c. ut fiat uictima pro peccatis generis humani. Id Esaias declarauit pluribus uer-
bis in eo capite, quod toties iam citauimus. Quia ponet animam suam hostiam
pro peccato, uidebit semen longæuum. In hoc dicto mors, ratio uictimæ, resur-
rectio, & regnum comprehenduntur.

Victimæ Legis. Lex habuit antea uictimas, sed non placarunt iram Dei. Hæc una uictima placat. Hoc uerè est inenarrabile consilium Dei, Sed utrumcp ostendit, iræ
Iræ & misericordiæ Dei magnitudo. Dei & misericordiæ magnitudinem. Cùm enim nullius hominis uirtus aut obedientia placare iram Dei potuerit, nisi unius Filij obedientia ac mors, necessè est ueram, ingentem & inenarrabilem iram esse. Rursus uis amoris ingens est, quòd Filium nobis donauit, quòd tali dato pignore nos ex æternis cruciatibus reducit, & certos reddit nos à se diligi, Sicut inquit Filius ipse, Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit &c.

Deniqp in hoc breui dicto Lector uniuersam doctrinam Euangelij cogitet de beneficijs, quæ propter Christi mortem nobis data sunt. Cogitet item doctrinam de fide & inuocatione. Nam beneficia illa fide accipienda sunt, Ita tibi uerè placatus & propicius est Deus æternus Pater, cùm fide propter Filij mortem statuis eum tibi propicium esse, & hac fide inuocas. Hanc fidem uult ut in inuocatione adferas, Vt Rom. 5. dicitur, Per hunc habemus accessum. Item ad Heb. 4. Habentes Pontificem Iesum filium Dei, qui potest compati infirmitati nostræ, Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Hæc satis sit hic breuiter attigisse, quæ copiosius explicantur in Epistola ad Romanos & alibi, quoties de iustificatione dicitur.

Et non erit ei populus.

In textu maior etiam breuitas est, in hoc membro. His uerbis (Et non ei) seu (Et non ad eum) necesse est intelligi non esse ei gloriam, seu populum. Et ut potius intelligamus de populo, mouet sequens sententia de excidio urbis & templi. Hic populus mox desinet esse Messiæ ac Dei Ecclesia, Sicut in Iohanne breuiter dicitur, Et sui eum non receperunt. Reiecta est gens Iudaica pro-
Iudæi reiecti propter Euangelij contemtum. pter Euangelij contemtum. Et rursus collecta est Deo Ecclesia ex reliquijs huius populi & ex Gentibus, ut sæpè in concionibus Euangelij prædicitur, & postea disputat Paulus de uocatione Gentium.

Et ciuitatem & Sanctuarium destruet populus ducis uenientis.

Id est, Titi exercitus.

Et finis eius diluuium, & usq; ad finem belli definita seu constituta desolatio seu uastitas.

Id est, Deinde sequetur finis populi Iudaici & politiæ Iudaicæ, ex quo non rursus emerget, ut antea ex Babylonico exilio rediit, sed uelut obrutus diluuio funditus peribit.

Et quidem acre & difficile bellum erit, Nam Romani non sine multis & uarijs certaminibus Iudæos oppresserunt, Sed postquam erit debellatum, mãsura est perpetua uastitas & solitudo, Nunquam sacerdotium Leuiticum, nunquam regnum aut principatus Iuda, nunquam politia Mosaica, nunquam ciuitas Ierosolyma restituetur. Sed ut Oseas inquit, deinceps Gentes uocabuntur ad societatem populi Dei, Eruntcp populus Dei, omnes, qui Euangelium Messiæ amplectentur, ut Rom. 9. & 10. dicitur.

Constat

Constat Iudæos post Titum aliquoties conatos esse suam politiam restituere. Sub Adriano conuenerat multitudo Iudæorum undiq; collecta, & patriam armis inuadebat: Sed ab Adriano profligata & deleta est. Postea Iulianus odio Christiani nominis concessit Iudæis rursus urbem & templum condere. Incoatum est opus, collecta ingenti pecunia: Sed terræ motu ædificatio impedita est, & magna multitudo hominum saxis & ruderibus quassatis oppressa est. Narrat etiam Nazianzenus passim uestibus populi figuras crucis prodigiosè impressas esse. Absterriti ergo Iudæi cœlestibus signis incoatum opus reliquerunt, quia Deus decreuit, ne politia Iudaica restituatur. Vult conspici exemplum iræ ab omnibus gentibus, quòd Filij contemtum horribilibus supplicijs puniat. Vult etiam sepultam esse politiam Moisi, ne confirmetur opinio de ceremonijs, Homines Lege seu ceremonijs iustos esse.

Iudæi ab Adriano profligati &c.

Ædificatio urbis & templi impedimenta &c.

Et confirmabit pactum seu testamentum multis.

Addit declarationem superiori concioni, quia nõ satis est de morte Christi, & de exitio populi dicere, Addenda sunt etiam testimonia de Resurrectione, de regno & de beneficijs Christi. Item de reliquijs populi, quæ liberantur, sicut cæteri Prophetæ promiserunt, ut Esaias ait: Reliquias saluas fore, hoc est, non Pontifices, non Principes, non robur populi, sed cœtum exiguum & spretum.

Reliquiæ ex Iudæis saluatæ.

Cohorresco intuens hoc tam triste exemplum, Cur gloriãtur nostri Pontifices se esse Ecclesiam, non posse prorsus abijci suum cœtum? Cur nos confidimus propter professionem esse filios Dei? Si non pepercit Deus posteris Abrahæ, & Prophetarum & aliorum, qui res maximas gesserunt, Quid fiet de nostris Pontificibus, qui Euangelium contemnunt? Quid de nobis, si indulgebimus prauis cupiditatibus, ambitioni, liuori, auaricíæ, luxui, & tantùm propter professionem arrogabimus nobis augustum Ecclesiæ titulum.

Sic autem inquit Angelus:

Confirmabit Messias testamentum multis vna hebdomade.

Id est, Postrema hebdomade palãm Christus Euangelium prædicabit, addet testimonia, uocabit multos ad Euangelium & uitæ æternæ societatem, fiet uictima, & resuscitatus incoabit regnum æternum, ostendet se esse datorem iusticiæ & uitæ æternæ, mittet Apostolos ad colligendam Ecclesiam, donabit eos Spiritu sancto.

Hæc fient in dimidiata hebdomade, id est, non confectis annis septem. Nam à Christi baptismo ad resurrectionem sunt anni tres & aliquot menses. Accedit & tempus Pentecostes, intra hoc tempus pactum confirmatum est, id est, exhibitæ sunt promissiones noui Testamenti, prædicatum Euangelium de remissione peccatorum, Filius Dei factus est uictima, uesuscitatus incoauit regnum æternum, misit Apostolos, dedit Spiritum sanctum, cœpit colligere Ecclesiam quam sanctificat, gubernat, & donaturus est uita, luce, iusticia, gloria æterna. Hæc propria Christi opera & beneficia uocat confirmationem pacti, id est, exhibitionem promissionum, quæ sunt factæ ad Patres & Prophetas, Sicut apud Ieremiam dicitur cap. 31. Ecce dies uenient, & feriam cum domo Israël pactum nouum, Dabo legem meam in corda eorum, Ero Deus eorum &c.

Pacti confirmatio.

Christi beneficia.

De hoc ipso fœdere, quod in Prophetis copiosè describitur, Angelum loqui nihil dubium est, cùm ait, Confirmabit pactum seu fœdus multis. Iam pius

Lector promissionem Euangelij & uitæ æternæ datam inde usq; ab initio cogitet, ut beneficia Filij Dei diligenter reputet animo, ut agnoscat & uerè inuocet hunc Messiam, & liberatione per eum donata fruatur.

Et in dimidio hebdomadis cessare faciet hostiam & oblationem.

O triste uaticinium, tristem uocem Iudæis ignorantibus Euangelium, & admirantibus atq; amantibus suas ceremonias, & ritus pulcerrimos à Deo traditos, tantorum Prophetarum & ducum consuetudine comprobatos. Amamus enim patrios mores, & ægrè ferimus eos reijci ac damnari.

Patrij mores.

Sed Danieli & pijs intelligentibus Euangelium, gratissima est hæc uox Angeli, quæ testatur prius ceremonias illas fuisse signa & typos uenturi sacrificij. Exhibito autem ipso Messia, signorum finem fore, Rebus exhibitis umbras cessaturas esse. Messias incoauit iusticiam & uitam æternam dato Euangelio & Spiritu sancto. Hæc ingentia beneficia agnoscamus & accipiamus, nec spectacula ceremoniarum ueterum, in quibus hæ res adumbratæ fuerunt, requiramus.

Exhibito Christo cessarũt ceremoniæ Leuiticæ.

Est ergo sententia. In dimidio hebdomadis, postq; Christus suum sacrificium fecerit, resurrexerit, & dederit Spiritum sanctum, postea reiectæ fuerunt ceremoniæ Leuiticæ. Ideò postea Apostoli, ut in Actis narratur cap. 15. perspicuo decreto abrogarunt circumcisionem & reliquos Leuiticos ritus. Et dimicat eadem de re acerrimè Paulus, ut constat. Obseruetur ergo apud Danielem hoc testimonium, quod adfirmat, post Messiæ prædicationem cessaturas esse Leuiticas ceremonias.

Circumcisio abrogata.

ET super alam abominationes desolationis, & usq; ad consummationem definitam stillabit super uastitatem.

Hæc ultima pars uaticinij continet uerè tristem sententiam. Superiores uersus res lætas promiserunt, duraturam esse politiam usq; ad Messiæ aduentum, uenturum esse Messiam, daturum beneficia æterno fœdere patribus promissa. Sed addita fuit sententia de excidio ciuitatis. Est autem multò tristius, quod hic de templo dicitur, Hoc ipsum templum, in quo Deus olim inuocari uoluit, ubi exaudiuit, quod defendit, iam ita diris execrationib. damnatur, ut dicat deinceps, post Christi prædicationem fore sedem execrandi idoli uastantis cultum Dei.

Templum sedes execrandi idoli &c.

Etsi autem & huic loco Iudaicę corruptelæ tenebras inducunt, tamen nihil dubium est hoc dicere Angelum, in templo futura esse Idola execranda, post quæ secutura sit perpetua uastitas & solitudo. Sic interpretatus est Christus ipse hunc textum, Cùm uidebitis abominationem desolationis, dictam per Danielem Prophetam, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) Tunc qui sunt in Iudæa fugiant &c. Signum excidij Ierosolymæ, & interitus gentis Iudaicæ, fore inquit, Cùm in loco sancto stabit Idolum, quod uocat Ebraica consuetudine βδέλυγμα. Quanquam autem Angelus totum cultum intelligit fore Idolum execrandum, postquam Pontifices interfecerint Messiam, tamen ut conspici ira Dei possit, permisit Deus post resurrectionem templum multis tetris exemplis prophanari.

Matth. 24.

Et quanquàm pij intelligebant, cultus ipsos pugnantes cum Filio Dei, res esse damnatas à Deo, seu sacrificia eorum, qui aduersabantur Euangelio, displicere Deo, & uerè esse Idola & βδελύγματα, quia nulla inuocatio placet Deo nisi

Quæ inuocatio placeat Deo.

niſi ea, quæ fit in agnitione uera & fiducia Filij Mediatoris, Tamen arbitror etiam externas prophanationes acceſſiſſe incurrentes in oculos, ut uexilla Tiberij & cędes factas in ipſo templo, cùm Iudæi uexilla eijcere conarentur, & forſitaſſe ſtatuas Caligulæ, etſi Ioſephus eam hiſtoriam aliquantò aliter narrat. Fuiſſe enim aliqua tetra ſigna incurrentia in oculos, quæ pios admonuerunt de prædictione Danielis & Chriſti, & ſignificarunt inſtare tempus excidij, conſentaneum eſt.

Vexilla Tiberij.

Statua Caligulæ.

Vt nunc ad opiniones prauas Epiſcoporum, Canonicorum & Monachorum, accedunt externæ notæ, incurrentes in oculos, quæ commonefacere mediocres homines poſſunt, cultus hoſtium Euangelij damnatos eſſe. Fit concurſus ad certas ſtatuas, petitur ab hominibus mortuis auxilium & ſalus, prorſus ut olim ab Hercule, Caſtore, Polluce, & ſimilibus. Cœnæ Domini multiplex eſt & manifeſta prophanatio, ut infrà dicam. Quid cætera commemorē, uagæ libidines ſacrificulorum certē βδέλυγματα ſunt, & teſtantur Deo diſplicere hoc genus ſacrificulorum, quod penè in Epicureo contemtu Dei uiuit. Ita fuiſſe inſignes notas externas impietatis apud Iudæos poſt Chriſti reſurrectionem extimo.

Externæ notæ teſtātur cultus hoſtium Euangelij damnatos eſſe.

Sed uerba textus expendamus. Res ipſa loquitur Iudæos propter inſciam quædam membra hic inſulſiſſimē interpretari. Vt autem ocioſam prolixitatem fugiam, deliramenta Iudaica omittam, & breuiter interpretationem recitabo. Verba hæc ſunt in textu.

ET ſuper alam erunt abominationes deſolationis.

Mirantur multi hanc figuram, cùm dicit, Super alam. Sed expedita, ſimplex, concinna & perſpicua eſt enarratio. Super alam, id eſt, ſuper Cherubim ſtantes in tabula propiciatorij in ſancto ſanctorum.

Super alam.

Sic Chriſtus interpretatur, qui ait, βδέλυγμα ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου ἑστὸς ἐν τόπῳ ἁγίῳ, id eſt, Seu idolum manufactum ſtabit in illo ipſo loco Cherubim, qui fuerat ſedes Dei, ut conſtat ex 25. cap. Exod. ſeu cultus ad illum locum & inuocatio, quæ fit cum contumelia Filij Dei, erit Idolum & res damnata. Nunc pròh dolor non difficile eſt exempla monſtrare in templis, in inuocatione mortuorum hominum & prophanatione Cœnæ Domini, haud dubiē coluntur & inuocantur Idola, quæ ſunt poſita in præcipuo loco, id eſt, ſunt præcipui cultus in templis hoſtium Euangelij.

Erit atrocior tota hæc Angeli concio, ſi quis cogitabit totam deſcriptionem de propiciatorio & arca. Nihil potuit dici aut cogitari triſtius apud pios, quām pollui hanc ueram Dei ſedem, ubi Deus promiſerat certò ſe exauditurū eſſe uota populi ſui.

Cur nominat abominationem uaſtatricem. Vſitata figura eſt Ebræis, Idolum uocare abominationem ſeu βδέλυγμα, id eſt, rem, quam Deus execratur & damnat. Et execratur ac damnat ideo, quia ei falſò tribuitur honos Deo debitus. Vt cogita ſtatuam Mariæ, quales multas multi uiderunt, ad quam concurritur, & alligatur ad eam ſeu Mariæ ſeu Dei præſentia contra mandatum Dei. Ibi putatur ſeu Deus magis propicius, ſeu Maria benignius audire preces, quoquo modo hæc fucantur, cultus eſt impius & damnatus à Deo. Tale Idolum & talis cultus eſt βδέλυγμα, id eſt, res damnata à Deo, ac ideō damnata, quia inuocatio non rectè fit ad Deum. Recitaui exemplum, ut uocabuli uſus magis intelligi poſſit.

Abominatio.

Cur autem addit βδέλυγμα ἐρημώσεως? Ebraismus est, & significatio effectus, quasi dicat, Idolum uastans, quia Idolum positum in templo Ierosolymæ post resurrectionem fuit signum uastationis & euersionis totius templi & politiæ. Impius cultus erat causa excidij. Externæ profanationes fuerunt signa excidij. Intelligas ergo βδέλυγμα ἐρημώσεως rem damnatam, uastatricem.

Idolū uastans.

Vastatio duplex.

Est autem uastatio duplex, Prior doctrinæ, opinionum, inuocationis. Altera posterior pœna ipsa, scilicet exitium populi. Vt si dicas, statua Mariæ est uastatrix primum ueræ doctrinę de Christo mediatore, de inuocatione Christi. Postea etiam attrahit pœnas, sicut haud dubiè regna, quæ titulum Ecclesiæ habent, propter idolomanias euertuntur & ruunt.

Sequens particula repetit sententiam, uidelicet, Cūm post natum Messiam euertetur urbs Ierosolyma, nunquam postea futuram esse instaurationem aut restitutionem urbis Ierosolymæ, templi, sacerdotij Leuitici & politiæ iudaicæ. Hanc prædictionem comprobat euentus iam annos 1470. Id tempus aliquantō longius est, quàm tempus à Dauide, qui cepit arcem, & condidit ciuitatem Ierusalem, usq; ad euersionem à Tito factam. Sunt enim anni à Dauide ad hanc euersionem à Tito factam 1150.

TRadidi enarrationem huius utilissimi capitis, & temporum subductionē, quàm potui nunc quidem minimē intricatam, quam tamen iudicio eruditorum libenter permittō, quos rogo, ut studium meum boni consulant. Non multum discrepat hæc subductio, quàm exposui, ab ea, quam clarissimus uir D. Lutherus in Chronico suo recenset, qui annos partim iuxta Philonem, partim iuxta librum Maccabæorum distribuit. Cum autem uidebit Lector ferè congruere ad eum numerum, testimonia, quæ & nos ex historijs certissimis adiecimus, consensu mouebitur, ne has supputationes aspernetur.

Temporis inquisitio.

Prodest autem studiosis hæc temporum inquisitio, fit enim gratior & dulcior lectio Prophetarum, cūm mediocriter intelliguntur, hæc autem ad alendam pietatem conducit. Deinde iuuat considerare hoc consilium Dei de numero annorum, & de excidio reuelato. Nobis post euersam Ierosolymam propositum est certum testimonium, quod docet Messiam exhibitum esse, Ita pios ante natum Christum numerus annorum admonebat, quo ferè tempore Messiam uisuri essent.

Cogitemus autem grauissimas esse causas, cur Deus hac tanta de re, de Filij missione, Ecclesiam uoluerit certam esse. Simus grati, quōd Filium exhibuit, quōd Ecclesiam his testimonijs confirmauit. Prædicemus beneficium, inquiramus testimonia, conferamus historias, ut testimonia fiant illustriora, hoc studium certē pios decet. Et ipsarum historiarum ac temporum series obiter multa de prouidentia diuina, de pœnis impiorum, de Ecclesiæ forma, ærumnis & defensione monet. Hæc exempla Deus uult considerari, ut nos de multis magnis rebus admoneant, sicut Psalmus inquit. Deniq; non retro animo legere & contemplari rerum initia, Ecclesiæ exordium, mutationes, instaurationes, gubernationem, non conferre tempora deprauatæ religionis, ad antiquitatem ueræ doctrinæ, negligentia est admodum uituperanda in homine literato.

Historiarum & temporum series &c.

POstquam autem totius capitis enarrationem absoluimus, iam studiosus Lector repetat animo præcipuos locos, ut quam hæc lectio utilitatem attulerit, con-

rit, consideret. Initiò traditur doctrina de pœnitentia, de fide ac uera inuocatione. Hic locus continet illustrè testimonium consensus Prophetici & Apostolici. Nam prorsus congruit sententia Danielis cum Paulo, cùm inquit Daniel: *Precamur non propter iusticiam nostram, sed propter miserationes tuas multas.* Et quidem addit, *Propter Dominum*, uidelicet propter promissum Liberatorem. *Doctrina de pœnitentia.*

Hęc prorsus congruunt cum Paulinis concionibus, quæ dicunt, Nos fide recipi propter Dominum Mediatorem, non propter nostram dignitatẽ. Nec aliud docet Paulus, quàm quod monstrat exemplum Danielis, Vtile est autem pijs uidere consensum Propheticarum concionum & Pauli, ut intelligant unam perpetuam esse sententiam catholicæ Ecclesiæ Dei, quam professi sunt primi Patres, Prophetæ, Christus & Apostoli.

Estq; memoria dignus locus, quòd nominatim hic inuocat, *Propter Dominum*, id est, propter promissum Liberatorem. Hæc est uera Ecclesiæ uox, discernens inuocationem nostram ab ethnica & Mahometica. Nam Gentes, quæ non norunt Filium Dei, non rectè inuocant Deum, nec statuunt suas preces recipi, quia nullam tenent promissionem. Nos uerò scimus æternum Patrem per Filium Mediatorem placatum esse, & promissionem traditam, quòd propter hunc preces nostras recepturus sit. Ideò Christus inquit, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. *Propter Dominum.*

Discamus igitur hanc esse inuocationem ueram, petere propter Filium Mediatorem, & fiducia misericordiæ propter ipsum promissæ æternum Patrem inuocare. Econtrà uerò ethnicas & Mahometicas inuocationes execremur, quæ Filium Dei uel non norunt uel contumelia afficiunt. Deprauata est inuocatio, & apud aduersarios nostros, qui doctrinam de fide obruunt, nec docent fiduciam Mediatoris ad Deum adferendam esse, sed uel fiduciam propriç dignitatis, uel dubitationem, quæ nihil differt ab ethnica inuocatione. Habes igitur in hoc capite doctrinam utilem toti uitæ. *Vera inuocatio.* *Ethnica inuocatio.*

Sequitur uaticinium de tempore aduentus Messiæ, de morte Messiæ, de delenda politia Iudaica. Hic locus manifestum testimonium continet de duobus articulis, de quibus maximè litigant Iudæi. Docet Messiam exhibitum esse, quia uenturus erat adhuc durante politia Iudaica. Docet item regnum Messiæ non fore mundi imperium seu Mosaicam politiam, quia hic manifestè & multis uerbis dicitur, Mosaicam politiam delendam esse. *Regnum Messiæ.*

Ergo sic regnat Messias resuscitatus, ut dato Euangelio uocet ad uitam ęternam eos, qui ipsum agnoscunt esse propiciatorem, & incoet in eis per Spiritum sanctum nouam lucem & obedientiam, deleat peccata, & sit daturus uitam æternam ijs, in quibus lucet fides, & iusticia noua incoata est.

CAPVT X.

REuelatio, quæ describitur in superiori capite, facta est anno primo Cyri, quo aliquantò post hanc reuelationem, Cyri edictum de restitutione Ierosolymæ propositum est, & redire aliqua Iudæorum agmina cœperunt, ac incoarunt ædificationem. Omnia tunc læticiæ, gratulationum, ac bonæ spei plena erant, Pij gratias Deo agebant, quòd Ecclesiæ reddebatur uetus sedes, templum, cultus, celebrabant uaticinium Ieremiæ, laudabant Deum, qui uoce Ieremiæ *Cyri edictum de restitutione templi &c.*

miæ mirabiliter seruauerat gentis reliquias. Erat iunioribus dulce uidere maiorum patriam, templum, cultus diuinitus institutos, frui libertate, studijs pijs, Agnoscebant etiam hoc suum exilium profuisse ad doctrinæ propagationem. Videbant Cyrum & multos alios ad ueram pietatem conuersos esse, & gaudebant se habere fauentem Regem, qui imperio & uirtute tunc omnibus Regibus antecellebat. Hæc gaudia seni Danieli etiam exilium leniebant, qui tunc abfuerat à patria annos 86. Nam abductus est ante Ieconiam, ut testatur initium primi capitis.

Imago Ecclesiæ.

Sed uide, Lector, imaginem Ecclesiæ. Hæc tanta gaudia post triennium sequitur tristissimus luctus. Discedit ex regno Cyrus, prohibetur nouo edicto ædificatio templi. Aliquantō pōst ipse Cyrus interficitur, In aula fit rerum omnium conuersio, excluduntur, urgentur odijs, opprimuntur pij, qui antea auctoritate apud Cyrum ualuerant. Renouantur ethnicæ superstitiones, Principes impij, inimici ueræ doctrinæ uocantur in aulam. Hic Daniel in quanto luctu fuerit, nemo satis explicare potest. Dolebat regis amici casum, dolebat contumelia affici nomen Dei, præcipuè uerō excruciabatur ludæorum tūm imbecillitate, tūm peruersitatibus, quorum multi iam nullam spem esse restituendæ urbis, & frustra sibi uerba dari à Prophetis dicebant. Alij etsi non prorsus desperatione frangebantur, tamen dehortatores erant suis, ne properarent redire in patriam, sed iubebant expectari tempora tranquilliora, ridebant stulticiam eorum, qui incerta spe moti, statim ex Chaldæa discesserant.

Vt igitur initia fuerant læticiæ plena, ita nunc boni sunt in luctu, squalore, tristicia. Econtrà uerō pars ludæorum, quæ suum ocium religioni anteferebat, fremit indignatione distrahit uoluntates suorum, perturbat bonos.

Habes Ecclesiæ imaginem, quàm Deus uult & exerceri afflictionibus, & fide expectare liberationes. Et cùm liberat, tamen euentus non respondent nostris coniecturis. Cūm Cyri beneficium impeditum esset, postea magis conspici potuit, à Deo gubernari hanc liberationem, cùm tot impedimenta incidissent, quæ humanis consilijs tolli non poterant.

NOua igitur Visio exhibetur iam Danieli, non solūm ut ipse & cæteri pij in hoc præsenti periculo confirmentur, sed etiam, ut posteritas præmoneatur de præcipuis mutationibus imperiorum, & de ijs calamitatibus, quæ ludææ impendebant. Sæpē autem iam dictum est, quare utile sit præmoneri pios. Discunt uitare causas calamitatū, uidelicet ea scelera, quibus cęteri accersunt pœnas, præparare animos, ne in ipsa calamitate adsentiantur impijs, expectare liberationem, præsertim, cùm intelligent clara uoce Dei promissos esse lætos exitus horum certaminum. Sed de his utilitatibus infrà rursus dicendum erit. Nunc breuiter huius capitis præcipuos locos percurram.

Certamen angelorum bonorum & malorum.

Angelus pius narrat Danieli se dimicasse cum principe Persarum, id est, cùm Diabolo moliente dissipationes regni Persici. Etsi.n. ignoramus, quomodo pugnent inter se boni & mali spiritus, tamen certamina esse non dubiū est, siue disputatione fiunt, siue alijs modis. Ait ergo bonus angelus repressum à se esse malum spiritum, qui Cambysen iuuenem & aulicos impios incitabat, uel ad delendam gentem Iudaicam, uel ad interficiendum Danielem, uel ad alias res malas tentandas, quæ nouos motus in regno allaturæ erant, sicut interdum leue erratum, quod initiò contemnitur, postea ingentem ruinam trahit.

Alij

Alij aliter de sententia huius capitis disputant, sed iudico hanc esse simpliciſſimam enarrationem. Adfuit autem bono angelo dux Michaël, quem cũ hic & infrà uocet ducem populi Dei, intelligo esse ipsum Filium Dei λόγον, ut à Iohanne nominatur. Hunc ducem & suprà scribit interesse colloquio in capite octauo, ubi Angelus ab illo Domino petit interpretationem uisionis. *Dux Michaël.*

Adesse eum & in hoc colloquio, ac Danielis labra attingere, & consternatum recreare apparet. Semper enim adfuisse Filium Dei Ecclesiæ, eamq; defendisse contra furorem Diaboli certum est. Ideò Iohannes inquit, Omnia per ipsum facta sunt. Loquitur enim non tantùm de conditione rerum, sed etiam de gloriosis liberationibus Ecclesiæ. Texit populum in mari rubro, & in deserto, Defendit Iosue, Gedeonem, Samuelem, Dauidem, Eliam, Elisæum, & alios fideles gubernatores sui populi. *Omnia per ipsum facta sunt*

Ideò inquit Iacob, Benedicat his pueris Angelus, qui me eripuit ex omnibus malis. Hæc uerba conueniunt ad Filium Dei, qui uerè liberat ab omnibus malis, uidelicet à peccato, ab ira Dei, à morte æterna, ab insidijs Diaboli. Non enim sine causa nominatim dicitur, ab omnibus malis. Hæc gloria non potest tribui ministris angelis, qui etiamsi protegunt corpora piorum, tamen nec peccatum nec æternam mortem tollere possunt.

Discamus igitur admoniti his locis, Filium Dei λόγον, adfuisse Ecclesiæ inde usq; ab initio. Erimus enim melius muniti aduersus Samosateni furores, cũ cogitabimus hæc testimonia de Filio Dei, etiam antequam se in carne ostendit, opitulato Patribus, & cum eis collocuto. Deinde & hoc statuemus, nunc quoq; adesse eum Ecclesiæ, opitulari pijs, depellere Diabolum, & sicut in Epistola Iohannis dicitur, destruere opera Diaboli. Accendamur ergo, ut ab eo petamus & expectemus auxilium aduersus Diabolum undiq; grassantem & conantem dissipare & delere Ecclesiam armis Turcicis, Regum & Pontificum negligentia in fouendis Ecclesijs, prauis ingenijs inflammandis, ut serant aut confirment falsas opiniones. *Samosateni.*

Sed recensere omnes artes Diaboli nemo potest. Exempla potius cogitemus, Vniuersa mundi historia ostẽdit, cũq; sit acer hostis Dei & generis humani. Vides ex quanto fastigio Saulem detraxerit, quale bellum Dauidi intulerit, ut ipsum unà raperet in exitium, cùm alios tam multos perdidisset, filium Absolonem, Ahitophel, & haud dubiè multos sapientia & uirtute antecellentes. Et opinor uix ullum esse hominem, cui non Serpens ille insidiator insigne aliquod uulnus in animo faciat, ut languefaciat fidem. Quoties Dauid sedato iam tumultu cogitauit de suo lapsu, de coniugibus ui stupratis, decq; alijs scandalis, nõ solùm mœsticia renouata est, sed etiam pauore ac dubitatione concussa & languefacta est fides. *Diaboli artes.* *Saul.* *Dauid.* *Absolon.*

Hęc cogitent pij, & sint in statione & in excubijs aduersus tam dirum hostem, & à Filio Dei petant defensionem & gubernationem. Vocatur Emanuel Filius Dei, & uerè nobiscum adest, sed agnosci uult & inuocari. Vult etiam nos non per ignauiam ruere quò hostis impellit, sed uigilantes cauere insidias, repugnare illecebris. Si peccant oculi, non indulgeas, si blanditur impia opinio, reuoca animum, fuge consuetudinem, colloquia impiorum. Collige animo uera & firma testimonia rectæ sententiæ. Et simul hosti repugnes, & ducem tuum Filium Dei accersas ut te adiuuet, ut destruat opera Diaboli. *Emanuel.*

Hic præcipuus est locus huius capitis, quod clarè nos admonet de his

Boni & mali Angeli dimicãt inter se.

certaminibus, significat præliari bonos & malos Spiritus inter se de Ecclesia & de Imperijs. Vt tunc Diaboli irritabant adolescentem regem Cambysen, & plerosq; principes, ut populum Iudæorum uel opprimerent uel delerent. Ita nunc irritant Turcicum Tyrannum, ut nomen Christi funditus deleat, Incendunt Pontifices & Reges, ut defendant Idola, extinguant lucem Euangelij. Et ut tunc Diabolus regni Persici dissipationes efficiebat, impellebat Babylonios & Assyrios ad mouendas seditiones, Ita nũc domesticis bellis implicat Principes, ut etiam hac ratione impediat Euangelij propagationem.

Filius Dei protegit Ecclesiã &c.

Hæc dum geruntur, dimicant inter se angeli boni & mali. Regit autem & adiuuat bonos Dux noster Filius Dei, & protegit Ecclesiam, & reprimit impetus malorum spirituũ. Hæc etsi non cernimus oculis, & homines profani fabulosa esse ducunt, tamen re uera ita geri multa illustria testimonia in historijs & dictis Propheticis & Apostolicis ostendunt.

Notæ sunt historiæ Iacob, & defensionis populi in mari rubro & in deserto. Postea cũm Iosue castrametatus esset ad Iericho, manè, dum situm regionis speculatur, uidet quendam stricto gladio coram astantem, qui interrogatus

Dux exercitus Dei &c.

quis sit, respondit, se esse Ducem exercitus Dei missum uidelicet, ut multitudini Israëliticæ opem ferret, Arbitror autem & hunc fuisse ipsum Filiũ Dei. Huc adde Dauid, Eliæ & Elisæi historias. Et Dauid inquit Psal. 91. Quoniam angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Et 34. Psal. Circumuallat angelus Domini timentes eum, & eripit eos. Cùm igitur certum sit Deum Ecclesiæ suæ angelos addidisse custodes, pericula corporum in obeunda uocatione minus formidemus.

Hæc mihi scribenti, quædam nostri temporis exempla in mentem uenerunt. Et quanquam historias plures certas & ueras de honestis hominibus, & fide dignis, qui adhuc uiuunt, narrare possem, tamen unicam recitabo de Simone Grynæo, qui ad excellentem eruditionem & uirtutem adiunxerat ueram Dei reuerentiam, & maximè Philosophiam illorum detestabatur, qui putant eõ se plus uidere cæteris, quòd uel contemnere religiones audent, uel de omnibus sententijs Pyrrhonio more in utramq; partem disputare solent.

Simon Grinæus.

Conuentus Spirensis, Anno 1529.

IN Conuentu Spirensi, qui fuit anno 1529. fortè ad me ex Academia Heidelbergensi expaciatus erat. Ibi cùm Fabrum Viennensem Episcopum audisset in concione quosdam tetros errores defendere, sequitur egredientem ex templo, ac reuerenter salutat. Postea narrat se non petulantia aliqua, sed bono studio moueri, ut quædam dicat. Non detrectat Faber colloquium. Ibi Grynæus dolere se ait, quòd uir instructus doctrina, & antecellens autoritate, confirmet errores palãm contumelioſos aduersus Deum, & quos constet manifestis testimonijs antiquitatis Ecclesiasticæ refutari posse. Scribit Irenæus Polycarpum solitum aures obstruere audientem portentosos errores fanaticorum hominũ. Quo te animo, putas, audisset iam Polycarpus differentem, Quid mus comedat arrodens panem consecratum? Quis non deploret Ecclesiæ tenebras? Interpellat Faber plura additurum, ac interrogat nomen. Nihil dissimulat hic, sed placidè fatetur se Grynæum esse.

Faber.

Erat omnino Faber, ut multi norunt, flagitioſè timidus in congressib. doctorum, uel potius erat, ut ueteri prouerbio dicebatur, Nullus, magnus, malus piscis, id est, pauidus, procerus, insidiosus & infans. Quare cũm Grynęi eruditionem

ditionem, eloquentiam, copiam, ardorem animi, præsertim in tali causa metueret, simulat se â Rege uocatum esse, nec esse nunc ocium ad disputationem de re omnium maxima pertexendam. Simulat se maximè cupidum esse & amiciæ Grynæi & colloquij longioris. Et cum sua causa, tum propter Rempublicam, orare incipit, ut cras ad se redeat, monstrat hospitium, & horam constituit. Grynæus seriò hæc dici putans non grauatim promittit.

Relicto igitur Fabro ad nos recta accedit. Vix adsederat mensæ, iam enim cœnæ tempus erat, & recitauerat partem disputationis mihi & alijs. Cùm ego adsidens ad mensam, subitò ex conclaui euocor. Hic me, nescio quis Senex, singularem grauitatem uultu, oratione & uestitu præ se ferens, nec quis fuerit unquam rescisceré potui, alloquitur, ac narrat, mox adfuturos esse in hospitio nostro lictores, missos iussu Regis, apud quem Faber Grynæum accusasset, ad abducendum Grynæum in carcerem. Iubet, ut statim ex urbe discedat, ac horatur ne contemur. Ita dicta salute Senex abit.

Ego ad sodales redeo, iubeo ut surgant, ac narro quid Senex nunciarit. Mox per publicam plateam deducimus Grynæum acceptum in medium agmen, & ad Rhenum pergimus, ubi nos in ripa citeriore tantisper restitimus, donec in alteram ripam Grynæus cum suo comite in parua Cymba transuectus est. Postea reuersi in hospitium intelligimus statim adfuisse lictores, cum nos exiguo spacio ab ea domo progressi essemus.

Quantò autem in periculo futurus fuerit Grynæus, si in carcerem abreptus esset, ex Fabri sequitia, facilè æstimari poterat. Quare iudicabamus consilium illud crudele illusum esse diuinitus. Et ut affirmare non possum, quis fuerit ille Senex μεγυστὴς, Ita lictorum ea fuit festinatio, ut nisi ab Angelis tectus fuisset Grynæus, euadere non potuisset.

Rem autem ita gestam esse, ut narraui, certum est, & norunt quidam boni uiri adhuc superstites, qui adfuerunt. Agamus igitur gratias Deo, quòd nobis custodes angelos addit, & eò tranquillioribus animis uocationis officia obeamus.

NVnc ad textum redeo. In fine rursus inquit Angelus, se cum rege Persico militaturum esse, aduersus Græcos & malos spiritus eorum duces.

Nominat autem Græcos Iauan, seu ut ipsi loquuntur, Iones. Nec dubium est in Prophetis ubicq; Ionas intelligi Græcam gentem, quę & littus in Asia tenuit, & sedes habuit in uicinis insulis, & in Europæ parte, quæ, etsi sæpè mutatę sunt appellationes, tamen tandem communi nomine Græcia dicta est.

Fuit autem Ion seu Iauan filius Iapheth, ut testatur catalogus in Genesi capite 10. â quo propagatos esse Ionas hac quoq; coniectura ratiocinari possumus, Quia apud Græcos utriusq; nominis memoria mansit Iapeti & Ionis. Euripides Poëta fingit Ionem Deucalionis pronepotem fuisse. Sed tota illa narratio Euripidis de rebus recentioribus loquitur, quàm quæ tribui possint filio Iapheth. Nam Græcis magna ex parte ignotæ sunt res ueteres ante Pelopem in Græcia gestæ. Et arbitror, ut significat Thucydides, primos illos Ionum, qui in Europam traiecerunt, diu incertis sedibus uagatos, non reliquisse certa monumenta suarum rerum. Ita & prima doctrina de Deo apud posteros extincta est, & obliuio secuta rerum ueterum omnium.

A Iauan propagati Iones.

Porrò â diluuio Nohæ usq; ad bellum Troianum, anni sunt circiter mille aut paulò plus. Horum si historiam cogites, non dubium est mansisse Eccle-

siam

Anni à diluuio usq; ad bellum Troianum.

siam Dei in familijs duabus, Sem & Iapheth, dum uixit pater Noha, & dum ipsi superstites fuerunt. Vixit autem Noha post diluuium annos trecentos & quinquaginta. Sem uerò etiam post Abraham uixit. Consentaneum est & Iapheth diu uixisse. Horum igitur ætate fulsit adhuc inter gentes cœlestis doctrina, de promissione uenturi Liberatoris, & de misericordia Dei propter hunc promissa. Item de bonis & castis moribus. Et fortassis ex hac Patrum doctrina reliqui fuerunt uersiculi, qui de mundi conflagratione, de æterna uita, de iudicio, & de placatore Dei uaticinantur, qui extant apud Lactantium & alios.

Postea secuta est ætas deterior, & extincta luce doctrinæ cœlestis, ortæ sunt quotidiè nouæ εἰδωλομανίαι, receptæ flagitiosæ libidines, quas Deus ingentibus bellis, & excidijs urbium & gentium puniuit. Hæ confusiones rerum humanarum magis etiam deleuerunt memoriam antiquitatis. Ac multas magnas & exitiales mutationes gentium accidisse intra annos quingentos post Iaphet, credibile est. Quare non est mirandum Græcis non satis notam esse suam originem.

Prima & perpetua historia usq; ad Messiæ aduentum etc.

CAeterum singulari consilio Deus in Ecclesia extare uoluit primam, imò perpetuam historiam, usq; ad Messiæ aduentum, ut sciremus primam hanc esse & perpetuò consentientem reuelationem, in qua Deus se patefecit. Ac bona mens ualdè confirmatur in hac professione, cùm intelligit unam hanc esse primam & perpetuò sibi consentientem doctrinam de Deo. Necesse est enim initiò aliquem fuisse cœtum, qui Deum rectè inuocarit.

Patrum series certa fide tradita, Gen. 10.

Cùm autem in hac prima doctrina Patrum series certa fide tradita sit, nomina sæpè indicant gentiũ origines, Vt ab Assur Assyrij, à Canaan Cananæi, ab Elam Elamitæ, quorum in Persia nomen manssisse etiam Græci historici testantur. Ita genti Ionicæ nomen suum Pater Ion attribuit, à qua cùm Græcæ gentes aliquæ propagatæ sint, constat hac appellatione Græcos in Prophetis

Alexander rex Iauan.

ubicq; significari, ut suprà Daniel nominat Alexandrum regem Iauan, seu Ionum. Esaias eum educit ex Cithim. Et in libro Macabæorum Alexander uocatur rex Cithim. Hæc conueniunt, Nam liber Geneseos docet Cithim esse filium Iauan.

Iauan. Cithim.

Est igitur aliquanto generalius nomen Iauan, quo Græcæ gentes significantur, Cithim angustius, à quo non dubium est factũ esse nomen μακέτης, quod est Macedo. Nam uetustior appellatio est μακέτης. Constat autem Macedonicam gentem Græcæ cognatam fuisse. Reges certè Græci fuerunt orti ab Hercule. Et Alexandri mater Olympias fuit orta à Molosso nepote Achillis: Aeacum uerò, à quo Achilles ortus est, fuisse Græcum, & tenuisse Aeginam certum est. Præterea Alexander non solùm rex erat Macedonum, sed etiam communi decreto ciuitatum Græciæ, appellatus est Dux Græcorum. Et magnam partem tenebat, Thessaliam, Aetoliam, Phocidem. Denicq; res eius gestæ sunt initiò magna ex parte pecunia, machinis & copijs Græcarum gentium. Quare & ipse modestissimè in Trophæo scripsit, ἀλέξανδρος ὁ μὲν Ἕλλησι πλὴν λακεδαιμονίων. Ac de

Origo regum Græcorum.

nomine Iauan seu Ionum hæc dixisse satis sit.

ILLVD quæri potest in hac Angeli narratione, De quibus Ioniæ motibus dicatur, excitatis circa extrema Cyri tempora, aut regnante iam Cambyse absente patre? Angelus breuiter indicat gentem Ionicam à malis spiritibus incitari ad mouendas seditiones. Breuiter enim res peregrinas aliorum regnorum attin-

rum attingunt Prophetæ. Nec ego adfirmare possum, de quibus motibus hęc dicantur. Sed consentaneum est reliquias belli, quod gessit Harpagus in Ionia, cùm ibi à Cyro relictus esset, magnas habuisse difficultates. *Harpagus.*

Gens Ionica, quæ omnium maximè floruerat ingenijs & opibus, bis domita est Cyro regnante. Rebellarat enim, cùm Cyrus Babylonem peteret. Et fuisse longas urbium oppugnationes Phoceæ exemplum ostendit, quæ tanta pertinacia aduersus Harpagum defensa est, ut tandem uniuersa multitudo ciuium in ipsa obsidione naues conscenderit, & procul alias sedes quæsiuerit. Hi exules urbem Massiliam ad Rhodani ostium condiderunt, & in eam Galliæ oram transuexerunt Græcas literas, & disciplinam plenam humanitatis. Potestq; ex eius urbis humanitate existimari, quàm ciuiliter antea in Asia gens Ionica uixerit. *Massilia.*

Sed luxus sine modo creuerat & pepererat libidines & alia uicia. Ideò secutæ sunt ingentes calamitates & urbium excidia. Etsi enim in Cyro clementia & bonitas erat insignis, tamen quia Deus constituit & mutat Imperia, ut εἰδωλομανίας, tyrannides & libidines puniat, mutationes omnes aliquid habent sęuitiæ. Magnis igitur domita cladibus Ionia, uix tandem in seruitutem redacta est, quam adeo tulit impatienter, ut crebras seditiones contra duces Persicos mouerit. Et erant ducum imperia superba & crudelia. Ne ipsi quidem Satrapæ uicini inter sese diu concordes fuerunt. Nam Oreotes, qui post Harpagum Ioniam rexit, Mitrobaten uicinum & eius filium Cambyse regnante interfecit. Hæc exempla ostendunt satis inquietam fuisse prouinciam. Fuerunt igitur & Angelorum certamina, qui malos spiritus seditionum & discordiarum inflammatores depellebant. *Mutationes impiorum habēt aliquid sæuitiæ*

CAPVT XI.

IAM uaticinia de regnis incoat, ut simul Danielem confirmet, & posteros præmoneat de impendentibus calamitatibus. Estq; prædictio testimonium illustre, quod à Deo traditam esse Prophetarum doctrinam ostendit. Et quia pollicetur liberationem, significat Deo curæ esse hunc populum, qui doctrinam Propheticam amplectitur. Confirmantur ergo pij, ne à Deo deficiant, nec abijciant huius doctrinæ professionem.

Pertinet autem postrema pars huius longæ concionis etiam ad hanc ultimam mundi ætatem, & ad Ecclesiæ ærumnas, quas tulit iam multis seculis: dum alibi Mahometica rabies conatur prorsus delere nomen Filij Dei, alibi regnant Episcopi ethnico more, & studia doctrinæ Ecclesiasticæ negligunt, sinunt extingui lucem Euangelij de uera inuocatione in fide seu fiducia Filij Dei, propugnant idola & libidines, iniustè occidunt homines innocentes propter ueræ doctrinæ professionem. *Vltima mundi ætas.*

Accedunt interim & alia multa mala, etiam in ijs locis, ubi est emendata doctrina, Principes impediti negligenter tuentur disciplinam, pauci sunt munifici in alendis Euangelij ministris, & fouendis studijs literarum. Confirmat igitur ἀναρχία petulantiam malorum, & neglectio literarum nouas tenebras & nouam barbariem minatur.

Hæc mala pij considerent, ut primùm à Deo petant, ut ipse suam Ecclesiam seruet,

am ſeruet,regat,foueat & augeat. Deinde ſi qui poſſunt aliquibus uulneribus mederi,annitantur pro ſua uocatione,ne defuiſſe eos officio ſuo Chriſtus in ultimo iudicio accuſet,Eſuriui,& non pauiſtis me &c. Aulæ,Curiæ regant diſciplinam,foueant docentes. Eruditi non faſtidiant operas aut doctrinam Eccleſiæ. Nã maximè dignum eſt homine philoſopho, quærere ueram de Deo doctrinam & celebrare Deum. Adiuuent igitur ſtudia Euangelij,& concordiam doctrinę ueræ,quadam moderatione & philoſophia neceſſaria pijs gubernatoribus, retineant. Sed hæc infrã ſuo loco iterum dicenda erunt. Nunc ad hiſtorias redeo, quæ hic recitantur.

Angelorum excubiæ. PRimùm obſeruetur teſtimonium de Angelorum excubijs.Narrat Angelus ſe inde uſq; ab initio adfuiſſe Dario Medo,ut adiuuaret & ſtabiliret eius regnum. Fortaſſis placidus ſenex fuit,ſpretus à principibus ac uicinis,ut fieri ſolet. Hunc tamen defendit pius Angelus,adiuuit in prælijs,gubernauit periculoſos euentus. Succeſſus autem proſperi,præſertim cùm magna fuerunt pericula,ſigna ſunt diuini auxilij. Ideò metum incutiunt hoſtibus aut inuidis. Et apud bonos augent principum reuerentiam. Vt Ezechiæ & Eſaiæ populus obtemperabat obſeſſa urbe,etſi res erat in ſumma deſperatione. Sed boni iudicabant regi diuinitus conſilia & negocia horum principum. Diſcamus igitur & nos Angelorum præſidia & petere,& pietate retinere.

Pij gubernatores. Miræ artes nunc exercentur in aulis, & multa ſunt conſilia inſidioſa πλεονεκτικά, hanc putat eſſe politicam ſapientiam. Sed diſcant pij gubernatores non poſſe retineri imperia ſine auxilio Dei. Quare huic obtemperent,faciant officia neceſſaria,& à Deo expectent defenſionem,ſicut ſcriptum eſt, Qui dat ſalutem regibus.Nec quærant infida præſidia,nec incertiſſimis & fallaciſſimis hominum uoluntatibus nitantur, nec moliantur πλεονεκτήματα, nec implicent ſe non neceſſarijs rebus.

POſtea incipit uaticinari Angelus de regno Perſico,*Stabunt*,inquit,*adhuc tres Reges in Perſia*. Hic inſigniter hallucinantur Iudæi, qui putant tantùm tres fuiſſe Reges Perſarum, & amittunt annos ex ſerie temporum plures quàm centum.Poſſunt autem perſpicuè refutari per Scriptores,qui ſingulis Regibus Perſicis coætanei fuerunt.

Sed Angelus diſertè inquit,Stabunt tres Reges. Singularis eſt emphaſis in uerbo Stare apud Prophetas. Nam ſtare regnum ſignificat florere,retinere potentiam nondum inclinatam.

Vſitata enumeratio eſt poſt Cyrum,Cambyſen,Darium,recenſere quartum Xerxen.Nam Magos inſerere ſuppoſititios Reges abſurdum eſt.Floruit autem hæc Monarchia uirtute, uictorijs & potentia, maximè ſub tribus illis primis Regibus. *Xerxes.* Xerxes uerò bellum intulit Græcis in Europa, ubi cùm uictus eſſet,quaſſari Monarchia,& aliquantò poſt ruere cœpit. Ac reditus Xerxis in Aſiam non ſolùm clade exercitus, ſed etiam fœditate morum,inceſta libidine,& crudelitate Xerxis inſignis fuit. Statim enim poſt fugam amare cœpit fratris coniugem. Poſtea cùm filiam fratris ſuo filio dediſſet, exarſit & huius iuuenculæ amore. Poſt hanc inceſtam conſuetudinem,cùm alia parricidia ſecuta ſunt, tùm uerò etiam cædes fratris. Tandem & ipſe Xerxes ab Artabano interfectus eſt.

Hæc exempla eò recito, Primùm ut pœnæ nos admoneant,ut iudicium & iram

& iram Dei timeamus, qui libidines seuerè punit. Deinde, ut cogitatione humanæ imbecillitatis moueamur, ut petamus à Deo, qui per Filium suum promisit auxilium, ut ipse nos in omnibus uitæ consilijs & regendis moribus gubernet.

Natus Xerxes in familia Heroica, ex parentibus quorum fuit excellens uirtus, habuerat indolem præclaram, & domestica disciplina diligenter ad uirtutem institutus fuerat. Sed cùm in tanta potentia & luxu non studet frenare cupiditates, tandem prorsus efferatur. Et immanitatem sequuntur haud dubiè pœnæ.

Hæc exempla cùm omnes homines, tùm præcipuè potentes ad modestiam & timorem Dei hortentur, Meminerimus & hoc, quod inquit Filius Dei, Sine me nihil potestis facere. Et quod Ecclesia canit de Spiritu sancto. Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Quare nos flecti ad uirtutem, et regi à Spiritu sancto Dei petamus.

SED redeo ad textum. Recitaui enumerationem Regum usitatam, quam si quis non probat, monstret aptiorem. Nam & ego malim uaticinium de tribus intelligere, Cyro, Dario filio Hystaspis, & Artaxerxe Longimano, etiamsi interiectus est Xerxes, qui uidelicet eodem tempore bellum gerit in Europa, quo domi regnat Longimanus, qui cùm uirtute & pietate excelleret, monarchiam quassatam tamen adhuc fulciebat, Nec extra Europam multa Persis hoc regnante ademta sunt. Postea secutæ sunt defectiones prouinciarum Aegypti & aliarum, secutum & bellum ciuile inter duos fratres, Cyrum iuniorem & Artaxerxen Mnemonem. *Artaxerxes Longimanus.*

Nec alius magis beneficus fuit erga populum Dei quàm Longimanus, Nam hoc regnante decretum de instauratione templi renouatum est. Et apparet eius præcipuos gubernatores fuisse Esdram & Nehemiam. Respondit igitur uirtuti fortuna. Deus Regem modestum, pium, benefacientem Ecclesiæ protexit ac iuuit in gubernatione & defensione Regni, dedit etiam ei placidum exitum. Huius ergo modestia & pietas imitanda est. *Beneficentia Longimani erga populum Dei.*

Hactenus de Persis concionatus est Angelus, breuiter quidem, sed tamen significans quosdam adhuc florentes Reges fore. Sed postea Græcos dilaceraturos esse monarchiam. Incipit igitur de Græcis dicere.

DE ALEXANDRO.

ET stabit Rex fortis, & dominabitur dominatione magna, & faciet secundum uoluntatem suam. Et cùm steterit conteretur regnum eius, & dispergetur in quatuor uentos cœli, & non ad posteros suos, nec erit tanta potentia successorum, quanta ipsius fuit, quia extirpabitur regnum eius, & ad alienos transferetur.

Hæc uerba de Alexandro uaticinantur, quem & suprà dixit Monarchia Persica potiturum esse. Sed addit forè, ut paulò pòst dilaceretur Monarchia, quia Alexandro multi Duces successuri sint, partituri inter se prouincias, & dimicaturi inter se de imperio. Ideò inquit, Peruenturum regnum non ad posteros, id est, non ad unum aliquem hæredem ex ipso natum, sed ad alienos, uidelicet ad Duces, qui cum ipso militauerant. Significat autem magnas forè calamitates orbis terrarum, quia bella tàm uaria successorum factura erant crebras rerum mutationes, quæ non fiunt molliter.

Demades.

Venustissimè & sapientissimè dixerat Demades, Alexandro mortuo, exercitum eius similem esse Cyclopi effosso oculo, Vt enim illa magna moles, amissa luce oculi, uariè errantes impetus & inutiles habebat: Ita exercitus sine duce uariè ruebat, & nullum certum regnum constituere poterat. Quotidie noua fœdera, nouæ distractiones sociorum fiebant: Qui paulò antè inter se sanctissimis fœderib. coniuncti fuerant, postea facti hostes, mutua laniena peribāt, ac declarabant nimis ueram esse uocem, quæ extat in quadā tragœdia Senecæ:

Non intrat vnquam regium limen fides.

Sed pauca de Alexandro dicamus, ut Lector cogitatione horum exemplorum & iudicij diuini se ad timorem Dei exuscitet.

Alexander ornatus à Deo magnis donis.

PRimùm, quantis donis à Deo ornatus sit Alexander, considera. Magnum decus fuit, quòd cæteris Régibus omnibus à Deo prælatus est, & donatus orbis terrarum Imperio, opibus, multis gloriosis uictorijs. Hæc suspiciunt, admirantur, magnifaciunt omnes. Et esse Dei beneficia magnifacienda, uerum est. Sed uolo alia diuina ornamenta longè maiora etiam aspici, quæ uulgus nō perinde miratur.

Admiranda naturæ uis in Alexandro.

Erat in Alexandro admiranda naturæ uis, sapientissimos senes consilio uincebat, propter ingenij sagacitatem, qua & dijudicare optima poterat, & prospicere euentus. Deinde, quanta celsitudo animi fuit coniuncta cum amore iusticiæ & moderatione, despiciens pericula & labores. Quanta erga suos beneuolentia & comitas. Deniq; nullius Regum Ethnicorum omnium, qui nobis noti sunt ex historijs, tanta uirtus fuit, quanta fuit Alexandri, cùm adhuc sanus esset, hoc est, ante captam Babylonem. Erat igitur ingenium eius longè maius decus, quàm ipsa Imperij possessio.

Alexander nō agnouit Deum autorem donorum, quibus ornatus fuit.

His tantis muneribus donatus, non agnouit Deum autorem, & remissa priore animi intētione, dedidit se obscœnis uoluptatibus, helluatus est, interfecit ebrius amicos, sæuijt in duces fideles & optimè meritos, pollutus est libidinibus. His flagitijs addidit manifestas contumelias aduersus Deum. Credi uoluit se supra mortalium conditionem quiddam diuini numinis habere, non agnoscebat se res tantas Deo æterno iuuante gessisse, sed suæ sapientiæ & suis uirtutibus hanc gloriam tribuebat. Prodibat interdum cornutus, ut Iupiter Hammon, interdum ut Diana, Deniq; intolerabili petulantia ludebat.

Calamitates familiæ Alexandri.

Secutæ sunt igitur tristissimæ pœnæ. Ipse nondum constituto regno moritur, cùm nimium hausisset uini in conuiuio Amasij. Hac ruina simul oppressa est uniuersa domus. Aliquantò pòst mater Olympias, soror, uxores duæ, duo filij parui interfecti sunt ab ipsius commilitonibus.

Inconstantia rerum humanarum.

Quod exemplum commemorari potest illustrius inconstantiæ rerum humanarum? Huius tanti Regis familia & posteritas toto orbe terrarum nullum fidum amicum habuit ex illis ipsis, quibus ipse prouincias dederat, & quos euexerat.

Cassander.

Cassander Antipatri filius, qui adolescens apud Alexandrum educatus erat, interfecit primùm Olympiadem Alexandri matrem. Postea Roxanen & eius filium Alexandrum. Et præter hunc alterum filium Herculem ex Barsine natum. Hanc gratiam alumnus principi benè merito reddidit. Narrat hæc Pausanias in Bœoticis de Cassandro: ὁ κάσσανδρος ὀλυμπιάδα γε πρέβαλε καταλεῦσαι τοῖς ἐπ' αὐτὴν μακεδόνων προξυσμένοις, καὶ τοὺς παῖδας ἀλεξάνδρου, τόντε ἐκ βαρσίνης ἡρακλέα, καὶ ἀλέξανδρον τὸν ἐκ ῥωξάνης ἀπέκτεινεν ὑπὸ φαρμάκων. Sororem uerò Cleopatram præfectus Sardium

Sardium interfecit, ut Antigono gratificaretur, etsi is negauit suo iussu interfectam esse, fuit enim frater Philippi nothus.

Recensui calamitates familiæ Alexandri, quæ cùm non acciderint casu, profectò nos de ira Dei admonent. Multa Deus flagitia in hac uita punit, & cogitemus restare iudicium post hanc uitam, in quo in æternas pœnas conijcientur omnes, qui uitam non emendant. Breuitas autem huius uitæ commonefaciat nos, Deum non tantùm præmia & pœnas in hac uita proponere, sed multò magis in illa futura æternitate. Quicquid enim aliquando finietur, breue ducendum est, uita certè hominis breue curriculum est. Sciamus igitur restare iudicium de æternis præmijs & pœnis.

Vita hominis breue curriculum.

DE SVCCESSORIBVS *Alexandri.*

CVM post Alexandri mortem teneret regium nomen frater Aridæus, apud quem summus gubernator erat Perdiccas, prouinciæ inter Duces distributæ sunt, ita ut omnes Aridæo Regi & Perdiccæ parere iuberentur. Amabit igitur Perdiccas, quia autoritate plus quàm cęteri ualebat, coniugium sororis Alexandri Cleopatræ. Et ut tolleret è medio eos, quos obsistere suis consilijs arbitrabatur, iubet interfici Meleagrum, struit insidias Antigono, Qui cùm fugisset ad Antipatrum in Macedoniam, missus est Eumenes, ut bellum inferret Antipatro & Antigono, cum quibus & Ptolemæus se coniunxerat. Ducit igitur exercitum Perdiccas in Aegyptum, ut Ptolemęum inde expelleret. Sed desertus ab exercitu suo Perdiccas, interficitur à suis equitibus, tertio anno post Alexandri mortem. Ita primus autor seditionis dedit pœnas, quæ latè uagatæ sunt. Mox enim & frater Perdiccæ Alcetas interfectus est, & eius soror.

Aridæus Alexandri frater.

Perdiccas interfectus à suis equitibus.

Alibi uerò, cùm Eumenes dimicasset cum Antipatri exercitu, perierunt Craterus & Neoptolemus. Hæc fuerunt initia ingentium motuum, tot enim interfectis Ducibus, iam odia exarserant, & noua fœdera fiebant, & se singuli ad noua certamina præparabant. Duo autem omnium erant acerrimi, Antigonus & Eumenes. Hi inter se dimicantes reliquos in partes traxerunt. Tandem Antigonus uictor cepit Eumenem proditione, deditum à militibus, eumque interfecit.

Eumenes interfectus ab Antigono.

Fuerat autem Eumenes scriba apud Philippum & Alexandrum, & in his tumultibus ostendit se non suæ utilitati seruire, sed propugnare hæredes, Alexandri matrem, sororem, coniugem & filios, Et quia multum ualet in concilijs & retinendis uoluntatibus mediocrium hominum species officij, ac præsertim pietatis erga pupillos, hoc titulo ueteranos Macedonas sibi adiunxit & deuinxit.

SED secuta sunt longè maiora & difficiliora bella. Mortuo Aridæo singuli Duces sibi uendicare Prouincias opportunas conabantur. Cassander filius Antipatri, ut retineret Macedoniam, interfecit duos filios Alexandri Magni, ut suprà narraui, Asiam tenebat Antigonus cum filio Demetrio. Ptolemæus Aegyptum, Seleucus Syriam & uicinas prouincias ad Persidem usq;. Causam uerò noui belli inter cæteros Cassandri furię præbuerunt, qui ut scelerum pœnas daret, bellum mouit aduersus Antigonum, erepturus ei quasdam in Asia prouincias. Fecerat autem societatem cum Lysimacho, Ptolemæo & Seleuco, qui crescentem Antigoni potentiam metuebant.

Cassander mouit bellum aduersus Antigonum.

Etsi Antigonus uidebat, quanta belli moles impenderet, tamen non frangebatur animo. Et primi successus aduersus Cassandrum eum confirmauerũt, Hunc iudicauit hostem Antigonus propter interfectam Olympiada, & coëgit tradere urbes & exercitus in Asia.

Ptolemæus. Postea Seleucum & Ptolemæum adortus est, id fuit longum & difficile bellum. Demetrius Antigoni filius primùm à Ptolemæo ad Tyrũ acie uictus est, ubi cùm tabernaculum Demetrij instructum apparatu regio cepisset Ptolemæus, integrum ei apparatum unà cum captiuis restituit, significans se de gloria, non de opibus certare.

Demetrius. Aliquantò pòst Demetrius, cùm Ptolemæi ducem Cillen & octo millia militum subitò oppressisset, ut sine certamine fieret deditio, memor accepti beneficij, cumulatè reddidit gratiam, Nam & ducem incolumem & exercitũ Ptolemæo remisit, iussum Syria excedere. Ita inter se non solùm uirtute in acie, sed etiam humanitate & moderatione principes illi certabant.

Ad extremum de summa rei dimicatum est ab omnibus regib. non procul ab Epheso. Erant in alteris castris Seleucus, filius Antiochus, Lysimachus, Ptolemæi auxilia. In alteris castris erant Antigonus & filius Demetrius. Nocte ea, quæ præcessit pugnam, uisus est per somnium Alexander Magnus Antigono dicere, se iam ad hostes transire. Eo somnio euentum sequentis pugnæ Antigonus significari arbitratus, filium successorem dixit coram exercitu. Postea in prælio, dum Antiochum Seleuci filium Antigonus effusius insequitur,

Antiochus interfectus. circumuentus ab equitatu Seleuci interficitur, cùm iam octogesimum annum attigisset, Dissipato exercitu filius Demetrius fugit Athenas, Et aliquantò pòst bellum instaurauit, sed captus à Seleuco non diu superstes fuit patri.

Seleucus, Lysimachus. IAM restabant ex ducibus Alexandri duo tantùm, qui hactenus socij fuerant Seleucus & Lysimachus tenens Thraciam & Macedoniæ partem. Hic Lysimachus cùm satelles esset Alexandri, cùm Callistheni fuisset familiarior, Leonnatho obiectus est. Sed cùm interfecto Leone mansisset incolumis, postea Alexandro propter uirtutem carior fuit.

Lysimachus in acie captus &c Vt autem reliquam historiam Lysimachi omittam, hoc tantùm adijciam, Strabo scribit bellum gerentem cum uicinis Getis, in acie captum esse, & ductum in Geticam, Vbi rex Geticus, cùm ostendisset quotidianam uitæ & gentis consuetudinem, quæ durissimè uictitans & robore præstans, facilè cæteris nationibus in re militari antecellebat, adhortatus est Lysimachum, ut tales uicinos mallet amicos quàm hostes habere, & habiturum amicos, si ipsis arma non inferret. Deinde honorificè donatum dimisit, nihil pactus, nisi pacem. Pausanias filium narrat captum esse, sed uter fuit, humanitas laude digna est, & significat in ea gente, quam quidem Goticam fuisse constat, uirtutis intellectum & studium fuisse.

Sed hic quoq; Lysimachus libidine uirtutes suas deformauit, sorores duas duxit, & ex utraq; liberos suscepit. Sed altera alterius filium interfecit. Postea mater profuga latebras quæsiuit apud cognatos Reges. Hinc causa belli orta est inter Seleucum & Lysimachum, quam recitat Pausanias. Perijt igitur

Lysimachus interfectus. Lysimachus uictus à Seleuco, qui tenens iam maximam monarchiæ partem solus ex ducibus Alexandri supereſt. Itaq; tantis elatus successibus, sperat se etiam Macedoniæ & Græciæ imperio potiturum esse. Cumq; bellum transfert in Europam septimo mense post Lysimachi mortem interficitur à Ptolomæo κεραυνῷ,

κεραύνῳ, qui cùm esset frater Ptolemæi Philadelphi regnantis iam in Aegypto, nauigarat in Europam, ut Macedoniam occuparet. Nec multō pōst hic κέραυνος à Brenno duce Celtico uastante Macedoniam in acie interfectus est. *Seleucus interfectus à Ptolemæo.*

PEnē defatigatus sum recitanda horum gladiatorum laniena, in qua si quis humano iudicio confusionem aspiciat, fortuitas existimet esse regnorum constitutiones & mutationes. At pij aliter iudicent, sciant à Deo puniri tùm principum tùm populorum scelera, & tamen postea restitui politicum ordinem, aliàs felicius, aliàs tristius.

TAndem uerō post tot ingentia bella Deus hæc regna ita partitus est. Ptolemæi posteritas retinuit Aegyptum usq; ad Iulij Cæsaris tempora. Seleuci filius Antiochus possedit Asiam & Syriam, sed posteri Asiam amiserunt, occupatam partim ab Eumene Bithynio, partim à Galatis. De Macedoniæ possessione diutius certatum est. Sed ad extremum posteritas Demetrij, qui fuit Antigoni filius, captus à Seleuco, ut dixi, tenuit Macedoniam, donec eam Romani occuparunt. Cassandri & Lysimachi filij adolescentes teterrimis parricidijs perierunt. *Partitio regnorum Alexandri.*

Ptolemæus κέραυνος ducta sorore Arsinoē, & deinde interfecta, inuaserat et ipse Macedoniam. Sed à Brenno interfectus pœnas incestæ consuetudinis cū sorore, & parricidiorum dedit. *Ptolemæus κέραυνος.*

Postea Antigonus filius Demetrij moderatissimus rex, natus laudatissima matre Phila filia Antipatri, Macedonia potitus est, quam etsi aliquoties amisit, tamen postea recuperauit. Expulit ex Græcia Gallos, postea gessit bella cum Pyrrho. Cumq; interfecti Pyrrhi caput ad eum allatum esset, & filius Helenus deditus, hunc in regnum paternū remisit, eiq; patris caput & ossa dedit, regio more condenda. Matrem Philen prædicat his uerbis Diodorus Siculus: *Pyrrhus.*

αὐτὴ δὲ ἡ γυνὴ συνέσει ἐδόκει διενηνοχέναι τούσε γὰρ ταραχώδεις ἐν στρατοπέδῳ κατέπαυσεν, τάς τε ἀδελφὰς καὶ θυγατέρας τῶν ἀπόρων ἐξεδίδου ἰδίοις δαπανήμασι, πολλοὺς καὶ τῶν διαβολαῖς πριπιπτόντων μὴ δικαίως ἀπήλλαξε κινδύνων &c.

Satis longum catalogum Regum texuimus, in quorum historia utile est cuiusq; exitum ad mores conferre, ut de iudicio Dei admoniti, diligentius mores nostros regamus.

POrrò Daniel omissis cæteris regnis, iam uaticinatur tantùm de duobus, de Syriaco & Aegyptio, quia Iudęa in medio horum sita duriter quassata est, annos ferè trecentos. Alijs regnis interim nihil fuit negocij cum Iudæa. Quare cæteris præteritis, horum duorum præcipuos motus prædicit. Et quia uaticinium penē est historia aliquot seculorum, prodest addere Catalogos regum Syriacorum & Aegyptiorum, ut narratio aptē ad Regum nomina accommodari possit.

REGES SYRIÆ.

SEleucus.
Antiochus σωτήρ.
Antiochus θεός.
Seleucus καλλίνικος, & frater Antiochus ἱέραξ.
Antiochus Magnus natus patre Seleuco, fratrem habuit Seleucum maiorem natu, qui tamen statim, postquam regnare cepisset interfectus est.

Seleucus Philopator,& fratres Antiochus Epiphanes,& Demetrius.
Antiochus εὐπάτωρ natus patre Epiphane.
Demetrius iunior & frater Antiochus filij Demetrij.
Antiochus γρυπὸς filius Demetrij iunioris.
Antiochus Cyzicenus filius Sedetis.
Extincta Seleuci posteritate non multō pōst Romani Syriam occupauerunt.

SELEVCVS.

SEleucus natus est in Macedonia, mediocri loco,patrem habuit quendam ex Philippi ducibus. Aiunt Seleuco & eius posteris femur natiua anchora insignitum fuisse.Cūm autem post mortem Perdiccæ præfectus esset Babylonię, orta dissensione inter Antigonum & cæteros, adiunxit partem Syriæ, eamq; magnis certaminibus aduersus Antigonum defendit, quem tandem ingenti pręlio superauit,postea & filium Antigoni Demetrium cepit. Deinde acie uictum Lysimachum interfecit. Tandem circūuentus insidijs à Ptolemæo κεραυνῷ fratre Philadelphi interfectus est.

Reliquit filijs amplissimum regnum,Babylonem, Persidem,Medos, Bactra,Parthiam,Asiam & Syriæ partem. Tenebat enim partem Ptolemęus, qui fuerat socius contra Antigonum.

Iosephus scribit fuisse beneficum erga Iudæos, quos permisit uti propriis legibus in ciuitatibus suis. Laudat & Pausanias eius iusticiam & clementiam.

ANTIOCHVS Σωτὴρ.

ANtiochus σωτὴρ interfuit prælio patris aduersus Antigonum, nec diu post patrem regnauit.

ANTIOCHVS Θεὸς.

ANtiochus Θεὸς habuit initiō coniugem Laodicen, ex qua suscepit duos filios,Seleucum Callinicum,& Antiochum,cui fuit cognomen ἱέραξ.

Postea Ptolemæus Philadelphus, ut per eam occasionem recuperaret ciuitates in Syria amissas,dedit Antiocho θεῷ filiam Berenicen. Post has alteras nuptias non diu fuit superstes maritus.Et hoc coniugium præbuit occasionem nouis motibus & discordijs Regum. Laodice repudiata hortata est filios,ne sibi regnum eripi paterentur.

SELEVCVS *Callinicus*.

QVare Seleucus maior natu cinxit obsidione urbem, in qua erat Berenice cum paruo filio. Cumq; ei persuasisset,ut deditionem faceret,deditam interfecit cum filio.Hæc fuerunt auspicia regni Seleuci,qui postea parricidij pœnas dedit. Seleucus Callinicus postquam nouercam interfecit,hoc scelere sibi ingens bellum accersiuit. Nam Ptolemæus Euergetes, ut sororis necem ulciscceretur, bellum Seleuco intulit, eicq; pulso & fugato magnam Syriæ partem ademit.

ANTIOCHVS *Hierax*.

ERat autem in altera regni parte, uidelicet in Asia, frater Antiochus ἱέραξ, ab hoc Seleucus auxilium petit. Hierax cupidē susciput expeditionem,sperans se unum toto regno potiturum esse. Adducit mercede conductas Galatarum copias, quæ iam stipendijs in Asiam pertractæ erant. Seleucus,quia fratris uoluntati

luntati diffidebat, cum Euergete pacem fecit. Quare iratus ἱέραξ fratri bellum infert, quem cùm acie uictum Syria expulisset, exorti sunt noui motus in Asia, quam uacuam Eumenes Bithynius occupabat. Et passim in ea Galatæ uagabantur. Et Rex Aegyptius Ciliciam inuaserat.

His motibus cùm rediens in Asiam ἱέραξ occurrisset, magnis acceptis cladibus fugit ad socerum in Cappadociam, ã quo sentiens insidias sibi strui, breui post alias latebras quęsiuit, seq̃ ad hostem in Aegyptum contulit. Huic quoque diffidens, cùm fugiens in deuijs locis erraret, interfectus est. Seleucus frater eodem ferè tempore excussus ex equo extinctus est. Hic fuit exitus duorum impiorum fratrum, qui non amplius triennio regnarunt. *Exitus Antiochi & Seleuci fratrum.*

HOrum bellorum causam recitat Daniel inquiens, *Filia Regis Austri*, scilicet Berenice, filia regis Aegyptij, *veniet ad regem Aquilonis*, id est, Syriacum, Antiochum θεὸν, *facere amicitiam. Et non erit firmum brachium eius, & non stabit semen eius*, id est, Berenice cum filio interficietur. Deinde addit uenturum Aegypti regem, scilicet Euergeten, & occupaturum regni Syriaci partem.

Ita breuiter positis causis, & facta mentione bellorum, significat magnas fore calamitates illarum regionum, in quibus & uicina Iudæa malẽ afflicta est, ut dicitur, Aliquid mali propter uicinum malum.

ANTIOCHVS Magnus, & Seleucus frater.

ANtiochus Magnus fratrem habuit Seleucum, maiorem natu, qui statim, postquam regnare cœpisset in transitu Tauri interfectus est ã suis, ut narrat Polybius, apud quem extant initia rerum gestarum Antiochi Magni. Cætera desiderantur, quæ si haberemus, multum lucis accederet Danielis uaticinio, & supputatio, de qua suprà dictum est, illustrior fieret.

Primùm bellum gessit Antiochus adolescens cum Molone duce, qui ab ipso defecerat. Hunc tandem acie uictum & captum in crucem egit. Postea Syriæ ciuitates, quas Aegyptij priore bello occupauerant, partim ui recepit, partim ad deditionem certis pactionibus inuitauit. *Primum bellũ Antiochi Magni.*

Hæc fuit causa noui & magni belli inter Antiochum Magnum & Ptolemæum Philopatorem, quod hic ã Daniele prædicitur. Apparatus uerõ & pręlium regum ã Polybio describuntur. Ptolemæus exercitum duxit in Syriam, septuaginta millia peditum, & quinq̃ millia equitum. Antiochi copiæ fuerunt sexaginta millia peditum, & sex millia equitum. Hi exercitus in Syria conflixerunt, fuitq̃ uictor Ptolemæus, & amissas ciuitates recuperauit. Antiocho petenti pax data est. Nam Ptolemæus etsi progredi, & plures regni partes Antiocho eripere poterat, tamen propter ignauiam gaudebat se labore militiæ liberari. Sicut & Polybius narrat: συνεχώρησε σπονδὰς ἐνιαυσίους οὐκ ἀλλότριος ὢν τῆς ἡσυχίας, ἀλλὰ ὑπὲρ τὸ δέον οἰκείως ἑλκόμενος ὑπὸ τῆς συνήθους ῥαθυμίας καὶ καχεξίας &c. *Bellum inter Antiochũ Magnum & Ptolemæum Philopatorem.*

Cùm autem post paucos annos domi mortuus esset Ptolemæus Philopator, relicto filio impubere Ptolemæo Epiphane, rursus bellum mouet Antiochus. Nam propter hostis infantiam uidebat se facilius inclinaturum uoluntates ciuitatum ad defectionem. *Bellum nouũ ab Antiocho motum.*

Miserunt autem Aegyptij Legatos Romam, ac petiuerunt, ut Senatus Romanus tutelam regij pueri susciperet. Quod cũ esset factum, Senatus iussit Antiochum ab Aegypto abstinere. Id ęgrẽ ferens, & hospitem habens Hannibalem, qui erat hortator, ut cęteri Reges se coniungerent ad reprimendos Romanos, societatem cum Philippo Macedonum rege fecit. Hæc fuerunt semi- *Hannibal.*

na belli cum Romanis, quod ā Liuio describitur. Tandem autem uictus Antiochus, cessit Romanis tota Asia citra Taurum montem, Coactus est & obsides dare duos filios, Antiochum Epiphanem, & Demetrium. Aliquantō pōst spoliaturus templum quoddam in Syria, ā suis interfectus est.

Iudæa grauiter quassata.

Facilis est autem coniectura, Iudæam in his Syriæ bellis grauiter uexatam esse, nunc ā Syriacis, nunc ab Aegyptijs ducibus. Ptolemæus Philopator uenit Ierosolymam uictor, cumq; usitata regibus curiositate uisurus esset templum celebratissimum, iamq; in uestibulū ingressus esset, deprecati sunt Sacerdotes, ne pergeret, nec prophanaret adytum. Cumq; subita consternatione diuinitus repressus esset, ac ē templo eductus, uehementer irasci Iudæis cœpit, & postea in eos atrociter etiam in Aegypto sæuijt. Hæc recitantur in tertio Maccabæorum,

Scopas.

Postea Scopas dux ab Aegyptio Epiphane missus, occupauit quædam Iudææ oppida. Sed cùm ad Iordanem ab Antiocho magno uictus esset, Iudei dedunt se uictori, qui etsi nondum crudeliter eis imperauit, tamen tributa indixit, & partem sibi, partem genero Ptolemæo Epiphani attribuit. Hæc fuerunt initia seruitutis Iudaicæ sub his Syriacis regibus. Ideō hic dicitur in Daniele, *Stabit in terra desiderabili*, scilicet Antiochus Magnus. *Deinde conuertet faciem suam ad Insulas, & capiet multas*, id est, discedet inde bellum gesturus cum Romanis in Græcia & in Asia.

ANtiochus Magnus reliquit tres filios, Seleucum Philopatora, Antiochum Epiphanem & Demetrium.

SELEVCVS Philopator.

SEleucus exiguo tempore post patrem regnauit. Hunc Seleucum describens Angelus inquit: *Stabit in loco eius vilis vel ignauus quæstor regij honoris.* Vilem uel ignauum uocat Regem negligentem officia sua, nec domi iudicia diligenter exercentem, nec disciplinam grauiter tuentem, nec populi utilitatibus consulentem, nec foris depellentem hostes, sed deditum uoluptatibus & profundentem publicas & priuatas pecunias in res inutiles, pompas, conuiuia, ædificationes Luculleas, & quia nullæ opes his ineptijs sufficiunt, expilationibus infinitis exhaurientem priuatorum facultates. Ideō quæstorem uocat, sed regio honore, id est, titulo regio dominantem. Nec sine causa Angelus depingit hunc Quæstorem, significat enim ultimis temporibus talia fore imperia Regum & Principum, quibus Ecclesia subiecta erit.

Episcopi, Reges & Principes plerunq; nūc sunt quæstores.

EST autem bonæ mentis considerare res humanas, & affici communibus ærumnis. Ideō, Lector, te adhortor, ut ad hanc imaginem Europæ imperia iā conferas. Primūm quid sunt Episcopatus ubiq;, nisi turpes & acerbæ quæstuæ. Quæ officia faciunt hi, qui amplissimos reditus Ecclesiarum possident.

Deinde Regum & Principum aulas uide. Quod est studium rei militaris? Quid gerunt aduersus Turcicam tyrannidem, quæ iam aliquot Europę regna oppressit, & cæteris minatur non modō seruitutem, sed uastitatem? Domi quomodo disciplinam, quomodo iudicia regunt? Imō quid ista curant? Vna cura est profundendæ & quærendæ pecuniæ. Estq; penē omnium Regum & Principum infinita βουλιμία, quam quia diutius sustinere misera plebs non poterit,

poterit, non dubium est impendere fatales imperiorum mutationes. Nam historiæ ostendunt statim post has βαλιμίας semper mutatam esse formam Reipublicæ.

Hæc recito, ut boni agnoscant has calamitates senectæ mundi diuinitus prædictas esse, Tum ut admoniti pij gubernatores mitigare eas studeant, tùm ut cæteri pœnas peccatorum intelligant, & ferre arte discant, ac Deum orent, ut det imperia iusta & salutaria Ecclesiæ, det στρατηγοὺς fortes & felices, det Rectores politicos, sapientes & iustos, qui paterno amore suos complectantur. Tales enim Angelus opponit quæstoribus, quos hic describit, Quia salutares Principes oportet & foris depellere latrocinia, & domi iudicia ac disciplinam regere, & utilitatibus populi consulere, ut patresfamilias educare liberos, & honestis artibus erudire possint, ut conseruetur in terris uera de Deo, & de Filio eius Iesu Christo doctrina, & colantur alia uirtutis studia, quæ deseruntur, cùm illa βαλιμία exhauriuntur priuatorum facultates. *Calamitates senectæ mundi.*

Porrò & hoc Expilatoris erat, quòd hic Seleucus spoliari templum in urbe Ierosolyma iussit, & ad eam rem tentandam incitatores habuit Iudæos, ut in secundo Maccabæorū narratur, capite tertio. Ita nunc qui fruantur opibus Ecclesiarum, minimè obscurum est. Bacchanalia perpetua sunt in Collegijs Canonicorum. Interim pij Pastores Ecclesiarum cum familijs suis, & pauperes Scholastici fame contabescunt, studia literarum & præcipuè sacrarum deseruntur, quia nemo iuuat pauperes, qui studia dedicaturi erant Ecclesijs. *Templum iussu Seleuci spoliatum.*

Hæc cùm negligant, aut fortasse rideant, etiam illi summi Quæstores, Episcopi & Principes, non existiment Christum dissimulaturum esse, cùm in illo terribili iudicio accusabit eos de neglecto officio, ac dicet, Esuriui, & non cibastis me, Ite igitur maledicti in ignem æternum.

Nos uerò Filium Dei æterni, liberatorem & custodem Ecclesiæ suæ oremus, ut ipse pia studia tueatur, & suppeditet discentibus uictum. Sicut in lege Mosaica, cùm tribui Leuiticæ non daretur certa regio possidenda, ut cæteris, Deus inquit sese fore eius tribus hæreditatem seu fundum: Ita nunc sit fundus & ἔδαφος piorum Doctorum & Scholasticorum. Et futurum esse non dubitemus.

ANTIOCHVS *Epiphanes.*

ANtiochus Epiphanes frater Seleuci Romæ cognita morte patris, clàm indè discessit, ut ignauo fratri regnum eriperet. Fuit autem hic Epiphanes callido, acri & sæuo ingenio præditus, qui mox, postquam regnare cepisset, insidias struxit Aegyptijs. Nam mortuo Ptolemæo Epiphane uenit in Aegyptum, quasi tutor futurus cognati pupilli. Nam Cleopatra mater pupilli erat soror Antiochi Epiphanis. Collocat igitur præsidia in urbibus Aegypti tutorio nomine, cùm reipsa hoc ageret, ut occupatas nunc honesto prætextu postea retineret. Inde rediens Ierosolymam uenit, inuitatus à Iasone, cui Pontificatū deerat contra Iudaicas leges. In hoc primo itinere Antiochus spoliauit templū. *Antiochus spoliauit templū.*

Post biennium Antiochus rursus duxit exercitum in Aegyptum, quia rex Aegyptius Ptolemæus Philometor iam adoleuerat, & cognita fraude auunculi, ex aliquibus suis urbibus Syriaca præsidia expulerat, & auxiliū à Romanis aduersus Antiochum petiuerat. Venit igitur Romanus Legatus Popilius, qui iussit Antiochum ab Aegypto abstinere. Cumq; Antiochus ambiguè responderet, *Popilius Legatus Romanus.*

deret,ducto circulo in puluere circa eum,iussit eum clarē respondere,antequ ex eo circulo egrederetur, Ibi Antiochus perterrefactus pacem promittit, & fremens discedit.

Templū prophanatum ab Antiocho.

Quia uerō magnos sumtus in ea expeditione fecerat, egens uenit Ierosolymam, Ibi facultates locupletum diripit, prophanat templum, statua Iouis Olympij in eo collocatur, proponit crudelia edicta de abolenda tota religione, tradita uoce Dei per Abraham,Moisen & Prophetas. Et hæc edicta defendit additis præsidijs,quæ magnam sæuitiam exercebant in homines pios, qui professionem legis diuinæ abijcere nolebant.

Propter hanc magnam calamitatem hoc uaticinium apud Danielem editum est,ut pij prænonerentur & confirmarentur, ne à Deo deficerent. Additur & tempus, ut pij scirent hanc calamitatem non diuturnam fore, uidelicet, anni septem & menses duo, Nam intra hoc spacium templum ab Antiocho prophanatum est,& deinde à Iuda Maccabæo recuperatum,& postea ex oppidis Iudææ expulsa sunt Syriaca præsidia.

Exitus Antiochi Epiphanis

Porrō Antiochus Epiphanes, quia acceperat insignes clades non solùm in Iudæa,sed etiam in Perside,animi dolore extinctus est. Alij scribunt excussum ē curru tam duriter allisum esse solo, ut inde morbus lethalis ortus sit,quo extinctus dicitur,cùm tenuisset regnum annos duodecim. Quales fuerint eius mores, suprà commemoraui.

A Iuda Macabæo ad Christū natum anni 166.

APud Danielem non fit mentio sequentium Regum, quia significatur breui pōst uenturum esse Messiam. Est enim breue tempus à Iuda Maccabæo,ad natum Christum, uidelicet anni centum sexaginta sex. Et statim post Antiochum Syria domesticis discordijs continuis dilacerata est,donec eam Romani occuparunt,ut unum regnum dici non posset. Sicut ferē existunt tales regnorum discordiæ fatales, cùm finis non procul abest, ut uidit hæc ætas triste exemplum Pannoniæ.

DEMETRIVS.

ADijciam autem breuiter reliquos Syriæ reges, ut pœnæ considerentur, de quibus concionatur primum præceptum. Fuerunt inter posteros Antiochi post prophanationem templi continua parricidia. Successit Antiocho Epiphani frater Demetrius,qui unà fuerat obses Romæ,Hic ueniens in Syriam,

Antiochus Eupator filius Epiphanis.

mox iubet interfici filium fratris Antiochi iam regnantem, Antiochū ἐυπάτορα. Aliquantò pōst Demetrius dat pœnas parricidij. Interficitur enim à quodam Alexandro seditioso, qui regnum inuasit adiutus ab Aegyptijs.

DEMETRIVS IVNIOR ET *Antiochus Sedetes, fratres.*

DEmetrio fuerunt duo filij, Demetrius iunior,& Antiochus Sedetes. Hic iunior Demetrius interfecit Alexandrum. Postea Tryphon ex regno Demetrium expulit. Antiochus Sedetes à Parthis interfectus est.

ANTIOCHVS GRYPHVS ET ANTIOchus Cyzicenus, *duorum fratrum filij.*

HI fratres reliquerunt liberos. Demetrio fuit filius Antiochus γυπὸς: Sedeti filius fuit Antiochus Cyzicenus. Hi dimicantes de regno ambo interfecti sunt. Postea Syriam inuasit uicinus rex Tigranes, cui eam Pompeius eripuit

Tigrani eripuit Syriā Pompeius.

eripuit. Hoc modo domesticis seditionibus & parricidijs pœnas dederunt impiorum Regum posteri, donec tandem familia tota extincta est, & regium nomen sublatum, & Syria à Romanis occupata est.

REGES ÆGYPTI.

PTolemæus Lagi filius.
Ptolemæus Philadelphus.
Ptolemæus Euergetes.
Ptolemæus Philopator.
Ptolemæus Epiphanes.
Ptolemæus Philometor, cui successit frater Ptolemæus φύσκων, id est, uentricosus.
Ptolemæus λαθυρὸς.
Ptolemæus ἀυλυτὴς.
Cleopatra Antonij.

Hæ nomenclaturæ hoc ordine traduntur à Strabone, qui cùm ipse perlustrauerit Aegyptum, diligentius eam quàm uicina loca describit.

PTOLEMÆVS *Lagi filius.*

PTolemæus Lagi filius, qui inter præcipuos Alexandri duces fuit, & exercitus in India duxit, ubi & uulnus accepit, ictus telo, quod ueneno infectum fuerat, in distributione Prouinciarum nactus est Aegyptum, quam cùm triennio tenuisset, bellum ei Perdiccas intulit, qui monarchiam affectabat. Sed Ptolemæus interfecto Perdicca, retinuit Aegyptum, ac postea Cyrenaicam & magnam Syriæ partem adiecit. Reliquit filios Philadelphum, & κέραυνον, & alios plures, quos recenset Pausanias.

Scribit Polybius mortuum esse Ptolemæum Lagi filium Olympiade centesima uicesima quarta, hoc est, post Alexandri mortem exactis ferè quadraginta annis, qua Olympiade, & Lysimachus, & Seleucus, & κέραυνος perierunt.

PTOLEMÆVS *Philadelphus.*

PTolemæus Philadelphus, prælatus fratri maiori natu, Rex à patre nuncupatus est, & commendatus principibus & ciuitatibus. Successit igitur patri, & recuperauit Cyrenaicam. Deinde nactus ocium, cùm sciret in Aegypto floruisse doctrinam de rebus cœlestibus, & eas artes, quæ coniunctæ sunt illi doctrinæ, uetera studia & restituit, & auxit, & instruxit discendi cupidos bibliotheca copiosissima.

Cumq; audisset Iudæos prædicare suæ gentis antiquitatem & doctrinã, accersiuit inde Interpretes, qui libros Mosi & aliorum Prophetarum in Græcam linguam conuerterent. Hęc uetus translatio Propheticorum librorum in Græcum sermonem, uocatur septuaginta Interpretum opus. Per hanc occasionem credibile est aliquos in Aegypto & alibi tunc ueram religionem amplexos esse, cùm & libri legerentur, & uiri docti è Iudæis, qui uersabantur inter Gentes, liberè alios docere possent. Nam uox ueræ Ecclesiæ Dei nunquam temerè & frustra excitatur. Magnis autem beneficijs hic Philadelphus Iudæos adfecit, nam & populo uniuerso immunitatem concessit, & ijs, qui in Aegypto seruiebant, libertatem donauit. *Translatio 70 Interpretum.*

Obser-

Obseruandus est hic error multorum, qui historiam fratris κεραύνου in hunc Philadelphum transferunt. Nam κέραυνος frater ex alia matre natus, ex Eurydice Antipatri, relicta Aegypto profectus est in Macedoniam, & oppresso Seleuco aliquandiu tenuit Macedoniam, fuitq; incestus & impius in sororem Arsinoën, quam fraude circumuentam duxit uxorem, & postea interfecit, necatis unà filijs Lysimachi in matris Arsinoæ gremio. Deinde pœnas dedit tantorum scelerum, interfectus à Brenni exercitu. Hęc historia copiosè recitatur à Pausania.

At Philadelphus in Aegyptio regno consenuit, in tranquillitate & doctorum consuetudine, qua lenijt dolores articulorũ, quos sustinuisse satis acres dicitur. Eius opes & munificentia celebrantur à Theocrito, qui ibi cum Callimacho, Apollonio, & alijs Poëtis uixit.

PTOLEMÆVS *Euergetes.*

PTolemæus Euergetes ingens bellum intulit Syriæ, ut ulciscereturnecem sororis Berenices, quæ fuerat nupta regi Syriæ Antiocho Theo, & postea à priuignis interfecta est. Occupatis autem multis urbibus in Syria, Euergetes non grauatim Seleuco Callinico pacem petenti dedit, reuocabatur enim in Aegyptum domesticis seditionibus.

De hoc Euergete loquitur Daniel, inquiens, *Et stabit in germine radicum eius plantatio*, uidelicet Ptolemæus Euergetes, *& ueniet cum exercitu contra regem Aquilonis*, id est, contra Seleucum Callinicum, *& obtinebit.*

Hoc tempore Iudæa uictori Euergetæ tributum pendere coacta est, etsi adhuc quidem tolerabilis fuit Iudææ status. Nam cùm tributum non solueretur, facilè placatus est Euergetes à Iosepho duce, cuius mentio fit in Luca cap. 3. ubi nominatur Ioseph pater Iannis Hyrcani ultimi ducis ex stirpe Dauid.

Ioseph pater Iannis Hircani

PTOLEMÆVS *Philopator.*

PTolemæus Philopator, sic dictus est ironicè, cùm patrem, matrem & fratrẽ interfecerit, Ignauia eius Antiocho Magno spem fecit recuperandarum urbium in Syria, quas Seleuco Euergetes ademerat. Quare Antiochus Magnus, iuuenis incensus cupiditate gloriæ militaris bellum infert huic regi Aegyptio, & multas ciuitates recipit. Tandem uerò occurrit Philopator, & cùm utercp; magnas haberet copias, uicit Antiochum. Et propter segniciem & luxum statim in Aegyptum redijt. Huius uictoriæ mentionem facit Daniel, inquiens: Et prouocabitur rex Austri, scilicet Ptolemæus Philopator, & pugnabit aduersus regem Aquilonis, scilicet Antiochum Magnum.

Antiochus Magnus.

Erant autem Iudæi initiò coniuncti Antiocho, postea mutata fortuna hospitio uictorem Aegyptium exceperunt, ac placarunt data pecunia. Cùm autem Ptolemęus Philopator uisurus templum, in uestibulum ingressus esset, Sacerdotes obnixè orant, ne pergat, nec penetret in adytum interius, quò non erat fas ingredi cuiquam præter Pontificem. Etsi negat se obtemperaturum pijs monitis Rex superbus, tamen Deus templum defendit, & mox subitò terrore consternatum Regem ita reprimit, ut semiuiuus ex tẽplo exportaretur. Quare Iudæis iratus, cùm Alexandriam rediisset, crudelia edicta proponit, Iudæos iubet in uincula rapi, & multos Elephantis conculcandos obijcit in spectaculis.

Interea domi ipse, interfecta coniuge, infandis se libidinibus contaminat. Et

Et regebatur aula, non ab ipso aut principibus, sed à turpissimis & flagitiosissimis libidinum socijs. Talis furor nunquam est diuturnus, ut dicitur de peccatis clamantibus in cœlum. Quare post uictoriam, de qua dictum est, non fuit diu superstes.

PTOLEMÆVS *Epiphanes.*

PTolemæus Epiphanes penè infans patri successit. Cùm autem Antiochus Magnus existimaret Aegyptios segnius defensuros esse Syriam in hac Regis infantia, rursus mouit bellum. Quare Aegyptij diffidentes suis uiribus Romam Legatos miserunt, qui peterent, ut Romanus Senatus tutelam regis Aegyptij susciperet. Interim Antiochus pleraſq; urbes inferioris Syriæ ac Phœnices recepit, & ducem Scopam, missum ab Aegyptijs ad tuendam eam oram, profligauit. Hic Iudæi grauiter afflicti sunt primùm à Scopa, postea à uictore Antiocho. *Antiochus Magnus.*

Deinde, cùm Legati Romani adueniſſent, iusserunt Antiochum restituere occupatas urbes, eiq; bellum denunciauerunt, nisi obtemperaret. Hanc Legationem ut arte eluderet, nec Romanos exercitus in Syriam adduceret, pacẽ fecit cum Aegyptio, data ei filia Cleopatra. Iratus uerò Romanis, fœdus fecit cum Philippo Macedone, & traiecit in Græciam, & bellum gessit cũ Romanis.

Hæc ordinẽ prædicit Daniel, describens duas expeditiones Antiochi Magni aduersus Aegyptios. *Reuertetur*, inquit, *rex Aquilonis*, id est, Antiochus Magnus, antea uictus à Philopatore, *bellum reparabit, & multas urbes occupabit. Deinde uertet se ad Insulas*, id est, nauigabit in Græciam, ut bellum gerat aduersus Romanos.

PTOLEMÆVS *Philometor.*

PTolemæus Philometor natus est ex filia Antiochi Magni, cumq; eius ætas mortuo patre gubernationi nondum idonea esset, uenit in Aegyptum Antiochus Epiphanes auunculus, simulans se tutorem fore nepotis sui, ut eo prætextu urbibus Aegypti præsidia imponeret, & pupillum regno spoliaret. Sed aliquantò post discessum Antiochi, auxilium à senatu Romano mater Ptolemæi petiuit, & pulsis Antiochi præsidijs urbes recepit.

Redit igitur Antiochus iratus, nepotem uel dolo per simulationem amiciciæ uel armis oppressurus. Sed Romani Legatum miserunt Popilium, qui iussit Antiochum ab Aegypto abstinere. Ita frustratus sua spe Antiochus, & egens rediit in Syriam, ut suprà narratum est. Hæc historia prolixè recitatur in uaticinio Angeli. Nam propter clades, quas accepit populus Iudaicus in his itineribus Antiochi, hanc seriem rerum Angelus commemorat, ideoq; cæteros Reges omittit. *Popilius Romanus.*

Sed quia exempla iudicij diuini illustria sequens historia continet, breuiter eam adijciam. Inuaserat, ut dictum est, Antiochus Epiphanes Aegyptum, & nepotis uitæ prætextu tutelæ insidias struxerat: Sed hi iniusti conatus non solùm irriti fuerunt, sed etiam singulari exemplo puniti sunt. Nam postq; Antiochus mortuus erat, & filius ac frater interfecti, cùm bellum esset inter Alexandrum seditiosum, & Demetrium iuniorem de regno Syriæ certantes, hic Ptolomæus Philometor bellum mouit aduersus Alexandrum regem Syriæ, eumque acie uicit. Quare Antiocheni receperunt Ptolemæum, & duplici corona, altera Syriæ, altera Aegypti, coronauerunt. *Alexander seditiosus. Demetrius iunior.*

Vt igitur Antiochus alterius uitæ & regno insidiatus erat, ita posteri ipsius diris parricidijs necati sunt, & regno insidiatoris potitus est ille ipse, cui insidiæ structæ fuerant. Hæc est iusta pœna, ut in uersu dicitur:

εἶκε πάθοι τάλλ' ἔρεξε, δίκη τ' ἐτύθη γένοιτο.

Cæterũm Ptolemæus metuens Romanos, cessit regno Syriæ, fuitq; autor, ut iunior Demetrius accerseretur. Huic dedit Ptolemæus filiam ereptam Alexandro priori genero. Aiunt autem Ptolemęum in prælio uulnus accepisse, & uix defensum ac seruatum esse. Alexandrum uerõ amisso exercitu fugientem ad Arabum regem uenisse, ab hoc cũm interfectus esset, caput Ptolemæo missum est, qui non multõ põst ex uulnere mortuus est. Hic fuit exitus utriusq; Regis soceri & generi, qui inter se impijs armis certarunt.

Exitus Alexandri & Ptolemæi.

PTOLEMÆVS Physcon.

PTolemæus Physcon dictus ã sagina uentris turpiter inflati. Nam φύσκη significat crassius intestinum, cuius usus est in faciendis farciminibus. Fuit autem hic Physcon frater Philometoris, de quo iam dictum est. Et quanq; in Eusebij Chronico inter Philometorem & Physconem inseritur quidam Euergetes, tamen Strabo testatur eundem esse Physconem, qui ironicè nominatus est εὐεργέτης, uicit enim omnes crudelitate & obscœnitate. Duxit sororem, quę antea priori fratri nupta fuerat, & in die nuptiali puerum filium fratris in complexu matris interfecit. Aliquantõ põst duxit filiam coniugis ex fratre natam, repudiata matre. Erat autem ei filiolus ex priore coniuge & sorore natus, hunc interfectum & dissectum misit matri in die natali inter epulas.

Nec fuit mitior in ciues, Nam Alexandriæ quotidianis cedibus penè uastitatem effecit.

Quare Romani Legatos Alexandriam miserunt, inter quos fuerunt & Scipio posterior, & Polybius Historicus, ut autoritate Senatus imperarent ei, ut iniustè grassari in suos desineret, quia Senatus eum defensurus non esset, nec in regnum reducturus, si propter crudelitatem excuteretur. Ac Legati ridicula deformitate Regis conspecta, non solùm fœdissimos ipsius mores, sed etiam monstrosam speciem corporis execrati sunt. Breui põst scelerum pœnas dedit Tyrannus Physcon, eiectus regno ab Alexandrinis.

Scipio posterior, & Polybius Historicus.

Tales historiæ Lectores admoneant, non solũm de Dei iudicio, qui retribuit se atrocia delicta in hac uita manifestis supplicijs punire, sed etiam de miseria communi generis humani, & de Diaboli furore, qui odio Dei & contemptu generis humani tantis flagitijs deformat imagines Dei, & quidem in summo loco, in imperijs, ubi excellere uirtus debet, ut illa horrenda Diaboli spectacula uniuersa rerum natura abominetur. Quare Filium Dei oremus, ut opera Diaboli grassantis, cùm in toto genere humano, tũm uerõ præcipuè in summis ordinibus, destruat, sicut scriptum est, Filium Dei apparuisse ut destruat opera Diaboli.

Furor Diaboli.

PTOLEMÆVS λάθυρος.

PTolemæus λάθυρος, sic enim ã Strabone nominatur, opinor ideõ, quòd exul occultè tentauit reditum. Nam mater seditione mota hunc Ptolemęum Aegypto expulit, & filio minori Alexandro, quem sibi magis obtemperaturum esse sperabat, regnum tradidit. Exul autem hæc gessisse scribitur. Cũm Iudæi uiderent se nactos esse occasionem uicinas urbes occupandi, propter domesti-

cas dis-

cas discordias, cùm in Aegypto, tùm in Syria ortas, bellum aduersus uicinos mouerunt. Hi ex Cypro accersiuerunt Ptolemæũ, qui sperans se per eam occasionem in Aegyptum rediturum esse, mediocres copias in Phœnicen adduxit, ac statim in Iudæã irruptionem fecit, cepitq; in Sabbato quoddam Galilææ oppidum, postea acerrimo prælio cum Iudæis ad Iordanem conflixit. Cumq; magna multitudo Iudæorũ in acie trucidata esset, uictor Ptolemæus, in finibus Iudææ populatus est uillas, & iussit occidi mulieres & infantes, & dissecta eorum membra coqui, quibus elixis & coctis uesci Iudæos coegit. *Ptolemæi crudelitas.*

Tanta immanitas in uictoria non habuit diuturnos successus. Nam Iudæi à Ptolemæi matre auxilia aduersus eum petiuerunt, quę misit exercitum eõ celerius, ut filium ab Aegypto arceret. Cùm igitur frustra tentaret reditum Ptolemæus, nec tueri occupatas urbes in Phœnice posset, rursus fugit in Cyprum.

Aliquantò post Alexander, qui in Aegypto regnabat, matrẽ interfecit. Pulso igitur Alexandro reuocatus est in Aegyptum hic Ptolemæus λάθυρος, quem ibi nouæ seditiones exceperunt, fortassis quia aliqui fauebant fratri. Dicitur hic Ptolemæus funditus deleuisse maximam & celebratissimam urbem, Thebas Aegyptias. *Thebæ Aegyptiæ.*

PTOLEMÆVS *Auletes.*

PTolemæus Auletes, id est, tibicen, sic dictus, quia publicè in habitu regio tibijs certare cum artificibus solebat. Regno propter ignauiam & crudelitatem expulsus uenit Romam, ubi Pompeius reduci eum suasit. Et quanquam diu ea de re contentiones extractæ sunt, tamen per Gabinium tandem reductus est, qui Archilaum, qui interea regnauerat, interfecit. Hic αὐλήτης reliquit filium Ptolemæum Dionysium, qui adolescens Pompeium ex Pharsalica pugna fugientem in Aegyptum iussit interfici. Postea cùm Iulio Cæsari struxisset insidias, interfectus est à Cæsare, qui regnũ dedit eius sorori Cleopatrę. Cleopatra ad extremum, cùm Augustus uenisset in Aegyptum, sibi mortem consciuit. *Ptolemæus Dionysius.* *Cleopatra.*

HAec est series Regum Aegyptiacorum, in qua non solũm hoc deplorandũ est, quòd posteri nati ex hominibus uirtute præstantissimis, adeò turpiter degenerant, sed illud etiam, quòd Diabolus tam petulanter grassatur in his, qui Imperia tenent. Sed hæ sunt pœnæ εἰδωλομανίας, ut ad Rom. 1. scribitur. Nusquam autem plus fuit portentosæ Idolomaniæ, quàm in Aegypto & in Syria.

In hac commemoratione & hoc obseruandum est, quòd Ecclesiam Dei, cuius sedes tunc erat inter illa duo regna, uidemus hic exiguam esse, & duriter affligi, nec humana ope, humanis præsidijs defendi, sed mirabiliter diuinitus regi & seruari. Hæc imago est ultimæ senectæ mundi, in qua Ecclesia uera Dei in seruitute erat, oppressa multiplici tyrannide. Postquam autem ordinè historias Regum recensui, uaticinium Angeli ad eam breuiter accommodabo.

ET *confortabitur rex Austri, qui est ex ducibus eius*, id est, Ptolemæus qui fuit unus ex Ducibus Alexandri, occupabit Aegyptum, quæ est Iudææ ad meridiem sita. *Et alius confortabitur è regione, & erit eius magna dominatio*, id est, Seleucus è regione Syriam & Babyloniam tenebit, qui post Antigonum uictum cùm Asiam teneret, antecelluit cæteris omnibus potentia.

Et in fine dierum sociabuntur, id est, post aliquod tempus deuincientur inter se

ter se fœderibus,& affinitatibus reges Aegyptij & Syriaci. *Et filia regis Austri,* Berenice filia Ptolemæi Philadelphi regis Aegypti, *veniet ad regem Aquilonis,* id est, nubet Antiocho Theo regi Syriæ, *vt fiat amicicia,* id est, ut hac affinitate inter reges fiat pax, & retineant Aegyptij urbes in Phœnice occupatas à primo Ptolemæo.

Et non obtinebit robur brachij, & non stabit semen eius, & tradetur ipsa & comites eius, & puer eius, & is, qui eam confortauerat, id est, Berenice non retinebit regnum Syriæ, nec eius filius, natus ex Antiocho Theo: Sed priuigni Seleucus Callinicus,& Antiochus ἱέρακες interficient nouercam,& filium eius. *Pater verò, qui confortauerat Ægyptiam,* id est, qui regni sociam fecerat Antiochus Theos, necabitur ueneno à repudiata coniuge Laodice.

DE PTOLEMÆO Euergete.

ET *stabit de germine radicis eius in loco suo, & veniet cum exercitu contra regem Aquilonis,* id est, Ptolemæus Euergetes frater Berenices ulciscetur sororis necem, & geret bellum aduersus Seleucum Callinicum, magnas urbes Syriæ capiet, & auferet thesauros & simulacra Syriaca, Ideò dicitur in textu, *Etiam dij illorum & Principes, & vasa preciosa argenti & auri vehentur in Ægyptum. Sed rex Austri.* Ptolemæus Euergetes redijt in Aegyptum, Nam intestinis seditionibus reuocatus fecit pacem cum Seleuco Callinico, Et hoc tempore Euergetes tributa indixit Iudææ.

DE ANTIOCHO Magno, & Ptolemæo Philopatore.

ET *filij illius irritabuntur, & congregabunt exercitus, & veniet veniens,* id est, Antiochus Magnus, filius Seleuci Callinici, flagrans cupiditate gloriæ militaris, inferet bellum Ptolemæo Philopatori, & quidem initiò statim aliquas urbes in Syria recipiet, occupabit etiam aliquas in Phœnice, quæ paruerant Aegyptijs. Etsi autem Philopator tardè occurrit hosti ferè annum in apparatu belli consumens, tamen tandem expeditione suscepta ad Raphiam ducit exercitum, Ibi prælio commisso uincet, inquit, Antiochum Magnum, & recuperabit urbes in Syria & Phœnice amissas, & coget Antiochum pacem petere.

Et eleuabitur cor eius, & prosternet plurimos, & non confirmabitur. Id est, Philopator erit insolentior & furiosior. In urbe Ierosolyma templum prophanare conabitur, & reuersus in Aegyptum dedet se flagitiosis libidinibus, interfecta uxore. Exercebit & in Iudæos crudelitatem, obijciet conterendos Elephantis, ideò cito peribit. Id significat textus, cùm ait, Non confortabitur, id est, non diu superstes erit, miserè peribit.

Hoc tempore duriter afflicta est Iudæa, primùm enim se adiunxerat Antiocho magno, postea ab Aegyptio magna pecunia multata est, & in Aegypto passim in Iudæos sęuitum est, ut dixi.

DE ANTIOCHO Magno, & Ptolemæo Epiphane.

ET *reuertetur rex Aquilonis, & adducet maiorem multitudinem, quàm antea,* id est, mortuo Philopatore Antiochus Magnus instaurabit bellum, sperans facilem fore uictoriam, quòd ætas Ptolemæi Epiphanis nondum idonea esset rebus gerendis. Quanquam autem Senatus Romanus tutelam regis Aegyptij suscepérat,

suſceperat, tamen quia ſociorum auxilia ſolent eſſe tardiora, Antiochus Magnus recuperauit Syriam & Phœnicen, profligato exercitu, quem Aegyptius in Syriam duce Scopa miſerat.

Et in tempore illo multi ſtabunt contra regem Ægypti, id eſt, Antiochus Magnus faciet fœdus cum Philippo rege Macedonico, qui mittet auxilia aduersus Aegyptios.

Et filij præuaricatores populi tui extollentur, vt impleant viſionem & corruent. Quia in his bellis Syriam utrinq; populabantur, & Syriaci exercitus & Aegyptij, defecerunt à lege diuina multi Iudæi, qui militabant apud impios Reges, ut teſtatur & ſecundus liber Macabæorũ. Et multitudo Iudæorum commigrauit in Aegyptum, ut tranquilliore loco ſedes quæreret.

Erat tunc Pontifex Onias in urbe Ieroſolyma, cuius uirtus & pietas celebratur in ſecundo libro Macabæorum. Huic Pontificatum eripere Iaſon frater conabatur, cuius poſtea mentio fit in hiſtoria Macabæorum. Hæc certamina filium Oniæ Pontificis Oniam mouerunt, ut ex patria in Aegyptum ſe cederet, quòd domi à patruo ſibi inſidias ſtrui ſenſiſſet. Cùm igitur magna in Aegypto multitudo eſſet Iudæorum, & eſſet unà Pontificis filius Onias, ut exilium minus triſte eſſet, nacti ſedes Heliopoli, politiam Iudaicam ibi conſtituunt, & quaſi Ieroſolymam alteram tenentes, templum ibi condunt ſacrificaturi ritu Leuitico, cùm tamen Deus non niſi unicum ſeu tabernaculum ſeu templũ eſſe uoluerit, & plura condi expreſſè prohibuerit, & quidem nuſquam niſi in terra Canaan condi uoluerit. Ita doctrinæ conſenſus facilius retineri poterat, et conſtabat, quo loco uox Dei ſonaret & propagaretur.

Onias Pontifex.

Templum cõditum in Aegypto.

Etſi autem à Iudæis, qui Alexandriæ erant, improbabatur ædificatio noui templi, tamen ſuperſtitio uicit. Onias contra mandatum Dei templum extruit, ſacrificia alieno loco facit. Et ne deeſſet prætextus, citat Eſaiam, qui cap. 19. inquit, In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegyptiæ 2c. Hoc cùm dicatur de uocatione Gentium & de Euangelio, quòd ut cæteras gentes, ita & Aegyptios ad agnitionem Filij Dei & uitæ æternæ uocaturum erat, Onias detorſit ad ſuum conſilium. Ita impoſtores aut faſcinati prauis opinionibus, omnibus temporibus abutuntur uoce Dei, & eam à genuina ſententia ad confirmanda ſua deliria transferunt.

Damnat autem Angelus hoc loco templi illius Aegyptij ædificationem, & uocat id conſilium præuaricationem ſeu uiolationem legis diuinę & audaciam. Hoc iudicium omnibus ætatibus obſeruent, & qui dogmata ſerunt contra uerbum Dei, & qui cultus Dei inſtituunt ſine mandato diuino.

Doctrinæ corruptelas eſſe præuaricationem ac uiolationem primi & ſecundi mandati, nihil dubium eſt, deinde horribilis audacia eſt, cùm certiſſima extent teſtimonia, Deum nullo ſcelere magis offendi, quàm corruptelis doctrinæ, cùm contemtis omnibus minis & exemplis, tamen luditur falſis opinionibus & contumelioſis aduerſus Deum. Quanta fuit audacia Ieroboam, cùm contra apertum mandatum Dei, ſuum quoddam templum condit, & inſtituit nouum ſacerdotium. Quantus furor in Ethnicis, cùm excogitarunt portentoſos cultus Priapi & alios. Quanta audacia fuit Mahometi, qui prorſus abolet uniuerſam doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum? Sed hæc audacia non eſt

Ieroboam.

Portentoſi cultus Ethnicorum.

Mahometus. Audacia Pontificum & Monachorum.

humana, singulares furiæ sunt immissæ in pectus Mahometo ã Diabolo. Nec est exigua audacia Pontificũ & Monachorũ, qui manifesta idola, ut inuocationem mortuorum, & suas Missas defendunt. Quare timere Deum discamus, & nos intra metas diuinitus præscriptas cohibeamus, frenemus etiam ingeniorum atq; animorum impetus, ne ambitione, ęmulatione, φιλονικείᾳ ueras sententias conturbemus.

ET veniet rex Aquilonis, & vallo cinget vrbes, & capiet eas &c. Hic redit Angelus ad Antiochi Magni historiam, quem ait multas urbes occupaturum esse regnante Ptolemęo Epiphane, sed adhuc impubere.

Breuiter autem inserit particulam de Iudæa, quæ in istis bellis utrinque uexata est. *Et stabit in terra desiderabili, & deficiet manus eius*, id est, Antiochus Magnus ueniet in Iudæam, & uicto Scopa duce Aegyptio Iudęis tributum imponet. *Quorum manus deficient*, id est, non repugnabunt, quia sine ullo certamine imperata fecerunt, dederunt tributum hac pactione, ut retinerent suas leges & cultus diuinitus traditos.

Iterum igitur in seruitute est Ecclesia, & tamen Deus ita mitigat calamitatem, ut maneat libertas docendæ & audiendæ legis diuinæ, nec mutetur Sacerdotium, nec aboleantur pij cultus. Nec sine causa toties hic populus circa finem in seruitute est, etsi promissiones habuit de libertate & conseruatione suæ politiæ. Sed imago est ista seruitus miseriarum Ecclesiæ in ultima senecta mundi.

Et veniet, vt amiciciam cum eo faciat, & dabit ei filiam, vt eum perdat, id est, Antiochus Magnus dabit filiam Aegyptio regi, ut ea conditione & pacem faciat, & Syriæ urbes retineat, & augeat sui regni opes. Quæ res tamen eum fefellit, quia post Antiochum Magnum secuta est insignis inclinatio regni Syriaci.

Porrõ in fœdere facto cum Aegyptijs hoc tempore ab Antiocho Magno, fuit & hæc conditio, partem tributorum addixit Antiochus regno Syrię, partem genero Ptolemæo Epiphani. Ita Reges inter se partiebantur opes Ecclesiæ, ut nunc Reges suis purpuratis tradunt titulos & reditus Episcoporum.

Et conuertet faciem suam ad Insulas, & capiet multas, id est, nauigabit in Græciam, ubi se aliquæ Græcæ ciuitates ipsi adiungent, bellum mouenti contra Romanos. *Sed Princeps quidam faciet eum cessare cum dedecore*, inquit Angelus, id est, Consul Romanus uincet eum, & coget eum pacem petere & conditiones duras accipere, uidelicet, ut tota Asia cedat, citra Taurum montem.

Exitus Antiochi Magni.

Postea, inquit, rediturum ad suas urbes & interiturum. Nam cùm rediisset in Syriam Antiochus Magnus, & propter inopiam templũ quoddam spoliaturus esset, ibi interfectus est, cùm uulgus ad templi defensionem concurrisset. Hic fuit exitus regis Antiochi, quem uel inquieta natura ingenij, uel ambitio incenderat, ut multa bella moueret, cùm tamen ferè semper aduersam fortunam experiretur. Pernicies est autem Reipub. bella non necessaria mouere, præsertim aduersante fortuna.

DE SELEVCO filio Antiochi Magni.

ET stabit loco illius vilis Quæstor honore regio, & citò peribit, non strenuitate, nec in bello.

Hæc

Hæc ſunt uerba in textu, quibus deſcribitur Seleucus, qui exiguo tempore poſt Antiochum Magnum regnauit, cùm fratres Romæ obſides eſſent. Diligenter autem hæc deſcriptio obſeruetur, quia imago eſt gubernationis in Europa, magna ex parte.

Vocat hunc Seleucum uilem ſeu ignauum quæſtorem ſeu expilatorem. Hæc uera eſt uerborum interpretatio, & ſignificat fuiſſe ocioſum principem, non foris propugnantem armis patriam, nec domi regentem iudicia, diſciplinam, mores, ſed magnis expilationibus exhaurientem facultates ſuorum, ut ſumtus ſuppeterent ad uoluptates & alias res inanes, in quas aulæ plerunq; pecuniam ſine modo profundunt. Porrō hic Seleucus etiam templum in urbe Ieroſolyma ſpoliari iubet. *Seleucus uilis Quæſtor.*

Si conferas hanc imaginem ad noſtram ætatem, intelliges Angelum non illi tantùm tempori concionatum eſſe, ſed ſignificaſſe calamitates et ſeruitutem Eccleſiæ poſtremi temporis, ut cogitemus puniri peccata noſtra ignauis & acerbis imperijs, & tamen Deo interim curæ fore Eccleſiam.

Reges & principes communi animo & coniunctis copijs defendere Eccleſias Dei aduerſus Turcicam barbariem debebant, quæ nomen Chriſti, literas, & honeſtam diſciplinam funditus delere conatur. Domi debebant regere iudicia & mores. Hęc propria munera quotus quiſq; curat? Pleriq; ocioſi indulgent uoluptatibus, & difficulter ſumtus tolerare poſſunt. Ideō excogitantur nouæ expilationes ſine modo. Vox illa Iohannis contemnitur, Eſtote contenti ſtipendijs ueſtris: contemnitur exemplum Achab, quem Deus teſtatus eſt ſe punire propter uineam ereptam ciui Naboth. Parcendum erat facultatibus ciuium, ut educare liberos ad uirtutem & honeſtas artes poſſent, & ut neceſſario tempore aduerſus externos hoſtes conferre pecunias ampliores poſſent. *Regū & Principum munus.*

Sed, ut dixi, agnoſcamus has miſerias publicas pœnam eſſe noſtrorum peccatorum, et nos ipſos ad pietatem excitemus, & Deo Eccleſiam commendemus, ac oremus, ut mitiget mala publica, det gubernatores ſapientes, iuſtos, felices, proſpicientes utilitati ſuorum ciuium, cupientes ornare Eccleſias, & illuſtrare gloriam Dei.

Quid nunc ſunt Imperia magna ex parte, niſi ſatis acerbæ quæſturæ, hoc eſt, expilationes, ad quas decurritur, ut tolerari profuſiones inutiles poſſint, Iudicia non diſciplinæ, non moribus ſeruiunt, ſed quæſturæ, Bella neceſſaria & pia, quæ geruntur? *Imperia.*

Et aulę Epiſcoporum uincunt alias aulas ignauia, profuſionibus & θαλιμία. Nuſquam enim Epiſcopi & Collegia faciunt officia Eccleſiaſtica, ubiq; profundunt reditus defraudatis paſtoribus & ſcholaſticis, quibus ad ſtudia ſumtus præberi debebant ex opibus, quæ donatæ ſunt Eccleſijs. Deum autem æternum Patrem Liberatoris noſtri Ieſu Chriſti oremus, ut hæc mala mitiget, nec ſinat funditus interire ſuam Eccleſiam & pia ſtudia. *Epiſcopatus.*

DE ANTIOCHO *Epiphane.*

ET ſtabit loco eius deſpectus, & non dabitur ei honos regni, & ueniet placidè, & potietur regno per blanditias.

Hic incoatur deſcriptio Antiochi Epiphanis, quem uocat deſpectum. Singulares emphaſes ſunt in Prophetis, quæ non de uulgaribus aut paruis re-

bus loquuntur. Miretur enim aliquis,cur uocet deſpectum Antiochum, cũm fuerit legitimus hæres,ingenioſus,poſtea etiam multa bella geſſerit. Sed iudi-

Autoritas in principe.

co deſpectum dici, quia diuiuitus non fuit autoritate ornatus. Singulare Dei donum eſt in Principe autoritas ſeu maieſtas, quæ tribus rebus cõſtat, uirtute, felicitate & inclinatione animorum in populo.

Scipio.

Vt in Scipione quanq; adoleſcente, tamen erat autoritas ſeu maieſtas, Primũm lucebat in eo eximia uirtus, & apparebat eum iuuari diuinitus,Incenduntur autem animi hominum admiratione uirtutis & opinione præſentiæ Dei ſeu auxilij diuini. Hæc quanq; multum conducunt ad autoritatem parandam & tuendam, tamen & tertium munus Dei accedere oportet, uidelicet inclinationes animorum diuinitus factas in ipſo populo.

Themiſtocles.
Alexander.

Huc pertinet illa memorabilis ſententia Salomonis, Vt oculus uideat,& auris audiat,Deus facit utrunq;,id eſt,ut ualeat gubernator conſilio & uirtute, deinde ut populus obtemperet, non excutiat recta monentes, utrunq; Dei opus & donum eſt. Vt ualeret conſilio Themiſtocles,& ne eius conſilia aſperarentur Græci,utrunq; fiebat Deo gubernante animos. Vt Alexander uirtute ualeret, & exercitus libenter talem iuuenem ſequeretur, diuinitus fiebat.

Hæc non omnibus gubernatoribus contingunt,Antiocho defuerunt omnia,etſi erat aſtutus, tamen ſine iuſticia & modeſtia, inſtructa eſt ad perniciem ueteratoria ſeu ſycophantica calliditas,& in odio eſt,ut Sinonis aſtutia, & plerunq; in magnis negocijs eſt infortunata, quia Deus odit confidentiam humanæ ſapientiæ, ſicut ſcriptum eſt, Ne innitaris ſapientiæ tuæ.

Deinde omnes homines ſummos & infimos magnopere deformat fama libidinum,& uerẽ exiſtimatur, non leuiter offendi numen cœleſte, & publicis cladibus puniri ſtupra, raptus & ſimilia ſcelera. Ideò Iulianus hos uerſiculos Bacchylidis in ore habuit de laude pudicitiæ:

Vt, niſi ſit uiuo facies expreſſa colore,
Non decus in picto corpore truncus habet:
Sic hominis mores ſpreti ſine honore manebunt,
Ni ſint ornati laude pudicitiæ.

Accedebant autem ad cætera uicia Antiochi, quæ erant atrocia, obſcœnæ libidines. Quare cũm nec uirtute, nec felicitate ornatus eſſet, deerat ei autoritas ſeu maieſtas, nec iudicabatur regio honore dignus,quia multi proceres Syriæ aduerſus eum conſpirauerant, ut regnum traderent Seleuci filio excluſo Antiocho propter peſſimos mores. Sed habuit & ſuam factionem homo uafer quam ſibi ſuis artificijs & largitionibus adiunxit. Hæc eſt ſententia uerborum in textu.

Et brachia inundabunt coram eo,& conterentur,& ipſe dux fœderis, id eſt,multi Syriaci principes aduerſabuntur Antiocho,& duces exercituum Aegyptiacorum,qui urbes in Phœnice tenebant. Et ipſe dux fœderis, id eſt, Ptolemæus Philometor, natus ex ſorore Antiochi Epiphanis, qui contra eum auxilia miſerat. Hos,inquit,id eſt,Aegyptios & Syriacos duces uincit Antiochus. Deinde tres expeditiones ordinẽ deſcribuntur, prima ſuſcepta in Phœnicen, duæ reliquæ in Aegyptum.

Et doloſè fœdus faciet cum illo, aſcendet & ducet exercitum exiguum, & in opulentam Prouinciam ueniet, quam ſpoliabit, id eſt, Etſi cum ſororis filia

filio iam fœdus fecerat, tamen Phœnicen inuasit, & ut natura rapax erat, ac propter profusiones alieno parcere non poterat, diripuit passim facultates locupletum, sustulit templorum thesauros, omnia uenalia habuit, exercitui grassandi & populandi licentiam concessit minimè conuenientem disciplinæ militari. Talis fuit eius expeditio, cùm in urbem opulentissimam Tyrum uenisset. Sequuntur res in Aegypto gestæ.

ET *excitabitur fortitudo eius contra regem Austri, cum exercitu magno*, id est, Antiochus Epiphanes potitus Phœnice, & successu elatus, postea Aegyptum inuasit. Et pulsis præsidijs ad Pelusium, cùm sciret maximarum urbium in aditu difficilem & longam fore oppugnationem, cœpit suis artibus uti. Corrupit potentes largitionibus, & simulauit se tutorem fore Regis adolescentis. Hoc prætextu Syriaca præsidia in urbes Aegyptias introducuntur.

Et comedentes vnà panem conterent eum, id est, proceres Aegyptij corrupti ab Antiocho suum Regem fallent, & non defendent.

Et duorum Regum cor erit, vt malefaciant, & ad vnam mensam mendacium loquentur, & non succedent consilia, id est, Cùm hac simulatione amiciciæ transierit Antiochus in Aegyptum, & adolescens à suis destitutus excipiet hospitio auũculum, conuenient tanquam amici, & tamen perfidiosè utercp; struet insidias alteri, ut constat rarissimas esse Principum sinceras amicicias.

Et reuertetur in terram suam cum magnis opibus, & cor eius contra fœdus sanctuarij, id est, cùm præsidia in urbes Aegypti prꝯipuas introduxisset Antiochus, & suo more direptiones fecisset, bona cum spe redijt in Syriam.

In hoc itinere primùm uenit Ierosolymam, exceptus à Iasone. Et quanquam nondum in templo idolum collocat, tamen aufert thesauros, & multa ornamenta, & facta magna ciuium cꝯde, locupletum facultates diripuit. Hæc & suprà recitata sunt, & narrantur in primo libro Maccabæorum. Sequitur alterum iter, quod fuit multò funestius.

Certo tempore reuertetur in Austrum, & non erit posterior expeditio priori similis, Et venient contra eum naues ex Cithim, & dolebit, & reuertetur, id est, post biennium, cùm Philometor deprehensa fraude auunculi expulisset Syriaca præsidia, & urbes suas in Aegypto reciperet, & à Romanis auxilia peteret, Antiochus palàm molitur bellum, ac rursus exercitum ad Aegypti fines adducit.

Sed hæc expeditio non fuit similis priori, id est, irriti & inanes conatus Antiochi fuerunt, quia Antiochus edicto Legati Romani Popilij coactus est, infectis rebus, discedere. Ideò inquit, Venient contra eum naues ex Cithim, id est, Romana classis ueniet, Legatum adducens Popilium, qui auxilia Aegyptio promittet, & coget Antiochum imperata facere. Nec sine magna contentione obtinuit Popilius, ne Antiochus bellum Aegypto inferret.

At tunc arbitror illam celebratam pactionem cum Antiocho factam esse, de dimidio nauium, cùm Legatus Romanus traductas naues omnes in unũ locum dissecari iussit, & dissectarum trabium aceruum dimidium attribuit Antiocho, dimidium Romanis. Ita Romanus homo cum ueteratore Antiocho lusit, ut ei significaret, intelligi artificia, quibus ipse aduersus Aegyptios & Romanos usus esset. Popilius Romanus Legatus.

DE

DE VOCABVLO CITHIM.

DE uocabulo Cithim suprà dictum est. Etsi autem ludæi hic suo more nugan tur, tamen satis constat ex multis testimoniis sacrorum librorum, quæ sit uis uocabuli. Solent Prophetæ discernere regiones & gentes appellationibus stirpium seu primorum parentum. Vt cùm Græcos intelligunt seu gentem Ionicam, nominatur Ion seu Iauan pater gentis Ionicæ.

Habuit autem Ion seu Iauan filios, à quibus Græcæ gentes ortæ & nominatæ sunt: Elisa, à quo apparet nominatos esse Aeoles: Dodanim, à quo sunt Dodonæi, ueteres in Europa Pelasgi. Cithim, à quo uicina gens fuit Dodonæis, nam Esaias addit Alexandro exercitum gentium Dodanim & Cithim, id est, Græcum & Macedonicum. Ac nomen uetus μακέτης, quo antiquitas usa est, pro uocabulo Macedo, haud dubiè à Cithim factum est, ut sit μακέτης, ortus ex Cithim. Nota est enim Hebraicæ linguæ utcunq; peritis uis literæ præpositæ. Et Citheos fuisse in locis uicinis Macedoniæ ex Homero, manifestũ est, qui ait Citheos paruisse Telepho regi Mysorum, & eius filio Eurypilo, qui ad Troiam à Pyrrho interfectus est. Fuit autem Mysia in Europa, quæ hodie pars est Seruiæ, uicina Macedoniæ. Versus Homeri Odysseæ 11. hi sunt:

ἀλλ' ὅιον τὸν πλεξίππη κατενήρατο χαλκῷ
ἥρω Εὐρύπιλον, πολλοὶ δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι,
κήτειοι κτείνοντο, γυναίων εἵνεκα δώρων.
Ipse Neoptolemus telo traiecit acuto
Magnanimum Eurypilum, genuit quem Telephus olim,
Ceteosq; illum iuxta prostrauit, in arma
Coniugium quos promissum traxisse ferebant.

Ergo & uicinia Ceteorum, & uocis affinitas indicant Macedonas à Cithim ortos esse. Quare liber Macabæorum uocat Alexandrum regem Cithim. Et à Græcis gentibus ortos fuisse Ausonios & Latinos nihil dubium est. Imõ Suidas scribit Latinum fuisse Telephi filium, & duxisse Ceteos in Italiam, ac Latio nomen dedisse.

Cithim. Cùm igitur Cithim significet gentes in Europa, ortas à Cithim, complectitur & Macedonas, & Italos. Quare & in Numeris cap. 24. uaticinatur Balaam, uenturos esse classes ex Cithim, quæ Assyrios & Ebræos deleturæ sint. Hic regna in Europa intelligit, & complectitur Alexandrum & Romanos. Nam Alexander non deleuit Ebræos.

Sciamus ergo Cithim gentes esse in Europa, ortas à filio Iauan Cithim, tũm in locis Græciæ uicinis, tũm in Italia, inde ex imperio Europeo uenturam ait classem, quæ Antiochum reprimat. Si Suidæ annotatio de Latino Telephi filio uera est, aptissimè quadrat nomen Cithim ad Latinum, cum Latinus adduxerit Ceteos in eam Italiæ oram. Cæterũm constat in Italiam à Græcis initiõ colonias deductas esse.

Et cogitabit consilia cum deserentibus legem fœderis sancti, Et brachia ex eo stabunt, & prophanabunt templum, & auferent iuge sacrificium, & ponet abominationem vastatricem, & præuaricatores fœderis decipiet blanditijs, id est, postquam à Legato Romano Antiochus Epiphanes deterritus est, ne bellum inferret Aegypto, fremens & iratus in Syriam redit. Porrõ in hoc secundo reditu multo maiorem sæuitiam & impietatem exercuit quàm antea. Quia iam collocat idolum Iouis Olympij in templo, prohibuit edicto circumcisionem, comburit sacros libros,

Sæuitia Epiphanis.

libros, curat Bacchanalia celebrari Ierosolymis, interficit homines pios, qui Idola colere nolebant, relinquit præsidium ad defensionem Idolorum, & ad impediendos ueros cultus. Denicp quanta dissipatio fuerit totius politiæ Iudaicæ & ueræ religionis, ostendit tota historia descripta in libris Maccabæorum.

NEc difficile est causas cogitare, cur Deus has clades prædixerit, Mõstrantur causæ harum pœnarum, ut pij admoniti sint cautiores & firmiores. Clarè enim prædicitur, initia horum malorum oriri ab ipsis Iudæis, sicut inquit textus, Cogitabit consilia cum præuaricatoribus. Accersunt Antiochum ipsi Pontifices, adsentiuntur ut collocetur Idolum in templo, adiuuant sæuitiam. Denicp sunt socij tanti sceleris. Itacp Deus commonefacit pios, ut societatem horum scelerum fugiant. Significat item, unde Ecclesiæ calamitates plerunqp oriantur, uidelicet ab ipsis Ecclesiæ gubernatoribus. *Ad quid prosint prædictiones futurarũ cladium.*

Deinde pij hac consolatione ualde confirmabantur, quõd prospiciebant exitum & finem horum tumultuum. Etsi enim sciebant aliquot annos grassaturam esse iniquitatem impiorum, tamen certõ norant se non frustra dimicare, sed tandem recuperaturos esse patriam, templum & libertatem. Hęc spes uiros fortes confirmabat, ut non dubitarent arma capere. Ideõ & tempus prædicitur, & respondent euentus. Intra triennium recuperauit Maccabæus templũ. Hæc uictoria magis etiam animos addidit pijs, ut bellum urgerent.

Postremõ prædictio confirmat pios contra scandalum, id est, contra clamores impiorum, qui uociferantur, potestati ordinariæ obsequendum esse, sentiendum esse cum maiore parte. Ita tunc erant haud dubiẽ multi, qui suæ impietati & ignauiæ hanc excusationem prætexebant. Esse boni ciuis obtemperare Magistratibus & Pontificibus, nec dissentire à maiore parte ciuium. Inhonestas & seditiosas esse omnes seiunctiones ab ordinaria potestate, seu à communi consensu maioris partis. Aduersus hos plausibiles sermones consolatur Deus pios, & damnat maiorem partem deficientem à Lege, & adfirmat sibi placere paucos illos, qui legem diuinam defensuri sunt.

Hac ipsa consolatione & nobis nunc opus est, in reprehensione Idolorũ, quæ defendunt Pontifices. Usitatum est hominibus dimicare de opibus, & de honoribus. Hæc reipsa propugnant plurimi Episcopi, Canonici Monachi, & eorum amici, cũm tueri suos ritus & sua Idola conantur. Et prætexunt Ecclesiæ nomen, idqp tribuunt suo cœtui, qui dominatur. Deinde contendunt non discedendum esse ab ordinaria potestate, quæ etiamsi aliquando leuia aliqua errata habet, tamen nunquam receperit impias sententias, aut Idola: esse bonæ mentis quædam incommoda gubernationis in tanta infirmitate generis humani boni consulere, & lenire moderata interpretatione.

Quoties iam his uiginti annis has audio cõciones? Quoties mihi illa uox obiecta est, κακὸν ἕυ κείμενον μὴ κινητέον. Et ut parentum deliria, ita quædam Ecclesiæ errata toleranda & dissimulanda esse, ne medicando plus mali excitetur. Nam cùm motis erroribus discordia inflammatur, magnæ sequuntur ruinæ, magnæ dilacerationes, quæ plures errores & maiora mala pariunt, ut uerè dicit Homerus de lite:

Parua metu primò mox sese attollit in auras,
Ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit.

Denicp

Deniq; pleni sunt libri huius Philosophiæ, de hac moderatione, quæ uetat formas imperiorum mouere ac turbare, etiamsi qua habent uicia non leuia. Hæ sunt illæ blanditiæ, de quibus in textu dicit, Multos inuitatos esse blandiciis, ut Regi & Pontifici adsentirentur.

Sed huius Philosophiæ metæ quædam sunt, Ciuilia onera, ciuilem seruitutem arte feramus ac toleremus, condonemus imperijs negligentiam multiplicem in iudicijs, in tuendis commodis & corporibus populi. Sed gloriã Dei & Filij eius Iesu Christi anteferamus omnibus rebus humanis, imperijs, concordiæ publicæ, nostris honoribus, nostræ uitæ, sicut Christus dixit, Qui negabit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo cœlesti. Et Apostoli iubent mandatum Dei anteferre concordię suæ reipublicæ, cũm aiunt, Oportet Deo magis obedire quãm hominibus. Et Paulus inquit, Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit, id est, Discedite ab impiorum cultuum defensoribus, tanquam à damnatis à Deo.

Ad hæc dicta addamus iudicium Dei hic propositum in uaticinio, quod minorem partem dissentientẽ à Rege & à Pontifice approbat, & damnat Principes defendentes impium cultum. Nec sunt leuia errata Pontificiæ partis, quę taxamus. Etsi enim astuti quidam quærunt religionum conciliationes, & miscent omnes ethnicas, Iudaicas, & Euangelicam, tamen hæ præstigiæ in Ecclesiam nequaquam admittendæ sunt, in qua fulgere lux debet, quam per Prophetarum, Christi & Apostolorum uocem Deus æternus nobis tradidit.

Quantum fuerit tenebrarum, adhuc ostendunt friuolæ quæstiones in sententiarijs, An Deus possit præcipere ut odio habeatur? Quid comedat mus rodens consecratum panem? Sed hæ, inquiunt, paucorum & ociosorum ineptiæ erant, nec propterea Ecclesia, hoc est, cœtus Episcoporum & omnium prudentum gubernatorum accusari debet.

Vera inuocatio Dei obruta.

Imõ neruos reprehendimus Idolomaniarum, quos summi præcipuẽ tuentur, qui non sunt leuia errata, nec fucosis excusationibus mitigari possunt. Vera inuocatio Dei obruta est dupliciter. Primũm, quòd defendunt inuocationẽ mortuorum, uel statuarum potius, ut Mariæ, Iacobi, & similia exempla, quę nihil differunt ab ethnicis ritibus, ab inuocatione Herculis, Tyndaridarum, Romuli. Deinde iubent inuocare Deum cum dubitatione de recõciliatione. Est & hæc opinio prorsus ethnica.

Sed hic error de dubitatione non incurrit in oculos, nec potest iudicari nisi à pijs. Mens sic debebat inuocare, adiungens se Pontifici Christo.

Omnipotens ęterne & uiue Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor & conseruator omnium rerum, sapiens, bone, misericors, Iudex & fortis, propter Iesum Christum Filium tuum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam mirabili & inenarrabili consilio, miserere mei, & Spiritu sancto tuo guberna et sanctifica me.

Ac propter Pontificem Christum statuere debemus uerẽ nos recipi & exaudiri.

Contraria sententia, quam defendunt aduersarij, est ethnica, ut sacerdos Homericus precatur, Phœbe, si placuerunt tibi meæ uictimæ, iuues me.

Missa.

Quid de Missa dicam? Fingant præstigias, ut uolent: Tamen reclamat uetus & purior Ecclesia, & manifestis testimonijs refutat multiplicem prophanationem, qua polluunt Cœnam Domini. Et cùm manifestissimum sit, nullas ceremoni-

ceremonias extra institutum usum, retinere diuini Sacramenti rationem, cur iubent adorari panem, & quidem prorsus extra Sacramenti rationem? Hoc non est leue malum.

Deinde lex de cœlibatu, infinita pernicies est animarum, nec temporum diuturnitas hæc mala excusat. Ecclesia in hoc mundo plerunq; est in tristi & dura seruitute: Sed tamen fuerunt semper aliqui pij & prudentes, qui hæc errata deplorauerunt, & emendationem optarunt. Sed postea de certaminibus horum temporum dicendum erit. Nunc Antiochi historia pertexenda est. *Lex de cœlibatu.*

BRachia uocat duces & præsidia, quæ Antiochus in Iudæa reliquit, ut pij interficerentur. *Brachia.*

Appellatio insignis est templi, cũm ait, Prophanabunt sanctuarium fortitudinis, id est, templi. Vocat autem templum fortitudinem seu arcem, quia propter hoc templum populus â Deo defendebatur. Hoc templum, hic cultus Dei & doctrina erat huius populi arx & munitio, Sicut nobis Euangeliũ arx est, id est, speramus Ecclesiam non penitus interituram esse, & ibi mansura est, ubi sonat uox Euangelij. Hanc nec Turci nec ulli Tyranni delere poterunt. *Sanctuarium fortitudinis.*

Erat autem populi Iudaici unicum templum, sicut doctrina unica, & unicus cultus erat. Ideò hoc templum uocatur numero singulari Fortitudo, Maosa. Infrâ uerò Idolum uocabit Deum Maosim, id est, dissimilium templorum. Romæ in Capitolio colebatur Iupiter, in templo Attico Pallas, in Eleusinio Ceres, in templo Argiuo Iuno, in Delphico Phœbus, in Thebano Bacchus, in Ephesio Diana, in Cyprio Venus, in Lampsaceno Priapus, in Aegyptijs Bos. Denicq; dissimiles erant opiniones & cultus, dissimilia Idola, toto orbe terrarum. *Templum unicum Iudaici populi.*

Nec norant homines, quomodo uelit Deus inuocari, & exaudire. Erant igitur illa dissimilia templa, non uni æterno Deo dicata, sed multis inanibus titulis, quos homines ignorantes Deum, aut in perpetua dubitatione, aut impia fiducia inuocabant, cum res nulla subesset istis titulis. Vocat deos Maosim, id est, commentitios Deos dissimilium templorum, & opinionum aberrantium ab una uocis diuinæ doctrina. Sed de hoc uocabulo infra iterum dicendum erit. *Dij Maosim.*

Cætera quæ addit textus, ex historia descripta in libro Macabæorum nota sunt. Armis impedita sunt pia sacrificia, & in templo collocatum est idolum Iouis Olympij, quod uocat abominationem uastatricem. Nam Ebræi usitatè omnia idola uocant abominationes seu βδελύγματα.

Additur autem Epitheton, Idolum uastans, id est, delens ueram doctrinam, & uerum cultum, tantisper dum mansurum erat. Hic enim non loquitur de perpetuo populi excidio, ut suprâ in capite nono, ubi multa uerba addũtur, quæ expressè prędicunt interitum totius politiæ post exhibitum Christum. At hic Angelus significat se loqui de huius populi calamitate futura ante aduentum Christi. Quare & liberationem populo promittit, & expressè addit, restare aliud tempus, scilicet, mansuram esse hanc politiam, donec fuerit Messias exhibitus. *Idolum uastans.*

Intelligas ergo hoc loco Idolum uastans doctrinam & cultum Dei, tantisper, donec pulsis præsidijs Antiochi, & recuperato templo tollitur Idolum. Est autem collocatum in templo Idolum anno post mortem Alexandri 145. die

15. Nouembris. Deinde uerō post triennium templo recuperato, Idolum rursus amotum & crematum est anno post Alexandri mortem 148. die uerō Nouembris 25. quo postea celebrata sunt Encenia, quorum mentio fit apud Iohannem.

Encænia.

ET populus sciens Deum suum confortabitur, & faciet, Docti autem in populo, docebunt multos, & cadent in gladio & flamma &c.

Hæc est promissio liberationis, in qua Angelus testatur fore aliquos scientes Deum suum, qui sint aduersaturi furori Antiochi, & quanquam multi in hoc ipso numero interficientur, & crudelibus supplicijs afficientur, tamen tandem pulsis hostibus recuperaturi sint patriam & libertatem.

Præcipuē autem obseruandum est hoc loco, quid de utraq; parte iudicet Deus, quam adprobet, quam damnet. Pontifices & Principes cum maiore parte populi amplectentur ethnicos ritus, abiecta lege Moisi. Hæc pars etsi est maior, & secum habet ordinariam potestatem, ut uocant, id est, Pontifices, tamen damnatur suprā, cùm nominat præuaricatores.

Minor pars erat, quæ à Deo suo nō defecerat, Ac nominatim suo, inquit, id est, qui se reuelauit in hoc ipso uerbo, quod tradidit suo populo, Hanc minorem partem approbat. Non igitur deterreātur pij à professione ueræ doctrinę, cùm aduersarij opponunt iudicia Pontificum, & maioris partis, ut nunc hoc argumento præcipuē oppugnamur.

Memineris & hoc, quod ait, Docti docebunt multos. Significat in illo ipso certamine fore, ut doctrina repurgetur & magis illustretur. Vt nunc in acerrimis horum temporum disputationibus, Dei beneficio, multum lucis accessit doctrinæ Euangelij, quod antea sordibus humanarum traditionum & multis friuolis ac impijs quæstionibus Monachorum obrutum erat. Deniq; cùm Ecclesia putaretur esse regnum Pontificium, uera Ecclesia non agnoscebatur. Nūc præclia discrimina ostenderunt.

Sed multi cadent, inquit, in gladio & flamma. Nec nostrę ętati desunt exempla. Memini uirum optimum & excellenti ingenio & doctrina præditum, Henricum Sutphanienſem, quem Bremenſis Episcopi ministri crudelissimè interfici curauerunt, quòd in Ecclesia Bremensi Euangelium purē docuerat, cùm quidem modestissimē functus esset suo munere. Et possem recitare aliorum multorum historias.

Henricus Sutphanienſis.

Et cùm ceciderint, iuuabuntur auxilio paruo, Et multi se adiungent eis fallaciter.

Declarat modum liberationis, & quasi classicum canit his, qui represserunt Antiochum. Nam hæc uerba pios mouerunt ad arma capienda. Paruo auxilio iuuabuntur, id est, pars pia erit sine ordinarijs ducibus, nec habebit magnos exercitus, sed erunt exiguæ copiæ piorum & fortium uirorum, qui sine ordinario imperio sponte sua concurrent ad communem defensionem. Sicut & textus inquit in libro Macabæorum, nominans hunc cœtum, uoluntarios, id est, qui sua sponte, sine ordinarijs Ducibus concurrerunt.

Voluntarij.

Post reditum ex Babylone usq; ad hoc bellum duces, ex stirpe Dauid prę fuerunt populo sine titulo regio, sed tamen autoritate mediocri, etsi ad extremum Pontifices antecellere potentia & pompa cœperunt. Ac nomina ducum illorum extant in genealogia Christi, fuitq; paulò ante hoc bellū Iannes Dux, qui ab

Duces ex stirpe Dauid.

Iannes.

qui ab Antiocho Epiphane in castello Ierichuntis obsessus, ibi interfectus est. Postea populus sine duce erat, & Pontifices inter se ambitione & omni genere scelerum certabant.

Destituta ergo uera Ecclesia ordinarijs gubernatoribus, concurrit hortatore Mathatia sacerdote, quem propter pietatem, non propter potentiam aut opes, pij reuerebantur & sequebantur. Vt nunc uera Ecclesia priuatis studijs iuuatur: Reges, Principes, Episcopi oppugnant. Obseruandum est autem exemplum, ut clamoribus de ordinaria potestate & de maiori parte opponatur. *Mathatias.*

Vtilis admonitio est in altera particula, Multi se adiungent eis fallaciter. Alcimus Pontifex simulabat se esse amicum exercitui piorum, eaq; simulatione perfidiosè oppressit deceptos ciues, & multos interfecit. Nec dubium est crebras fuisse mutationes uoluntatum & defectiones, ut fit in ciuilibus discordijs, in quibus homines leues ac mali uel fortunam sequuntur, uel priuatis odijs morem gerunt. *Alcimus Pontifex.*

Hac nostra ætate uidimus defectiones multorum potentum, item aliorum, qui publicè in nostris Ecclesijs docuerunt, Vuicelij, Campani. Et adhuc in nostris castris esse uidentur, qui simulant beneuolentiam erga nos, ut inflectant nostros ad recipiendos errores, & restituenda Idola contumeliosa in Deum.

Deinde multi in omnibus ciuilibus discordijs propter ἀναρχίαν, sumunt sibi licentiam, quæ nulli in Republica tranquilla & constituta disciplina concederetur. Quare & nobis multorum mali mores nocent, qui bonam causam scandalis deformant. Hæc domestica uulnera ualdè impediunt & res bonas & studia bonorum.

Neq; tamen abijcienda est propugnatio Euangelij, & uera Ecclesia agnoscat suas ærumnas, & Diaboli insidias, qui ut dissipet Ecclesiam, & contumelijs afficiat Deum & Filium eius Iesum Christum, undiq; oppugnat Ecclesiam, incitat homines Epicureos & Hypocritas aduersus eam, foris & in ipsis Ecclesiæ castris. Hanc calamitatem sensit initiò Ecclesia primæ familiæ, cùm Cain interficeret fratrem.

Sequentia uerba repetunt descriptionem calamitatis, & eam exaggerant, sed tamen addunt rursus consolationem de liberatione, *Docti cadent & explorabuntur, sed vsq; ad tempus, quia restat aliud tempus,* id est, etsi athei putabunt hunc populum iam funditus interiturum esse, tamen sciant pij se eluctaturos esse, & hac spe dimicent cum hostibus. Restat enim tempus aduentus Messiæ, quem hac politia adhuc durante apparere oportuit.

SEquentes uersus multi omissa prorsus historia Antiochi de solo Antichristo intelligunt. Etsi autem non dubium est hoc uaticinium complecti Ecclesiæ calamitates, quas feret his ultimis mundi temporibus post Apostolos, & paulò ante resurrectionem mortuorum: Tamen non auellam hanc partem ab historia Antiochi. In fine, n. loquitur de Edom & uicinis, Hæc uidentur esse historica. Quare in sequenti enarratione uerba primùm ad Antiochũ accommodabimus, postea etiam ad imperia ultima mundi, quę nomen Antichristi complectitur, Nam & ipsa Antiochi historia, imago ac uaticinium est de Antichristo.

DIxi autem suprà, Prophetas & Apostolos uaticinari de duobus regnis oppressuris Ecclesiam Dei, alterum est Mahometicum, quod apertè reijcit doctrinam Prophetarum & Apostolorum, Deinde palàm conatur delere nomen *Regnum Mahometicum.*

Filij Dei. Et quanquam retinet particulam Legis, de ciuilibus moribus, ut cæteræ gentes, tamen Euangelium de Filio Dei prorsus reijcit. Negat esse Filium Dei, natum de æterni Patris substantia, negat esse uictimam pro genere humano. Tollit omnia, quæ de remissione peccatorum & de fide accipiente reconciliationem propter Mediatorem docet Euangelium, tantùm ludit imaginationibus ethnicis de Deo.

Vt autem piæ mentes aduersus hos furores muniantur, cogitent hæc argumenta, quæ sunt certissima.

Impossibile est doctrinam esse ueram, quæ reijcit Prophetas & Apostolos, seu quæ non retinet uerbum Dei traditum per Prophetas & Apostolos. Certum est autem prorsus non audiri Prophetarum & Apostolorum scripta in tota secta Mahometi. Et certum est recens natam esse opinionem Mahometicam longo tempore post Apostolos, & pugnare eam cum Prophetis & Apostolis: Quare manifestum est eam esse Diaboli commentum, damnatum à Deo.

Secta Mahometi.

Execrandæ & fugiendæ sunt omnes religiones, quæ ignorant Filium Dei, & promissiones de eo traditas per Prophetas & Apostolos. Sic enim uult agnosci Deus, ut ipse se uoce sua patefecit. Præterea nõ potest affirmare mens humana, Deum placatum esse, seu propicium, exaudire inuocantes, nisi notæ sint promissiones de Filio Dei. Porrò mens dubitans de placatione, fugit Deum, non expectat ab eo auxilium.

Furebant Ethnici, fingentes multos esse deos, & alijs alia munera attribuentes, Ioui tempestatum gubernationem, Marti bella, Veneri procreationem, Cereri segetum custodiam, Baccho uitium tutelam, denicq; alijs alia.

Hæc uulgi deliramenta ne tum quidem sapientes probabant, sed hi agnoscebant unam esse æternam mentem, causam boni in natura, ut Plato eruditissimẽ dixit. Et hi usitatos cultus eõ non uituperabant, quia cogitabant diuersis statuis & nominibus uarias potestates significari unius immensæ naturæ, quia uno nomine & uno signo monstrari immensitas illa non posset, quæ dicebatur Pallas, quatenus ordinis, in natura, & in humana mente intelligentiæ causa esset, Iupiter, Ceres seu Bacchus, quatenus mirabili lege terram quotãnis fœcundam faceret. Hæc etsi ita disputabant ueteres agnoscentes unam esse æternam mentem conditricem & conseruatricem totius huius molis rerum, tamen nondum rectẽ agnoscebant Deum. Non enim norant promissiones de placatione & de Mediatore traditas Patribus.

Vna æterna mens.

Pallas. Iupiter.

Quanquãm igitur Mahometici ualdè se efferunt, & iactitant religionem suam, quòd retineant articulum de unitate Dei, quòd non adorent Idola, nec fingant multos Deos: Tamen hęc eorum sapientia nihil est nisi communis quędam philosophia humanæ rationis, in qua nondum lucet doctrina de placatione Dei.

Gloriatio Mahometicorum.

Scio multos fascinatos humanis persuasionibus detestari rixas religionum, Quorsum, inquiunt, opus est tanta dissidia excitari? cum rebus congruant religiones, etiamsi appellationibus & signis discrimina & sint & fuerint. Ad uersus hæc Diaboli tela muniendæ sunt mentes, & considerandum, Quomodo uelit agnosci & inuocari Deus, item, quomodo placari uoluerit.

Norat Plato esse unam æternam mentem, boni causam in natura, siue ea mens Iupiter, siue Pallas uocaretur. Tantum docet & Mahometus. Sed idem

Plato

Plato norat, Deum esse iustam mentem, irascentem turpitudini. Quare cogitans de suis uicijs, non iudicabat sibi ignosci, nec inuocabat, sed potius fugiebat Deum. Necesse est igitur & articulum de placatione teneri. Et quantum hoc referat, sola Dei Ecclesia perspicuè intelligit, quæ agnoscit peccatum & iram Dei, & rursus agnoscit se recipi propter Mediatorem. Nouit & hoc, statim ab initiò hunc articulum traditum esse primis patribus in promissione, intelligit hac fiducia corda Patrũ confirmata, ueros cultus, uerã inuocationẽ præstitisse. Putant hypocritæ se inuocare Deum, sed in uerò pauore tota hęc eis inuocatio excutitur. At sola Ecclesia Dei intelligit & præstat inuocationẽ uerã.

Hæc de Mediatore diligenter consideranda sunt, ut aduersus Mahometi πιθανολογίας animi confirmentur, & execrentur omnes religiones, quæ ignorant placationem, quæ facta est per Filium Dei. Obruunt enim & iram Dei aduersus peccatum, & misericordiam promissam propter Filium, & summum Dei beneficium delent. Ideò Iohannes Baptista testificans de Filio Dei inquit, Qui credit in Filium, habet uitam æternam, Qui non credit Filio Dei, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum.

Hæc si cogitet pia mens, satis præmunita erit aduersus Mahometi furores, qui totum Euangelium de Filio Dei aspernatur. Lacerat & eam partem, quæ propriè Lex uocatur, quia fingit nihil esse peccatum, nisi externa facta contra Legem. Tollit & uera coniugij iura, concedit ducere & abijcere quot quisq; uult, sine ulla causa & cognitione. Hoc est prorsus tollere uinculum coniugij, & concedere infinitam scortationem, ut infrã dicemus. *Mahometus.*

Constat autem iam annos ferè nongentos Ecclesias Christi horribiliter tùm uastatas tùm oppressas esse ã tyrannide Mahometica. Quare Mahometus Antichristi nomine comprehendendus est, & inter hostes Filij Dei execrandus & fugiendus. Ac suprã in imperijs de Mahometico regno dixi, diligenter tenendam esse præmonitionem diuinam, quæ clarè inquit, Id regnum blasphemias dicturum esse contra Deum, & interfecturum Sanctos. Et cùm de regno loquatur nascente, cum quarta Monarchia collabetur, certissimum est fieri mẽtionem tyrannidis Mahometicæ. Intelligunt autem pij multas graues & magnas causas esse, cur præmonere Ecclesiam Deus uoluit, quas secum ipsi expendant. *Tyrannis Mahometica quã diu grassata sit &c.*

SEd quod est alterum regnum, quo opprimitur Dei Ecclesia? Paulus clarè ait: In Ecclesia dominaturum esse hominem peccati, extollentem se supra cultum Dei. Constat autem in Ecclesia & titulo Ecclesiæ dominari Pontifices defendentes Idola. *Homo peccati*

Est moderati animi moueri reuerentia eius potestatis, quæ uocatur ordinaria. Est & grati cogitare maiorum rectè facta: Euangelium per Episcopos, Apostolorum discipulos, propagatum est. Deinde qualescunq; fuerunt ipsi Episcopi, tamen nomen Christi, & qualemcunq; umbram Ecclesiæ retinuerunt. Et fatendum est, sub eorum imperio aliquos fuisse pios, & aliquam Dei Ecclesiam. Cur igitur, inquies, propter eam partem Episcopis non parcitur? præsertim cùm in tanta infirmitate humani generis, nec fuerit unquam inde usq; ab initio mundi, nec futura sit gubernatio ulla sine uicijs & erratis. Quare & usitatum & facilè est reprehendere gubernationum uicia. *Potestatis ordinariæ reuerentia.*

Sæpè Pontifices Leuitici, & socij gubernationis præcipui, fuerunt tyranici, ignari ueræ doctrinæ, rapaces, negligentes in Iurisdictione, aut etiam in- *Pontifices Leuitici.*

iusti. Tales fuerunt Hircanus, Annas, Caiphas. Neq; tamen Simeon, Zacharias, & similes pij, uel ordinem damnabant, uel eripiebant eis functionem publici muneris, uel discedebant ab eis.

Gubernatio Apostolorum.

Quantum miseriarum fuit in gubernatione Apostolorum, qui cũm manu neminem coërcerent, multos habuerunt contumaces, leues, arrogantes discipulos, qui aut falsa dogmata spargebant, aut malis moribus deformabant Euangelium.

Deniq; amentia est in hac hominum imbecillium consuetudine, imõ in hac senecta mundi, delirante iam ipsa hominum natura, fingere quasi Platonicam ciuitatem, politiam ullam sine morbis, uicijs & miserijs.

Et omnium ætatum exempla ostendunt, tentatis emendationibus politiarum, sequentem statum noua uicia genuisse. Democratia Athenis licentiam uulgi auxerat. Postea Oligarchia peperit tyrannides, quæ iterum discordias & bella ciuilia excitarunt.

Cũm igitur multa incommoda condonanda sint gubernationi, Cur, inquiunt, tam atrociter reprehenditis Episcopos? Cur non paretis eorum legibus? Cur non agnoscitis esse Ecclesiæ gubernatores? Imõ cur adiungitis Pontifices regnis apertẽ impijs & palãm conantibus delere nomen Christi?

Agnosco reprehensionem esse atrocem. Sed quanquãm multa plausibiliter dici possunt de ueteribus meritis ordinis, de modestia & ἐπεικείᾳ in leniendis incommodis & erratis. Tamen regula immutabilis tenenda est, Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit. Metæ sunt certæ, quæ monent, quæ incommoda condonanda sint, quæ uerõ taxanda & excutienda. Non probabant opiniones Annæ & Caiphæ Simeon & Zacharias, nec omnibus legibus atq; edictis parebant, ut Epiphanius narrat, interfectum esse Zachariam patrem Baptistæ, taxantem errores sui collegij.

Scio multas magnas esse miserias, præsertim in gubernatione Ecclesiæ, dissimulanda & ferenda est infirmitas morum in multis qui præsunt. Vicissim etiam boni & sapientes gubernatores, ut sapientes patres, tolerant quadam probabili moderatione ingentem infirmitatem populi. Debetur honos & reuerentia his qui præsunt, si mediocriter faciant officium. Sed cùm hæc duo concurrunt, defensio Idolorum, & in ea defensione pertinacia seu Epicurea, seu Iudaica, refragari necesse est.

Defensio Idolorum.

Adsentior ueteres Episcopos Apostolorum discipulos optimẽ meritos esse, & eorum memoriam ueneror, ac Deo gratias ago, quõd has Gentes eorum ministerio ad Euangeliũ uocauit, Ipsis etiam gratias agemus in illa æterna consuetudine. Sed Ecclesia ualdẽ dissimilis est aliarum politiarum, nec alligata est titulis dignitatum. Etiamsi hi recentes Episcopi successerunt in locum Apostolorum, tamen doctrina mutata, functio noua & dissimilis est Apostolicæ.

Ecclesia non est alligata titulis dignitatum.

Iaphet.

Tenuit sacerdotium in sua familia Iaphet, ut acceperat à Patre Noha, probatum Deo. Successerunt in eius locum posteri, qui orgia celebrauerunt. Quanquam igitur successionem allegabant, tamen prorsus dissimile fuit sacerdotium.

Sed Deus miranda bonitate seruat aliquem cœtum, qui retinet doctrinam Prophetarum & Apostolorum, nec prorsus sinit interire ueram Ecclesiam, etiamsi sæpẽ admodum est exigua. Sed in eo cœtu subinde excitat Doctores, qui rursus accendant lucem Euangelij, ut Ephes. 4. scriptum est. Ita etsi totum sa-

tum ſacerdotium Ieroboam erat damnatum, tamen Deus excitabat populo Prophetas, qui doctrinam de uera inuocatione proponebant. Horum auditores erant uera Eccleſia, ut dicit textus, Eliæ deploranti interitum Eccleſiæ, Reliqui mihi ſeptem millia, qui non adorant Baal &c.

Videmus & ante noſtram ætatem fuiſſe doctos uiros, qui publicos errores reprehenderunt & deplorauerunt, imò qui exilia aut ſupplicia propter piam confeſſionem pertulerunt. Tales fuerunt Vueſſelus Groningenſis, cuius extant ſcripta, Taulerus, Iohannes Huſs, Hieronymus Pragenſis, & antea multi, annumero his & Bernardum, & fuiſſe alios multos nihil dubium eſt. Manſit igitur Eccleſia Dei, etſi, ut ſemper, exigua erat. Et aliàs plus eſt caliginis, àliàs certamina de doctrina oriuntur acriora, ut fiat inſtauratio aliqua, & plures uocentur ad Euangelij lucem. Ibi cœtus, qui errores defendit, & addit pertinaciam blaſphemam aduerſus Deum, certè non eſt Eccleſia Dei.

Docti uiri ante noſtram ætatem.

DE his Euangelij hoſtibus intelligimus & Paulum & Danielem, cùm damnant regnum in Eccleſia defendens Idola, uidelicet Epiſcopos, qui regio more dominantur, & ne potentia uel autoritas labefactetur, nolunt ullos errores taxari, & ut propugnent autoritatem, exercent ſæuitiam in homines pios, qui non approbant errores. Et quanquam facilè poſſent opes, autoritatem & formam politiæ ueteris Eccleſiaſticæ retinere, abiectis quibuſdam ſordibus, tamen pertinacia & odio furentes, ut Pharao ſeu Antiochus, cenſent nulla in re cedendum eſſe inferioribus. Nec noua eſt hæc pertinacia, ſed plerunq; cùm mutationes factæ ſunt, fuit ſimilis impiorum pertinacia, ut Pharaonis, Saulis, Sedechiæ, Phariſæorum tempore Chriſti. Hos igitur Idolorum defenſores, blaſphemos, pertinaces, parricidas taxamus.

Si qui ſunt Epiſcopi, qui iudicio & uoluntate abhorrent ab illa defenſione errorum, hi ſi pia confeſſione iudicium ſuum declarant, & ſuas Eccleſias curant rectè doceri, non ſunt membra impij regni. Et multi ſunt ciues ſub ipſis tyrannis impijs, rectè ſentientes, rectè inuocantes Deum, & Filium eius Ieſum Chriſtum, hos non intelligimus damnari, ſed potius membra eſſe ueræ Eccleſiæ, cum qua iudicio & uoluntate coniuncti ſunt. Nec nos fingimus Eccleſiam inuiſibilem, ſeu ut ideam Platonicam.

Vt confeſſionem Euangelij, Sacramentorum uſum, & ueram inuocationem Deus uult conſpici palàm, ita neceſſe eſt Eccleſiam eſſe uiſibilem cœtum. Sed cæteris politijs diſſimilis eſt, paſſim diſperſi ſunt pij, nec certo regno mundano, aut certo loco, aut certis humanis ceremonijs, certæ regioni incluſi, ſed ubiq; omnes amplectentes Euangelium Dei, & uitantes Idola, ſunt membra unius Eccleſiæ Dei. Non igitur belligeramur cum pijs, qui ſub tyrannis degunt, non cum his, qui ſe iudicio, uoluntate, confeſſione ſeiungunt à ſocietate hoſtium Euangelij: Sed cum illis Epiſcopis, & eorum ſatellitibus, qui defendunt Idola, & ſuam pertinaciam manifeſtis exemplis & magna ſæuitia declarant.

Eccleſia.

Hortamur autem quoſcunq; poſſumus, propter gloriam Dei, ut ab ea factione impia ſe iudicio & uoluntate ſeiungant, Vt multos hortabatur Macabæus, ut ſe à ſocietate conſiliorum Antiochi ſeiungerent. Monemus etiam doctos & prudentes, qui uel ſtudio pacis, ut præ ſe ferunt, uel ſua quadam moroſitate uideri uolunt, abhorrere à nouis rebus, & à mutationibus, ut caueant, ne

ſua contatione confirment hoſtes Euangelij. Res manifeſtæ ſunt, & ā candidis & non calumnioſis facilē iudicari poſſunt.

Exaggeres, attollas, amplifices Vuiceli, quantum uoles, conſenſum multorum ſeculorum, ſucceſſionem ordinariam, reuerentiam gubernatoribus debitam, tamen, ſi intimos ſenſus tuos & penetralia pectoris aperias, dices tibi diſplicere inuocationem mortuorum, profanationem Cœnæ Domini, uagas libidines, ſæuitiam, quam diu iam exercent Pontifices, neglectionem ſacrorum ſtudiorum, deprauationem doctrinæ de pœnitentia, & de gratia, ſuperſtitiones rituum humanorum, dominationem regiam Epiſcoporum, quæ impedit gubernationem Eccleſiæ, omiſſionem Synodorum & iudiciorum Eccleſiæ, de doctrina & de moribus. Hæc etiamſi rident Epicurei ſapientes, tamen honeſtæ mentes, quæ iudicant Euangelium non eſſe commentitium, agnoſcunt non eſſe diſſimulanda.

SEd plus mali medicando excitatis, inquiunt, Facitis ἀναρχίαν labefactata ſummorum autoritate, laxatis frenos petulantiæ & audaciæ ingeniorum, mouentur exemplo & occaſione curioſi, ut uera dogmata conturbent. Vidimus exortos Anabaptiſtas, Seruetos, Campanos, & alias peſtes. Et ut præciſis hydræ capitibus alia naſcebantur, ita impoſtoribus illis uno atq; altero repreſſis alibi ſimiles exoriuntur. Quid potentes ſibi ſumunt? qua diſciplina regi mores ſuos ſinunt? quām ſunt diligentes in fouendis pijs ſtudijs? quō transferunt opes Eccleſiarum? Quid quōd diſtractio Principum per ſeſe eſt infinitum malum. Videmus nec magna nec parua negocia communi eos animo agere poſſe. Poſtremō, ſi nunc initia diſſidiorum tantum habent mali, quid ad poſteros fiet, cùm minus erit eruditionis, & iam diuturnitate audacia potentum erit confirmata? Nunc in Principibus aliquod eſt ſtudium piæ doctrinæ, tale non erit in poſteris? Creſcet igitur barbaries ac immanitas.

Hæc obijciuntur nobis, cùm errores taxamus, Et magnum nobis dolorem hæc triſtia ſpectacula adferunt. Diſcordiæ ciuiles gignunt infinita mala. Sed iniuſtum eſt, conferre cauſam diſcordiarum in Euangelium. Cedere uoci diuinæ idola & falſæ opiniones debebant. Hæc cùm defenduntur, pertinacia eorum, qui Euangelio aduerſantur, inflammat diſcordias. Et hæ ſunt uſitatæ pœnæ regnorum.

Nullum fuiſſe poſtea pulcrius regnū arbitror, quām fuit Aegypti regnū conſtitutum ā Ioſeph. Tam pulcram politiam funditus euerti Moiſes certè dolebat. Multò magis doluit Ieremias excidium ſuæ politiæ. Conſidera Antiochi tempora, de quibus hic concionatur Angelus. Vides ipſam imaginem calamitatum huius temporis in hiſtoria Macabæorum, Exiguus erat numerus piorum, His adiuncti erant multi leues, perfidi, inſidiatores, Principes diſſidebāt, Moritur dux præcipuus ante belli finem, ſed tamen uicit pars melior. Quæ hanc uictoriam nouæ confuſiones politiæ Iudaicæ ſecutæ ſunt?

Hircanus fouit Sadducæos.

Nō profectò Mathatias arma ceperat, ut nepos eius Hircanus Sadducæos foueret, qui palām Epicurea dogmata ſpargebant, non ut pronepotes regnum parricidijs conſtituerent, ac in ciues crudeliter graſſarentur, non ut abnepotes uelut Thebani fratres inter ſeſe impijs armis dimicarent, religionem perturbarent, & Romanos adducerent ad profanandum templum. Conſtat enim poſt Antiochi Epiphanis bellum, grauiter afflictam eſſe Iudæam domeſtica tyrannide poſteritatis Macabæorum.

Ita

Ita semper nouæ procellæ Ecclesiam obruunt. Quanquàm igitur nunc mediocris status uidetur nostrarum Ecclesiarum, in quo quidem non parum est ærumnarum, Tamen aliquantò post æstus aliquis, aut tempora uoluntates Principum & Doctorum mutabunt, aut distrahent, & erit durior seruitus, & sequentur doctrinæ tenebræ. Fortassis accident & aliæ grauiores rerum humanarum mutationes.

ERgo, inquiunt, si non est spes melioris status, satius erat tacere. Nam quorsum attinet motis rebus, cumulare miserias? Vna est eademq; responsio. Mandatum est immutabile, Fugite Idolatriam. Hac uoce omnes, qui non sunt Epicurei, cogi se intelligant, ut falsas opiniones abijciant, & à defensoribus idolorũ dissentiant. Et quanq; hic cœtus est exiguus, ut erant pauci, Maria, Ioseph, Simeon, Zacharias, & alij, qui damnabant errores Pontificum eius temporis, tamen profiteri ueram sententiam debet, nec professio illa inutilis est.

Ita subinde Deus accendit flammam doctrinæ, & Ecclesiam instaurat, ac plures ad salutem uocat, & exitus certaminum mirabiliter gubernat, quos prospicere nos penitus non necesse est, nostrum est intelligere mandatum Dei, & huic obsequi, & hos labores scimus Deo placere, iuuari diuinitus, salutares esse Ecclesiæ, & quanquam uariæ offensiones incidunt, tamen ad extremum habere lætam κατασροφήν.

Moises educens tantam multitudinem ex Aegypto, norat parendum esse uoci diuinæ, sciebat & hos labores non fore irritos, sed omnes casus non prę uidebat, minimeq; cogitabat, quadraginta annos tantam multitudinem inter Arabum saxa & in uasta solitudine circumducendam esse sine certa sede. Ita & nos obtemperemus mandato Dei, & non dubitemus ipsum gubernaturum esse exitus.

ILlud etiam nostros Censores & Areopagitas moneamus, ut cogitent, se ualde errare, si existimant omissa Euangelij prædicatione consecuturos se esse tranquillitatem, nec uenturas esse calamitates, quibus Deus scelera mundi punit.

Oriebatur in Græcia bellum ciuile, in quo præcipuæ ciuitates penè fundi- *Bellum ciuile in Græcia etc.*
tus deletæ sunt, Platea, Corcyra, Athenæ, Sparta. Fatalis erat pœna impietatis & libidinũ, & hanc ipsam ob causam tristior, quia uox Euangelij prorsus ignota erat, quæ aliquos ab æternis pœnis liberasset. Misericordiæ diuinæ beneficium est accendere lucem Euangelij, cùm impendent rerum mutationes, ut multa ostendunt exempla. Ita nunc non dubium est magnas rerum humanarum mutationes impendere. Quare ut reliquiæ Ecclesiæ uera inuocatione sustententur, & pœnæ mitigentur, Deus repurgari Euangelium uoluit.

Non uox Euangelij attraxit Turcas in Pannoniam, ut de proximis exemplis dicam, sed ingens longi temporis εἰδωλομανία, & alia multa scelera. Quid iam Pannonijs profuerit illa Areopagitarum sapientia, quæ taceri Euangelium iubet? Ignari Euangelij quam consolationem habent? Econtrà pijs lux Euangelij magnam consolationem adfert. Hi quanquàm uident se acerbissima seruitute oppressos esse, tamen norunt Ecclesiam non interituram esse fundi- tus. Mitigabunt etiam hæc mala suis precibus, uera pietate. Errant censores nostri, si putant suas opiniones esse Parcarum tabulas, à quibus ne Deo quidem discedere liceat, Perdam, inquit, sapientiã sapientum, nec pauca uidit hæc ætas exempla.

Ideo

Ideō nos potius gratias agamus Deo æterno Patri Liberatoris nostri Iesu Christi, quōd rursus lucem Euangelij nobis accendit, & nos ad ueram inuocationem & pietatem excitemus, nec deterreamur falsis impiorum iudicijs, amplectamur & retineamus Euangelij uocem, amemus & ueneremur ueram Ecclesiam, sciamus pios non ad ignauum ocium uocari, sed ad militiam omnium difficilimam.

Diabolus hostis Dei.

HOstes igitur noscendi sunt, noscenda & hostium signa. Diabolus uariē insidiatur omnibus hominibus, alios implicat alijs sceleribus, libidinibus, cædibus, rapacitati, multis offundit falsas opiniones de religione. Aduersus hunc hostem singulis assiduē dimicandum est, & quæ ratio sit præliandi, norunt pij. Tenenda est doctrina ā Deo tradita, & fide petendum auxilium ā Deo, sicut Christus iussit: Petite, & accipietis: & confirmandæ sunt mentes, ne obtemperent malis illecebris.

Mahometus.

Habet autem Diabolus & organa sua, Mahometus palām infert bellum Christo, & nosse signa hostilia facilē est. Quia enim abijcit uniuersam doctrinam traditam per Prophetas & Apostolos, hostem esse Dei nihil dubium est. Quare fugienda & execranda est Mahometi doctrina.

Epicurei.

Habet & alia organa Diabolus, Epicureos, qui omnes religiones inflectunt ad suam utilitatem, quia commentitias esse putant.

Defensores idolorum.

Item, in ipso cœtu, qui titulum retinet Ecclesiæ Dei, Pontifices & Doctores, qui defendunt Idola, & abducunt mentes ā uera inuocatione. Id regnum etiam complectendum est nomine Antichristi & uitandum.

Nomen Ecclesiæ.

Valdè mouet quosdam uenerandum nomen Ecclesiæ, quod loco & ordini tribuere homines solent, ideō in eo cœtu non existimant pernicioſos errores esse. Sed uox Christi perspicua nos monet, in hoc ipso cœtu, qui se Christi populum esse profitetur, fore dissidia de doctrina: tunc si quis dicit, Ecce hic est Christus, aut illic, ne credite: Exorientur enim multi Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & facient signa, ut seducant, si fieri posset, etiam electos. Hæc de his impostoribus dicuntur, qui uolunt perhiberi membra Ecclesiæ, non de Diocletiano, aut alijs, qui palām gerunt bellum cum nomine Christi.

Et 2. Pet. 2. Inter uos, inquit, erunt, qui falsa docebunt. Erunt igitur errores, non tantūm apud externos hostes, Diocletianum, Mahometum, & similes, sed etiam in illo ipso cœtu, qui uocatur Ecclesia Dei, sic & Paulus inquit in Actis cap. 20. Scio post discessum meum penetraturos ad uos lupos rapaces &c. Clarè dicit in eo cœtu, qui uocatur Ecclesia Dei, grassaturos esse lupos. Ergo fuerunt & erunt errores magni & pernicioſi apud eos, qui retinent nomen Ecclesiæ. Et tamen erunt, qui his erroribus refragabuntur. Necesse est iudicari errores, & agnosci signa hostium Dei. Nec alia est norma huius iudicij, nisi ipsum Euangelium, sicut Paulus inquit, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Iam si constet Pontifices & eorum Doctores defendere errores contra Euangelium, necessariō refutandi & uitandi sunt, sicut Christus inquit, Nolite credere.

Hæc opponenda sunt his, qui uideri uolunt ἀναμάρτητοι, propterea, quōd sibi titulum Ecclesiæ tribuunt. Quare sibi quisq; perspicuos articulos proponat, ut de Ecclesia uerē statuere possit. Necesse est enim pios certos esse, quæ sit Dei Ecclesia.

ANTI-

ANTITHESES.

I. VEra Dei Ecclesia semper inde usq; ab Adam inuocauit, unum æternum Deum, Conditorem omnium rerum, Patrem Redemtoris promissi, qui se patefecit in uerbo suo, & iuxta hoc uerbum inuocari uult fiducia Redemtoris, & suo Spiritu sancto reddere lucem & uitam æternam, sic inuocantibus ipsum. Ac prohibuit aliter se coli, quàm iuxta uerbum suum, & fingi alios Deos aut Mediatores.

Cùm hoc primo articulo Euangelij manifestè pugnant hi ritus, inuocare homines mortuos, alligare Deum aut illos mortuos ad certas statuas, aut ad ullam rem, ad quam se non allígauit Deus uerbo suo. Hæc sunt similia ethnici furoris, & uerè à Diabolo orta, qui studet gloriam Dei contumelia afficere, & illudere infirmæ hominum naturæ.

II. ECclesia Dei semper inde usq; ab Adam, longè aliter iudicauit de peccato, & de iusticia, quàm iudicat humana Philosophia, uidelicet, Ecclesia uera semper agnouit dubitationem de Deo, & contumaciam nobiscum nascentem, uerè esse malum pugnans cum Lege Dei.

Econtrà Doctores Pontificij regni negant hæc esse mala pugnantia cum Lege Dei.

III. ECclesia uera semper inde usq; ab Adam sensit, in conuersione seu pœnitentia oportere existere in animis hominum ueros pauores, & dolorem ortum ex agnitione iræ Dei aduersus peccatum, & rursus erigi animos fide, id est, fiducia misericordiæ monstratæ in promissionibus propter Mediatorem, & cõsequi homines remissionem peccatorum propter Mediatorem fide gratis, non propter Legis impletionem.

Contra hæc contendunt Doctores regni Pontificij, semper dubitandum esse, an consequamur remissionem, ac si cui contingit, dari eam propter sufficientem contritionem, ut uocant. Et cùm nunquam scias, an sufficiat contritio, iubent semper dubitare. Hoc est re ipsa abolere promissionem in Euangelio traditam.

IIII. VEra Ecclesia semper inde usq; ab Adam sensit hanc imbecillem hominum naturam, nequaquam posse satisfacere Legi Dei, sed agentes pœnitentiam & fide erectos incoare dilectionem & obedientiam, & habere iusticiam bonæ conscientiæ, neq; tamen iustos esse, id est, reconciliatos & acceptos ad uitam æternam propter Legis impletionem, sed propter Mediatorem fide. Hac fide seu fiducia semper uera Ecclesia Deum inuocauit.

Contra hæc manifestissimè scripserunt Doctores regni Pontificij, hominem posse satisfacere Legi Dei, & iustum esse impletione Legis. Deinde, ut doctrinam de fide obruant, dicunt semper dubitandum esse, an simus in gratia, & negant dubitationes & alias uiciosas inclinationes pugnare cum Lege Dei. In hoc toto articulo transformant aduersarij Euangelium in Philosophiam.

Scimus autem & nos, & acerrimo studio docemus, requiri disciplinam diuinitus, & uiolationem disciplinæ puniri. Sed tamen aliud est iusticia fidei, aliud disciplina seu morum gubernatio. Cùm autem aduersarij obruant doctrinam de fide, sepeliunt Christum, obscurant promissionem in Euangelio traditam, corrumpunt doctrinam de uera inuocatione. Ac tantum est tenebrarum apud eos, ut contendant uocabulo fidei non significari fiduciam misericordiæ, sed tantùm noticiam historiæ, coniunctam cum dubitatione de gratia.

De

V. De satisfactione Canonica & indulgentijs meras nugas docent.

VI. HOrribiliter prophanatur Cœna Domini multis erroribus. Fingunt aduersarij transsubstantiationem, & falsò dicunt se offerre Filium Dei, & hanc suam oblationem mereri alijs ex opere operato. Hæ prophanationes horribiliter irritant iram Dei.

VII. SEmper uera Ecclesia Dei, inde usq; ab Adam sensit, opera à Deo mandata esse cultus Dei, id est, officia Deo placentia, & quibus Deus se honore affici pronunciat, nec esse cultus Dei opera excogitata sine mandato Dei. Nam si hęc essent cultus, excusari & prodigiosi cultus Ethnicorum possent.

VIII. HOC errore fingunt aduersarij, monasticen & cœlibatum esse eximios Dei cultus, prohibent coniugium toti ordini Sacerdotum, & distraxerunt coniuges. Cumq; lex cœlibatus sit iniusta et impossibilis, multis exitio est, quorum mentes & corpora propter hoc uinculum polluuntur, & quorum animi impediuntur hac una lege, ne Deum rectè inuocare possint. Porrò omnium uoce abolenda est lex, quæ impedit ueram inuocationem Dei.

IX. ECclesiam aduersarij transformant in regnum mundanum. Et κακοζηλία politiarum humanarum gignit multos errores. Tribuunt Petro potestatem transferendi regna mundi. Tribuunt Episcopis potestatem instituendi cultus, potestatem prætoriam seu regiam interpretandæ scripturæ, cùm interpretatio sit donum, non potestas. Denicq; hoc tempore dominatio Episcoporũ prorsus est aliena ab Euangelico munere.

Postremò admoniti nunc aduersarij, magna pertinacia errores & Idola defendunt, & uetant purè docere Euangelium, & Neroniana crudelitate homines honestos & pios interficiunt, non aliam ob causam, nisi propter ueram doctrinæ professionem. Hæc qui faciunt & probant, hos esse membra regni impij, seu Antichristi, ipsorum impia pertinacia & sæuitia ostendunt.

Nec sunt obscuræ controuersiæ, de quibus disserimus, sed à pijs facilè dijudicari possunt. Ideò bonæ mentes gloriæ Dei & saluti suæ consulant. Quòd uerò multi à nobis dissentiunt, hi aut sunt Epicurei, aut hypocritæ, fascinati opinione autoritatis Pontificum, aut sapientiæ suæ admiratione, de quibus in Daniele scriptum est, Non intelligent omnes impij. Horum iniquis iudicijs non sinant pij se moueri, ut assentiantur erroribus, colant Idola, & adiuuent iniustam sæuitiam.

Postquàm autem indicaui regna, quæ complectitur appellatio Antichristi, uerba textus in Daniele facilè ad ea accommodari possunt. Addam igitur textum, & quorundam uerborum declarationem.

ET faciet secundum uoluntatem suam Rex, & exaltabit se, & magnificabit super omnem Deum, & contra Deum deorum loquetur mirabilia, & habebit successus prosperos, donec ira finietur, quia præfinitio facta est.

Descriptio est prorsus terribilis. Nec potest humana mens iudicare, quantum hoc malum sit, audacia fingendi & spargendi dogmata impia, contumeliosa contra Deum. Hanc audaciam tribuit hic Antiocho & Antichristo, hoc est, Mahometo & defensoribus Idolorum in Ecclesia. Et magnitudo huius mali aliquantulum aspici potest, si quis cogitet adorationem statuarum, aut panis, qui in spectaculis circumfertur.

Nec

Nec tantùm hic audacia deſcribitur, ſed etiam prædicitur, latè graſſaturam eſſe hanc peſtem, & magnos fore ſucceſſus impiorum regnorum. Id potentia regni Mahometici & Pontificij ſatis oſtendit. Addita tamen eſt conſolatio, quòd ſit facta præfinitio, id eſt, quòd aliquando finis futurus ſit harum horribilium fraudum.

ET de Deo Patrum ipſius populi non intelliget, & de deſiderio mulierum, & de vllo Deo non intelliget, quia ſuper vniuerſa magnificabit ſe.

Duæ inſignes notæ ſunt Antiochi & Antichriſti. Non agnoſcere, hoc eſt, reijcere Deum patrum Eccleſiæ, & non intelligere deſiderium, id eſt, σοργὴν mulierum. Nam in textu more Ebraico ad utrunq; membrum accommodãda eſt negatio. De deſiderio mulierum, & de Deo non intelliget, id eſt, nec deſiderium mulierum, nec Deum curabit. Sæpè enim Ebræi hoc modo una negatione complectuntur plura membra. Sunt igitur hæ duæ notæ, manifeſta idolorum adoratio, & lex confirmans uagas libidines.

Non eſt opus prolixè de Antiochi hiſtoria dicere. Conſtat eum collocaſſe Idolum in templo, & deleuiſſe Prophetarum ſcripta, ut ueram de Deo doctrinam prorſus aboleret. Spurcities etiam in moribus abominanda fuit.

Horreſco conferens imaginem ad poſtrema regna. Mahometici etſi ualde ſe efferunt, quòd unum eſſe Deum ſentiunt, tamen negant hunc eſſe Deum conditorem rerum, qui eſt Pater Liberatoris noſtri Ieſu Chriſti, nec agnoſcunt hunc uerè Deum eſſe, qui ſe per hoc uerbũ patefecit, quod tradidit Prophetis & Apoſtolis, nec retinent Euangelium, nec fiducia Mediatoris Chriſti ad Deum accedunt, deniq; ipſum Filium manifeſta contumelia afficiunt, Ergo reijciunt uerum Deum, & ſibi aliud numen fingunt.

De altera nota, conſtat lege Mahometi cõcedi, ut ducat quiſq; quot uult, & abijciat ſeu uendat, cũm uult, ſine ulla cauſa & ſine cognitione. Hanc eſſe contumeliam & miſeriam inſignem ſexus muliebris omnes ſani intelligunt. Et pugnat hęc lex cum doctrina Chriſti, qui uult coniugium eſſe inſeparabilem coniunctionem mariti & uxoris. Et ſic initiò inſtitutum eſſe coniugium affirmat, ut maritus & uxor ſint una caro, id eſt, inſeparabiliter iuncti. Sunt & alia magis flagitioſa exempla Turcicæ gentis, quæ Deus iuſtus iudex & amans caſtos mores ſuo tempore ſeuerè puniet. *Coniugium.*

NVnc de regno Pontificio dominante in Eccleſia, dicendum eſt. Retinet id nomen Dei æterni Patris, & Filij Chriſti. Sed addidit Idola, & corrupit doctrinam. Dixi ſuprã, quæ ſemper inde uſq; ab Adam fuerit inuocatio unius æterni Dei, qui ſe patefecit in uerbo, quod tradidit Patribus, Prophetis & Apoſtolis. Sed alios Deos proponunt aduerſarij inuocandos, ſcilicet, homines mortuos, item ſtatuas, ad quas concurrunt, item idola Miſſarum. Obſcurata eſt & doctrina de inuocatione in fide, id eſt, fiducia Mediatoris, quia iubent ſemper dubitare, at mens dubitans fugit Deum, non inuocat. *Pontificum regnum.*

Diſcernere pij ſuam inuocationem ab ethnica dupliciter debent. Ignorant Turci, quem Deum inuocent, & ſic inuocant, ut ſemper dubitent, an Deus ſit eis propicius. Hæ dubitationes perpetuæ non differunt ab ethnicis opinionibus. *Inuocatio piorum.*

Sed fides in nobis primùm agnoſcat hunc uerè eſſe Deum æternum conditorem, qui ſe patefecit per uerbum, quod nobis tradidit, qui eſt Pater æternus Chriſti, quem pro nobis uictimam fieri uoluit, mirabili & inenarrabili cõ-

filio. Deinde fides hoc quoq; ſtatuat, uerē nos recipi à Deo propter hunc Filium,& preces noſtras propter eum audiri, ſicut ſcriptum eſt, Habentes talem Pontificem, accedamus cum fiducia. Item, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Quod enim ait, in nomine meo, iubet peti fiducia Mediatoris. Sic ergo ores.

Aeterne Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Conditor & conſeruator omnium rerum, ſapiens, bone, miſericors, iudex & fortis, te inuoco, miſerere mei propter Ieſum Chriſtum Filium tuum, quem pro nobis uictimam eſſe uoluiſti, & propter quem promiſiſti nobis remiſſionem peccatorum & uitam æternam, ſanctifica, incende, rege cor meum Spiritu ſancto, ut te uerē inuocem, tibi uerē obediam &c.

Conſtat autem magnas tenebras inductas eſſe huic doctrinæ de inuocatione in fide, & de promiſſione. Interim propoſiti ſunt ritus humani Monachorum, ſicut mundus ſolet uarias ſuperſtitiones comminiſci.

Coniugium prohibitum.

ALtera nota, uel maximē illuſtris eſt, Etſi enim multæ gentes libidinibus horribiliter pollutæ ſunt & fuerunt, Tamen nuſquam alibi publica lege perpetuō prohibitum eſt uerum coniugium, magno ordini hominum, niſi in regno Pontificio. Cùm autem natura hominum ita condita ſit, ut ſit fœcunda, & acceſſerit infirmitas, ut minus ſint domitæ appetitiones, prohibitio coniugij magna ſcelera parit, quæ comitantur horrendæ tenebræ & triſtes pœnæ publicæ, priuatæ, præſentes, æternæ, euerſiones regnorum, diſſipationes gentium, interitus Eccleſiæ. His tantis malis mirum eſt nihil affici autores eius prohibitionis.

Beneuolentia mutua inter coniuges.

Sed cur textus nominatim dicit, Non intelliget deſiderium, id eſt, σοφγμ mulierum? Multas magnas res complectitur. Deus indidit mutuam σοφγμ utrique ſexui, ut perpetuam ſocietatem efficeret, procreationis cauſa, qua uoluit ſibi gigni æternam Eccleſiam. Hæc σοφγμ primūm eſt beneuolentia mutua, qua pars altera humanæ naturæ alteram complectitur, & mutuo honore afficit propter naturæ ſimilitudinem, & ſocietatem uitæ æternæ, deniq; propter Deum conditorem. Deinde eſt & appetitio mutua propter generationem à Deo ordinatā, ad Eccleſiæ conſeruationē. Poſtea eſt et mutua cura ac officiorū permutatio, Vir ſciat ſe debere labores certos mulieri, ne uel fame pereat, uel indigna contra Dei ordinationē patiatur. Viciſſim mulier debet partem domeſtici laboris ſuſtinere. Hę inclinationes & curæ ſūt in hac ipſa σοφγμ, de qua dicimus.

Harum nihil curat Cyclops, ſolus in antro ſedens, & uentrem epulis onerans. Non afficitur beneuolentia erga partem generis humani alteram, non tribuit ei honorem propter Deum conditorem, aut generationem: non laborat, ut coniugi uictum paret, non ſtudet eam defendere, ne quid indigni patiatur. Sed ipſe, ſi qua ſit occaſio, aliās aliam opprimere cupit, ac rurſus abijcere, nec tolerare labores aut moleſtias ſexus aut generationis cauſa. Hoc ſimul eſt & contumelia afficere, & perdere ſexum, non uelle eum fouere, iuuare, tueri, iuxta ordinationem Dei, ſed tantūm uelle eo abuti, & poſtea tanquam inutilem teſtam abijcere, & non perpetuō tueri.

Cōtumelia ſexus muliebris.

Ex hac imagine intelligi poteſt, quid dicat textus, Non curabit σοφγμ mulierum, id eſt, confirmabit contumelias ſexus muliebris. Eſt autem contumelia duplex, Altera eſt neglectio, quam in cœlibe uiro ſequuntur multę turpes flammæ & alia grauiora peccata. Altera eſt, cùm miſeræ mulieris corpus & animam

contaminas. Nam omnis concubitus extra coniugium, est contumelia sexus. Non enim uteris iuxta Dei ordinationem, imõ etiam abstrahis hominem à Deo, quæ est summa contumelia. Dauid rapiens alienam coniugem, quantum in ipso fuit, non solũm sese perdidit, sed etiam illam miseram à Deo auulsit, quę tunc quidem non uidit, quomodo ex hoc scelere eluctatura esset.

Accedunt deinde pœnæ ingentes, quibus plectuntur impudici. Vt adulterium Dauidis secuta sunt domestica parricidia, exilium, seditio, stupra coniugum, cædes ciuium. Hæc mala erant atroces contumeliæ, quæ ita deformabant Dauidem, ut gloriam ingentem, qua floruerat, amittere se sentiret ipse. *Pœnæ impudicorum.*

In his exemplis cogitemus, quid sit contumelia sexum afficere, & discamus reuerenter uti sexu, iuxta ordinationem Dei, frenemus libidines, uitemus pœnas, caueamus, ne polluta conscientia impediamus inuocationem. Deniq; legem iniustam, quæ incendit uagas libidines, tanquam Diaboli laqueum excutiamus. Nam Paulus prohibitionem coniugij expresse nominat doctrinam dæmoniorum. Illud etiam adijciendum est, peculiarem pœnam esse cultus Idolorum, labes libidinum, ut primo capite ad Romanos significatur.

Postea hic in textu repetita est descriptio contemtus Dei, cùm ait, Super uniuersa magnificabit se. Describit furorem Epicureum, qui omnium malorũ summum & extremum est, fingere nihil esse Deum, nihil esse prouidentiam, Fingi posse ad utilitatem præsentem religiones arbitrio potentum. Mirum est autem, cùm hic furor tantum malum sit, ut magnitudinem eloqui nemo possit, tamen innumerabiles homines delectari Epicureis opinionibus. Sed hæc scelera reteget & puniet Filius Dei, cùm se ostendet mundo, & resuscitabit mortuos, ut Ecclesiam ornet gloria, & impios in æternos cruciatus abijciat. *Furor Epicureus.*

ET Deum Maosim in loco Dei venerabitur, & Deum, quem nescierunt patres sui, colet auro &c. Et præsidijs Maosim defendentibus Deum alienum, quem elegit, dabit magnam gloriam.

Intelligo simpliciter Deum Maosim Deum templorum uariorum commentitium, alium à Deo, qui se in uno uerbo & cultu populi Israël patefecit. Nam ut suprà templum populi Israël uocat Maosa, id est, arcem. Ita plurali uocat gentium aliarum templa Maosim, id est, arces seu munitiones, quia suum cuiq; templum, suus cuiq; cultus seu Deus arx est. *Deus Maosim*

Populo Israël arx erat templum, uerbum & cultus, propter hæc iubebantur petere & expectare defensionem. Ita nobis Euangelium arx est, propter id speramus, & certõ statuimus Ecclesiam non prorsus interituram esse, ac uerè arx est unica, unus est uerè Deus æternus Pater Iesu Christi, qui se in promissionibus suis inde usq; ab initio patefecit. Hanc nos habemus unicam arcem, unum Deum Patrem Iesu Christi, unum Euangelium, unum cultum, *Arx populi Israël.*

Sed Ethnici finxerunt innumerabiles. Attici colebant Palladem. Thebani Bacchum. Eleusinij Cererem. Siculi Proserpinam. Argiui Iunonem. Delij Latonam. Delphici Phœbum. Lemnij Vulcanũ. Lampsaceni Priapum. Phrygij Cybelen. Deniq; finis nullus erat fingendorum numinum & cultuum. Quanquam autem hæc numina prorsus commentitia erant, tamen humana cæcitas cùm finxit sibi ceremonias, confidit his suis operibus, & fiducia confirmatur successibus, Vt Romani quia uincebant cæteras gentes, cùm iuuarentur diuinitus, existimabant etiam se uerè Deum colere. Simili argumento confir- *Numina Ethnicorum.*

mantur Turci. Porrò in tanta caligine humanæ naturæ uehementer mouen-
tur animi fortuna & succeſſibus. Sed nos ſcimus Deum agnoſcendum eſſe per
uerbum ſuum, & reſtare aliud iudicium, in quo Eccleſia ornabitur gloria.

Deus Maoſim. Intelligo igitur Deum Maoſim, Deum uariorum templorum ethnico-
rum commentitium, alium ab eo, qui in uno templo colitur, in quo ſonat uox
Dei, ſeu Euangelium. Ita Antiochus Iouis Olympij ſtatuam Ieroſolymis coluit,
Iouis Cretei ſtatuam Samariæ, Herculem in Tyrio templo, Adonidem in ui-
cinis.

Hæ commentitiæ appellationes, etſi nihil ſunt niſi inanes tituli ſtatua-
rum, tamen dicebantur dij illorum uariorum templorum. Ita mihi uidetur ap-
Maoſa. Maoſim. pellatio Maoſim ex antitheſi interpretanda, ut ſit Maoſa uerum templum uni-
cum, Maoſim uerò multa ethnica diuerſarum ſtatuarum & cultuum.

Alij rationem appellationis hanc eſſe iudicant, Deum Maoſim dici, quòd
ui & armis cultus ille conſtitutus & defenſus ſit. Antiochus armis repreſſit Iu-
dæos, cùm ſtatuam in templo collocaret, poſtea addidit præſidia, quæ cogebãt
populum ad hanc ſtatuam colendam. Hæc interpretatio etiam mihi concinna
uidetur.

NVnc accommoda ad Antichriſtum. Mahometus commentitium numen,
reiecto uerbo Dei, colit, & ui ac armis ſua mendacia & propagare & defen
dere ſolet.

Maoſim. Mazon. Quid ſit in regno Pontificio? Nomen Maoſim alludit ad Miſſam, & affi-
ne eſt nomen Mazon, cibus ſeu panis. Præcipuum uerò Idolum eſt in regno
Pontificio multiplex profanatio Cœnæ Domini. Deinde ſunt & alia multa,
ſtatuæ innumerabiles, ad quas concurritur, tanc̃p ibi Deus magis propicius ſit,
aut ibi uelint exaudire animæ Sanctorum.

Et hæc ethnica, quæ in textu deſcribuntur, Colet auro & argento Deum
commentitium, ubi fiunt impudentius, quàm in pompis, in quib. circumfertur
& adoratur panis? Et ethnico more præcedunt magna agmina, quæ geſtant
ſtatuas aureas, argenteas, gemmatas. O triſtia & execranda ſpectacula.

Deinde appellatio Idoli Maoſim complectitur omnes errores pugnãtes
cum Euangelio. Cultus ſine uera cognitione Euangelij eſt ethnicus. Vt inuoca-
bat numen aliquod ęternum Xenophon, ſed dubitans: Ita iuuocant Deum cum
dubitatione, qui reijciunt doctrinam de fide. Item, ut Argiua ſacerdos inuocat
Iunonem fiducia ſui ſacrificij, & ſomniat propter hos ritus ſeruari totam gen-
tem Argolicam: Sic Franciſcanus inuocat Deum fiducia ſuorum rituum, & to-
tas ciuitates, propter tales ritus ſeruari putat, id quod ſæpẽ audiui iactari.

Etſi autem hæc Idola, hi errores, hæ impoſturæ magna autoritate defen-
duntur, & in magna parte orbis terrarum hærebunt uſq; ad finem, tamen ad-
monendi ſunt homines, de præcepto diuino, quod eſt immutabile, Fugite ido-
la. Fugiant pij & execrentur illa ſpectacula profanatæ Cœnæ Domini, mortu-
orum inuocationem, & contumelias doctrinæ Euangelij. Fugiant ſocietatem
ſæuitiæ Pontificum. Et diſcant ex Euangelio ueram inuocationem, & uera offi-
cia, quæ Deus poſtulat. Hæc moneri Eccleſiam neceſſe eſt, etiamſi fractus illa-
batur orbis.

Quòd uerò in textu additur, Daturum eſſe opes his, qui tuentur Deum
alienum, non eſt obſcura ſententia, Vt Antiochus tradebat Pontificatum Epi-
cureis ſacerdotibus, qui profanationem templi ridebant. Ita nunc honores &

opes

opes dantur his, qui fortiter seu scriptis, seu sententijs tuentur Idola, & fingunt prætextus, Etiamsi quid uicij sit in ritibus, tamen autoritatem Episcoporum non labefactandam esse, non tollendum esse ordinem, qui cum imperio aliquo religionem regat. Sed has disputationes suprā attigi, & hac una uoce prolata, apud pios facilè refutantur, Fugite Idola.

ET in tempore finis geret bellum cum eo Rex Austri, & instar turbinis veniet super illum rex Aquilonis.

Hæc postrema pars plus habet obscuritatis, & aliquid de bellis ultimæ senectæ mundi significat. Et ut Ezechiel prædicit uastationem futurā per Gog & Magog, ita hoc loco Angelus significat barbariem regnantem ultimo tempore, scilicet Turcicam, uersus Austrum longius progressuram esse, & uenturam esse in terram desiderabilem, uidelicet in loca ueræ Ecclesię. Magnum profectō periculum nobis denunciatur: sed addentur postea consolationes.

Porrō historica quædam de Antiocho admixta esse res ostendit. Hæc prius recitabo. Duravuerunt post Epiphanem bella cum Aegyptijs. Etsi autem Aegyptus non est deinceps occupata à Syriacis regibus, tamen in illis duabus expeditionibus, quarum suprā facta est mentio, Antiochus aliquas Aegypti ciuitates & uexauit & cepit, prædatus est & ex uicinia, ex Cyrenaica, quam uocauit hic Lybiam, & ex proxima Aethiopia, quam uocat Cusim. Sed hæc bella Antiochi non afflixerunt Idumęos, imō salutaria eis fuerunt. Nam Hircanus postea domuit Idumęos, & hac conditione cum eis pacem & societatem fecit, ut ueram de Deo doctrinam amplecterentur. Hæc recitat Iosephus in narratione rerum gestarum ab Hircano, quare & Danielis dictum de hac historia uaticinari iudico.

Sunt & hæc historica, *Rumores terrebunt eum ab Oriente, & veniet usq; ad finem suum, & nemo ei auxiliabitur.* Talis enim fuit Antiochi exitus. Audierat in Perside profligatos esse suos exercitus, & uidebat ualdē diminutam esse Syriaci regni potentiam, defectione Persarum, Parthorum & Babylonis. Has prouincias amisit, dum alibi impium & infelix bellum gerit in Iudæa. Hi rumores defectionis & seditionum, qui ex Oriente & ab Aquilone afferebantur, ita mouerunt animum eius, ut uel metu ac desperatione rerum suarum, uel mœsticia extinctus sit.

Eodem pertinet quōd ait, Neminem ei opem tulisse. Nam prouinciæ ab eo defecerant, & bellum ei inferebant, Iudæa uerō iam uictrix etiam pellebat Syriacos exercitus. Vt autem tunc Deus frenum iniecit tyranno grassanti, & oppressit iam molientem nouum & maius bellum, ita sæpē mirabili modo liberat Ecclesiam.

In latina uersione legitur, *Et figet tabernaculum suum Apedno inter duo maria super montem inclytum & sanctum.*

Hic sciant studiosi hanc peregrinam uocem non esse nomen proprium, sed fuisse uertendam hoc modo, & figet tabernaculum palatij sui. Nam Apedna significat Palatium, seu Regiam, seu ut uulgō loquimur, aulam. Significat enim Antiochū in loco sancto, ubi erat templum Dei, castra facturum esse, cūm uidelicet in templo collocasset Idolum, & id præsidijs defenderet. Sed quia addit, inter duo maria, significat aliquid de domicilio Antichristi.

DIfficilis est autem accommodatio huius postremæ partis in uaticinio, quare breuiter quædam communia dicemus. In ultima mundi senecta Mahometica Tyrannis figet tabernaculum sui palatij inter duo maria, ut Bizantij regiam Turcicam esse constat, inter Aegeum mare, & Euxinum, quo in loco prius Ecclesia Dei fuit, ac inde ex Aquilone progrediens latius uastabit Ecclesias.

Aula Turcica inter duo maria.

Sed Idumæi aliqui erunt, id est, in regionibus horridis & asperis erit adhuc sedes aliqua Ecclesiarum Dei. Non opprimet totum orbem Turcica tyrannis, non enim erit quinta Monarchia, etsi horrendas uastitates faciet.

Tandem verò eum rumores ex Oriente terrebunt. Reprimetur non humanis uiribus, sed diuinitus. Res ostendit iam annis ducentis reges Europę raro feliciter dimicasse cum Turcis. Quanquām autem mansurum est regnum Gog & Magog, id est, Turcicum, usq; ad mundi finem, ut Apocalypsis monet, tamen ante finem aliqua fiet inclinatio regni Turcici, ne Ecclesiam Dei prorsus obruat. Et fiet ea inclinatio diuinitus, sicut postea dicit, Filium Dei dimicaturum esse pro populo suo. Stabit, inquit, Dux magnus Michaël, id est, Christus, pro populo suo.

Aula Pontificis inter duo maria.

SImilia fient & in regno Pontificio, Aula Pontificis est inter duo maria, Adriaticum & Tyrrhenum. Et quidem hæc Aula titulo ipso profitetur se in Ecclesia dominari, cùm eam latè profanauerit Idolis. Sed Idumęi aliqui taxabunt errores, id est, homines ęrumnosi, quos Episcopi tenentes ordinariam potestatem, tanq; alienos à populo Dei aspernabuntur, ut Iudæi contemnebant Idumęos. Tales aliquos pios & doctos uiros subinde Deus excitauit, qui Euangelij doctrinam repurgarunt, Idola reiecerunt, & Ecclesiam de uera inuocatione docuerunt.

Etsi autem doctrinæ certamina labefactabunt autoritatem Episcoporum, tamen mansuræ sunt reliquiæ Pontificij regni. Nec armis constituetur melior status, sed quò magis illucescet ueritas, eò magis ruet autoritas eorum, qui Idola defendunt.

Sciant igitur Scholastici fore doctrinæ certamina, & ad hæc se præparent, confirment animos Euangelij cognitione, & sciant sibi ducem Christum adfuturum esse, qui, ut infrà dicitur, hoc ipso tempore stat pro filijs populi sui, id est, defendit & seruat eos, ne à Diabolo & eius organis prorsus opprimantur & extinguantur. Quòd enim Deus subinde excitaturus sit aliquos, qui Idola taxaturi sint, & quòd sint futura doctrinæ certamina, testatur dictum iam prà recitatum, Docti docebunt multos. Cogitent igitur pij Scholastici Deum præcipuè hoc officium flagitare à genere humano, uidelicet studium discendi & explicandi Euangelij, sicut Christus inquit, In hoc glorificatur Pater meus, ut fructum copiosum feratis, & fiatis mei Discipuli, id est, discatis & propagetis Euangelium. Cogitent pœnas, quas Deus his, qui studia piæ doctrinæ negligunt, minatur, cùm ait, Quia repulisti scientiam repellam te. Econtrà doctis hic cœlestia & æterna præmia proponuntur, *Qui ad iusticiam multos erudiunt, fulgebunt vt stellæ in perpetua æternitate.*

CAPVT XII.

EXtrema pars uaticinij ait paulò ante resurrectionem futuras ingentes ærumnas Ecclesiæ. Dixi autem suprà præmoneri nos, ut animi confirmentur, ne deficiant

deficiant à Deo, uel fæuitia fracti impiorum, uel exemplis & iudicijs hypocritarum. Ac semper oportet nobis notam esse & infixam animis hanc doctrinam, quòd Ecclesia sit subiecta cruci, & cur sit subiecta, uidelicet, quia uult Deus ab Ecclesia intelligi iram aduersus peccatum, quam mundus contemnit. Sūt & aliæ causę, quas nunc non recenseo.

Et ut languidior est natura generis humani confecta senio, ita impetus ad uirtutem sunt segniores. Quos habet iam mundus bellatores, oratores, artifices conferendos ueteribus? Crescunt igitur in hac infirmitate naturæ uicia, ignauia, amor uoluptatum, mollities animi, impatientia, inconstantia, perfidia, stultitia, ut in delirantibus, persuasio propriæ sapientiæ. Ex his fontibus oriuntur & in imperijs & in Ecclesijs magni tumultus. Fit igitur uera Ecclesia angustior. Et hæc ipsa, tanquam senectæ imbecillitate, plurimum habet morborum.

Hanc ultimam ætatem Dauid prospiciens, orat uoce uniuersæ Ecclesiæ Psalmo septuagesimo primo, Ne proijcias me tempore senectutis, cùm defecerit uirtus mea, ne derelinquas me. Tristissima oratio est, si quis tempora conferat, & consideret ultimæ ætatis miserias. Magnæ erant calamitates Ecclesiæ tempore excidij Ierosolymitani, sed tamen excitauit Deus excellentes gubernatores in ipso exilio, Danielem, Ezechielem, Haggæum, Zachariam, Esdram, & hos ornauit ingenti gloria. Etsi autem Deus aliquam Euangelij flammam sparsit hac ultima ætate, tamen gubernatores sunt infirmi. Agnoscant igitur pij Ecclesiæ ærumnas, et propter gloriā Dei & propriam salutem & publicam necessitatem acrius incumbant in Euangelij studium, & toto pectore Deum inuocent, ut Ecclesiam conseruet, defendat & augeat.

Quatuor autem consolationes hoc loco traduntur, quæ pijs omnibus semper in conspectu esse debent. *Quatuor consolationes.*

PRima est, quòd Ecclesia non sit penitus interitura, sed tunc quoq; in illis periculis duratura. Ideò enim inquit, Docti docebunt multos. I.

Hic cogitanda sunt & alia testimonia de perpetua conseruatione Ecclesię, ut Christus inquit, Ego uobiscum sum usq; ad consummationem mundi.

Et Esaias cap. 59. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, usq; in sempiternum. Luculenta descriptio est Ecclesiæ, quæ utrunq; monet, & mansuram esse, & qualis cœtus sit, scilicet, in quo sonat uox Euangelij, & Spiritus sanctus regit pectora.

SEcunda consolatio, quòd ibi sint futura Ecclesiæ membra, ubicunq; erunt amplectentes puram Euangelij doctrinam. Erit enim, ut hic inquit, dispersio populi. II.

Sub Turcico imperio, sub alijs Regibus & Pontificibus, inimicis purę doctrinæ Euangelij, passim dispersi erunt aliqui pij. Hi teneant hanc consolationem, quòd Ecclesia non sit politia certis regnis alligata, sed quòd omnes, ubicunq; sunt, qui Deum uera agnitione Christi & fide inuocant, & Idola fugiunt, sint membra Ecclesiæ Dei. Sententia, uoluntate, confessione se quisq; cum cæteris membris coniungat. *Ecclesia.*

Id docent dicta, Oues meæ uocem meam audiunt. Item, Si manseritis in me, & uerba mea manserint in uobis, quicquid uolueritis petite, & fiet uobis. Item, Vbicunq; duo aut tres sunt congregati in nomine meo, in medio eorum

sum. Hæ sententiæ ideō traditæ sunt, ut pij dispersi consolationem habeant, nec putent Ecclesiam politiam esse uni imperio alligatam, sed uoci Euangelij & uerę inuocationi Dei.

III. TErtia consolatio, quòd in his tantis periculis habitura sit Ecclesia defensorem Filium Dei. Ideō hic in textu dicitur, *Illo tempore stabit Michaël Dux magnus pro filijs populi sui.*

Hac uoce omnes pij se confirment, quam quidem & Christus ipse nobis inculcat, inquiens, Ego uobiscum sum usq; ad consummationem mundi. In tanta dissipatione, in tantis ærumnis pij uidentur deserti à Deo. Successus Turcicæ tyrannidis sunt tanti, ut uideatur Deus oblitus suæ Ecclesiæ. Magnæ sunt opes, magna est potentia & aliorum hostium Euangelij, sub his passim aliqui sunt pij uerē inuocantes Deum, & profitentes Euangelium, qui ad supplicia rapiuntur, tanq; seditiosi. Hos etsi impij existimant à Deo negligi, tamen certum est habere opitulatorem & propugnatorem Filium Dei. Hic depellit Diabolum, ne totum cœtum piorum prorsus delere possit, & eos, qui ad supplicia rapiuntur, confirmat Spiritu sancto, ne à doctrina deficiant, sicut inquit, Non relinquam uos orphanos.

Dixi autem suprā, semper adfuisse Filium Dei Ecclesiæ suæ, Ideō hic uocatur Dux magnus Michaël, sic enim nominat Filium Dei. Appellatio nota est: Quis sicut Deus, id est, quantus est hic, qui est sicut Deus, qui est imago æterni Patris, potens, misericors, liberator, uindex? Itaq; ut excitemus nos ad inuocationem & fidem, diligenter hæc dicta nobis inculcemus, quæ testantur adesse Ecclesiæ suæ Filium Dei, nos defendere, nobis opem ferre. Et illa somnia humanæ rationis abijciamus, quæ fingit Deum procul abesse, ocioſum sedere in cœlo, Qualia multa in Poëmatis ficta sunt, hanc ipsam ob causam, quia mens humana sine luce doctrinæ cœlestis & sine fide, in omnibus ita hallucinatur de Deo. Sed uera Dei noticia per Euangelium in mente pia accenditur, & assidua inuocatione confirmatur.

Michaël.

IIII. QVarta consolatio est, quam hic quoq; proponit Angelus. Cùm ærumnæ non sint futuræ perpetuæ, hac spe facilius eas feramus, quōd pijs promittitur glorioſa liberatio & æterna lætitia. Impijs uerō denunciantur æterni cruciatus.

Ideō hic Daniel inquit, *Multi resurgent ex puluere terræ, alij ad æternam gloriam, alij ad cruciatus sempiternos.* Huc addantur similia testimonia de uita æterna. Facilius enim ferimus huius uitæ miserias, cùm quasi meram prospicimus, & scimus aliquando Ecclesiam ex tantis malis eluctaturam esse.

IDeō pij omnibus ætatibus de tempore etiam quæsiuerunt, Quando Ecclesia regnatura sit oppressis omnibus impijs? Quām diu confusio hæc, in qua dominantur impij, duratura sit? Hic tempus indicatur. *Statim*, inquit, *post hæc certamina, post dispersionem populi sancti, fiet resuscitatio mortuorum.* Videmus nunc quidem miserē dissipatum esse populum Dei, Quare non procul abest resuscitatio mortuorum.

Nouissima hora.

Euangelistæ uocant nouissimam horam, hoc tempus, quod ad finem huius mundi inde usq; à prædicatione Apostolorum restabat, Necesse est igitur breuius esse, quām fuit ætas quæ præcessit.

Metæ sunt temporum mirabili consilio Dei constitutæ. Et quanquam Christus

Christus diem illum soli Patri notum esse inquit, nec uult nos curiosè quærere certum diem aut annum, sed semper uelut in statione paratos expectare illum lætissimum diem, quo se ostendet uniuerso humano generi, & cum sua Ecclesia triumphabit. Tamen breuitas temporum huius mundi uariè significata est.

Danieli Deus monstrauit seriem Monarchiarum & regnorum, quam certum est iam decurrere ad finem. Quatuor Monarchiæ præterierunt, Restat regnum sæuum ortum in quarta Monarchia, uidelicet Turcicum. Quod non æquabit potentiam Romanæ Monarchiæ. Cùm igitur iam penè ad fastigium suum uenerit, necesse est breui ruiturũ esse, ac tunc illucesceret dies ille, quo mortui reuocabuntur in uitam. *Series Monarchiarum.*

CElebratur & dictum Eliæ Prophetę, quod omnibus notissimum esse debet, & in omnibus parietibus, in omnibus uestibulis scribi proderat: *Eliæ dictum.*

Sex millia annorum mundus, Et postea destructio,
Duo millia Inane,
Duo millia Lex,
Duo millia Messiæ.
Et si quid ex his annis deerit, deerit propter nostra peccata.

Constat autem Christum natum esse circa finem quarti millenarij. Et iam exacti sunt anni 1542. Non igitur procul à fine absumus. Et dictum Eliæ, ac Christi dicta, significant tamen decurtandum esse hoc tempus, sicut & curriculum ad diluuium decurtabatur, ut citius abrumpantur flagitia.

INterrogat & Daniel hic de tempore finis. Et numerus ponitur, qui etsi uideatur de bellis Macabæorum uaticinari, tamen haud dubiè aliquid significat de fine huius mundi. Ac facilis est accommodatio, si dies in annos commutaueris *Erunt autem anni* 2625.

Nec uerò quærimus articulum ipsum, seu momentum, quo illucesceret ultimus dies, quod non est scrutandum. Sed quia hic numerus aptissimè congruit cum dicto Eliæ, arbitror significari annos mundi à Daniele reliquos. Anni sexcenti sunt aut circiter à Daniele ad natum Christum. Reliqui sunt duo millenarij, postrema huius mundi ætas.

Congruit & diuisio. Ideò enim prior numerus à posteriore discernitur, ut significetur mox post primum numerum uentura esse initia postremi regni impij Mahometici & hypocritici. Nam Mahometus regnare cœpit post Christum natum anno sexcentesimo & tricesimo. Iam si à Danielis ætate computes tempus, exactus est primus numerus. Eadem ferè initia fuerunt errorum Ecclesiasticorum. Tunc enim paulatim superstitiones Missæ, inuocationes mortuorum, & uota creuerunt. Sequens igitur numerus est curriculum regni impij, usque ad finem mundi. *Anno Christi 630. Mahometus cœpit regnare.*

Nihil affirmo in hac collatione, sed coniecturas recito. Quanquam enim commonefieri nos Deus hac prædictione uoluit, tamen non uult articulos temporum constitui. Simus igitur contenti quadam communi admonitione. Et Deum oremus, ut regat ac seruet Ecclesiam suam, & quàm primùm abrumpat hunc naturæ humanæ cursum, pellat tenebras huius uitæ, compescat impios omnes furentes contemtu Dei, & ostendat se Ecclesiæ suæ coràm, ut deinceps æternis laudibus celebretur.

Recensui

Puritas doctrinæ seruanda.

REcensui consolationes, quas Angelus hoc loco tradidit, quas quidē & Christus in concionibus suis postremis repetiuit. Sed addatur doctrina seu præceptum hoc, uidelicet, cūm in hac senecta mundi multa & fuerint & sint futura doctrinæ deliria, simus uigilantes & constantes in retinenda puritate Euangelij. Vna est doctrina prima omnium tradita per Prophetas, Christum & Apostolos, in qua Deus æternus patefecit uoluntatem suam, & qui sine ea doctrina Deum quærunt, aberrant ab eo.

Ad hanc igitur nos uocat, & promittit ibi tantūm fore Ecclesiam suam, ibi se exauditurum esse, ubi sonat uox Euangelij, ut Ioan. 15. dicitur, Si manseritis in me, & uerba mea manserint in uobis, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis. Hanc igitur doctrinam constanter retineamus, & ea prælucente Deum inuocemus, ac petamus, ut nos regat & seruet.

NVnc ad historica redeo. Numerus, etsi arcanam significationem habet, tamen ad Macabæorum historiam congruit, ut suprà capite octauo belli tempus prædixit, uidelicet sex annos, tres menses, & uiginti dies. Ita hoc loco numerum illum distinguit, significans diuersa belli momenta, & tempus profanati templi discernens à sequenti tempore, quo prorsus pulsa sunt ex tota Iudæa præsidia Syriaca. Ait ergo, *A tempore ablati sacrificij & collocati Idoli fore dies mille, ducentos, nonaginta,* hoc est, annos tres, menses sex, & dies quindecim.

Dies 1290.

Hanc primam belli Epitasin significat fore difficiliorem pijs, Nam hoc triennio pij in maxima calamitate fuerunt. Tenebant Syriaci exercitus arces omnes, trucidabant in oppidis & agris inermem multitudinem, rapiebant ad supplicia senes & mulieres, & aliquandiu nec exercitus ulli nec duces erant, qui hanc sæuitiam reprimerent. Postea Mathatias & Iudas aliquantulum reprimere hanc crudelitatem cœperunt, ibi inclinata fortuna pulsi Syrij non poterant grassari ut antea. Nam acerrimis prælijs primùm post triennium recuperatum est templum. Reliquæ res fuerunt faciliores.

Ideò de belli exitu inquit, *Beatus qui expectat & attingit dies mille, trecentos, triginta quinque,* id est, tres annos, & octo menses. Complectemur ergo annos septem & ferē tres menses. Nam anno 145. post mortem Alexandri Idolum in templo collocatum est, mense Nouembri, cūm paulò antē Antiochus crudelitatem omnis generis exercere aduersus Iudæos cœpisset. Postea anno 151. mense Februario Nicanor uictus est, qui superbissimē minitatus fuerat templo. Hæc fuit postrema uictoria Iudæ Macabęi, quæ ita erexit Iudæam, ut quamquam Syrij bellum aliquoties instaurarent, tamen facilè repellerentur. Sequenti anno, qui fuit septimus, Ionathas, & Simon totam Iudæam receperunt, & Syriaca præsidia undiq; ex oppidis Iudaicis expulerunt. Congruit igitur ad belli tempus prædictio numeri, id arbitror prius hic considerandum esse, postea quærantur concinnæ significationes.

VLtima particula in textu diligenter obseruanda est, quòd disertē dicit Angelus, hæc uaticinia pertinere ad ultimam ætatem mundi, *Quiesces, & stabis in sorte tua in fine dierum.* Hæc uerba, etsi alij aliò detorserunt, tamen clarē significant, Danielis doctrinam complecti omnia mundi tempora, usq; ad resurrectionem mortuorum, Quia uaticinatur ordinè de Monarchijs, & ultimis regnis, & de ærumnis Ecclesiæ postremi temporis. Ideò inquit, Stabis in sorte tua, Docebis & confirmabis Ecclesiam ultimo tempore mundi.

Hæc

Hæc particula bonas mentes ad lectionem Danielis hortari debet. Nec nihil est causæ, cur Deus præmoneri Ecclesiam de suis ærumnis uelit, Multorum animi mouentur multitudine impiorum, mouentur & fortuna ac gloria, & disputant, Tot gentes alias ignaras Euangelij, & quidē florentes imperijs & gloria non negligi à Deo, præsertim cùm in illis etiam multi sint, qui uirtute excellunt, Offenduntur animi & alijs multis argumentis.

Ideò præmonet nos Deus, ut sciamus Ecclesiam fore exiguam, & certō statuamus, hanc unam doctrinam, traditam per Prophetas, Christum & Apostolos, esse salutarem, nec alibi esse Ecclesiam Dei, nisi in eo cœtu, qui hanc doctrinam amplectitur. Hac nos consolatione confirmemus, quæ diligenter cogitata pias mentes plurimum iuuat.

τέλος δόξα θεῷ.

ARGVMENTVM CONCIONVM PROPHETÆ HAGGÆI.

SAEPE multumcp cogitandum est, quomodo Deus inde usq; ab initio collegerit Ecclesiam ex genere humano, inter uarias & sæuas confusiones gentium & imperiorum, & ostenderit testimonia suæ præsentiæ in eo cœtu quem excerpsit ex reliqua multitudine, & eum aduersus diabolorum furores, & aduersus tyrannos & fanaticos homines defenderit. Confirmatur enim in animis adsensio, cùm tot illustria testimonia præsentiæ Dei intuemur, ut in diluuio seruatam familiam Nohæ, In eductione ex Aegypto, seruatos Israëlitas, inter undas maris Rubri, & obrutos aquis Aegyptios, & alia multa facta. Hæc & similia multa cùm res ipsa ostendat, non potuisse fieri aut naturæ ordine, aut humanis consilijs, credamus Deum adesse Ecclesiæ, qui & illa faciebat extra naturæ ordinem, & deinceps seruat inuocantes ipsum, etiam cùm natura non opitulatur, & ut Paulus loquitur, cùm sperandū est contra spem in spem.

Quid prosit considerare historiam collectionis Ecclesiæ.

Expauescant igitur animi considerantes exempla irę Dei in pœnis & impiorum & electorum. Nam & à domo Dei iudicium incipit, ut Petrus inquit, & ad Deum erecti fiducia promissionum diuinarum, confugiant, & spe non dubia petant & expectent seu liberationem seu mitigationem calamitatum.

Inprimis uerò dulcis est consideratio & consilij & beneficij diuini, cùm Ecclesiæ certum nidum attribuit ad Iordanem, & eam uelut in specula collocat inter Regna quæ tunc in genere humano & amplissima erant, & antecellebant sapientia, opibus, armis, diuitijs, uidelicet inter Aegyptium, Babylonicum, Assyriacum, Syriacum, & ut uox diuina exaudiretur etiam in his regnis, & conspicerentur testimonia præsentiæ Dei in hoc populo, assidua cum uicinis bella fuerunt. In his tamen Deus hunc nidum sui agminis texit ac restituit sępè quassatum, donec Messias ex uirgine natus est, & factus est ibi uictima pro genere humano, & de Euangelio testimonia ostendit. Sūt autem anni ab exitu ex Aegypto ad natum Messiam ex uirgine 1509.

Iam cogita quantum bonū fuerit, in sede certa Ecclesiam diuinitus seruari tot

Magnum beneficiũ est quòd ante Christum Ecclesia certam habuit sedem.

ri tot annis, in qua etsi multi fuerunt sacerdotes indocti, multi qui doctrinam deprauarunt, tamen semper aliqui fuerunt electi rectè sentientes, ut inquit Esaias, Nisi Dominus reliquisset nobis semen &c. Imò subinde excitati sunt insignes doctores, diuinis testimonijs confirmati, Samuel, Nathan, Dauid, Salomon, Ahias, Elias, Elisæus, Ionas, Esaias, Ieremias, Daniel, Haggeus, Zacharias, Malachias, Onias, Macabæi, Simeon, Zacharias, Iohannes, Christus, Apostoli. Ac superiores illi uelut manipuli in acie collocati continua successione doctrinæ puritatem conseruarunt, & populum consilio rexerunt, & addidit Deus ipsis testimonia, ut certum esset uocem doctrinæ incorruptam esse. Tam diu in eadem sede ueram Scholam, in qua uera Dei agnitio, & optima doctrina physica, lucebant, seruari, quàm multis salutare fuit. Horum nos iam erudimur monumentis, & confirmamur ijs factis diuinis, quæ tunc Deus uoluit esse doctrinæ testimonia.

Conseruatio politiæ Mosaicæ illustre est testimoniũ de doctrina.

Et quidem illa ipsa conseruatio huius politiæ, inter tantas ruinas imperiorum, & mutationes legum & religionum apud alios, confirmatio illustris est pijs qui agnoscunt Dei beneficium, & politiam illam ita constitutam & conseruatam esse norunt, ut Prophetica doctrina ad posteros propagaretur.

Gratiarum actio & precatio.

Tibi igitur Deus omnipotens, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, gratias ago quòd & illam Scholam tam diu seruasti, & nos ad eius societatem uocasti, & toto pectore te oro, ut & inter nos deinceps tibi Ecclesiam colligas, & serues in his regionibus cœtus rectè docentium & discentium, & eorum hospitia protegas.

Exempla pœnarum etiam considerandа sunt.

Ac beneficijs consideratis, aspiciamus etiam tristissima exempla pœnarum. Decem Tribus, primùm seditione mota discesserunt ab ea stirpe, cui sciebant regnum diuinitus promissum esse, postea omnino dissipatæ sunt à Regibus Assyrijs in longinquas terras, & noui coloni in illam uberrimam regionẽ missi sunt. Adhuc reliqua mansit pars altera, in qua duæ tribus erant, Iuda & Beniamin, et imbecillitas ipsa ostendebat, non posse eam seruari, nisi à Deo protegeretur, sicut contra Sennaherib defensa est. Sunt autem anni à Sennaherib 125. ad excidium Ierosolymæ, quo tempore rex Babylonicus in Iudæa uastitatem fecit, & has duas reliquias tribus procul abduxit in Chaldęam, pars in Aegyptum fugit. Post hanc dissipationem, oppidis destructis, & funditus deleta politia, absunt Iudæi annos septuaginta.

Post tantum interuallum, quis sperare huius gentis reditum potuisset, aut templi, & politiæ restitutionem, præsertim inter uicinos inimicissimos genti Iudaicæ? At restituti sunt tamen, & ut scirent hæc gubernata esse diuinitus, antea Deus & pœnas prædixit, & exilij tempus & restitutionem. Et ne dubitarent has uoces diuinas esse, testimonia Deus addidit plurima. Daniel qui constantissimè affirmabat suam gentem redituram esse in patriam, seruatus est inter Leones, & ornatus est alijs testimonijs diuinis. Cùm Scipio Carthaginem deleuisset, instaurauit eam Tiberius Gracchus, sed exiguo interuallo, & eò colonos deduxit, & legibus Romanis politiam constituit, non reduxit Principes ciuitatis, non restituit libertatem & ueteres leges. Et uicinia læta adiuuabat instaurationem. Ierosolyma uerò ex longo interuallo rursus condita est, cùm quidẽ uicini aduersarentur. Et redierunt Principes, reddita libertas, & Patriæ leges, Nec mutata est uera de Deo doctrina, quam quidem & ipse uictor Nabogodonosor, & eius filius, ac deinde Cyrus amplexi sunt. Ita inter exilij ærumnas

latius

latius sparsa est lux ueræ doctrinæ,& gens Iudæa non deleta est,quanq̃ magnę dissipationes factæ sunt, agnoscebant ergo & conseruationem gentis, & reductionem,& urbium ac politiæ instaurationem esse Dei opera.

Porrò ut imbecilliores confirmarentur, etiam post reditum excitati sunt Prophetæ,Haggæus,Zacharias, Esdras,Nehemias, Hi regunt principum & sacerdotum consilia,hi consolantur ciues, ac sperare iubent diuinitus defensionem nidulorum suorum quos extruebant, & retinent congregatos cœtus ne rursus dilabantur. Hi sunt hortatores ædificationis & constituendi œconomias,& sunt ἐργοδιώκται in ædificatione templi, interea & doctrinam illustrant, & uaticinantur de uenturo Messia. Vicini turbabant operas, & impetum faciebant in multitudinem, quæ nondum septa erat mœnibus, & magna erant agmina mulierum, puerorum,puerperarum. In his periculis uoce Prophetarum Deus auxilium duci Zorobabel & uiris fortibus promittebat. *Prophetæ post reditum ex captiuitate.*

Zacharias ducem & sacerdotem alloquitur, inquiens, Non in exercitu, non in robore,sed in spiritu meo,inquit Dominus. Erit Deus murus igneus in circuitu populi. Repellet paucis dimicantibus magnos hostium exercitus.

Hæc historica in Prophetis primùm consideranda sunt,& in partibus historiæ tamen Ecclesia omnium temporum intuenda est,& considerandũ,Quomodo inde usq̃ ab initio, quo genere doctrinæ, ubi collecta sit, quæ fuerint pericula,& ærumnæ,quomodo liberata & seruata sit,quæ uox, quæ uirtutes eam à cæteris gentibus discernant,quas ob causas cruci subiecta sit,& quis sit autor, quis finis liberationum.

Huic ueræ Ecclesiæ nos adiungamus,discamus eius doctrinam,Exempla intueamur & quæ timorem excitant, & quæ fidem & spem confirmant. Ita ad nos & ad nostri temporis certamina,ueterem Ecclesiam conferamus,& uocem Prophetarum audiamus. Vidimus ante sexennium bella mota esse ad delendas has Ecclesias, postea & corruptelas doctrinæ fucosas propositas esse,multi turbati & distracti sunt. At eluctatur tamen diuinitus Ecclesia.

Postquam hæc historica de totius Ecclesiæ doctrina,periculis, liberationibus & de causis pœnarum & liberationum considerauimus, deinde uidendum est,qui sint insignes & proprij loci in quolibet Propheta,Hi tres loci insignes sunt in Haggæo. *Tres insignes loci sunt in Haggæo.*

Primus,Concio de iuuanda ædificatione,ubi adfirmat Deum benefacere his,qui pio studio iuuant & tuentur ministerium Euangelij, & sunt benefici erga pios doctores & Pastores Ecclesiarum, conseruant scholas & necessariam doctrinam propagari curant. Hæc concio pertinet ad dictum filij Dei. Si quis dederit uel potum aquæ uni ex minimis meorum propter doctrinam, Amen dico uobis,mercedem habebit. Ita Deus benefecit Viduę Sareptanæ quæ Eliam hospitio excepit,& Sunamitidi hospitæ Elisæi. Ita Ieremias promittit incolumitatem suo amico Abdemelech. Ita nostro tempore pium principem Ducem Saxoniæ Iohannem Fridericum seruauit incolumem in acie,& in captiuitate,& postea restituit suæ coniugi & filijs. *Primus locus de iuuanda ædificatione tẽpli.*

Hanc concionem nosse populum ualdẽ utile est, ut animi flectantur ad tuendum ministerium, & ad iuuanda necessariæ doctrinæ studia. Etsi autem uideri potest hæc accommodatio concionis in hoc Propheta, ad nostras Ecclesias & Scholas,rustica,& requirit aliquis sublimem allegoriam,tamen hæc natiua Prophetæ sententia est,& de re maxima concionatur. Est enim necessaria

res conseruatio ministerij & studiorum, & tamen paucis curæ est, alij superbē & centauricē contemnunt, aut etiam oderunt & ministerium Euangelij & studia doctrinæ, in alijs auaricia, in alijs profusio in domestico luxu impedit hanc necessariam beneficentiam. His uicijs quæ quidem non sunt rara nec obscura, uerē & horribiliter irascitur Deus. Sed rara & excellens uirtus est beneficentia in hoc genere. Et magna sapientia & gloria est, intelligere & habere uirtutes ex quibus illa oritur. Vt in Abdemelech. Primūm in eo fides lucet, quæ doctrinam Ieremiæ statuit ueram esse, & dissentit ab hypocritis aduersantibus, deinde cūm defendit Ieremiam, ostendit confessionem. Simul etiam in eo fortitudo est, & fiducia auxilij diuini, scit Regem, Principes, Sacerdotes uelle extingui Ieremiam, & se in periculo fore, si ei opem ferat. Sed hoc periculo ab illo necessario officio non deterretur. Expectat etiam à Deo auxilium & defensionem, & scit hanc suam fortitudinem Ecclesiæ profuturam esse. His diuinis motibus ardere pectora, & uiuere in Deo, longē maius bonum est, quām somniare bellas allegorias. Ideō hac sententia, quām recitaui, quanqꝫ rustica uidetur, contentus sum. Atqꝫ utinam hanc beneficentiam multi amarent & præstarent.

Secundus locus de aduentu Meßiæ.

Secundus locus est concio de aduentu Messiæ. Adhuc semel & commouebo cœlum & terram, & ueniet desideratus gentibus. Totus hic ordo naturæ conditus est à Deo, ut testetur hunc mundum non casu ex atomis confluxisse, sed uerē esse mentem architectatricem. Postea uerō Deus addit multa opera extra hunc ordinem, ut ostendat se aliam essentiam esse, à rebus conditis, & potentiorem se esse, ac posse extra hunc ordinem seruare & restituere homines, ut aliquoties reuocauit homines post mortem in hanc uitam. Sed omnia miracula superat copulatio diuinæ & humanæ naturæ in Christo. Ideō inquit, Mouebo cœlum, uidelicet, quia filius Dei assumet humanam naturam, & mouebo terrā, humana natura copulabitur diuinæ, & hic filius ex uirgine nascetur, & colliget æternam Ecclesiam. Hic consideremus, quantū Deus concedit, & quis sit hic filius, & quæ fuerint causæ huius mirandi fœderis. Hominem sustinere pœnam congruebat, & ut esset precium æquiualens, ac ut perferre hanc pœnam posset, & uincere mortem, restituere nobis uitam & colligere æternam Ecclesiam, hic æternus filius, qui deprecator erat pro nobis, humanam naturam assumsit. Etsi hæ causæ penitus perspici non possunt, & in illa æternitate propius aspicientur, tamen huius sapientiæ initia in hac uita cogitari necesse est, ut admiratio & desiderium diuinæ consuetudinis accendatur, et ut grati hæc immensa beneficia celebremus.

Tertius locus de tempore aduentus Meßiæ

Tertius locus est de tempore aduentus Messiæ. Deus affirmat se hoc templum maiore gloria ornaturum esse, quām quanta fuit prioris templi gloria, Manifestum est autem, non dici de opulentia, et de aureis ac argenteis ornamentis. Hæc antea splendidiora fuerunt: Sed hanc nominat, ꝙ Messias in hoc templum uenturus esset, ibi se ostensurus populo et editurus uocem Euangelij, et testimonia, ut cū ex templo nummularios eijcit, et facit alia miranda facta, et in septimo capite Iohannis, scribitur, Christum in Scenopegijs in templum uenisse, et ibi docuisse. Et capite decimo in Encæniijs quæ celebrabrantur die decembris 25. ut memoria beneficij diuini propagaretur, eiecto idolo, quōd Antiochus ibi collocarat, ex templo, concionatur in porticu Salomonis, adiuncta templo. Congruunt autem Daniel et Haggæus, Daniel ait, Stante illa Ieroso-

lyma

lyma politia uenturum esse Messiam. Haggæus etiam in hoc secundo templo, ait Messiam uocem Euangelij editurum esse, & uocaturum esse gentes ad æternæ Ecclesiæ societatem.

Hinc illustris refutatio Iudæorum sumitur. Manifestum est Ierosolymam, templum, politiam Iudaicam, ante annos mille quadringentos & octoginta, funditus deleta esse, nec instaurari potuisse, etiamsi aliquoties instauratio tentata & incoata est, illi ergo cineres, & solitudo illa testimonium dicunt, Messiam multò antè exhibitum esse, & concionatum, & sacrificio suo facto resuscitatum à morte regnare, & gentes ad societatem æternæ Ecclesiæ uocasse.

Hos locos præcipuè consideret lector in hoc Propheta, qui ut nomen habet à festi pompa, ita de ornando festo, id est, de templi ædificatione, & conseruatione ministerij concionatur. Et dulcissimam promissionem de aduentu Messiæ & de conseruatione templi illius & politiæ proponit, Quo tempore concionatus sit, ipse narrat, ac sentio Darium, quem nominat Artaxerxen, Longimanum esse, quia tale tempus describit, quo & in urbe domus multæ extructæ & ornatæ fuerunt, & templi pars extructa fuit.

Et congruit ad hanc sententiam narratio in quinto Capite Esdræ.

DEO GRATIA.

COMMENTARIVS PHILIPPI MELANTHONIS IN PROPHETAM ZACHARIAM, ANNO M. D. LIII. IN SCHOLA VVITTEMbergensi dictatus.

IN *Prophetarum enarratione necesse est hæc communia nota esse, Deum immensa bonitate edidisse promissionem statim initiò, cùm recepit Adam, & instituisse ministerium docendi legem & promissionem de Mediatore, & hac uoce semper collectam esse Ecclesiam.* Quæ in Prophetarũ enarratione nota esse debeant.

Hic simul considerandũ est, qualis fuerit Ecclesiæ gubernatio, & per quos excellentes doctores renouatum sit ministerium docendi, & quæ miracula addita sint, ut essent testimonia doctrinæ, ac uelle Deum, ut intueamur omnia tempora, & moueamur exemplis iræ & misericordiæ, discernamus Ecclesiam ã cæteris gentibus, uideamus quid semper doceat, & cur subiecta sit cruci, & cur inter has ærumnas tamen diuinitus seruetur. His exemplis exuscitentur corda ad timorem Dei, ad fidem, ad inuocationem, ad facienda necessaria, ad omittendã πολυπραγμοσύνην.

Nominantur autem Prophetæ in politia Mosi, qui immediatè à Deo missi sunt ad illustrandam promissionem de Messia, & ad certum πολίτευμα, & habent testimonia, quòd non errent. Tales fuerunt Moises, Samuel, Nathan, Dauid, Elias, Elisæus, Esaias, Hieremias, Daniel, Haggæus, Zacharias, & alij alia πολιτεύματα habuerunt. Sed doctrina est eadem, concio pœnitentiæ, & repetitio ac illustratio promissionis. Quinominentur Prophetæ in politia Mosi.

Vixit autem Zacharias tempore exilij, cùm Hierosolyma deleta, populus in Babylonẽ abductus esset. Et hic Zacharias excitatus est ad hoc πολίτευμα, Quo tempore Zacharias uixerit.

ut esset adiutor reditus exulum in Iudæam, ad restituendum templum & totam politiam Moisi, quæ iam annos 70. fuerat deleta. Expresse autem scriptū est in primo Esdræ capite quinto, Haggæum & Zachariam reuersos incoata iam ædificatione, in Iuda concionatos esse, quia cùm ædificatio impediretur, populus confirmandus erat, ne fracti desperatione rursus dissiparentur.

Darius, Artaxerxes Longimanus.

Vtercp autem nominat Darium, qui ut ex Esdra colligi potest, est Artaxerxes Longimanus. Hic temporum series consideretur. Cùm Cyrus edidisset edictum, quo concedit populo reditum & restitutionem suæ politiæ, magna multitudo ex Chaldæa & Perside in Iudæam rediit. Sed cùm Cyrus abesset, impeditus bello Scythico, uel interfectus esset, impedita est ædificatio annis quadraginta duobus tempore Cambysis & Darij Hystaspis. Deinde anno secundo Longimani rursus concessa est ædificatio, & exædificatum est templum anno sexto Longimani.

Cyrus.

Nomina Regum iuxta Methastenem:

Catalogus regum Persarū.

Cyrus 22.
Darius Hystaspis Assuerus, maritus Hester 20.
Artaxerxes Longimanus 37.
Darius Nothus 9.
Artaxerxes Mnemon 55.
Ochus 26.
Arsames 4.
Darius ultimus, uictus ab Alexandro 6.

Iam hic multa cogitanda sunt, quare politia Israël constituta sit, quomodo ibi gubernata sit Ecclesia, quales fuerint promissiones, quomodo inter pœnas populi, tamen Deus seruauerit Ecclesiam, & restituerit politiam, quando fuerit finis illius politiæ.

Promissio.

Promissio erat: Non auferetur sceptrum à Iuda, donec uenerit Siloh, & tamen annos 70. Iudæi sunt in exilio, Postea Deus restituit politiam. Ita præstat Deus promissa, & tamen punit. Paucissimi autem post tam longum exilium existimabant ueterem politiam restitui posse. Quæ enim Respublica post tam longum interuallum ita restituta est, ut simul ueteres leges & forma gubernationis restitueretur? Magnum igitur miraculum fuit hæc reductio ex Babylone, & conseruatio Ecclesiæ inter tantos fluctus, est testimonium præsentiæ Dei in Ecclesia, ac talibus exemplis uult nos Deus confirmari, & petere & expectare conseruationem Ecclesiæ.

Præsentia Dei in Ecclesia.

Discrimē promissionum gratiæ & corporalium bonorum.

HIC & discrimen considerandum est promissionis gratiæ & promissionis corporalium bonorum. Promissio gratiæ semper rata est credenti in conuersione, iuxta dictum: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Summum & immutabile mandatum est, ut credamus in Filium Dei, sicut inquit Dominus: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me.

Promissiones uerò bonorum corporalium etsi sunt ratæ, tamen habent exceptionem castigationis & crucis, ut quanquam Dauidi est promissum regnum tamen post adulterium excutitur, quia castigatur, & quanquam Daniel non deliquit, tamen abducitur in exilium, quia Ecclesia est subiecta cruci. Interea uerò Deus alia gloria eum ornat, quia inter causas, quare Ecclesia subiecta est cruci, hæ quoq; sunt, Vult Deus conspici suam præsentiam in Ecclesia, ideò seruat eam sine præsidijs humanis, Vult & fide eam regi, & ab ipso pendere, quòd non fieret, si nulla essent pericula.

Præterea

Præterea discernendæ sunt promissiones, quæ propriè ad Israëlitas pertinent, à generalibus promissionibus Ecclesiæ. Illis erat certa sedes & politia promissa, nunc Ecclesia sparsa est inter gentes, sine certo imperio, & tamen, quia in hac uita mortali colligitur, Deus dat uictum & nidulos, sicut inquit Dominus: Scit Pater uester cœlestis, quòd his rebus opus habeatis. Et Esa. 30. Dabit uobis Dominus doctorem, & panem, & aquam cum tribulatione. Hæ generales promissiones ad omnium temporum Ecclesiam pertinent.

Discrimen promissionum generalium et earũ, quæ propriè ad Israëlitas pertinent

Obseruandum est igitur & hîc in Zacharia, ubi de sua politia loquatur, nec necesse est omnia in allegorias transformari. Eligamus autem præcipuè ea dicta, quę propriè de Messia concionantur, & de beneficijs æternis, qualia sunt hæc: Cùm sanguine Testamenti tui emittes uinctos tuos de lacu. Item: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Historica uerò tanquam exempla patientiæ, fidei, & aliarum uirtutum, intueamur.

Quæ in Zacharia obseruanda.

CAPVT I.

INitiò proponit concionem pœnitentiæ, sicut Prophetis usitatum est: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Postea recitantur uisiones, quæ minantur gentibus, & affirmant instaurationem Hierosolymę processuram esse. Insigne est autem, quòd inquit Angelum deprecari pro populo. Item, quòd ait hunc Angelum loqui in ipso ad ipsum. Hunc Angelum intelligo esse Filium Dei λόγον, sicut Daniel inquit: Stat Michaël princeps magnus pro filijs populi sui.

Concio pœnitentiæ.

Angelus deprecans pro populo.

CAPVT II.

INsecundo capite uisio de ædificatione urbis ostenditur, & adduntur promissiones, ut confirmetur in hominibus spes instaurationis. Intexit autem promissionib. de urbe significationes de æterna Ecclesia, quam tamen incoari oportet ministerio Euangelij, quod in illa urbe sonabit, sicut dictum est: De Sion egredietur lex &c. Et quia prædictum erat in hoc loco Messiam concionaturum esse, editurum testimonia, & futurum esse uictimam & reuicturum esse, miscet promissioni æternæ Ecclesiæ, promissiones de hoc loco propriè loquentes.

Promissio de ædificatione urbis.

Cæterùm ad omnia tempora accommodetur promissio defensionis: Eromurus igneus in circuitu eorum, & deinde de præsentia Filij Dei in Ecclesia: Ecce ego uenio & habitabo in medio tui &c. In hoc capite particula est obscura: Post gloriam regum Babylonicorum, qui gloriati sunt deletam esse Hierosolymam, ego ueniam & refutabo eorum gloriationem, & puniam eos. Alij interpretantur, post gloriam, id est, post regnum Iudaicum apparet Christus, iuxta dictum: Non auferetur sceptrum &c.

Promissio defensionis Ecclesiæ, & de præsentia Filij Dei in Ecclesia.

CAPVT III.

INtertio capite iam nominatim confirmatur summus sacerdos Iesus, qui tunc gubernauit Ecclesiam in reditu. Vbi descriptio obseruanda est, quòd cùm sacerdos stat coram Deo, id est, rectè seruit in officio, tamen stat propè Satan, ut impediat & turbet eum. Ita semper diaboli & eorum organa conantur Ecclesiam turbare, sed repelluntur increpatione, & potentia Filij Dei propugnantis Ecclesiam.

Sacerdos stat coram Deo et Satan propè.

Sordida uestis significat luctum & miserias eius temporis. Cùm ergo in-

induitur splendida ueste, significatur status felicior. Mutatorię ueſtes nominantur splendidæ seu festiuæ, quia die festo mutatur ueſtitus.

Angeli custodes. *Dabo tibi ambulantes ex his, qui adsistunt,* id est, adiungam tibi Angelos custodes. Nominat credentes miracula, sicut Paulus inquit: Sumus spectaculo Angelis & hominibus. Postea additur promissio expressa de Messia, quem nominat Semah, id est, orientem, & ait Deus, se hunc Dominum missurum esse, & in eo lapide multos oculos esse, id est, hunc lapidem lucem alijs præbiturum esse, & Deus ipse sculpet eum, uidelicet in passione, præparabit ad æternam gloriam, iuxta dictum: De torrente in uia bibet &c.

Credentes miracula.

Meßia Semah.

CAPVT IIII.

Zorobabel. IN quarto capite confirmatur dux Zorobabel, qui cùm debeat exercitu populum defendere, uidet se non esse parem uicinis, & inermis turba nondum erat cincta mœnibus, ut arceri hostes possent. Hîc certè opus erat consolatione. Promittit igitur Dominus defensionem diuinam, inquiens: Non in exercitu, non in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus, & addit montes magnos, id est, imperia non fore illis exitio, sed fore plana, ut deinceps Persæ, Alexander, Iulius, concedunt pacem huic genti. Ita mirabiliter Deus seruat Ecclesiam non habentem humana præsidia, sicut inquit: Posui in ore tuo uerbum meum, & umbra manus meæ protegam te, ut plantes cœlos.

Consolatio.

Montes.

Duæ spicæ oleæ. Duæ spicæ oleæ, sunt sacerdos Iesus, & dux Zorobabel.

CAPVT V.

Corruptelæ doctrinæ. IN quinto capite, cùm antea descripserit instaurationem Ecclesiæ & urbis, nùc prædicit secuturas esse corruptelas doctrinæ & pœnas. Hæc ita fiunt restituta Ecclesia, postea rursus sequuntur uicia & pœnæ. Statim post Alexandrum Magnum summi sacerdotes Iudæorum inflexerunt se ad uicinos reges, acceperunt Græcos mores, emerunt summum sacerdotium à uicinis regibus, certauerunt parricidijs. Secuta est igitur horribilis pœna, grassante Antiocho. Post hoc malum Pharisæi & Sadducæi exorti sunt. Hæc omnia significantur his typis.

Volumen uolans. Volumen uolans est falsa doctrina, quæ latè uagatur, in qua fures & periuri approbantur, id est, doctrina erit instructa ad auariciam, ut apud illos sacrificia cumulabant opes &c. Hanc doctrinam nominat & periuria, quia immediatè Deum contumelia afficit, addit autem de pœna. Hæc falsa doctrina, inquit, erit ipsis exitio, sicut in bello Antiochi accidit, & postea, cùm Romani deleuerunt Hierosolymam. Ita tamen gubernat pœnas Deus, ut seruet aliquas reliquias ueræ Ecclesiæ, ut Esa. 24. inquit: Erit uindemia, etsi pauci racemi reliqui sint &c. Et cap. ultimo: Vt si inueniatur granum in horto. Item in Amos: Ecce oculi Domini super regnum peccans &c. id est, reum. In gladio morientur omnes peccatores populi mei &c. Et tamen granum non cadet super terram, sicut deleta Hierosolyma tamen fuerunt superstites discipuli Apostolorum.

Pœnæ falsæ doctrinæ.

Alter typus. Altera imago sic pingitur, Species Medimni, in quem collocatur mulier & postea inijcitur talentum plumbi. Accedunt autem duæ mulieres alatæ, quę Medimnum uehunt in terram Babylonis. Medimnus significat hîc cœtum gubernantium Ecclesiam. Ideò nominat eum oculum terræ. In hoc cœtu ait sedere mulie-

Medimnus.

re mulierem, quæ nominatur impietas, id est, impia doctrina, talis fuit congregatio Pharisæorum & Saducæorum post Prophetam Zachariam, qui manifestè impia dogmata finxerunt. Talentum uerò plumbi significat pertinaciam in erroribus. *Talentum plũbi.* Duæ mulieres alatæ uehentes Medimnum in terram Babylonicam, significant similes errores secuturos esse, etiam post huius populi politiam, & existimo significari Mahometicos furores, qui iam annis 900. regnant in Babylone, & Papistica idola, quæ regnant in altera Babylone in urbe Roma. Duæ mulieres alatæ duas sectas significant. *Duæ mulieres. Mahometh. Papatus.*

CAPVT VI.

IN sexto capite rursus traduntur consolationes, pingit equos et quadrigas, quibus significatur, imperia regi à Deo, & mitti Angelos ad custodiendam Ecclesiam, & tandem promissio additur de pace Iudæorum. Terra Aquilonis, id est, regnum Babylonicum quiescet, non dissipabit uos rursus. Consolatio est & in gestu, quòd corona imponitur summo sacerdoti, quem propter typum rursus hîc nominat Semah, id est, germinantem, & rationem nominis addit, quia tunc futura sit germinatio & templi extructio, & dulcissimum est, quod de concordia duorum gubernatorum inquit: Consilium pacis erit inter duos uiros. Simul autem significatur aduentus Messiæ, per quem uerè fit Ecclesiæ germinatio, quia ipse profert Euangelium ex sinu Patris, ipse fit uictima, ipse conseruat ministerium Euangelij, & est efficax, uiuificat & saluat credentes. *Imperia regi à Deo. Terra aquilonis. De aduentu Messiæ.*

CAPVT VII. & VIII.

IN superioribus capitibus recitatæ sunt consolationes & promissiones de restitutione templi & urbis, nunc intexit doctrinam de discrimine cultuum, & seuerissimè taxat ἐθελοθρησκείας, ac reuocat populum ad cultus à Deo mandatos. Occasio hæc est, anno 4. Artaxerxis Longimani, cùm iam procederet ædificatio templi, & maior esset tranquillitas quàm fuerat antea, interrogant quidam de ritibus ieiuniorum, quos Iudæi sine mandato diuino tempore exilij seruauerant, ut luctum significarent, Mense quarto, quia tunc Hierosolyma capta erat: Mense quinto, quia tunc Nabuchodonosor combusserat templum: Mense septimo, quia tunc interfectus erat Godolias & multitudo, quæ cum eo in Aegyptum profectura erat, nunc reducti tanquam liberati uoto, interrogant an diutius hi ritus seruandi sint. *Doctrina de discrimine cultuum. Ritus ieiuniorum propter luctum.*

Taxat igitur Propheta cultus non mandatos à Deo, & ait, antea quoque talibus peccatis irritatam esse iram Dei, propter quam dissipati sunt. Nunc iubet commonefactos prioribus pœnis reuerenter discere uoluntatem Dei, & ueros cultus præstare, & inserit dulcissimas promissiones. Est enim continua & eadem concio septimi & octaui capitis. Veritatem & pacem diligite, inquit. VEritas significat omnia bona opera primæ tabulæ, ueram doctrinam, ueram agnitionem Dei, timorem, fidem, inuocationem non simulatam. PAx significat omnia bona opera secundæ tabulæ. In fine capitis octaui additur promissio de uocatione gentium: Decem apprehendunt fimbriam unius uiri Iudæi, dicentes: Ibimus uobiscum. Ita nos Apostolis adiuncti sumus, & ab eis Euangelium accepimus, & scimus hanc solam doctrinam de Deo ueram esse, quæ per Prophetas & Apostolos tradita est, sicut & in Psalmo dicitur: Laudate Dominum de fontibus Israël. *Veri cultus. Veritas. Pax.*

Impij ut Adamas. Insignia dicta in capite 7. & hæc sunt, quòd impiorum duritiem confert Adamanti. Item, quòd ait Deum misisse uerba sua per Prophetas Spiritu suo.

Testimoniũ de Spiritu S. Vbi extat testimoniũ de Spiritu sancto, quòd uidelicet semper sanctificati sint electi Spiritu sancto.

In 8. capite expressè dicitur de peccatis: Hæc sunt quæ odi, dicit Dominus. Vbi testimonium extat contra Stoica deliramenta, quę fingunt Deum uelle peccata, nec sunt ponendæ in Deo contradictoriæ uoluntates.

Stoici.

CAPVT IX.

Pœnæ uicinarum gentium. IN capite 9. prædicit expressè pœnas uicinis gentibus Syriæ & Phœnicum. Nominat .n. Syriam Adrach ab ubertate, & ait, Damascum, Tyrum, Sidonem, Gazam & alias urbes uicinas, quæ iam lætabantur calamitate ludęorum, & se putabant esse feliciores, quia alia numina colerent, amissuros esse potentiam & libertatem. Hanc impiam uicinorum persuasionem taxat, & prædicit secutura excidia, ac Sidon non longo tempore post Zachariam ab Ochо rege Persarum crudelissimè capta est per proditionem. Dumq; urbs occupatur, Sidonij ipsi urbem & sese, coniuges & liberos & familias incendio perdiderunt. Et scribit Diodorus Siculus pag. 43. perijsse plus quàm 40000. hominum.

Sidoniorum calamitas.

Excidium Tyri. Tyrum Alexander septem mensibus obsedit, ut narrat Diodorus pag. 133. qua tandem expugnata 7000. in oppugnatione trucidata sunt, 2000. postea suspendit Alexander, & multa millia uendidit. Hoc excidium antea & Esaias prædixit, qui nominat gentes Kithim, id est, Macedones, & Dodannim, id est, Dodonæos Græcos euersuros Tyrum. Et Gaza ab Alexandro capta fuit. Post has pœnas, inquit Zacharias, Syros & Phœnices socios fore populi Israël, id est, futurum esse, ut Ecclesia colligatur etiam inter ipsos.

Prophetia de aduentu Messiæ. Addit igitur Zacharias longam & dulcissimam concionem de Messia, & de modo ac beneficijs eius regni: *Exulta filia Zion &c. Ecce Rex tuus uenit.* Affirmat uenturum esse Messiam iustum & saluatorem, & quomodo sit saluaturus, mox inquit, Non constituet imperium politicum. Erit enim pauper, &

Ecclesia. non erunt quadrigæ in Hierusalem, id est, Ecclesia non erit politica potentia, & saluabuntur homines nouo & admirando modo, scilicet sanguine Testamenti, hoc est, morte promissi Messiæ, qui Testamentum, id est, promissionem suam sanguine suo confirmat, & pro nobis factus est uictima.

Sanguis Testamenti. *Tu in sanguine Testamenti tui &c.* Iudæi sanguinem testamenti stultè interpretantur circumcisionem suam, & mactationes pecudum: Sed Propheta loquitur de alio Testamento, & de alio sanguine. Fuit enim uetus testamentum promissio certæ sedis & regni politici cum conditione legis & ceremoniarum,

Vetus testamentum quid fuerit. ad hunc finem ordinata, ut in hoc certo populo nasceretur Messias, & conseruaretur ibi memoria promissionis gratiæ, & aliqua esset Ecclesiæ schola, usq; ad aduentum Messiæ. Postea euertenda, ut extaret exemplum iræ Dei, & testimonium, quòd nec illi lege iusti fuissent &c. Hoc politicum testamentum non dedit iusticiam & uitam æternam. Imò abolitum est, cùm gentes uocatæ sunt.

Sanguis noui Testamenti. Loquitur autem hîc Propheta de eo Testamento, id est, de ea promissione, quæ donat iusticiam & uitam ęternam, & de sanguine huius Testamenti, sicut antea prædictum fuit de Messia: Ponet animam suam pro peccato &c. Et mactationes pecudum non tollebant peccatum & mortem, sed significabant Messiæ sanguinem.

Fouea,

Fouea, in qua non est aqua, significat mortem, in qua nulla est recreatio. Ex hac fouea educimur, id est, liberamur à peccato & à morte æterna, & redditur nobis iusticia & uita ęterna, & hoc fit sanguine Christi, sicut Ioannes inquit: Sanguis Christi purificat nos ab omnibus peccatis. *Fouea, in qua non est aqua.*

Conuertimini ad arcem vincti spei, Dulcis consolatio est, qua Ecclesiam uniuersam alloquitur, quæ expectat Messiam, hanc nominat uinctos spei, id est, captiuos quidem, sed sperantes conseruationem & liberationem, ut Paulus inquit: Spe salui facti sumus &c. id est, Ecclesia in hac uita adhuc est imbecilla, & magnis calamitatibus oppressa. Inter has sperat tamen conseruationem & liberationem. Iubet autem intueri arcem, id est, ipsam promissionem, qua sustentabantur. Et manifestē inquit, se annunciando, id est, prædicatione Euangelij duplicia redditurum esse, id est, iusticiam & uitam æternam, uel gratiam & donū, sicut & Esai. 40. dicitur: Accepit de manu Domini duplicia. *Vincti spei.* *Arx, promissio Duplicia.*

Sequens concio loquitur de collectione Ecclesiæ ex Iudæis & gentibus. Lapides sancti accumulabuntur super terram, id est, speculę sanctæ constituentur, id est, Ecclesiæ, in quibus docebunt Apostoli & alij sancti. Et Euangelij ac donorum descriptio est, cùm inquit: *Bona Ecclesiæ esse frumentum adolescentum, & vinum germinans virgines,* id est, Ecclesia propagabitur, & multi gignentur adolescentes & uirgines, id est, animosi & fidem incorruptam retinentes. Gignentur autem non propagatione carnali, sed quia per uocem Euangelij Filius Dei erit efficax in eis, & confirmabit eos Spiritu suo sancto. *De collectione Ecclesiæ. Lapides.* *Frumentum. Vinum.*

CAPVT X.

COncionatur de collectione Ecclesiæ ex Iudæis & gentibus, & miscentur reprehensio impiorum gubernatorum, super pastores: Iratus est furor meus &c.

CAPVT XI.

PRædictio est destructionis totius regni politici Iudæorum. Causam uerò inquit esse impietatem gubernatorum & populi, & intexit uisionem. Ait Filium Dei pastorem dicere, sumsisse se duas uirgas, quarum altera nominata fuerat suauitas, altera nominatur uastatores, id est, aliquandiu gubernaui uos suauiter, quia uerò non obtemperastis, sequuntur pœnæ, dilaceratur patria à multis uastatoribus. Dicit tres pastores deletos esse, Regem, sacerdotem & Principes. *Prædictio de destructione regni Iudaici.*

Postea exprobat eis, quòd adeo uilem ducant esse hunc pastorem Filium Dei, ut uendiderint eum 30. argenteis. Hæc uisio in genere significat, quòd parua lucra anteferant Deo, & seruiant uentri, & tamen postea in passione Christi euentus simpliciter congruit cum his uerbis, cùm Iudas Christum 30. argenteis uendidit. *Christus à Iuda uenditus.*

Postremō additur prædictio de stulto & pernicioso pastore & de pœna ipsius, ut tunc dominati sunt Pharisæi & Sadducæi, & aliquantò pòst deleti sunt. Ita in fine mundi, erit in Ecclesia regnum impium & crudele Antichristi & fanaticorum doctorum, quod tandem horribiliter delebitur. *Pastor stultus.*

CAPVT XII.

ANtea uaticinatus est de interitu politiæ Iudaicæ, & tamen dixit se seruaturum esse pauperem gregem, qui custodit uerbum Domini, sicut & Esaias inquit, Reliquias saluas fore. Nunc autem in capite 12. narrat, qualis futura sit illa Ec-

Qualis sit futura Ecclesia post deletam politiam Mosaicam. Ecclesia subiecta cruci.

illa Ecclesia, deleta politia Iudaica, & uocabulo, Hierosolymæ, hic reliquias intelligit, ut Apostolos, & eorum cœtus. His prædicit persecutiones, & miranda conseruationem. *Ponam*, inquit, *Hierusalem*, id est, ueram Ecclesiam, *calicem tremoris cunctis populis, & colligentur aduersus eam omnia regna terræ &c.* id est, imperia persequentur Ecclesiam, & conabuntur eam delere, sed Ecclesia erit eis uelut calix tremoris, id est, euentus efficient, ut reges & populi uelut ebrij ac amentes ruant & pereant, quia frustra pugnabunt, & interea euertent sua imperia, sicut accidit impijs Iudæis, exercentibus sæuitiam contra Apostolos & eorum auditores, & deinde Diocletianus & alij, dum conantur Ecclesiam delere, imperium dilacerarunt, & oppressi sunt ipsi publica ruina. Ac inter has mundi ruinas tamen Ecclesia seruata est, Sicut hic inquit: *Saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicut initiò, sed non vt glorietur domus Dauid contra Iudam*, id est, non ita ut maneat regnum politicum Dauidis, sed quisquis erit superstes, erit sicut Dauid, & sicut domus Dei, & sicut Angelus Domini. Hic apertè ostendit, Ecclesiam non esse regnum politicum, nec habere præsidia humana, sed subiectam esse cruci, & mirabiliter seruari, & interea esse templum, in quo Deus habitat, & nos esse Angelos Domini, id est, nuncios Euangelij inuocantes Deum, & eiobedientes.

Ecclesia seruatur perditis persecutoribus.

Deinde addita est dulcissima promissio, quæ complectitur omnia beneficia Euangelij: *Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum.* Diligenter obseruandæ sunt præcipuæ sententiæ in Prophetis, & prudenter contexendæ. Suprà de aduentu Messiæ, & de passione eius, & de restitutione iusticiæ & uitæ æternæ dictum est: In sanguine Testamenti tui educes uinctos è lacu &c. Hic in capite 12. traditur expressa sententia de donatione Spiritus sancti, quem nominat Spiritum gratiæ. Quia testificatur in ministerio Euangelij, & in singulorum cordibus, de gratia, id est, annunciat Euangelium de remissione peccatorum, de reconciliatione, de donatione iusticiæ & uitæ æternę, Et cùm fide accipimus uocem Euangelij, simul Spiritus sanctus in cordibus accendit lætitiam, qua acquiescimus in Deo propter Mediatorem, & uiuificamur, suntcp̃ coniungendæ superiores prædictiones de persona Messiæ, & hæc de persona et effectibus Spiritus sancti.

Promissio de donatione Spiritus sancti.

Postquàm autem corda agnoscunt misericordiam Dei per Euangelium, et uiuificantur Spiritu sancto, accedunt ad Deum, et inuocant eum fiducia Mediatoris. Inuocatio autem est summus cultus, et reliquam obedientiam complectitur, quia ad hunc finem referenda est obedientia, ut testemur uerè hunc esse Deum, quem inuocamus, iuxta doctrinam, quam tradidit.

Spiritus precum.

Postea in textu rursus dicitur de persona Messiæ: *Aspicient ad me quem cõfixerunt, & plangent eum planctu velut de vnigenito &c.* Hic loquitur Filius Dei rursus, et affirmat se uenturum esse, ut fiat uictima pro nobis, ut Esaiæ 53. dicitur: Seruire me fecisti in peccatis tuis. Hęc dicta testantur Messiam esse Deum et hominem, quia hic ipse Deus, qui loquitur, ait se futurum esse redemtorem. Et Ecclesia, quæ fuit spectatrix, fuit in magno luctu, ut Maria et soror eius, et alij Sancti. Semper autem Ecclesia agnoscens peccata, et cogitans iram Dei tantam, ut placanda fuerit per obedientiam Filij, est in luctu, & sustinet crucem postea in tota confessione, & celebrat obedientiã Mediatoris inde usq̃ ab edita prima promissione, et semper celebrabit. Ideõ inquit: Plãgent familiæ, regia et sacerdotum etc.

Messias Deus est homo. Luctus Ecclesiæ.

Quod

Quòd autem talem luctum esse inquit, qualis fuit in Megiddo ac Hadadrimon, similitudo sumta est ab interitu duorum regum, Ochosiæ & Iosiæ, qui ambo non procul à Megiddo interfecti sunt. Interitus Ochosiæ narratur 4. Reg. 9. Interitus Iosiæ narratur 4. Reg. 23. Ac in utraq; historia extat nomen oppidi Megiddo, quod situm fuit in littore in tribu Manasse, non procul à Iesrahel. Hadadrimon non procul inde est, ac scribunt postea nominatam esse Maximianopolim. *Luctus in Megiddon.*

CAPVT XIII.

COmmoratur in descriptione ueræ Ecclesiæ, & narrat, quæ beneficia habeat, uidelicet, deletionem peccati, incorruptam doctrinam, & ueram inuocationem. Postea prædicit passionem Christi, & ait, Ecclesiam subiectam fore crucij, & multos defecturos esse ab ea, & tamen aliquem mansurum esse cœtum, qui Deum rectè inuocet. Ita breuiter complectitur multas res præcipuas in Ecclesia considerandas, Quid sit, quæ habeat beneficia propria, quis sit pastor, id est, conditor & conseruator Ecclesiæ, quales habeat ærumnas, quomodo conseruetur. *Descriptio ueræ Ecclesiæ.*

Est enim Ecclesia cœtus agnoscens Filium Dei, colligentem Ecclesiam, passum & resuscitatum, retinens purã Euangelij doctrinam, per quod & pastor hic efficax est, & deleto peccato restituit iustitiam & uitam æternã, qui cœtus rectè inuocat Deum, & in cruce expectat conseruationem à suo pastore, & ab eo conseruatur. Primò ergo nominat fontem contra peccatum & immunditiem separatæ propter menstrua. Fons ipse Filius Dei est, per Euangelium & Spiritum sanctum tollens peccatum originale & actualia. Nam originale per menstruam immunditiem significatur, & opponitur hic fons lauacris ante templũ. Concinnè autem accommodari ad Baptismum potest. *Quid sit Ecclesia.* *Fons.* *Peccatum originale.* *Baptismus.*

Postea ait de uera inuocatione & de uera doctrina: *Delebo idola & pseudoprophetas, pater & mater configent eos*, id est, erunt, qui refutent fanaticos doctores. Item, prohibebunt eos uti ueste hirsuta, id est, squalida assumta per hypocrisin, hoc est, taxabunt ficticios cultus, fanaticas opiniones, monachatus, & similes hypocriticas prestigias. Sed dicet: *Non sum Propheta, homo agricola sum, & homo seruiens à iuuentute*, id est, non sum autor noui dogmatis, sed seruio in mea uocatione, sicut Adam, sciens se nihil excogitare posse ad tollendum peccatum, & ad tollendam mortem, sed tantùm sustentans se uoce promissionis traditæ. Et fatebitur ignorantiam suam, & dicet se ab Ecclesia castigatum esse, à qua diligitur. Huc pertinet dictum Pauli Gal. 6. Si quis lapsus fuerit &c. emendate eum spiritu lenitatis.

De passione Christi inquit: *Framea suscitare super pastorem meum, & super uirum proximum mihi, seu parem mihi, seu socium mihi, seu qui mecum est.* Dulcis descriptio est, qua significat Christum pastorem Ecclesiæ esse proximum Dei, Filium scilicet carissimum æterno Patri, qui semper est apud æternum Patrem, & qui potentia diuina colligit & conseruat Ecclesiam, sicut inquit Ioan. 14. Pater in me est, & ego in Patre. Hic rursus considera, quòd ait frameam leuari super hunc uirum, qui est proximus Dei. Significat enim personæ unitatem, ut suprà, Aspicient me, quem confixerunt. *De passione Christi.*

IN

IN CAPVT VLTIMVM.

COniunguntur hic prædictiones de excidio Hieroſolymæ, de prædicatione Euangelij, de poſtremo aduentu Chriſti & iudicio uniuerſali, in quo tota Eccleſia ornabitur æterna gloria, & impij damnabuntur. Sunt autem aliæ ſententiæ propriis uerbis expoſitæ, aliæ figuratè recitantur. Excidium Hieroſolymæ recitatur propriis uerbis: *Congregabo omnes gentes ad Hieruſalem in prælium, & capietur ciuitas &c.*

De excidio Hieroſolymæ.

De prædicatione Euangelij.

Deinde de prædicatione Euangelij & de iudicio poſtremò dicitur: *Egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes &c.* Item: *In die illa exibunt aquæ uiuæ ex Hieruſalem, Et erit Dominus Rex ſuper omnem terram, & erit Dominus unus, & nomen eius unum*, id eſt, Idola deſtruentur, & fulgebit uera agnitio unius Dei.

Miſcentur autem dicta de prædicatione Euangelij, de iudicio, & de æternis pœnis impiorum, & de æterna gloria piorum.

Stabit in monte oliuarum, ſcilicet cùm aſcendet in cœlum, dans mandata de prædicatione Euangelij, Et poſtea ueniens ad iudicandum.

Scindetur mons, id eſt, tota machina mundi rumpetur & mutabitur, & fugietis, ſicut in terræ motu tempore Oſiæ, de quo dicitur in primo capite Amos in initio.

Non erit lux, ſed frigus & gelu, ſcilicet impijs. Contrà uerò pijs erit perpetua lux, omnia erunt plana, à Gibea, quæ eſt in tribu Beniamin, ad Rimmon, quæ eſt in tribu Simeon, id eſt, imperia mundi erunt abolita, & nemo exercebit ſæuitiam contra Eccleſiam, benè erit iuſtis, & impij erunt in pœnis.

Erit Ieruſalem ſecura, & non erit in ea Anathema. Contrà uerò tabeſcent impij. Miſcet, ut antea dixi, prædicationes de pœnis impiorum, & de gloria Eccleſiæ.

Deinde repetitur prædictio de uocatione gentium: *Reliquiæ gentium uenient Ieroſolymam, & adorabunt Dominum &c.* Non erit ſalus extra Eccleſiam, qui non aſcendent ut adorent Deum Zebaoth, non pluet ſuper eos &c. Ac nominatim fit mentio feſti tabernaculorum, quia ſignificabat noua & æterna tabernacula.

In fine dulciſſimè dicitur: *Non erit in domo Domini mercator*, id eſt, Eccleſia uera non habebit Pontifices & Doctores tales, qui uentris & imperij cauſa fingent corruptelas doctrinæ.

ORDO CAPITVM.

IN prioribus ſex capitibus addit prædicationi de pœnitentia conſolationes de inſtauratione & defenſione huius politiæ:

Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos,

Ego ero murus igneus in circuitu eorum.

Non in robore, non in exercitu, ſed in ſpiritu meo, dicit Dominus.

IN ſeptimo & octauo concionatur de ueris cultibus.

Non præcepi de ieiunio &c.

Diligite ueritatem & pacem.

IN reliquis capitibus dicit de interitu politiæ Iudaicæ, poſt aduentum Meſſiæ, de paſſione Meſſiæ, & de beneficijs eius, de cruce Eccleſiæ &c. de uocatione gentium.

Adducam

Adducam ſeruum meum pullulantem, cælabo ſculpturam eius, auferam iniquitatem terræ.

Educes in ſanguine Teſtamenti uinctos tuos de lacu.

Effundam ſuper domum Dauid Spiritum gratiæ & precum.

Aſpicient me, quem confoderunt, plangent familiæ.

Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, ſuper uirum proximum meum &c.

IN poſtremo Capite plurima dicuntur de nouiſſimo iudicio.

TELOS.

EXPLICATIONES PHILIPPI MELANTHONIS IN INITIVM MALACHIÆ

TRADITÆ VVITEBERGÆ ANNO M. D. LIII.

VT ſuprà dictum eſt, in enarratione Prophetarum ſemper ordinē omnes patefactiones diuinæ, reuelatio promiſſionis, uocatio ſingulorum Prophetarum, conſilium Dei & officia præcipua Prophetarū conſideranda ſunt, & intuenda omnium temporum Eccleſia, & agnoſcenda eſt immenſa miſericordia Dei, quōd propter Filium & per eum initiò edidit promiſſionem, & excitauit ſubinde Prophetas, & ſic colligit æternam Eccleſiam. Ac dulce eſt totam ſeriem contemplari, in qua uidemus uelut in acie non longis interuallis ſucceſſiſſe poſteriores Prophetas prioribus. Hoc immenſum beneficium uera gratitudine celebremus, & Prophetarum concíones audiamus tanquam Dei uocem, Sicut ſuprā inquit Zacharias capite 7. Verba quæ miſit Dominus exercituum in Spiritu ſancto per manum Prophetarum.

In enarratione Prophetarū quæ conſideranda ſint.

DE TEMPORIBVS.

A ſecundo anno Darij Longimani, de quo anno Haggæus & Zacharias loquuntur, ſunt anni ad annum quo filius Dei ex uirgine natus eſt 462. Conſentaneum eſt autem Zachariam concionatum eſſe annis aliquot durante adhuc Perſica Monarchia. Sunt autem ab illo ſecundo anno Darij uſq; ad ſextū annum Alexandri anni 133. Iam ſi uixit poſt Zachariam Malachias ut conſentaneum eſt, incurrit eius ætas ferè in Ochum & Alexandri Macedonis tempora. Anteceſſit igitur Macabæos & Phariſæos non longo tempore. Sunt autem anni à Iuda Macabæo ad natalem Chriſti 166. Hæc breuia interualla conſideranda ſunt, ut cogitemus, quàm uariæ mutationes in gubernatione & in doctrina exiguo tempore factæ ſint in illa poſtrema ſenecta imperij, & admonitio de lege Moſi ſeruanda, uidetur præcipuè reſpicere confuſiones, quæ ſequutæ ſunt ſub Ocho & deinde ſub Antiocho. *Mementote Legis Moſi ſerui mei.* Et adduntur conſolationes de aduentu Meſſiæ, & de præcurſore Elia, quē Dominus ipſe inquit eſſe Iohannem Baptiſtam.

A ſecundo Darij ad Chriſtū natum anni 462.

Zacharias quando fuerit concionatus.

Malachias quo tempore uixerit.

Intuentes autem has triſtiſſimas confuſiones inde uſq; ab Ocho, cogitemus hanc ſenectam mundi habituram eſſe maiores dilacerationes, quàm fuerunt antea. Sub Ocho ſummus Sacerdos Ieſus in templo interfectus eſt à factione Iohannis fratris, qui ei ſummum Sacerdotium eripuit. Poſtea Bogeſes Perſicus

Senecta mundi habebit maiores dilacerationes.

Ieſus ſummus ſacerdos interfectus in templo.

Perſicus Satrapa templum ſpoliauit & ingens tributum toto ſexennio exegit. Sub Alexandro Manaſſes templum in Samaria condidit, unde & religionis perturbatio & bella orta ſunt inter Iudæos & Samaritas. Ptolemæus Lagi in Sabbato per fraudem ingreſſus urbem Ieroſolymam, ſæuitiam exercuit in urbe, & multos Iudæos captiuos abduxit in Aegyptum, præcipuos uiros, matronas, adoleſcentes & uirgines, & indixit tributum 20. talentorum, id eſt, duodecim millium coronatorum.

Ptolemæus Lagi.

Heliodorus miſſus à Seleuco ad ſpoliandum templum.

Iaſon emit ſummum ſacerdotium.

Iaſon apud Lacedæmonios in exilio mortuus.

Poſt aliquot annos Rex Syriæ Seleucus Heliodorum Ieroſolymam miſit ad ſpoliandum templum, mox ſequuta ſunt initia maximarum calamitatum. Iaſon 500. talentis emit ſummum ſacerdotium ab Antiocho Epiphane excuſſo Onia fratre. Poſt triennium Menelaus Iaſone excuſſo ſummum ſacerdotium ſimili arte mercatur. Hic Menelaus Oniam interfici curauit, & attraxit Antiochum Epiphanem, occiſus tandem à filio Antiochi Epiphanis, quòd fax fuiſſet belli Iudaici. Iaſon in exilio apud Lacedæmonios mortuus eſt.

Antiochus crudelitatem exercuit in Iudæos.

Macabæi.

Interea Antiochus Epiphanes horrendam crudelitatem toto octennio exercuit in Iudæa. Idolum in templo collocauit, magnam multitudinem hominum occidit, uaſtauit oppida. Sed paulatim Deus repreſſit eius exercitum ductore Iuda Macabæo, ut reliquiæ Eccleſiæ ſeruarentur. Interfecto Iuda Macabæo in acie frater Ionathas uaria fortuna præfuit, qui cum duobus filijs à Triphone Syriaco per fraudem interfectus eſt. Deinde tertius frater Simon cùm annis ferè octo præfuiſſet, à genero interfectus eſt.

Antiochus Soter obſidione cinxit Ieroſolymam.

Poſtea ſub Hircano filio Simonis Antiochus Soter obſidione cinxit Ieroſolymam, & fame coëgit eum facere deditionem. Poſtea tranquilliorem gubernationem habuit: Sed filij inter ſeſe dimicarunt, qui iam non contenti titulo ſummorum ſacerdotum, Reges etiam dici uolebant. Et Alexandrum filium Hircani Ptolemæus Lamirus magno prælio uicit, & coëgit captiuos Iudæos ueſci cocta carne puerorum Iudaicæ gentis. Hic Alexander & in feſto tabernaculorum circiter ſex millia hominum in urbe Ieroſolyma in ſeditione trucidauit. Deinde ſexennium cum Iudæis bellum geſſit, qui accerſiuerant Demetrium.

Alexandri filij Hircani ſummi Pontificis crudelitas.

Pompeius Hircano tradidit ſummum ſacerdotium.

Huius filij Hircanus ſecundus & Ariſtobulus etiam inter ſe de regno dimicarunt. Pompeius Hircano tradidit ſummum ſacerdotium interfectis uiginti duobus millibus Iudæorum. Ariſtobulum uerò Romam abduxit, unde cùm fugiſſet & bellum in Iudæa mouiſſet, rurſus captus eſt, & Romam miſſus, tandem ueneno extinctus eſt.

Ariſtobulus Parthicum exercitum in Iudæam adduxit

Ariſtobuli filius Antigonus cùm Parthicum exercitum in Iudæam adduxiſſet, fraude cepit Hircanum patruum, & ei ſummum ſacerdotium eripuit. Vrbem Parthi diripiunt, poſtea bella cum Herode geſſit, Sed Antonius Antiochiæ iuſſit eum interfici. Poſtea Herodes ſolus regno potitus eſt, & magnã crudelitatem exercuit.

Poſtremum tempus Iudaicæ politiæ, Significat ſimiles confuſiones in extrema ſenecta mundi fore.

Hæc tota Ilias poſtremi temporis Iudaicæ politiæ ſignificat ſimiles confuſiones in imperijs huius ſenectæ mundi, quas ſapienter toleremus, ne propter ſcandala deficiamus à Deo. Sed certò ſtatuamus inter has confuſiones filium Dei tamen Eccleſiam collecturum & ſeruaturum eſſe. In hanc nos includamus & petamus mitigationem calamitatum, ſicut præcipit Dominus: Orate ut poſſitis effugere uenientia mala. Suo quiſq; loco foueat ærumnoſam Eccleſiam, & caueat ne fiant maiores diſſipationes quantum poteſt. Ita tunc quoq;

quocꝫ ſeruata eſt Eccleſia. Fuerunt enim Simeon, Zacharias, Eliſabeth, Hanna, Maria, Ioſeph & alij multi qui rectè Deum inuocauerunt, & rectè docuerunt, quanquam alia impia multitudo longè maior fuit, & tenuit gubernationem, & familiæ gubernatorum inter ſeſe dimicabant.

Hactenus dixi quo tempore concionatus ſit Malachias, & quæ calamitates in illo populo poſt eum ſequutæ ſint. Ad hanc hiſtoriam prædictio accõmodanda eſt, quæ ut tunc fuit commonefactio, ne deficerent Iudæi à Deo, & conſolatio, ita nobis quocꝫ in hac ſenecta mundi ſit conſolatio & commonefactio.

Dilexi vos dicit Dominus.

Præcipua concio inde uſqꝫ ab initio in Eccleſia eadem eſt, uidelicet concio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum propter mediatorem: Ita ſtatim poſt lapſum primorum parentum accuſatur peccatum, & additur conſolatio promulgata promiſſione. Ac res ipſa oſtendit in omnibus Prophetis has duas materias præcipuas eſſe: Ita hic orditur de accuſatione, Sed prius commemorat beneficia, ut accuſatio fiat triſtior. *Præcipua concio in Eccleſia concio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum.*

Nec uerõ magnitudo beneficiorum uerbis exponi poteſt, Sed aliquo modo cogitanda eſt. Deus hunc populum ſegregauerat ab omnibus gentibus, in hoc populo ſe patefecit, dedit ei legem & promiſſionem gratiæ, affirmauit ibi ſe Eccleſiam collecturum eſſe, attribuit certam ſedem, & aſſiduis miraculis preſentiam ſuam oſtendit, & populum defendit ac reſtituit, miſit Prophetas & Duces, & magnam multitudinem in hoc populo elegit ad hæreditatem uitę æternæ, & ad ſocietatem æternæ Eccleſiæ. Hæc ſunt ſumma beneficia. Inobedientia igitur eõ maius peccatum eſt, quia inſignis ingratitudo accedit. *Beneficia exhibita à Deo iſti populo.*

In hoc exemplo & nos noſtram inobedientiam & ingratitudinem deploremus, & clamemus cum Ieremia: Conuerte me Domine, & conuertar. Nam & nos uocati ſumus ad Eccleſiæ ſocietatem, & quanquam Eccleſia nunc non habet politiam certam, tamen Deus ei dat alicubi hoſpitia, & mirabiliter eã defendit inter horrendas impiorum ruinas. Interea tamen plurimi ſunt inobedientes & ingrati. Obſeruabis igitur primùm in hoc textu, recitari hanc cõmemorationem de beneficijs, & accuſationes cum amplificatione: Cæterę gentes ita deletæ ac diſſipatę ſunt, ut non ſint reſtitutæ: Vos etiamſi eratis diſſipati, tamen diuinitus reſtituti eſtis, ſicut inquit Ieremias: Miſericordiæ Domini, quòd non conſumti ſumus. Initiò autem totam gentem accuſat, poſtea nominatim alloquitur ſacerdotes.

Offertis panem pollutum.

Loquitur autem de panibus propoſitionis, ut noſter textus mominat, de quibus extant mandata Exodi 25. & Leuitici 24. ubi iubet panes 12. ſingulis Sabbatis collocare in menſam tabernaculi. Et ſingulos uult fieri ex duabus decimis Ephi, id eſt Medimni Attici. Erat autem decima Ephi ſeptem ſextarij farinæ, & aliquantõ amplius. Erant igitur duæ decimæ quatuordecim ſextarij. Hinc intelligi poteſt panes grandes fuiſſe, & quidem congruentes ad menſuram ueteris demenſi. Chænix farinę erat panis pro quatuor nummulis noſtratibus. Continebat autem Chænix duos ſextarios farinæ. Ergo unus panis propoſitionis continebat ſeptem Chænicas, ut unus panis ſufficeret uſui hominis per ſeptimanam. *Panes propoſitionis ſiebant ex duabus decimis Ephi. Decima Ephi ſunt ſeptem ſextarij farinæ. Chænix farinæ panis pro quatuor nummulis.*

Hæc obseruentur, ut causa istius ritus & utilitas consideretur, quia his panibus alebatur huius Sacerdotis familia qui suo tempore sacrificabat. Quòd autem inquit, Offerri panes pollutos, præcipuè de personis intelligatur, quæ pollutæ erant impijs opinionibus, cultu idolorum, libidinibus, odijs factionum, parricidijs, & tamen offerebant, & fingebant hæc sacrificia esse summa merita, ut Oniam summum Sacerdotem curauit interfici frater Menelaus, & inuasit summum sacerdotium. Sic offerebant sacerdotes Pharisæi & Saducæi inquinati tetris erroribus et multis sceleribus. Taliũ sacrificia sunt impia iuxta dictum Pro. 15. Victimæ impiorũ abominatio Domini: Oratio autem rectorũ placet ei, & Eccles. 4. Melior est obedientia, quãm uictimæ stultorum, qui nesciunt quantum faciant malum. Oseas, Misericordiam uolo non sacrificium.

Panibus propositionis alebatur Sacerdotis familia.

Panes pollutos quare uocet.

Præuidet autem Spiritus sanctus in Prophetis loquens de panibus pollutis etiam calamitatem postremæ Ecclesiæ, in qua cœna Domini horribiliter contaminata est. Nam sacrificuli Papistici adferunt ad eam pollutas mentes impijs opinionibus & turpitudine uitę, & fit adoratio panis extra institutum usum, quæ est manifesta idolatria. Papam in magnis pompis præcedit equus gestans panem consecratum, Sicut Persicum Regem, præcedebat equus, gestans ignem, qui apud Persas colebatur, & nominabatur Orimasda, id est, lumen sanctum. Ad hanc totam profanationem accommodanda est hæc tristis accusatio de pane polluto, & de despectione mensæ. Sic & apud Esaiam tristissima querela est cap. 28. Omnes .n. mensæ repletæ sunt uomitu sordiũ &c. Hęc horrenda mala agnoscenda & deplorãda sunt, & orandus est filius Dei, ut ipse ea emendet, quærenda etiam uera doctrina de cœna Domini & alijs cultibus.

Profanatio cœnæ Dominicæ significatur.

Orimasda ignis sacerdotũ apud Persas.

DE COENA DOMINI.

Etiam uetustas recitat hanc definitionem. Sacramentum est signum gratiæ, Iuxta hanc definitionem rectè intellectam nulli ritus seu gestus institutus humana autoritate sunt Sacramenta. Item ritus diuini, qui non sunt propriè signa promissionis de Mediatore & gratia, non propriè nominantur Sacramenta, ut coniugium. Sed omissa logomachia sciamus Sacramenta in nouo testamento esse ritus institutos ab ipso filio Dei, qui sunt signa testificantia de promissione gratiæ, ut sunt Baptismus, Cœna Domini.

Sacramentum signum gratiæ

Qui ritus proprie sint Sacramenta.

Sacramenta quid sint & quot sint.

Sunt autem instituti ritus propter publicas & priuatas causas, publicè sunt signa distinctionis Ecclesiæ â cæteris hominibus, ut Baptismus & Cœna Domini discernunt Ecclesiam ab alijs hominibus. Vult enim Deus eam conspici, uult agnosci filium & exaudiri in toto genere humano, sicut dictum est: Hunc audite. Item, In omnem terram exiuit sonus eorum. Vult extare confessionem, & notam esse inuocationem Sanctorum. Item, Cœna Domini est nexus publicæ congregationis, quia enim Deus hoc modo colligit Ecclesiam & non aliter, scilicet uoce Euangelij, Vult hanc sonare in publicis honestis congressibus, Sicut dictum est, In conueniendo populum & Reges in unum, ut seruiant Domino. Et ut talis congregatio sit conspectior, & quasi fœdere aliquo copulata, hic ritus additus est, qui est similis libationi usitatæ patribus. Hæ publicæ causæ non sunt obscuræ.

Sacramenta instituta propter publicas & priuatas causas.

Diligenter autem priuata causa in singulis consideranda est, uidelicet quòd Sacramenta sint testimonia uoluntatis Dei erga nos, Vt enim in promissione offertur gratia seu reconciliatio, Sic in his externis ritibus idem seruatur, & ritus est commonefactio, pignus & applicatio ostendens promissionem

Sacramenta sunt testimonia uoluntatis Dei erga nos.

nem gratiæ ad singulos pertinere. Sic uocat Paulus circumcisionem sigillum iusticiæ. Et sicut promissio fide accipienda est, ita in hac commonefactione & applicatione fides necessaria est. Ideo cùm interrogamus de usu cœnæ Domini, usitatè respondetur, utendum ea esse ad confirmandam fidem, quæ scilicet hac commonefactione excitanda est, & agnoscendum testimonium applicatæ promissionis. Ita priuatim primus & immediatus & principalis finis est hæc consolatio seu confirmatio fidei, nam hæc idē sunt. Postea accedunt multi fines subordinati, gratiarum actio, inuocatio, confessio doctrinæ, fœdus concordiæ cum cæteris hominib. in eadē Ecclesia. Ideo & nomina huius ritus multa sunt.

Circumcisio sigillum iusticiæ.

Fides necessaria in usu Sacramenti.

Confirmatio fidei principalis finis cœnæ Dominicæ.

Nomina Sacramenti cœnæ multa sunt.

Græci uocant λειτουργίαν, id est, ministerium publicum, à λειτὸν quod significat rem partam in bello, unde λειτουργίαι dicuntur ministeria publica, collationes tributorum, certæ ædificationes seu operæ, quæ fiunt Reipub. causa. Intelligunt igitur Græci non solùm cœnam Domini, sed totum quod ibi agitur, consecrationem, distributionem cœnæ, inuocationem & gratiarū actionē. Et uocabulū λειτουργία de operis Leuitarum, ut de gestatione tabernaculi sæpè usurpatum est.

λειτουργία.

Vocabulum Missa uidetur Hebræum esse, quod simpliciter significat contributionem pecuniæ seu aliarum rerum, quia in hoc congressu conferebantur Eleemosynæ. Alij putant Latinam appellationem esse Missam, sicut Cyprianus pro remissione peccatorum nominat remissam. Et scribunt olim in Græcis Ecclesijs pronunciata esse hæc uerba, λαοῖς ἄφεσις ἔσω. Pro hac uoce ἄφεσις, dicunt Latinos usurpasse nomen Missa, Sed quæcunq; est origo, quærator concinna interpretatio. Vsitatum nomen est & εὐχαριστία quia certissimum est in hoc ritu Deo & Domino nostro Iesu Christo gratias agendas esse. In Aegypto etiam à contributione eleemosynarū Missam nomiarūt Agapen, quia ἀγάπας appellabant Eleemosynas, ut in Epistola Iudæ dicitur. Helluantur de uestris Agapis. Hæc appellationum consideratio historica est, & ostendit uetterem consuetudinem. Nunc de sacrificio dicam.

Missa uocabulum uidetur Hebræum esse.

εὐχαριστία.

ἀγάπη Missa dicta in Ægypto.

Sacrificium est opus à Deo mandatum, faciendum, ut Deo tribuatur honos, id est, ut ea obedientia ostendamus nos affirmare hunc solum esse Deum, quem sic colimus, & nos uelle ei subiectos esse. Osiander tres species constituit, Typicum, propiciatorium, & contributionem. Typica fuerunt omnes ritus Leuitici significantes Christum, nec merebantur remissionem peccatorum, sed erant signa docendi causa instituta. Propiciatorium unicum est tota Christi obedientia, hoc unum meretur remissionem peccatorum & reconciliationem hominibus, & applicatur singulis propria cuiusq; fide, audito, lecto, cogitato Euangelio.

Sacrificium quid sit.

Osiander species Sacrificiorum constituit tres.

Quòd autem aliqui Leuitici ritus dicebantur sacrificia pro peccato seu propiciationes, id nomen tantùm habebant typi significantes uenturam iusticiam, quæ uerè esset deletura peccatum, sed ipsi typi nec merebantur remissionem peccatorum, nec delebant peccata. Ideo dictum est ad Heb. cap. 10. Impossibile est sanguine taurorum tolli peccata. Tertiam speciem fecit Osiander contributiones, ut in lege offerebantur fruges & pecudes, unde Leuitæ uictum habebant, nec merebatur id opus remissionem peccatorum, sed erat merces debita docentibus, qui non possent studia doctrinæ colere & propagare, si essent occupati alijs negocijs in quærendo uictu. Tales igitur oblationes non uult propriè dici typos.

Cur Leuitici ritus aliqui sacrificia pro peccato dicta fuerint.

Tertia species, contributionē uocauit Osiander.

Etsi autem hanc enumerationem specierum non reprehendo, tamen quia

Duæ ſpecies Sacrificiorum.

hic non comprehunduntur ſacrificia, quæ ſunt, inuocatio, gratiarum actio, patientia in cruce &c. meam partitionem etiam repetam. Ego duas ſpecies conſtituo. Propiciatorium & εὐχαριστικὸν. Propiciatorium ſeu ἱλαστικὸν ſimpliciter unicum eſt uidelicet tota obedientia Chriſti, quæ ſola meretur remiſſionem peccatorum hominibus. Aliorum ſanctorum bona opera omnia facta in fide reipſa ſunt εὐχαριστικὰ & non merentur remiſſionem peccatorum. De his dictum eſt Oſeæ 14. Omnem aufer iniquitatem et reddemus uitulos labiorum noſtrorum id eſt, inuocationem, confeſſionē, gratiarū actionem, laborem docendi. Hęc nominantur aliās ſacrificia laudis. Et de patientia in cruce inquit Pſal. Sacrificiū Deo ſpiritus contribulatus, Deniq; omnia bona opera ſanctorum facta in fide etiam typica huc pertinent, quia facienti in fide erant ſigna confeſſionis & gratiarum actionis.

Omnia opera ſanctorum in fide facta εὐχαριστικὰ ſūt

Hanc declarationem monſtrantē diſcrimen inter ἱλαστικὸν & εὐχαριστικὸν neceſſe eſt in Eccleſia extare, quia neceſſe eſt diſcerni ſacrificiū Chriſti ā cęteris omnib.

De uocabulo teſtamenti.

Pro uocabulo teſtamenti lingua Hebręa utitur nomine Berith, quod generaliter ſignificat pactū. Et interpres Latinus reddidit his trib. uocabulis, pacti, fœderis et teſtamenti. Gręci tantū habent διαθήκη ut in Zach: dicitur. In ſanguine teſtamenti tui educes uinctos de lacu. Eſt aūt generaliter pactum promiſſio, id eſt conſenſus duorū uel plurium uerbis expreſſus, quo ſe uterq; obligat ad aliquid dandū aut faciendum, ut, Deus ꝓmittit Abrahæ ſemē & terram, & obligat eum ad circumciſionē, quam affirmat eſſe teſtimoniū de promiſſione. Viciſſim promittit Abraham ſe circumciſionē recepturum eſſe, et traditurum poſteris unà cum promiſſionis propagatione, ut agnoſcant uerum Deum & promiſſum Dominum. Idem pactum nominat latinus interpres fœdus, quæ appellatio propriē ad pacta bellica pertinet, Latini ueteres deriuatum eſſe dicunt ā fide.

Berith Hebræis quid ſignificet.

Pactum quid ſit.

Fœdus quid ſignificet.

Teſtamenti uocabulum.

Vocabulum teſtamenti latina cōſuetudo propriē accōmodat ad honeſtam ordinationē morituri, in qua hęres inſtituitur, & legata certis hominib. attribuuntur et dantur certa mādata. Gręci utūtur uocabulo διαθήκη. Et Epiſt. ad Heb. urget Emphaſin, quod morte confirmatū ſit teſtamentū filij Dei, Conſideratis igitur fontibus uocabulorum, cogitemus quid ſignificetur, cūm nominatur uetus & nouum teſtamentum.

Vetus teſtamentum quid ſit.

Vetus teſtamentum eſt uetus pactū, quo Deus obligat ſe populo ad dandā certam ſedem & politiam, in qua tamen uelit colligere æternam Eccleſiam: Et uiciſſim obligat hanc politiam ad legis obedientiā, & conſeruationem doctrinæ & promiſſionis in ſua politia. Nouum teſtamentum eſt nouæ & æternæ iuſticię & uitę promiſſio propter filiū morientē, in qua Deus ſe obligat nobis ad dandam remiſſionē peccatorum & reconciliationem, iuſticiam & uitam æternam, & uiciſſim nos obligat ad credendum promiſſioni quæ gratuita eſt, id eſt, tantùm propter filium datur, non propter legem.

Nouum teſtamentum quid ſit.

Addita autem ſunt ſigna nouæ promiſſioni, quæ non ſunt merita ſeu precium, ſed ſunt teſtimonia de promiſſione, ſicut Petrus nominat baptiſmum ſtipulationem bonę conſcientię erga Deū. Vt.n. in ſtipulatione interrogatio præcedit promiſſionem, ut ſit magis perſpicua aſſeueratio. Viſne mihi pro mercede has res Lipſiam transuehere? uolo. Ita in uſu Sacramentorum tanq; interroganti Deo, an uelimus oblata illa bona accipere & ei credere, Reſpōdemus: Nos uelle credere Euangelio, & hūc Deum inuocare, qui ſe patefecit miſſo Filio

Signa addita nouæ promiſſioni. Baptiſmus ſtipulatio bonæ conſcientiæ.

lio. Hic ipse usus Sacramenti est uelut stipulatio, Et talis asseueratio cùm non est simulata, est uox fidei.

Hinc intelligi potest in usu sacramentorum fidem esse necessariam. Nomen stipulationis etiam indicat rectè dici usum sacramentorū esse applicationem promissionis ad nos, ac significat Deum nobis aliquid exhibere tanq; interrogantem. Credisne tibi hęc bona exhiberi à Deo? Credo & agnosco te uerum esse Deum, te inuoco.

Fides necessaria in usu Sacramentorum.

Vsus Sacramentorum applicatio ad nos.

His fundamentis cognitis intelligi potest reipsa discrimẽ esse inter sacrificium & signa, quę propriè nominantur sacramenta. Nam per sacramenta Deus nobis exhibet & applicat suas promissiones, ut per baptismū recipit hominem. Sacrificia uerò sunt opera, quæ nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus, id est, ut testemur nos sentire hunc uerè esse Deum quẽ inuocamus & cui hanc obedientiam præstamus, ut castitas Ioseph est sacrificium, quia Deo hanc obedientiam præstat, & ostendit Deum quem ipse colit, talem esse, qui uelit castitatem & hanc obedientiam postulet.

Per Sacramenta Deus nobis aliquid exhibet.

Sacrificia opera sunt quæ nos Deo reddimus.

Cùm autem in uerbis cœnæ dicatur, Accipite, hic est sanguis meus noui testamenti, perspicuum est his uerbis offerri res promissas in nouo testamento, cùm & dicat uelut in stipulatione accipite, & mentionem faciat noui testamenti, quod est promissio remissionis peccatorum, reconciliationis & bonorum æternorum. Promissio autem fidem postulat in singulis. Quare manifestum est eam applicationem non fieri pro alijs, Sed tantùm fieri applicationẽ sumenti, qui conuersus fide accipit. Ita sumtio propriè habet rationem Sacramenti in his qui sumunt fide. Postea uerum est simul accedere oportere inuocationem & gratiarum actionem. Hæc opera quæ accedunt sunt sacrificia εὐχαριστικὰ seu laudis, ut Psalmus uocat.

Nouum testamentum quid sit.

Applicatio Sacramenti non fit pro alijs.

Est & hoc sciendum, nullum opus externum placere Deo ex opere operato, id est, sine interioribus motibus, uero timore Dei, uera fide faciente opus in agnitione Dei propter Deum, & fiducia filij, sicut scriptum est, Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & ueritate, id est, Spirituali motu & uera agnitione Dei iuxta uerbum traditum. Sic & Paulus iubet offerre λογικὴν λατρείαν Rom. 12. id est, cultum qui non tantùm sit externus gestus. Sed in quo cogitatio uerè intueatur & sentiantur in corde timor Dei & fides acquiescens in Deo. Externi gestus sine cogitatione interiore, sine timore & fide sunt ἄλογα opera sicut gestus pecudum, qui non reguntur cogitatione.

Nullum opus externum placet Deo ex opere operato.

λογικὴ λατρεία apud Paulum quid significet.

Hæc dicta sunt ut Malachiæ concio melius intelligatur, quæ taxat cæcam superstitionem populi & Sacerdotum, qui erant sine conuersione ad Deū, sine timore Dei, sine noticia Mediatoris, sine intellectu sacrificiorū, sine fide, et post ea fingebant mactationes esse cultus ex opere operato, & mereri remissionem peccatorū & alia bona, sicut Papistarum opinio est de Missa. Hanc cæcitatem Prophetæ sæpè taxant. Post eam reprehensionem addit Malachias prædictionẽ de uero cultu, quem deleta politia Iudaica Deus affirmat se instauraturum esse inter gentes, atq; ita consolatur nos, ut sciamus aliquas reliquias Ecclesiæ mansuras esse. Ideo dicit: Ab ortu Solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, id est, fulgebit noticia uera Dei inter gentes.

COMMENTARII IN PSALMOS
SCRIPTI PARTIM ANNO 1455. PARTIM 1553. ET 1554.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ IN ARGVMENTA AC DISPOSITIONEM PSALMORVM.

Ministerium doctrinæ cœlestis seruatur diuinitus.

AD EPHESIOS QVARTO SCRIBITVR, DIVINITVS SERVARI ministerium doctrinæ cœlestis, & subinde excitari Prophetas, Pastores & Doctores, ne lux doctrinæ cœlestis, vera inuocatio Dei, & veri cultus extinguantur, & totum genus humanum ruat in tenebras, errores, & æternum exitium.

Ac series temporum Ecclesiæ Dei, inde usq; à primis parentibus ostendit exempla huius ingentis beneficij Dei. Subinde duces & doctores Ecclesiæ excitati sunt, post Seth, Enoch, deinde Noë, Sem, Abraham, Ioseph, Moses, deinde Samuel, Samueli successerunt Nathan, Dauid & alij. Nam illa ætas omnium florentissima fuit, & maximè ornata sapientia & victorijs. Deinde secuti sunt Elias, Helisæus, hunc vidit Esaias, Esaiam vidit Ieremias, Ieremiam Daniel. Hi omnes fuerunt Doctores, per quos Deus et testimonia edidit suæ patefactionis, & doctrinã illustrauit, et voluit eos legẽ & promissiones interpretari contra Hypocritarũ iudicia, ac testes esse veræ interpretationis. Ita Deus in Ecclesia & suum verbũ & donum interpretationis largitus est.

In Prophetarum lectione considerandũ est, quid sit uocatio prophetica.

Quoties igitur de alicuius Prophetæ scripto cogitamus, tota gubernatio Ecclesiæ mente intuenda est, & considerandum quid sit vocatio Prophetica, vt conciones prophe-ticas sciamus vocem Dei esse se patefacientis generi humano, & Prophetam esse concionatorem vel gubernatorem vocatũ à Deo immediatè, & comprobatum certis miraculis, & testem veræ interpretationis legis & promissionum diuinarum de mediatore Christo.

Ac singulorum miracula testimonia sunt doctrinæ ipsorum. Sic ergo audiamus Dauidis conciones, tanquam vocem Dei sonantẽ de cœlo, qua se verè & certò patefecit Ecclesiæ Deus, & his concionibus confirmemus in nobis fidem & inuocationem, & Deo gratias agamus pro hac patefactione & hac doctrina.

Psalmi sunt uerè doctrina Dei.

Sit ergo hoc fundamentum enarrationis, quòd Psalmi verè sint doctrinæ Dei, vt secundæ Petri primo de Prophetis dicitur.

Deinde materias discernito. Vt vniuersa doctrina Ecclesiæ in duas partes distribuitur, videlicet Legem & Euangelium, ita discernantur & Psalmi: alij magis continent doctrinam legis, id est, præcepta, & adhortationes: alij magis interpretantur promissionem de Christo propriam Euangelij: Alij prorsus pertinent ad genus διδασκαλικὸν seu demonstratiuũ, vt Psal. Dixit Dominus, qui est interpretatio promissionis de Christo. Id enim præcipuũ est Prophetarũ officium, testes esse de venturo Messia & interpretes promissionum: Alij sunt generis suasorij, vt qui concionantur de bonis operibus, aut consolantur pios in afflictionibus, aut continent petitiones, ut Psalmus 51. Miserere mei Deus.

Psalmorum discrimina.

Hæc genera discernenda sunt, vt fines Psalmorũ intelligantur, hoc est, vt sciat Lector, quid velit docere vel efficere Spiritus sanctus in singulis Psalmis, & mentẽ & cor ad illum motũ accommodet qui proponitur, amplectatur fide doctrinam, expauescat lectione comminationum, sustentetur promissionib. ardenter petat, & verè expectet mitigationẽ calamitatum, meminerit insignia testimonia dogmatũ Ecclesiæ, ad alendam & confirmandam fidem, sicut Apostoli ex Psalmo 16. confirmant resurrectionẽ Christi. Hæc distinctio in genere multum lucis adfert Psalmis, ut prudens lector facilè intelligat.

ARGV-

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO PRIMI PSALMI.

BEATVS VIR QVI NON ABIIT IN CONSILIO IMPIORVM &c.

PRimus Psalmus tanquam præfatio est totius operis, & est generis demonstratiui seu didascalici: Est enim descriptio, docens quæ sit uera Ecclesia Dei, quæ uidelicet amplectitur uerbum Dei. Et hæc discernitur à cæteris sectis, quæ habent commentitiam doctrinam, sine uerbo Dei. Amplificatur autem descriptio collatione successuum, & pœnarum. Hæc collatio consolationem continet. In tantis ærumnis uidetur Ecclesia frustra suscipere labores & pericula, sed non frustra suscipit, imò florebit ut palma, cæteræ uerò sectæ delebuntur. *Primus Psalmus præfatio est totius operis.*

Cùm autem docet quæ sit uera Ecclesia, monet nos, alligatam esse ad uerbum Dei, & cognitionem uerbi Dei, & ministerium omnibus commendat.

Primi duo uersus sunt descriptio Ecclesiæ, quæ est aucta Antithesi. Primùm enim negatiuè recensetur, qui non sint membra Ecclesiæ, postea additur affirmatiua. *ET IN LEGE DOMINI VOLVNTAS EIVS*, id est, qui hoc uerbum à Deo traditum amplectitur, & non sequitur humanas opiniones de Deo, seu Ethnicas, seu Iudaicas, seu Philosophicas, seu quascunq; extra uerbum Dei conflictas.

Reliqui uersus omnes continent amplificationem de successibus & fructibus ueræ Ecclesiæ, & de exitio impiorum. Hæc amplificatio consolatur pios, ut suprà dixi.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO *secundi Psalmi.*

QVARE FREMVERVNT GENTES, ET POPVLI MEDITATI SVNT INANIA? &c.

SEcundus est Prophetia de uenturo Messia. Et quanquam in exordio & post Narrationem habet insignes adfectus, obiurgationes, & comminationes, tamen principalis narratio est generis demonstratiui: dicit enim, & mittendum esse Messiam, & quis sit, & ubi regnaturus sit. Et in fine additur testimonium de fide, qua beneficia Messiæ accipienda sunt. *Secundus Psalmus est Prophetia de futuro Meßia.*

EXORDIVM, uehemens increpatio est hostium Euangelij & comminatio. Hi adfectus ac motus conueniunt exordijs, ut ex præceptis uulgaribus notum est. Et præcipuè sunt usitati Prophetis, quorum initia magnos dolores significant, ut apud Esaiam: Audite cœli & terra. Admonentur ergo Reges & Principes, ne Christo aduersentur, & damnantur iam omnes aduersarij.

DIRVMPAMVS VINCVLA EORVM) μιμικῶς dicitur, & uox est impiorum, qui negant se passuros Euangelij propagationem: Deinde opponitur diuina comminatio: Habitans in cœlis irridebit eos.

Narratio. *EGO INVNGO REGEM MEVM SVPER ZI-*

ZION MONTEM SANCTVM. In hoc uersu affirmat Deus, certò se missurum esse Messiam: & disertè inquit, Ego inungo, ut sciamus non humanis uiribus, sed mirabili modo diuinitus constituendum esse hoc regnum.

Deinde addit quis sit hic Rex, & quale sit hoc regnum futurum, uidelicet in quo Filius Dei agnoscatur, & eius beneficia celebrentur, & quousque fines proferendi sint.

Postremò etiam addit de modo, quo beneficia huius regni consecuturi simus.

Quis sit Messias. Quis sit? Hic Messias est filius Dei: *DOMINVS DIXIT AD ME, FILIVS MEVS ES TV, EGO HODIE GENVI TE.*

Quale regnum erit?

Quale regnũ erit. Non gubernabitur ut cætera, legibus forensibus & armis, Sed regetur nouo uerbo de uoluntate Dei placati per hunc Filium. Ideo dicit: *PRÆDICABO DE PRÆCEPTO, FILIVS MEVS ES TV.* Hanc nouam sententiam ait se prædicaturum esse de filio. Et quia adfirmat se prædicaturum esse, instituet ministerium Euangelij: docendum est igitur, & discendum. Et in hoc dicto cogitemus de studijs nostris: Deus adfirmat se hoc regnum prædicationis uelle constituere: defendet igitur studia & doctrinam, nec sinet prorsus deleri Ecclesias, scholas, & domicilia doctrinæ.

Quousq; proferentur fines. Quousq; proferentur fines?

Per totum genus humanum: *DABO TIBI GENTES* hæreditatem tuam &c. hic continetur doctrina de uocatione gentium.

ET NVNC REGES INTELLIGITE.

Adhortatio ad agnoscendum, audiendum, & uenerandum hunc Regem: & nominatim alloquitur Reges, ut sciant se quoq; inferiores esse hoc Domino, & hunc futurum omnium Regum Iudicem.

Et dulcissimum πάθος est de modo colendi huius Domini in his uerbis,

Osculamini filium. *OSCVLAMINI FILIVM.* Significatur ergo sic aduenire, ut suauissimè nos salutaturus sit: non ueniet ut perdat genus humanum, sed ut omnes ad ipsum confugientes seruet, sicut inquit: Venite ad me omnes qui laboratis. Hæc uox est blanda salutatio, & dulcissimum osculum, quod offert nobis. Non ingreditur Hierosolymam Christus, ut Herodes trucidans populum, sed offerens salutem omnibus.

Et rursus ardentissimum πάθος est, in nuncupatione filij: æternus pater iubet ut Filium amplectamur, audiamus, osculemur, Ergo & ipse diligit filij amicos.

Deinde pœnæ contemnentium filium recitantur. Et additur antithesis de præmijs eorum qui filium audiunt, & de modo quo adplicantur filij beneficia:

Beati qui confidunt in eo. *BEATI OMNES QVI CONFIDVNT IN EO.* Hic doctrina de fide & de iusticia fidei continetur. Adfirmat beatos fore homines, id est, liberos à peccato, morte, tyrannide diaboli, si confidant se propter filium à Deo recipi, & per filium defendi & seruari. Hanc doctrinam non intelligebant Pharisæi & aliæ Hypocritæ, oppressi imaginationibus humanis & Philosophicis de disciplina, & qui Deum cum dubitatione inuocabant.

Sed

Sed Prophetæ inculcarunt ueram de fide doctrinam, & postea Christus & Apostoli. Et hæc discenda est in ueris exercitijs inuocationis. Ac prorsus idem dicit hic Psalmus, quod Baptista inquit Iohan. 3. Qui credit in Filium, habet uitam æternam, qui non credit in Filium, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi III.

DOMINE quid multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt aduersum me?

Similes sunt, in Christo & cæteris membris Ecclesiæ Dei afflictiones, agones, & precationes, etsi in Christo antecellunt. Et Prophetæ cùm sustinerent suos agones, uidebant Christum similia passurum esse, Ideo eadem uox est sæpè in Psalmis Christi & aliorum precantium. Quia autem in hoc Psalmo hæc sunt uerba, *EGO SOPITVS SVM ET SVRREXI*, ideo accommodatur ad Christi mortem & resurrectionem, id non improbo. Nam Propheta etiam cùm de suo periculo & sua liberatione precatur, tamen significat Christum similia passurum, imò docet nos propter illum Dominum liberari. Redditur nobis uita æterna, quia Christo redditur, ut infrà Psal. 15. disertè inquit, Non relinques animam meã in inferno. Adfirmat Christo reddendam esse uitam, sed simul complectitur se & omnia membra Ecclesiæ. Nobis omnibus propter Christum redditur uita.

Tertius Psalmus accommodatio ad Christi mortem & resurrectionẽ.

Hæc regula in Psalmis obseruetur, ut sciamus sæpè uocẽ Dauidis, simul esse uocem Christi, & econtrà uocem esse Dauidis seu nostram uocem.

In Psalmis uox Dauidis sæpè est Christi, & Christi uox sæpè Dauidis.

Est ergo hic Psalmus suasorij generis, precatio, ut liberemur in tristissimo agone, ubi uidemur etiam à Deo abiecti. Nam hæc uox non significat leues ærumnas: *NON EST SALVS EI IN DEO SVO.* Et mixta est gratiarum actio, quæ docet, quales sint liberationes diuinæ, scilicet longè superantes humanam potentiam.

Initium est querela: *QVAM MVLTI SVNT HOSTES MEI.*

Precatio: *TV AVTEM DOMINE SVSCEPTOR MEVS ES.*

Orditur autem petitionẽ ab argumento potentiæ & uoluntatis Dei quẽ inuocat: intuetur personam, Deum uidelicet, & eius præcepta, promissiones et exempla. Ideo te inuoco unum, quia tu es scutum meũ, id est, tu præcepisti te inuocari, & dedisti promissiones, uis exaudire & iuuare, & toties iam declarasti ipsis factis, seruasti me inuocantem. Hæc omnia complectitur cùm significat causas cur ad ipsum confugiat. Constat aũt in petitionibus præcipua argumenta sumi à facultate & uoluntate: Potes & uis me iuuare, & sæpè iam seruasti, Ad te igitur unum confugio. Hæc sunt ardentia πάθη, cùm in ueris doloribus hac consolatione nos erigimus, uidelicet cùm adhuc in corde manet hæc lux, nos non abiectos esse à Deo, sed uerè recipi, exaudiri, & auxilium, mitigationem, & liberationem, diuinitus seruros esse.

Argumenta in petitionibus sumuntur à facultate & uoluntate.

Est autem hic uersus antithesis superioris particulæ tristissimæ, *MVLTI DICVNT, NON EST SALVS EI IN DEO SVO.* Imò, inquit, non deficio à te, scio te uelle inuocari, & uelle liberare.

Ac propter huius uersiculi declarationem miscentur exempla liberationum,

num,quorum recitatio & gratiarum actio est, & doctrina, ostendens quomodo Deus liberet,uidelicet cùm prorsus humanis consilijs destituti sumus,*EGO SOPITVS SVM ET SVRREXI:* Id est, ex media morte liberatus sum. Deinde sequitur expressa petitio, *EXVRGE DOMINE, SALVVM ME FAC.* Et tribuitur laus uictoriæ ipsi Deo: *QVIA TV PERCVTIS HOSTES MEOS.*

Epiphonema generale, continens summam promissionum: Deus certò curat, iuuat,liberat Ecclesiam suam: *A DOMINO EST SALVS.*

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO quarti Psalmi.

Cùm clamo exaudi me DEVS iusticiæ meæ, in tribulatione qui me consolaris,Miserere mei,& exaudi orationem meam.

Psalmus quartus disputationem habet de scandalo Crucis.

PLana & perspicua precatio est, & ad suasorium genus refertur, ut de precationibus dici solet. Continet autem hic Psalmus disputationem de scandalo crucis,ac refutat & obiurgat eos,qui propter calamitates & crucem existimant Ecclesiam à Deo abiectam esse, aut negligi, aut commentitiam esse totam doctrinam de Deo, quia uidemus Ecclesiam aut calamitosiorem esse cæteris gentibus,aut certè nihilo tranquilliorem.

Dauid opponit illi obiectioni duas responsiones. Prior est: Imò etiamsi exercemur horribiliter, tamen mirandis modis rursus liberamur,ut conspiciatur Dei præsentia. Altera est: Etiam corda nostra interiori consolatione confirmat,ut certò sciamus nos à Deo iuuari, & ut perferre miserias fortiter possimus, Sicut Laurentius in craticula animosissimè mortem perfert.

Primus uersus est precatio: *CVM CLAMO, EXAVDI ME.*

Secundus est Apostrophe ad omnes,qui offensi specie crucis, existimant Deo non esse curæ Ecclesiam inuocantem ipsum. *O VOS SVPERBI, QVARE GLORIAM MEAM,* id est,meas ærumnas,ducitis esse probrum: quare diligitis uanitatem,id est, bona fallacia,fugacia, non durabilia, uoluptates, uitam, opes.

Tertius uersus opponit responsionem primam, *IMO DEVS MIRANDIS MODIS LIBERABIT.*

Quartus uersus adhortatio est ad imbecilles & sanabiles, ut perferant miserias, nec deficiant propter crucem, *SI MOVEMINI PROPTER* furores hostium,reprimite uos, nec peccate,uel deficientes à Deo, uel quærentes inconcessa præsidia, uel ruentes inordinata cupiditate uindictæ,Sicut multi uicti dolore & deficiunt à Deo, & quærunt inconcessa præsidia,ut Saul, Achas,& Græci Imperatores, qui attraxerunt Turcas.

Expositio proximi uersiculi, *COGITATE,* quid nam? *SPERATE IN DOMINO, ET SACRIFICATE SACRIFICIVM IVSTVM.* Nam hæc pars expositiuè additur.

Sextus uersus est repetitio querelæ infirmorũ: *MVLTI DICVNT, QVIS OSTENDET NOBIS BONA?* id est, multi metuunt fore ut deserti pereant & prorsus deleatur Ecclesia. Huic querelæ precationem & alteram responsionem opponit. *IMO LEVATV LVMEN SVPER NOS,* id est,consolatione tua nos sustenta.

Septimus

Septimus uersus recitat alteram consolationem: DAS LÆTITIAM IN CORDE MEO, id est, tu nos interiore luce & consolatione confirmas.

Antithesis, ILLI HABENT OPES ET POTENTIAM, quæ magis quærunt, quàm gloriam Dei. Non offendar hac ipsorum beatitudine, ut propterea ipsis adsentiar. Nos econtrà fruamur hac beatitudine, quòd tu es protector noster, & defendes & liberabis nos.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO quinti Psalmi.

VERBA MEA AVRIBVS PERCIPE DOMINE, INTELLIGE CLAMOREM MEVM &c.

Titulus indicat argumentum. Orat enim Dauid pro hæreditatibus, id est, pro Ecclesia: nec dubia est sententia huius Psalmi. Totus enim precatio est, plena doloris & indignationis aduersus impios doctores, qui cùm autoritate, ordinaria successione, (ut uocant) potentia, titulis, opibus, antecellant misero cœtui rectè docenti, multorum animos mouent, ut errores adprobent, stabiliant, & defendant. *Quintus Psalmus est petitio pro Ecclesia.*

Aduersus hos necesse est & doctrina & inuocatione Dei muniri pios. Ideo ardenter orat Dauid & Ecclesia statim initiò, ut regatur & defendatur contra impostores. Hæc propositio repetitur initiò in tribus uersibus.

In quarto sequitur ratio petitionis, quia Deus uerè sit uerax, bonus, iustus, uolens tantùm uera, bona, iusta, & uerè nolens mendacia, & omnia dicta & facta pugnantia cum sua uoluntate & uerbo. Ac sumitur ex hoc loco uera & necessaria doctrina, quæ adfirmat Deum non esse causam peccati, nec uelle nec adprobare peccatum. *Testimonium Psalmi quinti, quòd Deus nõ sit causa peccati.*

Hoc loco & testimonia Iohannis 8. & alibi tradita cogitanda sunt, ut uerè statuamus, Deum nolle & damnare peccata, & seriò expaueſcamus metu iræ Dei, & fugiamus omnia quæ pugnant cum uerbo Dei.

In sexto uersu recitata antea ratione, petit deleri pernicioſos doctores: PERDES, inquit, LOQVENTES MENDACIVM.

Deinde in octauo uersu antithesis additur, petit ut Deus regat Doctores & Ecclesiam uera doctrina, & ueris ac pijs consilijs.

In nono uersu, illustris descriptio est pernicioſorum doctorum, ubi dicit blandiri hominum iudicijs impias opiniones, sed tamen esse pestes exitiales ijs qui decipiuntur, ut Caiphæ ratio humano iudicio non poterat statuere, hũc Iesum crucifixum, esse filium Dei & Messiam, & tamen error Caiphæ, ipsi & alijs exitio fuit.

In fine repetuntur precationes, quibus petit ut impij doctores & gubernatores reprimantur, & econtrà defendantur pij & salutares doctores & gubernatores.

Vltimus uersiculus est promissio, quæ consolatur pios, ne fracti desperatione abijciant professionem & functionem ueræ doctrinæ propagandæ: ac testatur iuuari pios, nec posse prorsus deleri ab impijs. Et dulcissima figura utitur: SICVT SCVTO, FAVORE TVO CORONAS NOS.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi VI.

DOMINE, NE IN FVRORE TVO ARGVAS ME, &c.

VI. Psalmus petitio est, cõsolatio & gratiarum actio.

PEtitio est plena tristissimorum & horribilium adfectuum, quos homines ebrij uoluptatibus, aut qui habent animos occupatos curis opum aut ambitionis, non intelligunt. Sed Adam uidens necem filij, Dauid pulsus in exilium, Ezechias clamans: sicut Leo contriuit omnia ossa mea, Ieremias uidens excidium patriæ, Christus sudans sanguinem, hos affectus intellexerunt. Cùm enim agnoscunt animi iram Dei, & se subijciunt pœnis, aut se ualde supra uires premi sentiunt, aut metuunt æternam reiectionem, petunt his uerbis mitigationem, *DOMINE NE IN FVRORE TVO ARGVAS ME*, id est, ne totam iram effundas, ne me in æternum interitum abijcias, ne propter me uagetur pœna per familiam totam & gentes totas, ut Saul abijcitur in æternum exitium, Et Dauidis pœna uagatur per familiam & uniuersam gentem, & horribiliter cumulantur scelera & exitia.

Sæpè repetũt Prophetæ mitigationem calamitatum.

Sæpè autem repetunt, hanc precationem Prophetæ. Vt Ieremias inquit cap. 10. Corripe me Domine, non in furore tuo, ne in nihilum redigas me, effunde indignationem tuam super gentes, quæ te non nouerunt. Et Abacuc 3. Cùm iratus fueris, misericordiæ tuæ recorderis. Et Esaiæ 64. Et nunc Domine Pater noster es tu, nos uerò lutum, & opera manuum tuarum omnes nos, ne iratus fueris Domine ualde. Ita Prophetæ subijciunt quidem se pœnis, sed petunt mitigationem & deprecantur æternum interitum, & suorum παυολεθρίαν.

Ac repetita est precatio in quatuor uersibus, hæc repetitio, utcunq; magnitudinem doloris significat.

Mitigatio petitur quia Deus misericors est.

Ratio autem hic & aliàs in Prophetis additur, propter quam mitigatio petitur, scilicet, quia Deus est misericors, imò & promisit mitigationem pœnarum, ut Oseæ 11. dicitur. Quomodo dabo te Ephraim? An sicut Adama ponam te? Imò conuersum est in me cor meum, exarsit commiseratio mea. Non faciam furorem iræ meæ, Non perdam Ephraim, quia Deus ego sum, & non homo, In medio tui sanctus, id est, patefeci me uobis, tradidi uobis uerbũ meum, propter id inter uos habito, nec penitus uos delebo. Et Ioel 2. Misericors est Dominus, & pœnitet eum mali, id est, mitigat pœnam.

Ne extinguatur noticia Dei.

Altera ratio est, ne penitus extinguatur noticia Dei, & laus misericordiæ & bonitatis eius. *NON EST IN MORTE QVI MEMOR SIT TVI, IN INFERNO QVIS CONFITEBITVR TIBI.* Mitiga pœnas & serua me, ut noticia tua propagetur: item ut agam tibi gratias, celebrem tuum beneficium & tuam misericordiam. Ita propter gloriam Dei liberationem petimus. Sicut precatur Iosue in summo periculo: Quid facies magno nomini tuo. Et in Psalmo dicitur: Non mortui laudabunt te Domine. Nec ministerium in hac uita, nec Ecclesia in æternum celebratura Deum esset, si Deus non mitigaret iram, ut & in hac uita sint Doctores, & postea cœtus in æterna uita Deum celebrans: Et passim similes precationes in lectione Prophetica sunt obuiæ.

Versu sexto & septimo repetitur querela de magnitudine doloris.

Versu octauo, & deinceps describitur consolatio. Hæc pars iam est gratiarum actio, & nobis doctrinam proponit. Ideo enim recitatur consolatio, ut sciamus

sciamus Deum uerè exaudire preces Ecclesiæ,& membrorum Ecclesiæ. Ac ad nos restringenda est promissio. Nam Dauid ut membrum Ecclesiæ,compellat hunc unum uerum Deum,qui se in hoc populo patefecerat, & dederat promissionem misericordiæ. In hanc promissionem intuens,petit beneficium,& hunc Deum alloquitur,qui promissionè certis testimonijs tradiderat. Quare & nomine peculiari יְהוָה eum cõpellat, quo seiungebatur inuocatio in hac uera Dei Ecclesia,ab Ethnica inuocatione. Ipsum autem exemplũ liberationis Dauidis testimoniũ est promissionis. Ideo in nostris periculis & ærumnis legamus hęc exempla,& credamus nos quoq; exaudiri & impetrare mitigationem pœnarum & liberationem. Et inuocantes uero gemitu & hac fide, haud dubiè sentient leuationem, sicut alio loco dicit Psalmus : Prope est DOMINVS omnibus inuocantibus eum in ueritate.

Inseritur & gratulatio,qua triumphat aduersus hostes : Vos,inquit,hostes Ecclesię Dei gloriabamini in mea calamitate,& insultabatis nobis, ac læti uociferabamini nos à Deo reiectos esse,ut Semei insultabat Dauidi, At nũc econtrà agnoscite uestrum errorẽ,scitote nos uerè exaudiri à Deo,Nõ sitis epicurei, Nõ sitis hostes uerbi Dei: tandem uos Deus puniet & pudefaciet. Hac propria & natiua Psalmi sententia considerata,sciamus eam precationem esse cõmunẽ, quã omnes pij in magnis periculis & ærumnis corde & ore recitent, & ex qua consolationem petere debent,cũm ibi testimoniũ promissionis, uidelicet liberatio Dauidis proponatur. Pertinent autem petitiones ad genus suasoriũ. Ad idem genus pertinet & exemplum liberationis, quia tanquam consolatio proponitur. Sed gratiarum actio pertinet ad genus demonstratiuum,narrat enim non casu factam esse liberationem,sed à Deo & huius misericordiam celebrat.

Gratulatio.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi VII.

DOMINE DEVS MEVS IN TE SPERAVI, SALVVM ME FAC EX OMNIBVS PERSEQVENTIBVS ME, ET LIBERA ME. &c.

TItulus est ignorantia Dauid,quam cecinit Domino de uerbis Cus, filij Iemini. Etsi autem uariæ sunt interpretationes,tamen simplicissimã hanc esse iudico. Ignorantiam uocat professionem innocentiæ,seu non agnoscentis conscientię obiecta crimina,quòd inuaserit regnũ,& priuata cupiditate grassatus sit aduersus Saulem. Nos diceremus,inficiatio Dauid, seu innocentia Dauid. Ipse uerecundius,grauius & significantius inquit,Ignorantia, quasi dicat,non agnosco obiecta crimina, Nec multum interest,utrum Sauli & Simei criminãti oppositum dicas hunc Psalmũ : sed tamen magis consentanea est oratio eorum,qui hanc ardentẽ precationem compositam existimant aduersus calumnias Semei. Hunc uocat Cus,id est,Aethiopẽ,id est,atrũ & hostem Israëlitarum, id est,uerę Ecclesię. Vt si quis impium Ecciũ uocasset atrũ,& hostem uerę Ecclesiæ. Exemplum aũt transferri ad omnes similes casus potest. Semper impij deformare Ecclesiam et pios doctores atrocibus calumnijs student, semper obijciunt pijs doctoribus crimen hæreseos,seditionũ,ambitionis, & aliorũ multorum furorum. Aduersus has calumnias recitemus hunc Psalmũ, qui duplicem responsionem continet,inficiationem,& petitionem liberationis,& huic ratio grauissima additur,uidelicet ne opprimatur uera doctrina, ne impij potiantur ministerio.

Ignorantia Dauid in Psalmo septimo significat innocentiam seu inficiationem calumniæ Semei.

Septimus Psalmus calumnijs Semei opponit inficiationem & petitionem liberationis.

In hanc ſententiam inquit: EXVSCITA AD ME IVDICIVM, id eſt, gubernationem quam mandaſti, id eſt, Quia tu mihi miniſterium commendaſti, reſtitue id mihi, ut populus rectè & piè doceatur ac regatur. Ita & nos hæc duo opponamus calumnijs, inficiationem falſorum criminum, & petitionem liberationis. Nam iuſticia bonæ conſcientiæ retinenda eſt, ut Petrus ait: Patiendum nobis eſſe, ſed non ut uerè reis furtorum aut homicidiorum. Et profeſſio bonæ conſcientiæ neceſſaria eſt coram hominibus.

An rectè Dauid in iudicio Dei conſcientiæ ſuæ teſtimoniũ citet.

Sed hic quæſtio agitatur, cùm Dauid in iudicio Dei citet teſtimonium conſcientiæ ſuæ, an probanda ſit fiducia bonæ conſcientiæ. Facilis explicatio eſt ſententiam Pauli conſideranti: Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non iuſtificatus ſum. Alia eſt iuſticia perſonæ, qua perſona tota coram Deo gratis reputatur iuſta. Hæc imputatio tantùm fide accipitur, nec opponuntur noſtræ uirtutes aut beneficia. Cùm autẽ hac iuſticia perſonæ donati ſimus, neceſſe eſt adeſſe & alteram iuſticiam bonæ conſcientiæ, ſeu operum, Non indulgeamus ulli cupiditati contra conſcientiam. Et hæc iuſticia bonæ conſcientiæ placet Deo in reconciliatis, ſicut Paulus inquit, Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Et Rom. 14. Qui in his ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus. Et profeſſio huius iuſticiæ corã hominibus in cauſis, ubi aliorum conſcientiæ periclitarentur re diſſimulata, neceſſaria eſt, iuxta illud: Non dicas falſum teſtimonium. Si Dauid confeſſus eſſet ſe fuiſſe ſeditioſum, perturbaſſet conſcientias eorũ, qui fuerunt miniſtri conſiliorum Dauidis. Ac maximè in cauſa doctrinæ aſſeueratio neceſſaria eſt, quòd res ueras & neceſſarias, bona conſcientia doceamus.

Iuſticia bonæ conſcientiæ.

Prorſus igitur, ut Dauid aduerſus ſuos calumniatores precatur, & profitetur iuſticiam ſuę conſcientię ſeu cauſę, ita nos ijſdem uerbis & ſimili affectu cordis precemur, ut Deus reprimat noſtros ſycophantas, & profiteamur iuſticiam cauſæ noſtrę: Reprimat autẽ Deus Sycophantas, ne deleatur miniſterium Euangelij, Sed ſynagoga populorum circundet Deum, id eſt, Eccleſia reducatur ad Deum.

Nunc facilè eſt uidere ſententias, & ordinem Pſalmi, conſiderata hac argumenti expoſitione & applicatione ad noſtra pericula. Vt Dauid titulum fecit ignorantia, id eſt, inficiatio calumnię, ita nos inſcribamus nobis hunc titulum, depulſio calumnię, uidelicet per inficiationẽ, & per precationem, qua Deum oremus, ut ipſe nos à Sycophantis liberet, ne miniſterium Euangelij deleatur.

Primus uerſus petitio eſt liberationis. Obſerua aũt compellari propria appellatione uerum Deum, patefactũ in hoc populo. Hac compellatione cõplectitur promiſſiones, & teſtatur ſe alloqui uerũ Deum, qui ſe patefecit, & tradidit promiſſiones. Ideo dicit, te inuoco יְהוָה, quem profiteor uerè eſſe Deum meum: profiteor Aegyptiorum & Syrorum, & aliorum impiorum commentitia numina, non eſſe Deos: ſed te reuera eſſe Deum, qui te in Iſraël patefeciſti, & uerbum tuum nobis tradidiſti.

Tertius uerſus continet inficiationẽ, qua iurat & Deum teſtem facit, ſe non eſſe reum eorum criminũ, quę Semei obijcit. Non rapui regnum, nõ graſſatus ſum priuata cupiditate aduerſus Saulem & eius poſteritatem. Ita & nos profiteri cauſam iuſtam debemus. Hæc profeſſio propter homines neceſſaria eſt, & placet Deo (ut dictum eſt) in reconciliatis.

Sexto uerſu repetit precationem, & addit cauſam: EXVRGE DOMINE

NE, RESTITVE MIHI IVDICIVM, id est, gubernationem quam mandasti, restitue mihi regnum, ne dominentur impij oppressuri ueram doctrinam, sed reducatur ad te Synagoga populorum, propter hanc tuam Ecclesiam reuertere tu ad nos, & reducito me.

In uersu octauo prouocat ad iudicium Dei, quod non de persona, sed de causa intelligatur. Semper Ecclesiæ causa iniquis iudicijs maximæ multitudinis damnatur. Sed Deus tandem suis testimonijs ostendit causam Ecclesiæ ueram esse: IVDICA ME DOMINE SECVNDVM IVSTICIAM MEAM, non personæ sed causæ, de hac loquitur: & perspicuum est discrimen, consideranti ea quæ suprà dicta sunt.

Dauid prouocat ad iudiciũ Dei, non de persona, sed de causa.

Reliqui uersus repetunt precationem, & hortantur impios ad pœnitentiam, & prædicunt eis certum exitium, si non resipiscant.

Vltimus uersus est gratiarum actio pro liberatione.

Totum autem Psalmum meminerimus nobis propositum esse exempli causa. Difficile est sapientib. sustinere calumnias. Docet igitur Psalmus quid agendum sit, & unde petenda & expectanda defensio, cùm mundi iudicia sint iniusta. Docet tuendã esse iusticiã bonæ conscientiæ, & à Deo petendam & expectandam defensionẽ ac liberationẽ. Et exemplo suo testatur Dauid, Deum reuera refutare calumnias, et sycophantias, sicut reductus est Dauid, & punitus Semei. Hac doctrina confirmati & nos iam petamus & expectemus à Deo defensionem & liberationem aduersus uirulentos sycophantas, qui nobis crimẽ hæreseos, seditionum, ambitionum, & alia multa falsò obijciunt.

Septimus Psalmus est consolatio aduersus calumnias.

Vtilis doctrina & dulcis consolatio est hic Psalmus bonæ menti, quæ iniustis odijs, falsis suspicionibus, & ementitis calumnijs, ut sæpẽ fit, oppugnatur.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi VIII.

DOMINE DEVS NOSTER QVAM ADMIRABILE EST NOMEN TVVM &c.

GRatiarum actio est, & uaticinium de liberatione & gloria æterna Ecclesiæ, collectæ ex toto genere humano. Et est opponendus hic Psalmus huic dicto: Optimum non nasci, aut quàm celerrimẽ extingui, quod dictum uerum esset, si homo tantùm ad hanc ærumnosam uitam mortalem conditus esset. Longè enim tristiora & atrociora mala accidunt homini, quàm ullis alijs animalibus. Sed ideo melius est nasci homines, quia Deus se generi humano multis & magnis ac illustribus testimonijs patefecit, & per homines uult celebrari, & uult eos æterna gloria ornare: pro his beneficijs gratias agit, & simul de illa ingenti gloria uaticinatur. Nunc enim in hac uita etsi fide cernitur & incoatur, tamen nondum oculis conspicitur, cùm hæredes uitæ æternæ à tyrannis trucidantur multò crudelius, quàm ullæ bestiæ.

VIII. Psalm. gratiarum actio & uaticinium de gloria æterna Ecclesiæ.

Cùm Baptista ab Herode, aut Paulus à Nerone interficitur, nequaquam iudicant spectatores Baptistam aut Paulum gloria & decore ornatum esse, & omnia pedibus eorum subiecta esse: sed iudicant hos miseriores esse leonibus, qui in circo spectabantur. Cùm igitur liberatio Ecclesiæ nondum conspiciatur, passim uaticinijs promissa est, ita & in hoc Psalmo prædicitur & promittitur.

Et collatio fit utriusq; membri, nostræ miseriæ & liberationis.

Descriptio miseriæ hæc est: QVID EST HOMO QVOD ME-

ARGVMENTVM

MOR ES EIVS, ET FILIVS HOMINIS QVOD VISITAS EVM? id est, Cùm homo sit creatura ærumnosa, peccato & morti obnoxia, immensa bonitas est, quòd tamen recepit nos Deus, & abolito peccato & morte, restituit nobis iusticiam & uitam æternam.

SIVISTI EVM ALIQVANTISPER CARERE DEO. Adam post lapsum oppressus peccato & morte, caret Deo, sed aliquantisper: id est, non relinquitur in morte, & sine Deo, sed rursus erigitur propter promissum semen, & ornatur gloria, id est, abolito peccato & morte, restituuntur iusticia & uita æterna. Hæc est illa liberatio, quæ hic describitur. Estq; Psalmus ex ipsa promissione sumtus, quæ Adæ & Abrahæ tradita est. Hanc interpretatur, & docet colligi Ecclesiam, cui redditur amissa gloria.

Octauus Psalmus rectè accommodatur ad Christum & totam Ecclesiam.

Et quanquam Psalmũ in genere de tota Ecclesia intelligo, tamen non displicet mihi interpretatio eorum, qui ad caput Christum accommodant eum. Nam & Christus paulisper caret gloria, factus pro nobis maledictum. Postea uerõ rursus ornatur gloria, & propter eum redduntur Ecclesiæ iusticia & uita æterna.

Primus uersus est propositio gratiarum actionis, & uaticinij: Ago tibi gratias Deus quòd te patefecisti generi humano in tota terra, ubi simul prædicitur Ecclesiam colligendam esse ex toto genere humano.

Secundus uersus dicit de modo colligendæ Ecclesiæ: Non humanis uiribus aut consilijs, aut armis, hoc regnum constituetur, Sed prædicatione Euangelij, sonantis per agmen imbecille, per quod Deus erit efficax.

Tertius uersus dicit de effectu noui illius regni: VIDEBO COELOS TVOS, id est, æternum regnum constituetur, cœlos æternos uidebimus, in quibus fruemur consuetudine Dei, nec erimus obnoxij morti & peccato, ut nunc sumus.

Quartus uersus & quintus continent collationem præsentis miseriæ & liberationis: ac prædicitur Ecclesiam & caput Christum aliquantisper fore sine gloria. Sed tamen recepturos esse gloriam promissam, & benedictionẽ, sicut docet promissio facta Abrahæ, Et hæc liberatio hic prædicitur ac celebratur.

Reliqui uersus sunt descriptio beneficiorum, quæ sequuntur liberationẽ, seu descriptio gloriæ & dominij Christi & Ecclesiæ. Christus exaltatus est super omnes creaturas, doctor est uitæ æternæ, & depulsor mortis, depulsor omnium Tyrannorũ: Ita Ecclesia habebit iusticiam, & æternam uitam ac pacem. Nõ diabolus, non tyranni, non imperia, non bestiæ ullæ nocere amplius Ecclesiæ potuerunt, sed ipsa in perpetua lætitia celebrabit Deum. Pro hac liberatione, inquit ultimus uersus, agimus tibi Deus Iehoua gratias, & hoc ingens & inenarrabile beneficium celebrabit semper uniuersa Ecclesia.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO

Psalmi IX.

CONFITEBOR TIBI DOMINE IN TOTO CORDE MEO, NARRABO OMNIA MIRABILIA TVA.

Nonus Psalmus gratiarũ actio pro deletis hostibus Ecclesiæ & applicatio exempli ad reliquã Ecclesiam.

GEneralis gratiarum actio est pro deletis hostibus, & adplicatio exempli ad reliquam Ecclesiam, cui hoc exemplum proponit, ut nos ad eundem modũ in nostris ærumnis petamus à Deo, & expectemus liberationem. Ideoq; misscentur generales ꝓmissiones: SPERENT IN TE OMNES QVI NOMEN TVVM NORVNT, QVIA NON RELINQVES QVÆRENTES TE.

Vtcunq;

Vtrumq; igitur ex hoc Psalmo & similibus discamus, uidelicet gratiarũ actionem, id est, confessionem animi uerè statuentis, quòd non casu, non humanis uiribus, sed Dei auxilio adiuti & seruati simus, quòd Deus uerè sit efficax, non sit inane uocabulum, non sit ociosus, non sit alligatus causis secundis, sed uerè nos respiciat, nos exaudiat, adsit, opituletur, etiam cũm destituimur à causis secundis. Sic uult agnosci Deus, hanc laudẽ uult sibi tribui. Verùm natura hominum cæca, plerunq; aut casu aut humana ope arbitratur liberationes sibi contigisse. Aduersus hanc cæcitatem testimonia diuina ex Prophetis undiq; colligenda sunt, quæ adfirmant à Deo regi, & seruari Ecclesiam, Sicut Psalmi aliàs dicunt: Vana salus hominis.

Deinde & promissionem auxilij infigamus animis, & promissioni exempla addamus, tùm Dauidis recitata in Psalmis, tùm uerò alia, ut Abrahę, & reliquorum. His promissionibus & exemplis accendantur fides & inuocatio. Hi sunt, ut sæpè dicitur, præcipui cultus Dei.

Est igitur hic Psalmus demonstratiui generis, quia est gratiarum actio, & finis primus est, ut Deo gloria tribuatur. Sed accedunt alij fines, ut monstrata hac Dei bonitate omnes alij inuitentur, ut agnoscant Deum, credant ei, obediant ei, inuocent eum, & celebrent. Ideo interseruntur & promissiones, quę cùm hortentur pios ad fidem & inuocationem, tales adhortationes pertinent ad suasorium genus. Hæc adplicatio ad nostrum usum diligenter consideretur. Nam propter nos hæc scripta sunt, ut Paulus inquit Rom. 15.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO
Psalmi X.
VT QVID DOMINE RECESSISTI LONGE, OCCVLTAS TE IN TEMPORE TRIBVLATIONIS, &c.

PSalmus decimus est suasorij generis. Est enim petitio defensionis aduersus tyrannos, Epicureos & hypocritas, & eorum socios, qui conantur delere Ecclesiam Dei, & ueræ Ecclesiæ membra: & non solùm manifesta ui grassantur, sed etiam astutissimè insidiantur eis, & uarias fraudes serunt. Vt Saul ui & dolis Dauidem oppugnabat. Hypocritæ, Pontifices, uim & fraudes exercebant aduersus Ieremiam. Et nunc hostes ueræ doctrinæ intenti sunt in occasiones omnes nocendi ijs, qui rectè docent: ubi possunt manifesta ui grassari, multos interficiunt: ubi uiolentiam exercere non possunt, serunt calumnias, ut alienent uoluntates hominum à recte docentibus, & inflamment Principum odia. Interim Epicurei illi, inimici ueræ Ecclesiæ, iactant se paci publicæ consulere, & rident stoliditatem rectè docentium, quòd pericula sibi accersunt. Tales multi sunt in aulis Regum & Pontificum, ut in Anglia Vuintonienſis, in Gallia Constabilis, & alibi alij, quorum aliquos si intueamur planior erit hic Psalmus.

X. Psalmus petitio est defensionis aduersus Tyrannos, Epicureos & Hypocritas.

Initiò autem continet querelam, ut omnes tristi gemitu, præsertim in calamitate, & inuocamus Deum, & dolemus quasi negligi, non solùm nos, sed gloriam Dei. Triumphant impij quasi nihil sit Deus, aut nulla sit prouidentia, & omnes religiones sint commentitiæ. Hic zelus pro gloria Dei magis auget dolorem bonæ mentis, quàm lacerationes corporum.

Deinde sequitur longa hypotyposis, et imago tyrannicarum conspirationum, insidiarum, fraudum, uiolentiæ, et Epicureæ securitatis.

Versu duodecimo iam expresse ponitur petitio, *EXVRGE DOMINE, NE OBLIVISCARIS PAVPERVM.*

Versu decimotertio & deinceps, ponitur ratio petitionis hæc. Iuua nos ut tuam gloriam asseras, ut refutes Epicureos, qui nunc cùm non ostendis tuam iram aduersus eos, putant inanem fabulam esse nomen Dei & totam Ecclesiæ doctrinam. Vt igitur pœna conuicti, fateantur ueram esse Ecclesię doctrinam, et uerè esse prouidentiam, punias eos manifestis exemplis, & defendas ac liberes Ecclesiam.

Defensio petenda præcipuè propter gloriam Dei.

Hoc argumento in multis Psalmis utitur: petenda est enim defensio præcipuè propter gloriam Dei. Psal. 79. dicitur, Cur dicent gentes, ubi est Deus eorum? Et Esa. 48. dicitur. Propter nomen meũ remouebo furorem meum. Item, Propter me faciam, ut non blasphemer. Sic & Ezechias precatur aduersus Sennacherib 4. Reg. 19. Sic & nos hoc tempore oremus Deum, ut reprimat Turcas & alios hostes Euangelij, præcipuè ob hanc causam, ut blasphemiæ refutentur, & omnes agnoscant hũc uerè Deum esse, quem Ecclesia Christi inuocat, & ad eum conuertantur & Euangelium amplectantur.

Adduntur rationi petitionis promissiones, quæ opponuntur Epicureis iudicijs, & adfirmant Deum iudicaturum esse, puniturum impios, & seruaturũ & liberaturum pios, etiamsi aliquantisper uidentur deserti & orphani. Verba promissionis hæc sunt: *TIBI PAVPER RELINQVITVR, ORPHANO TV ES ADIVTOR:* Tu uerè exaudis gemitus & desideria adflictorum in Ecclesia tua.

In fine repetita est ratio petitionis, seu παιλογία: Ne amplius homo sit tyrannus in terra, seu contritor iustorum, seu formidabilis iustis, id est, ne ausint homines, ut gigantes, ut Pharao, Rapsaces, Antiochus & similes, cœlo bellum inferre, & Ecclesiam conculcare: punito blasphemos, ut omnes homines fateri cogantur, ueram esse doctrinam, quæ in Ecclesia Christi de Deo traditur.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO
Psalmi XI.

IN DOMINO CONFIDO, QVOMODO DICITIS ANIMÆ MEÆ, TRANSMIGRA IN MONTEM SICVT PASSER? &c.

XI. Psalmus est consolatio.

CONsolatio est, pertinens ad genus suasorium, recitantur enim querelæ, iniuriæ & furores aduersariorum. Et opponuntur promissiones, quæ defensionem pijs pollicentur, & minitantur pœnas impijs. Hæ antitheses considerentur in his uersiculis: *OCVLI EIVS IN PAVPEREM RESPICIVNT: PLVET SVPER PECCATORES LAQVEOS.*

Sed exordium ipsum docet nos, ne satis esse putemus, quòd promissiones audimus, sed oportet eas fide accipi. Addi fidem & inuocationem necesse est, qua mens uerè statuat nos exaudiri, respici, regi, iuuari & defendi. Nam hęc fides est agnitio intuens Deum, & facit ut nostri labores & ærumnæ fiant cultus Dei, & λογικὴ λατρεία. Miseriæ ipsæ sine fide & inuocatione non sunt cultus Dei. Quare diligenter initium Psalmi consideremus, & discamus exemplum nobis esse propositum, Sicut ipse inquit: *IN DOMINO CONFIDO,* sic nos

sic nos singuli excitemus fiduciam & cogitatione promissionum, & uera fide Deum inuocemus, & nos sustentemus aduersus Diaboli & mundi insidias & terrores.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XII.

SALVVM FAC DOMINE, QVONIAM DEFECIT SANCTVS, &c.

QVerela est de corruptelis doctrinæ, & precatio, ut Deus repressis impostoribus & adulatoribus restituat doctrinæ puritatem, gubernet & seruet rectè sentientes: & miscet πάθος, Verbum Dei fieri notius in confessione, cùm impij oppugnant, & conspici gloriam Dei, quæ uincit, nec sinit extingui ueritatem, sed deletis erroribus opitulatur ueritati, ac perficit ut Ecclesia uera, quę profitetur & amplectitur Euangelium, retineat ueram sententiam ad omnem æternitatem. Sic deletis Ebionitis, Arrianis, Manichæis, uicit uera sententia tantùm Dei ope, sicut hic Psalmus docet nos petere: TV DOMINE CVSTODIES EOS: estq; sæpè recitandus, cùm petimus, ut Deus impios doctores compescat, & ueræ doctrinæ lucem accendat ac seruet.

XII. Psalmus est querela de corruptelis doctrinæ & precatio.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XIII.

VSQVEQVO DOMINE OBLIVISCERIS MEI IN PERPETVVM? VSQVEQVO ABSCONDIS FACIEM TVAM A ME? &c.

PRecatio est generis suasorij, quales plurimæ sunt precationes in hoc toto opere: nec sunt obscuræ sententiæ, præsertim si ad usum transferantur. Si nos ipsos intuebimur, & nostra pericula considerabimus, agnoscemus similes esse gemitus omnium piorum & similia uota.

XIII. Psal. precatio est.

Exordium est querela ualde tristis, qua deplorat differri auxilium & liberationem. Sicut omnes experimur in magno dolore & ueris ærumnis, languefieri animos mora, cùm non statim opitulatur Deus.

Querela de mora.

De hac mora sæpè concionantur Prophetæ, & iubent eam perferri, ut Abacuc 2. cap. Si moram faciet, expecta eum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Huc pertinet & parabola de uidua sæpè interpellante iudicem, Lucæ capite decimo octauo.

Querelam sequitur precatio: RESPICE, EXAVDI ME, ILLVMINA OCVLOS MEOS, Da lucem oculis, id est, redde uitam & læticiam.

Sequitur αἰτιολογία. Gloriæ tuæ interest me seruari. Ego quidem paratus sum animo ad tolerandas pœnas, sed tu propter gloriam tuam libera me, ne epicurei clamitent, nihil esse Deum, neue idolorum cultores glorientur, sua commentitia numina potentiora esse, quàm tu. Hæc αἰτιολογία sæpè in Psalmis repetitur, ut alibi: Ne dicant, ubi est Deus eorum.

In fine additur adplicatio de fide & spe, ut suprà dictum est. Non satis est hanc sententiam in genere tenere, quòd Deus exaudiat Ecclesiam, sed oportet nos fide amplecti promissiones, & eas ad nos accommodare. Include te quoq; in numerum eorum, quos Deus alloquitur, & quibus tradidit promissiones, & te exaudiri, defendi & seruari statuito. Hoc cùm fit, sequitur liberatio, & liberationem

Oportet nos fide amplecti promißiones.

rationem sequatur gratiarum actio,& hoc exemplũ declarat: *EXVLTABIT COR MEVM*, propter liberationem &: *CANTABO DOMINO*, id est,agam gratias,celebrabo eum, propagabo doctrinam.

ERO TESTIS, QVOD RETRIBVAT, id est, exaudiat, iuuet, opem ferat, non deserat adflictos, sed pro calamitate retribuat liberationem. Sic enim phrasis sæpè intelligenda est,cùm uerbo retributionis utitur.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XIIII.

DIXIT INSIPIENS IN CORDE SVO, NON EST DEVS, &c.

XIIII. Psalmi tria membra.

PSalmus est διδασκαλικὸς, tria membra continens. Primum est concio pœnitentiæ,qua arguit omnes homines, & docet reos esse omnes secundum hãc naturæ prauitatem. Sic & Paulus citauit hanc concionem,& diserte addit: Causati sumus omnes sub peccato esse. Item: Vt omne os obturetur, & reus fiat totus mundus Deo. Et alij manifestis sceleribus polluti sunt, quæ iudicare ratio potest: alij uerò, etiamsi non habent manifesta scelera, tamen secum circumferunt in mente dubitationes,in uoluntate & corde securitatem & contemptum iudicij diuini,amorem sui,tyrannicas cupiditates, ambitionem, studium premendi imbecilliores,fiduciam suæ potentiæ, odium ueræ doctrinæ, & alios uicioſos adfectus.

Primum est concio pœnitentiæ.

Accusat igitur,ut dixi, omnes homines, sed tamen discernit ab impijs ueram Ecclesiam Dei. Impij furenter delectantur uel manifestis sceleribus, uel interiore prauitate,quam hypocritæ excusant, nec agnoscunt esse peccatũ. Et huic parti damnationem denunciat Psalmus. At pij agnoscunt suam immunditiem,& inuocant Deum,& petunt remissionem,hos consolatur Psalmus.

Secundum, distinctio impiorum ab Ecclesia.

Est igitur secundum membrum Psalmi distinctio impiorum ab Ecclesia, incoata in uersu 4. *NON AGNOSCVNT QVI OPERANTVR INIQVITATEM, DEVORANT POPVLVM MEVM,ET DOMINVM NON INVOCANT*.q. d. Etsi in omnibus est immundities,tamen aliqui perseuerantes in peccatis,nolunt agnoscere peccata,nec inuocant Deum,imò aut negant esse Deũ,aut fremunt aduersus eum,oderunt eius doctrinam, & sibi regna & tyrannides constituunt, & piè docentes delere cupiunt. Sed est alius cœtus agnoscens peccata sua,inuocans Deum, in hoc cœtu esse Deum inquit,& fiduciam huius cœtus ait esse Deum.

Hæc distinctio in Psalmo obseruanda est,ut consolatio pijs proponatur, qui expauescunt audita uniuersali accusatione. Etsi est in omnibus peccatum, tamen differunt inuocantes Deum,ab insipiente, qui dicit: *NON EST DEVS*. Hic cœtus insipiens,perseuerans uidelicet in hac impietate, damnatur. Et de eo principiũ Psalmi intelligatur: *DIXIT INSIPIENS*, id est, impius cœtus perseuerans in contemtu Dei.

Deinde attexitur uniuersalis accusatio.Sed in uersu quarto rursus discernũtur pij ab impijs,& pijs proponuntur dulcissimę & amplissimę consolationes. Quod enim maius bonũ est,cẽ quod hic describitur? *DEVS EST IN GENERATIONE IVSTA*, id est,in cœtu iusto: adfirmat Ecclesiam esse domiciliũ Dei,regi,defendi,& seruari ã Deo. Hęc sunt summa bona.Idem docet cùm ait: *DOMINVS FIDVCIA EIVS EST*.

Tertium

Tertium membrum concionatur de futura liberatione,& de uenturo regno, quasi dicat: Etiamsi nunc Ecclesia oppressa est ingentibus ærumnis: maxima pars generis humani ignara Dei contemnit & conculcat Ecclesiam, grassantur aduersus eam tyranni & impij doctores ac hæretici: Deniqꝫ non est alius cœtus in mundo ærumnosior, quàm Ecclesia: tamen liberabitur & regnabit glorioſẽ, tunc cũm ex Zion dabitur saluator, id est, cùm ueniet Messias,& suum regnum incoabit,& gloria ornabit, quod cœpit Christus facere in resurrectione sua, & perficiet in uniuersali resurrectione. *Tertium, concio de futura liberatione.*

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XV.

DOMINE QVIS HABITABIT IN TABERNACVLO TVO, AVT QVIS REQVIESCET IN MONTE SANCTO TVO? &c.

PSalmus παραινετικὸς est, qui continet doctrinam de bonis operibus, ac præcipit quæ opera in Ecclesia facienda sint, quæ placeant Deo, quæ non placeant. Ac simul docet, quæ sint uera & uiua Ecclesiæ membra, quæ non sint. Multi propter circumcisionem & sacrificia uocabant se membra populi Dei, cùm essent polluti impijs opinionibus, & delictis contra conscientiam. Vt nunc multi se uocant Christianos & membra Ecclesiæ tantùm propter ceremonias. Hanc falsam persuasionem, & hic Psalmus, & alij multi Psalmi,& multa dicta Prophetarum taxant. Vt Psal. 50. Non de sacrificijs arguam te. Et Esaias capite 58. Et Micheas cap. 6. Et Zach. cap. 7. *XV. Psalmus continet doctrinam de bonis operibus.*

Cùm autem breuis Psalmus sit, tantùm nuda præcepta recitans, ex alijs locis doctrina petenda est, quæ concionatur de lege, quomodo, cùm legi nemo satisfaciat, placeat tamen incoata obedientia: & quæ peccata maneant in renatis in hac uita, & quæ excutiant gratiam & Spiritum sanctum.

Scias autem totum Psalmum unam perpetuam propositionem seu narrationem esse. Hi sunt membra Ecclesiæ Deo placentia non peritura, qui uera fide Deum inuocant, & qui propter Deum diligunt proximum. *Membra Ecclesiæ sunt qui uera fide inuocant Deum et propter Deũ diligunt proximum.*

Versus secundus loquitur de operibus primæ tabulæ: *INGREDIENS IMMACVLATE, ET FACIENS IVSTICIAM ET LOQVENS VERITATEM IN CORDE SVO.* Hæc sunt opposita idolorũ cultui & falsis opinionibus de Deo. Estqꝫ phrasis sumta ex Gen. cap. 17. Ambula coram me, & sis immaculatus, quod Hebræis תָּמִים incorruptus, non morbidus. Nec significat perfectũ, ut latinè dicimus cumulatum seu consummatum, quod habet omnes partes, & omniũ partium summos gradus. Nec significat immaculatũ, ut multi intelligunt, in cuius moribus prorsus nihil sit uicij: sed ut de hostijs dicimus non morbidam pecudem nec mutilatam, ita hic dicimus incorruptum, non contaminatum cultu idolorum, aut falsis aut fanaticis opinionibus de Deo.

Sic & Psalmus loquitur: Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege Domini, id est, incorrupti, non contaminati idolorũ cultu & falsis opinionibus de Deo. Primùm igitur flagitat, ut uera & incorrupta fide sincerum uerbum Dei audiamus & amplectamur. Idem uolunt uerba hæc: *LOQVENS VERITATEM IN CORDE SVO.* Prohibet enim præcipuè mendacia doctrinæ tùm amplecti, tùm stabilire approbando, uel dissimulando, ac præcipit *Prohibet mendacia doctrinæ.*

præcipit ut ueram doctrinam scilicet traditam à Deo amplectamur, & iuxta eam de Deo sentiamus, eum inuocemus, & ei obtemperemus. Ideo additur huic membro, *FACIENS IVSTICIAM*, quod antithesi addita erit illustrius.

Faciens iustitiam. Est igitur faciens iusticiam, non fingens cultus aut opera per sese: non faciens cultus aut opera non tradita à Deo, sed faciens iusticiam, id est, cultus & opera à Deo tradita. Iusticiam uocat non Eleusinia, aut Bacchanalia, aut Monachatus, aut opera ab hominibus excogitata sine mandato Dei, sed tantùm cultus & opera certo uerbo Dei tradita.

Hæc est simplex declaratio secundi uersus, quæ ostendit in eo uersu recitari doctrinam primæ tabulæ.

Reliqui uersus continent præcepta secundæ tabulæ, quæ minus obscura sunt, quàm doctrina primi præcepti. Vt constat parricidium Cain magis cerni & facilius iudicari posse, quàm contemtum Dei & falsam opinionem de Deo, quæ in corde eius erat. Sed mediocriter eruditi in doctrina ueræ Ecclesiæ, norunt doctrinam uirtutum primæ & secundæ tabulæ, & uiciorum quę cum eis pugnant. His hic Psalmus non est obscurus.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO
Psalmi XVI.

CONSERVA ME DOMINE, QVONIAM SPERAVI IN TE, DIXI DOMINE, DEVS MEVS ES TV, PROPTER TE NON EST MIHI BENE. &c.

XVI. Psalm. prophetia de resurrectione Messiæ. PRæcipuè hic Psalmus est διδασκαλικὸς, seu Prophetia, uidelicet Narratio de resurrectione Messiæ: ac principaliter intelligatur loqui ipse Christus, etsi propterea, quòd & Ecclesiam pati, & propter Christum ac per Christum resuscitari oportet, postea ad membra accommodari potest, quæ accommodatio tamen prudenter fiat, ut filio Dei suus honos proprius tribuatur, de quo & hic Psalmus loquitur, uidelicet de merito passionis. Filij Dei mors est sacrificium pro alijs. Nostræ afflictiones etsi fiunt sacrificia propter Christum fide, id est, cultus grati Deo, tamen non merentur alijs remissionem peccatorum.

Præterea de nobis non dicitur prorsus eodem modo: Non dabis sanctũ tuum uidere corruptionem seu deletionem. Christum statim oportuit resurgere, antequam dissiparetur eius corpus in aërem, quia diuina natura non discessit à corpore Christi. Sed nostra corpora, etsi propter Christum resuscitantur, nec manent in perpetua corruptione, tamen prius in tenuissimos halitus dissipantur.

Quatuor mẽbra 16. Psal. Postquam constitutum est, quæ persona principaliter loquatur, membra considerem us, quæ sunt quatuor. Petitio Christi, ut seruetur. Adplicatio passionis, Narratio de resurrectione, & finis narrationis, ut collecta Ecclesia æterna Deum celebret.

Initium primi uersus est petitio: *CVSTODI ME DEVS.* Et quærela addita est: *BONVM MIHI NON PROPTER TE*, quod simplicissimè sic intelligo: Non est mihi bonum, id est, affligor propter te, id est, propter tuum mirandum & arcanum consilium de redimendo genere humano subij has horrendas pœnas, non propter aliqua mea peccata. Ergo cùm sis Deus

sis Deus meus,& uelis tibi seruare hæreditatem tuam,& mea membra, non sinas me succumbere in his tristibus ærumnis,sed consolare & libera me. Hanc simplicem enarrationem recensendam esse duxi,quæ nec absurda est, nec reddit Psalmum obscuriorem. Si qui autem magis concinnam interpretationem mihi ostendent, libenter eos sequar.

De applicatione incipit concionari in tertio uersu, ac tacitæ obiectioni occurrit: propter quem finem pateris? Miserum est pati sine aliqua spe fructus aut liberationis? Respondet igitur: Imò mea passio non fit frustra, non est tantùm exitiosa, sicut æterna miseria diabolorum, Sed mea passio profutura est & salutem pariet ijs, qui me agnoscent & amplectentur meum Euangelium, et merebitur ut sit æterna et glorioſa Ecclesia Deum celebrans. Ideo dicit: *OMNIS VOLVNTAS MEA IN SANCTIS*, id est, ego sustineo propter sanctos,quos diligo,et pro eis offero hoc meum sacrificium, idcò pro eis adplico. *Omnis uoluntas mea in sanctis.*

Deinde adiungit antithesin: *SED ALII, QVI ALIVM SEQVVNTVR, CVMVLANT SIBI DOLORES*, horum libationes repudio, nec nomina eorum commendabo, id est, qui non sequuntur, non audiunt Christum, sed fingunt sibi opiniones de Deo et cultus sua audacia,ut Ethnici fecerunt, et nunc Iudæi, Mahometistæ, et defensores Idolorum faciunt,horum,inquit,cultus non recipio, sed iam pronuncio damnatos esse.

Testatur ergo hic uersus defensores idolorum,etiamsi sacerdotes et Episcopi uocantur, tamen non esse membra Ecclesiæ,sed iam hac ipsa uoce Christi reiectos et damnatos esse. Pro his non precatur Christus, sacerdos noster, sed pro sanctis,id est, pro omnibus qui credunt Euangelio, ut ipse expressè ait Iohan. 17. Rogo non pro eis tantùm, sed etiam pro ijs, qui per uerbum eorum credent in me. Quo dicto, ut postulat officium sacerdotis, expressè pro nobis precatur,& suum sacrificium nobis adplicat,ut uulgò loquuntur. Conueniunt autem illa uerba Christi, quæ nunc ex Ioanne recitaui, prorsus ad hunc locum huius Psalmi. *Defensores Idolorum non sunt membra Ecclesiæ.*

Sequentes duo uersus amplificant tertium: Non frustra patior, sed fructus passionis meæ erit æterna et glorioſa Ecclesia,in qua et ego et tota Ecclesia coram Deo lætabimur, et Deum celebrabimus. Ideo dicit: *FVNES CECIDERVNT MIHI IN IVCVNDIS*, id est, sors hæreditatis meæ, ut funiculos pro mensuris in diuisione camporum nominant.

Tertia pars Psalmi, Narratio est de resurrectione: Non relinquar in morte,ac ne quidem delebitur caro mea, Sed reuiuiscam totus, etiam corpore.

Quarta pars in fine repetit secundam: Ideo patior,ut te celebremus,ideo dicit: *BENEDICAM TIBI.* Et celebrabimus te in uita æterna, lætitia et gloria nunquam desitura: tecum uersabimur et fruemur tua consuetudine sine fine. Ideo inquit: *OSTENDIS MIHI SEMITAM VITÆ*, id est, ueræ non interituræ uitæ, et uberrimam lætitiam, quam ex conspectu tuo capiemus, et æternum gaudium.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XVII.

EXAVDI DOMINE IVSTICIAM, INTENDE DE-

ARGVMENTVM PRECATIONI MEÆ, AVRIBVS PERCIPE ORATIONEM MEAM, NON IN LABIIS DOLOSIS.

XVII. Psal. precatio in qua duo petit Dauid.

PRecatio est, ut alij multi Psalmi, in qua petit duas res, uidelicet, & ut regatur à Deo, ne aberret à uera doctrina, & ut defendatur contra Tyrannos & impios doctores, qui delere ueram doctrinam conantur & stabiliunt errores, quibus extinguitur uera Dei noticia.

Est autem insignis antithesis in postremis uersibus, ubi causam recenset, quæ impios mouet, cur aduersentur ueritati, scilicet, quòd uentris commoda quærunt. Cultus impij semper in mundo fuerunt grati multitudini, hoc est, maiori parti hominum: ideo & quæstuosi fuerunt, & sunt. Quare multi eos tuentur, ut potentum beneuolentiam, & opes & dignitatem retineant, ut nunc Episcopi & Canonici propter opes & potentiam, defendunt manifestam impietatem, & turpitudinem. Econtrā uera Ecclesia est subiecta cruci in hac uita. Sed consolatio hic additur de uita æterna, *SATIABOR CVM SVRGET IMAGO TVA*, id est, cùm restitues integram imaginem tuam in resurrectione mortuorum.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XVIII.

DILIGAM TE DOMINE FORTITVDO MEA. &c.

XVIII. Psalmus narratio historiæ Dauidis.

HIc Psalmus recitatur in historia Dauidis paulò ante eius mortem, ubi satis adparet ab ipso Dauide tanquam gratiarum actionem recenseri, in qua primùm pericula, certamina & ærumnas narrat, & testatur se nominatim illū uerum Deum, qui se in Sina illustribus & certis testimonijs patefecit, inuocare. Deinde recitat glorioſas liberationes, & fatetur eas Dei beneficia esse. Et inter pericula disertè recitat domestica seu intestina, Quòd hostes habuerit acerrimos & infestissimos ciues populi Dei, Saulem, Absalonem, & eorum factionibus addictos. Prædicat autem non solùm hos oppressos esse, sed tām fuisse glorioſam uictoriam, ut pro impijs & perfidioſis ciuibus, postea gentes ipsi adiunctæ sint & piè obedire cœperint. Tandem, ut solet hanc gratiam relaturum se esse affirmat, quòd hæc beneficia celebraturus sit, ut præsentia Dei in Ecclesia & gloria agnoscatur, & multi Deum timere & inuocare discant. Nam ad hunc præcipuū finem referendæ sunt gratiarum actiones, ut alij moti nostris testimonijs de beneficijs Dei, confirmentur, & uerè credant Deum adesse in Ecclesia, punire contemtores doctrinæ cœlestis, & uerè exaudire, recipere & iuuare eos qui ad ipsum conuertuntur, & eum inuocant, sicut de hoc fine sæpè Psalmi ipsi nos commonefaciunt. Vt Psal. 58. Et dicet homo, utiq; est fructus iusto, utiq; est Deus iudex in terra.

Etsi autem hæc est prima sententia Psalmi, quam recensui, tamen ut ærūnæ & uictoriæ Dauidis sunt typus passionis & uictoriæ Christi, ita Psalmus ipse non de solo Dauide loquitur, sed simul significat & Christi ærumnas, & uictoriam. Et finis proprius monstrat Christum, quem suæ gentis Sacerdotes, Principes & maxima multitudo, horribili furore persequitur & interfici curat. Et pro his perfidioſis ciuibus, Ecclesia ei ex gentibus collecta & adiuncta est:

Et

Et ipse uerè caput est gentium, uidelicet uniuersæ Ecclesiæ collectæ ex semine Abrahæ & gentibus, impertiens uitam æternã, quam impertire Dauid nõ poterat. Ergo etiam cùm pro liberationib. quæ nobis cõtigerunt, ut multę ã Deo fiunt sanctorũ liberationes omni tempore, hunc Psalmum recitabimus, tamen simul cogitemus significatas esse ærumnas & uictorias Christi: imõ sciamus hanc nostram inuocationem & gratiarum actionem Deo placere, quia est adiuncta inuocationi & gratiarum actioni Christi, qui pro nobis passus est, & suarum uictoriarum beneficia nobis donat. Quõd liberatur Paulus dimicans cum bestijs, beneficium est uictoriæ Christi, id est, quia uicit Christus, ut redimat & colligat æternam Ecclesiam, ideo iuuat Paulum & alios fide inuocantes. Ipse etiam Dauid hæc de se recitans, tamen mente intuebatur uenturum Christum, quem cogitabat habiturum ærumnas similes, & glorioſas uictorias. Ideo statim post huius Psalmi recitationem in historia Dauidis sequuntur ultima uerba Dauidis, ut textus uocat, in quibus clarissimè uaticinatur de uenturo Christo.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XIX.

COELI ENARRANT GLORIAM DEI, ET OPERA MANVVM EIVS ANNVNCIAT FIRMAMENTVM.

XIX. Psal. Prophetia de aduentu Christi & uictorijs eius, & propagatione Euangelij.

PRior & longior pars Psalmi est narratio ac prophetia de Euangelio spargendo per totum orbem terrarum, de aduentu Christi, & glorioſis eius uictorijs, de efficacia uerbi, quo Deus patefit, & colligitur æterna Ecclesia.

In fine breuis doctrina additur de discrimine piorum & impiorum, & precatio de peccatis, quæ reliqua sunt in renatis in hac uita, & de gubernatione qua se in doctrinæ intellectu & professione regi petit.

Etsi autem Iudæi primam partem exponunt de creatione, in hanc sententiam, Deum agnosci ex creatione, ex motibus cœlestibus, & ordinatis temporum uicibus, quæ certè sunt testimonia de mente æterna architectatrice, & ostendunt mundum non extitisse casu: tamen huic descriptioni de cœlis, de nocte, Sole, perspicuè inserit mentionem de prædicatione, & postea addit laudationem uerbi. Loquitur igitur de propagatione Euangelij & noticia Dei accensa per uocem Euangelij, non tantũm de ea, quæ sumitur ex opificio mundi. Et expressè attexit in fine præceptum de retinendo uerbo Dei, & ita discernit pios & impios. Illi sunt, inquit, serui tui, qui legem tuam audiunt & custodiunt. Id enim adfirmat uersiculus: ETENIM SERVVS TVVS COMMONEFIT, id est, eruditur PER EA, & custodienti retributio magna.

Loquitur de utraq; noticia Dei, Euangelica & naturali.

Nec noticia sumta ex motuum cœlestium ordine, sine uerbo Dei, gignit Ecclesiam, sed necesse est accedere uocem Euangelij. Nam noticia illa Philosophica etiam gentibus nota est, & utcunq; est particula legis Dei, sed non complectitur Euangelium de remissione peccatorum. Retineamus igitur certò hanc sententiam de propagatione Euangelij & de aduentu & uictorijs Christi hunc Psalmum concionari, & priores uersiculos de loco & tempore intelligendos esse: COELI ENARRANT GLORIAM DEI,

Noticia naturalis non gignit Ecclesiam.

id est,ubicq; spargitur uox Euangelij. Item: *DIES DIEI ERVCTAT VERBVM*, id est, manet in tota æternitate uox Euangelij, nec opprimetur ulla potentia impiorum. Non sunt loquelæ neq; sermones quorum non audiantur uoces, id est, Euangelium sonant omnes linguæ sparsum inter omnes gentes. Et hæc prædicatio ad quid instituta est? Ad Christum filium Dei monstrandum. Huic ponitur tentorium in Ecclesia, ut Soli in cœlo. Hic Christus patefit, hic est fons lucis, ut Sol fons est corporalis lucis.

Deinde sequitur commemoratio de Euangelij efficacia & de ministerio Euangelico: *LEX DOMINI INCORRVPTA*, id est, hæc doctrina reuelata à Deo,uerè & incorruptè monstrat uoluntatem Dei. Sola lex Mosi, non ostendit remissionem peccatorum, Philosophia uerò multipliciter de Deo errat, At uox Euangelij damnat peccatum & ostendit remissionem peccatorum propter filium Dei. Et hæc uox consolationem, læticiam, & uitam æternam mentibus adfert,& est æterna sapientia mansura nobiscum in uita æterna. Ideo dicit: *TIMOR DOMINI MVNDVS PERMANET IN ÆTERNVM*, id est,hic cultus Dei,quem docet uox Euangelij, est mundus, Deo placens & æternus.

Versus undecimus discrimen piorum & impiorum tradit: pij sunt, seu serui Dei, qui audiunt & custodiunt hanc doctrinam de Christo, quæ in totũ orbem terrarum sparsa est. Et hi habebunt uitam æternam.

Additur obiectio: At manet peccatum in seruis Dei? Huic obiectioni respondet. Vbi est agnitio Euangelij,id est,uera fides & uerus cultus in corde, etiamsi manent peccata non uoluntaria, ut magna est imbecillitas naturæ humanæ,tamen illæ sordes remittuntur,& eas hîc remitti petit.

Versus decimus tertius discrimen tradit peccatorum: *AT A SVPERBIS CVSTODIAS ME*,id est,fac ut ueram fidem,timorem, invocationem retineam, nec sine me abstrahi per superbos,id est, per impios doctores,contemtores Euangelij, Epicureos, defensores impiorum dogmatum, Hunc lapsum prohibe.

In postremo uersu petit ut gubernetur à Deo,ut doctrinam Euangelij recte intelligat,& purè doceat.

Multa igitur hic Psalmus continet, uaticinatur de propagatione Euangelij per totum orbem terrarum, promittit aduentum filij Dei, adfirmat ministerium Euangelij esse efficax, ut 2. Corinth. 3. dicitur, admonet nos de peccato manente in renatis, Item de remissione peccatorum, Item de discrimine peccatorum, & de gubernatione Spiritus sancti. Vt autem ipse remissionem peccatorum & gubernationem Spiritus sancti petit, ita nos petamus, ut superiores uersus ad confirmationem fidei nostræ de ministerio Euangelij accommodemus.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO
Psalmi XX.

EXAVDIAT TE DOMINVS IN DIE TRIBVLATIONIS, PROTEGAT TE NOMEN DEI IACOB.

Dulcissima

DVlciſſima precatio eſt, pro Rege, ſeu pro regno ac politico ſtatu, quæ docet & teſtatur, ſucceſſus in imperijs, felicia conſilia, ſalutarem gubernationem, & uictorias, Dei opera & beneficia eſſe, & uerè iuuari à Deo Principes inuocantes ipſum. Sicut Pſalm. 144. dicitur: Benedictus Dominus Deus meus Rex, qui docet manus meas ad prælium. Item: Qui das ſalutem Regibus.

XX. Pſalmus precatio pro regno ac politico ſtatu.

Altera pars Pſalmi gratiarum actio eſt, qua fatetur Regem adiutum eſſe, defenſam eſſe politiam, quæ Eccleſiæ & pię doctrinæ ſtudijs hoſpitiũ præbet. Et doctrina utiliſſima admixta eſt, taxans fiduciã ſui, & requiẽs inuocationem Dei. Sicut ſæpẽ alibi deteſtatur Deus fiduciam humanæ potentiæ, ut Pſalm. 33. Non ſaluatur Rex per magnos exercitus: Fallax equus ad ſalutem. Et Pſal. 6. Non egredieris Deus in uirtutibus noſtris, Da nobis auxilium de tribulatione, uana ſalus hominis. Ita hîc inquit: illi in curru & in equis. Ipſi incuruati ſunt, & ceciderunt, &c. Econtrã poſtulat Deus, ut uerẽ ſtatuant noſtræ mentes, iuuari nos ab ipſo, & eum inuocent, Sicut hîc inquit: *NOS AVTEM NOMEN DOMINI DEI NOSTRI INVOCABIMVS.* Concurrant hæc, officium uocationis, & fides inuocans Deum. Dauid facit officium uocationis, contrahit exercitum mediocrem, laborat, præliatur: interim uerò ſentit conſilia & dextras iuuari à Deo. At impius Rex Achab aut ſimilis contrahit exercitum quantum poteſt, & laborat, & hoc ſuo adparatu confidit, nec audet petere aut expectare Dei præſentiam. Hoc diſcrimen conſiderandum eſt, ut & noſtras actiones intelligere & fidem exercere diſcamus.

Altera pars gratiarum actio.

Coniungenda officia uocationis & fides inuocans.

In fine etiam Epiphonema additum eſt, quòd Deus certò ſit exauditurus inuocantes, Hac promiſſione confirmati fidem & inuocationem accendamus. Erit autem hic Pſalmus nobis & magis perſpicuus & magis dulcis, ſi ſæpè recitabimus, precantes pro politia, & cogitantes de magnis periculis omnium piorum gubernatorum. Ac meminerimus mandatum Dei, ut ex animo petamus, ut regat & iuuet omnes qui præſunt, & det politias tranquillas, quæ ſint honeſta hoſpitia Eccleſiarum & literarum, & prohibeat latrocinia, uaſtationes, & diſciplinæ diſſolutionem.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Pſalmi XXI.

DOMINE, IN VIRTVTE TVA LÆTABITVR REX, ET IN SALVTARI TVO EXVLTABIT VEHEMENTER. &c.

PRorſus idem argumentum eſt huius Pſalmi quod proximi: Sed gratiarum actio præponitur, quæ teſtatur Dei beneficium eſſe Regis gubernationem & defenſionem. Deinde ſequitur precatio, petens hæc beneficia. Docet igitur Spiritus ſanctus in his Pſalmis, ſicut in multis alijs locis, non caſu, non tantùm humana ſapientia, ut Philoſophi putant, conſtitutas eſſe politias, ſed à Deo mentes Regum & Principum exuſcitari ad conſtituendas Reſpublicas & iuuari in earum gubernatione & defenſione, Sicut & Daniel inquit, capite ſecundo: Deus transfert regna & conſtituit. Hac ſententia neceſſe eſt confir-

XXI. Pſal. gratiarum actio & precatio pro regno politico.

mari mentes, ut petant à Deo auxilium in omnibus negocijs & periculis gubernationis, nec tantùm considerent humanas uires, sicut Aiax dicebat: Alijs imbecillibus opus esse auxilio Dei, se uel sine illo potiturum uictorijs. Quanquam autem Poëtæ non norant testimonia, quæ Deus edidit sua uoce & suo uerbo de hoc articulo & alijs, tamen magnitudine periculorum quæ gubernationem comitantur, conuinci se intelligunt, ut statuant sine Dei auxilio non posse uinci tantam molem periculorum. Sed nos toties commonefacti uoce Dei, credamus opus esse præsentia Dei & eam petamus. Ideo in hoc Psalmo non solùm recitat Dauid quid agat Deus, nec tantùm petit auxilium, Sed monet etiam in ipso gubernatore hanc fidem accendi oportere, quæ statuit Deum adesse & opem ferre regentibus imperia. Petit & expectat hæc ingentia beneficia. Hæc doctrina in his uerbis proponitur uersu septimo: *QVONIAM REX SPERAT IN DOMINO:* & additur promissio, *ET IN MISERICORDIA ALTISSIMI NON COMMOVEBITVR.* Hunc uersiculum non solùm Principes, sed nos quoq; orantes pro politijs infigamus animis, credamus Deum custodem esse politiarum, & tunc incolumes mansuras esse, cùm à Deo petemus defensionem. Misericordia altissimi, inquit, teget Principem ne euertatur, non exercitus, non magnitudo pecuniæ, non amicorum coniunctio aut sociorum fœdera.

Versu undecimo causam recitat quare Deus opem ferat, quia hostes iustorum & piorum Principum inferunt bellum non hominibus tantùm, sed Deo. *PROIECERVNT,* inquit, *SVPER TE MALVM.* Ad est igitur Deus, ne ab impijs & superbis confirmari sinat Epicureum contemptum, ut in alio Psalmo dicitur: Ne quando dicant, Vbi est Deus eorum? Et Esaias 48. capite dicit: Propter nomen meum longè faciam furorem meum, propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Hanc causam Deo & nos in precationibus aduersus Turcicam crudelitatem & alios Tyrannos proponamus.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXII.

DEVS MEVS, DEVS MEVS, QVARE ME DERELIQVISTI? LONGE A SALVTE MEA ABES, ET A VERBIS RVGITVS MEI &c.

XXII. Psal. precatio pro liberatione in ærumnis & morte.

PRecatio est petentis liberationem in maximis ærumnis, & in morte, & habet tristia πάθη, quibus confert suas afflictiones cum Patrum ærumnis, & queritur suas esse maiores. Deinde sequitur gratiarum actio pro liberatione, & adduntur effectus gratiarum actionis, quòd & has liberationes celebraturus sit, & totam doctrinam de Deo latè propagaturus, quo officio collecturus sit æternam Ecclesiam, & quidem inter gentes, quia futurum sit ut Deo nascatur nouus populus. Ita in fine uaticinatur de propagatione Euangelij, de uita æterna, & de uocatione Gentium. Estq; persona loquens, Christus. Nam etiamsi Dauid de se quoque loquitur, & similia patitur, tamen scit suas afflictiones & liberationes imagines esse afflictionum & uictoriarum Christi, quas

quas secutura erat Euangelij propagatio & collectio Ecclesiæ. Et hunc Psalmum recitat Dauid, significans uenturum Christum similia passurum esse, & postea liberatum ac triumphantem propagaturum esse Euangelium, daturum uitam æternam, & collecturum Ecclesiam inter gentes, &c. Congruit igitur Psalmi recitatio Dauidi ut typo significanti uenturum Christum, at Christo, ut præcipuo membro Ecclesiæ, imò illi cuius passio uerè uincit omnium Patrum miserias, & cuius uictoria restituit uitam æternam. Multa uerba magis congruunt ad historiam Christi, quàm Dauidis. Sed tamen & Dauid penè similia patitur: nec nimis anxiè de singulorum uerborum accommodatione disputo. Satis est in summa hoc tenere, describi hîc passionem Christi & uictorias. Nec excludendum esse Dauidem, quia typus sit Christi. Tristissima πάθη sunt, quòd queritur se relictum esse à Deo, & quòd non liberetur sicut Patres, sicut Abraham, Iacob, Ioseph liberati sunt, ne interficerentur.

Afflictiones et liberationes Dauid imagines afflictionum & uictoriarum Christi.

Argumentum insigne inseritur, & ad fidem excitandam insigne, quòd ait, se inde usq; ex utero matris à Deo seruatum & defensum esse. Ita superiorum liberationum recordatio exuscitat & confirmat fidem.

Versu uicesimo secundo incoatur gratiarum actio, in qua usitatè promittitur celebratio nominis Dei, & doctrinæ. Quid enim aliud reddere possumus, ut sæpè aliàs Psalmi eandem sententiam repetunt: Non moriar sed uiuam, & narrabo opera Domini. Postea sequuntur uaticinia de uita æterna. Viuet cor uestrum in æternum. Et de collectione Ecclesiæ: Conuertentur ad Dominum omnes fines terræ. Item: Populo genito quem fecit.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXIII.

DOMINVS PASTOR MEVS, NIHIL MIHI DEERIT, &c.

DAuid agit gratias DEO, pro nutritione, defensione, & gubernatione, adfirmans hæc esse beneficia Dei, Et simul petit hæc bona deinceps sibi tribui. Addit autem causam impulsiuam, qua moueri Deum orat, ut hæc tanta bona largiatur, uidelicet hanc quæ recensetur in uersiculo tertio, PROPTER NOMEN TVVM SERVAET REGE NOS DEVS. Quam ob causam? Num propter nostra merita? Non, Sed propter nomen tuum, id est, ne tuum nomen apud Epicureos contumelia adficiatur, qui in calamitatibus piorum clamitant, ubi est Deus eorum? Vt igitur conuincantur impij quòd exaudias & serues nos, ne sine nos deleri: Tuæ noticiæ & tuæ gloriæ defensione mouearis, ut nobis opem feras, Sicut Esaiæ 48. dicitur: Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Hæc causa & in Psalmis & alibi sæpè repetita est. Ita infrà dicitur Psal. 114. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

XXII. Psal. gratiarum actio pro beneficijs corporis & petitio.

Additur & causa finalis, quæ uicina est impulsiuæ: Ad quem finem petenda est defensio? Num ut ociosi uoluptatibus fruamur, sicut impij hunc solum esse fructum & finem laborum arbitrantur. Dimicat Antonius, ut repressis aduersarijs securus dominetur & uoluptatibus fruatur. Sed Dauid petit defensionem

Quo fine petenda defensio

fensionem, ut postea seruiat in domo Domini, discat doctrinam cœlestem, & ornet Ecclesiam propagatione salutaris doctrinæ, assuefaciat iuuentutem & populum ad agnitionem Dei. Hic finis pio gubernatori propositus est. Cùm ex acie victor domum redit, maior cura animo obuersatur, quàm erat altera gerendi belli cura, scilicet quomodo rectè Ecclesiam gubernet. Ad hunc finem cæteri labores ab omnibus hominibus referendi sunt, ut pro uocatione singuli seruiant Ecclesiæ, & aliquid operæ conferant ad tuendam & ornandam doctrinam. Sic & in alijs Psalmis propter hunc finem petit uitæ prorogationem: Nõ mortui laudabunt te Domine. Vt enim sint Doctores, necesse est aliquos rectè eruditos & usu confirmatos uiuere. Hæc est Psalmi summa, quem & nos planius intelligemus, cùm hoc ipso consilio recitabimus, ut nos quoq; Deo gratias agamus pro nutritione, defensione, & gubernatione, & hæc ipsa beneficia ab eo petamus. Scribuntur enim hæc cantica non propter Dauidem, sed propter uniuersam Ecclesiam. Spiritus sanctus per Prophetam docet omnes pios, hæc esse beneficia Dei, & promissa esse Ecclesiæ. Suntq; sumtæ hæ sententiæ ex primis illis promissionibus traditis Abrahæ. Vt Gene. 15. Noli timere Abraham. Ego protector tuus sum, & merces tua ualde.

Opinioni dignitatis opponenda est doctrina Euangelij de remissione gratuita.

Obstrepit autem nobis indignitas nostra & accusat nos conscientia, quòd pœnas meriti simus. Ideo languescit spes auxilij: Sed opponatur huic accusationi doctrina Euangelij de gratuita remissione peccatorum. Item hæc ipsa uox: PROPTER NOMEN TVVM, propter gloriam tuam Deus exaudias & iuues nos, ne Epicurei & blasphemi uociferentur nullam esse Ecclesiam Dei, nihilo magis doctrinam traditam per Prophetas, & Apostolos, diuinam esse, quàm Mahometicam: Has blasphemias refutato repressis furoribus impiorum, & defensis nobis. Denique ideo petimus defensionem, ut diu seruiamus tuæ Ecclesiæ, ut iuuentutem & populum docere possimus, ut salutaris doctrina propagetur ad posteros & ad multas gentes.

Hæc est simplex Psalmi sententia, quæ nobis illustrior & dulcior erit, cùm ad usum in precatione transferetur. Ac sciendum est inter cultus Dei præcipuos esse, hæc ipsa officia, talem gratiarum actionem & petitionem. Nam humana ratio alioqui somniat hæc bona casu aut nescientibus offerri aut amitti. At nos sciamus ea Ecclesiæ uerè à Deo dari, & uelle Deum ut ea petamus, ac fidem hac petitione exerceamus. Turci nunc denunciant bellum & uastationem toti Europæ & uniuersæ Christi Ecclesiæ, Aduersus hæc tanta pericula tegi & defendi nos à Deo petamus, ne ipsius noticia deleatur. Hæc petitio plus proficiet quàm Regum & exercituum arma, sicut suprà dictum est: Illi in curribus, & in equis, Nos autem nomen Domini Dei inuocabimus. Metaphoræ multæ dulces sunt in hoc Psalmo, quarum intellectus facilis est. Loca uirentia & herbida, amnes, mensa, significant nutritionem & consolationem. Virga & baculus significant defensionem & gubernationem.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXIIII.

DOMINI EST TERRA ET PLENITVDO EIVS, ORBIS TERRARVM ET QVI HABITANT IN EO.

Prophetia

XXIIII. Psal. Prophetia de collectione Ecclesiæ, & doctrina quid sit Ecclesia.

PRophetia est de Ecclesia Dei colligenda in toto terrarum orbe, & passim in mundi imperijs. Et intertexta doctrina quid sit Ecclesia, & qualis populus sit, & quæ bona accipiat à Deo. Etsi igitur breue carmen est, tamen plenum est eruditionis: & enarratio est promissionis traditæ Abrahæ, ac pertinet ad genus demonstratiuum seu διδασκαλικὸν. Inseritur autem & adhortatio ad Reges & Principes, ut patefaciant imperia Euangelio, nec arceant uenientem Christum, sicut & Psalmo secundo compellat Reges: Et nunc Reges intelligite, quia Diabolus præcipuè impellit gubernatores mundi, ut aduersentur Christo. Et hi excandescunt ideo, quia Euangelium damnat idola, & alia scelera, quibus polluti sunt, & mutatio cultuum uidetur eis parere dissipationes suarum gentium. Præmonentur ergo & Reges in Psalmis, ne bellum moueant aduersus Christum, ne admittant ista odia, quia Christus salutem eis offert, & repugnantes puniet ac delebit, Sicut Psalmo secundo dicitur: Tanquàm uas figuli confringes eos. Et hîc: *ATTOLLITE PORTÆ CAPITA VESTRA*, id est, imperia patefaciatis iter uenienti Christo: & eleuamini portæ mundi, id est, aperiamini uos Respub. ut Rex gloriæ ingrediatur, ut illucescat uobis Euangelium, & adsit inter uos Christus, & sit efficax, faciat uos hæredes uitæ æternæ. Sed si bellum aduersus eum mouebitis, scitote uos perituros esse. Nam ipse est potens in prælio, uincit & delet Tyrannos, sicut deleuit Pharaonem, Sennaherib, & alios innumerabiles.

Attollite portæ capita uestra.

Orditur autem Ecclesiæ descriptionem à capite, scilicet ab ipso Domino Christo, & à loco ubi collecturus est Ecclesiam. Hic noster Dominus Iehoua, inquit, qui uerè est conditor rerum, colliget sibi Ecclesiam in toto orbe terrarum. Qualis erit populus? Num ut nunc colens Deum externis ceremonijs? Imò talis erit populus, *INNOCENS MANIBVS, ET MVNDVS CORDE*, & non adplicans ad uanitatem animam suam, & non iurans dolosè, id est, non adplicans ad uanum & mendacem cultum, ad mendacem doctrinam animam suam, sed uerum Deum agnoscens & inuocans, amplectens uerbum à Deo traditum, non ficta hypocrisi colens, sed uerè timens, uerè inuocans: mundus corde, & innocens manibus, id est, uerè, non ficta hypocrisi obediens Deo in omnibus præceptis.

Qualis populus sit Ecclesia.

Quæ bona accipiet hic populus à Deo? *BENEDICTIONEM ET IVSTICIAM*, id est, hic populus agnoscens hunc uerum Deum, colligentem Ecclesiam, accipiet iusticiam, id est, pronunciabitur iustus, ac Deo placens: accipiet & benedictionem, id est, liberationem à peccato & morte, donabitur Spiritu sancto & uita æterna. Est ergo hæc definitio Ecclesiæ propriè dictæ: Ecclesia est cœtus hominum collectus passim ex genere humano uoce Euangelij, amplectens Euangelium, & uerè agnoscens & inuocans Deum fide Mediatoris Christi, per quem Ecclesia redemta est, habens remissionem peccatorum & Spiritum sanctum ac obediens Deo, & donandus Spiritu sancto.

Quæ bona accipiet Ecclesia à Deo.

Quomodo autem hæc dicta intelligenda sint, innocens manibus, mundus corde, ex Euangelio sumatur declaratio, quòd oporteat in hac uita incoari nouitatem spiritualem, & quòd peccati reliquiæ maneant, sed tamen remittantur credentibus in Christum.

Deinde sequitur concio ad reges & principes. Et hic locus obseruandus est, ad docendos magistratus politicos, ut sciant ad se quoq; pertinere curam iuuandi

Ad Magistratus politicos pertinet cura iuuandi propagationem Euangelij.

iuuandi propagationem Euangelij, & tuendi ueras Dei Ecclesias. Non existimemus à Deo tantùm ideo ordinatas esse politias, ut uentris bona quæramus. Nec Magistratus putet se tantùm esse armentarium, hoc est, custodem pacis externæ, ut multi loquuntur: sed multò magis custodem disciplinæ, prohibentem omnia externa scelera contra primam & secundam tabulam: ac primùm sciat se debere gloriam Dei ornare, qui propterea coniunxit homines politica societate, ut alij alios de uoluntate Dei doceant, & propagari Euangelium inter homines possit. Execranda est igitur impietas Principum & Magistratuum, qui tolerant confusiones quarumcunq; sectarum, aut opprimunt Euangelium, hoc falso prætextu, quasi ad Magistratum non pertineat cura iuuandi propagationem Euangelij. Hanc impietatem & secundus Psalmus taxat cùm ait: Et nunc Reges intelligite.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXV.

AD TE DOMINE LEVAVI ANIMAM MEAM, &c.

XXV. Psal. petitio remissionis peccatorum.

TOtus Psalmus precatio est, in qua manifesta petitio est remissionis peccatorum. Testatur ergo dari remissionem peccatorum, & est uox Euangelij docens totam Ecclesiam de hoc articulo, uidelicet de remissione peccatorum certa & gratuita, donata per misericordiam, quæ ex uoce Legis non potest esse certa, quia Lex semper postulat conditionem perfectæ obedientiæ. At hîc petitur remissio peccati, etiamsi sentimus manere in nobis magnam imbecillitatem, caliginem, dubitationes, prauos affectus, & uarias flammas peccatorũ. Ac nominatim fit mentio peccati nobiscum nascentis, quod uocamus peccatum seu morbum originis. Id enim uocat peccatum pueritiæ suæ, id est, quod inde usq; à natiuitate nobiscum circumferimus, & deponere non possumus, scilicet mentis infirmitatem, dubitationes, prauas inclinationes uoluntatis & cordis. Est autem longa precatio & circumstantijs amplificata, ut discernatur ab Ethnica, & ne sit frigida aut simulata βαττολογία, Sed uerè & ex animo proficiscens petitio.

Circumstantiæ hæ sunt, Primùm significat quem Deum alloquatur: nominat enim eum illa appellatione, quæ propria erat Dei, qui se patefecerat in Israël. Et addit se illum Deum alloqui, qui tradidit suum uerbum populo Israël, quia facit mentionem fœderis seu Testamenti, id est, promissionum quibus receptus est hic populus, clareq; discernit Ecclesiam Dei à gentibus: & promissionũ summam complectitur hoc dulcissimo uersiculo: *OMNES VIÆ DOMINI MISERICORDIA ET VERITAS, CVSTODIENTIBVS FOEDVS EIVS ET TESTIMONIA EIVS*, id est, Deus uerè est misericors & beneficus erga Ecclesiam suam, quæ uerbum ab ipso traditum amplectitur, & fide eius uerbi ipsum inuocat & eum colit.

Secundò causam exponit cur ad Deum accedat, etsi sciat Deum irasci peccato. Huic obiectioni opponit doctrinam de gratuita misericordia quam ex promissionibus intelligebant, quæ uerè sunt Euangelium. Et has Prophetæ sapienter discernebant à lege: *REMINISCERE MISERATIONVM TVARVM DOMINE, ET MISERICORDIÆ TVÆ,*

TVÆ, QVIA A SECVLO SVNT, id est, Agnosco meum peccatum, & scio me non esse iustum legis impletione. Quare confugio ad misericordiam tuam, quam patefecisti ab initio. Noluisti genus humanum totum perire, sed excerpsisti tibi Ecclesiam, dedisti promissiones, in quibus testatus es te recipere amplectentes uerbum illud. Recepisti Adam, Nohe, Abraham, Mosen, Aaron, qui horribiliter lapsus erat. Sic me quoq; recipias immensa misericordia tua propter promissum Dominum. Vehementissimum πάθος est, intuentis lapsus omnium Sanctorum & eorum restitutionem inde usq; à principio. Nam & dolor ex cogitatione imbecillitatis humani generis augetur & conspicitur magnitudo misericordiæ. Adiungatur autem ad hunc uersum de misericordia, uersus tertius, continens promissionem dulcissimam: OMNES QVI TE EXPECTANT, NON CONFVNDENTVR.

Adiungatur & promissio in uersu undecimo: OMNES VIÆ DOMINI MISERICORDIA ET VERITAS, CVSTODIENTIBVS FOEDVS, id est, Ecclesiæ amplectenti uerbum, inuocanti iuxta promissiones. Adiungatur & uersus duodecimus: PROPTER NOMEN TVVM DOMINE PROPICIVS ESTO. Quasi dicat, non propter nostra merita, sed propter misericordiam tuam, & ut ingens magnitudo misericordiæ tuæ celebretur, & alij expauescentes & trepidantes ad te redeant, & te uerè rursus celebrent.

Tertiõ nominantur & exaggerantur res quæ petuntur, scilicet, remissio peccatorum, & gubernatio ac defensio, quæ comitantur remissionem. Miscentur autem querelæ, quæ exaggerant peccati magnitudinem. Nominat peccatum puericiæ, id est, quod inde usq; à natiuitate hæsit in natura: & postea inquit, Propicius esto peccato, quia magnum est, seu multiplex, id est, magna caligo & auersio seu aberratio à Deo, & magna confusio omnium motuum carentium gubernatione Dei, ruens contra Deum, & ei displicens. Hæ querelæ diligenter cogitentur, ut emendemus carnalem securitatem & hypocrisin extenuantem peccatum. Aptè igitur ea, quæ in precatione præcipuè cogitanda sunt, recensuit, quem Deum inuocet, cur ad eum accedat, quid petat, quanta sit magnitudo nostræ miseriæ. Interserit & promissiones quibus precantis fiducia erigitur & confirmatur: OMNES QVI TE EXPECTANT, NON CONFVNDENTVR: BOÑVS ET RECTVS DOMINVS, propterea docebit peccatores in uia, diriget afflictos in iudicio: id est, mitigabit eis afflictionem, consolabitur eos. Est & hæc promissio: QVIS EST HOMO QVI TIMET DOMINVM, docebit eum uiam quam elegit, id est, Quanta res, quàm felix est ille homo qui timet Dominum, qui amplectitur uerbũ Dei, nec abijcit fidem: Hic habet gubernatorem & defensorem Deum. SECRETVM DOMINI, TIMENTIBVS EVM, id est, timentes Deum agnoscunt secretum Domini, id est, præsentiam, & auxilium Dei, quod est secretum, non intellectum mundo, quia impij non credebant Dauidem in exilio curæ esse Deo. Secretum Domini

In fine repetuntur & cumulantur petitiones de remissione peccatorum, gubernatione & defensione.

Vltimus uersus addit ἐπιφώνημα, continens promissionem uniuersalem, quæ

quæ toti Ecclesiæ liberationem pollicetur. Significat igitur restare uitam æternam, in qua Ecclesia liberata ab omnibus malis, acquiescet in Deo.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXVI.

IVDICA ME DOMINE, QVONIAM EGO IN INNOCENTIA MEA INGRESSVS SVM, ET IN DOMINO SPERANS NON INFIRMABOR &c.

XXVI. Psal. petitio defensionis contra hostes Ecclesiæ & confessio.

TOtus Psalmus initiò precatio est, qua petit defensionem contra hostes Ecclesiæ & Euangelij: deinde confessio est, qua testatur se profiteri ueram Ecclesiæ doctrinam, & fugere & damnare hostium Euangelij doctrinam, societatem, consilia, & fœdera. Hanc constantiam ueræ professionis ideo recitat, ut exemplum omnibus proponat, qualis esse confessio debeat. Non satis est, ut multi fingunt, nosse uera, & approbare apud sese tacitos, ac interea foris in consuetudine hominum ritus impios seruare, & exemplo stabilire, & uel mutum esse, cùm Tyranni ad supplicia rapiunt innocentes propter ueritatis professionem, aut colludere cum eis: Sed uult Deus extare confessionem manifestam, Sicut ait Christus: Qui negauerit me coram hominibus, negabo eum corã Patre cœlesti. Vult aũt ideo manifestam professionẽ edi, primum ut ipse innotescat & celebretur: deinde ut fiat seiunctio Ecclesiæ Dei ab impijs & hostibus Dei. Etsi enim Ecclesia est cœtus despectus in mundo, tamen Deus eam conspici & audiri uult, ut propagetur doctrina, ipse innotescat & multi uocentur ad salutem. Ideo Psalmus hic recitat suam confessionem, quæ necessaria est propter alios homines, ut dixi. Et hæc tota descriptio in Psalmo exempli causa proposita est, ut nos eam imitemur.

Iudica me DOMINE.

Semper autem confessionem sequuntur ingentia pericula & certamina. Ideo petenda est defensio, sicut hic petit, *IVDICA ME DOMINE*, id est, defende me tuo iudicio. Deinde causam addit: quia profiteor ueram doctrinam, nec colludo cum hostibus tuis. Hæc causa recitatur, non ut opponatur meritum, sed ut causa periculi ostendatur: Defende me, quia ingens onus confessionis sustineo. Et in tali periculo peculiariter promisisti defensionem propter tuam gloriam, & propter doctrinæ propagationem. Hæc est simplicissima interpretatio. Nec tamen meritum prorsus abijcio, Sed ita, ut prius persona intelligatur iusta fide per misericordiam propter Mediatorem. Deinde hæc ipsa opera, diligentia in uocatione, constantia in confessione & cruce, labor in docendo, & refutandis aduersarijs, sunt sacrificia Deo grata & amplissimis præmijs compensantur. Multæ sunt autem dulcissimæ amplificationes: Fugio doctrinam hostium Euangelij, gubernationem & sacrificia eorum. Et contrà uerò uocem tuæ laudis, id est, ueram doctrinam, audio & doceo, & alijs narro, & diligo tuam Ecclesiam, id est, ad hanc fouendam, iuuandam, tuendam refero studia, consilia, & labores meos. Sicut enim primum præceptum est: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde: Ita summum est omnium operum discere uerbum Dei, & ut suo quisq; loco iuuet propagatione, ornet & defendat ministerium ueræ doctrinæ, foueat concordiam ueræ Ecclesiæ, defendat eam, & reprimat aduersarios.

In postremo uersu addita est causa finalis, cur petat seruari, uidelicet, ut in Ecclesijs

Ecclesijs benedicat Domino. Huius causæ fit mentio in plurimis Psalmis, ubi addit se hanc gratiam relaturum esse pro beneficio accepto, uidelicet ut doctrinam latius spargat, ut Psalmus 118. Non moriar, sed uiuam, & narrabo opera Domini. Ita hîc promittit idem officium: In Ecclesijs benedicam Domino, Tuo cœtui proponam uerbum tuum, docebo & confirmabo alios, ut Christus præcipit: Et tu conuersus confirma fratres tuos.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXVII.

DOMINVS ILLVMINATIO MEA ET SALVS MEA, QVEM TIMEBO? DOMINVS PROTECTOR VITÆ MEÆ, A QVO TREPIDABO?

PRecatio est ardentissima & magna adfectuum uarietate amplificata: mixtæ sunt gratiarum actiones, promissiones, & præcepta de fide, sed principalis petitio est, ut seruetur unà cum Ecclesia sicut nos nunc petere debemus: VNVM HOC PETII A DOMINO, VT HABITEM IN DOMO DOMINI SEMPER, ET VISITEM TEMPLVM EIVS, id est, ut salua sit Ecclesia, & nos unà cum Ecclesia seruemur. Hæc sententia amplificata est Dei promissionibus: DOMINVS EST LVX MEA, id est, consolator. QVEM IGITVR TIMEBO? id interrogatiuè legendum est. Est enim sententia: Deo protegente, non formidandam esse ullam hostium potentiam. XXVII. Psal. petitio ut seruetur unà cũ Ecclesia.

Alia amplificatio ab hostium uiribus & rabie sumta est, cũm ait: VT EDANT CARNEM MEAM.

Alia amplificatio sumta est à desertione: SVM SOLVS, deseror etiam ab intimis amicis. Hæc querela in leuioribus negocijs, etiam prophanorum hominum usitata est, ut dicitur: Nusquam tuta fides, Sed multò crebrior est in Ecclesia. Quare passim in Psalmis repetitur, ut Psal. 41. Homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Et experientia quotidiana testatur multos experiri tales desertiones, qui legentes hanc consolationem in Psalmis, sciant sibi promissionem hîc propositam esse: Etiamsi pater & mater me deserant, tamen Deus mihi aderit, me defendet & seruabit. Solus sum.

Promissiones autem & præcepta de fide: EXPECTA DOMINVM, docent nos usum huius doctrinæ. Tenenda est promissio, & sciendum quòd uerè sit mandatum Dei, ut etiamsi sumus in ærumnis ingentibus, tamen iuxta uerbum statuamus nobis adesse Deum opitulatorem, & mitigaturum esse calamitates, nosq; tandem liberaturũ esse. Ideo fidem suam ipse commemorat, ut exemplo suo nos admoneat de applicatione, & de expectanda consolatione: CREDO inquit, MEVISVRVM ESSE BONA DOMINI IN TERRA VIVENTIVM. Etiamsi premor undiq;, tamen hac me consolatione sustento, acquiesco in promissione diuina, & hac fide liberationẽ tranquillus expecto, & quidẽ euenient bona non peritura, Sed bona Domini, lux, iusticia & uita æterna. Et seruabor in terra uiuentium, id est, non opprimar ab hostibus in hac uita, nec deinde mergar in æternam mortem, sed celebrabo Deum inter uiuentes in hac uita, & in uita æterna: tectè enim simul concionatur de uita æterna.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXVIII.

AD TE DOMINE CLAMABO, PETRA MEA NE SILEAS A ME, &c.

XXVIII. Psal. pars prima precatio est, qua se petit seruari oppreßũ horrendis terroribus

INitiò recitatur precatio, quæ amplificata est tristissimis affectibus. Luctatur Propheta cum horrendis terroribus, premitur conspectu peccati, & metuit se abijci cum impijs & damnatis. Huius ingentis & horrendæ consternationis gustum in sensu pœnitentiæ pij experiuntur. Nec alijs uerbis hi pauores magis propriè describi possunt, quàm quæ sunt in ipsis Psalmis. Deplorant suam immunditiem, agnoscunt iustam iram Dei, sentiunt pœnas, fatentur pœnas minores esse suis peccatis, ut clamitat Daniel cap. 9: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei: metuunt igitur se prorsus abijci cum damnatis in æternum exitium.

In his tantis doloribus succũbunt Saul, Iudas & alij innumerabiles. Sed Dauid, Ezechias & similes sustentantes se cogitatione promissionis seu Euangelij, agnoscunt promissam esse remissionem peccatorum, ut mox Psal. 32. dicitur: Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remittis impietatẽ peccati mei. Sed Ethnici, ut Cato, Brutus & similes, merguntur in opiniones Epicureas, cũm uident se in causis, ut putant, iustioribus, succumbere, queruntur non esse curæ Deo res humanas, nec confugiunt ad Deum. Vt Brutus moriturus clamauit, ô Deus quis est horum malorum causa? Et Cato dicebat magnas esse tenebras humanæ mentis de uoluntate Dei, quòd Pompeius antea in causis iniustis fortunatus fuisset, nunc in causa ut ipsi uidebatur iusta, infelix esset. Tales sunt in magnis ærumnis querelæ & disputationes omnium sapientum, qui ignorant Euangelium, quod monstrat causas calamitatum, & ueras consolationes.

Altera pars est gratiarum actio.

Post precationem uerò sequitur gratiarum actio uersu sexto, qua testatur se seruatum esse. Et ob hanc ipsam causam suam liberationem recitat, tanquam exemplum promissionis uniuersalis. Omnes cæteri petant liberationem, & certò credant se exaudiri à Deo cõfugientes ad ipsum, ut alibi Psalmus inquit: Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum. Et Ioël inquit: Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Hæ uniuersales sententiæ diligenter considerandæ sunt, ut nos ipsos in eas includamus. Et Dauid suas liberationes ideo recitare se adfirmat, ut cæteros exemplo suo ad fidem inuitet, ut Psal. 34. inquit: Accedite ad eum, & accurrite, & uultus uestri nõ confundẽtur. Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationib. eripuit eum. Sic igitur exempla liberationis Dauidicæ legamus, & ut nobis promittimus auxilium statuamus, ac præcipi discamus, ut talibus cõmonefacti exemplis liberationẽ petamus & expectemus. Ideo in fine addita est precatio pro uniuersa Ecclesia, ut significet suum exemplũ ad cæteros pertinere. Sæpẽ aũt in fine Psalmorum tales cõmunes precationes attexit, quibus uoluit omnes lectores commonefacere de hoc officio, omnium maximè necessario, uidelicet de precatione pro uniuersa Ecclesia.

Adiungamus ergo nostra uota ad hanc ipsam uocem Prophetæ: *SALVVM FAC POPVLVM TVVM, ET BENEDIC HÆREDITATI TVÆ, ET REGE ET EXTOLLE EOS SEMPER*

PER defende Ecclesiam aduersus omnium impiorum hęreticorum & Tyrannorum furores, & studia & disciplinam rege, & seruato, ut semper sint qui te uerè doceant, & ad posteritatem transmittant, Amen.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXIX.

AFFERTE DOMINO FILII FORTIVM, AFFERTE DOMINO GLORIAM ET FORTITVDINEM.

XXIX. *Psalmus descriptio est ueri Dei.*

HIc Psalmus est generis demonstratiui, quia laudatio seu descriptio est ueri Dei, ostendens quis sit uerē Deus, & quomodo, & ubi agnosci uelit. Primùm igitur propositio recitatur, quæ iubet huic Deo offerre, id est, hunc Deū inuocare, qui se patefecit, tradito uerbo in hoc populo, & cuius uox fuit, est & erit efficax: ut quassauit montes uox Dei cùm populus esset in deserto, sic semper uox Euangelij data à Deo, erit efficax, colliget Ecclesiam, & in ea lucem & uitam æternam incoabit, & in ea Ecclesia perpetuò habitabit.

Tres partes huius Psalmi. Prima de uocatione.

Tres sunt igitur partes huius Psalmi: Prima est de uera inuocatione: Hunc Deum inuocate, qui huic populo Israël uerbum suum ingentibus & illustribus testimonijs tradidit.

Secunda de efficacia ministerij.

Secunda est de uocis ac ministerij Euangelici efficacia. Certò sciamus Deum uelle efficacem esse per uocem Euangelij, colligere Ecclesiam, dare remissionem peccatorum, nouam lucem & uitam æternam, sicut uerè fuit efficax cùm quassaret montē Sinai, & ederet alia miranda testimonia in deserto. Hanc collationem Paulus eruditissimè tractat, in 2. Epistola ad Cor. 3. Cùm fuerit ingens gloria ueteris Testamenti, multò maior erit gloria noui Testamenti: id est, cùm Deus illustribus testimonijs ostenderit se esse efficacem in Ecclesia eius temporis, & ornârit eam tunc magna gloria, & miranda defensione, non dubitemus Deum efficacem esse etiam promulgato Euangelio: quanquam horribiliter onerati sumus cruce in hac uita, ac nondum efficacia illa & gloria cernitur.

Diligenter autem doctrina de efficacia ministerij Euangelij discenda est, ne quæramus Deum sine suo Euangelio: deinde ut sciamus etiam in ipso Euangelio acquiescendum esse, & Deum uerè hoc modo per fidem acquiescentē in Euangelio, dare hæc ipsa bona, quæ promisit, scilicet remissionem peccatorum & Spiritum sanctum.

Hanc doctrinam de efficacia ministerij Euangelici non intelligunt mentes prophanæ: Sed experientia in uera consolatione ostendit necessariam & salutarem esse. Anabaptistæ & alij fanatici totam delent, qui suis imaginationibus relicto Euangelio, nouas illuminationes quærunt. Tales furores execrandi sunt, & opponenda sunt testimonia de efficacia ministerij Euangelici.

Tertia de Ecclesia.

Tertia pars de Ecclesia loquitur: semper regnabit uerus Deus in Ecclesia, in qua sonat uerbum ab ipso traditum. Hæc sententia docet & quid sit Ecclesia, & promissionem tradit, quæ adfirmat Ecclesiam perpetuò mansuram esse, qua consolatione pijs opus est, ne existiment Ecclesiam interituram esse, cùm tàm uariè oppugnetur & quassetur.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXX.

EXALTABO TE DOMINE, QVONIAM SVBVEXISTI ME, &c.

XXX. Psal. gratiarum actio recitans beneficium seu liberationem.

GRatiarum actio est, recitans beneficium seu liberationem. Miscentur autē ut fit, descriptiones periculi & afflictionum, & enarrantur causæ periculi, & argumenta propter quæ expetenda est liberatio. Sæpè autem dictum est, has narrationes ideo scriptas esse, ut exempla proponantur, quæ testentur Deum uerè exaudire eos qui inuocant in Ecclesia, & uerē opitulari eis, & doceant fidem & inuocationem. Sicut enim Deus promissiones tradidit, & scribi uoluit, & exempla liberationum multa quotidie ostendit, & insignia aliqua scribi uoluit, tanq; testimonia promissionum, ut discamus uerè exaudiri inuocantem Ecclesiam, & accendantur fides, inuocatio, & alij motus Deo placentes in cordib. piorum: Ideo toties iam dictum est, oportere nos exempla ad usum nostrum transferre. Sicut te includis in uocem promissionum, sic etiam exemplū tibi concionari scias, quia Deus non est personarum acceptor. Tām uult Deus te exaudire, q̄ exaudit Dauidem, modò ut petas auxilium. Itaq; gratiarum actio in hoc Psalmo, ut alibi, testatur nos exaudiri, & iubet exemplo ut petamus auxilium, & accepto beneficio gratias agamus, & alios nostra fide & confessione ad inuocationem inuitemus.

Tres primi uersus eandem propositionem repetunt: *TV DEVS LIBERASTI.* Quartus uersus addit gratiarum actionem, quam uult fieri à toto cœtu, quia passim Psalmi deducunt nos ad cœtum, uolunt ut ad Ecclesiam nos adiungamus, & ut in Ecclesia sonet nostra confessio. Ideo inquit: *PSALLITE DOMINO SANCTI EIVS.*

Versu quinto, collatio recitatur adflictionis, & consolationis. Significat breue esse tempus adflictionis, sed postea consolationem æternam, ut 2. Cor. 4. Momentum adflictionis nostræ, efficiet æternum pondus gloriæ. Hæc collatio necessaria est, ut sciamus finem fore præsentium miseriarum, quæ sæpè sunt horribiles.

Versu 6. & 7. recitantur causæ adflictionum: Dixi in abundantia mea, non mouebor. Reprehensio est securitatis in rebus secundis, & cōmonefactio, ut cogitemus res secundas Dei beneficia esse, nec fiamus insolentes, superbi, negligentes: Tantisper, inquit, floreo, dum me iuuas. Sed cùm abscondis faciem tuam, id est, cùm me non aspicis ut me iuues, ingentibus miserijs opprimor. Sed in his ad te confugio.

Versu 9. argumentum recitatur quare sit petenda liberatio, scilicet ut Deus glorificetur: *QVID PRODEST DEO NOSTER INTERITVS?* Et ut dicitur in Thobia: Non delectatur Deus perditione nostri.

In fine precationes adduntur, quia subinde iterum nobis opus est liberatione. Hæc omnia cùm ad usum nostrū transferuntur, ut sæpē dixi, fiunt illustria, & ita dulcescunt Psalmi, cùm discimus fidem & inuocationem in his exemplis. Repeto autem quod suprā sæpè dictum est, in hac inuocatione accendatur fides, ut nos uerè exaudiri statuamus. Et sicut promissionem ad nos pertinere scimus: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit: ita hæc exempla proposita esse sciamus, ut nos quoq; credamus similiter exaudiri. Dives est enim Deus erga omnes qui eum inuocant.

Argu-

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXXI.

IN TE DOMINE SPERAVI, NON CONFVNDAR IN ÆTERNVM, &c.

PRecatio est, qua uti omnes pij possunt in petenda liberatione. Et exemplũ hîc descriptum, ut sæpẽ aliãs, docet in tali petitione fidem adferendam esse. Exaggeratur autem calamitas & miscentur gratiarum actiones & promissiones, ut fit in his descriptionibus: quia recordatio liberationum priorum accedit, & in præsentia aliqua mitigatio sentitur. Obseruanda est autem collatio spei ueræ & spei carnalis. In primo uersu statim in propositione dicitur: *IN TE DOMINE SPERO: NON CONFVNDAR IN ÆTERNVM*, id est, mea spes non nititur humanis præsidijs, non mea iusticia, non meis uiribus, sed tua misericordia. Tu igitur eripe me tua iusticia, id est, tu me declares iustum & tibi acceptum esse. Aliter enim phrasis accipienda est, q̃ si Latino more de ludice loqueremur ludex iusticia tua punias parricidas.

XXXI. Psal. precatio petens liberationem.

Collatio spei ueræ & spei carnalis.

In uersu sexto clarẽ discernit duplicem spem: *ODI OBSERVANTES VANITATEM*, id est, eos qui humana sapientia, humana iusticia, præsidijs amicorum nituntur. Hæc omnia uana & fallacia sunt, Sicut aliãs scriptum est: Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Econtrã uerõ inquit Psalmus: *EGO IN DOMINO SPERAVI*. Hoc dicto & similibus docemur de spe, quæ petit & expectat auxilium ã Deo, etiam cũm destituti sumus humanis auxilijs, ut alibi dicitur: Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. In fine gratiarum actio recensetur: *BENEDICTVS DOMINVS, QVI MIRIFICAVIT MISERICORDIAM SVAM MIHI.*

Deinde additur adhortatio, quæ ostendit applicationem exempli. Sicut ego exauditus & liberatus sum, ita uos quoq; exaudiemini. Ideo uiriliter agite, non succumbite animis, non abijcite promissionem ueræ doctrinæ, erigite & confirmate animos spe & expectatione auxilij diuini. Estq; promissio dulcissima addita: *FIDELES CVSTODIT DOMINVS*, id est, ueraces, & constantes, qui ueritatem Dei amplectuntur, & uera sine hypocrisi docent. Econtrã uerõ perdet Deus superbos, qui audacissimẽ & superbissimẽ contemnunt Deum, freti humana potentia, ut nunc homines pios crudelissimẽ interficiunt multi Epicurei, audacter contemnentes Deum. Sed Deus eorum furores aliquando reprimet.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXXII.

BEATI QVORVM REMISSÆ SVNT INIQVITATES, ET QVORVM TECTA SVNT PECCATA.

TItulus monet hunc Psalmum plenum esse eruditionis. Inscribitur enim eruditio. Estq; doctrina propria Ecclesiæ de remissione peccatorum, de peccato manente in Sanctis in hac uita, de confessione peccati, de discrimine

XXXII. Psal. exponit doctrinã propriam Ecclesiæ patefactã in Euangelio.

ueræ iuſticiæ, arrogantiæ hypocritarum, de cauſis calamitatum humanarum, de uera conſolatione, quæ in Eccleſia traditur in doctrina de cruce. Hæc tota doctrina extra & ſupra Philoſophiam et rationis humanæ iudicium poſita eſt, & diſcernenda eſt à lege. Eſt enim uox Euangelij, in quo patefit arcana uoluntas de gratuita remiſſione peccatorum, & de uera conſolatione in cruce. Ideo autem hic Pſalmus uarijs interpretationibus contaminatus eſt, quia pauci recte intelligunt doctrinam de gratuita remiſſione peccatorum, & multi ineruditi confundunt genera doctrinarum, Legem & Euangelium. Ordinè autem propoſitiones conſiderentur.

Beatus cui remittitur peccatum.

Primus & ſecundus uerſus continent expreſſam & perſpicuam propoſitionem de gratuita remiſſione peccatorum: *ILLE EST BEATVS ET IVSTVS, CVI REMITTITVR PECCATVM*, id eſt, quem Deus recepit, etiamſi indignum & adhuc habentem ſordes in hac carnali natura. Non propter merita noſtra, non propter uirtutes noſtras, ſed propter Deum recipientem nos ſua miſericordia, data promiſſione, ſumus iuſti. Hæc eſt doctrina quam Paulus copioſè enarrat in Epiſtola ad Romanos, ubi horum uerſuum teſtimonium citat.

Confeßio.

Sequentes uerſiculi loquuntur de confeſſione peccati: *IN CVIVS SPIRITV NON EST DOLVS*, id eſt, ubi eſt agnitio & confeſſio peccati, Item agnitio miſericordiæ & promiſſæ gratuitæ reconciliationis fide apprehendens remiſſionem, in tali pectore non eſt hypocriſis, arrogans ſibi iuſticiam.

CVM TACEREM, OSSA MEA LANGVEFACTA SVNT, Id eſt, in pauore & lucta, priuſquàm confeſſione gratuitæ remiſſionis erigerer, penè extinctus ſum. Cùm Deus oſtendit nobis peccatum expauefcimus, ut inquit Ieremias: Poſtq̃ oſtendiſti mihi, percuſſi femur meũ &c.

Sequitur repetitio & declaratio propoſitionis principalis: ſic conſequitur homo remiſſionem cùm confitetur peccatum, & petit gratis remitti propter promiſſionem diuinam. Hæc eſt dulcis & firma conſolatio, uerè incoans uitam æternam in corde, quòd adfirmat nos certò donari remiſſione, etiamſi non adferimus merita, Sed hunc ipſum gemitum agnoſcentem peccatum & petentem remiſſionem.

Secunda propoſitio, diſcernens hypocritas & iuſtos fide. Etiam in Sanctis manet peccatum, ſed remittitur petentibus: *PRO HOC ORABIT AD TE OMNIS SANCTVS.* Sancti non ſatisfaciunt legi, non ſunt iuſti impletione legis, Sed adhuc ſecum circumferunt multa uicia interiora, dubitationes, diffidentiam, ſecuritatem & alia mala, quæ extenuant hypocritæ, ſed Sancti agnoſcunt eſſe peccata, & petunt condonationem, & acquieſcunt in doctrina huius Pſalmi, ſciunt homines ita iuſtos eſſe, quia peccatum tegitur & non imputatur.

Diſcrimen hypocritarum et fide iuſtorum.

πάθος: *ERGO IN TRIBVLATIONE AD TE CONFVGIAM.* Qui ignorant hanc doctrinam de gratuita remiſſione, in calamitatibus iudicant ſe propter peccata à Deo abijci, ut inquit Cain: Maius eſt peccatũ meum, quàm ut remitti poſſit. At hæc doctrina reuocat animum ex inferis, cùm oſtendit certò gratis remitti peccata, & Deum præcipere, ut fide petamus remiſſionem.

Inſeritur promiſſio, in qua Deus promittit ſe uelle hanc doctrinam pios docere, quia ſine luce diuina nõ tollitur hypocriſis.

Ter-

Tertia propositio, Principalis causa calamitatum humanarum est, non, ut Philosophi putant, materia, sed peccatum in natura hominum. Mors & aliæ miseriæ humanæ sunt carcer impiorum, qui debebat homines admonere de ira Dei aduersus peccatum: *CHAMO ET FRENO MAXILLAS EORVM CONSTRINGIS, CVM NON ADPROPINQVANT AD TE.* Vagantur horribiles pœnæ per totum mundum, Sodoma, Aegyptus, Ierosolyma, Babylon, Roma delentur. His exemplis & coërcet Deus impios, & commonefacit omnes homines, ut agnoscant Deum uerè irasci peccatis, & aliqui ad Deum conuertantur.

Principalis causa calamitatum peccatum in natura.

Quarta propositio, Vtriq; pij & impij morte onerati sunt, & horrendis calamitatibus excruciantur. Sed impij succumbunt ac ruunt in æternum exitium, quia nolunt audire remissionem peccatorum: Econtrà uerò petentes remissionem peccatorum, sciunt se propter peccatum subiectos esse morti & aliis miseriis, sed tamen non abijci à Deo propter has pœnas. Sustinent igitur ærumnas & petunt remissionem, & sciunt se uerè exaudiri à Deo, & iuuari, & tandem liberationem propositam esse.

Pij & impij sunt in calamitatibus sed dissimiliter.

Epiphonema, *LÆTAMIMI IN DOMINO.* Has consolationes de gratuita remissione, & de auxilio in cruce qui tenent, experiuntur in magnis doloribus ueram leuationem, imò uitæ æternæ gustum & incoationem. Hæc tota doctrina, ut suprà dixi, Philosophis ignota est: Ideo uidetur obscurior. Philosophi iubent tantisper humana præsidia quærere, dum aliqua inueniri posse uidentur: postea uelut amissis tabulis in mari, sinunt mergi animos, cùm ratio nihil uidet auxilij. Sed mens intelligens Euangelium, in qua fides accensa est, scit Deum adesse inuocantibus etiam cùm destituimur humanis auxilijs, ut Esaias inquit, Deum habitare in adflicto Spiritu. Et Psalmus 34. Propè est Dominus his, qui tribulato sunt corde.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXXIII.

EXVLTATE IVSTI IN DOMINO, RECTOS DECET COLLAVDATIO.

DOctrina est & gratiarum actio de prouidentia, quæ non tantùm intelligatur, ut Philosophi eam intelligunt, qui in hac ipsa sententia dupliciter errant. Primùm uagantur animis, non quærentes uerum Deum, qui se uerbo suo & promissionibus patefecit, Deinde etiamsi concedunt Deũ magna quædam gubernare, ut cùm uident excuti ex regno Astyagen, & iuuari Cyrum imbecilliorem, tamen aiunt multa prorsus committi nostræ diligentiæ, & semper dubitant an exaudiantur hominum preces.

XXXIII. Psal. doctrina & gratiarum actio de prouidentia.

At hic Psalmus docet hunc uerum Deum inuocandum esse, qui se in Ecclesia, datis promissionibus, patefecit. Et hunc adfirmat curare humana, magna & parua, & exaudire inuocantium preces, ac uelle quidem ut singuli suscipiant opera uocationis suæ, ut Doctores doceant, Senatores regant consilio Rempub: Duces prælientur, patresfamilias erudiant liberos, unusquisq; studeat uitare delicta, & conferat operam ad ornandam Ecclesiam & tuendam communem tranquillitatem. Sed tamen sciamus, etsi non sumus ignatui ac bona conscientia annitimur, tamen Dei est prouehere hos conatus, & efficere ut

Verus Deus inuocandus qui se patefecit in Ecclesia.

In omni bona actione concurrunt Dei auxilium & noſter conatus.

ſint felices & ſalutares. Ita diſcamus concurrere in omni bona actione, Dei auxilium & noſtrum conatum, Sicut uſitatē dicitur: Præeunte gratia, comitante uoluntate.

De hoc concurſu & auxilio Dei docet nos hic Pſalmus. Tradit doctrinam quòd Deus uerē & condiderit uniuerſum opificium mundi, & adſit ſuis operibus, eaq; ſeruet, & præcipuē tueatur Eccleſiam. Hanc promiſſionem inculcat & præcipit de fide, ut credamus Deum adeſſe ſuis operibus, & promiſſionem auxilij omnibus periculis opponamus, & petamus auxilium. Hos culpas monet eſſe præcipuos & ignotos humanæ rationi. Accendi igitur & crescere fidem huius inuocationis exercitio oportet.

Sennaherib inferens bellum Iudææ, cogitat ſe ſuo conſilio, & exercitus ſui robore domiturum Iudæam, non cogitat de præſentia Dei, nec uerè petit auxilium diuinum, ſed ut Aiax dicebat, Timidis opus eſſe auxilio diuino, ſe etiam ſine Deo potiturum eſſe uictoria: ita Sennaherib ſummouet Deum. At econtrā Ezechias ſcit adeſſe Deum Eccleſiæ ſuæ, petit & expectat defenſionem: Nec fallit hæc fides ipſius expectationem, ſed uerē impetrat defenſionē. Hæc exempla nobis proponamus, ac ſciamus & promiſſiones omnibus propoſitas eſſe, & exempla propter nos ſcripta eſſe, ut ſimilis fides in nobis accendatur, & petamus & expectemus auxilium, & Deum celebremus.

De his fidei exercitijs ſæpē iam dictum eſt in alijs Pſalmis. Et Paulus ſuum exemplum recitat 2. Corinth. 1. Reſponſum mortis in nobis ipſis habuimus, Ne eſſemus confidentes in nobis ipſis, ſed in Deo reſuſcitante mortuos, qui ex tanta morte nos liberauit, & rurſus liberabit, iuuantibus ueſtris precibus, ut deinde per plures agantur gratiæ: quo in loco Paulus eruditiſſimē recenſuit & cauſam adflictionum, ſcilicet ut fiducia noſtri deponatur, & agnoſcatur præſentia Dei, & petatur auxilium.

Cauſæ cur Deus adiuuet.

Deinde cauſæ ſunt cur Deus adiuuet, Finalis, ut ipſe celebretur, & multi inuitentur ad inuocationem. Sed impulſiua partialis, noſtræ & aliorum preces. Impulſiua uerò principalis eſt mediator Chriſtus pro nobis intercedens.

Exordium Pſalmi eſt: *EXVLTATE IVSTI IN DOMINO.* Iubet celebrare bonitatem Dei & agere gratias.

Narratio eſt: *VERBO DOMINI COELI FACTI SVNT.* Orditur ā creatione, ut poſtea addat doctrinam de prȩſentia Dei ſeruantis ſua opera, & præſertim Eccleſiam.

DOMINVS DISSIPAT CONSILIA GENTIVM. Hîc iam recitat doctrinam de prouidentia, quòd curet & defendat Eccleſiam, reprimat impetus Tyrannorum, ſicut Pharaonem & multos alios repreſſit.

BEATA GENS CVIVS EST DOMINVS DEVS EIVS. Hic uerſiculus promiſſio eſt, teſtificans hoc auxilium præcipuè ad Eccleſiam pertinere. Et ſimul docet nos de uera inuocatione, & quæ ſit uera Eccleſia. Hæc, inquit, uera eſt inuocatio, agnoſcere & inuocare hunc Deum, qui eſt Iehoua, qui ſe Iſraëli patefecit, & promiſſionem nobis illuſtribus teſtimonijs tradidit, qua adfirmat ſe nos recipere, exaudire, & donare præſentibus & æternis bonis propter promiſſum ſemen. Hæc eſt uera Eccleſia & hæreditas Dei, populus quem Deus ſibi expreſſo uerbo adiunxit.

Quæ ſit uera inuocatio.

Deinde

Deinde repetit doctrinam de prouidentia, præsentia & auxilio Dei, & extenuatione uirium humanarum: *HVMANÆ VIRES SINE DEO SVNT INANES, FALLAX EQVVS AD SALVTEM*, ut exitus Sennaherib ostendit: *AT OCVLI DOMINI INTVENTVR METVENTES EVM, DEVS CVSTODIT INVOCANTES EVM*: ut Ezechiæ liberatio testatur, Deus aspicit hominum opera, & consilia. Quòd uerò ait: *FORMAT*, non intelligatur malarum cogitationum autor esse, sed bonos conatus adiuuat, malos reprimit, cùm uideat utroscp.

Deinde adiungit precationes tanquam conclusionem, ut in nobis quoque hæc fides accendatur, credens Deum opitulari inuocantibus & petens auxilium: *ANIMA NOSTRA EXPECTAT DOMINVM: AVXILIVM NOSTRVM ET SCVTVM IPSE EST. FIAT MISERICORDIA TVA DOMINE SVPER NOS.*

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXXIIII.

BENEDICAM DOMINVM IN OMNI TEMPORE SEMPER LAVS EIVS IN ORE MEO.

XXXIIII. *Psalmus præcepta & promissiones continet uberrimas, & applicationem exemplorum.*

Hic dulcissimus Psalmus sæpẽ citatur, quia non solùm præcepta & promissiones uberrimas continet, sed etiam applicationem exemplorum, quæ docet nos intueri in exempla, & non absterreri hac humana ratiocinatione: Priuilegia non transferantur in exemplum. Etiamsi Abraham, Ioseph, Dauid adiuti sunt, tamen non sequitur cæteris similia beneficia expectanda esse. Imò, inquit hic Psalmus, similia beneficia cæteri omnes expectent, qui Deum uerè inuocant, & ad eum confugiunt.

Sed hîc prius tenenda est doctrina Euangelij, ut argumentum explicetur, quod Lex opponit. Iustus dat æqualia æqualibus: Ioseph & ego sumus inæquales, ille erat iustus & ornatus omnibus uirtutibus, ego sum iniustus, & multorũ peccatorum reus, Ergo illi iustè præmia data sunt, ego iustẽ pœnis adficior. Sed minor explicatione indiget, quæ ex Euangelio sumenda est. Sumus æquales Ioseph & nos, utricp enim sumus rei multorum peccatorum: sed & Ioseph recipitur gratis per misericordiam, & nos gratis recipimur per misericordiam propter filium Dei. Ita rursus efficimur æquales. Hæc est ingens bonitas, quam uult Deus agnosci & conspici. De hac æqualitate sciamus nobis Euãgelij uocem concionari, quam nisi uera fide infixam animis tenebimus, hę consolationes in hoc Psalmo propositę nec intelligẽtur, nec lenient dolores.

Qualis sit æqualitas de qua Euangelium concionatur.

Postquam autem scimus recipi propter filium Dei gratis æqualiter omnes qui Deum inuocant, & fiducia filij Dei credunt sibi remitti peccata, tunc dulcescunt hæ consolationes, tunc scimus ad nos pertinere hæc dicta: *PROPE EST DOMINVS HIS QVI TRIBVLATO SVNT CORDE, ET CONTRITOS SPIRITV SALVABIT.* Hęc doctrina aliena est à iudicio rationis, & sententijs Legis, sed tamen uera est. Est enim sine ulla dubitatione æternum & immutabile Dei Euangelium, quod protulit filius Dei ex sinu æterni patris, ut hac uera consolatione ad Deum re-

uocemur,

uocemur. Hac præmonitione considerata facilis est Psalmi interpretatio.

Primùm agit gratias Deo pro liberationibus. Deinde exemplum suæ liberationis proponit toti Ecclesiæ, ac hortatur singulos, ut exemplis aliorum, qui experti sunt Dei beneficia, petant & expectent liberationem.

Et in uersu quarto ὑποτύπωσις est dulcissima. In qua inquit magna frequentia accurrere miseros ad Deum, & exaudiri eorum gemitus, uota. In hac frequentia accurrentium nos quoq; simus, & cùm promissionibus crebrò repetitis, tùm uerò exemplis Sanctorum inuitemur.

Deinde sequuntur promissiones exaggeratæ aliquot uersibus, in quibus non solùm promissiones considerentur, sed etiam doctrina de fide, ut suprà sæpè dictum est. Edit Deus promissiones & uult nos eas fide accipere, hoc est, in ipso uerbo acquiescere, & reuera expectare euentus. Hæc doctrina in quotidiana inuocatione & experientia discenda est. Et semper oculis, auribus ac menti circumferatur hæc sententia: *GVSTATE ET VIDETE QVOD BONVS SIT DOMINVS, BEATVS VIR QVI CONFIDIT IN EO.* Hoc dictum sæpè repetitum in Psalmis, docet nos, ut fide promissiones amplectamur, acquiescamus in uerbo, & expectemus auxilium, sicut sæpè dictum est.

Miscentur deinde præcepta, quæ quomodo fiant à Sanctis, & quomodo placeant Deo, ex Euangelio discendum est, &c.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXXV.

IVDICA ME DOMINE CVM CONTENDENTIBVS MECVM, PVGNA CVM PVGNANTIBVS CONTRA ME.

xxxv. Psalmus totus est precatio.

TOtus Psalmus precatio est. Initiò petens defensionem contra impios, qui ardent iniustis odijs aduersus pios, & delere eos conantur: ac petitioni seu propositioni querela attexitur describens furores impiorum.

In fine repetitur propositio seu petitio. Et sicut sæpè aliàs fit in Psalmis, aliàs prolixius, aliàs breuius hîc asperguntur promissiones & causæ liberationis. Promissio uelut exemplo significatur uersu nono: *ANIMA MEA LÆTABITVR IN DOMINO.* Nam liberationes Dauidis hîc propositæ, sunt exempla promissionis, ut sæpè dictum est, quæ scripta sunt, ut nos quoq; petamus & expectemus auxilium in nostris afflictionibus. Non propter unum Dauidem, nec de uno Dauide hæc scripta sunt, Sed de omnibus membris Ecclesiæ Dei. Vt enim promissiones liberationis ad omnia membra pertinent: Ita exempla testantur uerè præstari inuocantibus ea quæ promissiones pollicentur.

Postremò causa finalis liberationis hæc est, ut miranda facta testentur, Deo curæ esse Ecclesiam: & cùm hæc beneficia recitantur, multi agnoscunt Deum & inuitantur ad timorem Dei & ad fidem, ut Dei gloria celebretur. Vt cùm Aegyptij & uicini audiuerunt liberationẽ populi Israël ex Aegypto, fama doctrinæ latè sparsa est, & multi cœperunt amplecti ueram doctrinam, uerè timere Deum, & uera fide eum inuocare, ideo dicit: *IVDICA ME SECVNDVM IVSTICIAM TVAM DOMINE DEVS MEVS*, ne lætentur aduersus me, id est, tuam causam defende, ne impij uociferentur

ferentur me deserto, nihil esse ueram prouidentiam, non esse doctrinam Ecclesiæ Dei, non esse discrimen Ecclesiæ Dei & impiorum, Ideo tu ostendas discrimen, & testificeris uerè te in Ecclesia inuocari, uerè hoc uerbum, quod Ecclesia à te accipit, diuinum esse, Cæteras uerò Religiones ignaras uerbi à te traditi commentitias esse. Hic finis in petenda liberatione semper nobis propositus sit, ut gloria Dei celebretur, ut aliàs dicitur, Ne dicant in gentibus, ubi est Deus eorum?

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXXVI.

EX INTIMIS CORDIS DICO DE TRANSGRESSIONE IMPII, NON EST TIMOR DEI ANTE OCVLOS EIVS &c.

XXXVI. Psalmus precatio uniuersæ Ecclesiæ contra impios Doctores.

ESt & hic Psalmus precatio uniuersæ Ecclesiæ contra impios doctores. Sed initiò ponitur Narratio, quæ est εἰκὼν & imago impiorum Doctorum illustris. Principiò autem detrahit eis uirtutes, quæ necessariæ sunt in his, qui sunt uerè membra Ecclesiæ Dei & Deo placent. Nam timor Dei generaliter significat uerum cultum Dei, ueros pauores, ueram fidem non discedentem à uerbo Dei, ueram inuocationem huius ueri Dei, qui se patefecit in Ecclesia suo uerbo: Deinde & totam obedientiam quæ præstatur propter reuerentiam Dei, & uera fide prælucente uerbo Dei. Vbi hic timor non est, ibi est Epicureus contemtus, uel audacia fingendi dogmata & cultus, ut in omnibus hæreticis, & defensoribus idolorum, qui non uolunt uideri ἄθεοι, Et tamen non inuocant uerum Deum, quia discedunt ab eius uerbo.

Timor Dei generaliter quid significet.

Describit impios Doctores

Postquam radicem descripsit, scilicet caliginem in mentibus, & contemtum Dei & uerbi eius, deinde malos fructus recitat, inter quos præcipui sunt, opiniones contumelioſæ aduersus Deum, & audacissimè conficti errores & cultus, sicut Ethnici horribilia portenta finxerunt. Deinde adduntur prestigiæ, quibus confirmantur errores. Nominat igitur πιθανολογίαν, quæ fucosa specie & Sophistica ornat falsa dogmata. Ideo dicit eos blandè persuadere opiniones suas, ut inueniant iniquitatem, id est, latè propagare possint.

πιθανολογία.

Huic artificioſæ impostura proxima est calumnia, qua corrumpunt ueras sententias, & odia accendunt contra pios doctores, & sunt autores dissidiorum publicorum & dilacerationum Ecclesiæ seu schismatum. Ideo addit, ut odia moueant.

Calumnia.

Pertinent ad descriptionem calumniæ seu sycophantiæ & hæc quæ sequuntur: *VERBA EORVM PERNICIOSA ET FRAVDVLENTA.* Hîc apertè doctrina impia taxatur, quæ est mendacium pernicioſum Ecclesiæ, & contumelioſum contra Deum. Et cùm primùm perdit animas auulsas à Deo, postea etiam in hac externa gubernatione Ecclesiæ, causa est magnarum dissipationum & tristissimarum calamitatum, ut Anabaptistici furores impulerunt multos ad mouendas seditiones, quæ fuerunt exitioſæ totis ciuitatibus.

Tertiò accedit pertinacia, quam describit inquiens: *NON VVLT DOCERI VT BENE FACIAT.* Magnum decus est antecellere opinione sapientiæ & sanctitatis. Id decus cùm homines ament & ægrè patiantur sibi eripi, ut dicitur: Qui uelit ingenio cedere rarus erit: acriter & pertinaciter

Pertinacia.

citer dimicant de opinionibus suis,ut gloriam suam tueantur. Et homines natura sunt superbi, et dolent uinci & exui gloria quam habuerunt. Hæ sunt causæ pertinaciæ,quæ facit ut priores morbi,scilicet error & temeritas fiant mala incurabilia. Ideo Paulus iubet Hæreticos postquam aliquoties admoniti sunt, uitare,quia non admittunt medicationem, & sunt, ut ipse inquit, αὐτοκατάκριτοι.

Quartō, Non sibi tantùm nocent impij Doctores, sicut plerique alij furentes suo corpori nocent: Sed ad eas pestes, quas iam recensuit, accedit & hæc, quòd ardent cupiditate latè spargendi ueneni, & hoc ut perficiant, dolo & sæuitia pugnant.

Sunt igitur non solùm calumniatores & pertinaces, sed etiam κακοῦργοι, ut nunc Pontificij & Monachi defendunt sua idola, & acerrimè pugnant fraudibus & crudelitate, ut rectè sentientes deleant. Ideo inquit Psalmus: *PERNICIEM STRVIT IN LECTO SVO, STAT IVXTAVIAM NON BONAM*, id est,dies noctesq; quærit consilia delendæ uerę doctrinæ & opprimendi rectè sentientes,nec ueretur falso prætextu rapere innocentes ad supplicia,aut impia bella mouere.

Hactenus descripsit impios Doctores narrans eos esse contemtores Dei & uerbi eius,& errorū autores & defensores,Sophisticos,calumniatores, pertinaces,& sæuas pestes iniusta crudelitate grassantes in Ecclesia.

Deinde sequitur precatio ad uerum Deum, qui se in hoc populo patefecit, dato uerbo suo certis testimonijs. Causas autem, propter quas se exaudiri sperat, commemorat, misericordiam Dei & ueritatem, id est, promissiones, quas Deus iustus & uerax certissimè præstat. In his promisit se illam Ecclesiam, quæ amplectitur uerbum Dei, seruaturum esse, & eius gemitus & preces exauditurum.

Generalis actio Dei confertur cum speciali.

Interserit autem sententiam: *HOMINES ET IVMENTA SERVABIS DOMINE.* In quo dicto generalis rerum conseruatio confertur cum speciali Ecclesiæ conseruatione: Sicut Paulus inquit prima Timoth. 4. Qui est saluator omnium hominum,maximè fidelium, id est, Deus seruat totam rerum uniuersitatem,cœlum,terram, pecudes, & uniuersum genus humanum,sed propter Ecclesiam, scilicet ut Ecclesiam sibi colligat ex humano genere. Hanc uerò Ecclesiam non solùm in hac uita seruat, Sed etiam adiunget sibi in uita æterna,& ornabit æternis bonis. Ideo sequentes uersiculi in Psalmo propriè de Ecclesia concionantur,eamq; nominant: *FILII ADAM IN VMBRA ALARVM TVARVM CONFIDENT. SATVRABVNTVR PINGVEDINE DOMVS TVÆ.* id est, Nobis qui sumus in domo tua, id est, in Ecclesia ædificata uerbo tuo, facta est promissio defensionis,& æternæ salutis. Nos umbra alarum tuarum tegimur, Nos in lumine tuo,id est,prælucente uerbo tuo, uidebimus lumen, id est, experiemur consolationem. Hanc dulcissimam commemorationem promissionum adfert ad Deum, & petit defensionem, & gubernationem aduersus impios Doctores & Tyrannos.

Fiet autem nobis magis perspicua sententia Psalmi, si cum similibus periculis nos quoq; conflictemur,has preces uera fide dicemus, & has ipsas promissiones statuemus ad nos quoq; pertinere,sicut non dubiū est pertinere eas ad ueram omniū temporū Ecclesiam,uidelicet eam quæ amplectitur Euangelium,& non defendit idola & impios errores.

Argu-

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXXVII.

NOLI ÆMVLARI IN MALIGNANTIBVS, NEQVE ZELAVERIS FACIENTES INIQVITATEM.

XXXVII. Psal. Doctrina & consolatio contra scandalum crucis in Ecclesia.

DOctrina est & consolatio opponenda scandalo crucis, de quo humana ratio ignorans cur Ecclesia subiecta sit cruci & ærumnis, non rectè iudicat. Videt enim communes esse miserias bonorum & malorum, iustorum & iniustorum, imò fortunam sæpè magis sæuire in homines iustos, quàm iniustos, ut Ieremias, Baptista & multi similes crudelissimè interfecti sunt. Interea Dionysius Tyrannus pater, & Tyberius & multi scelerati in magnis uoluptatibus uixerunt, & sine uiolentia mortui sunt. Cùm igitur nec præmia dari iustis, nec pœnæ tantùm iniustos opprimere uideantur, sed pariter uagari pœnas per malos & bonos adpareat, cæca ratio hominum tollit prouidentiam, & remouet Deum â gubernatione, imaginatur casu omnia ferri, pingit fortunam cæcam, denicq; horrendos furores cumulat, ut multorum Epicureorum sermones quotidie ostendunt. Remota uerò prouidentia deinde ratiocinantur impij: cùm iusti sæpè propter iusticiam augeant sibi miserias, quæ stulticia est rectè facere? Epicureo stulti uidentur Ieremias, Baptista, Christus, Paulus, & similes, cùm sibi accersunt pericula rectè docendo. Diceret enim eos suauius uictu ros esse, si tacerent, & potius fouerent eum statum, quo delectabantur Principes, ut faciebat Solon non opponens se Pisistrato, aut Hortensius, Lucullus & alij, non aduersantes Syllæ, quanquàm satis crudeliter dominanti.

Ratio propter calamitates tollit prouidẽtiam, & hac sublata studium rectè faciendi.

Cùm autem semper multi homines deficiant à Deo propterea quòd uident iustos duriter premi: hic Psalmus doctrinam tradit, in qua primùm præcipit ut Deo obediamus, nec offensi illa specie, quòd miseriæ sint communes, deficiamus.

Deinde addit consolationem, in qua est asseueratio de prouidentia. Affirmat certè Deum curare Ecclesiam, & punire impios. Et hoc fit dupliciter, id est, tùm in hac uita, tùm post hanc uitam. Regulare est atrociter uiolantes politicam iusticiam, diuinitus rapi ad supplicia in hac uita, ut ait Christus: Quicunq; gladium acceperit, gladio peribit, ut Cain, Saul, & innumerabiles Tyranni & homicidæ plectuntur in hac uita. Ita regulare est blasphemos contra conscientiam agentes, periuros & pollutos incestis libidinibus in hac uita puniri, ut Sodoma, Thebæ, Athenæ, & multæ totæ gentes propter libidines deletæ sunt. Hæc regula uera & formidanda est, etiamsi aliquid interdum præter regulam fit: ut etiamsi hyeme interdum aliqui dies calidi sunt similes æstiuis, tamen regula uera est hyemem frigidam esse. De iudicio uerò post hanc uitam notæ sunt expressæ conciones, Esaiæ ultimo & Matthæi uicesimo quinto, & alibi. Cùm igitur certissimum sit, Deum punire perseuerantes in impietate, execrandi sunt Epicurei, qui tollunt prouidentiam, & nostræ mentes confirmandæ sunt, ut sciant Deum uerè curare humana, & ut rectè faciamus.

Impij puniuntur in hac uita & post hanc uitam

Sed rursus quærit humana ratio: cur iusti tàm sunt ærumnosi? ut Abel, Ieremias, Christus? Hæc est arcana sapientia Ecclesiæ, Nec Philosophia ulla monstrat causas, sed sola Euangelij doctrina. Prima autem & præcipua causa

Cur iusti sint ærumnosi.

est,peccatum quod in hac deprauatione naturæ adhuc hæret. Premitur ergo Ecclesia,ut agnoscat iram Dei aduersus peccatum, & ut hæc immundities in nobis,securitas, neglectio Dei, fiducia nostræ sapientiæ,& aliæ errantes cupiditates frenentur, & aliquo modo minuantur. Ideo inquit Paulus Rom. 7. Propter peccatum corpus nostrum morti destinatum est. Deinde concurrunt aliæ multæ causæ,quæ recitantur in copiosiore doctrina de cruce.

Plurimum interest inter Ionathan & Saulem.

Etsi autem & Ecclesia adfligitur, tamen plurimum interest inter Ionathan, & Saulem. Ionathæ adest Deus, & sustentat eum etiam in morte, & dat præmia post hanc uitam. Imò & in hac uita seruatur ille cœtus quem probabat Ionathas, & causa comprobatur. Saul uerò sine consolatione extinguitur,& ruit in æternas pœnas: & cœtus quem probabat, postea quoq; deletur, & causa damnatur.

Multæ sunt etiam singulorum piorum mirandę liberationes in hac uita, ut Ioseph, Dauidis, Danielis. Melius est igitur iusto, quia semper habet certum præsidium, scilicet Deum, qui adest, sustentat adflictum, mitigat aduersa & sæpè prorsus liberat. Semper autem dat præmia æterna, & causam comprobat,& seruat Ecclesiæ corpus. Econtrà uerò blasphemi etiamsi aliquandiu florent, tamen euertuntur & delentur.

Hæc est summa huius Psalmi, in quo ars uitæ est,quæ semper nobis sit in conspectu. Philosophi multum disputant, cùm tãm uaria sint in omni uita & omnibus negocijs pericula, quid agendum sit? Respondet Psalmus: obtempera mandatis Dei, exitus uerò ab ipso gubernari scias, & expecta successus & felices exitus,à Deo. Nec frangare animo,etiamsi magni labores perferendi sunt,quia aderit tibi Deus,ut & Paulus inquit: Labor uester non erit inanis in Domino.

Ridiculum uidetur quõd Paulus discurrit per Asiam & Europam colecturus Deo Ecclesiam: frustra enim uidetur laboraturus in mutandis publicis persuasionibus & Religione. Et hæc nouitas magnos tumultus & seditiones paritura erat. Quare si Socratem consuluisset,an hic labor suscipiendus esset, certè Socrates dissuasor fuisset. Sed hîc in Psalmo discimus mandatis Dei obediendum esse, & exitus Deo commendandos.

Hanc artem uitæ longè præstantiorem omnium Philosophorum Ethicis, oportet benè inculcatam esse mentibus: quia sæpè errant homines, cùm contra mandata Dei, futuris euentibus occurrere uolunt. Vt autem hæc ars uitæ intelligatur & exerceatur, utraq; uirtute opus est, timore Dei,& fide. Timor obediat, & fides intuens Deum statuat nos iuuari & tegi à Deo, ac petat & expectet bonos euentus. Ac in talibus exercitijs lux fidei in omni uita crescere debet.

Doctori uerbi Dei, timore Dei & fide opus est.

Totus autem Psalmus aliàs regulam seu præceptum tradit, ut mandatis Dei obediamus: aliàs promissiones & comminationes. Et eædem sententiæ uarijs figuris repetitæ sunt. Proponit hypotyposes, florentes impios & sæuientes in Ecclesiam, sed mox ruituros & perituros. Econtrà uerò Ecclesiã oppressam,& tamen rursus emergentem ex miserijs.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXXVIII.

DOMINE NE IN FVRORE TVO ARGVAS ME, &c. Primus

PRimus uersus, & postremi duo, & decimus quintus & decimus sextus, sunt precationes in quibus petit Dauid mitigationem ingentium calamitatum & liberationum, ne abijciatur à Deo, ne opprimatur hostium furore, ne pereat, sicut impij ex tragicis malis ruunt in æternum exitium, ut Pharao, Saul, & similes perierunt.

XXXVIII Psal. exordiũ est precatio mitigationis calamitatum.

Duas autem causas recenset, ut sæpẽ, cur sit adiuuandus. Alteram impulsiuam, quia spero in te, id est, fide inuoco te, & auxilium à te expecto. Promissi autem auxilium ad te confugientibus, sicut alibi dicitur: Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum in ueritate. Altera causa est finalis, ne triumphent aduersarij, & blasphemi glorientur, suas opiniones ueras esse, doctrinam Dei commentitiam esse. Promisit autem Deus se gloriam suam defensurum & adserturum esse, ut Esaiæ 48. dicitur: Propter nomen meum amouebo iram meam. Et deinde sequitur: Propter me, propter me faciam, ne blasphemetur nomen meum, Et gloriam meam alteri non dabo. Hæ causæ ualent apud Deum. Cùm enim sit uerax, promissa haud dubiè præstat. Vtrumq; autem promisit, & exauditurum se inuocantes, & asserturum se esse gloriam suam. Hanc fidem discamus nos quoq; ad Deum in precando adferre. Has causas, quæ toties in Psalmis repetuntur, proponamus Deo: quòd si faciemus, experiemur certò, non esse irritos gemitus nostros, & petitiones.

Sed humana natura, propter magnam confusionẽ dubitationum in corde, penè surda est ad has promissiones, nec iudicat tàm liberales esse, aut ratas & firmas esse. Huic dubitationi repugnandum est. Semper autem cùm promissiones cogitamus, simul intuendus est Mediator filius Dei. Ita cogitatione causarum, quibus Deus testatur se moueri, fides excitanda est, & petendum & expectandum est auxilium.

Cæteri uersus in toto Psalmo sunt tristissima querela, & narratio ingentium dolorum, amplificata mentione causarum & circumstantiarum. Non enim tantùm hominum odia & corporis pericula & cruciatus recitat, Sed etiam aliam tristiorem causam summæ mœsticiæ narrat, uidelicet quòd manu Dei prematur & sagittis diuinis uulneretur, perterrefactus à Deo ostendente iram suam aduersus peccata. *Altera pars querelæ est de ingentibus doloribus.*

Fortis animus tantisper donec conscientia est integra & statuit se Deo placere & à Deo defendi et iuuari, facilè perfert ac despicit iniurias illatas ab hominibus, ut Laurentius & multæ puellæ in supplicijs despexerunt Tyrannos & mortem. Sed cùm conscientia expauit, & deseri ac abijci à Deo uidemur, & Deo irascente, ruituri in tristiora mala: hic dolor longè asperior est omnibus corporum cruciatibus. Talis fuit Dauidis mœsticia in exilio, sentientis molem peccati sui & iram Dei. Talis & Ezechiæ dolor fuit, de quo dicit: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Etsi autem diu nemo potest hos horribiles pauores sustinere, tamẽ multis accidũt aduersa inextricabilia humano consilio, in quib. degustant animi hos tristissimos dolores. Nõ intelligunt aũt querelam aut consolationes, Epicurei aut hypocritæ ebrij lætitia, quam ex uoluptatibus suis aut gloria percipiunt, sed ærumnosi aliquo modo hanc querelam intelligunt. His prodest huius Psalmi meditatio: Primùm ut exemplo se erudiant. Cùm enim & cætera membra Ecclesiæ uident in tantis miserijs esse, sciant se quoq; non abiectos esse à Deo propter calamitatum magnitudinem. Deinde quærant & consolationes, erigant se cogitatione promissionum, fide,

& inuocatione, ut Dauid ipse se sustentabat. Experientur autem hanc inuocationem non esse irritam.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XXXIX.

DIXI CVSTODIAM VIAS MEAS, VT NON PECCEM LINGVA MEA, CVSTODIAM OS MEVM CAPISTRO, DVM ADHVC IMPIVS CORAM ME EST.

XXXIX. Psal. consolatio opponenda scandalo felicitatis impiorum.

EST & hic Psalmus consolatio, opponenda scandalo felicitatis impiorum, quos cùm florere multi uident, & Ecclesiam oppressam esse ingentibus miseriis, cogitant potius illum florentem cœtum Deo curæ esse, quàm hos miseros. Huic dubitationi multæ conciones Prophetarum, Christi, & Apostolorũ medentur, quæ docent quare Ecclesiam in hac uita Deus uelit adfligi, & iubẽt duplici collatione leniri dolorem. Prior est, quòd breui tempore Ecclesia adfligitur, postea habitura æternam lætitiam: impij uerò deinde futuri sint in æternis pœnis. Altera est, quòd etiam in hac uita pij norunt remissionem peccatorum, & sciunt se Deo curæ esse, & à Deo defendi, etiamsi non habent præsidia humana. Hæ duæ collationes hîc quoq; ualde παῤῥησιαστικῶς recitantur. Propheta narrationem instituit suo exemplo docens alios: Non cedam, inquit, dolori meo, sed erigam & confirmabo animum, ne deficiam à Deo hac offensione quòd impios florere uideo.

Non deficiendum est à Deo etiamsi florẽt impij.

Est igitur Psalmus doctrina, seu paræneſis, sed in narrationem translata: Ne deficias à Deo, ne dubites de prouidentia etiamsi florent impij, & Ecclesia magnis ærumnis premitur. Huic sententiæ mixti sunt tristes adfectus, qui describunt animum cum dubitatione & indignatione luctantem, quos motus tamen uincit fides: *DICO CVSTODIAM VIAS MEAS, NE PECCEM LINGVA MEA*, id est, Etsi cùm uideo impios florere, & Ecclesiam adfligi, moueor hac inæqualitate, & de prouidentia disputo, tamen non deficiam à uerbo Dei propter hanc offensionem. Excrucior uehementer, quòd hæc uerba indicant: *CONCVLCAVIT COR MEVM.* Nam nunc præsertim cùm uincunt ac triumphant impij & insultant pijs, magno dolore adficiuntur hi, qui se premi & conculcari sentiunt. Sed oppono, inquit, duas consolationes. Prior est: Scio hanc uitam breuissimam esse, & te Deus oro, ut meam mentem ita regas, ut intelligam nõ anteferendas esse delicias huius breuissimæ uitæ æternis bonis & pœnis. Accende in mea mente hanc lucem, ut æterna bona & æternas pœnas intelligam & magni æstimem, nec securus sine agnitione peccati, iræ tuæ, & misericordiæ tuæ uiuam, ut uiuunt Epicurei, Tyranni, & omnes ignari Euangelij, sed agnoscam hanc uitam (ut est) propter peccatum morti & alijs calamitatibus subiectam esse, nosq; ideo castigari, ut peccatum & iram tuam agnoscamus, & petamus remissionem peccatorũ iuxta promissionem tuã, in qua te patefecisti. Etiamsi nunc florent impij & securi triumphant, tamen aliquantò pòst morientur, & ruent in æternas pœnas. Hæc uult, cùm petit se erudiri, ut agnoscat huius uitæ fugacitatem & infirmitatem: *NOTVM FAC MIHI DOMINE FINEM MEVM. OMNIS HOMO EST VANITAS*, etiamsi aliquandiu florent aliqui.

Impij etsi florent, tamen ruunt in æternas pœnas.

Altera

Altera consolatio est longè maior. Habeant illi opes, imperia, uoluptates, gloriam, Ego firmius præsidium habeo, scilicet Deum ipsum: scio remissionem peccatorum promissam esse, Et scio Deum esse defensorem meum. Hæc bona longè maiora sunt omnibus mundi opibus, præsidijs & uoluptatib. Ideo dicit: *ET NVNC QVID EXPECTO DOMINE? SPES MEA IN TE EST*, id est, Tu Deus es meum præsidium. Ideo sequitur petitio remissionis peccatorum: Scio te uelle remittere peccata iuxta promissionem tuam. Hac fiducia ad te accedo: *EX OMNIBVS TRANSGRESSIONIBVS MEIS ERIPE ME.* *Piorum præsidium Deus ipse.*

Sequitur & alia petitio de defensione: Etiamsi adfligor, tamen ita sustentes me, ne tandem nomen tuum contumelia adficiatur, sed ut conspici possit doctrinam, quam circumfero, tuam esse, & te uerè exaudire inuocantem Ecclesiam, iuua & libera me.

In decimo uersu repetitio est petitionis de remissione peccatorum: *AVFER A ME PLAGAM TVAM.* Est enim Epitasis in dictione TVAM, quasi dicat: Hominum furores aduersus me non sunt summum malum: sed Tu non irascaris, tu non abijcias me in æternum exitium, Sicut abiectus est Pharao, Saul, & alij impij, Tuam iram sustinere infirmitas nostra non potest.

In uersu undecimo expressè docet causam adflictionū esse, peccata nostra: *PROPTER INIQVITATEM CORRIPIS HOMINEM.* Hanc sententiam opponit humanis iudicijs, quæ fontes calamitatum humanarum ignorant, & quærunt falsas causas, & inania remedia. Scitote uos securi, etiam Ecclesiam propter peccata puniri: Quantō magis uos puniemini? Nec effugietis pœnas, etiamsi omnia consilia uestra nunc eò spectant, ut uitæ præsidia uobis quæratis: Vt non effugerunt pœnas Pharao, Reges Cananæi, & alij multi, quorum magna potentia fuit.

In fine repetit precationem addito argumento, & exemplo: *QVIA SVM PEREGRINATOR TVVS SICVT PATRES*, id est, hospes sum in terra, nec aliud præsidium habeo nisi te.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XL.

EXPECTANS EXPECTAVI DOMINVM, ET INCLINATVS EST AD ME, ET EXAVDIVIT PRECES MEAS.

INitiō hîc disputatur de persona loquente, Constat autem ex Epistola ad Hebræos decimo capite, apertè sermonem in hoc Psalmo tribui Christo. Et uerba conueniunt propriè ad Christum: *TVNC DIXI ECCE VENIO, IN VOLVMINE LIBRI SCRIPTVM EST DE ME, VT FACIAM VOLVNTATEM TVAM DEVS MEVS, VOLVI, ET LEX TVA INTRA ME EST.* Filius Dei ipse offert se, ut fiat uictima. Tunc dixi, Ecce uenio. Et ait de se scriptum esse in lege, Promissiones de ipso editæ & promulgatæ sunt. Lex lata est, & omnes illi cultus iustituti, ut significarent uenturum Messiam, ut Paulus inquit, Christū esse finem legis. Et in hac narratione Psalmi, offert Messias suam obedientiam inquiens: *VT FACIAM VOLVNTATEM* tuam Deus meus. Vo- *XL. Psalm. Sex priores uersus sunt uerba Christi gratias agentis.*

lo, & lex tua intra me est. Ego uerè & toto corde obediam, sustinebo pœnas pro electis, ac redimam Ecclesiam meo sanguine, sicut promissiones à te editæ, & lex & cultus priores significârunt.

Hic sermo aptissimè tribuitur Messiæ. Ac si quis uelit Psalmum tribuere Dauidi, tamen hæc uerba transferre in Messiam cogeretur: Sicut suprà aliquoties diximus, Dauidem recitare suas adflictiones & liberationes, tanquam typum Christi, ut significet, qualis futurus sit Christus, & quales futuræ sint adflictiones & liberationes Ecclesiæ.

Sed nos sermonem Christo tribuemus. Ac sex priores uersus sunt exordium, in quo est gratiarum actio. Ait Messias se tristissimis doloribus oppressum fuisse, sed tamen expectasse à Deo auxilium, atq; ita prædicat se liberatũ esse, non casu, non humanis consilijs & uiribus, sed mirandis Dei operibus. Hæc pars exemplum est docens, ut in adflictionibus petamus & fide expectemus auxilium à Deo, & commonefaciens nos de promissionibus. Ait enim *BEATVS VIR QVI PONIT DOMINVM SPEM SVAM.* Promittit auxilium iuuocantibus Deum.

Sequentes uersus sunt narratio & prophetia de passione Christi.

Sequentes uersus sunt narratio & Prophetia de passione Christi. Ordiuntur autem hanc narrationem ab amplificatione: *VALDE MIRANDA SVNT OPERA TVA DEVS*, nec magnitudo eorum uerbis enarrari potest. Deinde reijcit sacrificia in lege instituta. Et clarè adfirmat his sacrificijs non tolli peccatum & mortem. Tales cõciones in Prophetis plures sunt, quæ reprehendunt falsas opiniones de sacrificijs. Et hinc sumsit Epistola ad Hebræos hoc dictum: Impossibile erat sanguine taurorum auferre peccata.

Quid igitur postulat Deus? *AVRES PERFODISTI MIHI*, inquit, id est, mihi Messiæ mandatum dedisti, ut mea obedientia fiat placata ira tua, & tollantur peccatum & mors. Ad hanc præstandam uenio & me offero. Hæc narratio est & breuis descriptio passionis: Ecce uenio, offero, & præsto obedientiam, quæ in lege & Prophetis de me scripta est. Ego Messias adsum promissus decreto immutabili Dei & obediam in passione, sicut mactatio agni & alia multa significârunt, & Prophetæ dixerunt, Esaiæ 53. Ponet animam suam hostiam pro peccato. Et Zacharias: In sanguine Testamenti tui educes de lacu uinctos tuos. Sic & Epistola ad Hebræos inquit: Qui in diebus carnis suæ preces & supplicationes ad eum qui potest saluare ex morte cum clamore magno & lacrimis offerens, exauditus est propter reuerentiam, id est, propter ueram cordis obedientiam, quam patri uero amore præstitit: de qua obedientia & reuerentia propriè hæc uerba Psalmi loquuntur, *VOLO*, & *LEX* tua intra me est, id est, uolens tibi obedio, & hoc mandatum toto corde facio.

Concionatur ergo hæc pars de abrogatione legis, & testatur mactationibus pecudum non potuisse tolli peccatum & mortem, sed Messiæ obedientia placatam esse iram Dei. Et quia facit mentionem libri, deducit lectorem ad promissiones subinde promulgatas. Ex his uult cognosci, qualis sit obedientia Messiæ.

Versus decimus & undecimus concionatur de fructu passionis. Quia ira tua placata est mea obedientia, hanc tuam Iusticiam arcanam & ignotam mundo prædicaui, id est, prædicaui Euangelium, ut uoce Euangelij multi acciperent hanc iusticiam, id est, crederent se recipi propter me, & iam se iustos pronunci-

pronunciari hac iustitia per me patefacta. Ita sæpè aliàs adiungit passioni prædicationem Euangelij, ut Psal. 22. Narrabo nomen tuum fratribus meis. Nisi enim accederet prædicatio Euangelij, maneret ignotum beneficium, nec applicaretur hominibus, Necesse est igitur sonare uocem Euangelij in Ecclesia.

Sequentes uersus sunt precatio & petitio auxilij, plena tristissimorum affectuum: *QVIA VERO*, inquit, *APPREHENDERVNT ME INIQVITATES MEÆ*. Hanc partem uolunt recitari in persona Dauidis, sed sciamus etiam Christum sic loqui, qui sentit in se translata esse nostra peccata. Id est enim fieri hostiam pro peccato, sustinere iram & pœnam ac reum dici, quasi ipse se turpissimis nostris sceleribus polluisset. O inenarrabilem humilitatem: Filius Dei, qui non fecit peccatum, iacet prostratus coram æterno patre, & in sese deriuat iram, ac si ipse polluisset se his horrendis flagitijs, quibus nos miseri polluti sumus. Agnoscamus hanc humilitatem, ut agamus filio Dei gratias, & beneficium eius discamus fide accipere, & grati celebremus.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XLII.

BEATVS QVI INTELLIGIT SVPER PAVPEREM, IN DIE MALA LIBERABIT EVM DOMINVS.

DVlcissimus Psalmus est, nec tantùm adflicto ipsi, sed etiam eius defensoribus, concionatur. Ac primùm doctrina & promissio traditur, uidelicet Ecclesiam oppressam ab impijs fouendam & tuendam esse. Et promittuntur præmia ijs qui Ecclesiæ in ærumnis benefaciunt, ut Exodi 1. obstetrices contra edictum Regis seruant infantes Hebræos 3. Regum 18. Abdias abdidit Prophetas in speluncas, ne raperentur ad necem ab impia & Tyrannica Regina. Constantinus texit Ecclesiam contra Maxentium & Licinium. Et nunc aliqui pij Principes nolunt adiuuare furores Pontificum & Regum exercentium sæuitiam in homines innocentes, ueram & puram Euangelij doctrinam pio studio amplexos, & fouent Ecclesias & pia studia magno suo & suarum ditionum periculo. Talibus hic Psalmus dulcissimam consolationem proponit, ac adfirmat Deum defensurum esse hos ipsos, qui piorum ærumnis adficiuntur, & eis opem ferunt.

XLI. Psalm. doctrinam & promissionem continet.

Nihil obscuritatis est in hoc Psalmo, si uitam ipsam, Ecclesiæ pericula, hostes, & hospitia intueamur. Maxima pars hominum contemnit aut odit Ecclesiam, & adsentitur Tyrannis, ut nunc plurimi adiuuant Pontificum sæuitiam. Et singuli homines experiuntur paucos esse miserorum amicos. Estq; notissima & usitatissima hæc querela.

Donec eris felix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Econtrà uerò Psalmus docet opitulandum esse innocentib. in calamitate. Et promittit pro hoc officio præmia. Præceptum notum est: Non occidas. Et Prouer. 24. dicitur: Eripe eos qui ducuntur ad mortem, sed hoc loco promissio addita est: *BEATVS QVI INTELLIGIT SVPER EGE-*

Promittuntur præmia illis, qui opitulantur innocentibus in calamitate.

NVM ET PAVPEREM, id est, qui adficitur calamitate piorum oppressorum: In die mala liberabit eum Dominus.

Hac promissione confirmati, fide statuamus placere Deo hæc officia, fugere societatem Tyrannorum sæuientium in Ecclesiam, præbere hospitia Ecclesijs & pijs studijs, fouere miseros, quibus Tyranni iniusta supplicia minantur. Et sicut texit Deus Abdiam tegentem Prophetas, de quo prius dictū est, ita teget Principes, ciuitates, & singulos qui benefaciunt pijs. Ita inquit Christus Matth. 10. Si quis uel potum aquæ dederit minimo ex discipulis meis propter doctrinam, non perdet mercedem. Et Paulus 2. Timoth. 1. precatur pro hospite suo Onesiphoro: Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpè me recreauit. Et cùm Ierosolymam deleret Nabogdonosor, promittitur tamen defensio Regis ministro qui defenderat Ieremiam, ut scriptum est Ieremiæ 36. Vade & dic Abedmelech æthiopi, liberabo te in die illa, ait Dominus, &c.

Vltimi uersus precatio sunt & gratiarum actio.

Hactenus recitaui sententiam promissionis, quæ concionatur Ecclesiæ defensoribus in tribus primis uersibus. Sequentes uersus usq; ad finem sunt precatio & gratiarum actio ipsius adflicti petentis liberationem, ut Deus celebretur, & postea gratias agentis pro liberatione. Et inseritur longa querela, exponens hostium odia & conspirationes, & nominatim deplorans perfidiam eorum, qui ex amicis fiunt sæuissimi hostes: ut Dauidi factus est hostis Achitophel, qui antea inter familiarissimos amicos fuerat. Intelligamus autem Psalmum in genere de hac usitata perfidia concionari, & ad omnium temporũ exempla accommodari posse. Vsitatæ enim sunt hæ querelæ, deseri nos ab amicis in rebus aduersis, imò etiam despici, & multos ex amicis fieri crudeles hostes. Ideo illa dicta sæpè recitantur: Nusquam tuta fides. Et cum fortuna stat, cadit; fides.

Vsitatæ querelæ deseri nos ab amicis in rebus aduersis.

Augetur autem dolor, cùm illi qui fuerunt antea nobis amici, & nostris euecti beneficijs fiunt hostes, ut apud Sophoclem dicitur: Quod uulnus est amico maius perfido? Ita Christo fit ex Iuda discipulo & amico crudelissimus inimicus. Et accidunt similia omnibus bonis, præsertim in gubernatione omnibus ætatibus. Vt nunc cùm summa fuerit amicicia inter Landgrauium & Lycaonem, tamen postea Lycaon oblitus ueteris amiciciæ & meritorum, conatus est Landgrauio dignitatem, ditionem & uitam eripere.

Hæc pericula intelligamus & intueamur hîc propositam precationem et consolationem. Exemplum enim hîc propositum ad omnes pertinet, ut Dauid petens auxilium exauditur & liberatur, ita certò nos quoq; precantes exaudit Deus, & mitigat nobis calamitates. Ac sæpè dictum est his Psalmis, ubi talia exempla & consolationes proponuntur, ut multi sunt Psalmi similes, semper adiungendam esse doctrinam de fide. Adplicemus nobis promissiones, commonefacti his exemplis, & uerè credamus nos similiter exaudiri & iuuari, quod si faciemus, experiemur consolationem non inanem, sed efficacem esse.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XLII.

QVEMADMODVM DESIDERAT CERVVS AD FONTES AQVARVM, ITA DESIDERAT ANIMA MEA AD TE DEVS.

Precatio

PRecatio est, in qua describitur agon & acerrimum certamen fidei seu spei, luctantis cum desperatione, & difficulter se erigentis inter tot fluctus qui subinde rursus in ægram mentem irruunt. Et apparet describi exilij dolores, & certamina, ubi causæ ingentis mœsticiæ diligenter considerandæ sunt. Non dolebat Dauid ut Camillus aut Themistocles ideo tantùm, quòd ab ingratis ciuibus iniuria adfectus esset, quòd honore quem in patria habuerat spoliatus esset, quòd facultatibus, patria, coniugum & liberorum suauitate careret. Harum rerum iactura seu amissio etsi etiam fortibus uiris dolorem adfert, tamen homo prudens lenire mediocriter hanc mœsticiam potest, qui uidelicet intelligit iusticiam & animi moderationem retinendam esse, etiam cùm bona fortunæ amittuntur, quia uirtus anteferenda est fortunæ bonis.

XLII. Psal. precatio in qua describitur lucta fidei cum desperatione.

Differentia inter dolores Dauid & Camilli aut Themistoclis.

Dauid autem longè maiores & tristiores causas doloris habet. Multis magnis uulneribus lacerata est eius conscientia. Agnoscit sua peccata, quæ multa & atrocia erant, propter quæ metuit se prorsus à Deo abijci, & uidet se & totam Dei Ecclesiam iam puniri, & timet futurum ut & ipse & populus lõgè maioribus pœnis etiam deinceps obruatur. Se uidet non solùm regno expulsum esse à filio, sed etiam exutum illa ingenti gloria sapientiæ & iusticiæ, quam antea habuerat. Nunc non solùm inimici iudicant eum esse pestem publicam, sed ipsius conscientia hoc disputat, considerans magnitudinem peccatorum & iræ Dei. Ego, inquit, in populo Dei rex & uocatus à Deo singulari modo, & ornatus ingentibus donis & uictorijs, abieci obedientiam, & mihi indulsi: rapui sancti uiri sanctam coniugem: pollui ipsius & meam conscientiam: deinde maritum fraude interfeci & interfeci alios unà: præbui occasionem blasphemis hostibus, ut aduersus Deum Israël triumphantes dicerent conuicia.

Causæ doloris Dauid.

Post hæc peccata secutæ sunt pœnæ, quæ cumulârunt peccata: filius stuprauit sororem, Absalon fratrem interfecit: Postea mota seditione aduersus patrem, stuprauit coniuges patris, quo scelere uicit impiarum gentium furores. Deinde in seditione necesse est infinita scelera committi. Nec Dauid ante restitutionem ulla humana sapientia finem uidere aliquem confusionum secuturarum potuit. Horum tantorum peccatorum, tantarum calamitatum, & scandalorum causam esse lapsus, ut erant, iudicabat.

Quantus autem dolor sit in tali consternatione animi intuentis & peccata sua, & pœnas ac iram Dei, non potest uerbis satis explicari. Sed piæ mentes, quæ degustauerunt aliqua ex parte tales dolores, utcunq; hunc agonem intelligunt. Camillus, Themistocles, quia non aguntur cogitatione iudicij Dei, non sentiunt hos dolores. Sic ergo legamus hunc Psalmum, ut experientiam aliquo modo intueamur. Membra quædam describunt ipsos dolores & angustias, quasi desperabundæ mentis & ruituræ in æternum exitium. Econtrà alia membra describunt fidem seu spem erigentem cor, penè obrutum desperatione.

Primus & secundus uersus propositionem continent, uidelicet precationem, cui adfectus tristissimi admixti sunt: *SICVT CERVVS IN VENATIONE FVGIENS*, & longo cursu fatigatus appetit undam, *SIC EGO* penè consumtus dolore, quæro misericordiam, reconciliationem & auxilium.

Enarratio Psalmi.

Tertius

Tertius & quartus uersus recitant dolores exilij & desiderium reditus ad templum, & restituti boni status in populo Dei, ne diutius grassentur impiæ confusiones, quarum in seditione nullus finis futurus erat.

In quinto & sexto, rursus erigitur consolatione: *SPERO IN DEO, QVONIAM ADHVC CONFITEBOR ILLI*, id est, etiamsi regnum & gloriam quam habui amisi, etiamsi horribiliter premor mole peccatorum meorum, tamen à Deo non deficiam: sed sustentabo me promissione ipsius, & sperabo mitigationem calamitatis & liberationem.

In septimo rursus describuntur fluctus pauorum uariè occursantium animo.

In octauo miscet consolationem aliquantò lætiorem: *IMO ET DIE ET NOCTV* misericordiam Dei iuxta promissiones cogitabo & precabor.

In fine repetit priores uersus, qui & querelam continent, & in postrema particula dulcem consolationem uelut emergentis iam ex illis fluctibus pauorum & desperationum.

Hactenus utcunq; ostendimus quales dolores ipse Dauid sustineat, & quomodo se consoletur, sed hæc non propter ipsum, sed propter nos scripta sunt. Habent & alij multi in Ecclesia ingentes dolores, alij magis, alij minus acres. Omnes autem discamus uoluntatem Dei esse, ut in talibus doloribus nõ succumbamus, sed erigamus nos fide & spe. Et hanc fidem & spem niti oportet non nostra iusticia aut dignitate, sed sola misericordia Dei patefacta in promissionibus: Etiam cùm tristissimi fluctus in nos irruunt, ut conspectu nostrorum peccatorum & iræ Dei expauescamus, ac metuamus æternam abiectionem, tamen nos erigamus hac uoce, qua hîc se Dauid sustentat, *SPERA IN DEO*. Non deficias à Deo, sed crede per misericordiam propter Filium Mediatorem te uerè recipi à Deo, etiamsi nulla merita adfers. Sic accommodanda est hæc sententia ad doctrinam de iusticia fidei, sicut & Augustinus eam dextrè accommodat, & rectè enarrat in huius Psalmi enarratione.

Causa finalis etiam consideretur, cur petat exaudiri & liberari, uidelicet: *NE BLASPHEMIÆ DICANTVR ADVERSVS DEVM, VBI EST DEVS TVVS?* Item ut ipse rursus celebret Deũ, hoc est, ut ueræ doctrinę propagationem adiuuet, quæ ab impio sodalitio Absalonis contemnebatur. Has causas finales subinde in Psalmis repetit, ut sæpè dictum est, quas etiam nos in inuocatione Deo proponamus. Impulsiua causa est, ut suprà dictũ est, cur liberet Deus, promissa misericordia propter Filium. Finales causæ præcipuæ sunt, ut refutentur impij qui triumphârunt contra Deum & blasphemias sparserũt. Item ut uera doctrina de Deo non extinguatur. His causis testatur Deus se moueri, ut Esaiæ 48. dicitur: Propter nomen meum longẽ faciam furorem meum. Item: Propter me, propter me faciam ut nõ blasphemer, Et gloriam meam alteri non dabo. Accendamus igitur fidem in inuocatione, cogitatione harum causarum.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XLIII.

IVDICA ME DEVS ET AGE CAVSAM MEAM CONTRA GENTEM NON SANCTAM, &c.

PRecatio est eiusdem argumenti ut in proximo petit. Petit enim ut Deus sit iudex, & defendat causam iustam aduersus impios hostes, qui non tantum corpus Dauidis ē medio tollere conantur, sed insuper causam & doctrinam eius damnant. Ac nobis hoc tempore facilis est accommodatio. Defensores impiæ doctrinæ Ecclesias nostras delere conantur, non tām priuato odio aduersus hos homines, quām quia genus doctrinæ cupiunt extinguere. Hoc autem seruari necesse est. Et uult Deus ā se peti, ut ipse suis mirandis factis defendat, ut ipsi tribuatur gloria defensę Ecclesię, & ut nos cernamus testimonia prę sentiæ Dei in Ecclesia. Hæ causæ diligenter considerandæ sunt, & earum cogitatio nos commonefaciat, ut ardentius petamus, & constantius expectemus ā Deo auxilium, nec μικρόψυχοι ac trepidantes quæramus iniusta auxilia, ut Sedechias quærebat fœdera Aegyptiorum, & Palæologi Turcas in Europam attraxerunt. Sed piæ mentes intueantur hos Psalmos, qui ideo diuinitus propositi sunt, ut nobis notæ sint promissiones Dei, & extent exempla auxilij diuini, ut petamus & expectemus ā Deo auxilium, sæpè ita cogites.

XLIII. Psal. precatio ut Deus causam iustam defendat aduersus impios hostes.

Deus uult à se peti auxilia non ab alijs.

Deus æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, tuam gloriam defendito: multi cogitant omnia casu ferri, aut humanam calliditatem plus ualere, quām inuocationem tui. Obsecro exaudias ac iuues nos, ut appareat te esse defensorem inuocantium te: ostende te plus posse quām Diaboli & impiorum artificia & conatus, ostende testimonium quòd adsis in Ecclesia.

Has petitiones experiemur non esse irritas. Sic enim docuit nos petere: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Item: Ne dicant in gentibus, ubi est Deus eorum?

Primus uersus est propositio Psalmi: *IVDICA ME DEVS.* Hîc phrasis Hebraica cognoscenda est. Nam Latini aliter loquuntur, sed Dauid hoc uult. Sis tu Deus iudex, & iustum defende & reprime iniustum. Deinde miscentur querelæ & petitiones. Exponitur dolor, ut petitio sit ardentior. Petit autem hoc præcipuè, ut reducatur ad societatem Ecclesiæ. Ita nos petamus & seruari Ecclesiam, & nos in hac arca regi & seruari. Hæ petitiones sunt præcipuæ, & sæpè recensentur in Psalmis, ut Psalmo 84. Beati qui habitant in domo tua Domine, &c.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XLIIII.

DEVS, AVRIBVS NOSTRIS AVDIVIMVS PATRES NOSTRI ANNVNCIAVERVNT NOBIS.

Hic Psalmus imago est Ecclesiæ omnium temporum. Ideo primùm continet historicam narrationem, quæ est doctrina ostendens unde sit Ecclesia, à quo collecta sit, uidelicet ā Deo, & quòd sit Dei peculiaris populus, seiunctus à cæteris gentibus: Quodq̄ certum & singulare munus habeat, scilicet ut sit custos uerbi, quo se patefecit Deus, quòd sit dissimilis status futurus huius populi, & Imperiorum mundi: quòd imperia mundi crudeliter grassatura sint in Ecclesiam, sed tamen Deum seruaturum esse semper aliquem suum cœtum custodem & propagatorem Euangelij: & quòd uelit in his adflictionibus lucere fidem nostram in confessione & inuocatione. Hæc omnia scire Ecclesiam necesse est, quid sit, qualis cœtus sit, ad quod munus uocata sit, quæ sit habitura pericula, quæ auxilia, quos exitus. Nam pij non possent perferre ærumnas, si hæc

XLIIII. Psal. est imago Ecclesiæ omnium temporum.

si hæc nescirent. Ideo historica commemoratio proponitur, quæ quidem & causas petitionis continet. Ideo enim Deus Ecclesiam uult seruare, quia ipse eã elegit & diligit, & uicissim Ecclesia eum celebrat & uerè inuocat. Voluit Deus ex genere humano colligere hæreditatem filio. Hanc redimit per filium, hanc regit, & mirabilibus modis defendit & seruat.

Hæc initiõ commemorantur, quasi sic dicat: Tu uis Deus seruare tuos quos elegisti, & diligis, & qui uicissim te uerè celebrant & inuocant. Cùm igitur nos ad agnitionem tuæ doctrinę uocaueris, & diligas hunc cœtum, & in hac terra nos collocaueris, ut testes essemus tuæ doctrinæ, defende & serua nos. Et exemplis hanc tuam uoluntatẽ declarasti, sæpẽ nos defendisti, Nec nos arcu nostro & nostris armis tot gentes uicinas delere potuissemus: Sed à te palàm adiuti sumus, Ergo nunc quoq; serua nos.

Hîc causas petitionis recitari manifestum est, quibus uerbis simul gratiæ aguntur pro illis beneficijs, & significatur deinceps etiam Deum Ecclesiæ suæ protectorem fore. Hæc primùm de Ecclesiæ defensione & de cruce dicuntur.

Postea addit doctrinam de confessione. Non adfligitur Ecclesia, ut imperia mundi, propter idola, Tyrannides, libidines. Nam hæ sunt præcipuæ causæ cur mutantur, sed quia diabolus odit Deum, irritat impios Principes, ut sæuiant in Ecclesiam. Cùm igitur Diabolus conatur delere ueram Dei noticiam, Ecclesia in supplicijs opponat ueram confessionem. Ita nostræ adflictiones fiunt testimonia doctrinæ & sacrificia Deo grata. Ideo hîc dicit: *NON OBSTITI SVMVS TE, PROPTER TE OCCIDIMVR TOTA DIE.*

Nostræ afflictiones testimonia doctrinæ & sacrificia Deo grata.

Docet igitur Psalmus edendam esse confessionem in supplicijs, & simul ostendit quare mundus grassetur in Ecclesiam, scilicet odio Dei & ueræ Doctrinæ. Cùm autem sciamus Deum non permissurum esse ut uera Doctrina deleatur, simul hac consolatione sustentamur, Deum in hoc agone nobis adfuturum esse.

In fine additur petitio, ut liberemur à sæuitia Diaboli & Tyrannorum. Erit autem magis perspicuus Psalmus, si cùm aliorum temporum, tùm uerò huius nostræ ætatis sæuitiam considerabimus, & causas sæuitiæ Regum intuebimur, & nos ad confessionem & ad petitionem auxilij hac ipsa recitatione Psalmi excitabimus. Semper autem sciamus in his petitionibus fidem accendi oportere: uerè credamus nos quoq; recipi & exaudiri propter promissam misericordiam. Ideo in fine addita est particula: Redime nos propter misericordiam tuam. Ita placebit Deo precatio & erit efficax, cùm uerè credimus nostros gemitus & nostra uota exaudiri propter Mediatorem nobis donatum, propter quem misericordia promissa est. Et hæc fides in inuocatione exercenda est expectatione auxilij.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO *Psalmi XLV.*

ERVCTAVIT COR MEVM VERBVM BONVM, DICO EGO OPERA MEA REGI, LINGVA MEA CALAMVS SCRIBÆ VELOCITER SCRIBENTIS.

Totus

TOtus Psalmus Prophetia est de Messia promisso, narrans quis sit, quale sit eius regnum, & quæ bona populo Dei exhibeat. Deinde etiam alloquitur Ecclesiam, & ei præcipit, ut hunc Regem audiat: & commemorat eam habituram ingentem gloriam, sed simul impios grassaturos esse in eam, sed hunc Messiam uictorem fore & habiturum Regnum æternum. Hæc est summa Psalmi, qui magna ex parte est narratio, pertinens ad genus Demõstratiuum: ac ut usitatum est in genere demonstratiuo splendidius loqui, ita hîc multa sunt ornamenta, figuræ & compellationes, penẽ ut in Amatorio carmine seu κωμαστικῷ, ut uocant.

XLV. Psalm. prophetia de Messia, narrãs quis sit, & quale sit eius regnum.

Adiungatur aũt hic Psalmus promissionibus de Messia traditis Abrahę & Dauidi. Estq; compositus, ut sit explicatio promissionum, & doceat quis sit Messias & quale sit eius Regnum. Adplicationem uerò & usum huius laudationis Messiæ docet ipse Psalmus, cũm præcipit Ecclesiæ ut *AVDIAT* hũc Messiam. Hæc pars Psalmi est generis suasorij, quia præcipit iam monstrato Messia quomodo sit amplectendus. Ideò primũm diligenter considerata laudatione Messiæ, cogitemus quis sit, & quæ bona exhibeat. Postea sciamus eum audiendum esse, & hæc ipsa bona fide accipienda esse.

Non est hoc regnum simile Alexandri regno, ubi Rex sibi potentiam quærit, & aliquibus suis amicis dat opes. Hoc Regnum longẽ aliud est, uenit Messias, ut nobis impertiat æterna bona, & id faciat uerbo & Spiritu sancto, & mirabiliter custodiat ac seruet nos inter pericula, quæ nec cauere nec regere ipsi possumus: ut seruauit populum Israël incedentem per Mare rubrum, inter stantes aquarum cumulos. Nec potest Alexander absens absentibus ducibus opitulari. Hic uerò noster Rex semper adest Ecclesię, & ubiq; & omnibus temporibus exaudit & iuuat inuocantes. Hæc omnia firma fide statuenda sunt. Id præcipit Psalmus, cũm inquit: *AVDI FILIA, INCLINA AVREM TVAM.* Estq; hæc admonitio de adplicatione diligenter cogitanda, ut discamus quomodo & huius Regni membra efficiamur, & bona quæ promittit consequamur.

Laudationes multæ sunt. Primũm, ut in comastico carmine forma laudatur, & expressè antefertur omnium hominum pulcritudini. Quia reuera nullius hominis sapientia & uirtus par est sapientię & uirtuti Christi, quarum rerum uera est & summa pulcritudo. Vt cũm cogitamus Ioseph, quasi mente pingimus uirum pulcerrimum, omnes actiones grauissimẽ & honestissimẽ moderantem. Sic multò magis de Messia cogitantes, de uera pulcritudine, id est, de sapientia in eo lucente, & de omnibus uirtutibus cogitemus.

Est autem inter præcipua officia huius regis, docere Euangelium. Ideò laudatur eloquentia. *DIFFVSA EST GRATIA IN LABIIS TVIS.*

Docere Euangelium inter præcipua officia Messiæ.

BENEDIXIT TE DEVS IN ÆTERNVM. Hac uoce significat se enarrare promissionem traditam Abrahæ. Omnes alij homines sunt maledicti, id est, rei coram Deo, oppressi peccato & morte, & horrendis calamitatibus obnoxij, ut Tragica exempla omnium temporum ostendunt. At hic noster Rex benedictus est, id est, Deo placens, ornatus uera sapientia, iusticia & uita, deleturus peccatum & mortem, & Diabolo æterna uincula iniecturus. Hæc omnia complectitur appellatio benedictionis.

Messias benedictus, id est, Deo placens &c.

Nec intelligatur benedictio ita, quasi tantũm ipsi Christo prosit, sed ideò

ipse benedicitur, ut nobis sua bona impertiat, sicut promissio inquit: In Semine tuo benedicentur omnes gentes. Et infrà Psalmus ipse interpretatur hanc benedictionem: *VNXIT TE DEVS DEVS TVVS OLEO LÆTITIÆ PROPTER CONSORTES TVOS*, Id est, ideò æternus Pater Filium misit, & ordinauit ad hoc Sacerdotium & regnum, data ei potentia diuina & Spiritu sancto, ut ipse consortes suos liberet, & donet illis etiam Spiritum sanctum, quò in eis nouam lucem, iusticiam & uitam æternam efficiat. Nam particulam Propter, diligenter expendi oportet.

In uersu tertio, quarto & quinto narrantur prælia & uictoriæ huius Regis, & simul significatur, impios in mũdo aduersaturos esse huic regi. Sed mox adfirmat hunc Regem fore uictorem, & quidem eius Regnum æternum fore: *SEDES TVA DEVS IN ÆTERNVM ET SEMPER.*

Sceptrum rectum.

Quale autem erit regnum? Quæ bona exhibet? Id mox narrat: *SCEPTRVM RECTVM*, restitues iusticiam tuo populo, & delebis peccatum: Et quidem unctus es propter nos, ut in nos transfundas iusticiam & uitam æternam, ut propter te remittantur nobis peccata, & reddantur iusticia & uita æterna.

Phrasis ungendi unde sumta.

Phrasis in uerbo Vngendi sumitur à more ordinandorũ sacerdotum, & regum, qui cùm ordinabantur, Balsamo perfundebantur. Nec dubium est hunc ipsum morem à Deo traditum esse, ut esset umbra & significatio huius præcipui Regis & Sacerdotis filij Dei, qui unctus est ab æterno Patre, id est, ordinatus ad hoc ministerium, & donatus potentia diuina & Spiritu sancto, ad perficiendam hanc mirandam liberationem, Ecclesiæ colligendæ ex toto genere humano, & donandæ iusticia & uita æterna.

Myrrha & reliqui odores & uestes figuratè significant uirtutes & afflictiones Christi, etsi hæc pictura hoc loco ut pars regij splendoris narratur.

Apostrophe ad Ecclesiam diligentissimè obseruanda est, quia, ut dixi, de applicatione concionatur, ac simul significat hunc Regem non armis, sed uoce Euangelij populos sibi adiuncturum esse. Et clarè significatur hîc Ecclesiam colligendam esse ex semine Abrahæ, & ex gentibus. Imò & hoc tectè significat, politiam Mosi delendam esse, quia iubet Ecclesiam collectam ex semine Abrahæ obliuisci populi sui.

Hîc etiam expressum testimonium obseruetur, quòd docet hunc Regem, promissum Messiam & Hominem esse & Deum, & tamen personam huius Messiæ à persona æterni Patris discernendam esse: *ET CONCVPISCET REX DECOREM TVVM*, qui scilicet homo ex semine Abrahæ nascetur. Et idem est, ut hîc adfirmat in uersu undecimo, Deus. Nam hæc adpellatio, quæ hîc ponitur, *ADONAI*, propriè Deo tribuitur. Et suprà dicitur, Sedes tua Deus, ubi ipsum Messiam alloquitur.

Ecclesia gentium significatur, cùm nominat filiam Tyri.

Postremi duo uersus continent promissionem perpetuitatis Ecclesiæ & ministerij Euangelici, Vt collegi Ecclesiam uocatis Patribus, Adam, Iacob, Mose, Samuele, Dauide: sic colligam Ecclesiam uocatis filijs ex semine Patrum & ex gentibus. Et hi fungentur ministerio Euangelico, erunt custodes & propagatores Euangelij in omnibus regionibus, non tantùm in Palæstina. Per horum ministerium erit efficax Christus, & colliget æternam Ecclesiam, celebraturam

braturam Deum & Filium eius Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in omni æternitate.

Dabit igitur hic Rex iuſticiam & uitam æternam ſuo populo, qui eum audiet. Hæc eſt ſumma Pſalmi.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Pſalmi XLVI.

DEVS NOSTRA SPES ET FORTITVDO, AVXILIVM IN TRIBVLATIONIBVS, &c.

XLVI. Pſalm. Gratiarum actio pro defenſione Eccleſiæ

GRatiarum actio eſt pro defenſione Eccleſiæ dulcis & erudita, ſimul complectens & conſolationes, in quibus auxilium deinceps quoq; promittitur, & obiurgationes diffidentium, qui in trepidatione uaria conſilia regularia & irregularia quærunt, Sicut Reges Iuda ab Aegyptijs, ab Aſſyrijs, à Syriacis regibus auxilia petebant. Et hoc tempore multiplicia fœdera fiunt, alij Turcos, alij Gallos, alij Anglos ſibi adiungere conantur. Hæ trepidationes oriuntur à diffidentia animorum, qui quia non cernunt Dei præſentiam, quærunt humana præſidia, ſeu conceſſa ſeu inconceſſa. Etſi autem homines non ignari doctrinæ fidei, iudicant hanc diligentiam magnam ſapientiam eſſe: quia ut rectum eſt in uia comites contra latrocinia habere, ita cogitat ratio iuſtum eſſe, quàm plurimos & firmiſſimos ſocios ad pericula propulſanda deuinctos habere, ut dicit Euripides: μίας γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μαχή, tamen doctrina fidei aliter iudicat.

Primùm uidet quam cauſam ſuſtineat, ut hoc tempore Principes harum regionum propter Euangelij confeſſionem ſunt in periculo. Hîc cauſam rectè intelligere ſtudeant, & ſciant ueram, neceſſariam & ſalutarem doctrinam non eſſe abijciendam. Hanc igitur fideliter retineant & non mutent. Poſtea ſi qua uis aduerſus eos ſuſcipitur, primùm petant & expectent à DEO conſilia & defenſionem: deindè cogitent quibus humanis præſidijs uti rectum ſit, quorum coniunctio fugienda ſit. Vtantur mediocribus copijs hominum de uera doctrina conſentientium, & Deum cum ipſis rectè inuocantium, non miſceant blaſphemos, non attrahant Turcos aut ſimiles, ſed ſciant adeſſe Deum in acie, ac præcipuum ducem & propugnatorem eſſe.

Vera neceſſaria & ſalutaris doctrina non eſt abijcienda.

Hac fide dimicent cùm opus eſt, freti auxilio DEI, & non ſint ignaui & ſegnes, faciant neceſſaria, & non moueant non neceſſaria, inani πλυπραγμοσύνῃ: multas iniurias tolerent ac diſſimulent, quæ ſine impietate diſſimulari poſſunt.

De hac fide & hac arcana ſapientia piorum cõcionatur hic Pſalmus, quæ in quotidianis periculis diſcenda eſt, & ipſa fidei exercitia monſtrabunt diſcrimen humanæ πολυπραγμοσύνης, & lucis fidei.

Propoſitio eſt: *DEVS NOSTRVM REFVGIVM EST ET FORTITVDO, ET AVXILIATOR IN TRIBVLATIONE.* Hac aſſeueratione celebrat beneficium Dei, & ſimul agit gratias, & promiſſionem nobis proponit, pollicentem auxilium quocunque tempore.

Secundus uerſus eſt conſequens, & adplicatio propoſitionis. Ideò non timeamus, non deficiamus à Deo, fracti metu hoſtium.

Deinde ſequuntur amplificationes, in quibus ſimilitudine quadam pin-

guntur Imperiorum tumultus. Similitudo sumitur à naturæ partibus, sed significat Imperia. Etiamsi terra quassata & mare intumescens confundantur inter sese in unum chaos, id est, etiamsi omnia Imperia horribilibus tumultibus inter sese collidantur, tamen mansura est Ecclesia Dei.

Huius amplificationis illustria exempla sunt, bella Sennaherib, Persarũ & Alexandri bellum, Syriaca et Romana bella, in quibus cùm uicinarum gentium politiæ & religiones ualde mutatæ sint, tamen Deus mirabiliter texit suæ doctrinæ sedem & Ecclesiam.

Ideò sequitur in quarto uersu alterum membrum collationis, *FLVMINIS RIVVLI RIGABVNT CIVITATEM DEI*, quasi dicat: Etiamsi alibi terra & mare quassata miscebuntur in unum chaos, tamen non turbabuntur fontes & riuuli, qui hanc ciuitatem, quæ est sedes præcipua doctrinæ Dei, constituta mandato Dei, rectè fungitur ministerio Prophetico, habet Prophetas rectè docentes uerbum Dei, irrigant.

Fontes & riuuli pro doctrina & munere docendi.

Vsitatæ sunt allegoriæ dicere fontes, riuulos, pro doctrina & munere docendi.

Est & hoc usitatum in Psalmis, cùm prius aliquid figuratè dictum est, postea prorsus idem sine figura apertius dicere, ut fit in quinto & sexto uersu, ibi clarè dicitur seruari Ecclesiam, quia Deus in ea habitet & eam adiuuet: cæteras uerò gentes & religiones deleri, sicut horribiliter deletæ sunt subinde multæ gentes toto orbe terrarum, Aegyptij, Syriaci, Chaldæi, Asiatici, Græci, Romani. Horum omnium politiæ & Religiones cum ipsis gentibus interierunt.

Septimus uersus repetit propositionem, ut agamus gratias, & fateamur non nostris consilijs & uiribus, sed à Deo seruari Ecclesiam. Si fiat collatio humanarum uirium, tàm facilè erat Alexandro dissipare Iudæam, aut mutare eius politiam, quàm facilè fuit occupare & mutare Aegyptum, sed Iudæa tegebatur dextra Dei.

Octauus uersus est Epiphonema, inuitans omnium temporum Ecclesiam, ut hæc miranda facta Dei consideret, & firma fide petat & expectet defensionem.

Sed hîc quæstio est, quomodo Psalmus congruat ad nos? Potest enim obijci, Hierosolymam mansisse, quia nominatim de ea promissiones editæ sunt, mansuram esse usq; ad Messiæ aduentum. At de nostris ciuitatibus non sunt editæ promissiones, ut Ephesus perijt, etiamsi ibi docuerunt Ioannes, Timotheus, & horum auditores.

Psalmi & promissiones principaliter loquuntur de Ecclesia.

Respondeo. Psalmus & promissiones semper principaliter de Ecclesia loquuntur, id est, de cœtu puram Euangelij uocem sonante, & rectè Deum inuocante. Hunc seruari prorsus non dubium est, etiamsi membra aliqua truncidantur.

Præterea cùm in hac uita opus sit domicilio, Deus etiam aliquos nidos & aliquas politias semper dat huic agmini: sed hoc discrimen est, Tempore legis Mosaicæ nominatus fuit certus locus, nunc non nominatus est certus locus, & tamen dat DEVS aliqua domicilia, sicut etiam in populo Israël promissionem potius de Ecclesia quàm de loco intelligi uoluit. Ideò dispersit decem tribus, & postea abduxit tribum Iuda in Babylonem, deleta Hierosolyma, ut scirent Ecclesiæ sedem ibi fore, ubicunq; uera doctrina sonaret, nec superstitiosè ad locum alligandam esse promissionem.

Concio-

Concionatur ergo Psalmus in genere de Ecclesia: huic defensio promittitur ubicunq; est. Et tamen aliquam sedem doctrinæ & ministerij Deus etiam seruat, & defendit tantisper, dum ibi gubernatores rectè funguntur ministerio. Hanc consolationem teneamus, ut cura docendi & discendi in nobis acuatur. *Ecclesiæ in genere promittitur defensio ubiq;.*

Penultimus uersus est obiurgatio taxans diffidentiam, trepidationes & πολυπραγμοσύνην humanam, ut Achas taxatur ab Esaia, quòd auxilium Assyriorum quærat, cùm quidem Deus prohiberet externa auxilia attrahi. Etsi igitur Iudæi uariè exponunt hunc postremum uersiculum, tamen sciamus præceptum esse, oppositum illis trepidationibus & consilijs humanæ sapientiæ, quærentis uaria auxilia, propterea quia ignorat Deum aut diffidit Deo. *VACATE*, id est, ne trepidate, ne discurrite ad uaria præsidia quærenda, seu concessa, seu inconcessa, sed acquiescite in Deo, quem etsi non cernitis, tamen scitis tradidisse promissiones, & uelle ut sic inuocetur, petito auxilio iuxta promissionem, etiamsi ipse non cernitur. *Contra πολυπραγμοσύνην.*

Hæc doctrina de fidei exercitijs sæpè repetita est, ut Esaiæ 30. In silentio & spe erit fortitudo uestra. Hîc quoq; silentium opponitur illis trepidationibus, & illi πολυπραγμοσύνῃ, de qua dixi, & significat reprimendas esse has trepidationes, & acquiescendum esse in Deo.

Postquàm autem iussit nos frenare nostram curiositatem, opponit contrà auxilium diuinum, monstrat obiectum fidei, & iubet nos uera fiducia præsentiæ Dei erigi, & quidem præcipit ut uerum Deum agnoscamus, & inuocemus, qui se patefecit in Israël dato suo uerbo, nec delabamur ad commentitia numina. Ideò dicit: *COGNOSCITE. QVOD EGO SIM DEVS, EXALTABOR IN GENTIBVS, ET EXALTABOR IN TERRA*, Id est, cùm estis in periculis, non trepidate, non quærite inconcessa præsidia, quasi nihil sit Deus, aut non curet uos. Sed primùm omnium mentes uestræ Deum intueantur, qui se in hoc populo Israël patefecit, & ab eo auxilium petite & expectate iuxta promissiones. Et scitote hunc cultum ei placere & præcipuum esse, quia non frustra se patefecit, non frustra tradidit promissiones, sed uult agnosci, uult testimonia de se conspici in Ecclesia, & coram hostibus. Ideò dicit, Exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. Non uolo tantùm in illa mea luce ignota creaturis latere, sed prodeo, uolo agnosci, conspici, diligi, inuocari, uolo peti à me & expectari auxilium, uolo celebrari à meis, & formidari ab ijs qui uerbum meum nolunt amplecti.

Dulcis consolatio in his uerbis proponitur, Exaltabor in gentibus, exaltabor in terra. Promittit enim Deus se editurum de se testimonia, ut inuocetur, & ut eius beneficia in terra inter nos miseros homines celebrentur.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XLVII.

OMNES POPVLI PLAVDITE MANIBVS, IVBILATE DEO IN VOCE EXVLTATIONIS.

GRatiarum actio est & triumphale carmen, seu ἐπινίκιον, generis demonstrati- *XLVII. Psal. gratiarum actio & ἐπινίκιον.*
ui, testificans perpetua narratione, Deum constituere id Regnum, quod Messiæ promisit, id est, certò mitti Messiam, & per eum colligi Ecclesiam æter-

nam, liberandam à peccato, morte, tyrannide Diaboli, & ab omnibus calamitatibus. Et significat hunc Messiam esse Deum, eumq; iubet agnosci, & excipi à Principibus & gentibus, & quidem monet qui cultus sit præcipuus cùm ait, *PSALLITE SAPIENTER.*

Vaticinium certò constitui regnum Messiæ.

Totus igitur Psalmus uaticinium est, adfirmans, certò constitui regnum Messiæ, quod quale sit, & quæ bona adferat, & à quibus malis liberet, ex promissionibus & multis concionibus Prophetarum discendum est. Hîc generalibus uerbis uictoria celebratur, præcipitur cultus, & nominatim prædicitur colligendam esse etiam ex gentibus, & fit mentio Principum, quia Deus ex omnibus uocationibus à se ordinatis aliquos colligit.

Victoria Christi.

Victoria celebratur his uerbis: *EXCELSVS DOMINVS SVBIICIET NOBIS POPVLOS ET REGNA, ELIGET NOS VT SIMVS HÆREDITAS ÆTERNA. ASCENDIT DEVS,* Id est, glorioſè se patefecit, ut quando nobiscum in deserto ascendit, prodijt ut uictor & triumphator. Hîc sumamus ex alijs locis quales sint uictoriæ Messiæ. Deleuit peccatum & mortem, & liberauit nos à Tyrannide Diaboli. Plus enim præstat hic Messias quàm alij Reges & liberatores. Cyrus, Alexander, etiam sunt glorioſi Reges, liberant suos amicos à periculis, dant eis Prouincias, sed quàm breuis est horum potentia & gloria?

Explodamus igitur somnia de regno politico Messiæ, quod Iudæi nunc fingunt, & res æternas cogitemus. Noster Messias æternum Regnum constituet, abolito peccato, deleta morte, & restituta æterna iusticia & uita. Hæc bona ab eo petamus & expectemus.

Cùm igitur det æterna bona, ut Esaias eum uocat Patrem æternæ uitæ, sciamus Messiam nostrum, omnipotentem ac Deum esse, Ideò hîc eum expreſsè Deum nominat: *REGNAT DEVS, SEDET DEVS IN SEDE SANCTA SVA, &c.*

Cultus Christi.

Secundò cultus præcipitur toties repetitis his uerbis: *IVBILATE DEO, PSALLITE, PSALLITE SAPIENTER.* Hæc uerba præcipiunt ut agnoscamus eum & celebremus, & quidem sapienter, quasi dicat: Interest inter honores huic Regi debitos, & alijs regibus. Cæteri Reges coluntur externis officijs, hic colendus est sapientia, id est, audiendo eius uerbū & rectè ac sapienter intelligendo, amplectendo, profitendo, prædicando.

Interest inter honores Christo regi & alijs regibus debitos.

Iudæi non psallunt Messiæ sapienter, cùm fingunt Regnum politicum & interiturum, imò cùm fascinati hac persuasione crucifigunt Messiam. Id nequaquàm erat iubilare & sapienter psallere. Sic de cæteris impijs doctoribus omnium temporum iudicemus. Non sapienter psallunt Monachi, qui tantùm docent Legem & iubent dubitare, atq; ita delent Euangelium & doctrinam de fide.

Commonefacti igitur hoc dicto, Psallite sapienter, præcipi nobis sciamus, ut non obiter tantùm audiamus uerbum Dei, sed magna cura discamus, conferamus, quæramus unam constantem & immotam sententiam, quæ nos doceat ueram inuocationem & ueros cultus, Sicut & Paulus inquit: Verbum Dei habitet inter uos abundè, omni sapientia.

Hæc de præcipuo cultu in hoc Psalmo dicta, sæpè cogitemus, ut nos ad doctrinæ studium & ueram inuocationem exuscitemus.

Tertiò

Tertiò de uocatione gentium expressè dicitur: *REGNAT DEVS SVPER GENTES.* Cæterùm alibi copiosè dicitur, quantarum rerum doctrinam complectatur hic locus, scilicet promissio uocationis gentium. Testatur enim remissionem peccatorum dari propter Filium Dei Mediatorem, Gratis, non propter Legem. Hæc consolatio necessaria est pijs, & attentè consideranda, quoties de uocatione gentium dicitur. *Vocatio gentium.*

Postremus uersiculus de uocatione Principum non obiter prætereundus est. Nam & Principes docet ac consolatur, & uniuersæ Ecclesiæ consolationem gratam proponit. *Vocatio Principum.*

Primùm testatur munus ipsum Principum approbari à Deo, & quidem ornat eos honesta descriptione, uocat eos *SCVTA TERRÆ*, uult Principes protectores esse populorum, non tyrannos & uastatores terræ.

Secundò multò maior laus est, quòd uocari eos dicit, ut sint membra Ecclesiæ Dei, ut æternam gloriam in cõsuetudine Dei, & Christi habeant. Quantò gloriosius erit, in conspectu Dei, Angelorum & generis humani, post resurrectionem stare lætos apud Christum, Prophetas & Apostolos, Dauidem, Ezechiam, Iosiam, Constantinum, Theodosium, quàm ad Diabolos, Caligulam, Herodem & alios Tyrannos, in æternos cruciatus abijci?

Ideò dicit, *PRINCIPES POPVLORVM CONGREGANTVR CVM POPVLO DEI ABRAHAM*, quasi dicat: Aliqui Principes ex ingenti dissipatione gentium excerpentur, & erũt in congregatione Ecclesiæ Dei, quem inuocauit Abraham, & qui dedit Abrahæ promissionem. Erunt semen Abrahæ spiritu non carne: Sed ament congregationem, id est, concordiam Ecclesiæ, non faciant destructiones, ut Imperatores, qui aluerunt impia dogmata, Constantius, Valens, & alij.

Tertiò, his ipsis Principibus præcipitur, ut se Deo subijciant, non constituant ipsi suo arbitrio Religiones, ut Achas, Manasse, Nabugdonosor, sed uero pectore obediant uoci Dei, et non anteferant suas imaginationes. Ideò dicit, *APVD PRINCIPES EXALTATVS EST DEVS*, id est, Principes se & sua imperia & suam sapientiam subijciunt Deo, & ipsius doctrina reguntur, non propriis opinionibus. Sic magnifit Deus, & antefertur autoritati humanæ, & uerè colitur.

Exaltatur item pietate Principum apud Populum, quia Principum exemplo multi inuitantur ad cognoscendam doctrinam. Et cùm non exercetur sæuitia in Ecclesiam, plures audiunt doctrinam, & imbecilles facilius prouehi & erudiri possunt, & disciplina honestius & seuerius regi potest, cùm congruunt piæ uoluntates & sententiæ gubernantium Ecclesiam & politias.

Hæc igitur uox Psalmi Principibus inculcanda erat, ut excitarentur ad pietatem, cùm audirent ipsorum obedientia gloriam Dei multipliciter augeri.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XLVIII.

MAGNVS DOMINVS ET LAVDABILIS VALDE, IN CIVITATE DEI NOSTRI IN MONTE SANCTO EIVS.

XLVIII. Psal. gratiarum actio pro ingentib. beneficijs.

INitium Psalmi Gratiarum actio est pro his ingentibus beneficijs, quòd Deus certis testimonijs se patefecerit, dederit promissiones, instituerit cultum, delegerit locum Sion, ut sciri posset ad posteritatem, ubi sit, & ubi mansura sit Ecclesia. Hæc bona sunt omnium summa & maxima, & incoatio æternæ uitæ.

Doctrina de uero Deo inclusa gratiarum actioni.

In hac igitur gratiarum actione, doctrina maximè necessaria Ecclesiæ & ad omnia tempora pertinens continetur, quæ monstrat uerum Deum & ueram inuocationem, & discernit eam à falsa. Adfirmat enim hunc solum esse Deum qui se patefecit in Sion, & ibi tradidit promissiones, & iuxta has promissiones fide colendum esse, alia numina commentitia esse, alios cultus reiectos. Et sicut tunc in Sion uerè adfuit Deus & uerè ibi fuit Ecclesia, ita scimus ibi certò adesse Deum, ibi uerè eum coli, ubicunq; toto orbe terrarum illud idem uerbum, quod in Sion propositum est, sonat, sicut apud Esaiam dicitur: Ex Sion egredietur. Et fluent ad montem Sion omnes gentes, id est, Euangelion inter gentes spargetur, quod in Sion promissum est. Quare ibi certò Deus aderit, exaudiet, seruabit, & ibi uerè erit Ecclesia Dei, ubi sonabit uox Euangelij, quę ex Sion accepta est, Sicut & Filius Dei adfirmat Ioan: 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

Ita hunc Psalmum ad omnia tempora accommodemus, & nunc quoq; inde discamus, ubi & quomodo quærendus sit Deus, ubi sit Ecclesia: & cùm didicerimus hîc uerè adesse Deum, & hîc uerè esse Ecclesiam, ubi uox Euangelij sonat, acquiescamus in Deo monstrato per Euangelium, inuocemus eum, petamus ab eo bona, uoce huius Psalm: *EXPECTAMVS DEVS MISERICORDIAM TVAM IN MEDIO TEMPLI TVI.* Agamus & gratias uoce huius Psalmi: *MAGNVS DOMINVS ET LAVDATVS VALDE.* In tali accommodatione sententia fiet illustrior.

Miscentur gratiarum actioni & laudatio Ecclesiæ & consolatio.

Præconium Ecclesiæ dulcissimum.

Dulcissimum præconium est Ecclesiæ in uersu secũdo: *MONS SION EST PVLCER SVRCVLVS LÆTIFICANS TERRAM.* Quid potest dici dulcius? Opes & regna existimantur esse summa ornamenta ciuitatum, sed hoc bonum æternum longè maius est, uidelicet præsentia Dei promittentis salutem, exaudientis & seruantis homines.

Talis ciuitas ornata hoc bono uerè antecellit omnibus, & uerè est amœnissimus hortus, remedia gignens omnium miseriarum.

Si conferantur ad tale templum, & talem scholam, ut fuit in Sion cœtus Nathan, Dauid & aliorũ piorum, maximę & potentissimę ciuitates, Babylon, Athenæ, Roma, ingens dissimilitudo est. Nam illæ sine Euangelij uoce tantum speluncæ latronum, & miserrimorum hominum hospitia fuerunt. Sion autem est arx in qua Deus præsens exaudit & seruat inuocantes, & dat eis æterna bona. Ita discamus agnoscere Ecclesiam, & eam anteferre alijs cœtibus.

Consolatio est quod adfirmat Reges eam admirari & non posse delere. Huc promissiones accommodentur aliæ, quæ pollicentur Ecclesiæ defensionem, Matth: 16. Portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.

Postea in uersu nono ponitur precatio: *EXPECTAMVS DEVS MISERICORDIAM TVAM IN MEDIO TEMPLI TVI.* Breuis petitio est, sed complectitur summam omnium promissionum. Et ad præcipuam

præcipuam maximè referenda est, id est, ad promissionem Mediatoris & remissionis peccatorum, iusticiæ & uitæ æternæ. Expectamus misericordiam tuam, id est, remissionis peccatorum, reconciliationem & uitam æternam, conseruationem Ecclesiæ & huius nostræ politiæ, propter Mediatorem quem nobis promisisti. Propter hunc etiam mitigationem communium ærumnarum petimus & expectamus.

Sed dicat aliquis, Cur audes petere? unde scis te exaudiri ac respici à Deo, te recipi? Ideò addit: *PETIMVS HÆC IN MEDIO TEMPLI TVI.* Hîc sunt promissiones editæ, quæ adfirmãt uerè adesse Deũ, exaudire & seruare propter Mediatorem. Ita nunc quoq; in nostris periculis clamemus ad Deum, qui misso Filio suo Domino nostro Iesu Christo crucifixo pro nobis in Sion & resuscitato, se patefecit: Expectamus Deus misericordiam tuam, in medio Ecclesiæ tuæ: Ne sinas extingui lucem Euangelij tui, & agnitionem ac inuocationem Nominis tui: ne sinas deleri doctrinam de disciplina, ac plenæ omnia fieri Turcicæ, & Hispanicæ impietatis & spurcitiæ. Exaudias Ecclesiæ tuæ gemitus propter Filium tuum, qui dixit: Quicquid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit uobis.

In uersu decimotertio præceptum additur de diligenda, ornanda, seruanda, defendenda Ecclesia, sicut aliâs inquit: Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem, Ita hîc præcipit, *FIDELITER EXTRVITE MVROS EIVS*, id est, Diligite & fouete Ecclesiam omnibus officijs. Doctores rectè doceant, nec dissipent Ecclesiam prauis opinionibus ac pernicijosis rixis. Principibus curæ sit seruare ministerium Euangelij ad omnem posteritatem, nec exerceant sęuitiam in pios rectè sentientes, sed tueantur eos, & extingui ueram doctrinam non sinant. Iuuentus amet studia Ecclesiæ necessaria, & populus & studia doctrinæ & ministerium publicum seruet.

Hæc & similia officia præcipit in hoc uersu, quo commonefacti magis & Ecclesiam & studia doctrinæ amemus.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi XLIX.

AVDITE HÆC OMNES GENTES, AVRIBVS PERCIPITE OMNES QVI HABITATIS ORBEM.

MVlti sunt Psalmi qui hoc ipsum argumentum repetunt, scilicet consolationem Ecclesiæ & singulorum piorum aduersus scandalum crucis, ut Psalmus quartus, item triceſimus septimus & alij. Cùm enim in hac mortali uita Ecclesia & singuli pij ingentibus ærumnis exerceantur, & interea impij floreant potentia, opibus & Imperijs, & fruantur uoluptatibus, maxima pars generis humani ignara cur Deus subiecerit Ecclesiam cruci, appetit hæc commoda præsentis uitæ, potentiam, opes, uoluptates, & fugit ærumnas. Deinde disputat de iusticia Dei, quia causam consilij diuini ignorat, & sic ratiocinatur.

XLIX. Psalm. est consolatio Ecclesiæ aduersus scandalum crucis.

Impossibile est genus humanum, si est curæ Deo, tantùm ad miserias conditum esse, sicut equos aut boues. Aut igitur Deo cariores sunt illi, quorum uita tranquillior est, & minus ærnmnosa, aut nulla est prouidentia. Si nulla est prouí-

prouidentia,ſtultè ſibi accerſit Eccleſia labores, & pericula. Si eſt prouidentia, cur in tantis miſerijs eſt Eccleſia? Id enim uidetur iniuſtum propter duas cauſas.

Nemo amicus uult amicis malè eſſe: Si Eccleſia eſt cara Deo,cur tam duriter excruciatur?

De argumento, Iuſtis conuenit benè eſſe

Præterea, Iuſtis conuenit benè eſſe, Eccleſia affirmat ſe iuſtam eſſe, cur igitur tàm atrociter affligitur? Et quidem Lex diuina promittit bona iuſtis. Sic enim inquit:Qui fecerit ea,uiuet in eis.Cur hanc ipſam promiſſionem non præſtat Deus? Cur Abel, Ieremias & ſimiles interficiuntur, cùm quidem non propter delicta,ſed propter rectè facta trucidentur?

Hæc confuſio bonorum & malorum ualdè multos mouet, ut de prouidentia dubitent. Nec explicari hæc quæſtio poteſt niſi ex doctrina diuinitus reuelata certiſſimis teſtimonijs in Eccleſia.

Reſpondet igitur Pſalmus uno uerſiculo ad omnes obiectiones. Si eſt prouidentia, impoſſibile eſt bonos in genere humano tantùm ad miſerias conditos eſſe. Adſentior,inquit Pſalmus,quia reſtat iudicium in quo Deus liberabit me,ut uerſu quintodecimo dicitur.Interea in hac mortali uita cur ſuſtinendæ ſint ærumnæ, certa cauſa eſt conſilij diuini, ut poſtea dicam.

Eadem reſponſio refutat illud: Nemo amicus uult amicis malè eſſe,uerum eſt,perpetuò,ſed ad tempus Pater uult caſtigari liberos. Et cùm Deus ſit iuſtus,& in nobis hæreat peccatum, neceſſe eſt nos caſtigari, ſed tamen quia nos recipit Deus, erit pœnarum finis.

Ita reſpondetur & ad illud:Iuſtis Deus uult benè eſſe,Abel,Ieremias ſunt iuſti, ergo debet eis benè eſſe. Pſalmus reſpondet ad concluſionem.Benè erit Abel & Ieremiæ in uita æterna. Sed cur in hac uita calamitoſi ſint Abel & Ieremias,certè cauſæ ſunt conſilij diuini. Primùm in his quoq; hæret peccatum. Vult autem Deus præſertim in Eccleſia,agnoſci peccatum & horrẽdam totius generis humani corruptionem. Ideò tota Eccleſia ſubiecta eſt ærumnis.

Reſponſio igitur ad minorem hæc eſt. Abel & Ieremias ſunt iuſti,imputatione: Sed nondum in uita mortali ſunt ſine peccato. Et uult eos Deus agnoſcere iram ſuam aduerſus communem generis humani deprauationem.

Deindè uult hos eſſe teſtes doctrinæ ſuæ & futuri Iudicij,cùm in hac uita non conſpiciatur diſcrimen inter Abel & Cain, inter Paulum & Neronem,& tamen Deus clarè oſtenderit ſe recepiſſe Abel & Paulum, certò ſtatuendum erit poſt hanc uitam diſcrimen inter illos fore. Reſtat igitur aliud iudicium. Huius ipſius iudicij teſtimonia ſunt mors Abel & Pauli & ſimilium.

De dicto, Qui fecerit ea, uiuet in eis.

Sed cur dicit Lex: Qui fecerit ea,uiuet in eis? quod dictum cum iſto conuenit:Iuſtis debet benè eſſe.

Breuiſſima reſponſio eſt.Legis interpres eſt uox Euangelij,quæ dicit qui ſint iuſti & quando benè eſſe iuſtis debeat. Interea Lex omnes accuſat.

Sed extra hanc ueram & uniuerſalem reſponſionem, hæc reſponſio de politica gubernatione etiam tenenda eſt. Certum eſt atrocia delicta atrocibus pœnis in hac uita puniri, ut dicitur: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Quantumuis igitur impij glorientur ſe regnare & florere, tamen certiſſimum eſt ruere in pœnas in hac mortali uita regulariter omnes qui uiolant externam diſciplinam.Conſtat igitur puniri à Deo ſcelera. Sed cur Abel,Ieremias & ſimiles etiam affliguntur, hoc non pertinet ad iudicium politicum. Hi intelligunt

gunt ipsi, cur affligantur, scilicet non propter ciuilia delicta, sed propter alias causas, quas recensui, & norunt Legem & suarum ærumnarum causas, cognita doctrina Euangelij de futura uita rectè conciliare.

Cur pij affligantur non pertinet ad iudicium politicum.

Cùm igitur ualdè offendatur humana sapientia hoc scandalo, quòd iustis uidet malè esse, Deus hanc disputationem, quam humana ratio explicare non potest, ipse sua uoce explicat, narrat causas quare iusti adfligantur, & dicit post hanc uitam restare aliud iudicium.

Hæc est huius Psalmi summa, qui totus ex hac Antithesi constat. Errant qui potentiam, opes & uoluptates huius uitæ mortalis, anteferunt Deo, et propter illa præsentia bona negligunt confessionem ueræ doctrinæ & alia officia Deo debita. Etsi enim nunc florent, tamen post mortem ruent in exitium æternum, unde nullis opibus, nullis humanis præsidijs eripi possunt. At econtrà pij etsi nunc sunt in magnis ærumnis, tamen in ipsa morte liberabuntur, & ã Deo ornabuntur æternis bonis, uita, sapientia, iustitia, lætitia, in illa æterna consuetudine Ecclesiæ.

Continet igitur hic Psalmus articulum de Vita æterna & futuro Iudicio. De iustis expressè dicit: *VERVNTAMEN DEVS REDEMIT ANIMAM MEAM DE MANV FOVEÆ, QVIA ACCIPIET ME.* Hæc uerba clarè adfirmant, post mortem pios traduci ad DEVM, nec relinqui in morte & exitio. Econtrà de impijs dicitur, *VSQVE IN ÆTERNVM NON VIDEBVNT LVMEN*, id est, relinquentur in morte & exitio.

Cùm igitur uoluerit hunc præcipuum articulum doctrinæ cœlestis, de uita æterna & futuro iudicio proponere, & multos furores generis humani taxare, qui oriuntur ex hac cœcitate, quòd homines illud futurum iudicium non intuentur, sed uolunt præsenti uitæ consulere, huic quærunt præsidia, hanc muniunt, & eam anteferunt uoluntati Dei, quasi doctrina de uita æterna, & futuro iudicio sit inanis fabula, ideo tam altè exorsus est, & initiò præfatur, se toti generi humano de re omnium maxima concionari, ut à cœcitate & à contemtu Dei, & stulta securitate, homines ad agnitionem & timorem Dei, & considerationem futuri iudicij reuocet.

In Propositione consolationem instituit, & suam personam tanquàm exemplum cæteris Ecclesiæ membris proponit.

NON TIMEBO, inquit, *NON FRANGAR ANIMO, ITA VT DEFICIAM A DEO* in ærumnis, cùm hostes mei, qui antecellunt opibus me conculcant, quasi dicat: Sic omnes pij simus confirmati, nec deficiamus à Deo, etiamsi multæ magnæ miseriæ nobis ferendæ erunt, & interea hostes florent, tenent opes & imperia, sunt muniti potentia contra aduersarios, fruuntur uoluptatibus. Horum bonorum illecebræ non abstrahant nos à Deo. Non inflectant se martyres ad uoluntatem Diocletiani & similium, etiamsi uident se excruciari, & econtrà desertores doctrinæ euehi ad honores, & magnis præmijs donari. Hæc est summa propositionis.

Non deficiendum est à Deo propter miserias uitæ præsentis.

Deinde sequitur ἀπολογία seu ratio, quæ constat antithesi, ut dictum est, quia etiamsi nunc florent impij, tamen aliquantò pòst perituri sunt, & ruent in æternum exitium, ex quo nec opibus suis nec ullis humanis uiribus eripi poterunt: Econtrà uerò pij in morte liberabuntur. In hac antithesi consumitur reliqua

qua Psalmi narratio,quæ est,ut dixi,doctrina de uita æterna & futuro iudicio.

Sæpè autem repetita est hæc una sententia: Opes,potentiam & uoluptates huius mortalis uitæ fugacia bona esse,nec posse depellere mortem,nec profutura esse morientibus.

Inseritur autem aperta uituperatio humanæ sapientiæ. Maxima pars hominum iudicant magnam sapientiam esse, quærere opes & humana prædia neglecto Deo, sicut quidam homo impius dixit: Se quid doceant quinq; libri Mosi nõ scire,nec curare,sed quomodo emendi sint quinq; pagi, & quanti ex eis reditus capiantur, scire & curare,eamq; sapientiam longè anteferre illi inani doctrinæ Mosi. At econtrà Psalmus uersu 13. hanc persuasionem uocat stulticiam,etsi laudetur hęc persuasio ab eorum imitatoribus. Denicq; tota oratio Psalmi perspicua est, si non deprauetur insulsis uersionibus.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi L.

FORTIS DEVS DOMINVS LOCVTVS EST, ET VOCAVIT TERRAM &c.

L. Psalmus discrimen tradit ueri cultus et ceremoniarũ.

INsignis Psalmus est, luculentam & perspicuam concionem continens, monstrãtem discrimen ueri cultus, & ceremoniarum. Quare ad genus διδασκαλικὸν pertinet.

Triplices homines.

Triplex est enim hominum multitudo: Alij prorsus sunt ἄθεοι, qui & ceremonias & ueros Dei cultus audacissimè contemnunt, ut Athenis faciebat Cynesias Poëta, qui festa contraria publicis celebrabat. Alij non adeo profani cùm ratione moueantur, ut esse Deum statuant, tamen postea nihil nisi Legem norunt,& de hac fingunt sibi imaginationes suo arbitrio,uidelicet Deum colendum esse ceremonijs,& operibus moralibus: sed si sint lapsus aliqui, ceremonijs compensari:& has,si sint sufficientes, mereri remissionem peccatorum:sic senserunt Ethnici,qui hac persuasione uarios ritus,et multa tristia opera excogitabant, uidelicet uictimarum humanarum mactationes, quia ceremonijs aboleri peccata fingebant. Hoc errore Pharisæi cumularunt sua sacrificia,Monachi Missas,Turci suas ceremonias. Denicq; manet hic error in maxima parte generis humani, ceremonias præcipuè Deo placere, & mereri remissionem peccatorum, & præcipuas uirtutes esse longè anteferendas omnibus moralibus operibus. Ac multi plus sibi licentiæ sumunt in moribus, laxant frenum libidinibus,& alijs cupiditatibus, quia postea compensari delicta ceremonijs arbitrantur: ut sacrificuli uariè polluti, deleri sua scelera putant ritu Missæ. Sic Ethnici senserunt, sic omnibus ætatibus multi sentiunt. Hic error & in hoc Psalmo & alibi sępè à Prophetis,à Christo,& Apostolis taxatur, ut Christus clamitat Matthæi septimo: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatem Patris mei. Item Ioan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & ueritate. Et 1.Corinth.7.Circumcisio nihil est, sed obseruatio mandatorum aliquid est. Et sæpè aliàs hæc doctrina repetita est.

Alij prorsus ἄθεοι.

Alij tantùm legem norunt.

Sed hæ conciones præcipua certamina inter homines accendunt. Nam multi cùm uident ceremonias esse neruos potentiæ suæ, aut aucupia quæstus, sine modo eas laudari uolunt, non propter gloriam Dei, Sed ad stabiliendam potentiam,& augendum quæstum.

Alij

Alij qui uidentur grauiores,qui iudicant ceremonias esse disciplinæ neruos,ut sunt aliquo modo,uehementius etiam irascuntur ijs,qui negant hos cultus mereri remissionem. Tales propugnatores ceremoniarum omnes concurrunt ad opprimendam ueram reprehensionem, ut nunc Antistites, Canonici, Sacrificuli, Monachi stipati regibus ac Principibus concurrunt ad defensionem uenalium Missarum, & crudelissimè interficiunt homines pios rectè docentes de usu ceremoniarum.

Cùm igitur talia certamina sequantur,audita uoce diuina de ceremonijs, Psalmus initiò & in fine seuerissimè obiurgat hostes ueritatis, & eis pœnas & exitium minatur:necesse est enim has controuersias iudicari diuinitus, quia homines sine luce Euangelij, non rectè intelligunt Legem & Ceremonias. Ideò funditus deleta est Hierosolyma, quia stante politia Iudaica, semper mansisset opinio,tam pulcros ritus,diuinitus ordinatos,necessarios cultus Dei esse.

Tertia pars hominum est, quæ non tantùm Legem nouit, sed etiam Euangelium didicit, & id rectè intelligit : scit datam esse promissionem remissionis peccatorũ Gratis dandæ propter Mediatorem. Et scit mandatum Dei esse immotum, ut iuxta hanc promissionem credamus nos recipi, & exaudiri : & hac fide,id est,fiducia misericordiæ,inuocemus Deum, & petamus & expectemus auxilium,& hanc doctrinam profiteamur,& in ipsis liberationibus grato corde præstemus eos cultus, quos ipse in uerbo suo postulat, & eo ordine præstemus sicut postulat. *Tertia pars hominum qui Legem et Euangelium norunt.*

Primùm uult ardere in corde nostro fidem, non ociosam noticiam, sed fiduciam inuocantem ipsum, quæ sentitur in afflictionibus. Cum hac fide coniuncta est dilectio,& accenduntur aliæ uirtutes necessariæ iuxta præcepta moralia, iustitia, castitas, ueritas & aliæ. Postremò accedant ceremoniæ diuinitus ordinatæ suo quæq; tempore, non ut mereantur remissionem peccatorum, non quòd placeant Deo sine fide,& sine operibus moralibus, sed ut sint signa promissionum uerè credenti : deinde ut sint signa professionis,quæ discernant Ecclesiam ab Ethnicis. Imò cùm non accedunt, uera fides, & obedientia moralis, & existimantur mereri remissionem peccatorum, nihil differt talis cultus ab Ethnico.

Hæc tota doctrina sæpè in Prophetis, Christo, & Apostolis repetita est. Vt Esaiæ primo: Quò mihi multitudo uictimarum uestrarum? Et Esaiæ 58. Nolite ieiunare sicut hactenus. Et Ieremiæ 7.Non præcepi eis de holocaustis. Et Micheæ 6.Indicabo tibi,ô homo,quid sit bonum. Et Zachariæ 7. Num ieiunium mihi ieiunatis? Hæ conciones & similes ad hunc Psalmum pertinent, quæ Ecclesiam de discrimine ueri cultus & ceremoniarum commonefaciunt: Eritq; magis perspicua lectio Psalmorum, cùm nostri temporis certamina de ijsdem rebus considerabimus.

Totus autem Psalmus Narratio est, in qua Deus initiò minitatur iram & pœnas hypocritis secundi generis, qui cùm ignorent ueros cultus, fidem & ueram inuocationem, interea iactitant se esse populum Dei,propter ceremonias, & has anteferunt omnibus alijs operibus, uel stabiliendæ potentiæ suæ causa, uel propter quæstum, uel ut mereantur remissionem peccatorum. *Minitatur Deus in hoc Psalmo iram & pœnas hypocritis.*

Incoatur autem Narratio grandi sono descriptionis seuerissimi iudicij diuini,ut homines discernere discant gradus peccatorum,nec extenuent moralia peccata,ut fit magna ex parte.Et ut sciamus uero Deo tribui sermonem,ap-

pellatio additur, scilicet Iehoua, discernens uerum Deum à commentitijs numinibus: & fit mentio loci Sion, ut ueri Dei concionem esse sciamus, qui se certis testimonijs in Sion patefecit. Conuocat autem uniuersam Ecclesiam, in qua simul sunt multi iusti rectè colentes Deum, & multò plures iniusti, qui titulo sunt membra Ecclesiæ.

Congregate mihi Sanctos meos.

Cùm igitur ait: *CONGREGATE MIHI SANCTOS MEOS*, intelligamus uniuersam Ecclesiam bonos & malos, quæ Synecdoche usitata est: ut mox eodem modo alloquitur totam Ecclesiam, cùm ait: *POPVLVS MEVS.*

Sequitur in eodem particula, quæ propter breuitatem obscurior est, sed hæ sunt simplicissimæ interpretationes. Aut enim sic generaliter enarrari uerius potest: Congregate mihi Sanctos meos, cum quibus feci fœdus de sacrificijs, id est, quibus tradidi Legem, in qua fit mentio sacrificiorum. Hæc cùm non rectè intelligatis, iam errorem uestrum de eis taxabo.

Aut hoc modo: Congregate mihi Sanctos meos, ordinantes fœdus super sacrificia, id est, putantes meum fœdus tantùm aut certè potissimum esse præcepta ceremoniarum, quasi dicat: hunc errorem ut emendem, iam conuoco Ecclesiam. His interpretationibus, quia molliores sunt, contenti simus. Alij quæsierunt argutiores expositiones, quas omitto.

Sequitur propositio, quæ continet adfirmatiuas & negatiuas sententias. Adfirmatiua hæc est, *AVDI POPVLE MEVS, ET LOQVAR ISRAEL, ET TESTIFICABOR IN TE, DEVS, DEVS TVVS EGO SVM.* Ierem: 7. prorsus eo modo dicitur: Non præcepi de holocaustis, sed audite uocem meam. Hæc adfirmatiua, AVDI, Ego sum Deus tuus, principiò postulat agnitionem ueræ doctrinæ Legis & promissionum & timorem, ac fidem. Vt non probat Deus sacrificia Agamemnonis, quia prorsus ignorat uerbum Dei: Sic non probat Sacrificia Manasse, quia facit ea prorsus neglecto uerbo Dei, fingit nouos cultus, nec intuetur Deum qui se patefecit certo uerbo tradito.

Deinde membrum præcipuum propositionis hoc est: *AVDI* inquam hanc uocem: *DEVS, DEVS TVVS EGO SVM.* Hoc audias, me qui illustribus testimonijs tibi Legem & promissiones tradidi, uidelicet Deum esse, & me uelle sic coli, audita Legis uoce me timeas, & auditis promissionibus uera fiducia ad me accedas, me inuoces, à me petas & expectes bona propter Mediatorem promissum, & hac fide prælucente, eo ordine præstes opera, ut ego præcepi. Primùm moralia, deinde ceremonias tanquàm signa confessionis, ut te & alios commonefaciant, non ut mereantur remissionem peccatorum. Etiamsi pulcerrimarum uirtutum opera facias, & offeras quotidiè magna agmina boum, sine uera agnitione Dei, sine cogitatione uerbi eius, & pacefactionũ, & cor sit sine timore & sine fiducia petente & expectante auxilium à Deo, tamen talis cultus Deo non placebit, sicut nec Nestoris nec Menelai cultus placebant, etiamsi erant uiri præstantes uirtute, & sumtuosè sacrificabant.

Quomodo uelit Deus coli, & quis sit usus moralium et ceremonialium.

Hæc igitur concio, *DEVS, DEVS TVVS EGO SVM*, reuocat omnium hominum mentes ad primum Præceptum & uera opera primi Præcepti, & ad agnitionem promissionis quæ declarat hanc particulã DEVS TVVS, id est, uerè te recipiens, te curans, tibi dans non solùm præsentia bona, uictum & hanc politiam, sed etiam æterna, ministerium doctrinæ, iusticiam

iusticiam & uitam æternam,propter Mediatorem. Ideò uolo me uerè timeri, irascentem peccatis, ac simul credi mihi postulo: uolo me fide inuocari, peti à me,& expectari defensionem præsentis uitæ,& æterna bona. Hanc totam doctrinam continet particula, Ego sum Deus tuus.

Sequitur negatiua propositio: *NON ARGVAM TE PROPTER SACRIFICIA, NON ACCIPIAM DE DOMO TVA TAVRVM.* Hæc Antithesis illustrat Psalmum,ut planè quid uelit intelligi possit: cumq; status sit finitiuus in hoc Psalmo, Negatiua propositio hîc constituitur: Non est cultus Dei, qui mereatur remissionem peccatorum, externus ritus sacrificiorum. Hæc est sententia uerborum, Non accipiam taurum,&c. Deinde uenustæ amplificationes accedunt.

Sequitur alia adfirmatiua propositio, cuius ἀἰλογία suprà posita est, cùm ait: *EGO SVM DEVS TVVS.*

Inde sequitur hæc propositio: *SACRIFICA DEO LAVDEM. INVOCA ME IN DIE TRIBVLATIONIS,* id est, uera sacrificia sunt in corde, agnoscere uerum Deum, sicut se patefecit, timere eum, credere ei,diligere,celebrare,& inuocare eum,& quid de eo sentiamus in inuocatione declarare, uidelicet uerè eum exaudire gemitus nostros, & inuocantibus opem ferre.Nam concionari legem de corde, non de externis tantùm actionibus,testatur hoc dictum: Diligas dominum Deum tuum ex toto corde. *Vera sacrificia sunt in corde.*

Inseritur autem propositioni, quæ nunc recitata est, dulcissima promissio,quæ non est ociosè prætereunda,cùm ait:*ET ERIPIAM TE.* Pollicetur ueram inuocationẽ,quæ fit fide,non esse irritam. Hic diligenter consideranda est antithesis.Nã et hypocritæ sacrificantes inuocant,sed aut securi in rebus secundis, cõfidunt suis sacrificijs,aut in reb.aduersis manẽt in dubitatione: sacrificant quidem, sed apud sese cogitant, se negligi, se proijci, se non exaudiri à Deo,& fremunt aduersus Deum.At fidei oratio, acquiescit in Deo, & quanquàm multis terroribus concutitur, tamen superata dubitatione, statuit Deum non defuturum nobis esse: scit remitti peccata propter Mediatorem, & pœnas mitigari. Hæc statuere in præsenti periculo difficile est. Quare quid sit fides,& inuocatio fidei, non in ociosis speculationibus, sed in ueris certaminibus discendum est. In his promissiones Dei intueamur,& eas rectè intelligamus,& earum uoci ita credamus,ac si nouam uocem de cœlo sonantem audiremus. Cumq; in pauoribus nos fide sustentamus, discemus quid sit fides,& euentus testabuntur,hanc fidem non esse inanem opinionem,& inuocationem non esse irritam,ut Epicurei & Hypocritæ iudicant. Ac ita proficiendum nobis est, ut plus lucis sit in nostris mentibus de Deo ac promissionibus,quàm in Epicureis aut Hypocritis esse solet.Cùm hic iubeat Deus se inuocari in periculis, obtemperemus, cumq; addat promissionem, uult credere tales promissiones non esse inanes sonos. *Vera inuocatio quæ fit fide non est irrita.*

Sed dices: Hæ promissiones ratæ sunt bene meritis. Imò ratæ sunt propter Mediatorem omnibus ad eum confugientibus. Et cùm omnes sint rei,necesse est hanc fidem de remissione peccatorum prælucere in omni inuocatione in periculis corporum. *Promißiones ratæ sunt propter Mediatorem.*

Hæc de argumento Psalmi & præcipua propositione monuisse satis sit, ut summa dextrè intelligatur. Reliqua pars à uersu sedecimo est obiurgatio

Hypocritarum, qui opprimere ueram doctrinæ lucem, de fide & uera inuocatione conantur, & fæuitiam aduersus ueram Ecclesiam exercent, ut suos ritus & opiniones retineant, uel propter superstitionem, uel propter quæstum, ne potentiæ nerui labefactentur, ut nunc Pontifices, Canonici, & Monachi ceremonias suas magna crudelitate defendunt. Id exemplum si quis considerabit, clarius intelliget, cur hîc dicatur: *SEDENS CONTRA FRATREM TVVM LOQVERIS, &c.* Semper doctrina de discrimine ueri & falsi cultus magna certamina excitauit, ut ostendunt Prophetarum, Christi & Apostolorum contentiones. Ideò hîc in fine Psalmi crudelitas hypocritarum accusatur.

Obiurgatio Hypocritarũ.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi LI.

MISERERE MEI DEVS, SECVNDVM MAGNAM MISERICORDIAM TVAM, &c.

TOtus Psalmus precatio est, & ut cæteræ precationes, ad genus deliberatiuum pertinet. Propositio præcipua statim initiò recensetur: *MISERERE MEI DEVS SECVNDVM MAGNAM MISERICORDIAM TVAM*, Id est, Remitte mihi peccata propter immensam misericordiam tuam, quam in promissione nobis declarasti. Postea hæc propositio repetitur, & uicinæ adduntur, *COR MVNDVM CREA IN ME DEVS*: Nam & hi uersiculi qui loquuntur de donis, quæ adiuncta sunt reconciliationi, sunt propositiones. Miscentur autem ut fit in magno dolore tristes querelæ de magnitudine peccati, & confessiones, quales Ecclesia coram Deo recitat, & deinde gratiarum actiones & discrimina cultuum, de quibus & proximus Psalmus concionatus est: Cùm autem membra aptè dispositа sint, & egregia sint lumina uerborum & sententiarum & copiosa doctrina in singulis membris, ordinè recensebo ea.

LI. Psalm. Petitio remissionis peccatorũ & donorum quæ sunt adiunctæ reconciliationi.

Propositio est: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

Deinde tristis querela sequitur, quæ est confessio peccati, & amplificatio monstrans radicem peccatorum, & mali magnitudinem: *QVONIAM INIQVITATEM MEAM EGO AGNOSCO*, id est, cerno meam immunditiem & delicta, & agnosco te iustè mihi irasci, méque pœnas & mortem æternam meritum esse. Et hæc ipsa confessio repetita est in sequenti uersu, & tristissimis uerbis amplificata: *TIBI TANTVM SVM PECCATOR, ET MALVM CORAM TE FECI*, quasi dicat: Agnosco & fateor me uerè esse reum & dignum ira. Iaceo prostratus coram te sentiens iram tuam iustissimam aduersus peccata, meq; ingẽti mole peccatorum oneratum esse. Et hæc planè fateor, ut tu iustificeris, id est, tribuam tibi laudem iustitiæ, cùm accusas, & punis, quam non tribuunt hypocritæ. Saul & similes clamitant se iniustè tantis calamitatibus obrui, cùm sint benè meriti. Ego uerò fateor me iustissimè puniri. Cerno uicia cordis quæ assiduè circumfero, rapui alterius coniugem, struxi insidias uitæ uiri, præbui occasionem ingentibus scandalis in Ecclesia Dei, meumq; eò grauius est delictum, quòd ingentibus donis & uictorijs à te ornatus fui præ cæteris Prophetis & Ducibus in tuo populo.

Confessio.

pulo. Tibi igitur iuſticiam tribuo, meq; uolens aliquo modo pœnis ſubijcio, ſed ut eas mitiges oro. Te iuſtum prædico non me, nec adfero ad te fiduciam ullam meæ dignitatis, ſed ad miſericordiam promiſſam confugio, propter hanc me recipi oro. Sic addit hanc antitheſin, *VT TV IVSTIFICERIS*, ad diſcernendos hypocritas qui fremunt aduerſus iudicium Dei, ab ijs qui uerè agunt pœnitentiam, & ſe Deo ſubijciunt.

Idem dicit in membro ſequenti, *VT VINCAS CVM IVDICARIS*, Hæc particula uidetur obſcura imperitis, qui non exiſtimant iudicari Deum. Sciant autem ſtudioſi, rectè legi & intelligi paſſiuè uerbum iudicaris. Et antitheſis quam hîc ſignificat Pſalmus, illuſtrat ſententiam. Saul & alij hypocritæ iudicant Deum, id eſt, accuſant eum, ac tribuunt ei iniuſticiam & crudelitatem. Ego ne, inquit Saul, qui tantas res geſſi pro Eccleſia Dei, qui prælíorum pericula, qui molem & curas gubernationis tot annis, tanta uirtute ſuſtineo, nunc reijciar? mihi ne adoleſcens antefertur meis ornatus beneficijs? Hæc uidentur inæqualia & iniuſta. Deinde crudelitas eſt me etiam hoſtibus trucidandum obijci.

Quomodo pij tribuant Deo iuſticiam, impij non.

Tales multæ diſputationes ſunt Philoſophorum, cùm quærunt quare boni uiri magis ſint ærumnoſi quàm ſcelerati? cur Senecam & alios multos à Tyranno turpiſſimo interfici Deus ſinat. In hac quæſtione iudicatur, id eſt, accuſatur Deus ab ignaris doctrinæ cœleſtis, & uincit, hoc eſt, damnatur Deus, ſed uera Eccleſia agnoſcit Deum eſſe uictorem, id eſt, fatetur eum iuſtè punire peccata noſtra.

Talis ſit confeſſio piorum in hac tota uita. In ueris doloribus exiſtunt hæ diſputationes in animis, an iuſtè puniamur, ſed poſtulat Deus ſibi tribui laudem iuſticiæ, & uult ut aliquo modo uolentes ſuſtineamus pœnas. Ideo & Daniel inquit: Tibi Domine iuſticia, nobis confuſio faciei noſtræ. Hæc pars pœnitentiæ neceſſaria eſt, quæ quidem eſt aliqua agnitio inobedientiæ noſtræ & iræ Dei. Sed ad hos dolores, & ad hanc confeſſionem neceſſe eſt accedere agnitionem promiſſæ miſericordiæ.

In doloribus neceſſe eſt accedere agnitionem promiſſæ miſericordiæ.

ECCE IN INIQVITATE GENITVS SVM, ET IN PECCATO CONCEPIT ME MATER MEA. Vt ſuprà in genere dixit ſe eſſe reum, ita hîc exaggerat malum, ac deplorat radicem. Habeo non ſolùm delicta atrocia, ſed maſſa eſt inquinata peccato, tunc cùm in utero formatus ſum. Nec accuſantur hoc dicto parentes, aut opus generationis, ut multi inſulsè interpretati ſunt, ſed maſſa formata accuſatur. In hac ipſa inquit prauæ inclinationes ſunt, contra legem Dei, ex quibus oriuntur multi triſtes & horrendi lapſus omnium hominum. Hæc cùm ſit ſententia dicti, omnes pij in Eccleſia citârunt hunc uerſiculum de peccato Originis, de quo loqui eum nihil dubito.

Maſſa eſt inquinata peccato in utero.

ECCE VERITATEM DILIGIS.

Redit ad confeſſionem peccati, & affirmat Deum poſtulare, ut hanc radicem peccati agnoſcamus, quod dicitur aduerſus omnium temporum hypocriſin, quæ fingit naturam bonam eſſe, & dubitationes & auerſionem à Deo in hac imbecillitate, exiſtimat nihil mali eſſe. Hos errores damnant Prophetæ, & taxari in Eccleſia neceſſe eſt.

ASPERGES ME HYSSOPO.

Postquàm intertexuit querelam & amplificationem mali, redit ad illustrandam propositionem. Prius dixit, Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, nunc eandem sententiam repetit: Asperge me hyssopo, & mundabor. Figuratè autem sumta metaphora ex typo, intelligit aspersionem illo ritu significatam, Asperge me sanguine Mediatoris promissi, quem significat typus uaccæ rufæ combustæ, ut legitur in numeris capite undeuigesimo. Hac se consperſione Mediatoris significata per illum ritum norat mundum fieri. Sciebat enim non tolli peccata sanguine uitulorum, sed alia uictima promissa. Est enim hæc significatio. Vt uaccam rufam comburi oportuit, ita promissum Mediatorem pro nobis mori decretum fuit. Et cineri aqua infundi tur, ut conspergi alij possint: & fit consperſio immersa hyssopo in eam aquam: id est, mors Christi prædicatur per Euangelium, & minister est hyssopus per Euangelium communicans cinerem, id est, mortis Christi efficaciam nobis applicans. Hanc sententiam Dauid intuebatur, non sensit ritu ipso tolli peccatum.

Asperge me hyssopo, figurata metaphora.

Repetita est & amplificata propositio etiam in uersibus sequentibus, qui de remissione peccatorum & de effectibus, id est, de consolatione & gubernatione loquuntur. Petitio est perspicua de remissione peccatorum. *AVDIRE ME FACIAS LÆTA*, id est, remissionem peccatorum, ut sequens uersiculus declarat: *AVERTE FACIEM TVAM A PECCATIS MEIS, ET OMNES INIQVITATES MEAS DELE.*

Sequitur petitio de effectibus: *COR MVNDVM CREA IN ME DEVS*, In remissione peccatorum datur Spiritus sanctus, quo fit illa renouatio de qua dicit: Cor mundum crea in me Deus. Primùm autem nominatur cor mundum, id est, placens Deo, purificatum remissione peccatorum, quod etsi adhuc habet sordes, quæ hærent in natura, tamen Deo placet per misericordiam, postquàm fide acceperit promissionem remissionis peccatorum, sicut loquuntur Apostoli Actorum 15. Fide purificans corda. Primùm igitur petit accendi in corde fidem, qua accipitur remissio peccatorum, & placemus Deo, & rectè iam de Deo sentimus, quòd uerè irascatur peccato, & uerè recipiat credentes propter Filium. Hæc est prima petitio.

Cor mundum.

Secunda, *SPIRITVM RECTVM INNOVA INTRA ME*, Id est, prohibe dubitationes Academicas, & Pharisaicas, ne ambigam an respicias nos, an remittas peccata, an exaudias nos: Sed firmitatem fidei in corde meo effice, ut uincam omnes dubitationes, ac statuam uerè nos respici, ueras esse comminationes & promissiones tuas, & uerè nobis remitti peccata, uerè nos exaudiri & saluari. Hanc fidem in me confirma, quia mens humana sine notitia promissionum & sine Spiritu sancto plena est harum dubitationum. Et impij Doctores iubent dubitare, quod prorsus Ethnicum est. Inuocat Xenophon, sed ita, ut nesciat quem inuocet, an & cur exaudiatur, quia ignorat promissiones. At Ecclesia inuocet fide, ac uerè intueatur Deum, qui se patefecit in uerbo suo, & statuat se recipi & exaudiri propter Mediatorem. De hac firmitate opposita Academicæ & Pharisaicæ dubitationi hîc loquitur, cùm ait, Spiritum rectum, id est, firmum, innoua in me.

Spiritus rectus, id est, firmus.

NE PROIICIAS ME A FACIE TVA, ET SPIRITVM SANCTVM TVVM NE AVFERAS A ME.

Antea

Antea nominauit ſpiritum rectum, id eſt, firmum, quod præcipuè ad fidem accommodandum eſt: Nunc nominat Spiritum ſanctum, quod accommodetur ad dilectionem, & uniuerſam obedientiam in corde & uoluntate. *Spiritus ſanctus.*

REDDE MIHI LÆTICIAM SALVTIS TVÆ.

Conſolatio petitur, ne magnitudine dolorum oppreſſi extinguamur aut deficiamus à Deo, ut Dauid exul non poſſet uiuere, niſi aliquo gaudio lenirętur mœſticia.

ET SPIRITV SPONTANEO SVSTENTA ME.

Id eſt, ſpontè & placidè obtemperante in afflictionibus, non fremente aduerſus te, ſicut alacri animo perfert ſupplicium Laurentius. Alij multa hîc philoſophati ſunt περὶ ἡγεμονικοῦ, quod ſic in Philoſophia nominatur. Sed illas diſputationes omitto. Non enim concionatur Dauid tantùm de humana ratione, ſed ideò ſe iuuari petit Spiritu Dei, & innouari, quia humana ratio ſola non efficit firmam aſſenſionem, ſeu fidem, ardentem dilectionem, gaudium cordis, tolerantiam. Hæ uirtutes fiunt concurrentibus his cauſis, uerbo Dei, Spiritu ſancto, & adſentiente uoluntate. *Spiritus ſponteus.*

DOCEBO INIQVOS VIAS TVAS.

Poſt amplificationem petitionum intexit argumentum, ut fit in ſuaſorijs materijs, à referenda gratia: Si me ſeruabis, uiciſſim tibi hanc gratiam referam, Prædicabo doctrinam tuam, & te autorem liberationis eſſe adfirmabo, ut hoc exemplo alij confirmati, doctrinam tuam amplectantur, te timeant, à te petant & expectent auxilium uera fide & te celebrent.

Hæc eſt uſitata cauſa, & ſæpè repetita in petendis liberationibus, quia ad hunc finem Deus uult referri liberationes, ut ipſe agnoſcatur, & doctrina propagetur, & his exemplis multi confirmati incipiant eum uerè colere.

LIBERA ME A SANGVINIBVS DEVS SALVTIS MEÆ.

Rurſus inſerit petitionem de mitiganda pœna, ut aliâs: Domine ne in furore tuo arguas me. Ita hîc orat ne extrema pœna afficiatur, id eſt, ne interficiatur, nec abijciatur in æternas pœnas, ut Saul, Achitophel, & ſimiles, &c. phraſis obſeruanda eſt, Nam ſanguines דָּמִים ſignificat reatum pœnæ homicidij, ſeu ipſam pœnam homicidij, necem pro nece. Eſtq; ſententia, libera à ſanguinibus, id eſt, à reatu extremæ & atrociſſimæ pœnæ. Sancti ſubijciunt ſe uoluntati Dei in pœnis, ſed petunt mitigationem, ut Ieremias inquit, In iudicio corripe me, non in furore, ut nos uſitatè dicimus, Mitiga pœnas, nec ſinas me in Tragica mala incidere. Ne fiam ſimilis Saulis, Oedipi, Iudæ. *Sanguines reatus pœnæ homicidij.*

DOMINE LABIA MEA APERIES.

Repetit commemorationem de referenda gratia, & ſimul ſe in docendo & in confeſſione adiuuari petit.

QVONIAM SI VOLVISSES SACRIFICIVM, DEDISSEM, SED HOLOCAVSTIS NON DELECTARIS.

Occupatio eſt. Alij petunt remiſſionem propter ſacrificia, ego uerò remitti peccata per miſericordiam propter Mediatorem agnoſco, & ſcio propter alias cauſas inſtituta eſſe ſacrificia, ut ſint ſigna confeſſionis, & adiuuent propagationem doctrinæ. Et tamen eſt quoddam noſtrum ſacrificium, ſcilicet

cor perterrefactum agnitione peccati & iręDei,& aliæ ærumnæ eorum qui te rectè inuocant.

Afflictionum in Ecclesia aliæ causæ, quas ratio intelligit.

In hoc loco egregia doctrina traditur opponenda humanis iudicijs. Ratio,cùm in calamitatibus sumus, iudicat nos negligi & proijci à Deo. Sed uox diuina in Ecclesia docet, afflictionum alias esse causas, uidelicet ut reuocemur ad pœnitentiam,aut confirmemur,aut sint testimonia doctrinæ. Ideoq; adfirmat adflictos confugientes ad Deum uerè recipi,exaudiri & iuuari,& tolerantiam ipsam gratum Deo cultum esse. Hæc necessaria doctrina de cruce,comprehensa est hoc uersiculo:Sacrificium Deo spiritus contritus.

BENEFAC SION, &c.

In fine addit precationem communem pro tota Ecclesia, sicut semper in nostris precationibus ad petitionem de nostris rebus adiungere debemus petitionem de salute totius Ecclesiæ.

Ceremoniæ sine timore & fide non sunt cultus Dei.

Sed cur hîc rursus approbat holocausta, cùm suprà reiecerit? Facilis est conciliatio rectè institutis. Ceremoniæ non sunt cultus Dei, sine uero timore & uera fide,seu ut uulgò dicunt,ex opere operato. Nec institutæ sunt, ut mereantur remissionem peccatorum,sed ut sint signa confessionis, ut antea dixi, & adiuuent propagationem doctrinæ. Propter has causas pij prælucente uera fide ceremonias exercent,quæ pro tempore à Deo mandatæ sunt. Tempore ueteris Testamenti seruabantur ceremoniæ tunc mandatæ, nunc nostræ seruandæ sunt.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi LII.

QVID GLORIARIS IN MALICIA, TV POTENS? CVM MISERICORDIA DEI DVRET TOTA DIE, &c.

LII. Psal. consolatio est adversus delatorem et parricidam Doëg.

TItulus indicat argumentum, quia narrat Dauidem hanc consolationem scripsisse aduersus delatorem, & parricidam Doëg, qui Saulis furorem incendit & adiuuit. Narrauit Sauli,exceptum esse hospitio Dauidem à Summo Sacerdote Abimelech,& postea cùm cæteri nollent interficere Sacerdotes, primus incoauit illud dirum parricidium Sacerdotum, & piarum Matronarum, uirginum & puerorum in oppido Nobe, quod situm fuit in tribu Iuda inter Arimathiam & Ioppen.

Est igitur Psalmus, consolatio, in qua primùm narratur scelus impij hostis,& accusatur.

Deinde addita est comminatio pœnarum, & opponitur consolatio sumta ex promissionibus, in quibus Deus testatur, se liberaturum esse seruientes in domo Dei,id est,Ecclesiæ,inuocantes ipsum, seruientes siue in docendo, siue in alijs uocationibus necessarijs. Ac præcipuè obseruanda est hæc particula: EGO AVTEM SICVT OLEA VIRENS seu florens IN DOMO DEI. Causam significat,& locum,quare & ubi seruentur homines,uidelicet quia seruiunt Ecclesiæ Dei,cui promissiones traditæ sunt,quarum summa est in hoc dicto: Portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam: & in ea fiat inuocatio, ibi expectetur liberatio. Quia enim Ecclesiæ facta est promissio propter Filium, cui uult Deus hæreditatem æternam colligere, ideo non prorsus

prorſus deleri hic cœtus poteſt, & in eo membra ſeruantur. Id diſcrimen in multis imaginibus propoſitum eſt. In Diluuio tota multitudo impia merſa in aquas periit, tantùm uerò ſeruantur hi, qui ſunt in Arcam incluſi: Ita tantùm ſeruantur hi, qui uera fide inſerti ſunt Eccleſiæ Dei. Hanc arcem, hunc portum quæramus, ac certò ſtatuamus exaudiri nos à Deo, & iuuari, cùm in hanc arcem nos abdimus, etiamſi & arx ipſa oppugnatur, & nos in magnis ærumnis ſimus.

In fine Pſalmi additū eſt Epiphonema de gratitudine pro hoc beneficio, & de celebratione quam Deus poſtulat. Ideo enim ſæpè liberat inuocantes, ut extent exempla promiſſionum, quæ alios inuitent ad petendum & ſperandum & expectandum auxilium, ut hac uera & ſalutari conſolatione ſuſtententur, ſcilicet agnitione præſentiæ Dei & expectatione diuini auxilij.

Ideo in fine hîc dicitur: *BONVM EST GRATIAS AGERE*, celebrare hæc exempla coram Sanctis tuis, ſcilicet ut ipſi etiam fiant fortiores, perferant ærumnas in confeſſione, & ſe conſolentur agnitione uoluntatis, & præſentiæ Dei, & ſperent liberationem.

Etſi autem ſecuri & ebrij uoluptatibus, hanc conſolationem, & ſimiles derident: Tamen illi, in quibus ſunt initia fidei, cùm ſint in ærumnis, experiuntur has conſolationes ſalutares eſſe, quia nec promiſſiones irritæ ſunt, nec inanis & fallax eſt expectatio. Vt autem plerunq; conſolationes referuntur ad genus ſuaſorium: Ita & hic Pſalmus ad id genus referatur, quia principaliter proponit hoſtibus comminationem, & pijs conſolationem recitatione ſui exempli.

Sed hîc quæſtio opponitur, Cùm Abel, Ieremias, Baptiſta, Paulus & alij innumerabiles uideantur relinqui à Deo in ipſa morte, & non ſolùm tunc, ſed etiam poſtea floreant inimici potentia & opibus, quomodo hæc conueniunt ad ſententiam Pſalmi? Reſpondeo: Vniuerſaliter uera eſt ſententia etiam in hac uita, Tyrannos graſſantes in Eccleſiam, dare pœnam etiam in hac uita, ſicut exempla oſtendunt. Cain tandem interficitur etiamſi fratri interfecto aliquandiu fuit ſuperſtes. Poſt interfectum Ieremiam non diu tenet Regnum Apryes, ſed captus ab Amazi, laqueo ſtrangulatur, & tamen aliæ maiores pœnæ reſtant. Nam breuis calamitas in hac uita, non eſt æqualis pœna pro tantis ſceleribus, ſed eſt commonefactio de iudicio Dei, qua Deus oſtendit ſe non eſſe oblitum delicti, ut alij metuant futurum iudicium, nec ſe talibus ſceleribus contaminent, & ut conuertantur.

Tyranni dant pœnas etiam in hac uita.

Sed de Eccleſiæ membris quædam diſſimilitudo eſt. Primùm de his quoq; uniuerſaliter uerum eſt, & in hac uita ſeruari cauſam, & corpus Eccleſiæ, etiamſi multi ſunt in magnis ærūnis, & aliqui interficiuntur, quia certo cōſilio uult Deus Eccleſiam cruci ſubiectam eſſe, ſed tamen poſtea cùm fiet æternum diſcrimen piorum & impiorum, uniuerſaliter omnes pij fruentur æternis bonis, & impij erunt in pœnis æternis. Ea uerò quæ in hac uita geruntur, cùm breuia & momentanea ſint, ut Paulus nominat, non ſunt conferenda ad æterna, & tamen non fit caſu, aut ſine ſingulari conſilio Dei, quòd Eccleſia cruci ſubiecta eſt, quia Deus ſapiens & iuſtus uult Eccleſiam commonefieri talibus caſtigationibus de ſua iuſticia, & ira aduerſus peccatum, propter quam iram & Filius fit uictima, id non conſideraretur, ſi nulla fieret Eccleſiæ caſtigatio.

Corpus Eccleſiæ ſeruatur in hac uita.

Concur-

Concurrunt autem multæ cauſæ, de quibus alibi dicendum eſt. Interim tamen & in hac uita corpus Eccleſiæ ſeruatur, ut ſemper aliqui ſint ſuperſtites cuſtodes Euangelij, uerè inuocantes Deum, iuxta illud: Non mortui laudabunt te Domine. Et illi ipſi qui interficiuntur, prius multas liberationes experiuntur, ut certò ſtatuant, Deum in Eccleſia præſentem eſſe, & celebrent beneficia Dei innumerabilia cum alijs ſanctis.

Diſpoſitio uerſuum.

Prima pars Pſalmi narratio eſt ſceleris, quam ab obiurgatione exorſus eſt: *QVID GLORIARIS IN MALICIA TYRANNE?* Id eſt, quid uel confidis minitando, ut Pharao elatus fiducia ſuæ potentiæ ſecuriſſimo animo contemnit populum Iſraël: uel quid lætaris & triumphas poſt perpetratum ſcelus, ut lætatur Herodias interfecto Baptiſta.

Huic autem interrogationi reſponſionem textus addit, quaſi dicat, fruſtra confidis, & fruſtra triumphas.

Sequitur αἰτιολογία, *QVIA MISERICORDIA DEI*, promiſſa Eccleſiæ, defendet eam, & nos ipſos in ea ſeruabit. Sciendum enim eſt quoties miſericordiæ mentio fit, promiſſiones reſpiciendas eſſe: item cogitandam doctrinam de fide, ſpe & inuocatione aliquoties ſuprà repetitam.

Tres ſequentes uerſus narrant & exaggerãt ſcelus, & in primis hoc obſeruandum eſt, quòd dolos & calumnias accuſat, quia ipſa nece triſtius eſt, quòd impij fingunt prætextus honeſtos ſuis odijs & furoribus, & Sophiſticè ornant multa tetra & pernicioſa mendacia. Item fingunt falſa dogmata, ut nunc faciunt præſtigiatores quidam, qui abuſus Miſſæ & inuocationem mortuorum reſtituunt.

Sequitur comminatio pœnarum æternarum & præſentium, & inſeritur doctrina de exemplo, Cuius pœnæ exemplo, inquit, firmabuntur iuſti, & celebrabunt has liberationes, & Deo gratias agent.

Sequitur ἀντίθεσις quæ eſt conſolatio ſumta ex promiſſionibus: *EGO NON DELEBOR*, ſed ſeruabor in domo Dei, & ero ceu olea uirens ac florens, non erunt irriti mei labores, ſed in hac uita proderunt Eccleſiæ, non abolebitur mea doctrina, non delebitur mea poſteritas: ego & nunc liberabor, & deinde in tota æternitate unà fruar conſuetudine & gloria Eccleſiæ Dei. Hæc bona omnia quæ ſunt præcipua, complectitur hoc breui dicto: *EGO ERO VT OLEA IN DOMO DEI.*

Sequitur αἰτιολογία: *QVIA SPERO IN DEVM IN OMNI ÆTERNITATE*, inuoco Deum, & ab eo expecto auxilium in hac cauſa & confeſſione, ad quam me uocauit, & in qua ego ei ſeruio.

In ultimo uerſu epiphonema eſt de gratiarũ actione, & celebratione diuini beneficij, adfirmat ſe Deo gratias acturum eſſe pro hac liberatione, eamq; celebraturum eſſe in cœtu ſanctorum, ut hoc exemplo confirmati non frangantur in ærumnis, ſed obediant Deo, & petant ac expectent liberationem iuxta Dei conſilium. Oſtendit enim Deus ſuam præſentiam in Eccleſia multis liberationibus, & teſtatur ſe exaudire gemitus & uota noſtra, ut inuitentur alij ad fidem, ſpem & inuocationem, & ob has ipſas cauſas celebrari hæc beneficia iuſſit, ut Pſal. 9. dicitur: Exaltas me de portis mortis, ut annunciem laudes tuas in portis

portis filiæ Sion. Ita hîc inquit: Bonum est coram sanctis tuis & fieri tales liberationes, & celebrari eas, ut alij confirmentur.

Hanc causam finalem semper in liberationibus cogitemus, ac postea gratitudinem declaremus, primùm tota obedientia, deinde & uera assеueratione, quòd Dei auxilio seruati simus. Nam multi etiam cùm manifesta Dei testimonia uiderunt, ut Israëlitæ in Mari rubro, tamen postea obliuiscuntur Dei, & in rebus secundis fiunt securi, & frenos laxant cupiditatibus, & fingunt se casu seruatos esse. Aduersus talem cœcitatem erudiamus nos cogitatione exemplorum & dictorum, quæ diuinitus tradita sunt, ac testantur Deum autorem esse liberationum, & iubent declarari gratitudinem in celebratione beneficij & obedientiæ.

Gratitudo Deo declaranda tota obedientia & uera assеueratione quòd à Deo seruati simus.

Hæc est summa sententiæ Psalmi, qui non est obscurus ijs, qui nunc in ueris doloribus inuocant Deum, petunt & expectant ab eo auxilium, quorum expectatio nequaquàm irrita erit, sed erunt ipsi quoq; oleæ uirentes & feraces in domo Domini.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi LIII.

DIXIT INSIPIENS IN CORDE SVO, NON EST DEVS, &c.

Hic Psalmus doctrina est, continens duas propositiones, quarum altera accusat omnes homines non agentes pœnitentiam: altera promittit oppressæ Ecclesiæ liberationem, ac significat interea Ecclesiam ingentibus ærumnis oneratam esse: ac manifestum est duos cœtus describi, alterum hostium Dei, alterum Deo placentem, oppressum ab hostibus Dei, cui promittitur liberatio.

LIII. Psalm. accusat non agentes pœnitentiam, & promittit liberationem oppressæ Ecclesiæ.

Cùm igitur describatur non solùm cœtus impiorum, sed etiam Ecclesia Deum inuocans, cur uniuersalis est concio, quæ arguit: Non est qui faciat bonum, ne unus quidem?

Etsi autem aliqui respondent, Synecdochen esse, & maximam partem generis humani argui: tamen cùm hoc ita intelligant, ut in membris ueræ Ecclesiæ negent esse peccata, non sequar hanc interpretationem, sed potius Paulum sequar, qui citans dicta huius Psalmi, etiam arguit totum genus humanum, scilicet quale est in hac prauitate ac deformitate, quę nobiscum nascitur, ut Paulus inquit: Causati sumus omnes sub peccato esse, ut omne os obstruatur, & totus mundus reus fiat Deo.

Hæc concio uerè uniuersalis est, accusans peccatum in omnibus, sed postea discrimen est: Pauci aliqui conuertuntur ad Deum, & agnoscunt ac deplorant suam immunditiem, & incipiunt Deo obedire, hi sunt Ecclesia Deo placens propter Filium. Ac reliqua ingens multitudo contemnit Deum, & pluribus manifestis furoribus cumulant peccata, polluuntur libidinibus, exercent sæuitiam in gubernatione, conantur delere ueræ doctrinæ lucem, & laxant frenos alijs malis cupiditatibus.

Concio pœnitentiæ est uniuersalis, etsi nõ omnes conuertuntur.

Alij etiamsi uiuunt modestius, tamen retinent magna uicia in mente, quę manent, etiamsi hypocrisis præ se fert magnam speciem sapientiæ & iusticiæ, Vt

ciæ, Vt in Attico, in Xenophonte, etiamsi pulcra moderatio est morum, tamen hærent dubitationes perpetuæ de prouidentia, & de uoluntate Dei an recipiat, & an exaudiat ipsos uel alios. Ita in hoc Psalmo concio est de pœnitentia uniuersalis, & tamen est discrimen impij cœtus & Ecclesiæ, quia in utrisq; arguuntur tristia peccata, sed fit discrimen propter dissimiles uoluntates audientium concionem uniuersalem.

Plurimi uel contemnunt Deum arguentem, uel etiam ei irascuntur, & extinguere uocem Euangelij conantur, quæ non solùm manifesta delicta, ut libidines et tyrannidem taxat, sed etiam cultus impios, quos defendunt tanquàm sapientiam & iusticiam, sicut Iudæi & Ethnici iudicabant seditiosum esse, suos ritus ueteres labefactare.

Duo cœtus in mundo.

Alij uerò pauci obtemperant Deo arguenti, & ad Deum conuertuntur, Ita fiunt duo cœtus, & impia multitudo ardet odio alterius cœtus, & eum delere conatur. Nemo autem has miserias perferre posset si ignota esset uoluntas Dei, & non sciremus secuturam esse liberationem. Ideo Deus tradidit promissiones, & adfirmat Messiam liberaturum esse Ecclesiam ipsum inuocantem, hæc consolatio & hîc proponitur. Hæc est summa Psalmi.

Non externa tantùm & manifesta, sed & interna mala taxantur.

Quatuor uersus ab initiò narrant, & exaggerant peccata, nec tantùm externa & manifesta scelera taxantur, quæ etiam ratio iudicat, sed etiam interiora magna mala communia omnium hominum, dubitatio de Deo & de prouidentia, esse sine timore Dei, & confidenter regi propria sapientia, & propter præsidia uisibilia negligere Deum, ut multi adiungunt se potentibus, ne cogantur socij esse ærumnarum Ecclesiæ. His interioribus malis multa alia peccata interiora & externa implicita sunt, odium ueræ doctrinæ, sæuitia manifesta quæ exercetur in oppressione Ecclesiæ, & alij multi furores qui accedunt. Hæc omnia inquit argui & iudicari à Deo, cùm ait: *DEVS DE COELO RESPICIT FILIOS HOMINVM.* Et est Antithesis opposita primo uersui, Impij negant esse Deum, imò clamat uox Dei: Deus de cœlo respicit filios hominum, uerè est Deus conditor generis humani, inspector & iudex. Nam respicere non significat ociosum spectatorem, sed patefacientem se uoce & illustribus testimonijs, & instituentem ministerium docendi in Ecclesia, & manifestis exemplis punientem omnia atrocia delicta.

In quinto uersu additur comminatio pœnæ: *DEVS DISPERGIT OSSA CASTRAMETANTIS ADVERSVS ECCLESIAM.* Item *DEVS ABOMINATVR EOS.* Ac insignia uerborum pondera sunt in singulis membris. Ossa significant robur, & maxima præsidia, Reges & Principes.

Ossa significant robur.

Et cùm os inquit castra locasse aduersus Ecclesiam, significat summos Monarchas, Reges & Principes, magnum & assiduum bellum gerere aduersus Ecclesiam, sed Deus adfirmat se eos dissipaturum esse, & addit πάθος, quod significat uerum & uehemens odium: *ABOMINATVR EOS DEVS.*

In postremo uersu promissio est de liberatione Ecclesiæ per Messiam, quæ qualis sit, & quando futura sit, docent conciones in Euangelijs de uenturo Iudicio & regno æterno Messiæ. Ad has conciones referendus est postremus uersiculus.

ARGV-

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi LIIII.

DEVS IN NOMINE TVO SALVVM ME FAC, ET IN VIRTVTE TVA IVDICA ME, &c.

NOtæ sunt historiæ, quarum in titulo fit mentio, ac recitantur primo libro Regum capite uigesimo tertio & uigesimo sexto. Nam Ziphæi bis prodiderunt Dauidem, & narrantur ibi liberationes glorioſæ, in quarum altera cùm amici Dauidis interfecturi essent Saulem, Dauid eum prohibet interfici, & clarè adfirmat, se nunquam uelle regem Israël à Deo unctum uiolare. In qua historia duo sunt ualdè insignia exempla, Liberatio qua Deus suam præsentiam manifestè declarat, cùm Dauid undiq; cinctus à magno hostium exercitu non posset humanis uiribus seruari, in tanto periculo Deus ostendit sese custodem esse Dauidis.

In historia Dauidis contra Saulem, exempla præsentiæ Dei, & patientiæ subditorum erga magistratus.

Alterum exemplum est patientiæ subditorum erga legitimos magistratus. Iudicio humanæ rationis uerum est, concessam esse defensionem aduersus Tyrannum inferentem manifestam & atrocem iniuriam. Et si in tali defensione Tyrannus interficitur, defensor iudicatur iustè fecisse.

Narrat Cicero iudicium C. Marij, qui absoluit militem, qui tribunum militarem interfecerat. Et Moses interfecit uirum Aegypti qui præerat Israëlitis regio nomine, cùm iniustè percuteret Israëlitam. Sic & Abisai uir sapiens & sanctus, iudicauit interficiendum esse Saulem.

Iusta defensio contra atrocẽ iniuriam concessa.

Verissima est uox naturæ, iustam esse defensionem contra iniuriam atrocem, & Dauid defensione utitur, sed eam ita moderatur, ut tamen non trucidet Tyrannum, quod licuisse existimo, sicut & Abisai existimabat. Sed sæpè regula sequenda est, ut non solùm quod tibi liceat, sed multò magis quod tutius sit conscientiæ, & exemplo utilius consideremus, sicut Paulus inquit, Omnia licent, sed non omnia expediunt.

Duæ causæ moderationis Dauid.

Habebat autem duas grauissimas causas Dauid huius suæ moderationis, quarum prior est, ut refutaret speciem qua grauabatur. Etsi enim nec appetebat regnum, nec excutere ex regno Saulem uolebat, sed ut sciebat se à Deo uocatum esse, ita sciebat non inuadendam esse administrationem, sed tunc eam accipiendam esse, cùm à Deo quasi in ipsam sedem collocaretur: Tamen quia erãt sermones de eius uocatione, grauabatur hac specie, contumacem eum esse, ut per occasionem excuteret Dominum ex regno. Hęc opinio confirmata fuisset, si Dauid ipse aut sustulisset Dominum, aut tolli passus esset. Res igitur hanc opinionem refutauit, cùm toties parcit inimico, ubi occasio eius interficiendi oblata est ualde oportuna.

Vitauit & scandalum, quia cæteræ gentes dixissent, falsò gloriari Israëlitas diuinitus sibi reges dari, cùm regnum per seditionem & neces dominorum rapi uiderent. Noluit etiam exempli huius autor esse, occupandi regni per domini cædem, qui etiamsi ipse iustam causam habebat, tamen exemplo abusuros posteros uidit, quorum aliqui, ut fit, qualicunq; prætextu iuris mota seditione dixissent se Dauidis exemplum imitari.

Propter has grauissimas causas repressit sese: nec fuisse leue certamen in Dauidis animo de hac ipsa moderatione consentaneum est, quia in uiris magnanimis acres & ardentes impetus sunt, sed uicit dolorem suum scandali & exempli

empli deteſtatione, & fiducia auxilij diuini, frenante uehementes impetus Spiritu ſancto.

In exemplis Dauidis diſcenda doctrina de patientia et ſpe auxilij diuini.

Diſcamus igitur ex hac hiſtoria & hoc Pſalmo doctrinam de his duabus uirtutibus, de patientia, & ſpe auxilij diuini. Sapienter toleremus iniurias, ne accendantur maiora diſſidia, ut ſæpe cupiditas uindictæ maximarum diſcordiarum initium fuit, & hæreſes ſparſæ ſunt & pertinaciter defenſæ ut contraria factio premeretur.

Huius rei exempla etiam noſtra ætas uidit. Multi etiam dolore moti quærunt remedia undecunque ſine ordine, & multa mouent non neceſſaria, & hac πολυπραγμοσύνῃ ſibi cumulant mala, contra quod uicium dicitur: In ſilentio & ſpe erit fortitudo ueſtra.

Deinde hîc diſcamus exercitia fidei, ſpei & inuocationis, id eſt, petamus & expectemus defenſionem & auxilium à Deo, qui etiam ſine cauſis ſecundis ſæpiſſimè liberat, & eripit inuocantes, præſertim iniuſtè oppreſſos, ut hîc non humanis conſilijs aut uiribus ſeruatur Dauid. Primùm cùm Saul reuocatur propter irruptionem Philiſtinorum: deinde cùm uenit Dauid in tentorium ſopore oppreſſis excubijs & rege. Hæc etſi Philoſophi dicerent caſu accidiſſe, tamen nos in Eccleſia certò ſcimus, tales liberationes regi conſilio Dei, iuxta illa dicta: Omnes capilli capitis ueſtri numerati ſunt. Et, Ecce duo paſſeres aſſe ueneunt, & unus eorum non cadit ſuper terram ſine uoluntate Patris ueſtri.

Talibus ſententijs & exemplis nos quoq; in his calamitatibus fidem cõfirmemus, & petere & expectare auxilium à Deo æterno patre Domini noſtri Ieſu Chriſti conditore generis humani & Eccleſiæ diſcamus, in talibus exercitijs & Pſalmi nobis fient perſpicui, & quid ſint fides, ſpes & inuocatio, melius diſcemus. Nunc de membris Pſalmi dicam.

Pſal. 54. precatio & gratiarum actio.

Pertinent ad genus ſuaſorium precationes, & hic Pſalmus precatio eſt. In fine & gratiarum actio additur, ut plerunq; in inuocatione omnes pij miſcent precationem & gratiarum actionem: & ſcripta ſunt hæc exemplapter nos, ut ſciamus eſſe aliquam Dei Eccleſiam, in qua Deus præſentiam ſuam multis mirandis liberationibus declaret, & uelit in nobis accendi fidem, ſpem & inuocationem. Et ut adeſt Dauidi, & eum exaudit & protegit: ita non dubitemus eum adeſſe cæteris Eccleſiæ membris, & exaudire, & multis modis ſeruare innocentes. Transferamus igitur tales Pſalmos ad nos, ut ſæpè dictum eſt.

Priores duo uerſus ſunt petitio auxilij.

Tertius, exaggeratio periculi, & accuſatio hoſtium.

Quartus, commemoratio de uoluntate Dei ſumta ex promiſſionibus & prioribus liberationibus, Deus uult nobis opem ferre.

Quintus repetit petitionem.

Reliqui duo continent uſitatam gratiarum actionem de celebratione horum beneficiorum, quæ fit ut alij etiam conuertantur ad Deum, agnoſcant non falſam ac fabuloſam eſſe Eccleſiæ doctrinam, ſed uerè Deo curæ eſſe Eccleſiam, & in ea exaudiri inuocationem, & ſeruari eam diuinitus, etiamſi aliquantiſper duriter quaſſatur.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO *Pſalmi LV.*

EXAVDI

EXAVDI DEVS ORATIONEM MEAM, ET NE ABSCONDAS TE A DEPRECATIONE MEA &c.

PRecatio est ualde pathetica aduersus perfidiosos amicos, qui colludunt cum hostibus, & facta cum eis conspiratione machinantur exitium pijs doctoribus, & doctrinæ corruptelas stabiliunt, sicut Arianis temporibus, cùm Eusebius Nicomedensis subscriptione sua comprobasset sententiam Nicenæ Synodi, tamen postea nactus occasionem, patefecit impietatem suã, accerrimè pugnauit pro Arianis, & factiosè adiunxit sibi multos Episcopos & potentes uiros.

LV. Psal. precatio est ualdè pathetica ad uersus perfidiosos amicos, qui colludunt cum hostibus.

Hæc sunt usitata omnibus temporibus, ut nunc quoq; uidemus, multos qui initiò fuerunt uehementes propugnatores ueræ doctrinæ, paulatim deinde se ad aduersarios inflexisse, uel quia propter leuitatem mutauerunt iudicia, uel odio certorum hominum, uel ambitione, ut multæ causæ esse possunt mutationis iudiciorum & uoluntatum in hominibus.

Quare præcipuè in hac querela accusantur illi desertores, qui cùm antea fuerint amici, & eiusdem causæ propugnatores, postea aut apertè transeunt ad hostes, aut fiunt præuaricatores, & arte cum eis colludunt.

Vsitatum est igitur hunc Psalmum ad Iudam transferre, sed multi sunt Iudæ similes in dissensionibus Ecclesiæ, & multi sunt fallaces & inconstantes in communibus amicicijs, qui cùm produnt amicos, plus nocent eis, quàm potuissent nocere hostes. Hinc sunt illæ iustitiæ uoces: maledictus qui confidit in homine, ut Ieremias inquit: & in Psalmo: Nolite confidere in Principibus. Item, Nusquàm tuta fides. Item: μέμνησο ἄπιστε῎ρ. Et illud Sophoclis: Fides mortua est, pullulat autem perfidia. Et illud: Quos credis fidos, effuge, tutus eris. Et narratur iocus Antigoni regis, qui in precatione dixerat, se Deum orare, ut protegeretur ab eo aduersus amicos. Hîc cùm quidam familiares interrogarent, cur nõ potius precaretur, se defendi aduersus hostes: imõ, inquit, ab his qui palàm sunt hostes, cauere sibi homines sua uigilantia possunt: ab amicis, quorum pauci fideles sunt, cauere sibi nemo potest, sed Deo custode opus est.

Hic Psalmus usitatè ad Iudam transfertur.

Manifestum est autem utrunq;, & plus nocere proditores, & magis dolere bonas mentes cùm ab amicis deseruntur, quàm cùm ab hostibus oppugnantur, quia iniuria accepta ab amicis reuera maior est. Ideõ apud Sophoclem uir fortis & magnanimus Philoctetes inquit: Nullum maius est uulnus quàm falli ab amico.

Deinde præsertim in Ecclesia latè patet hoc scandalum, quia impij confirmantur, & pij imbecilles fiunt languidiores, aut horum exemplo deficiunt & ipsi. Magnæ igitur & multæ causæ sunt, cur magis doleamus, cùm in Ecclesia talia accidunt: ut multorum uoluntates alieniores factæ sunt à uera doctrina propter exempla Billicani, Vuicelij, & similium quorundam. Sed hęc finit Deus accidere, quia plerunq; confidunt homines coniunctione amicorum, & pendent ex amicis, ac multa peccant amicorum causa, amplectuntur dogmata confisi alienis iudicijs, mouent bella confisi sociorum incertissimis uoluntatibus. Hanc fiduciã ut eximat nobis Deus, finit nos ab amicis deseri. Vult enim nos ipsos intuentes uerbum Dei uero iudicio propter Deum amplecti sententias diuinitus traditas: uult nos à seipso defensionem petere & expectare, non uult nos confidere humanis præsidijs. Sedemus in Ecclesia ut fœtus in aluo matris, & diuinitus custodimur, sicut apud Esaiam inquit Deus: Ego feci, ego gestabo,

Non uult nos Deus confidere amicorum coniunctione.

ego seruabo. Et sæpē repetitæ sunt hæ uoces: Vana salus hominis. Item: Illi in equis & in curribus, nos autem nomen Dei nostri inuocabimus. Et in Psalmo: Iacta in Deum curam tuam, & ipse sustentabit te. Quare hic Psalmus doctrina est de fide prohibens fiduciam hominum, & præcipiens, ut etiam cūm ab hominibus, & causis secundis deserimur, tamen à Deo non deficiamus, sed maneamus in confessione ueritatis, & exitus Deo commendemus, & ab eo defensionem petamus ac expectemus, iuxta illud: Commenda Deo uiam tuam, & ipse faciet.

Psalmus hic prohibet fiduciam hominū.

In primo & secundo uersu propositio recitatur, qua petit defensionem.

Sequentes uersus plurimi in toto Psalmo continent querelam, in qua uariæ sunt amplificationes doloris & obiectorum, uidelicet impietatis aduersariorum, fraudum, insidiarum, simulationis & crudelitatis. Et insignis est exaggeratio personæ perfidiosi amici, à quo desertum & proditum se esse queritur, cūm quo antea coniunctio fuerit non solùm aliorum communium officiorum uitæ, sed etiam doctrinæ, & consiliorum. Manifestum autem est ualde fauciari omnium bonorum hominum animos talium amicorum defectione, & in Ecclesia accedit singularis dolor propter scandalum, quod pernicios issimum est, ut suprà dixi. Nec opus est longa interpretatione in his querelis, quia intelliguntur consideratis exemplis, cùm similia patimur, ut dici solet: παθήματα μαθήματα.

Vsitatum est autem in talibus querelis, & indignationibus miscere imprecationes, ut hîc fit in aliquibus uersibus: *PERDE DOMINE LINGVAS EORVM, DESCENDANT IN INFERNVM VIVENTES.*

Nec anxiè quærendum est quo ordinè hæc κετλιασικὰ recitentur, in quibus hoc ipsum magnitudinem doloris indicat, quòd sine singulari cura ordinis erumpunt uariæ affectus, nec opus est de hac quæstione disputari: An liceat mala imprecari hostibus. Precatur reprimi impia consilia. Deinde in personis discrimen est, sanabiles optat cōuerti, sed blasphemos optat deleri, sicut in Psalmo 119. Dilexit maledictionem, & ueniet ei.

Mixtæ sunt etiam gratiarum actiones: gratiarum actio est, in qua fatetur exaudītos esse clamores suos, quod ideo narratur, ut Dei gloria celebretur, & multi in Ecclesia confirmentur, sicut sæpē suprà dictum est, talia exempla scripta esse, ut simili fide & spe petamus & expectemus auxilium: & propter hanc applicationem insertæ sunt promissiones, ut in hoc Psalmo dulcissimus uersiculus est continens generale præceptum de fide, & promissionem perspicuam: *IACTA SVPER DOMINVM ONVS TVVM, ET IPSE TE SVSTENTABIT, NEC DABIT IN ÆTERNVM FLVCTVATIONEM IVSTO.*

Hunc uersiculum infigamus animis, sed ita ut ad nos quoq; pertinere eum discamus, & hoc præcepto commonefacti, fide & spe curas nostras leniamus, credamus nos recipi & exaudiri à DEO, speremus & expectemus auxilium, quod cùm faciemus, experiemur reipsa hanc fidem & spem non esse irritam.

Vt autem sæpē aliâs monuimus, in his concionibus de fide, sciendum est quid sit fides & quomodo iusti reputemur, ne hæ consolationes excutiantur animis falsa persuasione de iusticia legis; Idem hîc moneo, iustos dici omnes conuersos

conuersos ad Deum, qui in uera pœnitentia credunt se propter filium Dei gratis recipi, & hæc fides præluceat petitioni auxilij, nec deterreri te sinas cogitatione tuæ indignitatis, sed sicut instat Cananæa, ita & nos perseueremus in fide, petitione, & spe auxilij, sicut hîc dicit: *VESPERE, MANE, ET MERIDIE PETAM GEMENS.* Item, *EGO IN TE SPERABO.* Hæc exercitia fidei & spei in usu discenda sunt.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi LVI.

MISERERE MEI DEVS, QVONIAM CONCVLCAVIT ME HOMO, TOTA DIE IMPVGNANS TRIBVLAVIT ME &c.

SEquens Psalmus accommodatur ad historiam Dauidis, quæ extat in primo libro Samuelis capite uigesimo nono, ubi narratur Dauidem, cùm fuisset exul apud Achis in Gath quatuor mensibus, postea ueniisse in odium Principum, & iussum à rege discedere. Etsi autem breuissimè in narratione illa significatum est odium Principum: tamen consentaneum est multos in aula Dauidi infidiatos esse, quia præsertim peregrini hominis, & exulis excellenti uirtuti multi inuident, ut in aula Persica multi de fide Themistoclis uiri sapientis & uirtute præstantis malè loquebantur, quia dicebant, cauendum esse hunc Græcum quia esset uarius serpens. Et omnes sciunt usitatum esse malè suspicari multos de exulibus, idq; magis fit ubi religionum dissimilitudo est: ardentiora enim odia sunt de re tanta. *LVI. Psal. pertinet ad historiam Dauidis in 1. lib. Sam. cap. 29.*

Deinde etiamsi inter hospites impios cætera mediocria essent, tamen hęc tristissima sunt, abesse à pijs cœtibus Ecclesiæ, non audire colloquia piorum, imò in aulis audire contumeliosas uoces contra Deum & populum Dei, audire sarcasmos eorum, qui lætantur calamitate exulis, qui se profitetur ueri Dei ministrum esse.

Cùm igitur multas & tristes iniurias & contumelias tacitus ferret, hîc in titulo nominauit se columbam mutam. Extenuatio esset insignis, si tantùm columbam se uocaret, quia significaret personam, quæ multis iniurijs afficeretur, nec se tueri posset. Nunc addit etiam, se fuisse mutam columbam, ut fuit filius DEI coram Herode, ubi multis modis derisus & exagitatus, omnino tacuit. *Dauid nominat se columbam mutam.*

Facilius autem hic titulus intelligitur, cùm ad nos ipsos eum accommodabimus.

Leuatio est aliqua doloris etiam cùm supplicio adficimur, tamen uoce refutare Tyrannos, & ipsa conscientia alacrior est tunc confessionem sonans: ut cùm Laurentius in rogo iocatur de supplicio. Econtrà uerò crescit dolor, cùm probabili aliqua causa tacere pios oportet, ut filius Dei coram Herode tacet, aut postea in cruce tacitus audit contumeliosa dicta: si filius Dei est, descendat de cruce, & ut ciues Ierosolymorum audiunt blasphemias Rapsacis, aut cùm Dauid audit uociferantem Semeiam: egredere uir sanguinum.

Non obscurum est autem, pijs & generosis mentibus facilius esse mortem ferre, quàm tales contumelias: ita nos hoc tempore sumus columbæ mutæ, obij *Pijs facilius est mortem ferre quàm contumelias.*

tæ: obijciuntur multa conuicia tam plausibilia,ut difficilis sit refutatio, quæ tamen postea tempus refutabit. Quare nunc ea taciti audimus, sed non sine magno dolore. Quando autem respondendum sit,facilè est iudicium:cùm nota est nostra confessio,præterire conuicia possumus.

Psal. est precatio,narratio calamitatis & gratiarum actio.

Hæc de titulo dixisse satis sit. Psalmus ipse initiõ est precatio,deinde narratio calamitatis,postremõ gratiarum actio. Hic ordo in Psalmis usitatus est, & nobis,ut similes Psalmi,proponit exemplum inuocationis,fidei & spei,sicut ipse testatur se defendi & iuuari, quia inuocat, confidit Deo,petit, sperat & expectat auxilium. Ita significat suo exemplo nos defendi & seruari, cũm & ipsi fide petimus,speramus & expectamus auxilium, sicut sępissimẽ inquit,hanc ipsam ob causam se prædicare hæc Dei beneficia,ut alij ad agnitionem Dei,timorem,fidem & spem inuitentur,& expectent similes liberationes,ut Psalmus 34. Accedite ad eum & illuminamini,& facies uestræ non confundentur:Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eripuit eum: & Psalmus nonus, Et sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quia non relinquis quærentes te Domine. Suntq; hæ narrationes exempla promissionum, quæ cùm ostendunt in liberationibus huius uiri promissiones ueras esse,monent ut cæteri quoq; eas ad se pertinere statuant,& fide eas intueantur, petant & expectent auxilium. Hanc doctrinam de applicatione exemplorum sæpẽ repeti oportere in similibus argumentis, manifestum est.

Primus uersus precatio est: *MISERERE MEI DEVS.* Deinde narratio calamitatum sequitur, cui admiscet consolationem, ac ostendit se spe auxilij diuini sustentatum esse, & hanc spem non fuisse irritam. Hanc sententiam aliquoties repetit,ut uersu nono, *QVANDOCVNQVE CLAMO AD TE, ECCE COGNOSCO QVOD DEVS MEVS TV SIS.* Non est,inquit,irrita inuocatio, uerẽ exaudis & iuuas inuocantes te.

Non est irrita inuocatio,

Hæc confessio est propria Ecclesiæ Dei. Nam Ethnici non adfirmant se exaudiri,sed manent in perpetua dubitatione, etiam cùm inuocant, tamen fatentur se dubitare,an à Deo recipiantur aut exaudiantur. Sed Ecclesia Dei affirmat se recipi & exaudiri,ut Moses inquit Deuter. quarto, Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deum præsentem, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Et filius Dei inquit: Petite & accipietis. Item, Quantò magis Pater uester cœlestis dabit SPIRITVM sanctum petentibus.

Et causam fidei & spei in hoc Psalmo recitat, scilicet uerbum Dei, ut in uersu decimo inquit: *CELEBRABO SERMONEM DEI,* quasi dicat, ideõ confido me recipi, ideõ peto, spero & expecto auxilium, quia ipse tradidit nobis promissiones suas, iuxta illud: Ego ero Deus eorum. Item, Inuoca me in die tribulationis & eripiam te. Sic & Psalmus 130. causam fidei suæ & spei recitat: Sustinuit anima mea in uerbo eius, sperauit anima mea in Domino. Ita discamus & ipsi acquiescere in promissione.

Postrema pars est gratiarum actio: *IN ME SVNT DEVS VOTA TVA,* id est,ego uotum facio me celebraturum esse hæc tua beneficia,& hos cultus tu præcipuẽ postulas, inuocationem, fidem, spem, gratiarum actionem,ce-

nem, celebrationem, ut alij quoq; ad agnitionem, fidem, ſpem, & ad ueros cultus inuitentur.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Pſalmi LVII.

MISERERE MEI DEVS, MISERERE MEI, QVONIAM IN TE CONFIDIT ANIMA MEA, ET IN VMBRA ALARVM TVARVM SPERABO, DONEC TRANSEAT INIQVITAS.

ADditum eſt argumentum Pſalmo, ne Dauid periret cũm fugeret Saulem in ſpeluncam. Extat autem hiſtoria luculenter deſcripta 1. Samuelis capite 24. ubi in uno facto multa miranda exempla proponuntur. Dauid enim in extremo periculo diuinitus, mirando modo cuſtoditur, & hic euentus teſtimonium eſt præſentiæ Dei in periculis Eccleſiæ. Deinde in ipſo Dauide inſigne exemplum conſpicitur tolerantiæ, quam pręſtat in reprimenda cupiditate uindictæ. Quanq; enim occaſionem nactus erat interficiendi regem, à quo iniuſtiſſimè uitam ſuam expeti ſciebat: tamen ſe reprimit, nec uult exemplũ prębere poſteritati in populo Dei petendi regna per cædes priorum regum, & Deo commendat iudicium & ſui defenſionem. Ideò & glorioſè defenditur, & hoſtis ipſe laudem iuſticiæ Dauidi tribuit, tametſi non deſinit deinceps etiam exitium machinari.

LVII. Pſalmus pertinet ad hiſtoriã Dauidis 1. Sam. 24.

Intueamur autem in hiſtoria Dauidis & exemplum illud tolerantiæ, & exemplum fidei petentis & expectantis auxilium à Deo, & ſciamus hæc exempla nobis propoſita eſſe, & ea intueamur & ſtatuamus ad nos quoq; pertinere promiſſiones diuinas, & Deum ſic uelle coli, ut fides, ſpes, inuocatio, gratiarum actio in nobis excitentur, & hos cultus ſciamus diſcrimen efficere inter ueram Dei Eccleſiam, & inter Ethnicos, imò inter uerè inuocantes & hypocritas: diſcat quiſq; in ſuis periculis & ærumnis uera fiducia, quod Dauid hîc & ſæpè aliàs inquit: CONFIDIT IN TE ANIMA MEA, ET IN VMBRA ALARVM TVARVM SPERO, DONEC TRANSEAT CALAMITAS.

Experientia autem oſtendit quàm ſit difficilè has uoces uera fiducia ſonare, quia multi obſtrepunt: do iuſtas pœnas meorum delictorum, ideò non eſt petenda liberatio, ſum peccator, ſum indignus, ideò non exaudior. Deniq; etiamſi Deus Dauidi opem tulit, quid hoc ad alios pertinet? ac multò maior eſt eorum numerus qui deſeruntur & abijciuntur.

Hæc argumenta ſæpè interrumpunt & languefaciunt inuocationem, fidem & ſpem. Quare neceſſe eſt in promtu habere ueras & firmas refutationes. Cogitationi de indignitate opponenda eſt immota & æterna uox Euangelij, quòd propter filium gratis credentes recipi certiſſimum ſit. Deinde occurramus & huic dubitationi, an ad nos quoque pertineant promiſſiones.

Quæ ſint opponenda cogitationi de indignitate & particularitate.

Hîc ſit infixa animis ueriſſima doctrina, promiſſionem gratiæ uniuerſalem eſſe,

lem esse, & mandatum Dei æternum esse, ut assentiamur promissioni, et filio Dei debitum honorem tribuamus: et inter præcipua peccata est, non credere promissioni, sicut scriptum est Ioannis 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me.

Corporales uerò ærumnæ aut mitigantur aut tolluntur, ut Psalmo quinquagesimo scriptum est: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & Psal. 144. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate, Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Et de mitigatione inquit Ieremias 11. Corripe me in iudicio, non in furore. Harum promissionum exempla deinde sunt liberationes sanctorum.

Simul autem intueamur & promissiones & exempla, & uera fide statuamus nos recipi propter filium Dei, gratis, sicut recepti sunt Aaron, Dauid & alij. Vera etiam spe mitigationem pœnarum expectemus, tuos gemitus etiam uerè respicit Deus, tibi uult mitigare calamitates: nec tribuamus Deo προσωποληψίαν, sed sciamus æqualem esse omnibus uera fide inuocantibus.

Hæc doctrina de promissionibus, fide & spe semper luceat in mentibus, & quoties in Psalmis petimus, ut nostri misereatur Deus, intueamur promissiones, & statuamus misereri eum nostri propter filium gratis, & misericordiam uniuersaliter omnibus promissam esse.

Hæc applicatio Psalmorum ad nos ipsos, in uera inuocatione plus lucis adferet, quàm prolixi commentarij.

Psalmus hic est precatio et gratiarum actio.

Est autem hic Psalmus precatio, & gratiarum actio. Primus uersus est precatio: *MISERERE MEI DEVS*, & additur confessio fidei, ut sciamus quomodo accedendum sit ad Deum, & quomodo impetretur auxilium, uidelicet fide, quæ est fiducia intuens promissionem Dei, & propter eum ad Deum accedens. Et dulcissima metaphora pingit defensionem: *TEGI ME CONFIDO VMBRA ALARVM TVARVM*, sicut gallinæ pullos abscondunt & tegunt.

Tertius uersus initium est gratiarum actionis. Narrat enim liberationem præsentem, & inter narrandum crudelitatem hostium amplificat, & in quarto uersu nominatim exprimit, qui sint sæuissimi & nocentissimi hostes, uidelicet calumniatores, qui causam miserorum improbant, & populo persuadent, iustam & necessariam seueritatem erga eos exerceri.

De his calumniatoribus loquitur cùm ait: *DENTES EORVM HASTA SVNT, ET LINGVA EORVM GLADIVS ACVTVS.* Nam spoliari opinione iusticiæ, acerbior dolor est, quàm spoliari uita, ut de Dauide spargebatur opinio, iniustè eum facere qui regnum à familia regia in sese transferre conaretur, id crimen graue & speciosum fuit, & multos in populo qui benè uolebant Dauidi, perterrefecit, ne eum defenderent, quia refutatio difficilis erat. Sic sæpè aliâs Ecclesia dissentiens à summis imperijs, dicitur esse seditiosa, & propter communem pacem opprimenda. Durissimum autem est moderatis hominibus sustinere hoc probrum, quòd sint seditiosi, inimici ciuilis concordiæ & pacis, & quòd dilacerent Ecclesiam sine ueris & magnis causis, quòd sint κτισμαλικοὶ, faces dissidiorum & bellorum, & dissipatores generis humani.

Deinde

Deinde atrocius etiam est crimen hæreseos, cùm hypocritæ clamitant nos Deum contumelia afficere, corrumpere doctrinam, abolere necessarios cultus Dei, excogitare idola, sicut utrumq; crimen filio Dei obijciebatur: blasphemiam obijciebant cùm dicerent: filium Dei se facit: de seditione speciosior accusatio erat apud Pilatum: Qui se regem facit, hostis est Cæsaris.

Sunt autem hæc duo crimina omnium atrocissima & summa, blasphemia & seditio. Primam decalogi tabulam delet blasphemia, secundam tabulam euertit seditio. Quare necesse est omnes primùm summa uigilantia curare, ut rectè sentiant, nec contumelia afficiant Deum applaudentes falsis opinionibus. Deinde ne quid seditiosè faciant. Cumq; mens rectè sentit & nihil facit seditiosè, magno deinde robore fidei opus est ne deficiat à ueritate, cùm hæc crimina obijciuntur. *Duo crimina omniũ summa blasphemia et seditio.*

Sæpè igitur uox diuina nos consolatur, ut Matth. 5. dicitur: Beati eritis cùm dicent aduersus uos propter me, omne malum mentientes. Et Esaiæ 51. ne timeatis probra hominum.

Reliqui uersus usq; ad octauum, pertinent ad narrationem periculorum & liberationis.

Octauus uersus est gratiarum actio: *EXVRGE GLORIA MEA*, & est Metonymia. Nam Citharam uocat suum decus, sicut Musico ornamentum est Cithara, qua canit laudes Dei. Sæpè autem dictum est hos Psalmos ideò scriptos esse, ut beneficia Dei celebrentur in Ecclesia, & his exemplis liberationum inuitentur alij ad ueram agnitionem Dei, ad fidem & inuocationem. Ideò inquit: *CONFITEBOR IN POPVLIS DOMINE*, scilicet ut te agnoscant & ipsi, & tibi uerè credant, te inuocent, te timeant, tibi obediant, tuo uerbo assentiantur, te celebrent propter misericordiam, agnoscant te præsentem adesse inuocantibus.

In fine additur precatio, qua petit ut Deus ipse suę gloriæ assertor sit, quia ad hunc finem ultimum, omnes liberationes, & omnia beneficia referēda sunt, ut Deus uerè agnoscatur & uerè celebretur.

Duplex autem petitio in hoc uersu est, ut nobis opem ferat propter suam gloriam, deinde ut ipse sit assertor suæ gloriæ, quia cùm ex euentibus multi iudicent, & propter nostras calamitates de doctrina malè sentiant, nec tamen possimus factis reprimere potentiam mundi: petendum est ut Deus ipse refutet hæc iudicia impiorum, & ostendat nos sibi curæ esse, & doctrinam esse ueram sicut ipse Deus fuit assertor suæ gloriæ tandem represso Pharaone, atq; ita post afflictionem ostendit sese inuocantibus, & impiorum iudicia refutat.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO
Psalmi LVIII.

NVNQVID PLANE MVTI ESTIS VT IVSTICIAM LOQVAMINI, ET RECTE IVDICETIS FILII HOMINVM? &c.

GEneralis obiurgatio est hostium Euangelij, qui superbè, petulanter, pertinaciter, & contra conscientiam defendunt errores, & conantur delere ueritatem,

LVIII. Psal. generalis obiurgatio hostium Euangelij errores defendentium contra conscientiam.

ueritatem, & opprimere ueram Christi Ecclesiam, ut Pharao sæuiebat in Israëlitas, Saul oderat Dauidem, Herodes interfecit Baptistam, Pharisæi machinati sunt exitium Christo. Denicq; omnes ætates aliqua habent insignia exempla. Nunc immani odio ueritatis ardent Principes sacerdotum, & Monachi & eorum satellites, & multos crudelissimē trucidant. Mirum est autem, cur, cùm manifesta sit ueritas, non credant, sed superbē & pertinaciter defendant manifesta uicia, & delere uocem Euangelij conentur: unde est tantus in hominum animis furor?

Furor impiorum est à propria ipsorum uoluntate.

Initia sunt à propria uoluntate impiorum, qui etiamsi audierunt doctrinam de Deo, & uiderunt manifesta testimonia, tamen aut uolentes assumunt Epicureum contemtum Dei, ut Cain, Pilatus & similes, aut quia existimant Euangelium non congruere ad retinendam autoritatem, opes, potentiam, uolentes pugnant ut suum statum (sicut uocant) tueantur, & deleant doctrinam quæ aduersari uidetur.

Sic Iudæi cùm existimarent propter Euangelium suam politiam ruituram esse, quæ fuerat expressa uoce Dei & manifestis testimonijs diuinis constituta, nec erat alia pulcrior politia in toto genere humano acerrimē aduersabantur doctrinæ mutanti usitatos cultus. Ideō crudeliter sæuiebant in Christum, & Apostolos, & hoc prætextu confirmabantur, politiam talem à Deo constitutam, nequaquàm mutandam esse. Ita nunc odijs ueræ doctrinæ prætexuerunt hanc causam, quæ uidetur esse speciosa. Episcopi, & Canonici dicunt nullam mutationem in tam ueteri politia Ecclesiæ concedendam esse, nec tantùm de politia ipsa dimicant, sed de sua potentia, opibus & uoluptatibus. Cùm autem his modis & similibus homines impij sua sponte, & uolentes inceperunt Deum contemnere, ac bellum ei inferunt, accedit Diabolus, qui, ut de Iuda dicitur occupat corda eorum, & odio Dei, ut multos homines perdat, horribiliter confirmat incoatos furores, ut Neronem, Caligulam & innumerabiles impulit ad scelera, ā quibus alioqui natura, non incitata à Diabolo, prorsus abhoret, nec aliud maius, tristius aut atrocius malum est omnium malorum, quę hominibus accidere possunt.

Ad furores impiorum accedit Diabolus.

Quare & in descriptionibus Propheticis & in ipsis exemplis, ut in Iuda, Nerone & similibus consideranda est magnitudo huius mali, ut Deum ardentibus uotis oremus, ne sinat nos fieri uasa iræ, sed corda nostra propter filium, suo Spiritu sancto regat, ut uerē agnoscamus, & reuerenter amplectamur eius doctrinam, & accendat in nobis lucem, & obedientiam ipsi placentem.

Voluntas etiam nostra piē quærat doctrinam à Deo traditam, & ei assentiatur, & eam anteferat omnib. rebus humanis, & priuatis affectibus, nec quęrat in ipsa doctrina fucosas errorum excusationes: Nā id studium est initium auersionis à Deo, sicut in Heua curiosa disputatio de præcepto Dei, cui reuerenter creaturam obedire oportuit, & paulatim amor mendaciorum, & Sophistices longius abducit mentes à Deo, ut accidit ualdē multis nostro tempore, in quibus creuit horribile odium ueritatis, cùm initiò sophismata quæsierint ad excusandos aliquos tetros errores, ut consuetudini, quæ ipsis quacunq; de causa grata est, patrocinarentur.

Est itaq; hic Psalmus obiurgatio impiorum, satis atrociter amplificata per

per gradus scelerum, circumstantias & similitudines. Ad obiurgationem uerò accedunt precatio, & comminatio, seu prædictio de pœnis impiorum. Est igitur Psalmus generis suasorij, quia obiurgat hostes, & pœnas eis minatur, interea & Deum precatur, ut reprimat tales hostes quorum potentiam, rabiem & genus belli describit, cùm nominat leones & dentes molares. Significat enim & potentes esse, & rabiosos, & lacerare dentibus, id est, crudelissimis criminationibus miseram & oppressam Ecclesiam.

Obiurgatio impiorũ coniuncta cum comminatione pœnarum.

Primus uersus est obiurgatio ab imo gradu exordiens, scilicet ab iniusto silentio. Peccant qui metu aut assentatione tacent, sed multò plus peccant, qui palàm, petulanter & pertinaciter ueritatem oppugnant. Ad hos per gradus accedit, ac initiò dissimulationem & silentium iniustum taxat.

Secundus uersus accusat petulantiam & pertinaciam. Cùm enim cordis & manuum mentionem faciat hic uersus, significat cupiditatem nocendi, & audaciam in exequendo, sicut Doëg & odio Dauidis ardebat, ac nocere ei cupiebat, & cùm sine timore Dei esset, audacissimè conabatur eum opprimere, & hospites eius sacerdotes, & sanctas eorum coniuges crudeliter interficiebat.

Tertius, quartus & quintus uersus sunt amplificationes inueteratæ maliciæ confirmatæ tempore, & pertinaciæ inflexibilis: ac similitudo aspidis inseritur, quam dicit infodere caput suum in terram, ne audiat incantationem, quã si audiret, eriperetur ei uis nocendi.

Congruit autem ad hostes Euangelij pars similitudinis, uidelicet de auriũ obstructione. Vt enim Pharisæi nihil mouentur resuscitatione Lazari & similibus perspicuis testimonijs: ita multi alij furentes nec doctrinam ipsam, nec testimonia ulla audire uolunt, sed ardentes odio manent in sententia. Hæc eodem modo nunc fiunt ab Episcopis & Monachis, ut tunc â Pharisæis fiebant, horum certaminum in mundo consideratio illustrat Psalmos.

Hæc igitur intueamur, & sciamus multos Psalmos prędictiones esse taliũ agonum, & simul proponere consolationes.

Sextus uersus precatio est inserta post obiurgationem: *DEVS CONTERE DENTES ILLORVM, MOLARES LEONVM CONFRINGITO.* Hæc metaphora significat potentiã, & sæuitiã hostiũ & genus belli, quòd uidelicet laceratur Ecclesia iniustis criminationibus, quæ bonis mentibus maiorem dolorem adferunt, & tamen hi quoque accedunt.

Septimus & 8. uersus addunt comminationem, & prædictionem pœnæ, in qua prædictione describuntur irriti conatus quinq; similitudinibus: *DIFFLVENT VT AQVA, DIRIGENT SAGITTAS contra ECCLESIAM, NEC FERIENT EAM,* quod ad summam rei attinet, non perficient hoc quod conantur. Etsi crudeliter grassantur Diocletianus, & eius collegæ, et deuoraturi uniuersam Ecclesiam uidentur: tamen in medio cursu sæuitia eorum reprimitur, & liberatur Ecclesia. *ARESCENT VT COCHLEÆ, PERIBVNT VT ABORTIVVM: AVFERENTVR VT TENERÆ SPINAE PRIVSQVAM MATVRVERVNT,* quod in textu sic dicitur: *PRIVSQVAM SPINAE VESTRAE FIVNT RHAMNI,* id est, priusquam teneræ

spinæ

Rhamnus ſpecies ſpinæ.

ſpinæ fiunt grandes, & aculeatæ. Nam Rhamnus ſpecies eſt ſpinarum, ac frutex grandis, & aculeos habet multò longiores cæteris ſpinis, unde uulgò dicitur eius fruticis ramis coronatum eſſe Chriſtum. Nunc in Italia nominant Rhamnum, uuam criſpam, & baccas habet, quę in Germania uocantur **Kreiſſelbeer.**

Veterum ſuperſtitio finxit prodeſſe rhamni uirgas contra faſcinationes, & incubos ſeu ephialtas, qui dormientibus faciunt compreſſiones pectoris, ideò Nicander addit epitheton rhamno, ἀλεξίαρον ῥάμνον, id eſt, rhamnus depellens diras imprecationes.

Apud Ouidium & ſtryges depellere dicitur, quòd eò recenſeo, non ut ſuperſtitionem confirmem, ſed ut hac Grammatica enarratione uocabulum fiat notius. Venit autem mihi in mentem hæc recitanti, eas ſpinas, quib. filius Dei coronatus eſt, uerè medicamentum eſſe contra faſcinationes, id eſt, arceri ephialtas, hoc eſt, diabolos, cogitatione dolorum filij Dei.

Transferunt nomen rhamni, alij negligentiores ad ſpinam albam, quam uocant carduum Mariæ, quæ ſpina nobis notior eſt, & magni uſus eſt contra pleuritidem. Sed de appellatione monuiſſe ſatis ſit. Cęterùm hoc addam, apud Dioſcoridem extare id nomen Hebraicum Rhamni, quod hîc in Pſalmo exstat.

Duo poſtremi uerſus ſunt prędictio liberationis piorum, quæ fit integrè poſt hanc uitam: Sed ut ſemper etiam in hac uita remaneat in genere humano aliqua uera Dei Eccleſia, etiamſi multi interficiuntur, tamen cœtus aliquis ſeruatur uelut exercitus, in quo in hac mortali uita multæ cernuntur gloriosæ liberationes, ut Iſraël liberatur deleto Pharaonis exercitu, Saul tollitur ē medio, ac poſtea Dauid ad regnum euehitur: tolluntur ē medio Maximianus, Diocletianus, Lycinius, & aliquantiſper regnante Conſtantino, Eccleſiæ tranquillitatem habent, tanquàm dies Halcyonios.

In exemplis iuſticiæ Dei contra hoſtes Eccleſiæ ſigna proponuntur futuri iudicij.

In his autem exemplis iuſticiæ Dei cùm hoſtes tolluntur, ſigna proponuntur futuri iudicij: ut Pharaonis interitus nondum eſt præcipua & æqualis pœna impietatis, ſed commonefactio eſt de uniuerſali iudicio, & de ira Dei ad uerſus omnes Pharaoni ſimiles. Interea autem cauſæ finales ſunt, cur aliqui Tyranni ē medio tollantur, ne funditus Eccleſia deleatur, item ut pij confirmati his liberationibus, agnoſcant ſe Deo curæ eſſe, ſe exaudiri & puniri impios, ac Deo laudem iuſticiæ tribuant. Ideò in fine addit: *ET DICET HOMO, VTIQVE EST FRVCTVS IVSTO, VTIQVE EST DEVS IVDEX IN TERRA.*

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Pſalmi LIX.

ERIPE ME DE INIMICIS MEIS DEVS MEVS, ET AB INSVRGENTIBVS IN ME LIBERA ME.

LIX. Pſalmus & narratio hiſtoriæ Dauidis eſt, q̃ extat 1. Sam. 19 & uaticinium de paſſiõe Meſſiæ & pœna Iudæorum.

ETſi aliqui diſputant non ſemper congruere titulos cum Pſalmorum argumentis, ut hic Pſalmus de ultimo Iudæorum exilio magis propriè concionatur, quàm de Dauidis hiſtoria: tamen mihi non diſplicet Pſalmum etiam ad titulum accommodari. Simul enim & narratio hiſtoriæ eſſe poteſt, & typus ac uaticinium de futura Meſſiæ paſſione, & pœna Iudæorum, quia Abel, Iſaac, Ioſeph &

seph & similium afflictiones, fuerunt typi passionis filij Dei, & hi intelligebant Deum uelle Ecclesiam subiectam esse cruci: & fore aliquam similitudinem capitis & præcipuorum membrorum, uidelicet filij Dei, & summorum Patrum, Prophetarum, Apostolorum & aliorum, quorum constantia in confessione fulsit.

Accommodat autem titulus hunc Psalmum ad liberationem Dauidis, quæ recitatur in lib. 1. Sam. 19. ubi scriptum est, milites à Saule missos esse ad domum Dauidis, ut inde eum ad Saulem adducerent, sed monitum Dauidem à filia Saulis, abdidisse se in latebras priusquàm milites redirent: ac tota illa historia illustre exemplum continet, quod docet sæpè diuinitus tegi, defendi & seruari homines in extremis periculis, cùm desunt humana præsidia & auxilia.

Discenda est igitur hæc ipsa historia sicut doctrina promissionum, & cogitatione huius exempli confirmanda est fides, & inuocatio excitanda, ut in periculis confessionis, & aliàs petamus, & speremus defensionem & auxilium, etiam cùm sumus destituti à causis secundis. Ad hunc usum in inuocatione & hic Psalmus & alij compositi sunt, quorum sententia erit perspicua, cùm fide & spe similiter auxilium expectabimus.

Est autem hic Psalmus, ut multi alij similes, precatio & gratiarum actio.

Inserta est autem narratio, in qua accusat iniustam crudelitatem inimicorum, & affirmat se innocentem esse.

Cur prædicet Dauid innocentiam suam cùm nemo sit sine peccato.

Hîc repetenda est quæstio, de qua suprà in Psalmo septimo dictum est, ubi etiam prædicat Dauid suam innocentiam, cùm nemo sit sine peccato, an sit utendum hac commemoratione innocentiæ, cùm quidem alibi dicat ipse Dauid: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur coram te omnis uiuens.

Iusticia bonæ conscientiæ.

Facilis & plana explicatio est: Duplex est iusticia, alia bonæ conscientiæ, alia personæ. Iusticia bonæ conscientiæ est habere propositum rectè faciendi, & scire causam quam defendimus ueram, iustam & necessariam esse. Talis iusticia potest etiam in Ethnico esse, ut Papinianus nolens excusare parricidium Imperatoris Bassiani, bonam conscientiam habuit, ac gloriari potuit se iniustè ab Imperatore interfici. Ita & Dauid habebat iusticiam bonæ conscientiæ, omnia faciebat fidelis ministri officia, nec appetebat regnum, nec offendere aut lædere regem in ulla re cupiebat, sed rex inuidens gloriæ ipsius, & se obscurari dolens, oderat eum, & è medio tollere conabatur.

Iusticia personæ.

Alia est iusticia personæ, id est, approbatio non tantùm causæ, uel conscientiæ in certis factis, sed totius personæ coram Deo, quæ etsi causam bonam, aut conscientiam bonam habet, tamen habet alia uicia aut peccata: ut Papinianus habet causam bonam, tamen ignorat uerum Deum. Non igitur persona iusta est coram Deo. Sic etiam Dauid etsi causam habet iustam, tamen multos uiciosos affectus alios habet: non ardet dilectione Dei quantum debet, habet uiciosas flammas cupiditatum multas, ideò fatetur se non esse iustum coram Deo, propter suam munditiem, sed per misericordiam propter mediatorem. Sic fit persona iusta. Huc pertinet dictum: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, scilicet quòd ad iusticiam personæ attinet.

Certum est autem iusticiam bonæ conscientiæ omnibus necessariam esse,

Iustitia bonæ conscientiæ omnibus est necessaria erga Deum & homines.

& in primis in controuersijs doctrinæ, & in confessione necesse est nos certissimos esse, quòd doctrina quam amplectimur, uera & necessaria sit, quia Ecclesia non est turbanda falsis opinionibus, aut non necessarijs rixis.

Hîc oportet nos omnes hunc ordinem obseruare: Primùm agnoscamus coram Deo fide, id est, misericordia Dei propter mediatorem, recipi personam. Postea sciamus Deo etiam placere obedientiam in bonæ causæ defensione iuxta uocationem, & ibi ut possis inuocare Deum & petere auxilium ad defendendam causam, etiam Deo proponis iusticiam causæ, quia non est petendum ut causas iniustas Deus adiuuet, & ipse promisit se iustis causis, & præsertim suæ doctrinæ, opitulaturum esse, quæ cùm iudicijs humanæ sapientiæ improbetur, non potest sine auxilio diuino uincere. Talis gloriatio bonæ conscientiæ in reconciliatis etiam Deo placet. Ideò Paulus inquit: Hæc est gloriatio nostra, testimonium conscientiæ nostræ.

Deinde aduersus homines necessaria est commemoratio bonæ conscientiæ, quia est confessio in causa uera & iusta, & confirmat pios. Ideò rectè utitur Dauid commemoratione bonæ conscientiæ coram Deo, & aduersus homines.

Primi duo uersus sunt propositio, quæ est precatio: *ERIPE, PROTEGE ET SERVA ME.*

Tertius uersus narratio est periculi, amplificata commemoratione bonæ conscientiæ, quæ, ut diximus, in causa quam defendimus necessaria est corã Deo & hominibus. Nam à Deo petendum non est, ut adiuuet causas iniustas & defensionem errorum & mendaciorum, sed simus certi nos tueri causam iustam, & propagare ueram & necessariam doctrinam.

Hæc cùm in conscientia certò constituta sunt, accedamus ad Deum, & ab ipso petamus, ut iusticiæ & ueritati opem ferat. Vt in prima Epistola Ioannis cap. ult. dicitur: Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quòd si quid petimus secundum uoluntatem eius, audit nos.

Deinde & coram hominibus necessaria est asseueratio bonę conscientię, ut sciant homines, nos ueram & necessariam doctrinam defendere, Ideò hîc dicit: *NON EST TRANSGRESSIO MEA, ET NON EST PECCATVM MEVM:* id est, huius sceleris quod mihi tribuunt hostes non sum reus, non sum seditiosus, non appeto regnum. Et Christus eiusq; Apostoli dicebant: non sumus blasphemi, non spargimus errores, sed ueram doctrinam propagamus.

In quinto addit imprecationem tristissimam contra hostes: *NON MISEREARIS CONTVMACITER DELINQVENTIVM: DISCVRRANT VT LATRANTES CANES.*

An liceat maledicere inimicis & quatenus, et in quibus causis.

Hîc quæstio est, cùm scriptum sit: benedicite maledicentibus, an liceat maledicere inimicis, ut sæpè fit in Psalmis, & totus Psalmus 109. talis imprecatio est: Perdat de terra memoriam eorum, &c.

Respondeo, uniuersaliter hæc quatuor membra uera sunt. Primùm causa quam blasphemi tuentur, seueriſſimè damnanda est.

Secundò, ipsi etiam blasphemiarum propagatores damnandi sunt, cùm peccent peccatum ad mortem, hoc est, pertinaciter perseuerent in scelere.

Tertiò, cùm sine auxilio Dei uincere ueritas non possit, necesse est à Deo petere

petere, ut ipse reprimat errores, & errorum propugnatores. Hæc precari est maledicere impijs, & tamen ualde pia & necessaria precatio est.

Quartò, tales maledictiones in Prophetis legantur non tantùm ut humanæ indignationes, sed potius ut uox Spiritus sancti, ferentis ultimam sententiam de blasphemis, & consolantis Ecclesiam, ut sciat ueritatem uictricem fore, & Deum repressurum & extirpaturum esse impia dogmata & blasphemos eorum propugnatores. Hæc consolatio cùm necessaria sit Ecclesiæ, sæpè repetitæ sunt maledictiones, quæ quidem scriptæ sunt magis ad consolandos & confirmandos pios, quàm ad sanandos impios, qui eas non legunt.

Benedicite maledicentibus, scilicet nō blasphemis sed sanabilibus.

Postquàm autem dictum est rectè maledici blasphemis, iam & de altero dicto respondebo: Benedicite maledicentibus, scilicet non blasphemis, sed sanabilibus. Semper enim in corpore quod aduersatur Ecclesiæ, dissimiles sunt homines, alij sunt sanabiles, alij blasphemi, sicut & Paulus Rom. 10. & 11. discernit Iudæos sanabiles & blasphemos.

In uersu septimo significat quale sit bellum, cùm inquit: *IN LABRIS HOSTIVM GLADIOS ESSE*, significat enim oppugnari ueritatem mendacijs, calumnijs, præstigijs Sophistmatum, prorsus ut nunc ueritas oppugnatur.

In uersu nono miscet precationem, cùm hostium potentia grassatur: *EGO TE OBSERVABO, AD TE CONFVGIAM*, à te auxilium expectabo, quasi dicat: magni sunt agones & aliquantisper blasphemi regnant, & ueritatis propagationem impediunt, sed tali tempore, inquit, non frangar desperatione, scio aliquantò pòst rursum emersuram esse ueritatem.

In uersu undecimo pœnæ atrocitatem describit: *NE OCCIDAS EOS, NE OBLIVISCATVR POPVLVS MEVS.* Hæc uerba significant Psalmum uaticinari de dispersione gentis Iudaicæ facta post excidium Ierosolymæ.

Duo postremi uersus sunt gratiarum actio, quæ recitatur ut Dei gloria celebretur, & ut multi confirmati hoc exemplo in similibus periculis petant & expectent auxilium, & discant Deum uelle hac fide & spe coli.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi LX.

DEVS REPVLISTI NOS ET DISPERSISTI NOS, IRATVS ES, REVERTERE AD NOS &c.

LX. Psalmus gratiarum actio est continens narrationem insignium uictoriarum.

MAnifestum est hunc Psalmum gratiarum actionem esse, & tanquam ἐπινίκιον, in quo narrantur insignes uictoriæ: & expressa antithesi asseueratur, causam uictoriæ non esse solam aut præcipuam hominum consilia, multitudinem, potentiam, industriam, sed auxilium Dei. Ac titulus certas quasdam uictorias nominat, in quibus Dauid potitus est parte Syriæ, & accessit ad Euphratis eam oram, quæ postea nomen habuit Mesopotamiæ, quia sit inter Euphratem & Tigrim.

Constat autem ex narratione in 2. lib. Regum cap. 8. & in 1. Paral. cap. 18. Dauidem potitum esse Damasco, & huic uicina fuit alia pars Syriæ, quam nominant Syriam Soba. Nomen uerò ulterioris oræ ad Euphratem, aut inter

phratem & Tigrim, hoc loco dicitur Syria fluuiorum, scilicet Euphratis & Tigridis.

Hac qualicunq; indicatione locorum contenti simus, & situm Damasci & uicinarum regionum in tabulis contemplemur, ut quàm procul à Libano fines regni protulerit Dauid consideremus.

Cæterùm ἐπινίκιον generale est, & ad insignes uictorias quascunq; accommodari potest. Hoc quoq; in titulo consideratione dignum est, quòd regnum nominat Rosam, Carmen de rosa, id est, de regno, quod ait ornamentum esse, uelut monile aut torquem de collo pendentem.

Carmen de rosa titulus Psalmi.

Hæ figuræ admodum dulces sunt, sed dextrè intelligantur, & rectè accommodentur. Quare hoc regnum nominat rosam & monile? quia hoc regnũ unicum longè superat omnia alia imperia his rebus, promissione diuina tradita manifestis testimonijs, quibus se Deus patefecit. Deinde & lege diuinitus tradita manifestis testimonijs, quibus etiam confirmauit Deus promissiones & comminationes, collectione ueræ & æternæ Ecclesiæ in hoc populo, missione Prophetarum, præsentia & auxilio Dei, modestia disciplinæ, studijs doctrinæ de Deo, & alijs bonis rebus.

Quare antecellat regnum populi Iudaici alijs regnis.

Hæc bona cùm sapientes & pij intuebantur, mirifica lætitia afficiebantur, & gratias Deo agebant, & hæc tanta beneficia celebrabant, & optabant esse diuturna: studebant etiam ea sua obedientia, suis laboribus & exemplis tueri.

In alijs regnis ubi erat ignota uera doctrina de Deo, summa ornamenta erant leges, iudicia, mediocris disciplina, præsidia exercituum, opes. Hæc etiamsi sunt bona, tamen ubi sunt sine uera agnitione Dei, tantùm seruiunt huic mortali uitæ, quæ & breuissima est, & tantùm ad æternam miseriam iter est: nec sunt ille ultimus finis, ad quem Deus & naturam hominum condidit & societatem politicam instituit, & mirandis & multis uinculis copulauit, procreatione, coniugio, officijs educationis, eruditionis, medicationis, gubernationis, defensionis, contractibus & multorum aliorum officiorum communicatione.

Hæc omnia uoluit esse neruos societatis propter hunc ultimum finem, ut in cœtu sonaret doctrina de Deo, & alij alios docerent de Deo, & Deum una uoce multi inuocarent, & ei uerè obtemperarent, & fierent hæredes æternę consuetudinis cum eo.

Cæteris rebus pub. defuit ultimus finis agnitio & inuocatio uera Dei.

Etsi igitur politia Attica, uel Massilienſis, pulcra & disciplinæ custos fuit, tamen defuit ultimus finis, scilicet doctrina uera de Deo, & uera agnitio & inuocatio Dei, quæ iter esset ad æternam consuetudinem Dei. Necesse est igitur anteferri politiam Israël, & iustissimum est lætari tanto Dei beneficio, & ei gratias agere. Quanquam autem & alia regna, cùm in eis sonat uox Euangelij, sunt tales rosæ fragrantes odore cœlestis doctrinæ, ut fuit Aegyptus tempore Ioseph, Babylon tempore Danielis, tamen magnum discrimen est inter politiam Israël, & cæteras omnes. Expressa uoce promisit Deus se seruaturum esse politiam Israël, ut sedes esset doctrinæ: & in ea Prophetas excitauit, & defendit eam manifestis miraculis toto illo tempore de quo promissio tradita est. Nec esse est autem postea & alibi aliquas politias esse hospitia ueræ doctrinæ & Ecclesiæ, sed nulla gens aut ciuitas nunc promissionem habet, quæ affirmet diu ibi mansuram esse ueræ doctrinæ & Ecclesiæ sedem. Genus manet quòd Deus alicubi dat hospitia ueræ doctrinæ & Ecclesię, alibi commodiora, alibi squalidiora,

lidiora,sed ſpecies definiri non poteſt. Fuerunt Athenæ hoſpitium ueræ doctrinæ & Eccleſiæ Dei,cùm ibi Paulus Euangeliũ doceret, & aliquandiu poſtea,nunc funditus deletæ ſunt,& alibi Deus ſedem concedit ueræ doctrinæ & Eccleſiæ. Tantiſper igitur Roſę ſunt ciuitates & Imperia,donec ibi uox Euangeliį ſonat,& diſciplina mediocris eſt,ut nunc ſunt multæ ciuitates Germanię, Noriberga,Argentina: in Pannonia Corona,& aliæ quædam: in Dania Haſnia: in Britannia Londinum, & paſſim aliæ multæ.

Hunc igitur Pſalm. legentes gratias Deo agamus, quòd alicubi accendit & ſeruat ueræ doctrinæ ſtudia, & colligit æternam Eccleſiam, & ardentibus uotis oremus, ut has ipſas,ueræ doctrinæ & Eccleſiæ ſedes diu ſeruet.

Conſilia & auxilia hominũ non ſunt præſidia firma,ſed ad Deum eſt confugiendum

Diſcamus autem ex hoc Pſalmo hanc neceſſariam doctrinam & conſolationem. Primùm ſeruari Eccleſiam etiam in hac mortali uita,& concedi ei hoſpitia à Deo,nec regum aut gubernatorum ſapientiam & diligentiam ſufficere ad Eccleſiam uel politiam ſeruandas aut defendendas. Hæc doctrina ſæpè repetita eſt in Prophetis. Vt negatiua expreſſa eſt his uerbis Pſalmo 33.Non ſaluatur rex per magnos exercitus.Et in dicto Chriſti: Sine me nihil poteſtis facere, id eſt, conſilia priuata & publica ſunt irrita, niſi gubernentur & iuuentur diuinitus. Item,Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem &c.

Sunt & affirmatiuæ promiſſiones expreſſæ, Eſaiæ 46. Ego ſeneſcentem Eccleſiam geſtabo. Et filius Dei inquit: Sum uobiſcum omni tempore uſq; ad conſummationem mundi. Item: Omnes capilli capitis ueſtri numerati ſunt. Commonefacit autem nos hæc doctrina, ne exiſtimemus præſidia firma eſſe hominum conſilia uel auxilia,ſed ut confugiamus ad Deum,&ab ipſo petamus & expectemus gubernationem & defenſionem. Deinde his promiſſionibus et conſolationibus nos ſuſtentemus,ne deſperatione abiįciamus ſtudia & confeſſionem ueræ doctrinæ,ſed cùm ſciamus manſuram eſſe Dei Eccleſiam, perferamus docendi labores,ac ſperemus non fore irritos.

Hac nos conſolatione & Paulus confirmat inquiens: Non erit labor ueſter inanis in Domino. Hanc ipſam conſolationem proponit hic Pſal. inquiens: *IN DEO FACIEMVS VIRTVTEM*, id eſt, Deo iuuante uincemus: *IPSE CONCVLCABIT INIMICOS NOSTROS*. Proponit & exemplum inuocationis, in qua petitur auxilium: *ADIVVA NOS IN TRIBVLATIONE, QVIA VANA SALVS HOMINIS*.

Vſus igitur hic eſt Pſalmi,ut primùm promiſſione nos ſuſtentemus,quæ affirmat Eccleſiam manſuram eſſe,& uictricem fore,& hac ſpe perferamus labores docendi. Deinde ut hoc ipſo exemplo petamus & expectemus auxilium à Deo, nec pendeamus à conſiliįs & præſidiįs humanis, ſed in ueris periculis fide erectæ mentes nitantur Deo.

Hæc de argumento & uſu Pſalmi ſatis ſit monuiſſe, quia narratio & gratulatio eſt ſatis perſpicua. Nunc ordinè uerſus percurram.

In primo uerſu querela eſt uſitata Eccleſiæ,cui opponitur precatio. Semper Eccleſiam delere impiį conantur,& ſæpè duriter eam premunt:ſæpè etiam Eccleſia pœnas propter inſignia peccata ſuſtinet, ut cùm abducta eſt in exilium Babylonicum. Sed inter has ærumnas, Deus tamen mirabiliter ſeruat eã, & repreſſis hoſtibus ſæpè eluctatur. Has ærumnas hîc deplorat,& ſimul petit ac celebrat liberationes.

Eadem est sententia in 2. et 3. uersu.

In quarto uersu tantùm est narratio liberationum, et inserta causa liberationis: *DAS TIMENTIBVS TE SIGNVM, SEV VEXILLVM, QVOD ELEVENT PROPTER VERITATEM*, id est, das uictoriam quæ est signum & uexillum, quo agnoscitur tua præsentia, & quo signo sublato confirmatur fides in cœtu piorum. Vt pij conspecta liberatione in mari rubro lætabantur, & confirmabantur hoc testimonio præsentiæ Dei.

Causa liberationum Ecclesiæ.

Causa igitur est liberationum prima, ut seruetur Ecclesia ne funditus intereat.

Deinde huius liberationis autorem uult agnosci Deus, & sicut præcepit, se inuocari & à se expectari auxilium, ut discamus nos ei curæ esse, nec existimemus aut casu, aut Physicis causis omnia fieri. Ita cùm opem tulit, uult nos fateri se adesse Ecclesiæ, & hac fide & spe confirmata, uult nos in ferendis laboribus docendi, & omnibus periculis confessionis constantiores esse.

Sunt igitur causę finales liberationis, ut dixi, ut seruetur Ecclesia, ut agnoscatur Dei præsentia, & ut fides confirmetur. Sed causa impulsiua in uoluntate Dei est cur iuuet, ut testificetur de ueritate: quia sicut ab initio Deus immensa misericordia edidit promissionem: ita deinde sua bonitate & potentia prohibet, ne uox à se tradita generi humano extinguatur. Videmus Principum furores, & populi stulticiam & negligentiam, & uidemus factas esse mutationes Ethnicarum religionum crebras, ita nec doctrina Euangelij conseruari posset, nisi Deus eam & conseruaret, & subinde restitueret, in hanc sententiam hîc inquit, liberari Ecclesiam ne ueritas extinguatur.

Quintus uersus repetitio est precationis.

Sextus uersus gratulatio est, quæ narrat uictorias, & miscet promissiones diuinas, quia uictoriæ non solùm propter nos ipsos, aut propter nostra commoda expetendæ sunt, sed præcipuè referendæ sunt ad hunc finem, ut plures agnoscant Deum, & fiant membra æternæ Ecclesiæ Dei. Hæ uictoriæ sunt uerè gloriosæ & salutares, quæ & gubernantur promissione diuina, & ad hunc finem referuntur, ut plures Deum agnoscant. Ideò inquit: *DEVS LOQVITVR IN SANCTO SVO*, id est, in sanctuario suo: hoc est, ago gratias Deo qꝙ Ecclesiam condidit, quòd edidit promissionem gratiæ, & hanc inter nos seruat, & nos ad æternã societatem uocat: ago gratias etiam pro hoc singulari beneficio, qꝙ hanc politiam & constituit & seruat, ut sit hospitium doctrinæ, & nobis opem fert in bellis, ne hęc politia deleatur. Hoc duce partior Sichem, id est, hoc duce uincimus & retinemus honestum statũ in oppidis nostris, & uicinis.

Sichem.

Nominat autem Sichem, quia gratior locus est, quòd fuerit hospitiũ Abrahæ uenientis in Canaan. Sita fuit autem Sichem non procul ab urbe Samariæ, quæ multò pòst condita est, sed ut locus aliquo modo cogitari possit, situm contemplemur urbis notæ & magnæ Samariæ, quæ regum domicilium fuit, sed mõs Garizim indicat situm. Certum enim est Sichem ualde uicinam fuisse huic monti, qui ferè in medio terræ Cananææ est, in eo tractu quem tenuit tribus Ephraim. Narrat autem Gen. 12. in Sichem rursus apparuisse Deum Abrahæ, & promissionem repetiuisse. Postea ex cap. Gen. 33. apparet huic Sichem antea nomen fuisse Salem.

Suchot.

Suchot locus est ultra Iordanem ad torrentem Iaboc, ubi Iacob defensus est contra Esau Gen. 33. Est

Est & Gilead mons ultra Iordanem uersus Arabiam, nomen significat aceruum lapidum, quia ibi Laban & Iacob congestis lapidibus, & ueteri more facto monumento fœdus fecerunt, Gen. 31. Gilead.

Cùm autem in his locis Deus manifestè ostenderit se adesse Iacob, præcipuè horum locorum mentionem facit, ut lectorem de testimonijs præsentiæ Dei in Ecclesia admoneat.

MEVS EST MANASSE, ET EPHRAIM FORTITVDO CAPITIS MEI, ET IVDA DVX MEVS. Loca tribuum nota & in conspectu esse discentibus oportet, & cùm sine inspectione tabularum uix intelligi possint, lectorem adhortor ut tabulas semper contempletur, & ad historias conferat. Moab & Edom fuerunt uicinæ regiones in Arabia Petræa post lacum Asphaltitem. Nominat autem Moab lauacrum propter loca irrigua, ibi enim flumen erat magnum Arnon, & quidam alij fluuij.

Philistæa autem regio, penè in opposito tractu sita fuit ad Tyrum & Sidonem, & hi propemodum limites fuerunt regni Dauidis, ad occasum loca propinqua Tyro & Sidoni, & ad ortum ultra Asphaltitem Edom & Moab. Philistæa regio.

In nono & decimo uersu conclusio sequitur: Cùm promissione tua & manifestis testimonijs hoc regnum condideris, spero te mihi ducem fore in loca munita.

In fine repetuntur querela & precatio, sicut subinde in nouis ærumnis exercetur Ecclesia, & assidua inuocatione opus est, ut Filius Dei inquit; *SEMPER ORATE.*

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CX.

DIXIT DOMINVS DOMINO MEO, SEDE A DEXTRIS MEIS, DONEC PONAM INIMICOS TVOS, SCABELLVM PEDVM TVORVM &c.

Saepè dictum est, discernenda esse genera Psalmorum, ut in quolibet magis intelligi possit quid ibi agatur, & singuli ad usum rectè accommodari possint, Et in hac consideratione sciat mens quæ sit propria Ecclesiæ doctrina, & prudenter discernat præcipua capita. Scimus autem duo esse præcipua capita, Legem, & Euangeliũ de redemtore: Et promissio de hoc ipso redemtore statim initiò cũ recepti sunt Adam et Eua, tradita est, et discrimen Ecclesiæ deinceps et aliarum gentium fuit. Hanc promissionem subinde renouauit Deus, et uoluit eam per Prophetas repeti et renouari. Ideò et Psalmi aliquot sunt uaticinia, id est, enarrationes promissionis de filio Dei, ut Psalmus 2. Quare fremuerunt etc. Et Psalmus 44. Eructauit, Et Psal. 71. Deus iudicium tuum regi da &c. Et 110. Dixit Dominus &c. Qui de solo Messia filio Dei loquuntur, & non de Salomone aut alijs regibus, & hi Psalmi sunt narrationes de filio Dei. Genera Psalmorum plura.

Vt aũt promissio postulat fidem, ita sciamus finem esse horũ Psalmorũ, ut eorũ testimonijs accendantur in nobis, & confirmentur, agnitio filij Dei, fiducia acquiescens in filio Dei, uera inuocatio, gratiarum actio, lætitia in Deo,

& incoatio uitæ æternæ, ſicut & ſecundus Pſalmus addit dulciſſimum dictum de applicatione tanquam Epiphonema, Beati omnes qui confidunt in eo. Poſſunt autem referri ad genus demonſtratiuum uel διδασκαλικὸν & ad ſtatum finitiuum, ut hîc quęritur quis ſit Meſſias, quale Sacerdotium & regnum futurum ſit.

Alij Pſalmi ſunt legales, Alij obiurgationes, Alij precationes, Alij conſolationes.

Alij Pſalmi ſunt legales doctrinæ de prouidentia, de bonis operibus, de pœnis impiorum. Alij ſunt obiurgationes, alij ſunt precationes, alij conſolationes, Sæpè miſcentur precationes, conſolationes, & gratiarum actiones. Horũ multi non de ſolo Meſſia loquuntur, ſed ſunt communis uox omnium mẽbrorum Eccleſiæ, & exempla hæc propoſita ſunt tanq̃ promiſſiones, ut nos quoq; eodem modo, eadem fide, auxilium petamus & expectemus. Hæc diſcrimina nota ſint, ut hæc dulciſſima carmina ad uſum accommodari poſſint, & ut ſciamus qui affectus lectionẽ ſequi debeant, Timor Dei, fides, inuocatio, tolerantia in afflictionibus, ſpes auxilij, gratiarum actio, gaudium in Deo. Tales autem Pſalmi ferè pertinent ad genus ſuaſorium, & tamen paſſim admixta eſt doctrina. Hoc diſcrimine & uſu conſiderato multum lucis accedit lectioni. Nec ludendum eſt uarijs interpretationibus, ſed una ſimplex natiua ſententia, quam efficit grammatica, adhibita iudicij dexteritate, retinenda eſt, quod cùm ſit magnam dulcedinem & eloquentiam in his carminibus eſſe intelligemus.

Deſcriptio regni & ſacerdotij Chriſti.

TOtus Pſalmus, Dixit Dominus, Narratio eſt, uidelicet uaticinium & declaratio promiſſionis de uenturo Meſſia, quis ſit, ubi ſe oſtenſurus ſit generi humano, unde ſuam doctrinam in omnes gentes ſparſurus ſit, quale ſit regnum, & quale Sacerdotium. Quia hæ duæ res in gubernatione ſunt ſummæ, Quæ quidem in hoc Meſſia competunt uni perſonæ, & quod mirando conſilio Dei prius ſit paſſurus, & poſtea victor regnaturus, & collecturus Eccleſiam, quàm reſuſcitabit ex morte, & donabit æterna uita, & æterna iuſticia. Hæc eſt ſumma narrationis, iam ut ſuprà monui applicatio conſideranda eſt, Hæc promiſſio fide accipiatur, iuxta dictum in ſecundo Pſalmo, cuius idem eſt argumẽtum, Beati omnes qui confidunt in eo, uel iuxta dictum Ioannis: Qui credit in hunc Meſſiam habet uitam æternam. Statuamus certiſſimè mandatum Dei immotum & immutabile eſſe, ut propter hunc Meſſiam recipi nos à Deo credamus, & donari his bonis, quæ in hoc Pſal. et alibi commemorantur. Hac fide ad Deum accedamus, inuocemus eum, et hanc conſolationem teneamus, nos propter hunc Dominum, et per eum, potentia diuina ſeruari et defendi contra diabolos, et liberari à peccato, et à morte æterna, et donari iuſticia et uita æterna, ſicut ipſe inquit, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Item, Ego uitam æternam do eis. Tales conſolationes intueamur quotidie in inuocatione, in noſtris et communibus periculis, et ſciamus uerè nos ſeruari ab hoc Domino, ſicut Iſraëlitę ſeruantur in mari rubro, aut Ionas in uentre cœti, Et hac fide accendatur inuocatio, et acquieſcamus in Deo, ita ſentiemus nos uerè uiuificari et iuuari. Hæc exercitia magis illuſtrãt conciones Propheticas, quàm longi commentarij. Sed tamen iunioribus argumenta et phraſin indicare utile eſt. Orditur autem grauiſſimè à propoſitione, qua oſtendit unde ſit hic rex et hoc regnum.

Dixit, id eſt, decretum fecit.

DIXIT DOMINVS, id eſt, Deus immenſa ſapientia decretum fecit, et id generi humano patefecit et promulgauit, et ſanxit ut ſit ratum et im-

& immotum, sicut mox addit, Iurauit Deus, Et sic colligit sibi æternam Ecclesiam dicens in genere humano hanc promissionem de filio, Hac uoce discernit Ecclesiam à gentibus.

DOMINO MEO: Hîc nominat regem de quo decretum sequens factum est, intelligatur autem Dominus, solus hic Messias qui est filius Dei, aboliturus peccatum & mortem, & redditurus nobis iusticiam & uitam æternam. Hic est Dauidis Dominus, etiamsi ex eius posteritate nascetur, sed scit Dauid eum esse filium Dei æternum, & iam esse custodem Ecclesiæ, sicut ipse inquit: Antequam Abraham natus est, ego sum. Et Psalmo 71. Ante solem est genitum nomen eius. Et hic ipse Messias postea natus ex uirgine, est Dominus Dauidis, & quia natura Deus est, & quia hæc persona exaltata est supra omnes creaturas, & propter eam nos recipimur, & propter eam redduntur nobis iusticia & uita æterna. *Messias dominus Dauidis.*

Sequitur decretum de regno: *SEDE A DEXTRIS MEIS:* id est, regnato mecum diuina potentia. Hîc affirmat regnum Messiæ non fore mundanam politiam, sed diuina potentia liberaturum esse Ecclesiam à summis malis, à peccato & à morte æterna, quod nulla creatura facere potest. *Sedere à dextris est regnare æquali potentia.*

DONEC PONAM INIMICOS TVOS, SCABELLVM PEDVM TVORVM: id est, ut tibi subijciam diabolos, & omnes hostes tuos, & mala à diabolo orta, peccata, mortem, & inferos. Hæc omnia domari diuina potentia affirmat, inquiens, *VT PONAM.*

VIRGAM VIRTVTIS TVÆ EMITTET DOMINVS EX ZION: id est, Sceptrum regni tui conspicietur in Zion, ibi cernetur oculis hominum & audietur hic rex, & inde sceptrum, id est, Euangelium mittetur ad omnes gentes. Fit Loci mentio quia Deus uoluit certò sciri locum & tempus, ubi & quando Messiam missurus esset. Sed quale regnum erit, omnes ne hunc dominum reuerenter excipient? Nequaquam, sed inter inimicos dominabitur, multi aduersabuntur, sed tamen habebit cœtum aliquem obtemperantem. *Virga uirtutis est sceptrum regni.*

Qualis erit hic cœtus? *POPVLVS TVVS SPONTANEARVM OBLATIONVM,* id est, habebis populum non coactum gladio, sed uerbo collectum, & læto corde amplectentem Euangelium & te spontè celebrantem. Discernit igitur Ecclesiam ab imperijs mundanis, et externam seruitutem à cultibus cordis accensis uoce Euangelij et à Spiritu sancto. *Spontaneus populus, id est, non coactus gladio.*

IN DIE VIRTVTIS TVÆ, id est, tempore uictoriæ tuæ, uel regni tui, id est, quia eris uictor sustinens pœnam pro genere humano, et superabis mortem. Ac tribuitur tibi hæreditas in genere humano, ut habeas Ecclesiam, quæ propter te, tua uictoria, et te seruante erit salua.

IN SPLENDORE SANCTO, id est, in uestitu seu ornatu sancto, id est, hic populus offeret tibi spontaneas oblationes in uestitu sacerdotali. Pictura est summi gradus inter homines, ut summus sacerdos ornatus fuit singulari & mirando modo, ita pingit hunc populum in hoc summo ornatu, significans solam Ecclesiam esse præcipuam partem generis humani, & uerè peculium Dei, & Sacerdotes, sicut Esaias inquit: Vos autem Sacerdotes Domini uocabimini. Principaliter autem hic ornatus significat ministerium Euangelij, confessionem, afflictionem, ac deinde omnia dona Spiritus sancti, & testimonia Euangelij. Vt Paulus circumferens Euangelium, obiectus bestijs, liberatus, *Splendor sanctus, id est, ornatus sanctus.*

resuscitans

resuscitans mortuos, est talis Sacerdos, illa aurea chlamyde ornatus. Meminerimus igitur hîc significari ueros cultus Dei qui sunt in sola Ecclesia, scilicet ministerium Euangelij, confessionem, afflictiones, inuocationem, gratiarum actionem, & cætera dona Spiritus sancti, & testimonia Euangelij.

Ex utero ros generationis, id est, ex uirgine.

EX VTERO MANE VENIT TIBI ROS GENERATIONIS TVÆ, Redit ad personæ descriptionem, Quanquam non reprehendo aliorum interpretationem, tamen quia expressè fit mentio uteri, existimo Dauidem intueri promissiones priores, Semen mulieris conculcabit caput Serpentis. Sicut postea Esaias inquit: Ecce uirgo est grauida. Itaq; & hunc uersiculum interpretor de natiuitate ex uirgine, ueniet ex utero Messias, uidelicet ex uirgine, sed in illa ita concipietur, ut ros matutinus, id est, non nascetur ex uirili semine, sed ut ros cœlestis filius Dei de cœlo missus concipietur in utero uirginis. Ac dulcissima imagine roris, significauit illam mirandam cõceptionem, & copulationem diuinæ & humanæ naturæ. Prædicat igitur hoc immensum beneficium Dei, quòd ipse filius Dei, qui est coæterna imago patris, immenso amore nostri descendit ad nos miserrimos. Huius amoris magnitudine excitentur fides & inuocatio, & confugiamus ad hunc filium liberatorem omnipotentem, sicut ipse dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.

IVRAVIT DOMINVS ET NON POENITEBIT EVM, TV ES SACERDOS IN ÆTERNVM SECVNDVM ORDINEM MELCHIZEDECH: Obserua ordinem narrationis, antea dixit de regno, Messiam diuina potentia regnaturum esse, dixit ubi patefacturus sit initia regni, scilicet in Zion. Nunc addit de Sacerdotio, Tu es Sacerdos &c. Sed orditur à iuramento, sicut suprà exorsus est ab asseueratione, Dixit Dominus: Ita hîc repetit asseuerationem addito iuramento, Iurauit Dominus, nec opus est longa interpretatione, scimus Deo dicenti & promittenti credendum esse, etiamsi non adderet iuramentum, sed ut infirmitati nostræ medeatur, & magis eximat dubitationem addit iuramentum, ut certissimè statuamus promissiones nobis ratas esse, uerè eum uelle nos miseros recipere, remittere nobis peccata, reddere iusticiam & uitam æternam, sicut alibi repetitum est iusiurandum, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Hæc iuramenta opponamus falsissimæ opinioni Monachorum, qui iubent de remissione peccatorum dubitare, intueamur in hæc iuramenta, & sciamus nostra causa edita esse, Non somniemus aliam esse uoluntatem Dei dissentientem ab hac reuelata in promissionibus, & statuamus promissiones ut sonant uniuersales esse, & luctemur, ut earum uoce nos sustentemus, repugnemus dubitationi, & petamus nos iuuari Spiritu sancto, sicut ille inquit, Credo Domine, opem fer diffidentiæ meæ.

De Sacerdotio Messiæ.

Differt sacerdotium Messiæ à Sacerdotio Leuitico duabus rebus.

TV ES SACERDOS: Discernit Sacerdotium Messiæ à Sacerdotio Leuitico duabus differentijs, æternitate, & ministerio Melchizedech. Sacerdotium Leuiticum erat typicum, & desiturum cum politia Moysi, postquam Messias in hac politia exhibitus esset, & sacrificium proprium obtulisset. Ideõ enim tota hæc politia constituta fuit, ut esset certa natio, & locus certus, ubi Messias conspiceretur & doceret, & testimonia de doctrina ederet. Ac Sacerdotium Messiæ perpetuum est, ut postea dicetur: Prius enim exponendum est, quid sit hac differentia significatum, cùm ait: Secundum ordinem Melchizedech.

zedech. Opponitur enim hæc particula Sacerdotio Leuitico, quasi dicat, Messias erit Sacerdos non in ministerio Leuitico, sed talis qualis fuit Melchizedech.

Primùm autem considerent iuniores historiam in Moyse, ubi scribitur Melchizedech regnasse in Salem, & benedixisse Abrahæ. Est autem communis sententia uetustatis, Melchizedech fuisse filium Nohæ Sem, quia tunc uixit, & fuit præcipuus doctor in Ecclesia, testis & custos doctrinę patrum, Quia ante diluuium uixit annos 98. & audiuit multos præstantissimos uiros, & deinde superstes fuit ipsi Abrahæ, annis 35. Hic cùm esset custos ueræ doctrinæ, habuit Ecclesiam etiam quæ eum audiebat, etsi uidit interea magnas dissipationes & calamitates post diluuium, linguæ mutationes, nouum imperium, & idola Babylonis, horrendas libidines & interitum Sodomorum, & alia multa quæ non sunt scripta, sed cogitate quantus dolor in uiro tanto fuerit audire cultus idolorum in Babylone, & alibi. Item in uicinia penè spectatorem esse flagitiosarum libidinum, habitauit enim non procul à Sodomis in Salem. *Melchizedech fuit Sem filius Nohæ.*

Etsi autem duo oppida fuerunt nomine Salem. Alterum quod postea dictum est Hierusalem, situm eunti uersus occasum, à mari mortuo, Alterum situm uersus Aquilonem, quod & Sichem nominatur, non procul à Bethel, Tamen consentaneum est Sem habitasse in eo oppido, quod postea dictum est Hierusalem, quod distabat à Sodomis circiter sex nostra milliaria, & fuit tunc uicinus Hierosolymis Abraham, habitans in Mambre quæ est Hebron, ac filium postea adduxit mactandum in montem Moria, qui est locus in quo Christus crucifixus est. Hæc historica meminisse utile est. *Salem duo oppida fuerunt alterũ postea Hierusalem dictum est.*

Dolores etiam huius uiri Sem consideremus, qui tam multas magnas calamitates uidit, interitum totius generis humani in diluuio, postea linguæ mutationes quæ uarias doctrinas, religiones, & gubernationes pepererunt, uidit initia regni Babylonici, quod magnis cædibus constitutum est, idolorum cultum, libidines & pœnas florentissimarum urbium, Hæc tristia exempla intuentes cogitemus iram Dei, & flectamur ad pœnitentiam, & modestè toleremus miserias nostras, & petamus mitigationem, sicut uox diuina docuit, orate ut possitis effugere uenturas calamitates. Dixi quis, & ubi fuerit Melchizedech, iam dicemus de Sacerdotio. *Dolores Sem.*

Nomen Sacerdotis primùm & principaliter conuenit filio Dei domino nostro Iesu Christo, qui primus Sacerdos tunc statim fuit, quando post lapsum Adæ & Euæ intercessit pro toto genere humano, & obtulit se ad hanc obedientiam, ut pœnam in se deriuaret, & deinde edidit uocem promissionis in Paradiso. *Nomen sacerdotis principaliter conuenit Christo.*

Postea alij qui uero ministerio funguntur, participatione Sacerdotes sunt, quia aliquam partem Sacerdotij Christi administrant, & huius Sacerdotis beneficia distribuunt, ideò teneamus illustre discrimen inter summum Sacerdotem & reliquum collegium. *Ministri uerbi sunt sacerdotes participatione*

Summus Sacerdos est persona immediatè à Deo ordinata ad annunciandum Euangelium, & ad offerendum proprium sacrificium, ad placandum irã Dei, & ad satisfaciendum iusticiæ Dei pro nobis, & ad nos redimendos, ac ad intercedendum pro nobis, & habens promissionem, quòd Deus eum exaudiat, & uerè fiat propicius omnibus pro quibus hic Sacerdos intercedit. Habens mandatũ, ut immediatè ipse per uocem Euangelij æternam Ecclesiam colligat. *Summus sacerdos quid sit.*

Hæc

Quomodo congruat Christo definitio summi sacerdotis.

Hæc definitio propria est summi Sacerdotis, qui est filius Dei redemtor noster, hunc esse ordinatum decreto diuinitatis dictum est in hoc Psalmo, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. Et Psalmo 44. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ propter consortes tuos. Et Esaiæ 61. Spiritus Domini super me, eō quōd unxerit me.

I.

II. Secundō quōd annunciet Euangelium nota uox est, Filius qui est in sinu patris ipse enarrauit nobis. Item, Esa. 61. Ad annunciandum afflictis misit me, ut medear contritis corde.

III. Tertiō quōd offerat proprium sacrificium quo placatur ira Dei, sunt manifesta testimonia, Esaiæ 53. Quia ponet animam suam hostiam pro peccato uidebit semen longæuum. Item Ioan. 17. Ego me pro eis sanctifico, id est, offero. Item, Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Item Rom. 8. De peccato damnauit peccatum. Rom. 4. Traditus est propter delicta nostra. Hebr. 10. Qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.

IIII. Quartō orat pro nobis, ut Iohan. 17. Vbi etiam solennibus uerbis applicat sacrificium pro nobis, inquiens: ego pro eis sanctifico me, & addit precationem, oro non pro eis tantūm, sed pro credituris per uerbum eorum. Item, Pater uolo, ut ubi ego sum, & illi mecum sint. Item serua eos in nomine tuo ut unū sint in nobis. Item Rom. 8. Sedet ad dextram Dei & interpellat pro nobis. Et Esaiæ 53. Pro transgressoribus rogat.

V. Quintō quōd habeat promissionem, quōd exaudiatur, testantur dicta. Ioan. 11. Ego autem sciebam quōd me semper exaudis. Et Hebr. 5. Cum clamore ualido & lacrimis offerens, & exauditus est propter suam obedientiam. Psal. 2. Postula ā me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Psal. 15. Sanctis qui sunt in terra mirificabit omnes uoluntates suas. Esa. 42. Ecce seruus meus sustentabo eum, & electus meus quo delectatur anima mea. Et Esaiæ 53. Voluntas Domini in manu eius dirigetur, Promissio est asseuerans perfecturum esse liberationem generis humani, ad quam mittitur, & Deo grata esse ea, quæ hic Messias agit & petet fieri. Esaiæ 55. Et feriam uobiscum fœdus sempiternum, me firmiter daturum esse misericordiam Dauidi promissam, Quod in Actis citatur hoc modo: Dabo Dauid sancta fidelia, id est, illa bona promissa, dabo ei fideliter & ueracissimē. Ioannis 17. Dedisti ei potestatem omnis carnis, ut det eis uitam æternam. Item Matth. ultimo. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Ioan. 16. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, faciet. Et in hoc Psalmo, Tu es Sacerdos &c. ideō enim ungitur & constituitur Sacerdos ut exaudiatur.

Sacerdotes participatione quid sint.

Constituta definitione summi Sacerdotis iam de membris eius dicemus. Sacerdotes participatione qui sunt membra Christi, & tamen uerē Sacerdotes, sunt omnes accipientes unctionem ā summo Sacerdote filio Dei, Euangelium & Spiritum sanctum, ordinati ad confessionem, ac pro tempore ad ministerium, non offerentes propria sacrificia propiciatoria, id est, ut alijs mereantur reconciliationem, sed sanctificati uno sacrificio summi sacerdotis, habentes mandatum & ius, ut fructum huius sacrificij sibi applicent, & fiducia summi Sacerdotis inuocent Deū, & offerant sacrificia laudis, & habentes promissionem quōd exaudiantur, perferente summo sacerdote nostra uota & sacrificia in sancta sanctorum, id est, in arcanum consilium diuinitatis. Ita dicit Petrus: Vos estis sacerdotium sanctum ad offerendas Spirituales hostias acceptas Deo per Iesum

Iesum Christum. Tales sunt Sacerdotes Adam, Abel, Noë, Sem, Abraham, Esaias, Baptista, Maria, Elizabeth, & omnes sancti, quorum aliqui suo tempore sunt in ministerio, sed omnes uncti & uocati sunt ad confessionem, inuocationem, & ad sanctificationem, accepto fructu sacrificij summi sacerdotis, & ad offerenda sacrificia laudis: ita non obscurum discrimen est inter sacerdotem & ministrum.

Quomodo congruat definitio Sacerdotis ad reliquos credentes.

Iam de partibus definitionis testimonia consideres, quæ dulcissimas consolationes proponunt. De unctione dicitur 2. Cor. 1. Deus qui confirmat nos uobiscum in Christo, & unxit nos, & obsignat dans arrhabonem Spiritum in cordibus nostris. Hîc simul docet unctionem esse donationem Spiritus sancti.

Secundò ordinati ad confessionem, & pro tempore ad ministerium, & ad sacrificia laudis. 1. Pet. 2. Vt annuncietis uirtutes eius, qui liberauit uos ex tenebris. Oseæ 14. Reddemus uitulos labiorum.

Tertiò, Quòd omnes uno sacrificio summi sacerdotis sanctificentur, expresse dictum est, uno sacrificio consummauit sanctos.

Quartò, quòd promissionem habeamus affirmantem nos exaudiri propter hunc summum sacerdotem, manifestè testatur uox Christi, Ioan. 16. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. His consolationibus nos confirmemus, sciamus nos uerè membra esse huius summi sacerdotis, & mandatum Dei esse, ut beneficia huius summi sacerdotis accipiamus, & promissiones ipsi et nobis traditas esse, et uerè nos recipi, exaudiri, sanctificari, et liberari ab ira æterna propter hunc summum sacerdotem. Et mandatum & promissio comprehenditur in his dictis, Ioan. 6. Hæc est uoluntas patris, ut omnis qui credit in hunc filium habeat uitam æternam. Hunc summum sacerdotem agnoscamus semper stare in sancto sanctorum, id est, in arcano consilio diuinitatis, & interpellare pro nobis, nos ipsius cœtum esse, pro quo ipse fuit supplex, & iacuit coram Deo prostratus in suo agone, & placauit iram Dei pœna in sese deriuata, nec dubitemus ipsius lacrimas & gemitus pro nobis exauditos esse.

Sacerdos Typicus quid sit.

Sacerdos Typicus est certus minister ordinatus ad docendam legem, & ad sacrificia ceremonialia, qui tamen simul habuit mandatum, ut legem & ceremonias interpretaretur, & ostenderet signa esse uenturi Messiæ, quod qui faciebant non tantùm Typici, sed etiam uerè sacerdotes erant, sed quatenus legem & ceremonias proponebant, tantùm erant typici Sacerdotes, id est, significabant aliud melius sacrificium, quo homines sanctificarentur.

Christus non est sacerdos Leuiticus, nec Typicus.

SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDECH: Hæc differentia discernit Messiæ Sacerdotium à Leuitico, quasi dicat, Messias erit Sacerdos non Leuiticus, non typicus, non mactans pecudes, non ceremonias legis & condemnationem sonans, non inefficax, sicut Leuitici & Typici Sacerdotes, sed erit sacerdos sonans benedictionem, sicut Melchizedech benedicit Abrahæ. Consideranda est igitur antithesis: Leuiticus Sacerdos erat Typicus, præcipiens legem & ceremonias, & offerens typica sacrificia, & sonans condemnationem, non placans iram Dei, non tollens peccatum & mortem, non reddens iusticiam & uitam æternam. At Messias offert uerum sacrificium & seipsum, placat iram Dei, benedicit nobis, id est, annunciat & donat nobis remissionem peccatorum, & benedictio est efficax, restituit in nobis iusticiam et uitam æternam, colligit, custodit & liberat Ecclesiam, ut in omni æternitate cum ipso Deum celebret.

Ministerium personæ Christi non desinit sicut Leuiticũ.

Vt enim intelligamus Psalmum de bonis æternis loqui, expresse addita est particula, *TV ES SACERDOS IN ÆTERNVM*, quasi dicat, Ministerium Leuiticum cum politia Israël deletur: Sed ministerium personæ Messiæ durat ab initio, deprecatur pro genere humano statim post lapsum & lapsos restituit, orat pro eis, et annũciat eis promissionẽ de semine, & assiduè custodit Ecclesiã, Postea suo tẽpore offert sese, interea semper pro tota Ecclesia intercedit, ut ad Hebræos dicitur: Semper uiuens ut intercedat pro eis, semper colligit Ecclesiam Euangelio & Spiritu sancto, & hæc postea cum eo uiuet in omni æternitate, nam cùm sit perpetuus sacerdos, necesse est eum habere cœtum cuius sit sacerdos. Et adducet cœtum quem collegit ad æternum patrum, & coram eo stabit cum suo cœtu, erit incoator & ἐξαρχὸς gratiarum actionis & laudum, & Ecclesia uocem eius sequetur, & discet ab hoc doctore sapientiam diuinam.

Sacerdotium Messiæ & Typicum res diuersæ.

Sunt igitur illustria discrimina proposita sacerdotij Typici, & huius ueri sacerdotij Messiæ, cùm nominat eum sacerdotem in æternum, & secundum ordinem Melchizedech. Typicum desinit, non tollit peccatum & mortem, non offert ueram uictimam, non reddit iusticiam & uitam æternam, non uiuificat, non sanctificat: At Messiæ sacerdotium erit æternum, offert ueram uictimam, tollit peccatum & mortem, reddit iusticiam & uitam æternam, uiuificat & sanctificat. Hic sacerdos semper nobiscum est, semper colligit & protegit Ecclesiam, & postea in omni æternitate cum sua Ecclesia æternum patrem celebrabit.

Quæ in appellatione Melchizedech continentur.

Eadem dicuntur in appellatione Melchizedech, significat enim hunc Messiam regem esse iusticiæ, id est, qui uerè iustus est æterna iusticia, quam nascens accipit à patre, cùm sit imago æterni patris, uerè placet æterno patri, sicut ipse inquit: Hic est filius meus dilectus, quo delector, & propter eum recipitur Ecclesia, & per eum deleto peccato & deleta morte redditur nobis iusticia æterna. Ita nominatur rex iusticiæ, id est, iustus & iustificans.

In antithesi sacerdotij Messiæ & Leuitici quæ sint præcipuè consideranda.

SECVNDVM ORDINEM MELCHIZEDECH. In antithesi sacerdotij Messiæ & Leuitici, principaliter de persona filij Dei, & de benedictione quæ fit per eum, uidelicet de eius beneficijs, de remissione peccatorum, de restitutione iusticiæ & uitæ æternæ dicendum est. Hanc personam & benedictionem primùm oportet opponi Leuitico Sacerdotio, Multi nec de persona nec de benedictione dixerunt, sed tantùm contulerunt ritus illius temporis & nostri, dicunt Melchizedech obtulisse panem & uinum, & id sacrificium fuisse typum uenturi sacrificij, Hîc primùm iuniores de Grammatica admonendi sunt. Lectio in textu hoc narrat, cùm Abraham redijsset ex prælio cõfecto itinere aliquot dierum, à Damasco usq; ad Hierusalem plus 40. milliaribus nostris, Melchizedech redeuntem excepit & pauit ipsum & eius exercitum, in hanc sententiam inquit: Protulisse eum panem & uinum, Eodem uerò tempore Melchizedech ibi benedixit Abrahæ, & utraq; re significata est Ecclesiæ eius temporis societas, communicatio epularum & hospitij, fuit signum amiciciæ, sed benedictio fuit proprium testimonium consensus de Deo, Quia enim agnoscit Abraham, hunc uirum sacerdotem esse ueri Dei, expetit eius concionem & precationem, & audit promissionem in qua hic sacerdos affirmat uoce diuina: *BENEDICTVS ES ABRAHAM A DEO ALTIS-*

Quæ & ubi fuerit Ecclesia temporibus Melchizedech

ALTISSIMO: id est, Deus uerè tibi propicius est, tu uiuum membrum es Ecclesiæ Dei, te regit & protegit Deus, tu es iustus & hæres uitæ æternæ, Hac uoce confirmatur fides in Abraham, & simul agit gratias uero Deo de uictoria, quæ proderat eius loci Ecclesiæ, & ibi docet & confirmat multos in exercitu.

Ita consideremus quæ tunc & ubi fuerit Ecclesia, & hoc moniti exemplo, discamus Ecclesias debere consociationem quærere, & tueri consensum doctrinæ, communi inuocatione, communi confessione, mutua beneuolentia & officijs, & ut in precatione dicitur, debere unum esse in Deo, non quærere occasiones dilacerationum.

Quare conferatur sacerdotium Messiæ, et sacerdotium Melchizedech

Præterea considerata hac historia & benedictione, uidemus quare in Psalmo conferatur sacerdotium Messiæ ad sacerdotiũ Melchizedech, scilicet propter benedictionem, quæ est, ut suprà dixi, annunciatio gratiæ & æternorum bonorum, & cùm in illo hospitali congressu, multa & dicta & acta sint, ut narratio, quanq̃ breuis, indicat: non est absurdum, ante epulas etiam sacrificium seu libationem factam esse, ut mos fuit, sed hinc non sequuntur illa tetra deliramenta, quæ inde Monachi de Missa extruxerunt. Legamus summorum hominum historias non ut pueri, sed cogitemus de consilio Dei, de collectione Ecclesiæ. Voluit Deus ostendere quolibet tempore, quæ & ubi fuerit Ecclesia, misit illi primæ ætati excellentissimos doctores, hos uiros uult considerari, uult eorum audiri doctrinam, uult conspici coniunctionem &c.

Doctrina sacrificiorũ ac ceremoniarum rectè distinguẽda à doctrina iustificationis.

Hîc etiam doctrina sacrificiorum & ceremoniarum rectẽ intelligatur, sciebant Melchizedech & Abraham, se habere remissionem peccatorum, & iustos esse, id est, placere Deo, propter uenturum semen, norant uenturum Dominum, qui aboleret peccatum & mortem, & restitueret iusticiam & uitam æternam, sciebant se ab eo seruari, & efficacem eum in sanctis esse, nec sacrificia, nec ceremonias nec ulla opera nostra, mereri remissionem peccatorum, sed ceremonias â Deo traditas, habere alios usus.

Ecclesia incoatur in hac mortali uita.

Addenda est et hæc admonitio, Dictum est, Messiam esse summum sacerdotem qui uocem Euangelij ex arcano sinu æterni patris protulit, ut Ecclesiam ex genere humano colligat, incoandam in hac mortali uita, ut Ioan. 1. dicitur, Illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, ideò oportet in hac mortali uita retineri uocem Euangelij, ad quam propagandam hic summus sacerdos mittit ministros, qui discernendi sunt â summo sacerdote, & ut suprà nominaui, sunt participatione sacerdotes, quia uocem Euangelij sonant acceptam à summo sacerdote, qui est efficax per eam, trahit audientes, ut agnoscant unicam uictimam, qua placatus est Deus, & in ijs qui credunt aboler peccatũ & mortem, & donat eis iusticiam & uitam æternam, ut Psalmus inquit: Ascendit, captiuam duxit captiuitatem &c. Item, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Significat igitur & hic Psalmus abolito ministerio Leuitico, agnitionem huius summi sacerdotis semper in Ecclesia, etiam in hac mortali uita mansuram esse, quia incoatio Ecclesiæ fit in hac uita, sicut & suprà dictum est: Virgam regni tui emittet Dominus ex Zion, & dominare in medio inimicorum tuorum.

Hæc consolatio hoc loco cogitanda est, & in hac mortali uita semper aliquas fore reliquias Ecclesiæ Dei, usq̃ ad resurrectionẽ mortuorum, quæ postea cum summo sacerdote in omni æternitate uiuet, & Deum celebrabit, iuxta hęc

dicta Matth. ult: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. 1. Cor. 11. Annunciate mortem Domini donec ueniat. Matth. 24. Erit sicut in diebus Noë, duo erunt in agro, unus assumetur, alter relinquetur &c, Item, dies isti abbreuiabuntur propter electos. Dan. 12. In tempore illo surget Michaël dux Magnus, qui stat pro filijs populi sui, & erit tempus tribulationis, quale non fuit ex quo gentes fuerunt, ad id tempus, & illo tempore liberabitur populus tuus, omnis qui scriptus inuentus fuerit in libro, Esaiæ 46. Gestamini in utero meo, etiam in senecta & in canicie uos gestabo. Esaiæ 59. Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, nunc & deinceps in æternum.

Consolatio de Ecclesiæ duratione necessaria est.

Ad hæc testimonia adiungatur & hoc dictum, Tu es Sacerdos in æternum &c. Et recitans articulum in Symbolo, Credo Ecclesiam catholicam, hac te consolatione sustentato, quòd adhuc sit Ecclesia Dei, quòd non reiectum sit totum genus humanum à Deo, quòd promissiones non sint irritæ, & cogites quæ & ubi sit Ecclesia Dei, & teipsum membrum esse Ecclesiæ, & tibi promissiones ratas esse firmissimè statuito, & confessione, inuocatione & uoluntate ubicunq; es te ueræ Ecclesiæ adiungito. Hæc spes quoq; tibi dolores leniat, teq; in doctrinæ propagatione confirmet, quòd certum est ad posteros quoq; mansuram esse Ecclesiam, & aliqua Ecclesiæ & doctrinæ hospitia.

Hanc consolationem inter tantas ruinas imperiorum, in tantis dissipationibus, necessariam esse, omnibus perspicuum est, & quidem ideò de postrema senecta mundi, singulares promissiones traditæ sunt, quia moles periculorum & calamitatum maior erit, quàm fuit antea. Ideò in Daniele dicitur: Michaël dux magnus stabit pro filijs populi sui, hunc ducem inuocemus, ut nos regat & confirmet, seruet Ecclesiæ reliquias inter nos etiam ad posteritatem, & depellat diabolos, quorum eò nunc rabies maior est, quia sciunt breui uenturum esse iudicium, ideò in eis magis ardet cupiditas uindictæ, & cæteri furores, item apud Esaiam expressè dictum est: in senecta & canicie te gestabo, sicut grauida mater fœtum &c.

Postquam de sacerdotio dixit, redit ad narrationem uictoriarum quæ propriè tribuuntur regio officio: *DOMINVS A DEXTRIS TVIS PERCVTIT IN DIE IRÆ SVÆ REGES, IVDICAT INTER GENTES, CVMVLAT CADAVERA, PERCVTIT IN TERRA CAPVT MAGNVM:* his uerbis defensio Ecclesiæ in hac uita, & postea integra liberatio describuntur, & collatione præsentium periculorum, & miseriarum, & seruatæ Ecclesiæ omnibus temporibus, fit illustrior sententia, etiamsi pariter diaboli, & imperia, Turcicum, Pontificium, Regia, magnarum gentium odia, Hæreticorum & sectarum furores, delere Ecclesiam conantur, Tamen eam proteget & seruabit Messias, & tandem omnibus his hostibus repressis, & imperijs mundi deletis, prorsus liberabit eam.

Victoriæ Messiæ, defensio et integra liberatio Ecclesiæ

Filius Dei semper adest Ecclesiæ.

Accedat autem fides ad has promissiones, qua nos ipsos inter assidua pericula, nos his consolationibus sustentemus, Sciamus hunc regem filium Dei, uerè nobiscum esse, sicut nominatur Emanuel, nos uerè protegi & seruari ab eo & tanquam eius manu gestari, sicut Israëlitas in mari rubro seruat, seu Danielem inter leones, Hæc consolatio sæpissimè repetita est, ut Zachar. 4. Cùm redisset

dūſſet ex Babylone inermis multitudo cum magnis agminibus mulierum, puellarum, infantum nec præſidijs ſe defendere, nec mœnibus tegere poſſent, conſolatur eos Dominus, inquiens, Non in exercitu, non in robore, ſed in ſpiritu meo, dicit Dominus, id eſt, ſeruabo eos, & ero murus igneus in circuitu eorum, etiamſi nec muros habent nec humana præſidia. Et tamen talis eſt imbecillitas hominū, ut ſemper circūſpectent oculi, quærant defenſiones, humana præſidia, fœdera, exercitus, nec uelint ā Deo expectare defenſionē. Poſtea motis armis multa fiunt non pertinentia ad Eccleſiam. Diſcamus autem in his quotidianis periculis exercere fidem, inuocationem & ſpem, petamus & expectemus auxilium & defenſionem ā filio Dei, & doctrinam piē ſonemus, nec miſceamus conſilia de nouis imperijs conſtituendis.

DOMINVS A DEXTRIS TVIS, id eſt, Meſſias qui eſt ad dextram æterni patris, ſicut & ſuprà dixit, Sede ā dextris meis, id eſt, regnans eadem potentia cum patre, hic inquam Meſſias diuina potentia percutiet reges defendet & liberabit Eccleſiam.

PERCVTIET CAPVT MAGNVM IN TERRA, id eſt, ſumma imperia, diabolos, & eius organa pugnantia cum Euangelio & uerbo eius. *Percutiet caput magnum id eſt, imperia & diabolos.*

DE TORRENTE IN VIA BIBET: uſitata phraſis eſt, bibere calicem pro affligi, ut Matt. 20. Poteſtis bibere calicem quem ego bibam, ita hîc breuiſſimē dictum eſt de paſſione. *Bibet de torrente, id eſt, guſtabit afflictiones.*

IN VIA, id eſt, in hac uita & in miniſterio ſacerdotij ante glorificationem.

BIBET DE TORRENTE, id eſt, guſtabit non leues afflictiones, ſed illo magno torrente opprimetur quo mergitur totum genus humanū, id eſt, ſuſtinebit horrendam iram Dei, & mortem pro genere humano, ſed poſt hoc mirandum ſacrificium inenarrabili ſapientia Dei ordinatum.

IPSE EXALTABIT CAPVT, id eſt, diuina potentia ipſe ex morte reſurget, ſicut dicit Ioan. 10. Habeo poteſtatem ponere animam meam, & habeo poteſtatem recipere eam.

APPLICATIO PSALMI.

Reliqua eſt admonitio de applicatione, quoties narratio de Meſſia in Pſalmis propoſita eſt, ſimul cogitandum eſt de applicatione, de qua interdum expreſſa dicta in ipſis Pſalmis addita ſunt, ut Pſalmo 2. Oſculamini filium. Beati omnes qui confidunt in eo. Et ſicubi non expreſſè addita eſt, tamen regula generalis tenenda eſt promiſſionem oportere fide accipi, ut Rom. 4. dicitur, & ſæpiſſimē alibi repetitæ ſunt conciones de fide, ut Ioannis 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam &c. Quare ſemper lecta narratione de beneficijs mediatoris, ſciamus faciendam eſſe applicationem, qua ſtatuas hæc ingentia beneficia uerē ad te quoq; pertinere, tibi quoq; hunc redemtorem & ſaluatorem miſſum, & donatum eſſe, qui ipſe ſic inquit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam uos. *Pſalmis concionantibus de Meſsia includenda ſemper eſt applicatio.*

Quid uocabulo fidei intelligendum ſit alibi ſæpē dicitur, cūm igitur hunc Pſalmum legimus, exuſcitetur fides, agnoſcamus filiū Dei regnantem ad dex-

Fide applicanda promißio & doctrina Pſalmorum.

tram æterni patris nobis conſtitutum eſſe ſacerdotem & regem, ſacrificio ipſius placatam eſſe iram æterni patris, per ipſum contra furores diaboli excerpi ex genere humano & colligi ac defendi Eccleſiam, & ei reſtitui iuſticiam & uitam æternam ualde mirando modo, per Euangelij prædicationem, inter ingentia certamina, inſidias diabolorum & furores Tyrannorum, & uelle eum ut fide hæc beneficia tu quoq; accipias: Hac erecti conſolatione inuocationem & gratiarum actionem adiungamus, & in Deo propter mediatorem acquieſcamus, iuxta illud: Iuſtificati fide pacem habemus. Item per hunc habemus acceſſum in fiducia per fidem Ieſu Chriſti. Hæc in exercitijs pœnitentiæ & inuocationis diſcuntur, quæ quidem aſſidua eſſe debent, ſumma enim & extrema miſeria eſt ſine pœnitentia tanquam hoſtem Dei & abiectum ā Deo uiuere. Hæc ſæpē cogitanda ſunt, ut nos ad exercitia pœnitentiæ, fidei & inuocationis exuſcitemus.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Pſalmi CXI.

GRATIAS AGO TIBI DOMINE TOTO CORDE MEO, IN CONCILIO ET COETV IVSTORVM &c.

SAepē repetenda eſt admonitio de diſcernendis generibus ſeu argumentis Pſalmorum, ut intelligi poſſit quo conſilio, & ad quem uſum ſinguli ſcripti ſint. Dixi autem alios eſſe uaticinia, & uocem propriam Euangelij de Meſſia & eius beneficijs, alios eſſe conciones legis, alios eſſe conſolationes aut precationes, alios gratiarum actiones, & hæc genera interdum miſcentur. Prodeſt autem hæc diligentia, & ut una ſimplex, & ſecum congruens ſententia inueniri poſſit, & ut ipſi agnoſcamus ad quem uſum noſtrum, ſinguli Pſalmi transferendi ſint.

CXI. Pſalmus ſimplex eſt gratiarum actio de certis beneficijs.

Primùm igitur ſciendum eſt hunc Pſalmum eſſe ſimplicem gratiarum actionem, id eſt, narrationem de certis beneficijs Dei, quam apparet ad uſum publicum in cœtu populi compoſitam eſſe, Agit igitur gratias Deo, id eſt, narrat & celebrat hæc beneficia, quōd Eccleſiam ſibi colligit, edito uerbo, manifeſtis & illuſtribus teſtimonijs, & quidem in hoc populo cui tradidit uerbum, & conſtituit miniſterium, cultus, & certam politiam, & hæc ſua beneficia defendit magnis & aſſiduis miraculis, eductione populi ex Aegypto, & alijs multis liberationibus, quæ poſtea ſecutæ ſunt. Hæc eſt ſumma Pſalmi, Et in fine additum eſt generale epiphonema, quod opponit iudicijs profanis de collectione Eccleſiæ, de uerbo Dei, de miniſterio, quaſi dicat, mundus deridet nos, quōd affirmamus nos eſſe populum Dei, & noſtram doctrinam & inuocationem ueram eſſe, Aliarum gentium doctrinam & inuocationem commentitiam eſſe, ſed hæc iudicia horribiliter errant, fallitur ſapientia mundi. Verùm una uera eſt ſapientia Eccleſiæ quærentis Deum, timere Deum, & huic uerbo credere quod nobis traditum eſt, nec irrita erit hæc fides, ſed uerē accipiemus promiſſa beneficia æterna & neceſſaria in hac uita.

Gratiarūactio in Pſalmis in genere ad Eccleſiā omnib. temporib pertinet.

Hæc eſt ſumma Pſalmi in quo etſi gratiarum actio loquitur de illius populi Eccleſia & politia, Tamē regulam teneamus, talia dicta in genere ad Eccleſiam omnibus temporibus pertinere, ſemper Eccleſia gratias agit Deo, q̄ immenſa

mensa bonitate propter filium et per filiũ colligit Ecclesiam, & quidem miran do modo per Euangelium, inter ingentia certamina, & addit testimonia, resurrectionem filij Dei, & subinde mirandas liberationes. In hac ipsa gratiarum actione confirmatur Ecclesia, & antefert profanis iudicijs uerbum & testimonia Dei. Sic igitur hæc legamus, ut nos quoq; in ipsa commemoratione excuscitemus fidem, gratiarum actionem & inuocationem, & confirmemus nos contra profana iudicia.

Enumerat autem Psalmus beneficia. Primùm agit gratias Deo, quòd hunc populum uocârit, & in eo sibi Ecclesiam colligit editis testimonijs per miracula. *Beneficia quæ Psalmus enumerat.*

Secundò quòd instituit ceremonias, ac præcipuè agnum Paschalem, & addidit huic ceremoniæ predicationem uerbi, non solùm de liberationib. corporalibus, sed etiam de promissione gratiæ & salutis æternæ.

Tertiò quòd Deus dedit promissiones & legem, & hæc ingentia beneficia miranda defensione conseruat, hîc additæ sunt laudes uerbi Dei, quæ discernunt uerbum Dei ab humana sapientia.

Quartò agit gratias de continua defensione populi aduersus quoscunq; hostes, ut Gedeon defendit populum contra Madianitas, Samson contra Philistim, Saul contra Amalec, Dauid contra Philistim, Ezechias contra Assyrios. Hanc perpetuam defensionem complectitur uersiculus, *REDEMTIONEM MISIT POPVLO SVO.* Itaq; in summa agit gratias Deo, quòd Ecclesiam & politiam huius populi mirabilibus signis & uerbo constituit, defendit & conseruat.

Deinde additur epiphonema, non deterreamur iudicijs mundi, quia hæc sapientia uerbi Dei non est fabulosa, sed uera & efficax, ideò non abijciamus uerbum Dei, sed uera fide ei obtemperemus. Eodem modo & nos uerè agamus Deo gratias, Ac utile est habere formas uerborum, & sæpè recitari eas ad excuscitandam recordationem & ueram cordis gratitudinem, ut:

AGO tibi gratias omnipotens æterne viue & vere Deus, æterne & vnice pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ, & hominum & Ecclesiæ tuæ angelicæ & humanæ, & conseruator vnà cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu tuo sancto, sapiens, bone, verax, iuste, iudex, caste, misericors, liberrime, quòd reuelasti te nobis, æternum patrem domini nostri Iesu Christi, & Iesum Christum filium tuum, & Spiritum sanctum, & quòd misisti IESVM CHRISTVM Filium tuum, & voluisti eum pro nobis esse victimam, colligis tibi æternam Ecclesiam voce Euangelij inter nos, remittis nobis peccata, donas nobis Spiritum sanctum, exaudis & protegis nos, & certò das nobis vitam æternam per filium & propter filium, & in hac vita das nobis hospitia & victum, & seruas publicos cœtus, ministerium Euangelij, & doctrinæ propagationem hæc bona vt semper nobis propter filium tribuas, toto tepectore oro. *Forma gratiarum actionis directæ ad Deum patrem.*

AGO tibi gratias omnipotens Domine Iesu Christe, fili Dei crucifixe pro nobis & resuscitate, sedens ad dextram æterni Patris, Emanuel & redemtor noster, sapiens, bone, verax, iuste, iudex, caste, misericors, liberrime, quòd copulasti tibi humanam naturam, patefeciſti te nobis, passus es pro nobis, & crucifixus propter peccata nostra, resurrexisti & redemisti nos, & es perpetuus mediator & sacerdos, colligis tibi Ecclesiam *Forma gratiarum actionis directæ ad Filium.*

voce Euangelij inter nos, remittis nobis peccata, sanctificas nos Spiritu tuo sancto, & das nobis vitam æternam, exaudis & defendis nos contra furores diaboli, & in hac vita das nobis hospitia & victum, & seruas publicos cœtus, ministerium Euangelij, & doctrinæ propagationem, Hæc bona vt semper nobis tribuas, toto te pectore oro, & semper sis intercessor pro nobis apud patrem.

Forma gratiarum actionis directa ad Spiritum sanctum

AGO tibi gratias omnipotens domine Spiritus sancte, procedens ab æterno patre Domini nostri Iesu Christi, & Iesu Christo, effuse in Apostolos, sapiens, bone, uerax, iuste, iudex, caste, misericors, liberrime, quòd accendis in nobis ueram agnitionem & inuocationem æterni patris, filij, & tui, quòd facis tibi domicilium corda nostra, regis nos, iuuas nos consilio & consolatione, iuuas nos in administratione, exaudis & defendis nos contra furores diaboli, viuificas iusticia & vita æterna, & das nobis in hac vita hospitia & victum, & seruas publicos cœtus, ministerium Euangelij & doctrinæ propagationem. Hæc bona vt semper nobis propter dominum nostrum Iesum Christum tribuas, toto te pectore oro.

In his formis similis est gratiarum actio ut in Psalmo, *CONFITEBOR TIBI*, id est, *GRATIAS AGO TIBI DOMINE TOTO CORDE, IN CONCILIO ET COETV IVSTORVM.* Propositio generalis est cui postea addit enumerationem beneficiorum, ac totus Psalmus narratio est recitans beneficia, quæ iam nominatim recensui. Sit autem nota omnibus communis doctrina de inuocatione, cuius species sunt petitio & gratiarum actio. Hi sunt præcipui cultus Dei, iuxta illud: Inuoca me in die tribulationis & eripiam te, & glorificabis me, &c. Quia summus honos est agnoscere & statuere, quòd ille quem alloquimur sit Deus, uidelicet omnipotens, immensæ sapientiæ, uerax, bonus, iustus, iudex, castus, liberrimus, non otiosus, non absens, sed uerè iuuans & exaudiens nos propter mediatorem, & uolens nostri misereri, & nobis opem ferre. Hunc honorem uult sibi tribui uera fide & fiducia, sic uult se discerni à diabolis & ab omnibus creaturis, ideò simus ardentes in petitione & gratiarum actione, & studioſè cogitemus, quantam sapientiam hi cultus complectantur.

Inuocationis species sunt petitio & gratiarum actio & sunt summi cultus.

Ac in genere gratiarum actio est tribuere alteri quòd ab eo acceperis beneficium, & statuere te ordine iusticiæ ei obligatum esse, ut uicissim uelis ei benè esse, & præstare certa officia. Vult lucere Deus in hac uirtute, uidelicet gratitudine, ueritatem & iusticiam, ueritas agnoscit & prædicat beneficium aliunde datum esse, iusticia est ordo reddens simile pro simili: sic enim ordinata est rerum conseruatio, ita ueritas erga Deum præstanda est, uerè agnoscamus ipsius opera esse uitam nostram, salutem, & protectionem. Et addenda est iusticia, uelimus ei esse obligati ut uicissim eum diligamus, & ei officia præstemus, quæ requirit.

Gratiarum actio in genere quid sit.

IN COETV IVSTORVM, Dulcissima additio est, precationem & gratiarum actionem in congregatione fieri, & multas admonitiones contiunet.

In particula in cœtu iustorũ multæ sunt admonitiones. Prima.

Prima est, sicut Israëlitæ dicebant, Deus Abraham, Deus Isaac, id est, Deus qui te patefecisti Abrahæ, & ei promissionem tradidisti, ita nos in inuocatione semper discernamus uerum Deum patefactum in Ecclesia misso filio ab alijs commentitijs numinibus.

Secunda

Secunda admonitio, Semper in inuocatione etiam de promissionibus cogitandum est,& considerandum quæ sit illa uera Ecclesia,ad quam promissiones propriè pertinent, ut seiungamus nostram inuocationem ab ethnica, & aliarum sectarum cultibus,& adiungamus nos ad ueram Ecclesiam,& ad summum sacerdotem filium Dei,qui dixit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo,dabit uobis.Item Ioan.15. Si manseritis in me &uerba mea in uobis,quicquid uolueritis fiet uobis. Ita affirmat in uera Ecclesia inuocationem exaudiri. De hostibus autem Euangelij inquit,Psalmo 16. Non recipiam nomen eorum super labia mea,id est, non precabor pro eis. *Secunda.*

Tertia admonitio,Non solùm de tota Ecclesia omnium temporum cogitandum est in inuocatione, sed in præsentia etiam quærenda & amanda externa congregatio,& sciendum Deum semper collecturum &conseruaturum esse publicos aliquos cœtus,sicut dicit Dominus: Ero uobiscum usq; ad consummationem seculi.Et in tali congregatione uult fieri inuocationem,ut confessione nostra alij erudiantur &confirmentur,sicut dictum est,Luceat lux uestra coram hominibus. Et de congregatione peculiaris promissio tradita est: Vbi conueniunt duo aut tres in nomine meo,in medio eorum sum. Tales admonitiones multæ simul comprehensæ sunt,cùm inquit,in cœtu iustorum,uidelicet ut de uero Deo patefacto in Ecclesia,de promissionibus Ecclesiæ traditis,de unitate Ecclesiæ cogitemus: Item ut quæramus & foueamus publicam congregationem. *Tertia.*

MAGNA OPERA DOMINI, SCRVTANTIBVS OMNIBVS IVCVNDA: Sequitur expositio propositionis,uidelicet enumeratio beneficiorum, & quanquam comprehendi communia beneficia creationis possunt, tamen hîc principaliter loquitur de uocatione huius populi, & segregatione ã cæteris gentibus,de reuelatione promissionum,& de promulgatione legis,de constituta Ecclesia in hoc populo, de politia,de miranda conseruatione,de mirandis liberationibus Ecclesiæ. Hæc opera esse magna etiam gentes agnoscebant,sed tantùm pij prædicant ea esse opera Domini,agnoscunt uerum Deum autorem esse horum beneficiorum,& se ipsi subijciunt, amplectuntur eius doctrinam,& ei obedire incipiunt, ita hîc Propheta gratias agens,initiõ tribuit Deo hunc honorem, ut fateatur hæc esse ipsius beneficia. *Quæ uocet Psalmus opera magna.*

Postea addit cætera officia gratitudinis, iubet hunc Deum celebrare & timere, iubet retinere confessionem doctrinæ, & affirmat hos cultus non esse inanes,ideõ statim inquit: *SCRVTANTIBVS OMNIA IVCVNDA,* quasi dicat:Etiamsi impij qui nec intelligunt nec curant doctrinam ã Deo traditam derident eam, & somniant fabulosam esse, Tamen pij scrutantes,discentes & cognoscentes eam,experiuntur esse ueram & efficacem,sicut & infrà inquit: Intellectus bonus omnibus facientibus ea. Et congruit cum dicto: Si quis diligit me sermonem meum seruabit,& pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum et mansionem apud eum faciemus. *Officia gratitudinis quæ Psalmus requirit.*

Diligenter autem considerandum est uerbum scrutandi, cõmmendatur hîc discrimen docendi,et requiritur cura discendi. *Verbo scrutandi commendatur cura discendi.*

Infrã inquit: *MEMOR EST PACTI SVI,* id est,non sinit deleri Ecclesiam et promissiones irritas fieri. Item, *VT DET ILLIS HÆREDITATEM GENTIVM,* id est,terram quam Cananæi tenuerant. Item, *RATA SVNT MANDATA EIVS,* Hæc omnia ostendũt Psalmum

mum loqui de constitutione ac defensione Ecclesiæ ac ministerij in politia Israël, Pro his summis beneficijs agit gratias, ideō & dictum illud: *ESCAM DEDIT TIMENTIBVS IPSVM*, intelligimus de ritu agni Paschalis, Agit gratias Deo, quòd eduxerit populum ex Aegypto, quòd instituerit ministerium doctrinæ & signa.

Accommodatio Psalmi ad usum.

Dixi autem suprà de accommodatione, Agnoscamus & nos reuera Dei opera esse quòd Ecclesia colligitur, restituitur, & seruatur, & alicubi habet mediocria hospitia, & doctrinam de beneficijs filij Dei discamus, & propagemus & pro hoc summo beneficio Deum celebremus, & gratitudinem studio obedientiæ declaremus.

Epiphonema opponitur profanis iudicijs.

In fine epiphonema additum est: *INITIVM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI, INTELLECTVS BONVS FACIENTI ILLA*: Hoc dictum opponitur iudicijs profanis, quasi dicat, Rident hæc Ethnici & Epicurei, sed nos scimus hanc doctrinam & sapientiam ueram esse, uerè agnoscimus, timemus & ueneramur Deum, & ei credimus.

ET INTELLIGVNT HANC SAPIENTIAM QVI EAM FACIVNT, id est, qui ei obtemperant, qui uera fide amplectuntur promissiones, & uerè expauescunt agnoscentes iudicium & comminationem. Dauid est sapiens, non solùm ut Themistocles, qui uisibilibus præsidijs ciuitatem munit, sed etiam certò statuit Ecclesiam, & se in Ecclesia Deo curæ esse, & seruari etiam cùm destituitur humanis præsidijs. Ac retinet Dauid hanc fidem propter miracula & patefactiones Dei, & quia in seipso habet testimonium Dei, pauores & consolationem, iuxta illa dicta, Rom. 8. Accepistis Spiritum quo clamamus Abba pater, ipse Spiritus dat testimonium Spiritui nostro, quòd simus filij Dei.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXII.

BEATVS VIR QVI TIMET DOMINVM, QVI MANDATIS EIVS DELECTATVR VALDE.

CXII. Psalmus est consolatio Ecclesiæ aduersus scandalum crucis.

HIC Psalmus consolatio est Ecclesiæ & piorum aduersus scandalum crucis. Quia enim multi ærumnis Ecclesiæ franguntur, et deficiunt à Deo, opponitur hîc consolatio continens dulcissimas promissiones præsentium et æternorum bonorum, sicut et Paulus inquit: Pietas promissiones habet præsentis uitæ et futuræ.

Euentus turbant consolationes.

Sed his consolationibus opponuntur euentus, cùm in conspectu sint ingentes ærumnæ Ecclesiæ & hæc dicta: Qui uult me sequi, tollat crucem suam. Et 2. Tim. 3. Omnes qui piè uiuere uolent in Christo Iesu, persecutionem patientur. Ad hæc respondendum est, Semper in conspectu sit discrimen promissionis gratiæ & promissionis bonorum præsentium. Principaliter uocatur Ecclesia ad bona æterna quæ sunt omnibus æqualiter necessaria, Sicut latro in cruce uocatur. Hanc promissionem gratiæ sciamus credentibus omnibus ratam et firmam esse, siue bona corporalia adsint, siue desint. Dauid debet agere pœniten-

Discrimen promissionis gratiæ & bonorum corporalium semper sit in cōspectu.

pœnitentiam,& credere remissionem peccatorum,& certò statuere se esse hæredem uitæ æternæ,siue in exilio interficietur siue reducetur,ut Iob inquit: Etiamsi occidet me sperabo in eum. De hac æterna liberatione dicitur: Sic Deus dilexit mundum,ut filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat,sed habeat uitam æternam.Hæc promissio rata & immota est omnibus credentibus. *Ecclesia uocatur ad æterna bona.*

Aliæ autem sunt promissiones bonorum præsentium, Quia enim in hac uita colligitur Ecclesia, opus est etiam bonis corporalibus, iuxta illud: Non mortui laudabunt te Domine:sed addita est promissionibus bonorum præsentium exceptio crucis & castigationis.

Quanquàm autem bona corporalia non singulis eodem modo tribuuntur,& Deus uult Ecclesiam subiectam esse cruci,& multos punit: Tamen promissiones bonorum corporalium non sunt irritæ, semper enim uniuerso cœtui præstantur, id est, etiamsi interficitur Ionathas, tamen Ecclesia & eius posteritas seruatur,& pertinent hæc ad dictum, Non mortui laudabunt te Domine. Et in petitione non solùm de nobis sed de uniuerso cœtu cogitemus,sicut sæpè petitur in Psalmis, Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem: Nec dubium est hac fide & inuocatione impetrari & tibi & uniuersis mitigationem pœnarum. *Promissiones bonorum corporaliũ quomodo non sint irritæ.*

Hæc admonitio in lectione huius Psalmi & similium promissionum sit in conspectu,& sciamus hæc membra rectè consentire,Ecclesiam subiectam esse cruci,& tamen non deesse ei bona præsentia. Quia scilicet semper in hac uita conseruatur,& Deus mitigat ærumnas inuocantibus, etiamsi alios aliter exercet,& uult nos fide expectare protectionem, non uult septos esse uisibilibus præsidijs,sicut impij uolunt habere certa præsidia in conspectu,iuxta illa dicta, Maledictus qui confidit in brachio carnis. Item,Pater & mater dereliquerunt me,Dominus aũt suscepit me. Zach.4.Non in exercitu,non in robore,sed in Spiritu meo,dicit Dominus.Et Zach.2.Ego ero murus igneus in circuitu eorũ. *Ecclesia est subiecta cruci & tamen non destituitur bonis præsentib.*

BEATVS VIR QVI TIMET DOMINVM, ET MANDATIS EIVS VALDE DELECTATVR: Initiõ definit qualem uelit esse personam,cui sequentes promissiones attribuet. Talis sit inquit: Timeat uerum Deum & delectetur mandatis eius,id est, sit iustus fide,& habeat bonam conscientiam, Ad hanc summam uerè & rectè accommodatur hoc dictum: Nam timor usitatè significat totum cultum, sicut dicitur,Initium sapientiæ timor Domini. Et ut hîc ostendat se de uero Deo & de uera doctrina loqui,Nominat Deum appellatione quæ erat ueræ Ecclesiæ propria, quasi dicat, illum uerum Deum timeat,qui se patefecit in Israël. Et mox inquit: *MANDATIS EIVS VALDE DELECTATVR*,id est,tota doctrina legis & promissionis de mediatore & gratia. Hanc fide amplectatur,& iuxta eam inuocet uerum Deum & ei obtemperet, quasi dicat, etiamsi Aeacus aut Numa sunt honesti uiri,& timent iram Dei,Tamen non agnoscunt,non inuocant uerum Deum,non confugiunt ad mediatorem,sed fingunt ipsi suos cultus & sua numina sine hoc uerbo, & sine hac promissione in qua uerus Deus filium mediatorem & misericordiam patefecit. *Timor usitatè significat totũ cultum.*

Ac prorsus hoc dictum Psalmi intelligatur iuxta dictum: Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eũ, & mansionem apud eũ faciemus,id est,Custos meæ doctrinæ fide et bona conscientia,diligitur à patre, et est domicilium Dei. Ita hîc intelligatur dictum:

Qui

Qui delectatur mandatis, ſicut & Pſalmo, Beati immaculati qui ambulant in lege Domini, id eſt, qui uera fide amplectuntur doctrinam ā Deo traditam, & iuxta eam inuocant ipſum fiducia mediatoris, & bona conſcientia ei obtemperant. Intelligantur enim hæc dicta, iuxta Euangelium, non νομικῶς, ut illud: Maledictus qui non permanet in omnibus quæ ſunt ſcripta in lege. Sciamus igitur hîc in deſcriptione perſonæ intelligi hominem iuſtum, & intueamur totam doctrinam de iuſtificatione, poſtea huic iuſto attribuit promiſſiones. Hic iuſtus inquit eſt beatus, placet Deo, & habet bona æterna & præſentia.

POTENS IN TERRA SEMEN EIVS, ET GENERATIO RECTORVM BENEDICETVR: Primo loco recenſet felicem ſobolem. Summus dolor in homine poſt ſenſum iræ Dei, eſt ſenſus calamitatis ſobolis, & econtra ingens Dei donum eſt felicitas ſobolis, ut in Pſalmo, Niſi Dominus ædificauerit domum &c. Ecce hæreditas Domini filij, merces fructus uentris. Item alibi, Filij tui ſicut plantulæ oliuarum. Rurſus inter ſummas pœnas numerantur calamitates ſobolis, Deut. 18. Gignes filios & abducentur in captiuitatem. Item comedes carnem filiorum tuorum & de ſecundina. Itaq; in hoc Pſalmo inter magna bona recitatur felix poſteritas, & in primis in Eccleſia dulce eſt habere tales poſteros, qui rectè Deum inuocent, & adiuuent conſeruationem Eccleſiæ, ſicut Abrahæ ſucceſſit Iſaac. Ac meminerint iuniores uerſiculum:

Fœlix poſteritas inter magna bona recenſetur in Pſalmo.

εὐσεβέων παίδεσι τὰ λῷϊα δυσεβέων δ' οὐ.

OPES ET DIVITIÆ IN DOMO EIVS: Hîc promittuntur hoſpitia & uictus, Quia dicit in domo eius, ſignificat etiam tuguriola & hoſpitia Eccleſiæ tribui, Huc ſimiles promiſſiones multæ addantur, ut Pſalm. 33. Non eſt inopia timentibus eum, & comprehenſæ ſunt omnes in iſta, Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Dixi autem ſuprā de promiſſionibus corporalium bonorum, ſemper ratas eſſe uniuerſo cœtui, quia Deus uult in hac uita conſeruari Eccleſiam. Tribuit igitur hoſpitia & uictum, & tamen non tribuit eodem modo ſingulis, quia uult nos cruci & caſtigationi ſubiectos eſſe, ut ſuprā dictum eſt. Et tamen interea crucem & pœnas immenſa miſericordia inuocantibus mitigat, ſicut ſæpiſſimè dicitur. Non accendit totam iram ſuam. Item, Miſericordiæ Domini quòd non conſumti ſumus. Item Oſeæ 11. Non faciam furorem iræ meę, quia Deus ego ſum, & non homo, in medio tui ſanctus. Ideò inquit, Se non effundere totam iram quia ſit Deus. Hîc intelligas dupliciter, de magnitudine iræ & de miſericordia, Deus non effundit totam iram, quia nimis magna eſt iuxta illud: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Secundò uniuerſaliter primùm iraſcitur Deus non ut perdat, ſed ut retrahat nos ad pœnitentiam, iuxta illud: Viuo ego nolo mortem peccatoris. Sed homo iraſcitur dolore uindictæ &c. Has neceſſarias conſolationes ſæpè cogitemus, & in ipſa conſideratione miſeriarum, agnoſcamus immenſam miſericordiam Dei, & ei gratias agamus quòd non accendit totam iram ſuam. Deinde etiam clamemus, ſicut Ieremias, In iudicio corripe me, non ad nihilum redigas me.

Hoſpitia & uictus promittuntur.

IVSTICIA EIVS MANET SEMPER. Primùm obuia interpretatio hæc eſt, iuſticia eius, id eſt, iuſta cauſa eius tandem uincit, etiamſi aliquantiſper multa patienda ſunt, ut cauſa Ioſeph glorioſè uicit, Saul obijcit David crimen affectati regni, ſed clamat David Pſalmo 7. Iudica me Domine ſecundum

Iuſticia eius manet ſemper, id eſt iuſta cauſa uincit.

cundum iustitiam meam, ubi de iustitia causæ loquitur, non de iustitia personæ. Et mentio causæ non est confidentia, quòd propterea persona sit iusta, sed est confessio necessaria propter alios, ne alij de causa errent, ut cùm propter doctrinam interficiuntur martyres, necesse fuit eos exponere causam, & ostendere se non temerè aduersari aliter sentientibus.

Sequens uersus congruit cum proxima sententia, *EXORITVR IN TENEBRIS LVMEN RECTIS*, id est, in calamitate consolatio, quasi dicat, Manet causa quanquam multis & magnis hostibus, Diabolis & organis diaboli aduersantibus, interea tamen Deus sustentat, consolatur, & tandem liberat hunc iustum.

Lumen in tenebris, id est, consolatio in calamitate.

Iam hîc sciri oportet uniuersalem Regulam, Promissio corporalium bonorum tradita est propter promissionem gratiæ & propter Messiam, & semper præluceat fides, qua statuamus nos placere Deo, & propter filium Dei iustos esse. Deinde petamus & expectemus cætera necessaria, sed ita ut simul parati simus ad crucem, & tamen non amittamus æternam consolationem, sicut inquit Hiob, Etiamsi occidet me sperabo in eum. Dauid cùm expellitur in exilium erigit se fide, & statuit se habere remissionem peccatorum propter mediatorem. Deinde petit & expectat reductionem, & tamen paratus est ad pœnam, nec amittit interea æternam consolationem, scit Deo se debere hunc honorem & hunc cultum, credam promissioni gratiæ, scit Messiam non esse contumelia afficiendum, sed potentiorem esse regno peccati & mortis, iuxta illud: Exuberat gratia supra peccatum. Hoc modo & iustitia personæ manet in æternum coram Deo, uidelicet stante filio Dei coram æterno patre, & pro nobis interpellante.

Promissio bonorum corporalium tradita est propter promissionem gratiæ & propter Messiam.

Hanc æternam iustitiam etiam hic complectitur Psalmus, quia quanquam in politico regimine etiam seruat Deus regulam, ut atrocia scelera puniat atrocibus pœnis in hac uita, & tandem uincant, qui antea iniustè oppressi fuerunt, sicut Augustus uincit Antonium: tamen hîc non loquitur de impijs, sed de talibus quorum & persona & causa placet, & qui inuocant Deum, & ab ipso petunt & expectant consolationem, & de hac æterna iustitia propriè infrà dicet, *IN ÆTERNVM NON PERIBIT IVSTVS, ET, IN MEMORIA ÆTERNA ERIT IVSTVS*, ubi de iusto coram Deo loquitur, uidelicet de credente non de impio. Hunc credentem inquit ab eo custodiri, & Deum semper eius in omni æternitate memorem esse, ipsi benefacturum esse, daturum uitam & iustitiam æternam, &c.

Psalmus loquitur de iustis quorũ & persona & causa placet.

MISERICORS MISERATOR ET IVSTVS: Miscet præcepta consolationibus, Antea promissio posita est, Exoritur in tenebris lumen rectis. Nunc rursus dicit, qualis sit ille timens Deum. Est enim mollissima constructio, *EXORITVR IN TENEBRIS LVMEN RECTIS, MISERICORDI, MISERATORI ET IVSTO*, scilicet, Talem esse hunc de quo loquitur significant, Quasi dicat, hic timens, ut Ioseph, est misericors & miserator, non ulciscitur scelus fratrum, benefacit multis gentibus, & est iustus, non est Tyrannus, non attingit Domini coniugem, non defraudat homines, loquitur enim de iustitia legali seu operum. Aliqui contexunt uersum hoc modo, Exoritur in tenebris lumen rectis, à misericorde, miseratore & iusto Deo.

Miscentur præcepta consolationibus. Quomodo intelligenda sint misericors miserator & iustus.

In sequenti uersu repetit præceptum, *BONVS VIR MISERETVR ET MVTVO DAT*, id est, est beneficus. *ET DISPONIT SERMONES SVOS IN IVDICIO*, id est, negocia sua iustè agit, non est sophisticus, non rapax, non defraudator, non impostor, non stellio, non sycophanta, Et miscet consolationem, *NON EVERTETVR AD EXTREMVM*, id est, etiamsi aliquandiu affligetur, tamen tandem eluctabitur, ut alibi dicitur: Multæ tribulationes iustorum, sed ex omnibus his liberabit eos Dominus. *IN MEMORIA ÆTERNA ERIT IVSTVS*, id est, Deus erit memor ipsius, exaudiet, sustentabit, iuuabit & liberabit eum, sicut exaudiuit Ioseph, Dauidem, Ieremiam, & alios. Hic Psalmus comprehendit & præsentes liberationes & æternam, Deus est memor Abel etiam hac præsenti uita amissa, Docet ergo Psalmus restare aliud iudicium, nec deficiendum esse à Deo, etiamsi in hac uita non liberamur, sed certa fide & spe expectandam esse liberationem in uita æterna, iuxta illud usitatum dictum, Etiamsi occidet me, tamen sperabo in eum. Ita sciamus comprehendi in his dictis doctrinam de uita æterna & de fide.

Ab auditu malo, id est, cùm annunciantur mala.

Alia consolatio dulcissima, *AB AVDITV MALO NON TIMEBIT*, id est, non expauescet, non frangetur animo, cùm audit annunciari periculum aut suam aliquam calamitatem, ut cùm Iob annunciatur interitus filiorum. Addit autem Psalmus causam, unde sit hoc robur animi, quia inquit, hic iustus confidit Domino. Suprà facta est expressa mentio timoris Dei, hîc fit expressa mentio fidei, quæ nititur ueri Dei promissione. Loquitur ergo Psalmus de iusto, sicut in Euangelio traditur doctrina de pœnitentia, & de fide, ac fiducia quæ erigit corda, et primùm accipit remissionem peccatorum, & expectat liberationem æternam propter filium Dei gratis, Iuxta iusiurandum: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Hæc fides semper præluceat petitioni bonorum corporalium, ut suprà dictum est, iuxta illud: Fide accedimus ad Deum. Deinde petit & expectat etiam mitigationem præsentium calamitatum, iuxta illa dicta, In ira misericordiæ recordaris, Non faciam furorem iræ meæ, Non mortui laudabunt te Domine. Domine in iudicio corripe me, non in furore, ne ad nihilum redigar.

Expressa mentio fidei in hoc Psalmo.

Verbo Spargendi indicatur liberalitas

DISPERSIT, DEDIT PAVPERIBVS. Miscet rursus præcepta, Dispergit, dat pauperibus: Liberalitas significatur uerbo spargendi, sed restringitur ad pauperes, Nec profusio, nec ostentatio splendoris in profusione placent Deo. Et tota doctrina liberalitatis uenustissimè comprehensa est in dicto Salomonis: Fontes tui deriuentur forãs, & tu dominus eorum maneto. Item, Non des facultatem tuam crudeli.

Deus omni tempore est memor iusti.

IVSTICIA EIVS MANET IN ÆTERNVM, Quocunq; modo intelligat nomen iusticiæ hoc loco, siue de his eleemosynis, siue de causa iusta, siue de iusticia personæ, sententiæ congruent. Iusticia eius manet in seculum seculi, id est, Deus est memor omni tempore & iusticiæ personæ, seu iusticiæ fidei, & causæ iustæ, & eleemosynarum iusti, & tandem ostendit se curare iustos, & eorum causas & eorum eleemosynas: complectitur ergo & præsentes liberationes & æternam. In fine addita est antithesis, quæ denunciat pœnas impijs præsentes & æternas.

ARGV-

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXIII.

LAVDATE PVERI DOMINVM, LAVDATE NOMEN DOMINI.

CXIII. Psal. est confessio & gratiarum actio de prouidentia.

PSalmus est confessio & gratiarum actio communis de prouidentia. Etsi autem ethnici quoq; de prouidentia sæpē concionantur, ut:

Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.
Item, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.
Item, οὐ γαὺ κέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέυσι.
Item Euripidis, ᾧ τῷ δικαίῳ ἐλπίδες σωτηρίας.

Frangit & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.

Ecclesia in doctrina de prouidentia differt ab Ethnicis dupliciter.

Tamen Ecclesiæ doctrina in hoc ipso loco dupliciter ab ethnica differt. Ecclesia monstrat uerum Deum, qui se patefecit non solūm opificio naturæ, sed etiam sua uoce & certis testimonijs, ut misso filio, resuscitatione mortuorum, eductione populi ex Aegypto. Secundō non tantùm recitat Ecclesia legalem doctrinam de Deo, sed etiam promissionem gratiæ, ut sciamus nos recipi quanquam sumus indigni, & inuocare eum possimus, & petere & expectare bona. Etsi enim ethnici norunt dicta de prouidentia, Tamen in ærumnis fugiunt Deum, quia agnoscunt se reos & indignos esse, sed Ecclesia opponit promissionem de mediatore, imō etiamsi es reus, tamen Deus edidit promissionem, & uult te recipere propter mediatorem, iuxta iusiurandum: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Sciamus ergo in hoc Psalmo contineri confessionem & gratiarum actionem directam ad uerum Deum, qui se in Ecclesia patefecit data promissione, sciamus item sic affirmari prouidentiā, ut simul commonefacti agnoscamus promissionem, sciamus uerē colligi Ecclesiam, uerè recipi eos qui conuertuntur ad Deum fiducia mediatoris, & eum inuocant, & propriè ad Ecclesiam & ad hos inuocantes pertinent hæ dulcissimæ consolationes, *QVIS SICVT DOMINVS DEVS NOSTER QVI IN ALTIS, HABITAT ET HVMILIA RESPICIT, IN COELO ET IN TERRA*, id est, colligit sibi Ecclesiam quę durissimē onerata est ingentibus ærumnis, sicut & filius inquit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam uos &c.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXIIII. & CXV.

IN EXITV ISRAELIS DE ÆGYPTO, DOMVS IACOB DE POPVLO BARBARO &c.

Psalmi CXIII. duæ sunt partes.

PRima pars est narratio eductionis ex Aegypto, & confessio quōd Ecclesia illustribus testimonijs diuinis collocata sit in hoc populo, & est gratiarum actio. Secunda pars est precatio, ut constitutæ Ecclesiæ Deus opem ferat, ne ipsius nomen cōtumelia afficiatur ab hostibus, *NON NOBIS DOMINE NON NOBIS, SED NOMINI TVO DA GLORIAM.* Hæc petitio & sæpè repetita est & quotidiè repetenda est, Confirma hoc Deus,

quod operatus es in nobis,à templo sancto tuo.Ierem.14. Domine fac propter nomen tuum. Item,Tu autem in nobis es Domine,& nomen tuum inuocatum est super nos,ne derelinquas nos. Et Esaiæ 48. Propter nomen meum procul remouebo iram meam,& laude mea frenabo te,ne pereas. Item, Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer.

Hęc dicta semper nobis in conspectu sint,ut eundem finem, eandem causam inuocationis, in nostra petitione intueamur, ne sinat nos labi Deus, ne sinat fieri uastationes, ne sinat extingui lucem Euangelij, ne contumelia afficiatur ipse Deus,sed plures eum rectè inuocent & celebrent.

Antithesis ueri Dei & commentitiorum numinum.

Omnia quæcunq; uoluit fecit,contra Stoicos.

Addit igitur antithesin ueri Dei patefacti in Ecclesia, & commentitiorum numinum. Vero Deo tribuit, quòd sit uerax & misericors, quòd dederit promissiones,constituerit mediatorem,exaudiat & saluet iuxta promissionem, Tribuit etiam quòd agat liberrimè, *OMNIA QVÆCVNQVE VOLVIT FECIT*,id dictum opponendum est Stoicis imaginationibus, quę fingunt Deum alligatum esse causis secundis. Et repetit beneficia, *DOMVS ISRAEL SPERAT IN DOMINO, ADIVTOR ET PROTECTOR EORVM EST*, Affirmat Ecclesiæ traditas esse promissiones,& sine ulla dubitatione ratas esse,recipi,exaudiri & saluari homines, iuxta has promissiones, Ideò in fine petit conseruationem huius Ecclesiæ. *NON MORTVI LAVDABVNT TE DOMINE*,id est, serua & in hac uita cœtus aliquos te laudantes,agnoscentes,rectè inuocantes,gratias agentes & uerè celebrantes,quia non frustra condidisti genus humanum,sed uis talem esse æternum cœtum,cui in omni æternitate communices tuam sapientiam & bonitatem, & qui uicissim te celebret in omni æternitate.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXV.

CXV. Psal. Gratiarum actio est & precatio.

DILEXI, QVOD AVDIVIT DOMINVS VOCEM ORATIONIS MEÆ.

GRatiarum actio est, quòd exauditus & liberatus sit, & intexitur narratio periculi, & miscetur precatio. Alibi autem diximus gratitudinem præcipuè duas uirtutes complecti,ueritatem & iusticiã. Veritas profitetur unde acceperis beneficium,& non arrogat sibi aliena: Obligat autem iusticia ad mutua officia. Ita uult Deus in gratiarum actione extare confessionem, quòd exaudierit & liberauerit,ut ipsi tribuantur uerè ab ipso facta, & discant homines uerè eum inuocare, & sciant inuocationem non esse irritam. Sic legantur omnes hæ gratiarum actiones & petitiones, sciamus Deum uelle ut simili fide omnes eum inuocemus,petamus,& expectemus auxilium,gratias agamus.Sunt enim narrationes exempli causa propositæ.

Gratitudo præcipuè complectitur ueritatem & iusticiam.

Psalm. CXV. cõmonefactio est de tota doctrina promissionum.

Est autem hic Psalmus uox Euangelij continens & promissiones,& exemplum promissionis,& commonefaciens nos de tota doctrina promissionum de mediatore & de gratia,& significat ut nos quoq; fide propter mediatorem petamus & expectemus liberationem, & deinde agamus gratias, toleremus crucem in confessione,& alias ærumnas Ecclesiæ,& æternam liberationem expectemus. Sæpè repetita sunt eadem πάλιν, ut fit,& inuocatio similis in talibus ærumnis affert lucem Psalmo.

Initium

Initium est narratio quæ est ipsa confessio quòd Deus ipsum exaudiuerit. Et אהבתי additur, *DILIGO*, id est, hoc est mihi gratum, dilectum, dulce, in hoc acquiesco, quòd Dominus exaudit me inuocantem. Significat autem solam hanc esse summam & firmam consolationem acquiescere in Deo uerè credentem, quòd à Deo exaudiaris, sicut sæpè dicit: *IN DOMINO CONFIDO NON ERVBESCAM. QVI CONFIDIT IN DOMINO, SICVT MONS ZION NON COMMOVEBITVR: OMNIS QVI CREDIT IN EVM NON CONFVNDETVR.* Multa accidunt homini inextricabilia humanis consilijs, ut Dauidi, ibi mens hac sola consolatione sustentatur, quòd uera & rata sint hæc dicta, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam uos. Item, Viuo ego, nolo mortem peccatoris &c. Item, Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Item, Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum.

Summa ac firma consolatio est acquiescere in Deo.

Tertius uersus narrat periculi magnitudinem, uidelicet angustias inferorum, qua phrasi dolores maximi significantur, sensus iræ Dei & horrendi iudicij, qui describuntur in confessione Ezechiæ, Sicut Leo contriuit omnia ossa mea.

In uersu quarto inserit uerba promissionis, *DEVS EST MISERICORS, ET MISERETVR ET CVSTODIT PARVVLOS*, id est, afflictos, uerè inuocantes eum, & est iustus, defensor inuocantium qui iniustè opprimuntur. In his uerbis mente repetamus totam doctrinam promissionum de mediatore & de gratia, & sciamus fidem oportere niti non nostra dignitate, sed sola misericordia propter filium promissa, ideò enim nominat Dominum יהוה & nostrum Deum, ut ostendat uerum Deum, qui se patefecit in Ecclesia editis promissionibus.

CREDIDI PROPTER QVOD LOCVTVS SVM.

Apud Hebræos hoc membrum ad superiorem Psalmum pertinet, & est narratio congruens priori argumento, dicit de causa quare inuocet, & quare afligatur, scilicet propter confessionem doctrinæ, & postea promittit se deinceps Deo hos cultus præstiturum esse, inuocationem, gratiarum actionem, confessionem doctrinæ, patientiam in cruce, *CREDIDI PROPTER QVOD LOCVTVS SVM*, id est, quia uerè credo esse Deum, & ueras esse promissiones, ideò inuoco, ita docet nullam esse ueram inuocationem sine fide, iuxta illud: Quomodo inuocabunt nisi credent. Item, Quia certus sum hanc doctrinam ueram esse, ideò de ea in confessione testificor, sic Paulus citat hoc dictum: *EGO AVTEM HVMILIATVS SVM VALDE.* Sequitur confessionem persequutio.

Vera causa, quare inuocet & quare affligatur est, quia credat uere esse Deum.

EGO DIXI IN CONSTERNATIONE MEA, OMNIS HOMO MENDAX, In his ipsis doloribus & consolationibus meis cognoui securos simpliciter mendaces esse, id est, nõ rectè sentire de Deo, non agnoscere peccati magnitudinem, non ualde timere iram, non ardere fide & dilectione erga Deum, sicut ardere debebant, postea consternati sentimus & agnoscimus hanc hypocrisin, & sancti hæc mendacia deplorant. Ita dicit Ieremias cap. 31. Castigasti me Domine & eruditus sum sicut iuuenculus indomi-

Omnis homo mendax, id est, non rectè sentiens de Deo.

tus,postquam ostendisti mihi egi pœnitentiam. Item,cũm iudicamur,à Domino corripimur,ne cum hoc mundo damnemur.

CALICEM SALVTAREM ACCIPIAM, id est,gratus accipiam liberationem & eam celebrabo, *VOTA MEA REDDAM*, Et in cruce confessionem inuocationem, & gratitudinem declarabo, & scio nos etiam ex hac morte reuicturos esse. *PRECIOSA CORAM DOMINO MORS SANCTORVM EIVS*, non solũm quia Deus uindex est,sed etiã quia certum est sanctis reddi uitam & gloriam, nec ruere eos in æternum exitium,sicut ruunt impij. Simul autem significatum est Ecclesiam in hac uita crucifi subiectam esse,ut suprà Psalmo 71. Preciosus sanguis eorum coram Domino,Hæc coram tota Ecclesia profitebor & concionabor. Ita significat præcipuos cultus esse, inuocationem, gratiarum actionem, propagationem doctrinæ & confessionem in cruce.

Præcipui cultus in Ecclesia qui sint.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXVI.

CXVI. *Psalm. est Prophetia de Ecclesia colligenda ex gentibus.*

LAVDATE DOMINVM OMNES GENTES, LAVDATE EVM OMNES POPVLI &c.

PRophetia est quæ affirmat Ecclesiam colligendam esse etiam ex gentibus, & deducit lectorem ad uetustas illas promissiones, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Item,Gentes ad eum congregabuntur. Agnoscamus igitur filium Dei, & læti accipiamus eius beneficium, ei obediamus & gratias agamus,De his beneficijs loquitur,cùm inquit: *CONFIRMATA EST SVPER NOS MISERICORDIA EIVS*, uel dominatur misericordia, non ira, sed propter filium & per eum recepti sumus, sanctificamur & saluamur, *ET VERITAS DOMINI MANET IN ÆTERNVM*, id est,promissio facta de Messia sine ulla dubitatione rata & immota est,& Ecclesia hoc modo saluabitur &c.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXVII.

CXVII. *Psal. uox est Messiæ*

CONFITEMINI DOMINO QVONIAM BONVS, QVONIAM IN SECVLVM MISERICORDIA EIVS &c.

CXVII. *Psal. Christus de sese citat.*

ETiam uetus Synagoga intellexit hunc Psalmum esse uocem Messiæ,& Dominus eum de sese citat,Matth.25. Et in Ephesijs enarratur uersus,Lapidem quem reprobauerunt ædificantes factus est in caput anguli, id est, hic Messias quem ędificantes,id est,doctores,principes & gubernatores delere conati sunt, factus est fundamentum Ecclesiæ,id est, propter eius obedientiam Ecclesia recepta est,& ipse dominatur in Ecclesia, id est,colligit eam uoce Euangelij & est in ea efficax,sanctificat illam Spiritu suo sancto,protegit & saluat eam,sicut ipse inquit,Nemo rapiet oues meas ẽ manibus meis.

Si Dauidi accommodetur, fatendũ est typo significari passiones & uictorias Messiæ

Quanc̃ autem aliqui disputare uolent Dauidem hîc loqui, Tamen fatendum est Typo principaliter significari Messiæ passiones & uictorias,sic igitur interpretemur Psalmum quasi Messias ipse recitet suam passionem & uictoriam. Ac initiõ Dominus alloquitur uniuersam Ecclesiam,iubet omnes agere gratias

gratias Deo, pro hoc immenso beneficio, quōd filium constituerit mediatorē, & uoluerit per eius obedientiam placari iram, & per uictoriā destrui mortem, & sic recipi & saluari genus humanum. Hoc mirandum consilium uult in Ecclesia recitari, uult notum esse, ut multi saluentur & Deum in omni æternitate celebrent. Hæc est simplex sententia quatuor uersuum initiō, *CONFITEMINI DOMINO*, id est, agnoscite eum, celebrate eum, agite gratias propter ingentia beneficia, quōd filium constituit mediatorem, & sic colligit æternam Ecclesiam.

Nominatim autem alloquitur *DOMVM AARON*, ut significet ministros Euangelij & doctores debere incoare hanc celebrationem docendo, inuocando, gratias agendo.

Sequentes uersus usq; ad hoc dictum, Lapidem quem reprobauerunt &c. sinut narratio passionis & uictoriæ, & nominatim canitur pæan de abolita morte, *NON MORIAR SED VIVAM, ET NARRABO OPERA DOMINI*. Sequentes uersiculi exponunt causam finalem, propter quam passus est Messias, scilicet, ut fieret fundamentum Ecclesiæ, propter suam reuerentiam exauditus est &c. Hac obedientia, hoc merito placata est ira Dei, propter hoc λύτρον credentes accipiunt remissionem peccatorum, & reputantur iusti sicut expressē dictum est, Quem posuit propiciatorem per sanguinem, &c. & cūm recipiuntur, simul sanctificat eos Spiritu suo sancto, sicut etiam expressē dicitur, Accepistis Spiritum adoptionis filiorum.

Sunt autem inserta lumina & παθη, ut Epiphonemata sunt: *MELIVS EST CONFIDERE IN DOMINO, QVAM CONFIDERE IN PRINCIPIBVS*, &c. Præcipit ut obediamus Deo, & non faciamus contra eum fracti metu, aut doloribus, sed certō statuamus ipsum nobis adesse, & daturum æternam salutem, sicut Psalmo 36. dicit: Expecta Dominum & custodi uiā eius &c. *OMNES GENTES CIRCVMDEDERVNT ME*. Etiam in externa passione destitutus fuit Christus ab omnibus hominibus, & inuaserunt eum non solūm Iudæi, sed etiam gentes, Pilatus & uariarum gentium multitudo, sed multō magis diabolus. *Lumina & παθη huius Psalmi.*

Præterea loquitur Christus non tantūm de sua persona, sed etiam de tota Ecclesia, quam ubiq; omnes gentes & diaboli inde usq; ab initio persequuti sunt: sed omnes impij perituri sunt & euanescent, sicut ignis spinarum citō deflagrat. *Christus non de se tantūm sed & de Ecclesia loquitur.*

Sæpē repetita est præcipua pars narrationis, in qua affirmat Christus se & passum & seruatum esse, *DE TRIBVLATIONE INVOCAVI, ET RESPONDIT MIHI DOMINVS IN LATITVDINE*, In latitudine, id est, patefacto exitu. *IMPVLSVS SVM VT CADEREM, SED DOMINVS ADIVVIT ME*. Hæc dicta recitantur ut sint testimonia de passione & liberatione. Fit etiam mentio inuocationis Dei, ut sciamus nos quoq; liberari quærentes auxilium inuocatione Dei, & quidem exaudiri nos propter hunc ipsum Messiam, qui hīc profitetur se constitutum esse, ut sit caput anguli, id est, ut habeat Ecclesiam, quam non sinat interire.

Sequatur autem liberationem confessio doctrinæ & gratiarum actio, sicut hīc ait: *NON MORIAR SED VIVAM, ET NARRABO OPERA*

Liberationem sequatur confessio & gratiarum actio.

RA DOMINI, id est, reuiuiscit Messias, ut sit testis de Deo, quòd hoc modo & ipsum seruauerit, & quòd per eum resuscitatum uelit æternam Ecclesiam colligere, & reddere ei iusticiam & uitam. Sic liberantur ex media morte Ieremias, Daniel, Apostoli, ut sint testes de præsentia Dei & tota doctrina.

APERITE MIHI PORTAS IVSTICIÆ &c. Compellatio est ad Ecclesiam, quasi dicat, Ego resuscitatus accedam ad uos, id est, in arcem iusticiæ, in qua est iusticia, id est, uera Dei agnitio, & inuocatio, & sanctificatio per uocem Euangelij, & per Spiritum sanctum, IN HANC ARCEM, id est, IN HVNC COETVM INGREDIAR, id est, ibi regnabo, ibi

Descriptio Ecclesiæ in uersu Hæc est porta.

sonabo uocem Euangelij. HÆC EST PORTA, id est, ARX DOMINI, INTRABVNT IN EAM IVSTI, Totus hic uersus descriptio est ueræ Ecclesiæ, Ecclesia est porta Domini, id est, Templum uel arx Dei, id est, cœtus Deo placens in quo regnat filius Dei ostendens patrem, & sunt ibi credentes Euangelio qui sunt iusti, id est, per filium & propter filium fide recepti, & per eum Spiritu sancto sanctificati ad uitam æternam. Hæc porta, hæc arx est cœtus in quo Deus in omni æternitate se ostendet, & communicabit eis suam sapientiam & bonitatem, & erit omnia in omnibus. Alij omnes extra hanc portam seu arcem sunt damnati, & hostes Dei, sicut Ioannes inquit, Qui non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum.

Dictum est antea de uersu, LAPIDEM QVEM REPROBAVERVNT, HIC FACTVS EST IN CAPVT ANGVLI. Recitantur & in hoc uersu passio & liberatio, sed additur causa finalis, ut hic filius Dei sit fundamentum ex quo extruatur Ecclesia. Considerent autem iuniores figuram, CAPVT ANGVLI SEV LAPIDEM ANGVLAREM, nominat fundamentum cui imponuntur anguli, id est diuersi parietes, sicut Christo imponitur Ecclesia collecta ex Israël & ex gentibus. Intelligatur autem fundamentum non solùm de doctrina, sed etiam de redemtione & de efficacia. Primùm hoc modo fundamentum est, Quia unam Euangelij uocem tradidit, qua uniuersa Ecclesia inde usq; ab initio ad finem consociatur, iuxta dictum, Fundamentum aliud poni non potest præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Secundò Messias est fundamentum non modò propter doctrinam, sed etiam propter redemtionem & efficaciam. Quia propter eum cætera eius membra electa sunt, propter ipsius deprecationem & passionem, & ipse est efficax in eis, remittit peccata credẽtibus, sanctificat eos Spiritu suo sancto, exaudit eos, regit & protegit eos in uarijs periculis, depellit ab eis diabolos, dat eis uitam æternam. Hæc assidua beneficia impertit ueræ Ecclesiæ, Nec cogitemus ociosum Dominum, aut ociosam molem esse, sed uerè sua potentia nos gestat, & uult hæc beneficia agnosci, & fide peti, uult etiam sciri hos esse summos cultus Dei in Ecclesia, agnoscere hæc beneficia, fide ea petere, celebrare, & gratias agere, sicut in hoc ipso Psalmo Dominus inquit, DE TRIBVLATIONE INVOCAVI DOMINVM, & sunt insertæ inuocationes, O Domine salua &c.

Caput anguli seu fundamentum quomodo sit Christus.

Membrũ hosianna sumtum ex hoc Psalmo

Sciant iuniores hinc sumtum esse membrum הוֹשִׁיעָה נָּא salua quæso, nam & ipse Messias petit pro se & pro tota Ecclesia liberationem & saluationem, sicut de se inquit, Pater glorifica filium ea gloria, quam habuit apud te ante

ante constitutionem mundi. Et postea, Pater serua eos in ueritate tua.

BENEDICTVS QVI VENIT IN NOMINE DOMINI, Referatur ad promissionem, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Nam hîc benedictus non tantùm generaliter intelligatur de eo qui sit felix, qui adiuuetur à Deo, sicut Moyses, Iosue, Gedeon, fuerunt felices, sed nominatim de illo Domino propter quem promissa est benedictio generi humano, uidelicet restitutio iusticiæ & uitæ æternæ, sublata maledictione, id est, peccato & morte & ira Dei, & in singulis particulis est emphasis, *BENEDICTVS,* id est, primus & immediatè benedictus ab æterno patre, & benedicens cæteris, *QVI VENIT IN NOMINE DOMINI,* id est, peculariter missus ad hanc ipsam redemtionem & saluationem generis humani. *BENEDIXIMVS VOBIS DE DOMO DOMINI,* iam Christus & omnes Prophetæ & Apostoli alloquuntur Ecclesiam: benediximus uobis, annunciauimus Euangelium, annunciauimus hunc benedictum uenturum esse, narrauimus eius beneficia ut domus Domini ædificaretur & cresceret, ideoq; hæc postrema clausula de Ecclesia addita est, ut sciamus Deum uelle hæc sua beneficia nota esse & celebrari in genere humano, ut colligatur æterna Ecclesia, & hanc uerè Ecclesiam esse in quo sonat hæc benedictio, id est, uox Euangelij.

Vox benedictus quomodo intelligenda de Christo.

Hîc tota doctrina de Ecclesia cogitanda est, & phrasis sic intelligatur, *BENEDIXIMVS VOBIS DE DOMO DOMINI,* id est, uobis qui estis domus Domini, id est, qui estis uera Dei Ecclesia. Significat igitur non esse Ecclesiam Dei ullas gentes aut congregationes, quæ pugnant cum uoce Euangelij, & quòd usitatè dicitur, Non est salus extra Ecclesiam, id in hoc uersiculo expressum est, benediximus uobis de domo Domini. Sunt & sequentia uerba uox patrum, Prophetarum, & Apostolorum narrantium quid doceant, & iubentium conseruari ministerium, sonamus inquiunt hanc benedictionem, uidelicet, *DEVS EST DOMINVS ET ILLVMINATOR NOSTER,* Hæc uerba Psalmi fiunt illustriora collata antithesi, quasi dicat, gentium numina sunt commentitia, tantùm hîc יהוה, qui se patefecit in Ecclesia est uerus Deus omnipotens, & est *ILLVMIÑATOR NOSTER,* id est, consolator liberans nos à peccato & à morte, restituens iusticiam & uitam æternam exaudiens & iuuans nos. Hæc omnia comprehenduntur uocabulo illuminatoris.

Non est salus extra Ecclesiam.

Postea iubent hoc ministerium conseruari: *ORNATE FESTVM FRONDIBVS VSQVE AD CORNVA ALTARIS,* id est, celebrate festum, conseruate publicum ministerium & doctrinæ puritatem. Ita præcipiunt reuerenter adiuuari publicam ministerij Euangelij conseruationem, non dissipari Ecclesiam, non fieri uastitatem, sed foueri uera doctrinæ studia, communem Ecclesiæ consociationem omnibus officijs. Pictura frondium contextarum & alligatarum ad altare, imago est docentium & auditorum, qui sint consociati uoce doctrinæ, inuocatione, confessione, gratiarum actione; & alligati ad unum altare, id est, ad mediatorem, & unitatem Ecclesiæ.

Pictura frondium alligatarum ad altare imago est docentium et auditorum.

Reliqui uersus sunt repetitio gratiarum actionis. Totus igitur Psalmus principaliter narratio est passionis & uictoriæ Messiæ, & causarum propter

propter quas passus est & uicit, & inserta sunt πάθη, gratiarum actiones, & precationes & commemorationes de Ecclesia & ministerio Euangelij.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXIX.

ℵ Aleph.

BEATI IMMACVLATI IN VIA, QVI AMBVLANT IN LEGE DOMINI &c.

CXVIII. Psal. continet doctrinam de Ecclesia quæ sit & ubi sit. 1. Pars.

HVius longi carminis eædem sunt sententiæ crebrō repetitæ, ut in hymnis fiebat. Quia repetitio significat magnitudinem affectuum: est autem hic Psalmus principaliter doctrina, quæ sit & ubi sit uera Dei Ecclesia, uidelicet, quæ retinet puritatem doctrinæ à Deo traditæ, Hanc principalem & perpetuam sententiam huius Psalmi esse sciamus, ideoq; uetustas uoluit eum familiarissimè notum esse hominibus, ut quotidiè lectores commonefierent, de retinenda puritate doctrinæ. Miscentur autem gratiarum actiones, quōd Deus doctrinam patefecerit, & certæ Ecclesiæ tradiderit. Item, Confessio, qua affirmamus nos hanc doctrinam amplecti. Item, Precatio, ut doceamur ac iuuemur contra hostes doctrinæ. Item, Consolationes sumtæ ab effectibus doctrinæ, quōd hac uoce Deus conuertat & uiuificet credentes. Hęc membra dulcissimè miscentur, ut ostendet ipsa lectio.

Primus uersus doctrina est, quo rectè intellecto aditus patefit ad totum Psalmum, *BEATI IMMACVLATI IN VIA, QVI AMBVLANT IN LEGE DOMINI*, id est, illi soli sunt membra ueræ Ecclesiæ Dei, qui amplectuntur doctrinam Dei incorruptā fide & bona conscientia.

Verba, immaculati, iustificationes & similia non sunt intelligenda νομικῶς sed Euangelicè.

Hîc primūm monendi sunt iuniores hæc uerba in toto Psalmo sparsa, Immaculati, ambulantes in lege Domini, custodientes mandata Domini, iustificationes, testimonia, non intelligi νομικῶς de impletione legis, de qua dicitur in Deuteronomio, Maledictus qui non permanet in omnibus his, quæ scripta sunt in lege: sed hoc loco & sæpè aliâs loquitur uox diuina Euangelicè de professione incorruptæ doctrinæ, quæ tamen fit fide & bona conscientia, ut Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum & mansionem apud eum faciemus. Vt enim ibi seruare sermonem, nequaquam intelligitur νομικῶς de integra impletione legis, sed de custodia incorruptæ doctrinæ in fide & bona conscientia, ita intelligantur similia uerba in hoc Psalmo, Ambulantes in lege tua. Item custodio mandata tua. Ac dictum illud Christi prorsus congruit cum hoc toto Psalmo, & huc accommodetur tanquam planissima enarratio. Ostendit enim quæ & ubi sit Ecclesia Dei, & addit promissiones omnium summas expressius quām Psalmus. Nihil potest dici maius his bonis, Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus, Pater remittet peccata, diliget nos, & reputabit iustos propter filium Dei, & efficiemur domicilium diuinitatis: filius mediator placat nobis patrem, & est umbraculum. Ita Pater & Filius spirant in cor tuum Spiritum sanctum, & postea manifestius habitabit in nobis diuinitas in omni æternitate, erit omnia in omnibus, id est, aget immediatè sua luce in nobis, & conspicietur, non aget per ministerium Euangelij sicut nunc agit.

Vocabulum

Vocabulum pro quo interpretes usi sunt nomine immaculati, Hebræis est תמים, quod significat integrum, ut cùm de pecude dicimus, pecudem nec mutilam esse nec cœcam, nec claudicantem, nec scabiosam, nec febri laborantem. Igitur uetustissimo more loquendi de homine, significat integrum sine corruptela, id est, sine falsa opinione, uel cultu idolatrico, ut Genes. 12. dicitur, Ambula coram me, & esto integer, id est, custos incorruptæ doctrinæ in fide & bona conscientia. Hæc est planissima enarratio, & postea dicitur. Deut. 18. Integer esto coram Domino Deo tuo, id est, sine falsa opinione & cultu idolatrico, ibi enim prohibet idola & magiam. In his locis conspici potest, quomodo uetustas hoc uocabulo usa sit. Postea eodem modo Psalmus loquitur. Significat ergo immaculati custodes incorruptæ doctrinæ in fide & bona conscientia, id est, tales qui sunt sine falsa opinione & cultu idolatrico, & uera fide & bona conscientia uerum Deum inuocant.

Verbum immaculati, in Hebræo textu significat integrum.

Secundus uersus est repetitio prioris sententiæ, *QVI SCRVTANTVR* testimonia eius, id est, qui non discedunt à uerbo Dei, *ET TOTO CORDE*, id est, integro corde, non distracto ad idola, quærunt uerbum Dei, hi sunt beati, id est, sunt membra ueræ Ecclesiæ Dei, & ad eos pertinent promissiones.

Tertius uersus est antithesis, *NON OPERANTVR INIQVITATEM AMBVLANTES IN VIIS EIVS*, id est, discedentes à uerbo, fingentes sua dogmata & suos cultus, ut Mahomet, Papa, Monachi operantur iniquitatem, id est, displicentia Deo, damnata, etiamsi in speciem ritus & mores sunt pulcri.

Quartus uersus ἀλλολογία est & doctrina, Deus seueriſſimè prohibet discedere à uerbo Dei, iuxta illa dicta, Hunc audite. Item, Si quis aliud Euangelium docet anathema sit. Sequuntur precatio, & consolatio, gratiarum actio, & confessio, in qua affirmat se non discessurum esse à uerbo Dei. Ita hic octonarius præcipuè est doctrina docens, quæ & ubi sit uera Ecclesia Dei, & hos esse uera Ecclesiæ membra, qui sunt custodes uerbi diuini incorrupti in fide & bona conscientia. Postea miscentur πάθη.

ב Beth.

IN QVO MVNDAM FACIET ADOLESCENTIOR VIAM SVAM? &c. II. pars.

PRimus uersus est recitatio mandati de custodienda puritate doctrinæ, *SIC VIA ERIT MVNDA*, id est, Deo placens, *SI CVSTODIES VERBVM DEI INCORRVPTVM*, id est, Si retinebis doctrinam incorruptam fide & bona conscientia, Ac prorsus eadem sententia est, quæ est primi uersiculi, Beati immaculati.

Secundus uersus precatio est, oro ne sinas me errare à mandatis tuis.

Tertius confessio est, in corde abscondi &c.

Quartus precatio, doce me iustificationes tuas. Reliqui omnes sunt confessio, In labijs meis, &c.

ג Gimel.

RETRIBVE SERVO TVO, ET VIVAM ET CVSTODIAM SERMONES TVOS. III. pars.

Primus

PRimus uersus est precatio, ut in calamitate & persecutione protegatur, ut possit propagare & sonare uocem ueræ doctrinæ, *RETRIBVE SERVO TVO*, id est, uicissim ex ærumnis me erigas & consoleris. Nam retribuere hîc non significat reddere mercedem aut compensare meritum, sed significat uicissitudinem ex persecutione, Transfer me ad talem statum in quo possim alios docere, non sinas extingui & deleri Ecclesiam, ideò addit, *IVSTIFICA ME*, Sicut suprà inquit, Non moriar sed uiuam, & narrabo opera Domini.

Secundus & tertius uersus sunt precatio, ut doceat nos Deus. Et querela inserta est, *SVM PEREGRINVS*, non habeo regnum, defensionem, potentiam, sicut uerè uidemus Ecclesiam sine humanis præsidijs esse, ideò tu sis protector.

Quartus confessio est, Diligo doctrinam tuam.

Quintus precatio contra aduersarios, *INCREPA SVPERBOS, MALEDICTI QVI DECLINANT A MANDATIS TVIS*. Expressa condemnatio est corrumpentium doctrinam, quos nominat superbos, quia sunt sine timore Dei, & fiducia suæ sapientiæ & potentiæ religiones & dogmata constituere conantur. Vt Nabuchodonosor, Pontifices, Mahomet, Samosatenus, Arrius, Pelagius & alij.

Sextus & septimus uersus, Precatio contra persecutores, Non sinas obrui Ecclesiam. Nam & Principes aduersantur nobis.

Octauus uersus confessio est, Testimonia tua sunt mea meditatio, & sunt mei consiliarij.

ד Daleth.

IIII. Pars. *ADHÆSIT PVLVERI ANIMA MEA, VIVIFICA ME SECVNDVM VERBVM TVVM.*

PEnè singuli uersus sunt precationes, ut iuuetur & ut doceatur, & expressè citat promissionem, *VIVIFICA ME VERBO TVO*. Agnoscit hanc consolationem fieri uerbo, & acquiescit in promissione, sicut infrà dicit, Sustinuit anima mea in uerbo eius, sperauit anima mea in Domino, id est, quæro Dominum in promissione, & acquiesco in Domino propter promissionem. Nec quærenda est alia illuminatio extra uerbum, ut Rom. 15. dicitur, Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, ut infrà, Lucerna pedibus meis uerbum tuum,

Sequuntur querelæ de ærumnis, *IACET IN PVLVERE ANIMA MEA*, Viuifica me uerbo tuo. Est petitio, Doce me iustificationes tuas, &c.

DORMITABIT: uel *LIQVEFACTA EST ANIMA MEA*, Repetitio ærumnarum, Noli me confundere, id est, non sinas me confundi, nõ sinas labores meos esse irritos.

ה He.

V. Pars. *LEGEM PONE MIHI DOMINE VIAM STATVTORVM TVORVM, VT CVSTODIAM EA SEMPER.*

Singuli

SInguli uersus sunt precationes, ut doceatur, regatur, confirmetur, defendatur. Tenenda est autem natiua uerborum interpretatio, ubi nos legimus, *LEGEM PONE MIHI DOMINE VIAM IVSTIFICATIONVM TVARVM*, Commodior interpretatio est, Doce me Domine uiam statutorum tuorum, id est, doctrinam tuam, fac ut rectè intelligam uniuersam doctrinam fundamenti.

AVERTE OCVLOS MEOS NE VIDEANT VANITATEM, Id est, rege mentem & cor meum ne propter res uanas, opes, potentiam, gloriam, uoluptates deficiam à uerbo tuo.

STATVE SERVO TVO ELOQVIVM TVVM, Id est, confirma seruum tuum ut firmiter & constanter retineam eloquium tuum, & ut te uerè timeam, & anteferam odijs & minis potentum, quasi dicat, ut te timeam, non mundum, sicut Dominus inquit, Ne timeatis eos qui possunt occidere corpus, sed timete Deum, qui potest animam & corpus perdere.

AMPVTA OPPROBRIVM, Id est, aufer hoc probrum, quod deleto uerbo & oppressa Ecclesia sequeretur, non finito triumphare aduersarios & eos cumulare blasphemias, sicut & alibi dicitur, Ne dicãt, ubi est Deus eorũ.

ה Vau.

ET VENIAT SVPER ME MISERICORDIA TVA DOMINE, SALVTARE TVVM SECVNDVM ELOQVIVM TVVM. VI. pars.

PRimus uersus est precatio, Veniat super me &c. quæ intuetur promissionem misericordiæ.

Secundus, Confessio est.

Tertius, precatio, Et ne auferas &c.

Quartus, Confessio, Et custodiam Legem tuam, &c.

Quintus, Consolatio, *AMBVLABO IN LATITVDINE*, id est, habebo consolationem, lætabor, quia tua doctrina me sustento, & tu me seruas propter gloriam tuam. Cæteri sunt confessio, *LOQVEBAR DE TESTIMONIIS TVIS.*

ז Zain.

MEMOR ESTO VERBI SERVI TVI, IN QVO MIHI SPEM DEDISTI. VII. pars.

MEMOR ESTO VERBI, &c. Primus uersus precatio est, in qua intuens promissionem petit se iuuari & seruari. Ac ut sæpè aliâs, ostendit hoc exemplo, quomodo fieri inuocationem oporteat, & deinde quomodo fiat consolatio. In precatione intueamur promissionem & hunc uerum Deum, qui se traditis promissionibus patefecit, & constituit Mediatorem ac Propiciatorem. Deinde quanquam horribiliter nos indignitas nostra deterret, tamen fides anteferat promissionem diuinam & Mediatorem, & eluctetur ex dubitatione, petat & expectet auxilium, Hoc cùm fit sequitur pax in corde, ut Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus. Item, Pax Dei regnet in cordibus uestris, Et hoc modo fieri consolationem hîc inquit, Cùm cor tuum fide & spe acquiescit in promissione & Mediatore, & statuis audiri tuos gemitus, te

Precatio intueatur promissionem & Deum patefactũ.

protegi à Deo, & expectas auxilium propter Mediatorem. Ita hîc inquit, Sic fit consolatio, Eloquium tuum uiuificat me.

Est ergo secundus uersus dulcissima doctrina, recitans quomodo fiat consolatio, & congruit hæc sententia, cum illis notissimis dictis, quæ deducunt nos ad uerbum, id est, ad promissiones, Propè est uerbum in ore tuo. Si credideris saluus eris. Item Rom. 15. Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Non intelliguntur hęc sine ueris exercitijs inuocationis, Quę runt Anabaptistæ & Enthusiastæ alias illuminationes & raptus extra uerbum Dei, & non uolunt acquiescere fide. Homines profani tantisper acquiescunt, donec ratio ostendit certa præsidia. Nos autem sæpè in quotidianis gemitibus, & in his publicis & priuatis miserijs repetamus hos uersiculos, Memor esto uerbi tui seruo tuo. Recorderis promissionem tuam, in qua affirmas te Ecclesiam, & omnes inuocantes te propter Filium seruaturū esse, & iubes nos petere & expectare promissa. Hac consolatione sustentamus nos, credimus nos tibi curæ esse propter Mediatorem. Hac fide & spe erecti non fugiemus communes labores & pericula in docendo, in confessione & alijs necessarijs laboribus.

Tertius uersus est narratio persecutionis & confessio aduersus Tyrannos & Hypocritas.

Quartus narratio est consolationis.

Quintus indignatio, zelo uel indignatione accēdor aduersus peccatores.

Sextus & septimus, Confessio.

Octauus etiam Confessio est, & phrasis consideretur. Hæc facta est mihi, id est, hoc meum est, Quasi dicat, hoc meum præcipuum bonum est, hoc mihi præcipuè curæ uel cordi est, hæ sunt meæ summæ deliciæ, custodire mandata tua, id est, retinere doctrinam incorruptam fide & bona conscientia, iuxta illud, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, &c.

ח Heth.

VIII. Pars. *PORTIO MEA DOMINE, DIXI, CVSTODIRE LEGEM TVAM.*

PRimus uersus est Confessio & Consolatio, *PORTIO MEA DOMINE*, Id est, hæc est mea hæreditas, hoc est meum præcipuum bonum, quo me sustento, conseruatio doctrinæ incorruptæ, sicut suprà dixit.

Secundus uersus Precatio est.

Tertius, Quartus, Quintus, Sextus, sunt Confessiones & interspersa est mentio persecutionis.

Septimus uersus est Confessio nominatim de Ecclesia, Affirmat se esse membrum Ecclesiæ, *SOCIVS SVM OMNIVM TIMENTIVM TE, ET CVSTODIENTIVM DOCTRINAM TVAM*, id est, sum coniunctus cum uera Ecclesia, uel sum ciuis & membrum ueræ Ecclesiæ, cum illa te inuoco, cum illa expectabo bona Ecclesiæ promissa, id est, præsens Ecclesiæ auxilium & præsentem Ecclesiæ conseruationem. Necesse est enim singulos & quærere ueram Ecclesiam, & se ei adiungere fide, professione, inuocatione, & uoluntatis coniunctione, Sicut Psalmo 26. dicitur. Vnum petij à Domino, hoc requiram, ut habitem in Domo Domini, omnibus diebus uitæ

Singuli debent quærere uerā Ecclesiam, & se ei adiūgere.

Item, Psalmo 83. Beati qui habitant in domo tua Domine. Et Psalmo 92. Plantati in domo Domini, in atrijs Dei nostri florebunt.

Octauus uersus est precatio.

ט Teth.

BONITATEM FECISTI CVM SERVO TVO DOMINE, SECVNDVM VERBVM TVVM. IX. pars.

DVo priores uersus sunt precationes, *BENEFAC CVM SERVO TVO SECVNDVM VERBVM TVVM*, ubi uides precantem intueri promissionem, *DOCE ME, QVIA MANDATIS TVIS CREDO.* Petit initia fidei confirmari & illustrari, ut alibi, Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

Tertius uersus est doctrina de utilitate crucis, Antequam humiliarer erã ignarus, aberrabam, desipiebam, nunc tua dicta magis intelligo, & magis amo.

Eadem sententia in uersu septimo dulcissimè repetita est, *BONVM MIHI QVOD HVMILIATVS SVM, VT DISCAM STATVTA TVA.* Hîc mente repetenda est integra doctrina de cruce, & de causis calamitatum, & hoc testimonium ad causam finalem referatur, Quòd affligimur non ut pereamus, sed ut retrahamur ad pœnitentiam, iuxta illud, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortẽ peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Cumq; sciamus quare uelit Deus Ecclesiam subiectam esse crucí, obediamus ei patienter in his miserijs, & petamus mitigationem, & expectemus liberationem. Huc pertinent dicta Ieremiæ, Eram indomitus sicut iuuenculus, castigasti me, & egi pœnitentiam.

י Ioth.

MANVS TVÆ FECERVNT ME, ET PLASMAVERVNT ME, DA MIHI INTELLECTVM VT DISCAM MANDATA TVA. X. pars.

PRimus uersus precatio est, cui præposuit causam, *MANVS TVÆ FORMAVERVNT ME*, sicut apud Esaiam, Nos sumus lutum tuũ, Quasi dicat, cùm simus tua creatura, & tu non condideris nos ad exitium, obsecro te respicias & erigas nos.

Secundus uersus, Alia causa quare petat auxilium, uidelicet ut alij quoq; confirmentur, cùm uident adesse Deum Ecclesiæ suæ.

Tertius uersus Confessio est, Adfirmo tuam doctrinam ueram & non commentitiam esse, & quanquam afflixisti me, tamen non afflixisti ut perderes, sed fideli animo et clementer castigasti me, et mitigasti pœnam, iuxta illud: Domine in iudicio corripe me, non in furore, ne ad nihilum redigas me.

Quartus & Quintus uersus, rursus petunt mitigationem.

Sextus, precatio contra persecutores.

Septimus est precatio pro Ecclesia, Conuertantur ad me.

Octauus precatio, ut in ipsa conseruetur doctrinæ puritas.

כ Caph.

CONCVPIVIT SALVTEM TVAM ANIMA MEA, ET IN VERBVM TVVM SPERAVI. XI. pars.

DVo priores uersus sunt precationes, *ANIMA MEA DESIDERIO AVXILII TVI PENE EXPIRAT*, id est, ualde oro ut me iuues.

Tertius uersus querela de persecutione, sed Latina lectio mendosa est, *SICVT VTER IN PRVINA*, Legendum est, *QVIA FACTVS SVM SICVT VTER IN FVMO*, id est, arefactus sum sicut pellis, seu uter suspensus in fumo, Nec similitudo obscura est, nec res ignota, experimur enim nos assiduis doloribus arefieri & consumi.

Quartus uersus precatio defensionis, ut defendatur contra persecutores.

Quintus uersus, *FODERVNT MIHI SVPERBI FOVEAS*, id est, struunt insidias & sophismata, sicut nunc Sophisticis argumentis & consilijs falsa dogmata & idola defenduntur.

Sextus uersus antithesis est, Tua doctrina est ueritas, non est sophistica, non commentitia, Cætera membra sunt querelæ de precatione & de persecutione.

ל Lamed.

XII. pars. *IN ÆTERNVM DOMINE, VERBVM TVVM PERMANET IN COELO.*

De perpetuitate Ecclesiæ assueratio.

TRes primi uersus sunt consolatio & assueratio de perpetuitate uerbi Dei & Ecclesiæ. Qualis illa est assueratio, Portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam: Omnibus enim necessaria est hæc communis consolatio, ut sciamus uerè colligi æternam Ecclesiam, & Euangelium non esse inanem sonitum, nec frustra nos credere, sed uerè habituros esse æterna bona, & Deum conseruaturum esse Ecclesiam, etiamsi imperia mundi uarijs modis turbantur & ruunt. Non igitur deficiamus à Deo, quia scimus nostram fidem & spem non esse irritam.

Quartus uersus applicatio est consolationis: Sustento me his tuis dictis & promissionibus, alioqui interirem, sed erigo me & non deficio, quia scio & doctrinam tuam & Ecclesiam te conseruaturum esse, & promissiones nobis ratas & firmas esse.

Quintus uersus est Confessio.

Sextus precatio, Tuus sum saluum me fac.

Septimus querela de persecutione.

Octauus uersus repetitio est consolationis, & assuerationis: Cætera prætereunt, sed tua dicta manent &c.

מ Mem.

XIII. pars *QVOMODO DILEXI LEGEM TVAM, TOTA DIE MEDITATIO MEA EST.*

OMnes uersus sunt confessio, & quòd inserit collationem quæ uidetur parum modesta, pertinet etiam ad confessionem, cùm enim aduersarij antecellant autoritate, sapientia, specie iusticiæ, ualdè difficile est à talibus uiris dissentire, & talium præstantium autoritate, sapientia & iudicijs non moueri, & tamen necesse est etiam aduersus tales retinere confessionem ueritatis, in hanc sententiam hîc dicitur, Super omnes inimicos meos prudentem me fecisti.

נ Nun.

LVCERNA PEDIBVS MEIS VERBVM TVVM, ET LVMEN SEMITIS MEIS. XIIII. pars.

PRimus uersus & doctrina & confessio est, ꝙ oporteat regi nos uerbo Dei, non commentitijs opinionibus pugnantibus cum uerbo Dei, ut alibi sæpè dicitur, Ad Legem & ad testimonium. Item, Num. 15. In Lege mea ambulate.

Secundus uersus confessio cum iuramento, iuro et conseruabo ueritatem, custodiam iudicia & iusticiam tuam, id est, doctrinam.

Tertius est querela & precatio.

Quartus precatio, *VOLVNTARIA ORIS MEI BENE PLACEANT TIBI DOMINE*, id est, oblationes oris mei, inuocatio, confessio, propagatio & studia doctrinæ placeant tibi. Hos cultus offert Deo, & significat ueros cultus esse, non mactationes pecudum, ut Oseæ 14. dicitur: Omnem aufer iniquitatem & redde bonum, & reddemus uitulos labiorum nostrorum.

Quintus uersus querela est de persecutione, *ANIMA MEA IN MANIBVS MEIS SEMPER*, Id est, uita in assiduis periculis est, ut Iudicum 12. & alibi. Cæteri uersus sunt confessio.

ס Samech.

INIQVOS ODIO HABVI, ET LEGEM TVAM DILEXI. XV. pars.

PRimus uersus cõfessio est pathetica adijciens mentionem zeli, *INIQVOS ODIO HABVI*, potes legere, præstigiatores, uel calumniatores uel sophistas, impostores.

Secundus est precatio.

Tertius uox condemnans aduersarios.

Quartus & Quintus precatio est.

Sextus uox condemnans aduersarios: conculcas omnes &c.

Septimus, *VELVT SCOREAM DELES OMNES IMPIOS DE TERRA*, etiam uox est condemnans aduersarios.

Octauus est confessio, quòd non contemnat iudicium Dei, sicut aduersarij contemnunt, *CONSTERNATA EST CARO MEA PRÆ TIMORE TVI.*

ע Ain.

FECI IVDICIVM ET IVSTICIAM, NON PERMITTAS ME CALVMNIANTIBVS ME. XVI. pars.

PRimus uersus precatio & confessio est, *FACIO VEL FECI IVDICIVM ET IVSTICIAM*, Affirmat causam suam esse iustam, non loquitur de iusticia personæ, & uniuersaliter uerum est, primùm oportere statuere personam iustam esse, propter Mediatorem fide gratis, per misericordiam, iuxta illud, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, Sed iustificati fide pacem habemus, Quæ dicta loquuntur de iusticia personæ. Simul autem oportet esse iusticiam bonæ conscientiæ in nobis, id est, bonum propositum. Ad id pertinet hoc quoq; nequaquam uelle defendere falsas opiniones.

Phrasis hebræa, Facio iudicium & iustitiam.

Ac phrasis consideretur, *FACIO IVDICIVM*, id est, damno & fugio iniusta, *FACIO IVSTICIAM*, id est, approbo & uolo iusta, id est, à Deo præcepta, ita & de iustitia causæ loquitur, Facio iudicium & iustitiam, sicut & Paulus dicit: Hæc est gloriatio nostra, approbatio conscientiæ nostræ. Item, Si quis gloriatur, in Domino glorietur. Item, Probet unusquisq; opus suum. Cæteri uersus sunt precationes. In sexto uersu est πάθος de mora, quasi dicat, quæso ne diutius differas auxilium, nisi statim feres opem, deletur tota Ecclesia.

ב Pe.

XVII. part.

MIRABILIA TESTIMONIA TVA, IDEO SERVAVIT EA ANIMA MEA.

PRimus uersus oppositus est humanæ sapientiæ, & est laudatio doctrinæ Dei, id est, assueratio, quòd sit uera & efficax, etiamsi spreta est humanis iudicijs, *MIRABILIA SVNT TESTIMONIA TVA*, Id est, sunt arcana, tua doctrina est arcana, & tamen uera & efficax mirabiliter præter opinionem rationis. Humana sapientia habet suas metas, non iudicat post mortem restare aliam uitam, sed uerbum DEI affirmat restare aliam uitam, & fide accipiens uerbum & Deo credens, sentit consolationem & uitam, & agnoscit uerbum Dei uerum & efficax esse, sic humana sapientia in Saul existimat, à rege facilè unum exulem opprimi posse, sed David credens uerbo Dei, scit se posse seruari. Sic totius Ecclesiæ exemplum intueamur, Humana sapientia in regibus existimat se facilè delere posse Ecclesiam, sed Ecclesia scit uerbo Dei decretum esse ne deleatur, ac fide perfert ærumnas & experitur protectionem, Ita doctrina & arcana est, & mirifica, id est, uera & efficax, Huc accommodentur dicta, 1. Cor. 2. Docemus sapientiam non principum mundi, sed stulticiam crucis. Addit igitur laudationi consequens, ergo eam amplectamur.

Sequens uersus est interpretatio priorum, *TVA DOCTRINA EST ARCANA, SED TAMEN INTELLIGITVR, DAT INTELLECTVM PARVVLIS*, intelligitur à credentibus, iuxta illud: Spiritus sanctus ducet uos in omnem ueritatem. Item unctio docet uos. Et petendum est, ut Deus augeat lucem in cordibus nostris, sicut inquit, Quantò magis Pater uester cœlestis, dabit Spiritum sanctum petentibus. Et crebrò repetita est hæc precatio in hoc toto Psalmo.

Tertius uersus est descriptio desiderij.

Quartus & Quintus precationes. Obserua & formam sermonis, *NON DOMINETVR IN ME OMNIS INIQVITAS*, significat esse in Sanctis magnas infirmitates, sed hîc orat ne dominetur, ne Spiritus sanctus & fides excutiantur, & sumta est phrasis ex Genesi: Sub te sit appetitio, & tu dominaberis ei. Et imitatus est Paulus hanc formam Rom. 6. Non regnet in uobis peccatum, ubi nota sunt illa quæ dicimus de peccato regnante, & non regnante.

Non dominetur in me iniquitas, id est, non regnet in me peccatum.

Sextus uersus, petitio contra aduersarios: Redime me, &c.

Septimus petitio ut doceatur & consolationem experiatur.

Octauus, πάθος & indignatio contra aduersarios &c.

ד Sade.

צ Sade.

IVSTVS ES DOMINE, ET RECTVM IVDICIVM TVVM. XVIII.pars.

PRimus uersus etiam est laudatio doctrinæ opposita iudicijs humanę sapientiæ. Reliqui sunt autem querelæ de aduersarijs, aut petitiones.

Quartus uersus, *IGNITVM ELOQVIVM TVVM*, Id est, probatum est uerbum tuum, ut aurum igni probatur, id est, inter tentationes comperi efficaciam tuæ doctrinæ, scio ueram non fucatam, scio efficacem esse.

Eadem est et sequentium uersuum sententia, interserto desiderio uocis diuinæ etiam inter opprobria & contemtum multiplicem.

ק Kuph.

CLAMAVI EX TOTO CORDE, EXAVDI ME DOMINE, STATVTA TVA CVSTODIAM. XIX.pars.

PRimi quinq; uersus sunt petitio & significatio animi ardentis desiderio discendi uerbi. Et diligenter & repetitiones & ingeminationes precum obseruandæ sunt, propter Stenckfeldij & Enthusiastarum furores, aspernantium uocem doctrinæ auditam, lectam seu cogitatam. Si enim nulla esset eius uocis efficacia, frustra testaretur Dauid, se dies noctesq; lectione & cogitatione doctrinæ consumere.

ר Res.

VIDE HVMILITATEM MEAM ET ERIPE ME, QVIA LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS, &c. XX.pars.

ש Schin.

PRINCIPES PERSECVTI SVNT ME SINE CAVSA, ET A VERBIS TVIS FORMIDAVIT COR MEVM, &c. XXI.pars.

ת Thau.

APPROPINQVET DEPRECATIO MEA IN CONSPECTV TVO DOMINE, &c. XXII.pars.

SVnt & reliqui Octonarij omnes præcipuè precationes ut iuuetur, doceatur, liberetur Ecclesia. Et admixtæ sunt querelæ, ut in precationibus usitatum est, simul exponere calamitatem, propter quam auxilium petitur.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXIX.

VAlde dulces sunt Psalmi, quorum titulus est Cantica graduum, sunt autem alia aliorum argumenta, Alij sunt precationes, alij cõsolationes, alij doctrinæ, ut ordinè dicemus.

Etsi autem de Titulo disputant, quare nominentur Cantica graduum, Tamen nos contenti simus hac simplici responsione. A loco sumtum esse titulum, quia stantes in loco eminentiori Sacerdotes, ante templum inde exaudiri poterant, cùm præcinebant hos breues & dulcissimos Psalmos populo. *Psalmi graduum à loco dicti.*

ARGVMENTVM GRADVVM I.

AD DOMINVM IN TRIBVLATIONE CLAMO, ET EXAVDIT ME.

I. Psalm. grad. precatio aduersus calumniatores.

PRecatio est aduersus calumniatores, ac præcipuè tales qui ueram doctrinam astutè deprauant, aut doctores calumniis opprimunt, sicut nunc multi excogitant præstigias & sophismata, ut fucosa specie stabiliant Idola, & sophismata quædam adeo speciosa sunt, ut difficilis sit refutatio. Necesse est igitur à Deo petere, ut tales præstigiatores reprimat, nec sinat deleri ueritatem. Dicitur & in genere de calumnijs, Non est remedium aduersus sycophantę morsum, ideo petendum est auxilium Dei.

Primus uersus est uox fidei, quam in omni inuocatione prælucere oportet, Credat inuocans suos gemitus & clamores non esse irritos, sed uerè se Deo curę esse, & exaudiri propter Mediatorem, & comprehendit Propheta uniuersam doctrinam, cùm nominat Deum יְהוָה, significat enim se inuocare Deum patefactum in promissionibus, qui in uera Ecclesia agnoscitur, & inuocatur, & discernit cultum ueræ Ecclesiæ ab omnibus alijs cultibus.

Secundus uersus est expressa precatio, quæ est propositio huius Psalmi, ubi precatur contra calumniatores.

Tertius amplificatio est, quæ ut sit ardentior continet interrogationem, & responsionem. *QVID DABIT LINGVA SYCOPHANTI, CA?* Id est, Quid agit, quomodo nocet calumniator? Sequitur responsio in uersu quarto, *NOCET VT SAGITTÆ VENENATÆ, ET SVNT INCENDIVM IVNIPERORVM*, Id est, citò latè grassatur fabula calumniatoris, ut iuniperi propter ligni pinguedinem celerrimè incenduntur. Vtitur autem duabus similitudinibus propter duplex damnum, Nocent calumniæ & corruptelæ doctrinæ, quia singulos interficiunt sicut sagittæ. Deinde sunt causæ dissidiorum, bellorum, & uastitatis, sicut incendium iuniperorum latè grassatur.

Quomodo noceat calumniator.

Quintus uersus est πάθος à loco, uidelicet usitata querela Ecclesiæ, quòd uersetur inter acerbissimos inimicos, ut Daniel sedet inter Leones. Item, Quòd deserta sit, sine præsidijs, sine amicis, ut Dauid inquit, Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. *SVM EXVL*, inquit, *IN MESECH, ET IN CEDAR*, Nominat gentes truces, sine religione & disciplina uiuentes. Cedar enim haud dubiè nominat Arabes à filio Ismaëlis, Gene. 15. Sunt autem Arabes diditi latrocinijs. Mesech filius fuit Iaphet, Gene. 10. Filij autem Iaphet occupârunt loca minoris Asiæ, & uicinum tractum in Europa & Septentrione, ut à Gomer sunt Cimmerij, à Tyras Thraces, à Riphat Riphæi, ab Ascanes Tuiscones, à Magog Scythæ, à Mesech Mossincœci, quorum fit mentio in Argonautica historia, uicini Colchis, Et fortassis inde gens & appellatio est Moschorum, Nam & Stephanus inquit, Μόσχοι ἔθνος κολχικὸν.

Mesech et Cedar.

MESECH, id est, extendens, uidelicet arcum. CEDAR niger. IAPHET dilatatio. GOMER manipulus. THYRAS populator. RIPHAEI gigantes. ASCANES custos ignis, inde dicuntur Tuiscones. ION deceptor. GOG tectum. MAGOG ortus à Gog. CITHIM percussores. MACETIS, Macedo ortus à Cittim.

Sextus

Sextus uersus, querela est sine figura recitata, quòd inter inimicos ardentes odijs habitet.

Septimus uersus causam odij ostendit, EGO inquit, PACEM VOLO, affero uocem diuinam & salutarem, cui cedere debebant, sed isti non desinunt furenter aduersari.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXXI.

GRADVVM II.

II. Psalm. graduum precatio pro uniuersali protectione.

LEVABO OCVLOS MEOS AD MONTES, VNDE VENIET AVXILIVM MIHI.

PRior Psalmus erat precatio nominatim petens, reprimi corruptelas doctrinæ & calumnias, sequens Psalmus est precatio pro uniuersali protectione, & sunt additæ dulcissimæ promissiones, quæ adfirmant inuocantes Deum, certissimè ei curæ esse, protegi à Deo, & ab eo regi, iuxta illa dicta, Iacta curam tuam in Deum, & ipse te enutriet. Item, Ego ero murus igneus in circuitu eorum. Item, Omnes capilli capitis uestri numerati sunt.

Sermo perspicuus est, præsertim recitanti in uera inuocatione, in qua fidē lucere oportet, & acquiescere in his promissionibus, sed phrasis consideretur. LEVABO OCVLOS MEOS AD MONTES, Id est, hos mōtes Ierosolymæ, Zion & Moriah, ad hos nominatim restringitur precatio, ut significet Propheta se hunc Deum inuocare, qui se ibi patefecit, qui hunc cultum uerè instituit, tradidit uocem suam & uerè est Deus, ac discernat suam inuocationem ab omnium aliarum gentium numinibus & cultibus. Sic et nos in inuocando cogitemus, quid alloquamur, ubi & quomodo se Deus patefecerit, & hunc uerum Deum compellemus, qui se patefecit misso Filio, et nitatur precatio Mediatore & intercessore Filio. Idem discrimen mox significatur, quia toties repetit nomen Dei יְהוָה, quo discernebatur uerus Deus patefactus in Israël, à commentitijs numinibus & cultibus aliarum gentium.

DOMINVS VMBRA SVPRA DEXTRAM TVAM, Id est, super omnia negocia tua, omnia erūt salutaria ipso regente & fortunāte.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXXII.

GRADVVM III.

III. Psal. graduum gratiarum actio pro Ecclesia & precatio.

LÆTATVS SVM CVM DICTVM EST MIHI, IN DOMVM DOMINI IBIMVS.

TErtius Psalmus gratiarum actio est, de constituta Ecclesia, & repetitio promissionis conseruandæ Ecclesiæ, postea & precatio additur pro Ecclesia. Vt autem hic totus Psalmus intelligatur, Dolores & solicitudinem piorum intueamur, qui cùm uident rerum humanarum confusiones, regnorum interitus, gentium dissipationes, furores opinionum, bella, uastationes, uident item in maxima parte generis humani extingui noticiam ueri Dei, ualde excruciantur, & orant seruari Ecclesiam. Hi rursus eriguntur promissione conseruandæ Ecclesiæ. Hac erecti consolatione lætantur, agunt Deo gratias, & addunt

addunt uota & gemitus. Ita in hoc Psalmo repetita promissione describuntur seu recitantur lætitia, gratiarum actio,& precatio. Est autem repetita promissio ut alibi sæpè, ut Ecclesia omnium temporum hanc consolationem teneat: Ecce ego maneo uobiscum,usq; ad consummationem seculi. Item, Portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam:Item quotidie recitas in Symbolo:Credo Ecclesiam catholicam.

Primus uersus propositio est, lætor & ago gratias Deo, pro hoc tanto munere,quòd promissio de conseruatione Ecclesiæ edita est. *IN DOMVM DOMINI IBIMVS, STANT PEDES NOSTRI IN PORTIS TVIS IERVSALEM,* Adfirmat in Ierusalem Templum Dei, & uerum ministerium futurum & mansurum esse omnibus temporibus, donec ueniet Siloh. Iam cogita quàm dulcis consolatio sit piæ menti scire,certò mansuram esse ueram doctrinam, agnitionem & inuocationem Dei, & collectionem Ecclesiæ ad uitam æternam, & quidem ut tunc sonabat promissio, loco certo.

Portæ hebræis curiam significant.

Portæ significant curiam & gubernationem, & emphasis est in uerbo stándi,quæ significat assiduitatem & firmitatem,quasi dicat, gubernatio est assidua,uigilans, intenta, & erit perpetua. Reliqui uersus omnes sunt narratio, propositionem exponens recitatione earum rerum, quæ sunt in hac gubernatione.

Tertius uersus loquitur de incremento & concordia omnium ordinum, & copulatio concinna est, quia præcipuè crescunt illi cœtus, in quibus est de rebus bonis consensus et concordia. Intelligas autem primùm concordiam docentium,postea & aliorum ordinum,ducum,magistratuum, militum, populi, & hi omnes copulati sunt ad unum caput, uidelicet ad uerum Deum in agnitione Messiæ, & in promissionibus patefactum, sicut precatur Dominus, Fac ut unum sint in nobis.

Quartus uersus expressè loquitur, de præcipuo opere in Templo, scilicet, de ministerio doctrinæ & cultu, Et adfirmat totam hanc Ecclesiam alligatam esse ad ministerium illius loci in Ierusalem, ubi docebant Prophetæ. *OMNES TRIBVS ISRAEL ASCENDVNT AD HVNC VNVM LOCVM, VT IBI TESTIFICATIO FIAT.* Id est, commemoratio doctrinæ fiat, & Deus rectè agnoscatur & celebretur illa doctrina,quam ipse tradidit, & cui tribuit illustria testimonia.

Quintus uersus affirmat huic loco promissos esse doctores, & regnum, sicut in priore de auditoribus locutus est,*SEDENT SEDES,*id est,manent sedes,*IN IVDICIO,*id est,in omnib.officijs gubernationis,*SEDES DOMVS DAVID,*id est,Dauidi facta est promissio, ibi & Templum & Regnum mansurum esse donec ueniet Siloh.Etsi enim sæpè in Templo magna multitudo fuit hypocritarum, Tamen Deus semen sanctum conseruauit, ut Ieremiam,Danielem,Zachariam,Simeonem et similes,conseruauit et politiam, etiamsi ad extremum oppressa fuit seruitute.

Sextus uersus præceptum est, ut fiat precatio pro Ecclesia, & addita est promissio, Deum benefacturum esse his qui diligunt, fouent, tuentur Ecclesiam, sicut inquit Dominus: Qui dederit potum aquæ frigidæ uni ex minimis meorum propter doctrinam, habebit mercedem. Et ad Abraham dicit, Benedicam

dicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Item, Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Et de persecutoribus Psalm: 108. Induit maledictionem sicut uestimentum.

Septimus uersus & sequens continet uerba precationis, *SIT PAX INTRA MVROS TVOS.* Disertè autem additur: *PROPTER FRATRES, ET PROPTER DOMVM DOMINI DEI NOSTRI.* Quia præcipui fines omnium actionum esse debent hi, celebratio Dei, & Ecclesiæ conseruatio, luxta hæc dicta, Luceat lux uestra, ut glorificetur Pater uester cœlestis. Item 1. Cor. 10. Omnia ad gloriam Dei facite, & non sitis scandalo Ecclesiæ. Item, Primùm quærite regnum Dei. *Præcipui fines omnium actionum qui esse debeant.*

Sæpè autem totum hunc Psalmum recitemus, ut his uerbis & gratias agamus de conseruatione Ecclesiæ, & petamus ut conseruetur, Meminerimus etiam in hoc ipso Psalmo nobiscum precari Filium Dei, Qui inquit: Propter fratres meos & propter proximos meos loquar bona tibi. Et intueamur ipsius uerba dicta in agone, Pater serua eos in nomine tuo, id est, in agnitione tui, in uera doctrina & inuocatione, ut sint unum in nobis. Ad huius summi Sacerdotis uocem, adiungamus & nostros gemitus & precationes, & sciamus nequaquam irritos esse propterea, quia per hunc summum Sacerdotem ad æternum Patrem perferuntur.

PSALMVS CXXII.

CARMINE REDDITVS.

SVmme Deus nobis patefacte in rupe Sinai,
Nostra tibi grates pectora & ora sonant.
Quòd sancis Solymis vt templi immota sit omni
Tempore dehinc sedes, quod tua dicta sonet.
Curia stat nobis sapiente ornata senatu,
Consilio patriam voce tuaq; regens.
Pectora cunctorum dulcis concordia iungit,
Et studio ædificant mœnia nostra pari.
Isaciasq; tribus cunctas huc ire necesse est,
Cedenda est alio victima nullo loco.
Hic vox doctrinæ spargatur vt vnica puræ,
Quam nobis cœlo tradidit ipse Deus.
Ipsius vt bonitas in toto luceat orbe,
Notaq; sint gnati Numina magna sui.
Restituit nobis vitam qui labe remota,
Iustifica saluos & facit esse fide.
Hic fons doctrinæ sit limpidus, inde fluentis,
Non ficto Deus vt possit honore coli.
Posteritas in qua Dauidis regna tenebit,
Hîc semper sedes non peritura manet.
Diligite hanc Solymen, & grato reddite corde
Debita huic omnes, munera, vota, preces.
Qui fouet officijs hanc iustis atq; tuetur,
Protegit hunc semper dextera magna Dei.

Sit tibi

Sit tibi pax & vera salus Ecclesia semper,
Quæ discis studio dogmata sancta pio.
Fausta meos propter fratres, propterq́; propinquos
Opto tibi, & templi ne labefiat opus.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXXIII.

GRADVVM IIII.

AD TE LÆVO OCVLOS MEOS QVI HABITAS IN COELIS.

IIII. Psalm. graduum, precatio Ecclesiæ petentis defensionem & liberationem aduersus sæuitiam & speciosa iudicia mundi.

PRecatio est Ecclesiæ petentis defensionem & liberationem, non solùm aduersus sæuitiam, quæ in corpora exercetur, sed etiam aduersus speciosissima iudicia mundi, quibus prægrauatur Ecclesia, uel quòd stultè moueat certamina non necessaria, aut etiam perniciosa, uel quòd falsas opiniones defendat, & contumelia Deum adficiat. His iudicijs sapientum, & eorum qui habent speciem sanctitatis, condemnari multò tristius est, quàm ulla supplicia corporum pati. De hoc dolore queritur, nos repletos esse despectione, esse in odio sapientum propter stulticiam et errores, ut ipsi iudicant, Miscet autem similitudinem precationi, ut in fame serui & ancillæ expectant à manu Domini & dominæ cibum, ita nos tristissimo tempore petamus & expectemus defensionem à Deo. Est autem mediocris Domini & mediocris Dominæ ea bonitas, ut nolint suos fame perire, ita Deus sine ulla dubitatione ostendet testimonia contra hæc iniqua iudicia, ne ueritas penitus deleatur.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXXIIII.

GRADVVM V.

NISI DOMINVS FVISSET NOBISCVM, DICAT NVNC ISRAEL.

V. Psalm. graduum gratiarum actio.

GRatiarum actio est, quæ recitatur ut fieri solet exempli causa, ut testimonium promissionis, qua Deus promittit se seruaturum esse Ecclesiam, & confirmamur exemplis aliarum liberationum, quę Deus uult nota esse, ut in nobis quoq; accendantur fides & spes, petitio & expectatio liberationis, ne fracti desperatione deficiamus à Deo, & abijciamus confessionem ueritatis.

Gratitudo continet duas uirtutes, ueritatem & iusticiam.

Dictum est autem sæpè, gratitudinem continere duas uirtutes, ueritatem & iusticiam, ita hîc extat confessio, quæ est propria ueritatis, adfirmans non humanis consilijs & præsidijs Ecclesiam colligi, seruari, defendi, liberari, Sed diuinitus: sicut sæpè dictum est in Osea, Saluabo uos non in arcu, non in gladio, sed in Domino Deo uestro. Item in Zacharia, Non in exercitu, non in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus. Hanc fidem accendi Deus uult in Ecclesia, & hac fide peti & expectari auxilium. Item monet hic Psalmus, ut Dauidis exilium fuit malum inextricabile humano consilio, sed retinet fidem, & petit, & expectat à Deo liberationem, ita postea prædicat se diuinitus restitutum esse, & in hoc Psalmo, in fine hæc regula generalis traditur, *ADIVTORIVM NOSTRVM IN NOMINE DOMINI*, Id est, in agnitione & inuocatione Domini, &c.

ARGV-

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXXV.

GRADVVM VI.

QVI CONFIDVNT IN DOMINO, SICVT MONS ZION NON COMMOVEBVNTVR, &c.

VI. Psal graduum, promissio de liberatione Ecclesiæ ex præsentib. ærumnis.

PRomissio est sæpè repetita, Ecclesiam esse liberandam ex præsentibus ærumnis, nec deleri eam posse furoribus impiorum, etiamsi magnæ erunt persecutiones, ut in prima concione dictum est, Ponam inimicicias inter serpentem & Semen mulieris, & Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et Psal. 33. Multæ sunt tribulationes iustorum, sed ex his omnibus liberabit eos Dominus. Et Psalm. 44. Iacta curam tuam in Deum, & ipse te sustentabit, nec dabit in æternum fluctuationem iusto. Ita hîc confidentibus in Dominum promittitur liberatio.

Primus uersus propositio est, illustrata similitudine sumta à firmitate montis.

Secundus uersus repetitio est propositionis, *DOMINVS PROTEGIT POPVLVM SVVM*, sicut alibi dicitur, Ego ero murus igneus in circuitu eorum. Et rursus est addita imago, sicut Ierusalem est circumdata montibus.

Tertius ἀπιολογία est, Parcit Deus infirmitati nostræ, nec sinit Tyrannos perpetuò grassari, ne prorsus deleatur Ecclesia, ne propagatio doctrinæ & pia institutio prorsus deleatur. Ideò dicit, *VIRGA*, id est, *SCEPTRVM IMPIORVM, NON PERMANEBIT SVPER SORTE IVSTORVM*, id est, Tyranni non perpetuò dominabuntur.

NE EXTENDANT IVSTI AD INIQVITATEM MANVS SVAS, id est, Ne languefacti etiam Sancti deficiant, impedita propagatione doctrinæ, ut si Antiochus diutius grassatus esset, multò plures defecissent, multò pluribus locis fuisset deletum et impeditum ministerium, sicut nunc fit in Turcia & alijs regnis, ubi impeditur ministerium doctrinæ.

Quartus precatio est.

Quintus comminatio est.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXXVI.

GRADVVM VII.

CVM CONVERTET DOMINVS CAPTIVITATEM SION, FACTI SVMVS SICVT SOMNIANTES.

VII. Psal graduum est communis consolatio.

EST & hic Psalmus communis consolatio. Est enim narratio adflictionum Ecclesiæ, & prædictio liberationum, quæ tanquam promissio intelligatur, q. d. Fuerunt, sunt & erunt persecutiones Ecclesiæ, sed Deus eam liberat ita mirandis modis, ut liberati *SIMVS VELVT SOMNIANTES*, id est, stupentes, attoniti, mirantes nos supra & extra consilia humana seruatos esse.

Secundus & tertius uersus sunt amplificationes liberationis & gaudij.

Quartus precatio est, Conuerte captiuitatem nostram, sicut torrentem desiccas in locis Arabiæ, id est, prorsus auser has ærumnas.

Quintus & sextus sunt dulcissimæ promissiones, similitudine sumta à laboribus agricolarum. Deinde à lætitia conuectis frugibus, Ad hanc imaginem confert labores docentium, discentium & confitentium in Ecclesia. Et congruit hæc consolatio cum dicto Pauli, Non erit labor uester inanis in Domino. Hac spe sustineamus labores & ærumnas in docendo, in discendo, & in confessione Euangelij, & expectemus auxilium & protectionem à filio Dei.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXXVII.

GRADVVM VIII.

VIII. Psalm. graduum, concio opposita cœcitati hominum fingentiũ res humanas regi sine Deo.

NISI DOMINVS ÆDIFICAVERIT DOMVM, FRVSTRA LABORANT QVI ÆDIFICANT EAM. &c.

GEneralis concio est oppositа cœcis hominum iudicijs, quæ fingũt sine Deo humana sapientia, diligentia & apparatibus posse res salutares agi in imperijs, in Ecclesia, in Oeconomijs.

Hunc errorem sæpè taxat uox diuina, sicut Ioannes inquit, Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi datum sit ei à Deo. Et Dominus inquit, Sine me nihil potestis facere. Et sapientia Dei apud Salomonem inquit, Penes me est consilium & successus. Sic igitur sunt felicia consilia & labores, cùm Deus nos adiuuat. Adiuuat autem laborantes iuxta uocationem, & inuocãtes ipsum, iuxta dictum Psalmi, Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet.

Labores & consilia succedunt cum Deus adiuuat.

Hanc sapientiam discamus ex hoc Psalmo, Primùm propter gloriam Dei.

Deinde ut sciamus, quomodo regendæ sint actiones nostræ, uidelicet, cõrceamus nos intra metas uocationis, & in ea seruiamus, & simul petamus auxilium à Deo, & oremus nos fieri uasa misericordiæ & organa salutaria nobis & alijs. Intueamur etiam collationem, Agamus Deo gratias, quòd uocati sumus ad labores Deo placentes, & ad agnitionem ipsius, nec frangamus nos inutilibus contentionibus, sicut Pericles, Demosthenes & alij innumerabiles. Et sæpè repetamus hæc dicta, Scio Domine, non est hominis uia eius, id est, non sola hominum diligentia, sine auxilio Dei potest agere salutaria. Item, Sine me nihil potestis facere, Et consolationes. Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Item, Cõmenda Deo uiam tuam, et spera in eum, et ipse faciet.

Quomodo regendæ sint actiones nostræ.

Primus uersus propositio est, Sine auxilio DEI sunt irriti conatus humani.

Secundus uersus explicatio est, hypotyposi describens solicitudinem & angustias animi sine Deo magna conantis. Labores irriti sunt sine Deo manè surgere, serò cubitum ire, & in magna solicitudine panem edere.

Tertius uersus, Antithesis & affirmatiua sententia est, Deo iuuante sumus organa salutaria. *DEVS DAT DILECTIS SVIS SOMNVM*, id est, Quos adiuuat Deus, His dat secundos euentus, & hi non contabescunt solicitudine, ut Dauid, Cyrus, Alexander, Scipio, inter summos & difficilimos labores tamen quiescere possunt, & repetit affirmatiuam propositionem, *FILII SVNT HÆREDITAS DEI*, id est, felix soboles, felices

lices scholastici, felices Magistratus sunt donum Dei. *FRVCTVS VENTRIS EST MERCES*, id est, felix soboles est quiddam datum à Deo.

Quartus uersus similitudo est, *SICVT SAGITTÆ VALIDA MANV CONTORTÆ FERIVNT METAM, NEC IMPEDIVNTVR*, Sic hos iuuenes felices nulli conatus hostium, nulla impedimenta reprimunt uel euertunt, ut Alexander uolitat per Asiam, & nullæ urbes, nulli exercitus eum reprimere possunt.

Quintus uersus Epiphonema, Beata est ciuitas, cui tales gubernatores dat Deus, ergo agnoscamus sine auxilio Dei nullam gubernationem felicem esse. Hactenus doctrina recitata est, iam consideret lector quomodo ad usum transferenda sit, & qui effectus sequi debeant, uidelicet, Timor Dei, ne moueamus aliquid contra mandata Dei, uel extra uocationem, Quia talibus consilijs aduersatur Deus. Deinde fides & inuocatio, ac petitio auxilij, in ijs negocijs, quæ mandato Dei & iuxta uocationem suscipiuntur. De quibus tenenda est regula sæpè repetita, Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXXVIII.

GRADVVM IX.

BEATVS OMNIS QVI TIMET DOMINVM, ET QVI IN VIIS EIVS AMBVLAT.

IX. Psal. graduum, œconomicus est, docens qualis œconomia Deo placeat.

PSalmus est œconomicus docens, qualis œconomia Deo placeat, & sit felix, uidelicet, in qua seruatur hæc uitæ regula, Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam. Primùm luceat in patrefamilias fides, & sit in eo timor Dei, id est, obedientia secundum omnia præcepta, & seruiat in sua uocatione. Tali familiæ promissiones hoc loco proponuntur, labores erunt felices, coniugium tranquillum & fœcundum, & tali familiæ, & posteritati eius seruabitur publica Ecclesia & patria.

Qualis debeat esse pia familia.

Iam cogita quanta magnitudo & amplitudo sit horum bonorum, de quibus hîc dicitur, uidelicet, conseruatio priuati & publici status, & Ecclesiæ, in qua incoatur uita æterna. Hæc summa bona discamus intelligere & à Deo petere.

Est ergo Psalmus & doctrina, & consolatio, docet qualis esse familia debeat, & addit promissiones, ut consoletur nos in tanta mole periculorum priuatorum & publicorum, Magnum onus est per sese educatio sobolis, & in publicis miserijs, bellis, & uastationibus multò plus mali accedit: Patres interficiuntur, Matres & filij abducuntur in exilium. De talibus periculis consolationes hîc proponuntur, erit curæ Deo, ut pijs familijs diu seruet patriam & Ecclesiam, Et quanquã ruent regna, tamen hæ protegentur, sicut multæ familiæ in exilio Babylonico conseruatæ sunt. Has promissiones cùm intuetur fides impetratur ærumnarum mitigatio, & leniuntur dolores.

Primus uersus doctrina est, quales oporteat esse coniuges, *TIMEANT DEVM, ET AMBVLENT IN VIIS EIVS.* Hîc nota sit phrasis, Timor Dei significat cultum non simulatum, Et nomen יהוה deducit nos ad hunc uerum Deum, qui se patefecit in Ecclesia dato uerbo suo.

Ambulare in uijs eius, Intelligatur iuxta Euangelium, id est, amplecti doctrinam

Ambulare in uijs eius intelligendum est Euangelicè.

ctrinam incorruptam,& fide agnoscere Mediatorem,& habere incoatam obedientiam, quæ placet fiducia Mediatoris, sicut hanc phrasin sæpè aliâs declaramus. Ideoq; exorsus est ab hoc initio, cùm postea de laboribus & operibus dicturus sit, ut sciamus oportere prælucere agnitionem Dei, timorem & fidem, seu opera primæ Tabulæ cæteris operibus, & includatur hic uersus in cæteros omnes, huius uiri timentis Deum labores erunt felices, coniugium placidum &c.

Secundus uersus continet doctrinam & consolationem, docet in timore Dei & fide facere labores iuxta uocationem, & promissio additur hos labores fore salutares facienti & alijs. Iam cogita quantum bonum sit, non frangi inutili contentione,non esse uas iræ,id est, instrumentum exitiosum sibi & alijs,ut multi fuerunt excellentibus ingenijs prediti, Alcibiades,Marius & alij.

Tertius uersus pingit coniugium dulcissima imagine. Hîc iterum includatur Primus uersus,Coniuges sint Ecclesia Dei,congruat coniugium cum Lege Dei,& sit in eis consensus in uera doctrina, & in inuocatione,sit in eis timor Dei & fides, Ita erit felix coniugium.

Communis doctrina de coniugio.

Hîc communis doctrina de coniugio repetatur. Mirabili consilio Deus hoc modo condidit genus humanum, in quo colligit sibi æternam Ecclesiam ordinata propagatione. Primùm uoluit esse duos, ut esset Ecclesia. Secundò uoluit esse marem & fœminam, ut sit uerus & ordinatus amor. Tertiò uoluit tantùm unius maris & unius fœminæ copulationem esse, & indissolubilem,ut luceat intellectus castitatis in genere humano, & sciamus Deum esse mentem puram & castam,& eum discernamus ab immundis Spiritibus & hominibus, & in inuocatione cogitemus qualis sit, uidelicet, sapiens, bonus, uerax, castus, iudex, misericors, liberrimus. Quartò σοργὴ in uiro ad mulierem est imago amoris in Filio Dei ad naturam humanam assumtam, & deinde ad totam Ecclesiam. Vt ad Ephesios scriptum est, Magnum mysterium est coniugium in Christo & Ecclesia.

Hæc significat Deus in hoc mirando fœdere coniugij, quod sanxit certis legibus, nec uult uagari homines sicut pecudes. Nec ociosè additum est in narratione de creatione Euæ, *DIXIT DOMINVS DEVS: NON EST BONVM HOMINEM ESSE SOLVM, FACIAMVS EI ADIVTORIVM SIMILE IPSI.* In uerbo, Dixit, magna

Emphasis in uerbo dixit.

pondera insunt,singulari deliberatione diuina decretum, ordinatum,sanctum & promulgatum est,ut sit coniugium & sit certa lege ordinatum. Hîc fiat amplificatio,dicit Deus,uiuas in coniugio legitimo: contrà uerò tanta est audacia Pontificum, ut dicenti & sancienti Deo aduersari audeant, & dicant ipsi expressè contrarium, Non uiuas in coniugio,coniugium immundities est, & sua hæc edicta crudelitate suppliciorum tueantur, ita simul & libidinibus polluti sunt & parricidijs.

Significationes in Vite & olea.

Sunt & significationes in uite & olea, uxor comparatur uiti, quia est debile lignum & adiungitur ad alias arbores, præcipuè uerò amica est oleæ, Ac naturalis συμπάθεια est uitis & oleæ. Maritus igitur oleæ confertur cui adiuncta est uxor tanquam uitis, & olea labores significat, inde & filij ramis oleæ conferuntur.Possunt & aliæ similitudines colligi.

Reliqui uersus sunt repetitio promissionum & precationes, quæ rursus etiam monent, certa Dei beneficia esse conseruationem Ecclesiæ & politiæ.

ARGV-

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXXIX.

GRADVVM X.

SÆPE ADFLIXERVNT ME A IVVENTVTE MEA, DICAT NVNC ISRAEL.

X. Psal. graduum, narratio de persequutionibus & liberationibus Ecclesiæ.

NArratio est recitans persecutiones & liberationes Ecclesiæ, ut hæc ipsa imago ostendat, quales sint ærumnæ Ecclesiæ omnium temporum, & quòd fide & spe petenda & expectanda sit liberatio, & celebranda sit præsentia Dei, gratiarum actione, quoties eripimur, & agnoscenda uoluntas Dei, qui immensa bonitate propter Filium sua potentia seruat Ecclesiam omnibus temporibus, inter magnas & multiplices ruinas et confusiones imperiorum, & inter magnas persecutiones.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXXX.

GRADVVM XI.

DE PROFVNDIS CLAMAVI AD TE DOMINE.

XI. Psal. graduũ, precatio remißionis peccatorum, & doctrina ac consolatio.

PSalmus ualdè usitatus est in precationibus Ecclesiæ, & ardentissima petitio est remissionis peccatorum, & simul doctrina ac consolatio, ostendens remissionem peccatorum iusticiam & uitam æternam non dari, nisi propter Mediatorem Filium Dei GRATIS, non propter hominum merita aut dignitatem. Suntq; interserta πάθη, quibus magnitudo dolorum in ueris terroribus & lucta fidei in precatione describitur.

Propositio est in primo & secundo uersu, & est petitio remissionis peccatorum & gratiæ. Mox autem addita est in tertio uersu, peccati confessio & commemoratio de magnitudine iræ Dei iustissimæ, *SI INIQVITATES OBSERVAVERIS DOMINE, DOMINE QVIS SVSTINEBIT?* Obseruare est ostendere & exequi iram, qualis conueniret immensæ iusticiæ contra magnitudinem & multitudinem nostrorum peccatorum, errorum, lapsuum & nostræ immunditiæ, Hanc iram nemo sustinere posset, iuxta illa dicta, Deus ignis consumens est. Item, Scio quòd non parcis delinquenti, Et Iob. 9. Verè scio quòd non iustificetur homo coram Deo. Item, Non intres in iudicium cum seruo tuo.

Obseruare peccata quid sit.

In quarto uersu sequitur consolatio, *QVIA APVD TE PROPICIATIO EST*, id est, remissio peccatorum. Et hæc intelligatur gratuita propter Mediatorem, non propter ullam nostram dignitatem. Hanc consolationem inquit, oppono magnitudini meorum peccatorum, quòd gratia exuberat supra delictum, quòd scio me recipi & placere te remittente peccata, & recipiente me propter Mediatorem, sicut alibi inquit, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Item, Iustificati fide pacem habemus.

Propiciatio intelligatur gratuita.

Addit autem, *IDEO TIMEBERIS*, id est, omnes agnoscant se indignos & immundos esse, & expauescant coram te, non sint arrogantes, non confidant

confidant ſua dignitate, ſuis uirtutibus, quia tantùm recipis propter propiciatorem.

In quinto uerſu modus conſolationis recitatur, *EXPECTO DOMINVM, EXPECTO AD VERBVM EIVS.* Hîc expreſſè concionatur de fide & de ſpe, & fit mentio uerbi & Domini. Hęc eſt uox fidei, quæ intuetur promiſſionem & patefactionem diuinam, & illum ipſum Filium Dei Mediatorem, oſtenſum in promiſſione agnoſcit & adprehendit. Hac fide neceſſe eſt accipi remiſſionem peccatorum, & in hac ipſa conſolatione ſimul hic ipſe Filius Dei ſuſtentat & uiuificat luctantem.

Differtur liberatio ut fides exerceatur.

In ſexto uerſu πάθος inſertum eſt de mora: differtur enim liberatio, ut fides exerceatur & creſcat, ſicut Abacuc 2. dicitur, Si moram fecerit Dominus, expecta eum, quia ueniens ueniet et nõ tardabit. Et Iudith. 8. Qui eſtis uos qui tentatis Dominum, non eſt hic ſermo qui miſericordiam prouocet, ſed potius iram, conſtituiſtis tempus miſerationis Domino. Et Rom. 8. Longa concio eſt de hac ſpe & expectatione, ubi inquit, Spe ſalui facti ſumus. Item Spiritus pro nobis interpellat gemitib. inenarrabilibus. Hic gemitus ſignificatur hoc loco, *ANIMA MEA AD DOMINVM*, id eſt, intimi cordis deſiderio & gemitu confugio ad Dominum, uidelicet ad uerum Deum patefactum in hoc populo per promiſſionem ſuam, qui me ſuſtentat ſuo filio Mediatore, & liberat me ex morte, & ex portis inferorum, & accendit hanc inuocationem & lætitiam Spiritu ſuo ſancto, ita ſuſtentor agnitione promiſſionis diuinæ, nec frangor mora & diuturnitate adflictionum.

Oportet promißiones fide accipi.

Duo ultimi uerſus ſunt generalis promiſſio & præceptum de fide & ſpe, eſtq; neceſſaria doctrina, quam ſæpè repetimus, Oportere promiſſiones fide accipi, ſicut Rom: 4. dicitur: Ideo ex fide gratis ut firma ſit promiſſio. Simul autem hîc notum ſit diſcrimen promiſſionis gratiæ & legalis. Legales pendent ex conditione operum, ut, date & dabitur uobis: Sed promiſſio gratiæ, id eſt, qua propter Filium Dei & per eum donamur remiſſione peccatorum, iuſtificamur & ſanctificamur Spiritu ſancto, & efficimur hæredes uitæ æternæ, non pendet ex conditione noſtræ dignitatis. De hac promiſſione Paulus loquitur, Ideo ex fide gratis ut ſit firma promiſſio. Et hæc ipſa Pauli concio eſt enarratio huius uerſiculi. In quo etiam hoc conſideretur, quòd promiſſioni adiungitur præceptum de fide & ſpe, *SPERET ISRAEL IN DOMINVM.* Et ſequitur promiſſio, *QVIA APVD DOMINVM MISERICORDIA, ET COPIOSA APVD IPSVM REDEMTIO EST, ET IPSE REDIMET ISRAEL EX OMNIBVS INIQVITATIBVS EIVS.* Hæ promiſſiones non tantùm ad initium conuerſionis pertinent, ſed ad exercitium fidei in tota uita. Quanquam enim uerum eſt in conuerſione hæc fieri, Filius Dei uiuificat eos qui conuertuntur, & liberat ex æterna morte, & ſanctificat eos Spiritu ſuo ſancto, & uerè in eis diuinitas habitat: Tamen deinceps quoq; retinenda eſt hæc conſolatio, quòd fide propter Filium Dei propiciatorem Deum & hominem habeas remiſſionem peccatorum, & Deo placeas. Hanc neceſſariam conſolationem proponunt hæc dicta in Pſalmis, qui deducunt nos ad miſericordiam, uidelicet propter Mediatorem promiſſam, iuxta illa dicta, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo. Item, Non eſtis ſub Lege, ſed ſub Gratia. Et ſicut hîc inquit: Apud Dominum copioſa

Diſcrimen promißionis Gratiæ et Legalis.

copiosa est redemtio: Ita Paulus ait: Gratia exuberat supra peccatum. Item, Gratia Deo, qui dat nobis uictoriam per Iesum Christum & sanctificantem nos & deprecantem pro nobis.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXXXI.

GRADVVM XII.

DOMINE NON EST EXALTATVM COR MEVM, NEC ELATI SVNT OCVLI MEI, &c.

XII. Psal. graduum doctrina contra superbiam.

DOctrina est contra superbiam, quæ est fiducia propriæ sapientiæ, iusticiæ uel uirium mouere aliquid sine uerbo Dei, sine uocatione ac necessitate, incitatum quocunq; modo, siue curiositate, siue stulto zelo, siue cupiditate uindictæ, siue alijs causis.

Superbia quid sit.

Hîc descriptiones teneantur. Superbia est esse sine timore Dei & fiducia suæ sapientiæ, iusticiæ aut uirium securum esse & efferri, Quod malum in effectibus cernitur, quia hæc fiducia sui impellit superbos ad mouendas res sine mandato Dei, sine uocatione, sine necessitate, ut Antonius mouet bella contra Augustum, quem superbè contemnit.

Humilitas quid sit.

Humilitas uerò est in timore Dei agnoscere propriam infirmitatem, & non habere fiduciam suæ sapientiæ, iusticiæ aut uirium, Sed fiducia auxilij diuini obedire uocationi, & nihil tentare sine uerbo Dei & sine uocatione, nec despicere alios, nec fremere aduersus Deum in pœnis, Non ambitione, non curiositate, non cupiditate uindictæ turbare Ecclesiam aut Rempublicam. Talium lapsuum exempla omnibus temporibus in uita conspici possunt, ideo commonefactio necessaria est, de remissione & de consolatione.

Primus uersus & secundus sunt propositio, quæ est asseueratio uolentis se reprimere, *EGO* inquit Dauid, *NON AMBVLO IN MAGNIS ET MIRABILIBVS SVPRA ME*, nihil uolo tentare sine uerbo Dei, sine necessaria uocatione, non ruam ut Saul qui regnum uult suo consilio constituere, non instituam cultus, non fingam dogmata, sicut audacissimè fit à multis. Etsi autem secundus uersus ab alijs aliter enarratur, tamen hanc simpliciſsimam sententiam sequor, iudico etiam asseuerationem esse, *AN NON REPRIMO ME ET COMPESCO*, id est, Ardeo & ego cupiditate uindictæ, & libenter tollerem Saulem, sed reprimam me propter gloriam Dei, nec tentabo humana consilia sine mandato diuino, ero sicut ablactatus, uidelicet amisso naturali solatio. Samosatenus, Arrius inflectunt doctrinam de filio Dei ad concinnitatem, quæ ipsis placet, & discedunt à uerbo Dei. Saul uritur gloria Dauidis, ideo multa iniusta tentat ad eum opprimendum. Achab & multi alij quærunt practicas multiplices, ut muniant se contra eos quos metuunt, ut anteuertant eorum consilia. Multi doctores muniunt se factionibus & conspirationibus. Hæc exempla omnia comprehenduntur in hac forma, Ambulare in magnis & mirabilibus supra ipsos.

Non tentandæ sunt humana consilia sine mandato Dei.

Postquam autem priores duo uersus detrahunt humana præsidia, postremus uersus ostendit consolationem aliunde, Speret Israël in Domino: sic

Esaias utrunq; complectitur: In silentio & spe fortitudo mea. Et Psalm.108. Illi detrahebant mihi, ego autem orabam. Etsi autem hæ magnæ res non intelliguntur sine experientia, tamen sciri mandata Dei & promissiones oportet. Mandatum est Psalm. 37. Expecta Dominum & custodi uias eius, declina à malo & fac bonum. Promissio, Commenda Deo uiam tuam,& spera in eum, & ipse faciet. Item,Iacta in Deum curam tuam,& ipse te sustentabit. Item,Pax Dei regnet in cordibus uestris. Ad has sententias & hic Psalmus accommodandus est, in quo Propheta eandem doctrinam in suo exemplo,imò uniuersæ Ecclesiæ exemplo proponit, & in nostris doloribus hanc doctrinam exercere discamus, nec turbemus Ecclesiam incitati ambitione, curiositate, cupiditate uindictæ, & similibus motibus, simus ablactati tales de quibus dicit Esaias, Quem docebit scientiam? Ablactatos à lacte,auulsos ab uberibus,&c.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi CXXXII.

GRADVVM XIII.

MEMENTO DOMINE DAVID, ET VNIVERSÆ AFFLICTIONIS EIVS.

XIII. Psalm. graduum,continet precationem,gratiarum actionem & promissiones.

Hic Psalmus continet initiò precationem, deinde gratiarum actionem, postea & promissiones.Precatio est,ut Deus conseruet Ecclesiam & politiam, iuxta promissionem Dauidi factam, cuius ideo fit mentio, quia fides in petendo intueri debet promissiones & mandata Dei. Promiserat autem Deus Dauid uidi posteritatem, & iusserat ut per filium conderetur templum. Et Dauid mandata dedit filio,ideo inquit,*MEMENTO DOMINE DAVID*, id est,promissionum & mandatorum quæ dedisti Dauidi,*ET VNIVERSÆ AFFLICTIONIS EIVS*, id est, Totius curriculi Dauidis, quòd & uocaueris eum, & texeris in tota gubernatione, & dederis mandata de conditione Templi,quasi dicat, Inuoco propter promissiones tuas & mandata tua Dauidi tradita, cui testimonium perhibuisti in toto ipsius curriculo, ac singularis emphasis est, quòd totum curriculum Dauidis nominat afflictiones, in quibus Deus testimonium præbuit patefactionum suarum in isto populo.

Sequentes uersus sunt promissio de condendo templo, quæ intelligatur iuxta historiam, cùm Dauid uellet condere, mandatum est filio, ut ille conderet,& uicissim Deus promittit conditionem & conseruationem templi.

Phrasis hebræa usitata in iuramentis.

Iuniores considerent phrasin. *SI INTROIVERO IN TABERNACVLVM DOMVS MEÆ.* Hæc conditionalis in iuramentis usitata est pro negatiua, & est summa sententiæ, non quiescam donec condam templum.Petenti autem facta est promissio fore ut per filium condatur.

Sequitur gratiarum actio,*ECCE AVDIVIMVS EVM*, id est, lætamur esse conditum templum,conditam domũ Domini,*IN EPHRATA*,id est,per Ephrateum, stirpem Dauidis,cuius sedes fuit in Bethlehem,quę nominatur Ephrata.

INVENIEMVS EVM IN IVGIS SYLVÆ, id est, inter oliueta in Sion.

INTROIBIMVS IN TABERNACVLVM EIVS, Id est,læta-

est, lætamur Ecclesiam esse concordem, conuenire in certum locum, habitare ad certam sedem.

ADORABIMVS AD SCABELLVM PEDVM EIVS, id est, ad propiciatorium, quod erat sedes Dei, de quo erat traditum mandatum, Deum ibi uelle inuocari, & Deum ibi exauditurum esse.

Repetit petitionem, *SVRGE DOMINE IN REQVIEM TVAM*, id est, in arcam tuam, sedeas supra hanc, id est, ascende in hanc arcam, serues ac defendas hanc Ecclesiam, Quomodo? *SACERDOTES TVI INDVANTVR IVSTICIA*, uidelicet ministerij, id est, Ministerium sit iustum & salutare, Sicut infrà quoq; inquit, Sacerdotes eius induantur iustitia, id est, sis efficax per ministerium, collige & serua Ecclesiam uoce ministerij à te instituti.

ET SANCTI TVI EXVLTENT, id est, omnes conuersi per ministerium celebrent te in omni æternitate, sint hæredes uitæ æternæ. Ita de Ecclesia precatus est, & referantur similes precationes omnes ad precationem Filij Dei in agone, Pater serua eos in nomine tuo, sanctifica eos in ueritate tua, ut sint unum in nobis, sint ibi ubi ego sum. Dilectio tua qua me diligis habitet in eis. Ad hanc precationem Filij Dei nos quoq; nostra uota adiungere debemus.

Versu decimo nominatim petit conseruari regnum, & dari felices successus in hac politia continuò. Estq; sententia uerborum, *PROPTER DAVID SERVVM TVVM*, id est, propter promissionem Dauidi factam.

NON AVERTAS FACIEM REGIS TVI, id est, Non sinas deleri formam regni tui, Faciem enim nominat ipsam regni formam, magistratus, leges, iudicia, pœnas, disciplinam, defensionem et præcipuè pium statum Ecclesiæ.

Vndecimo uersu expressè facit mentionem promissionis, quia, ut suprà dictum est, precatio debet intueri mandata & promissiones.

Duodecimo uersu additur promissioni conditio obedientiæ, quia promissiones corporales habent conditionem obedientiæ. Cùm enim omnes promissiones propter summam dentur, reiecta summa & spreto Mediatore Filio Dei, etiam cæteræ amittuntur, sicut impij tandem penitus delentur, ut ostendunt exempla in Sodomis, Hierosolymis & uniuersali interitu multarum urbium & gentium, interea in uera Ecclesia manet summa promissio, ideò ad hanc & promissiones corporales in genere pertinent, sicut Paulus inquit, Pietas habet promissiones præsentis & futuræ uitæ, Et tamen hîc etiam in uera Ecclesia sciendum est, promissiones corporales habere exceptiones castigationis & crucis, ut in Psalmo 88. dicitur. Visitabo in uirga iniquitatem eorum, Misericordiam autem meam non auferam ab eis.

Amissa promissione gratiæ etiam cæteræ amittuntur.

Versu decimotertio & deinceps, coniungit promissiones de Domino & de rebus corporalibus, Adfirmat in isto populo fore Ecclesiam, iuxta hæc uerba, *ELEGIT EAM IN HABITATIONEM SIBI*, Item, *SACERDOTES EIVS INDVAM SALVTE*, Id est, efficiam ut ministerium doctrinæ sit uerum & salutare, *ET SANCTI EIVS LÆTABVNTVR*, id est, Erunt aliqui in hoc populo electi, qui accipient æterna bona in Ecclesia.

IBI

IBI PRODVCAM CORNV DAVIDI, Id est, mittam Filium meum redemtorem, hunc uolo ibi nasci & ostendere ibi suas uictorias in cruce & resurrectione.

Sequitur repetitio eiusdem sententiæ, *IBI ADORNAVI REGI MEO*, scilicet, Dauidi, *LVCERNAM*, id est, Filium meum qui est lumen, id est, consolator & liberator Dauidis & aliorum credentium, nam propter hunc seruabo hanc politiam. Addita est promissio corporalis, *VICTVI EIVS BENEDICAM.*

APPLICATIO PSALMI AD NOS.

Applicatio Psalmi ad usũ.

Vt autem initiò dictum est, Tria esse membra huius Psalmi, Precationem, Gratiarum actionem, & Promissiones: Ita sciamus hanc precationem & gratiarum actionem assiduam esse in Ecclesiam oportere, & singulos nos debere gratias agere Deo pro conseruatione Ecclesiæ, & petere conseruationem, & salutarem gubernationem, sicut hîc inquit: Sacerdotes eius induantur iustitia & salute. In hac autem precatione necesse est, intueri mandata Dei & promissiones, iuxta illa dicta, Petite & dabitur uobis. Præcipuè uerò memineri-mus in petitione mentionem faciendam esse Filij, ut propter ipsum seruet Ecclesiam, & sciamus oportere in oratione fidem esse, quæ uerè statuat hanc precationem placere Deo, & non esse irritam propter Summum Sacerdotem Filium Dei, qui idem petit, Pater serua eos in nomine tuo &c.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO *Psalmi CXXXIII.*

GRADVVM XIIII.

XIIII. Psalmus graduum concordiæ encomium, quo præcipit, ut eã tueamur.

ECCE QVAM BONVM ET QVAM IVCVNDVM, HABITARE FRATRES IN VNVM.

PRæceptum est de studio concordiæ, laudando enim præcipit, ut eam tueamur: & postea addit promissionem. Notum est autem totam Legem præcipere de dilectione Dei & proximi, Quia Deus ita condidit genus humanum, & uult nos sibi tanquam capiti adiunctos esse, & secum congruere, Imõ uult nos sua templa esse, nobis sese communicare, & in nobis suam sapientiam & iusticiam lucere. Simul etiam uult omnes copulatos esse in ipso, congruere omnes ad ipsum, ut sit consentiens ueritas & iusticia in omnibus. Hæc est summa doctrinæ Legis, & sic natura condita fuit. Sed Diabolus discessit à Deo, & postea genus humanum auulsit, ita deinceps in hominibus non est eadem ueritas de Deo, sed tristissimæ tenebræ sunt, & horribilia mendacia uel Epicurea uel idolatrica, uel alia quæcunq; postea uoluntas Diabolorum & hominum fremunt aduersus Deum, & dum unusquisq; sese effert, tollere alios conatur, ita extincta dilectione ardent in genere humano discordiæ, & ex discordijs postea oriuntur bella & uastationes. Manifestum est igitur hanc miseram naturam non obtemperare Legi Dei, sed Filius Dei uenit ut destruat opera Diaboli, & restituat ueritatem & dilectionem Dei, & proximi in nobis, & hoc nominatim petit effici ab æterno Patre, ut unum simus in ipso.

Summa doctrinæ Legis, est præceptum de dilectione Dei & proximi.

Diabolus discessit à Deo, et deinde abduxit homines.

Filius dei restituit dilectionẽ Dei & proximi in nobis.

Ita con-

Ita consideretur quid præcipiat Lex,& quomodo ad eam reducamur per Filium Dei,& in illa parte quæ uerè est Ecclesia Dei restituatur dilectio & concordia, & rursus adglutinentur ad unum caput, ad Filium Dei, & per Filium ad æternum Patrem.

Cùm igitur consideramus quid sit dilectio, & quare præcepta sit, & quomodo in nobis restituatur & accendatur agnitione Filij Dei per Spiritum sanctum, excitemur etiam ut eam exerceamus. Exercetur autem studio retinendæ pacis cum alijs, quæ pax nominatur concordia. *Dilectio exercetur studio retinendæ pacis.*

Dilectio est erga omnes etiam inimicos, & est Deo obedire iuxta omnia mandata, cum quadam lætitia in ipso & unione cum eo, & est propter Deum præstare alijs omnia officia à Deo mandata etiam inimicis. *Dilectio quid sit.*

Sed studium concordiæ sit erga membra eiusdem corporis, uidelicet ueræ Ecclesiæ, & est uelle retinere consensum in ueritate, & præstare officia dilectionis, nec distrahere coniunctionem sine necessaria causa, iuxta hoc dictum, Fac ut unum sint in nobis. *Studium concordiæ.*

Hîc etiam consideretur quàm tristia mala sequantur ex discordia.

Primùm ipsa dilaceratio sine causa necessaria per sese est peccatum, iuxta dictum Salomonis,Qui serit discordiam inter fratres abominatio est Deo. *Mala quæ sequũtur ex discordia.*

Deinde mox in quacunq; discordia siue politica, siue alia, sequitur turbatio inuocationis.

Tertiò si est dissensio de doctrina, necesse est alteram partem errare, cùm igitur mendacium spargatur,Deus contumelia adficitur, & in alterutris prorsus extincta est inuocatio.

Quartò ex dissensionibus oriuntur sæuissima odia,factiones, bella & uastationes generis humani & pœnæ æternæ.Ac furores semel accensos in hominum animis horribiliter augent Diaboli, qui lætantur & contumelijs Dei, seu mendacijs,seu homicidijs. Horum ingentium malorum cogitatione cohorrescamus & animos confirmemus, ut communem consociationem ament,& discant quibus modis & quibus officijs tuenda sit, nec moueant certamina non necessaria,iuxta dicta,Qui uos turbat pœnam feret. Et Salomon : Qui diligit rixas,diligit peccatum.

Cogitentur etiam præcepta de dilectione et de concordia,ut laudationes, ac præcipuè hi tres loci. Deus dilectio est, qui manet in dilectione, in Deo manet,& Deus in eo. Item, Pater fac ut unum sint in nobis, & hic Psalmus, Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in unum.

Primus uersus propositio est, quæ cùm sit laudatio concordiæ, intelligamus præceptum esse de tuenda concordia.

Secundus uersus similitudo est,qua suauitas ostenditur exemplo rei fragrantissimæ,quasi dicat,tàm dulcis res est concordia,quàm dulcis est odor balsami summi Sacerdotis, quod singulari modo apparabatur. *Suauitas dilectionis confertur rei fragrantißimæ.*

Cur autem nominatim hîc de balsamo Sacerdotis dicitur? Quia significat primùm concordiæ uinculum esse oportere consensum de uera doctrina, sicut Dominus inquit, Sint unum in nobis. Et ubi doctrinæ consensus est,ibi etiam ungit corda Filius Dei summus Sacerdos Spiritu suo sancto,Ac tales copulati summo Sacerdoti Christo,sunt iam adglutinati ad uerum caput Deum, ita sanata dilaceratione, quã fecerat Diabolus, ordo restituitur, scilicet unio ad Deum, *Cur balsamũ Sacerdotis nominetur.* *Vinculum concordiæ oportet esse consensum de doctrina.*

Deum, qui rursus habitat in membris Christi, & sua luce, sapientia & iusticia & lætitia ea complet. Sed hæc fiunt per summum Sacerdotem, Filium Dei, per quem uox Euangelij ex sinu æterni Patris prolata est, & qui tollit peccata nostra, & lucem ueritatis & dilectionem in credentibus incoat.

Hæc omnia significata sunt mentione Aaron, scilicet oriri dilectionem & concordiam à summo sacerdote Christo.

Nota sit autem phrasis in repetitione *BARBAM, BARBAM AARON*, significat enim distributionem. Vult autem eandem doctrinam ab uno capite Christo stillantem sonare omnes ministros.

Altera similitudo à rore qui superuenit pullulanti segeti.

Altera similitudo, Tàm suauis est concordia, quàm gratus est ros pullulanti segeti, & pullulantibus arborum fructibus, indigent enim rigatione, ne siccitate & æstu pereant. Hæc similitudo non est obscura, quia manifestum est discordijs dissipari omnes cœtus, & animos hominum uerè torrefieri & sequi uastitates.

Similitudo de rore denotat politicam concordiam.

Vt autem prior similitudo haud dubiè significat concordiam sacerdotum seu docentium: ita hæc posterior similitudo accommodari potest ad politicam concordiam, ideo enim nominat loca quæ propemodum limites fuerũt, ut significet se de hac ipsa loqui inclusa inter hos limites, Fuit enim Libanus limes uersus septentrionem, Ierusalem uersus meridiem, quam nominat, cùm sit regia sedes, etiamsi non erat extremum oppidum, Quasi dicat, toto pectore oro Deum, ut in hoc regno, et in hoc populo, cui Deus hanc sedem attribuit, sit perpetua concordia, & omnes unum sint in Deo.

Hermon pars Libani.

Montium picturæ in talibus conspici possunt. Iudico autem Libanum ab albedine dictum esse, & pars est Hermon, quod est alba altitudo. Sic et alibi, Psal. 41. nominat hæc loca, Terram Iordanis & Hermonim, Ac delectatur his appellationibus ut multa significet, Hoc unicum regnum in genere humano uerè erat candida & pulcra altitudo, id est, arx quæ erat sedes Ecclesiæ, & domicilium ueræ sapientiæ ac iusticiæ, quia ibi ueri Dei noticia fulgebat, ibi se Deus illustribus testimonijs patefaciebat, & mirabiliter hoc regnum aduersus uicina imperia defendebat. Erat autem in hoc regno summa specula Sion, quia Ierosolyma domicilium Regis erat, Complexa est autem Ierosolyma duos arduos motes, quorum alteri nomen fuit Moriah, à luce, in hoc templum conditum est: Alteri Sion, id est, specula seu trophæum, in quo fuit arx Dauidis, & nomen commonefaciebat reges, locum illum uelle defendere Deum. Indicant igitur hæ dulcissimæ appellationes Prophetam huic populo concordiam optare, tàm dulcem bonis mentibus, quàm terra nascentibus ros est tempestiuus.

Duo montes Ierosolymæ fuerunt Moriah & Sion.

Cur ex Hermon in Sion ros descendere dicatur.

Sed cur dicit, *ROREM DESCENDERE AB HERMON IN SION, CVM TAMEN MAGNA SIT ALTITVDO MONTIS SION?* Respondeo, congruit hoc ad totius regionis situm. Libanus limes est uersus septentrionem & ortum, & per sese altus est, præsertim circa Damascum, ubi propriè tribuunt ei nomen Hermon. Rectè igitur inde ex montibus arduis, & ex regione Septentrionali, in loca inferiora, tùm in plana, tùm colles consitos oleis spargi rorem inquit, Et physicum est, quòd plus est uaporum in Septentrione & locis montanis, quæ sunt distincta uallibus, quàm in paruis collibus, Hæc chorographica illustrant Psalmum.

Postrema particula est ratio propositionis, quare concordia bona sit, *QVIA*

QVIA IBI MANDAVIT DEVS BENEDICTIONEM, ET VITAM IN PERPETVVM. Iuniores discant phrasin, Deus dicendo efficit, iuxta illud, Dixit & facta sunt, ideo benedictio significat aliquando ubertatem diuinitus donatam, Hîc felices successus quos Deus ipse adiuuat. Ita & uerbo mandandi utitur, DEVS MANDAT, id est, suo decreto efficit, ut ibi sint, bonus successus & uita, id est, suauis uita & lætitia in qua inuocari Deus & celebrari potest, & promtis animis conferuntur labores: ut cùm in exercitu Dauidis concordia est, Primùm inuocatio Dei est ardentior, & minus impediuntur fides & spes, & omnes milites simul libenter perferunt communes labores, & suo quisq; loco suam confert operam, et libenter alij alijs opem ferunt, & adest ipse Deus, accendit animos, adiuuat laborantes & addit felices euentus.

Deus dicendo efficit.

Collatio effectuum concordiæ & discordiæ.

Contrà uerò ubi discordia est, ingens impedimentum est inuocationis, quia uniuersaliter mala conscientia fugit Deum, & cogitans de hoste non uult ad illum Deum accedere quem inuocat hostis, & contraria petunt inimici, deniq; multa horrenda sunt impedimenta inuocationis in animis discordium, propter quæ magna uigilantia omnes occasiones uitandæ sunt, quæ uidentur accensuræ esse non necessarias contentiones. Præterea manifestum est in exercitu dissentiente milites non diu simul perferre communes labores.

Obserua autem hîc discrimen humanæ doctrinæ de concordia, & diuinæ. Experientia ostendit hominibus concordiam esse meliorem dissidijs, sed uox diuina hoc loco addit promissionem de præsentia & auxilio Dei, Hæc promissio nos inuitet ad studium tuendæ concordiæ. Dixi autem suprà quare Deo placeat dilectio: Quia uult omnes rationales creaturas ad creatorem copulatas esse, ut eis suam sapientiam, iusticiam, bonitatem, uitam & lætitiam communicet, & uicissim nos ipsum agnoscamus & celebremus, ei similes efficiamur & in ipso lætemur, sicut scriptum est, Deus est dilectio. Nam cùm sit sapiens & bonus, communicare suam sapientiam & bonitatem creaturæ uoluit, id autem est diligere.

Discrimen humanæ doctrinæ de concordia, et diuinæ.

ALIA ENARRATIO PSALMI LI.
INCOEPTA ARGELIAE XIII. AVGVSTI.
A PHILIPPO MELANTHONE,
M. D. LII.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO Psalmi LI.

LI. Psalm.

MISERERE MEI DEVS, SECVNDVM MAGNAM MISERICORDIAM TVAM, &c.

COgitemus Psalmos sapientiam, & uocem Dei esse, & Deum fontem eloquentiæ, sapienter, rectè & ordinè loqui. Ideò in singulis Psalmis quæratur unum aliquod principale argumentum, ut in alijs carminibus eruditè scriptis, & consideretur, quomodo membra cohæreant, ita magis perspicui et dulciores erunt, & res ipsa ostendet non esse temerè coaceruata membra. Sicut igitur in alijs eruditis scriptis, ita & hîc quærimus propositionem, seriem partium, & accommodamus Psalmos, alios ad alia genera causarum, uidelicet, ut iuxta pu-

Psalmi sunt uox & sapientia Dei.

Discrimina Psalmorum.

erilia præcepta diligentius consideretis, quis sit finis, quid uelit efficere scriptum, an doceat, aut petat aliquid. Sunt igitur alij Psalmi Prophetici, qui ad genus διδασκαλικὸν pertinent, docent quis sit MESSIAS, & quæ sint eius beneficia, ut Psalmus 2. Quare fremuerunt, &c. Psalm. 110. Dixit Dominus, &c. 45. Eructauit &c. 72. Deus iudicium tuum Regi da. Alij sunt doctrina Legis, ut de concordia: 133. Ecce quàm bonum. Alij docent quæ sit Ecclesia, & ubi sit, ut 84. Quàm dilecta tabernacula. Alij sunt consolationes, & gratiarum actiones. Alij petunt remissionem peccatorum, & alias liberationes. Possunt autem consolationes & petitiones referri ad genus suasorium, ut Psalm. 51. Miserere &c.

Miscentur genera Psalmorum.

Sciendum est autem misceri genera, Nam doctrinæ intexuntur affectus, & affectibus doctrina, & non nimis anxiè faciendæ sunt hæ distributiones, sed principalia membra quærenda sunt, & exempla petitionum & liberationum, nobis sunt uelut communes promissiones, sicut ipse Psalmus 34. Benedicam Dominum, applicat præsens exemplum ad cæteros, Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, accedite ad eum, & illuminamini.

Psalm. L I. petitio est remissionis peccatorum.

Est autem Psalmus Miserere petitio remissionis peccatorum, iustificationis, sanctificationis, & mitigationis pœnarum. Hæ sunt principales propositiones, quibus mixti sunt affectus, & amplificationes & argumenta.

Series uersuum Psalmi.

Primus uersus statim est propositio. *MISERERE MEI DEVS*, id est, remitte mihi peccata, sis mihi reconciliatus, & iustifica me. Huic propositioni addit argumentum: *SECVNDVM MAGNAM MISERICORDIAM TVAM*, ubi promissiones intuetur, ex quibus misericordia nota est, promissa propter Mediatorem, cuius et postea fit mentio, cùm inquit: *ASPERGES ME DOMINE HYSSOPO*, id est, sanguine Messiæ. Et Antithesis consideretur, secundum misericordiam tuam, non propter ulla mea opera uel merita. Misericordia autem seu promissio fide accipienda est, id est, non maneat mens in dubitatione, sed sciat promissionem tibi quoq; ratam esse, & acquiescat fide in Mediatore, propter quem promissa est misericordia. Postea repetita est propositio: amplius laua me.

Vnde sit peccatũ, & quantum sit malũ.

Deinde sequitur querela in qua est confessio peccati, quæ simul continet doctrinam, unde sit peccatum, & quantum malum sit. *QVONIAM INIQVITATEM MEAM EGO COGNOSCO, ET PECCATVM MEVM CONTRA ME EST SEMPER*, id est, est in conspectu meo. *TIBI TANTVM SVM PECCATOR, ET MALVM CORAM TE FECI.* Fateor me esse peccatorem, & dignum esse pœna, & quidem tantùm sum peccator, non affero merita, aut meam iusticiam, sed te esse iustum affirmo cùm accusas me, & affirmo te uincere cùm iudicaris ab hypocritis, qui horribili fremitu accusant Deum iniusticiæ, quòd ipsi plectantur inter alios qui habent manifesta scelera. Ego uerò agnosco hanc naturam mersam esse in peccatum, & dignam esse morte & pœnis, etiamsi aliqui non habent manifesta scelera.

Hæc confessio peccati, uox est non tantùm Dauidis, sed totius Ecclesiæ in uera contritione, congruens cum hoc dicto: Dixi, *CONFITEBOR ADVER-*

ADVERSVS ME INIVSTICIAM MEAM DOMINO, ET TV REMITTIS IMPIETATEM PECCATI MEI. Simul autem in hac confessione comprehenduntur consolatio. Tu es iustus & iustificans, & promissionem tradidisti de remissione peccatorum, ac tua promissione fretus ad te accedo. Statuo te ueracem esse & seruantem promissionem, fateor me recipi quanquam indignum, id hypocritæ negant.

Vox Dauidis in hoc Psalmo confessio est totius Ecclesiæ in cõtritione.

Hæc dicta congruunt ad doctrinam sæpè repetitam de gratuita reconciliatione. Roman. 3. Iustificamur fide gratis. Psalmo 31. Dixi, Confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remittis impietatem peccati me. Et Hiob 13. capit. Etiamsi occidet me, sperabo in eum, Veruntamen uias meos coram eo arguam, & ipse saluabit me, nec ueniet in conspectum eius omnis hypocrita.

ECCE IN INIQVITATIBVS CONCEPTVS SVM, ET IN PECCATIS CONCEPIT ME MATER MEA. Antea in querela in genere dixerat, agnosco peccatum, & fateor me reum esse, nunc addit definitionem, quòd peccatum deploret, scilicet non tantùm externa delicta, sed naturæ immunditiem. Amissa enim prima luce & rectitudine, nunc ira nascimur, ut tenebras afferamus, & hęc misera natura auersa sit à Deo, & mersa in mortem pereat, sicut res à Deo abiecta. Hęc mala nobiscum nascentia dicit se agnoscere, & rectè citauit hoc dictum de peccato originis. Consideranda est autem uerborum Emphasis.

Vocabula iniquitas & peccatum in hoc Psalmo quam habeat emphasin.

Duo uocabula ponit huius mali, Primùm nominat iniquitatem, quòd significat curuitates, uidelicet ἀταξίαν in omnibus uiribus. Deinde peccatum expresse nominat, qua appellatione magis propriè continetur reatus, id est, ordinatio ad pœnam, horribilis abiectio qua Deus damnat personam, & prius dicit, in ἀταξία formatus sum, id est, cùm formaretur fœtus, illa massa erat immunda, & sine luce diuina. Postea significantius dicit, In peccatis calefecit me mater mea, id est, cùm fouit me mater in utero, mea natura æstuauit talib. malis, qualia affert natura seminis, id est, qualia sunt in parentibus. Hæc quanquam breuis descriptio, tamen copiosam doctrinam de peccato originis continet, quod ait esse ἀταξίαν, & quidem ream & damnatam à Deo, & illam ἀταξίαν esse uarios & uagabundos æstus & impetus in natura hominis contra Deum, sicut Paulus inquit: Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Hac descriptione nihil tristius dici potest.

ECCE ENIM DILIGIS VERITATEM IN INTERIORIBVS. Confessionis asseueratio est, & tanquam Epiphonema, hoc postulas ut fateamur non simulatè, nos esse peccatores, & dignos pœna, in qua tribuatur Deo laus iusticiæ, sicut Daniel inquit: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei. Ideo hanc confessionem edo, & simul oro, ut sapientiam me doceas, quæ est occulta humanæ rationi. Nam ratio secura non metuit iudicium Dei, & hæc mala non cernit, sicut Epicurei, Academici, & alij multi existimant sapientiam esse ludere fingendis opinionib. de Deo, nec norunt quomodo Deus uelit agnosci, & quomodo agnoscatur, qualis debeat esse natura, sed in uera conuersione hæc securitas corrigitur, sicut inquit Hieremias, cap. 31. Castigasti me & eruditus sum sicut iuuenculus indomitus, postquam conuer-

tisti me egi pœnitentiam. Petit ergo corrigi suam securitatem monstrato peccato,& postea se erigi per misericordiam.

Redit igitur ad propositionem de remissione peccatorum, & addit mentionem Mediatoris, & promissionis,quæ significabantur per aspersionem sanguinis intincta Hyssopo, ubi figuratè dictum necesse est interpretari: nominat enim signum pro signato.

EXPIA ME DOMINE HYSSOPO,uidelicet sanguine Mediatoris,qui significabatur per uictimæ sanguinem. Phrasin etiam obseruent iuniores, interpretes usi sunt uerbo asperges, sed in textu est, Fac me peccatorem hyssopo, ut si diceret Latinè, fac me piaculum uel expia me, quod rectè interpretamur munda me,tolle reatum peccati, & ita tolle,sanguine scilicet Filij. Hebraicis illa uerba sunt μεσὰ, in bonam & malam partem usurpata iuxta circumstantias. Aliud est simpliciter dici peccatum,& quiddam reum, Aliud est fieri peccatum conspersum sanguine Filij, tunc enim fatemur nos reos esse, sed reatum deriuari in Filium,& à nobis auferri. Conspersio uerò per Hyssopum, significat ministerium Euangelij, per quod applicantur beneficia Filij Dei credentibus, & ipse Filius Dei est efficax, sicut mox in sequenti uersu de ministerio loquitur.

Hyssopo,id est,sanguine filij Dei.

Fac me peccatorē hyssopo, in hebræo textu,quomodo sit intelligendum.

AVDITVI MEO DABIS GAVDIVM ET LÆTITIAM, ET EXVLTABVNT OSSA, &c. Hîc de ministerio & modo loquitur, quo beneficium Mediatoris accipimus, uidelicet per uocem Euangelij, quæ annunciat gaudium. Simul autem cum hac uoce, ipse Filius Dei dicit uerbum in corde tuo,remittuntur tibi peccata,quo uerbo te uiuificat. Sic enim congruunt actiones Filij & Spiritus sancti in homine, Filius dicit uerbum quo ostendit uoluntatem Patris, & hac noticia lucente dat Spiritum sanctum, qui accendit lætitiam, & efficit ut cor lætetur in Deo, ita dicitur Filius λόγος, quia est uerbum etiam nobis in mentibus ostendens Patrem, sicut Petrus inquit: Renati per uerbum uiuum Dei. Et Athanasius hæc dicta sæpè repetit,Pater per uerbum Spiritu operatur. Item, Non extra uerbum Spiritus est.Item lib.3.de sancto Spiritu pagina 54.quandocunq; dicitur Spiritus in alio esse, intelligitur in eo esse uerbum dans Spiritum, ac loquitur de Filio, ut Augustinus inquit quarto de Trinitate:Quotidie mittitur Filius in corda credentium, sed aliter mittitur, ut sit homo, aliter ut sit cum homine. Fit autem hoc, cùm est efficax in nobis per uerbum uocale, quod oportet fide accipi iuxta dictum: Euangelium est potentia ad salutem omni credenti.

Quomodo congruant actiones Filij et Spiritus sancti in ministerio.

AVERTE FACIEM TVAM A PECCATIS MEIS. Repetit precationem de remissione peccatorum, Auerte faciem, uidelicet indignantem, ut sæpè loquitur scriptura de ira, & de iudicio, ut Psalmo 49. Ignis in conspectu eius exardescet. Repetita est autem eadem precatio sine figura, *OMNES INIQVITATES MEAS DELE.*

Hactenus Propheta descripsit, quid primùm fiat in conuersione hominis, & quomodo persona accipiat remissionem peccatorum, & fiat reconciliata Deo in illo arcano iudicio, & recitauit doctrinam de iustificatione, de qua Paulus loquitur, inquiens: Iustificati fide pacem habemus apud Deum & accessum.

ceſſum. Semper autem ſimul cum remiſſione peccatorum & imputatione iuſticiæ, ipſe Filius Dei dicens uerbum conſolationis in nobis, effundit in corda Spiritum ſanctum, & facit nos hæredes uitæ æternæ, ideo Pſalmus deinceps concionatur de regeneratione per Spiritum ſanctum, de mitigatione pœnarum, de confeſſione, ſeu prædicatione, & de cruce.

COR MVNDVM IN ME CREA DEVS, ET SPIRITVM FIRMVM INNOVA IN VISCERIBVS MEIS, mundum nominat, ut Apoſtoli dicunt, purificatum fide, placens iam propter Mediatorem Deum & hominem. Item, Sanguis Chriſti purificat nos ab omnibus peccatis. Vt autem ſic placeat homo, fide accipiendum eſt uerbum, et uincenda dubitatio, quod fit confirmato corde per ſpiritum ſanctum, quem nominat hîc ſpiritum firmum, id eſt, non dubitantem, non dubitationibus uacillantem, trepidantem, languefactum, & fugientem Deum, ſicut Paulus inquit de Abraham: Non dubitauit diffidentia, ſed corroboratus eſt fide, dans gloriam Deo, & certus &c.

Cor mundum, id eſt, purificatum fide.

Spiritus firmus, id eſt, qui confirmat cor in fide.

NE PROIICIAS ME A FACIE TVA, &c. Repetitio eſt V triuſcꝫ petitionis in priore membro, petit remiſſionem peccatorum, quia orat ut Deus iraſci deſinat. Nam abiſcere à conſpectu, eſt non uelle clementer aſpicere, ac inſuper abiectum terroribus conſumere, ut ſæpè dicitur: Pſalm: 30. Ego autem dixi in exceſſu meo proiectus ſum à facie oculorum tuorum, id eſt, iratus non aſpicis me clementer, inſuper etiam me terroribus conſumis.

Deinde petit donationem Spiritus ſancti, *SPIRITVM SANCTVM TVVM NE AVFERAS A ME.* Antea nominauit Spiritum firmū, id eſt, confirmantē cor in fide, & uincentem dubitationes, hîc nominat ſanctum, id eſt, ſanctificantem cor, quod ad uniuerſam obedientiam pertinet, regentem cor, iuxta omnia præcepta, ſicut uocabulum ſancta, generaliter ſignificat attributa uſibus Dei, Leuitici 20. Sancti eſtote, quia ego ſum ſanctus, id eſt, talis qualem me deſcribo in Lege mea. Notum eſt autem Spiritum ſanctum eſſe agitatorem, & ideo effundi in corda credentium, ut accendat in eis nouos motus congruentes Deo, ſicut ſæpè dicitur: Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum clamantem, Abba Pater.

Spiritus ſanctus, id eſt, qui ſanctificat cor.

REDDE MIHI LÆTICIAM SALVTARIS TVI, ET SPIRITV SPONTANEO CONFIRMA ME. Petit propriè conſolationem in quibuscunqꝫ doloribus, & in cruce ſequente conuerſionem. Nomen lætitiæ perſpicuum eſt, & liberatio ex inferis & morte, eſt talis uita, quæ ſentit lætitiam in Deo. Hanc nominat lætitiam ſalutarem, quæ excitatur Deo liberante & iuuante. Nominat autem Spiritum ſpontaneum, ideo quia Spiritus ſanctus flectit cor, ut uolens obediat Deo in cruce, & addit robur, ut ſuſtinere magnitudinem miſeriarum & cruciatuum poſſit, ut Laurentius uolens obtemperat, & perfert ſupplicium. Dauid paratus eſt ad obedientiam, cùm eiſcitur ex regno. Saul iraſcitur Deo cùm uictorias et regnum uidet transferri ad alium. Talibus exemplis intelligi poteſt, quid petat, cùm nominat Spiritum ſpontaneum, id eſt, uolentem obedire, & corroboratum, ut aliquo modo poſſimus perferre cruciatum.

Lætitia ſalutaris.

Spiritus ſponteneus cur nominetur.

DOCEBO INIQVOS VIAS TVAS, Vsitatum est in petitione addere mentionem gratitudinis, & est simile argumento ab utili, sed in Ecclesia hi principales fines sunt omnium liberationum, ut Deus ostendat testimonia de se, & sua doctrina, & ut nos grati celebremus Deum, & uelocius propagemus doctrinam confessione & docendo, & plures ad Deum conuertantur. Hos proprios fines hîc addit petitioni, quia sequi eos necesse est, ut sæpè aliâs in Psalmis dicitur. Psal. 117. Non moriar, sed uiuam, & narrabo opera Domini. Item, Psal. 115. Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.

LIBERA ME DE SANGVINIBVS, ET EXVLTABIT LINGVA MEA. Repetitio est petitionis & gratitudinis. Petit autem hîc præcipuè mitigationem pœnarum, nam metaphora in uocabulo sanguinis significat pœnam capitalem. Petit ergo liberari à pœna capitali, ut mitigentur pœnæ, ne ruat ex alijs peccatis in alia, & tandem oppressus mole peccatorum & pœnarum ruat in æternam desperationem, & pœnas æternas, sicut Saul, Pharao &c. Ita alibi petit mitigationem, Domine ne in furore tuo arguas me. Et Hieremias, In iudicio corripe me non in furore, ne ad nihilum redigas me. Et Habacuc, In ira misericordiæ tuæ recorderis. Item, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

Metaphora in uocabulo sanguinis significat pœnam capitalem.

ET EXVLTABIT LINGVA MEA IVSTICIAM TVAM, id est, celebrabo te, quòd tu sis iustus, & iustificans. Fatebor te iudicem esse, & punire peccata. Testabor etiam nos per misericordiam à te recipi, & iustificari, & te iustificante nos iustos esse, non propter Legem aut nostram dignitatem.

DOMINE LABIA MEA APERIES, Repetit mentionem gratitudinis, de qua dixit, se propagaturum esse doctrinam, Docebo iniquos uias tuas, &c. Nam hic debet esse principalis finis omnium liberationum, ut erepti superstites sint testes de præsentia Dei, & sciant se seruatos esse, ut sint reliqui doctores Ecclesiæ, & doctrina propagata Deus inuocetur & celebretur, iuxta dictum: Non moriar, sed uiuam, & narrabo opera Domini. Sed ut hoc fiat, & fiat feliciter, opus est auxilio Dei, sicut inquit Dominus, Ego sum uitis, uos palmites. Ideo petit auxilium, & orat, ut Deus uocem docentis regat, & sit efficax per eam. Quia uerò etiam alia sunt signa confessionis, scilicet sacrificia, mox de his loquitur. Et primùm remouet falsas persuasiones de sacrificijs, & discernit sacrificia ceremonialia & sacrificia spiritus.

QVONIAM SI VOLVISSES SACRIFICIVM DAREM VTIQVE, &c. Quomodo conueniant hæc cùm Lex præceperit sacrificia, tamen Propheta hîc dicit contrarium, uidelicet Deum non uelle sacrificia, nec delectari holocausto, rursus mox ipse addit: Imponent super altare tuum uitulos. Hæc pugnare inter se uidentur.

Cur Propheta dicat, non uelle Deum sacrificia, quæ tamen Lex præcepit.

Respondeo. Vsitata & sæpè repetita est hæc doctrina, cuius hæc est prima propositio: Deus non uult hæc sacrificia cum opinione, quòd sint cultus ex opere operato, aut quòd mereantur remissionem peccatorum. Vsitatum est autem homines delabi in hanc opinionem, & hac superstitione cumulare sacrificia, ut postea in profanatione Missarum accidit. Hanc impietatem taxant passim Prophetæ, ut Psalm. 49. Nunquid manducabo carnes uitulorum. Et Esaiæ 66. Qui mactat pecus, quasi qui cani cerebrum effodit. Et Hieremiæ 7.

Sacrificia non utilia ex opere operato, nec merentur remissionem.

Non

Non præcepi eis de holocauſtis, ſed hoc præcepi, audite uocem meam, & ero uobis Deus, & uos eritis mihi populus.

Addit autem Propheta, ſicut Ieremias, quæ ſacrificia & quomodo placeant, Audite me. Sequitur ergo ſecunda propoſitio, placent ſacrificia à Deo præcepta, & facta cum uera conuerſione ad Deum, & fide, quia externi cultus nihil ſunt ſine interiore cultu. Imò Salomon inquit: cap. 15. Prouerbiorum, Victimæ impiorum abominatio ſunt coram Deo, ſed uota iuſtorum placent Deo. Sunt autem cultus primi præcepti conuerſio ad Deum, & fides agnoſcens Mediatorem, qua habemus acceſſum ad Deum, & credimus nos recipi & exaudiri. Hi cultus in corde præcedere debent externum opus: Ita etiam externa ſacrificia à Deo inſtituta ſuo ordine & tempore placent.

Sacrificia à Deo inſtituta & facta in fide placent.

SACRIFICIVM DEO SPIRITVS CONTRIBVLATVS. Idem hîc dicit Dauid de conuerſione, & ueris cultibus in corde, ſicut in Zacharia dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos: ſacrificium Deo, id eſt, placet Deo cor uerè dolens in conuerſione ſeu pœnitentia, agnoſcens iram Dei, & ſimul confugiens ad Mediatorem, ſicut ipſe inquit de doloribus & conſolatione, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. De talibus doloribus ſæpiſſimè loquuntur Prophetæ, ut Eſaiæ 66. Ad quem reſpiciam, niſi ad contritum Spiritu. Item, Deus habitans in contrito & humili Spiritu, ut uiuificet cor contritorum. Has dulciſſimas conſolationes tenere neceſſe eſt, & ſciendum eſt, eſſe uocem Euangelij propriam. Nam ratio & Lex dicunt, homines miſeros & oppreſſos doloribus reiectos eſſe à Deo. Vox Euangelij affirmat hos eſſe templa Dei, & afflictiones eorum, qui ad Deum conuerſi ſunt eſſe ſacrificia, id eſt, excellentiſſima opera, quibus Deus honore afficitur & Deo placentia, hos iubet inuocare Deum, & certò expectare auxilium & tandem liberationem, ſicut dicitur, Multę ſunt tribulationes, ſed ex omnibus his liberabit eos Dominus.

Hos ueros cultus inquit Dauid placere Deo, dolores in conuerſione, fidem, inuocationem, ſpem, &c. Hi ſunt cultus quos nominat Paulus λογικὴν λατρείαν, id eſt, in qua mens cogitat Deum, & in corde ſentit eius præſentiam, terrores, & læticiam in Deo. Opponit enim hanc particulam operibus externis quæ ſunt ἄλογα, quando mens plena eſt dubitationum, & fugit Deum, ut fit in ſacrificijs ethnicorum, aut Saulis.

Poſtremò addit generalem precationem pro conſeruatione Eccleſiæ, ſicut ſemper ad priuatas petitiones hæc generalis addenda eſt.

Diſtributio doctrinæ in hoc Pſalmo comprehenſæ.

Primò petit remiſſionem peccatorum.

Secundò intexit querelam de magnitudine & origine peccati.

Poſtea facit mentionem Mediatoris, *ASPERGES ME DOMINE HYSSOPO.*

Quartò, petit ſe ſanctificari, & gubernari Spiritu ſancto.

Quintò, offert ſuam gratitudinem in docendo.

Sextò, petit mitigationem pœnarum, ut docere poſſit.

Septimò, petit auxilium: *DOMINE LABIA MEA APERIES.*

Octauò, discernit sacrificia & cultus,&c.

Nonò,precatur pro tota Ecclesia.

Ac nominatim petit conseruationem ministerij, & ut multi ad Deum conuertantur, & uera sacrificia præstent: *BENEFAC DOMINE SION CLEMENTER, VT ÆDIFICENTVR MVRI HIERVSALEM*,id est,ut conseruetur & augeatur Ecclesia,habeat ministerium docendi, honestas congregationes,& hospitia, & offerat tibi sacrificia iusticiæ, id est,ueram iusticiam,colat te uera conuersione, fide, timore, spe, patientia, & alijs uirtutibus à Deo mandatis. Ita prius postulat interiores cultus, de quibus sæpè dicitur, ut 1. Pet: 2. Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum. Deinde placent & ceremoniæ à Deo institutæ, cùm fiunt ut ministerium publicum in congregatione conseruetur, ita hîc inquit: *TVNC IMPONENT SVPER ALTARE TVVM VITVLOS*, id est, hoc peto, ut publicam congregationem protegas & conserues, in qua uox doctrinę incorruptæ sonet,et multi ad te conuertantur,& fiant hæredes uitæ æternæ, & ostendant confessionem & inuocationem in publica congregatione.

ALIA ENARRATIO
Psalmi XXXI.

BEATI QVORVM REMISSÆ SVNT, &c.

xxxi.Psal. doctrina de iustificatione.

PSalmus 31. est generis Didascalici, est enim doctrina de iustificatione seu de reconciliatione.

Primus uersus continet uniuersalem doctrinam.

Secundò additur exemplum: narrat Propheta suam luctam & consolationem, & in suo exemplo complectitur promissionem remissionis peccatorum,& repetit doctrinam quomodo homines sancti, iusti fiant coram Deo.

Tertiò sequuntur promissiones de sanctificatione & gubernatione,Intellectum dibi dabo.

Quartò, doctrina de causis horribilium calamitatum in toto genere humano,quibus reprimuntur & delentur impij.Interea tamen sancti etsi aliquantisper simul affliguntur, tandem tamen eripiuntur. Finis πάθους est, iubet lætari Sanctos, & Deo gratias agere.

INitium Psalmi est propositio continens doctrinam de iustificatione, sicut sæpè à præcipuo aliquo loco ordimur. Est autem sententia, homines fiunt beati, id est, iusti coram Deo non propter propria opera, uirtutes & qualitates, sed accipiendo fide remissionem peccatorum, qua teguntur, & non imputantur peccata, cùm quidem & fatentur se reos esse, & sic accedunt ad Deum, ut credant se recipi Gratis per misericordiam propter Mediatorem, non propter propriam dignitatem aut merita.

Verba Psalmi perspicua sunt, & sine ambiguitate hanc sententiam significant,quam recitamus,& Paulus citat hoc dictum in hac natiua sententia. Teneamus ergo hanc doctrinam perpetuo cõsensu in Prophetis & Apostolis traditam, semper in conuersione & inuocatione,sic ad Deum accedendum esse, ut in ueris doloribus credamus uerè nos recipi propter Mediatorem, & nos esse iustos, id est, acceptos Deo gratis per misericordiam propter Mediatorem, sicut

cut Rom. 5. dicitur. Iustificati fide pacem habemus, & accessum ad Deum, & hæc fides nititur obedientia Christi, sicut Iohannes inquit, Sanguis eius purificat nos ab omnibus peccatis.

Cùm igitur hîc in Psalmo fit mentio remissionis peccatorum, sciamus includi doctrinam de Mediatore & de fide, quia hic Psalmus, & similes, nati sunt ex prima promissione, & sunt coniungendæ tales conciones, ut Psalmo 2. dicitur. Osculamini Filium, Beati omnes qui confidunt in eum, Et cùm hoc modo erigimur fide, uiuificat nos Filius Dei, & dat nobis de Spiritu suo, ut Iohannes inquit, ut postea dicetur.

Mentioni remissionis peccatorum includenda doctrina de Mediatore.

INTELLECTVM TIBI DABO, &c. Hæc ita in conuersione fieri non dubium est. Et in quotidiana inuocatione hanc doctrinam & consolationem assiduè repeti necesse est: Iam uerba expendantur.

Primùm nominat remissionem peccatorum, Hæc forma loquendi communissima est in scripturis, & remissio culpæ, significat Deum iam non irasci conuerso, nec abijcere eum in æternas pœnas, sed esse ei propicium, & facere eum hæredem uitæ æternæ, quod in Ioanne his uerbis dicitur: Pater meus diliget eum, &c.

TEGERE PECCATA, est Filium Dei esse umbraculum inter Deum & inter nos, ne effundantur in nos ira Dei intolerabilis creaturæ, cùm propter præterita delicta, tùm propter præsentem immunditiem quæ in nobis est, Ac illo umbraculo tollitur ira, ne absumamur à culpa, & à pœnis æternis, mitigatur etiam pœna temporalis, ut possit esse superstes Ecclesia, iuxta illa dicta: Misericordiæ Domini quòd non consumti sumus. Item, In ira misericordiæ recordaris.

BEATVS CVI DOMINVS, &c. Repetitio est prioris partis, est enim usitata phrasis, etiam alibi usurpata, non imputare peccatum, ut Semei dicit ad Dauid, 2. Samuel: 19. Non imputes mihi Domine peccatum, id est, non cogites, non decernas me puniendum esse, nam uerbum in textu quod uertunt imputare, significat cogitare seu ratiocinari, seu ratiocinando aliquid de aliquo decernere. Non igitur quæramus hîc peregrinas sententias, sed ipsa phrasi contenti simus, non imputare peccatum, hoc modo est peccatum præsens, uel præteritum, non ita obijcere ut persona maneat rea, sed est remittere personæ reatum & pœnam æternam. Sentit ergo Dauid, semper in hac uita reliquum esse peccatum in hominibus, quod possit obijci, propter quod homo esset reus pœnæ æternæ, si non remitteretur reatus, sed ita homines esse iustos, id est, acceptos Deo, quia non imputantur peccata credentibus.

ET IN SPIRITV EIVS NON EST DOLVS, id est, non est Hypocrisis, sed in uero dolore seu contritione talis confessio, qua peccatum agnoscitur, & tribuimus Deo laudem iusticiæ, quòd ipse sit iustus, & iustificans, recipiens nos propter Mediatorem per misericordiam. Quanquam sumus indigni, sicut alibi inquit: Tibi tantùm sum peccator & malum coram te feci, ut tu iustificeris in sermonibus tuis. Et postea in hoc Psalmo, *CONFITEBOR ADVERSVS ME INIVSTICIAM MEAM DOMINO, ET TV REMITTIS IMPIETATEM PECCATI MEI.* Hæc consolatio toto pectore tenenda est, in qua suo exemplo docet, sic accedendum esse ad Deum afferentes non fiduciam nostræ iusticiæ, aut

nostra

nostra merita,sed confessionem peccati,ut sciamus uerè recipi nos GRATIS per Mediatorem,non propter nostram iusticiam, seu dignitatem, sicut & Daniel orat: Non in iustitia nostra, sed in misericordia tua exaudi nos propter Dominum.

QVONIAM TACVI, Sequitur narratio sui exempli, ait se diu in magna consternatione, & magnis doloribus fuisse,sentientem iram Dei,& luctantem cum desperatione, quia non potuerit apprehendere hanc consolationem,quòd Deus Gratis etiam peccatorem uelit recipere propter Mediatorem. *TACVI*, id est,consternatus eram,& oppressus dolore,non audebam accedere ad Deum intuens magnitudinem & turpitudinem meorum peccatorum, & nondum apprehendens hanc consolationem, quòd DEVS etiam peccatores GRATIS propter Mediatorem recipiat. Reliqua membra in his duobus uersibus,sunt descriptio magnitudinis dolorum in illa lucta,seu in contritione, de qua Ezechias dicit: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea.

Tacui, id est, consternatus eram.

PECCATVM MEVM NOTVM TIBI FACIAM, Hîc uelut eluctans,& emergens aliquo modo ex doloribus,edit confessionem peccati, ut suo exemplo doceat, ita accedendum esse ad Deum, afferentes non merita, aut iusticiam nostram,sed agnitionem peccati, & talibus uerè remitti peccatum, credentibus scilicet in Mediatorem iuxta promissionem. Ideo inquit: *DICO, CONFITEOR ADVERSVM ME INIVSTICIAM MEAM DOMINO, ET TV REMITTIS PRAVITATEM PECCATI MEI.* Hoc exemplum tanquam testimonium teneri oportet, quòd Deus uerè recipiat peccatores, GRATIS, propter Mediatorem, ut Paulus inquit: Certus sermo est,uenit Filius Dei saluos facere omnes credentes in nomine eius.

PROPTER HOC ORABIT OMNIS SANCTVS. Postquam ad doctrinam addidit exemplum de seipso,quod etiam est doctrina communis, ac ostendit uerè remitti peccata, & sic recipi homines, & placere Deo, non propter merita,sed remissione peccatorum:Iam rursus applicat doctrinam ad cæteros, *OMNIS SANCTVS ORABIT AD TE*, propter hoc, id est, Quia sic recipis hominem remissione peccatorum, ideo confugient ad te sancti,quia omnes agnoscunt peccatum hærens in sua natura,et non possent ad te accedere, nisi hanc doctrinam nossent,recipi se, & placere propter Mediatorem & habere remissionem peccatorum. Ita hic uersus est repetitio promissionis in primo uersu traditæ,*BEATI QVORVM REMISSÆ SVNT INIQVITATES.*

Pro hoc orabit ad te omnis Sanctus.

Nota est autem doctrina, quòd etiam in sanctis in hac uita sit reliquum peccatum,sicut Rom. 7. copiosè scriptum est.In eius doctrinæ testimonijs citatur & hic uersus, Propter hoc orabit ad te omnis sanctus. Nominat sanctos, & dicit tamen eos petere remissionem peccatorum, Sicut quotidiè petimus, Dimitte nobis debita nostra. Simul autem hic uersus dulcis consolatio est,quia & iubet petere remissionem sanctos,& cùm iubet petere,significat eam dari. Non igitur deterreat nos infirmitas nostra,quò minus petamus reconciliationem,et fide statuamus nos recipi & exaudiri.

In Sanctis in hac uita est reliquum peccatum.

IN

IN TEMPORE OPORTVNO, Vsitata phrasis est, in tempore oportuno, uidelicet nobis, cùm nos ipsi sentimus dolores & iudicium Dei.

CVM ERIT INVNDATIO AQVARVM MVLTARVM, NON OBRVENT EVM AQVÆ, De effectu huius fidei & precationis iam concionatur, ut Dauid erectus hac consolatione non obruitur aquis, id est, non mergitur in desperationem, & æternam mortem, sicut Saul: ac prorsus idem dicitur: Iustificati fide pacem habemus erga Deum, uel ut Iohannes inquit: Qui filium habet, habet uitam æternam.

Aquæ non obruent, id est, erectus fide nõ mergetur in desperationẽ.

Octauus uersus repetit petitionem liberationis, *TV ES PROTECTIO MEA*, id est, Quia tu remittis peccata, simul etiã seruas me, ne opprimar æterna morte, & simul est confessio, qua tribuit Deo hanc laudem, quòd ipse uiuificet. Peto & certa spe expecto consolationem, & uitam æternam, nec possem emergere, nisi te uiuificante, & tu iurasti te non uelle mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat.

Nonus uersus, *INTELLECTVM TIBI DABO, &c.* Est promissio sanctificationis & gubernationis, sicut semper diximus, in iustificatione primùm accipitur remissio peccatorum, & persona recipitur propter Mediatorem *GRATIS FIDE*, ac in illa ipsa consolatione, cùm in doloribus & pauoribus eriguntur corda uoce Euangelij & fide, Filius Dei uiuificat nos & dat nobis de Spiritu suo, ut in Ioanne dicitur: Qui lætificat & gubernat corda, & dulcissimè hîc dictũ est: *CONSILIVM TIBI DABVNT OCVLI MEI*, Id est, meis oculis, mea sapientia tibi adero ego, ipse gubernabo te luce uerbi mei, & confirmabo te Spiritu sancto, dabo motus salutares tibi & aliis, ut Dauid regitur consilio, ne interficiat Saulem, ne regnum ante tempus rapiat, & confirmatur Spiritu sancto, ut dolorem patientia uincat. Sic alibi petit de sanctificatione, Cor mundum crea in me Deus, &c. Et Paulus inquit, Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, Spiritum carnẽ mortificantem, &c.

Oculi mei dabunt tibi consilium.

Decimus uersus, *NON SITIS SICVT EQVVS ET MVLVS, &c.* Iam discernit non conuersos à conuersis, & accusat horrendam securitatem in omnibus non conuersis, sicut alibi Prophetæ dicunt, Erubescere nesciebant. Item, Ceruix uestra ænea est, &c. Et sicut in cruce pendens impius Latro, ridet in sua calamitate, & ridet Christum. Addit autem doctrinam de causa, Quare tantæ pœnæ uagentur per totum genus humanum, uidelicet, Quia Deus his pœnis ostendit, se irasci peccato, & punire impios, & simul commonefacere, ut homines conuertantur ad ipsum.

Discernuntur conuersi à nõ conuersis.

Hîc doctrina integra consideranda est, de uenturo iudicio, de causis calamitatum in hac uita, de discrimine doctrinæ philosophicæ, & diuinæ, de communibus calamitatibus & propriis Ecclesiæ. Item de differentijs, quòd aliæ afflictiones sint τιμωρίαι, aliæ δοκιμασίαι, aliæ μαρτύρια. Christi passio est λύτρον.

Discernit autem Ecclesiam, & impios, proponit consolationem, & comminationem, affirmat impijs certò uenturas esse pœnas, quarum in hac uita initium est mors, & sæpè antecedunt aliæ magnæ pœnæ, ut in Pharaone, & Saul & aliis. Quia Deus & hanc regulam seruat, ut atrocia delicta comitentur atroces pœnæ in hac uita.

Deus punit atrocia delicta atrocibus pœnis propter quinq; causas.

Primùm, Quia uult intelligi se iustum esse, discernere rectè facta, & delicta, & irasci delictis.

Secundò,

Secundò, uult agnosci & timeri Iudicium, & frenari multos metu.

Tertiò, uult multos ad pœnitentiam reuocari.

Quartò uult præsentia supplicia commonefactiones esse de pœnis æternis.

Quintò, uult tolli delinquentes propter utilitatem ne plus noceant.

Sed etiamsi aliqui in hac uita leuiter puniuntur, ut Tiberius, tamen certum est omnes, qui nō conuertuntur, futuros esse in pœnis æternis, iuxta comminationes, Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum.

De utroq; genere pœnarum dicit Psalmus, Multa flagella peccatoris &c. Sed de Ecclesia addit consolationem: *SPERANTEM AVTEM IN DOMINO MISERICORDIA CIRCVMDABIT*, Etiamsi sancti etiam moriuntur, & plerunq; antea in hac uita propter multas causas duriter affliguntur, ut Dauid, Ioannes Baptista: tamen tandem liberabuntur, ut ibi quoq; Matth: 25. dicit: Venite benedicti Patris mei. Præterea & in hac uita mirabiliter tota Ecclesia seruatur contra furores Diaboli, & mitigantur pœnæ & calamitates, ut sit superstes aliquis cœtus docentium & discentium, quia Deus in hac uita uult colligi Ecclesiam, iuxta dictum: Non mortui laudabunt te Domine.

Dicta de custodia Ecclesiæ.

Huc pertinent dicta de custodia Ecclesiæ, Psalmo 33. Circumuallat Angelus Domini timentes eū. Ioël. 2. Bonus Dominus & misericors, & pœnitet eum pœnæ. Oseæ 11. Non faciam furorem iræ meæ. Et Esaiæ 28. Erudiet eum Deus suus in iudicio ut doceat eum, id est, ut reuocet eum ad pœnitentiam, &c. His & similibus dictis commonefacti petamus & speremus mitigationem publicarum & priuatarum calamitatum, & sciamus sine ulla dubitatione conuersos ad Deum fore hæredes uitæ æternæ.

Iustos nominat Psalmus conuersos ad Deum.

Vltimus uersus est Epiphonema, quod est consolatio iustorum, & præceptum de inuocatione, & de gratiarum actione, *LÆTAMINI IN DOMINO, ET EXVLTATE IVSTI, &c.* Sed hîc statim conscientia sibi ipsi obiicit hoc argumentum. Iubet lætari iustos, Ego non sum talis, imò ego habeo errores & peccata. Hîc oportet notam esse communem doctrinam Euangelij, quòd nominat iustos conuersos ad Deum, qui iam placent propter Mediatorem fide, etiamsi hærent in eis magnæ infirmitates, hi tamen non perseuerant in delictis contra conscientiam. Talibus est mandatum, ut fide accedant ad Deum, statuant se placere & exaudiri, ut ad Hebræos dicitur: Accedamus ad thronum GRATIAE cum fiducia. Item, Petite in fide, nihil hæsitantes, Et de spe inquit Petrus: Sine simulatione sperate gratiam quæ uobis exhibetur. Item, Sacrificate sacrificium iusticiæ, & sperate in Domino, &c. Et nominatim hîc dicitur, Lætamini in Domino, quasi dicat, non in præsidijs humanis, & hæc ipsa uerba de lætitia, seu de consolatione, sunt præcepta de fide, spe, inuocatione, & gratiarum actione, Quia causæ lætitiæ, inuocationis, & gratiarum actionis sunt fides & spes, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus.

ALIA ENARRATIO PSALMI XXXIIII.

BENEDICAM DOMINO OMNI TEMPORE MEO &c.

Hic

XXXIIII. *Psal. gratiarum actio.*

HIc Psalmus est præcipuē gratiarum actio, quod ex periculo quodcunq; illud fuit liberatus est. Titulus facit mentionem historiæ quæ extat 1. Sam. 25. Vbi narratur Dauidem uenisse ad Achis, & cùm agnitus esset subita simulatione furoris euasisse, sed quæcunq; historia fuit, multa enim tristia accidunt, ut hic ipse Psalmus inquit, scripta est hæc gratiarum actio non propter ipsum tantùm, sed propter totam Ecclesiam.

Vt autem hæc scripta intelligantur, & rectè ad usum accommodentur, initiò fontes cogitandi sunt. Omnes conciones sunt aut doctrina legis, aut articulorū fidei, seu Euangelij, seu consolationes, quæ continent promissiones Dei de futuris, & præsentibus bonis, aut sunt condemnationes impiorum. Hîc & intuenda est tota doctrina de inuocatione, de fide, de exercitijs fidei, in expectatione præsentiū liberationum, & uitę æternę. Item, de discrimine promissionū temporalium & æternarum. His initiò consideratis, sciamus hunc Psalmū consolationem esse, quia gratiarum actio scripta est ad alios cōsolandos, ut fide petant, & expectent similes liberationes. Proponit & exemplum suæ liberationis, & promissiones in quibus eadem sententia sæpē repetita est. Sciamus autē & promissiones, & exempla ad nos quoq; pertinere, sicut hæc dicta ad singulos pertinent: Venite ad me omnes. Item, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Omnes conciones sunt aut doctrina legis aut Euangelij.

Ita sciamus sicut seruati sunt Abraham, Ioseph, Dauid, Israëlitæ in mari rubro, in fornace Babylonica, sic nos quoq; tegimur & seruamur à Deo, nam in tanta infirmitate generis humani, & in tantis odijs Diabolorum, & hominū furoribus non possent Ecclesiæ manere, nec possent familiæ, scholæ, politiæ esse, nisi filius Dei, qui naturam humanam ideo assumsit, ne funditus genus humanum periret, umbraculum esset, & nobiscum esset, sicut fuit ipse conspectus in fornace Babylonica. Adest igitur, exaudit, & iuuat, nec negligi nos putemus, quia non omnes euentus respondent nostris imaginationibus. Vtrunq; enim uult Deus, & esse Ecclesiam sub cruce, ut peccatum agnoscatur, & ut fiat inuocatio, & Ecclesiam seruari, ac præsentiam suam in Ecclesia conspici. Ideoq; uult liberationes celebrari, sicut inquit: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me, &c. Et Num. 14. Magnificetur fortitudo Domini, ut sciant Aegyptij quòd tu in hoc populo sis.

BENEDICAM DOMINO. Vniuersaliter gratitudo est uirtus composita ex duabus præcipuis uirtutibus, scilicet ex ueritate & iusticia. Veritas profitetur unde acceperis beneficium, iusticia obligat ad mutua officia, Et uniuersaliter ingratus est mendax, & iniustus. Mendax est, quia autorem beneficij, non agnoscit, nec celebrat, aut in sese etiam aliena facta trāsfert, ut cùm inquit Nabuchodonosor, mea uirtute hoc pulcerrimum imperium partū est. Deinde iniustus est, quia non reddit mutua officia, ut Alexander non obtemperat Deo, facit sese Deum, interficit amicos. His turpissimis uicijs consideratis, magis intelligi potest, quare postulet Deus gratitudinē. Primùm uult nos non esse mendaces, uult agnosci, & celebrari autorem beneficij, ut discamus ipsi quis sit Deus, & qualis sit. Deinde ideo quoq;, ut alij doceantur, & inuitentur ad agnitionem Dei, ad fidem, inuocationem, & spem, & erigantur consolatione, adiuuentur, & salui fiant. Ideo inquit in hoc ipso Psalmo: Audient mites & gaudebunt. Et Psal. 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Et exhibet Deus beneficia, ut extent testimonia de ipso,

Gratus est uerax & iustus.

Ingratus est mendax & iniustus.

ut confirmet nos & alios. Vt 1. Reg. 17. Sciat omnis terra quòd sit Dominus Deus Israël. Est igitur initium Psalmi propositio gratiarum actionis, Benedicam Domino, id est, celebrabo eum, & profitebor id quod res est me ab ipso seruatum esse.

IN DOMINO GLORIABITVR ANIMA MEA, id est, Non gloriabor mea sapientia aut mea uirtute, sicut Nabuchodonosor inquit: Mea uirtute hoc imperium partum est. Et sicut inquit Sennacherib: Qui nam sunt dñi, qui liberent uos, sed gloriabor in Deo, id est, tribuam ipsi gloriam, affirmo me ab ipso seruatum esse, sicut Daniel inquit: Deus meus misit angelũ, qui clausit ora Leonum.

Sequitur applicatio de fructu celebrationis, *AVDIENT MISERI ET GAVDEBVNT*, id est, etiam exempli causa celebro beneficiũ Dei, ut alij inuitentur ad agnitionem Dei, fidem, & inuocationem & erigantur cõsolatione, & salui fiant.

MAGNIFICATE DOMINVM SIMVL. Alloquitur Ecclesiam, ut sit testis huius confessionis, & celebret ipsa quoq; hoc beneficium, & alij.

Narratio beneficij, *INQVISIVI DOMINVM, ET EXAVDIVIT ME*. Mox inseritur generalis promissio, & accommodatio ad alios, qui respiciunt ad eum, & accurrunt, seu confluunt, horum facies non confunditur, quasi dicat, cùm dubitant homines an exaudiantur, ego hanc dubitationem planissimè reprehendo, & affirmo uerè exaudiri inuocantes eum, & repetitur exempli commemoratio. *ISTE PAVPER CLAMAVIT ET DOMINVS EXAVDIVIT EVM*. Hoc carmen ad te quoq; accõmodes. Te quoq; exaudiet Dominus clamantem.

CIRCVMVALLAT ANGELVS DOMINI TIMENTES EVM ET ERIPIET EOS. Hebræis est uerbum חנה quod significat castra locat, quòd Græcus rectè uertit παρεμβαλεῖ, quod est castra iungit, & παρεμβολὴ copiarum supplementum, sed Latinus interpres græcam phrasin non intellexit. Sumta est autem forma sermonis ex Genesi cap. 32. Vbi cõspectis angelis Iacob inquit, Castra Dei sunt. Item, ex historia Mosi, Exod. 33. Si non præcedes nos, non educas nos de loco isto. Item, Nisi ambulaueris nobiscum &c. Angelum uerò intelligo ipsum filium Dei, custodem Ecclesiæ suę, sicut Iacob inquit, Gene. 48. Deus patrum meorum Abrahæ, & Isaac, & Angelus qui eripuit me ex omnibus malis, benedicat pueris istis.

Rursus autem intexta est promissio de præsentia & auxilio Dei, quæ & alibi sæpè repetita est, ut Esa. 46. Ego gestabo uos, etiam in senecta ego saluabo uos. Matth. ultimo, Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Iohan. 14. Veniemus ad eum &c. Matth. 10. Omnes capilli capitis uestri numerati sunt. Et totus Psal. 91. Qui habitat in adiutorio altissimi &c. Item, cum ipso sum in tribulatione. Psal. 54. Iacta curam tuam in Deum, & ipse te sustentabit.

GVSTATE ET VIDETE, Doctrina est de applicatione promissionum, quasi dicat, antea proposui exemplum meæ liberationis, & adiungo promissiones, quas affirmo ad uos quoq; pertinere, sed oportet uos conuerti ad Deum, & fide amplecti promissionem, expressè igitur ponitur applicatio huius beneficij, Bonus Dominus, Beatus qui confidit in eo, &c.

Sequuntur

Sequuntur consolationes de conuersione, & de fructibus conuersionis, & simul repetuntur promissiones. *TIMETE DOMINVM OMNES SANCTI EIVS*, id est, perseuerate in uera contritione, in timore & fide. Nam timor generaliter sæpè totum cultum significat, ut, *BEATI OMNES QVI TIMENT DOMINVM, QVI AMBVLANT IN VIIS EIVS.*

Decimus uersus, *LEONES ESVRIVNT*, illustris Metaphora est, quòd Leones nominat diuites, potentes, Tyrannos: & affirmat hos quoq; ex summo fastigio deijci, redigi ad inopiam, destitui præsidijs, & ruere in æternum exitium, ut perierunt Pharao, Saul, Apries, Polycrates, Nero &c. Interea custodit Deus imbecillem Ecclesiam.

VENITE FILII AVDITE ME, TIMOREM DOMINI DOCEBO VOS. Quia nominauit timorem Dei, addit doctrinã de exercitijs ueri timoris & conuersionis. Primùm de lingua præcipit, ubi intelligatur utrumq; genus, loquamur ueritatem in doctrina de Deo, & in iudicijs, & pactis erga homines.

DECLINA A MALO, Loquitur de iusticia uniuersali: Fac bonum, complectitur enim omnia mandata Dei, sicut Dominus inquit: Si uis ingredi in uitam seruabis mandata. Et Paulus, Milita bonam militiam habens fidem & bonam conscientiam. Item, Nolite errare, scortatores & adulteri, homicidæ, non possidebunt regnum Dei. Item Iohan. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est. In quatuor sequentibus uersibus repetuntur promissiones & cõminationes.

Leones nominat diuites & Tyrannos.

MVLTÆ SVNT TRIBVLATIONES IVSTORVM. Hîc respondet omnium hominum obiectioni: cùm tantæ sint ærumnæ Ecclesiæ, cur dicis eam tegi castris & oculis Dei, Respondet, Verum est esse magnas & multas ærumnas Ecclesiæ, causæ alibi recitantur, sed tamen post hanc uitam, erit uniuersalis liberatio, uita, iusticia, & lætitia æterna. Erit & in hac uita mitigatio, & corpus Ecclesiæ seruabitur etiam ruentibus imperijs.

MORS PECCATORVM PESSIMA. Concionatur de uniuersali pœna impiorum, hîc clarè dicitur, Mors impijs mala, ergo etiamsi florent in hac uita, tamen tunc peribunt cùm moriuntur, ita ut non sit finis pœnarum, sed sensus iræ & iudicij Dei in omnem æternitatem. Traditum est igitur, & hoc loco de uita & iudicio post hanc uitam, docet etiam hic locus oportere in hac uita ante mortem fieri conuersionem ad Deum, sicut dicitur: Beati qui in Domino moriuntur. Item, Sis fidelis usq; ad mortem. Item, Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Phrasis obseruanda est, qui oderunt iustum, erunt rei, nam uerbum Hebræum hoc loco non significat actionem, ut Latinus uertit, delinquent: Sed significat erunt rei, & malum pœnæ significatur, uidelicet deletio, ut sæpè aliàs.

Phrasis Hebræa erunt rei significatur malum pœnæ.

Vltimus uersus, repetit promissionem & applicationem de fide, non erunt rei, omnes qui confidunt in eo.

FINIS.

712 ENARRATIO PSALMI DIXIT DOMINVS, ET ALIQVOT SEQVENTIVM, SCRIPTA ANNO M. D. XLII. ET SEQVENTI, AC PVblicè propoſita

A

CASPARO CRVCIGERO DOCTORE.

REVERENDO VIRO, ERVDITIONE ET VIRTVTE PRÆSTANTI D. CASPARO BORNERO DOCTORI THEOLOGIAE IN ACADEMIA LIPSICA, AMICO ſuo veteri, & Præceptori cariſſimo: Caſpar Cruciger Theologiæ Doctor S. D.

SAEPE MIHI DE HOMINVM VITA COGITANTI, ET OMnium ætatum hiſtoriam, acerrimasq; ſummorum virorum contentiones, quarum multæ inanes, multæ exitiales ipſis & ſuis ciuitatibus fuerunt, intuenti, venit in mentem Senecæ dictum, cuius hæc ſunt verba: Magna vitæ pars elabitur hominibus malè agendo, maxima nihil agendo, Tota aliud agendo. Quo dicto verè quidem maxima pars generis humani vituperatur, Sed tamen niſi multorum labor Deo gratus, & ipſis ac alijs in omnem æternitatem ſalutaris eſſet, fruſtra conditum eſſet genus humanum, imò prorſus temerè ferretur, vt illa Democriti corpuſcula, ex quibus hunc mundum fabricat, quæ, vt Lucretius inquit: Miris

Multa modis volitant æterno percita motu.

Quanquam igitur hæc mortalis vita calamitoſa & miſera eſt, & horrendi ac pernicioſi ſunt multorum furores, tamen Deus ex hac miſera maſſa generis humani æternam filio hæreditatem, & Eccleſiam colligit, cuius militia non eſt inutilis. Nec ſi Alcibiadi malè agendo, Margitæ Homerico nihil agendo, Pericli, Demoſtheni, Catoni Vticenſi & ſimilibus aliud agendo, id eſt, ſtulta πολυπραγμοσύνη non neceſſarias res mouendo, vita inutiliter elapſa eſt, propterea Moiſi, Samuelis labores, Ioſuæ, Dauidis prælia, Eliæ, Eliſæi, Eſaiæ, Ieremiæ, Danielis πολιτεύματα, fuerunt inanes contentiones. Imò ad hos labores, quales in Eccleſia, Dauid, Eſaias, Baptiſta, Paulus ſuſtinuerunt, condita eſt hominum natura. Hæc militia Deo grata eſt, nec tantùm ſeruit huic interituræ vitæ, vt Auguſti gubernatio, Sed æternam Deo Eccleſiam colligit.

De his laboribus inquit Paulus: Non erit inanis labor veſter in Domino. Et Pſalmus primus: Et folium eius non defluet, &c. Diſcernamus igitur hominum ſtudia, omittamus ambitionum & aliarum iniuſtarum cupiditatum certamina, & primùm omnium agnoſcamus nos in Eccleſiam à Deo vocari. Ibi modeſtè faciamus operas mandatas, nec Geometricam proportionem conturbemus.

Tali in loco qui ſunt, Deo gratias agant pro tanto beneficio, quod ad munus ſalutare in vita vocati ſunt, ardeant ſtudio benè merendi de Eccleſia, faciant neceſſaria, & petant vt Deus adiuuet labores & gubernet exitus, qui proſpici omnes humano conſilio certè non poſſunt. Tale curriculum nec inutile eſt, nec infelix.

Sæpè igitur de te pro noſtra amicicia cogitans, tibi & patriæ meæ gratulor, cùm te tot iam annos præclarè de Eccleſia mereri video, docuiſti optima fide & me & alios, neq; hanc militiam Senex deſeris. Cuſtos es diſciplinæ, gubernas œconomiam ſcholæ neceſſariam.

ceſſariam. Hæ operæ cùm ad æternam Eccleſiam colligendam et tuendam proſint, longè antecellũt Periclis aut Faby gubernationi, et præmijs ornabuntur, nõ in Olympijs aut Pythijs, ſed in illa dulciſſima conſuetudine Dei, inter Patres, Prophetas, Apoſtolos, quorum ſumus Diſcipuli, vbi de mirandis conſilijs Dei philoſophabimur, cur Eccleſiam tantis ærumnis in hac vita ſubiecerit.

In ea Academia cùm alij multi tibi gratitudinem ſuam, vbi nulla erunt fucata officia, oſtendent, tùm ego tibi gratias agam, quòd mihi prima Philoſophiæ elementa tradidiſti, circulorum cœleſtium & ſtellarum picturas primùm monſtraſti, & inſitum animo amorem pulcerrimarum artium primus quaſi face admota, illis tuis monſtrationibus exuſcitaſti atq; accendiſti, deniq; quòd mihi hortator fuiſti diſcendæ doctrinæ de Deo. Hæc tua beneficia cùm maximi faciam, volui mei iudicij & meæ voluntatis ſignificationem aliquam extare. Ideo cùm hos libellos ederem, hanc ad te Epiſtolam præfixi.

De ipſis autem commentarijs tibi & his noſtris Academijs iudicium permitto, quos quidem eò edidi, primùm, quia aliquibus lecturis profuturos eſſe ſpero, præſertim cùm in Eccleſia ſemper proſit extare teſtimonia eorum, qui bona fide doctrinam traditam à notis & probatis Doctoribus acceperunt. Deindè quia hæ & ſimiles lucubrationes refutant calumnias quæ à multis contra harum regionum Eccleſias finguntur. Intelligent enim eruditi & dextrè iudicantes, retineri à nobis germanam & incorruptam doctrinam Catholicæ Eccleſiæ Dei, & deduci pias mentes ad veram Dei inuocationem, et ad virtutum exercitia, quæ Deus poſtulat.

Nec opes, nec imperia, nec potentiam quæro, nec velim politiæ Eccleſiaſticæ ordinem turbari, ſed diſcerni veram Inuocationem à ſuperſtitione neceſſe eſt. Si quis autem negat fuiſſe errores in Monachorum doctrina, aut arte eos excuſat, ac pingit, vt nunc multi faciunt, is in re manifeſta impudenter ludit. Non ſum natura pugnax & φιλόνικος & modum aliquem eſſe diſputationum cùm in omni vita, tùm verò maximè in Eccleſia oportere iudico. Sed tamen doctrinam neceſſariam ſine Sophiſtica extare in Eccleſia illuſtratam opto. Prædicit ipſe filius Dei, in extrema mundi ſenecta regnorum confuſiones & ruinas triſtiores fore, quàm fuerunt antea.

Et cùm bella diſciplinæ neruos laxant, & impediunt intentionem animorum in diſcendis ijs artibus quæ literis continentur, Eccleſiæ fiunt ſqualidiores, eſtq; vſitatum nunc quoq; quod Euripides dixit: κακωθείσης χώρας νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν. Ac multi conſpectu publicarum & priuatarum calamitatum adeo mouentur, vt vel de prouidentia, vel de doctrina Eccleſiæ ambigere incipiant, ac à Deo deficiant, Econtrà bonæ mentes diſcant ex doctrina cœleſti, quæ ſint veræ cauſæ miſeriarum communium, & remedia ſalutaria quærant, excerpant doctrinam neceſſariam ex ijs diſputationibus, quæ tot iam annis agitatæ ſunt, in quibus multa rectè & piè patefacta eſſe, negari non poteſt, nec deficiant à Deo, nec deſperent manſuram eſſe Eccleſiam in conſuetudine huius vitæ vbi ſonat vox Euangelij, nec inuocationem Dei omittant, nec arbitrentur humanis imaginationibus Eccleſiam Dei vnquam gubernatam eſſe.

Etiamſi aliquid loci eſt humanæ diligentiæ & moderationi, tamen aliæ multæ cauſæ in hominum vita magnas vicißitudines efficiunt. Sicut Plato verè inquit, Θεὸς μὲν πάντα, καὶ μετὰ θεοῦ τύχη καὶ καιρὸς τὰ ἀνθρώπινα διακυβερνῶσι ξύμπαντα, ἡμερώτερον μὲν ἕπτον συγχωρῆσαι τούτοις δεῖ τέχνην.

In alijs autem tempeſtatibus faciamus, quod nautæ prudentes faciunt, & vt illa

ipsa Platonis sententia monet, nobis ipsis, & quantum possumus, Reipub. mitigemus temporum difficultates, non solùm moderatione, & consilijs honestis, sed etiam pia precatione. Quare coniungamus vota cum filio Dei intercedente pro Ecclesia nunc quoq; in illo arcano æterni Patris consilio, & precemur, vt Deus Ecclesiam sibi in his regionibus seruet & colligat, & gubernatores ad salutaria consilia flectat. Benè vale Mense Augusto, Anno 1546.

PRÆFATIO IN PSALMVM CX.

Interpretatio scripturæ & Methodus.

DVplex est genus docendi in Ecclesia. Interpretatio scripturæ, & Methodus. Vtroq; autem opus est, quia Methodus debet sumi ex scriptura. Est enim collectio & explicatio dogmatum, seu summa doctrinæ, redacta in ordinem accommodatum ad docendum. Sed interpretatio scripturæ, alijs locis, alias partes doctrinæ tradit. Itaq; magna cura adhibenda est in interpretatione, ut uideatur, quorum dogmatum fontes tradantur in singulis scripturæ partibus, Vt qui initium Euangelij Ioannis interpretatur, cogitet ibi fontes contineri articuli de diuinitate filij Dei. In interpretatione Epistolæ ad Romanos sunt fontes de iustificatione, de discrimine legis & Euangelij. Ita & Psalmi utiliter legentur, si cogitabimus ad quam doctrinæ partem singuli pertineant.

Psalmorum genera. Euangelici.

Primùm igitur distinguenda sunt genera Psalmorum. Sunt autem tria genera. Alij sunt Prophetici seu didascalici, seu propriè Euangelici, præcipuè ad hoc compositi, ut doctrinam de Christo tradant, qualis sit futurus Messias, quòd sit passurus, quale sit futurum ipsius Regnum ac beneficium, Quales sunt, Psalmus secundus. Item Psalm. Eructauit, Et Psalmus, Dixit Dominus. Et aliquot similes, Aut tradunt doctrinam de remissione peccatorum, de sacrificijs, ut Psalmus 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, Item Psalmus Miserere.

Suasorij generis.

Alij sunt generis suasorij, uidelicet Consolationes, precationes & gratiarum actiones. Et quanquam miscentur genera, tamen facilè iudicari potest, quę sit præcipua Psalmi materia. Est autem maximus numerus Psalmorum huius generis uidelicet consolationum, gratiarum actionum & precationum. Miscentur autem & his articuli dogmatum, qui cõcionantur de liberatione piorum, & de gratuita remissione, de exercitijs fidei in cruce: Item, de irritis hominum conatibus sine auxilio DEI, de pœnis impiorum &c. Ad hoc genus pertinet Psalmus, Noli æmulari. Item Psalmus quartus, & alij multi.

Legales.

Tertium genus est simpliciter νομικὸν, continens præcepta de bonis operibus, ut Psalmus 112. Beatus uir qui timet Dominum. Item præceptum de concordia, Ecce quãm bonum &c. Etsi autem ingentes utilitates continent singula genera, tamen primum genus hoc nomine superat, quòd proponit doctrinam Euangelij de Christo, & multis grauissimis testimonijs confirmat pias mentes. Item, refutat Iudæos, qui somniant Regnum Christi mundanum.

Misericordia intelligenda de gratuita misericordia.

Sciendum est & illud, In omnibus Psalmis, ubi fit mentio misericordiæ, intelligendum esse de gratuita misericordia, Quasi diceret Propheta, Aliæ gentes nõ norunt certò misericordiam Dei, sed tantùm habent aliquam legis noticiam,

noticiam, non ſtatuunt certõ, quòd Deus uelit exaudire, Nos certõ nouimus gratuitam miſericordiam, propter promiſſiones, ſcimus certõ, quòd Deus uelit exaudire, & hac fide inuocamus, & ſcimus Deum uelle hac fide coli. Sicut ait, Inuoca me in die tribulationis. Ita maxima pars Pſalmorum includit doctrinam de fide. Et hoc cogitanti fient Pſalmi multõ dulciores. Imõ hoc diſcrimen eſt inter gentes & pios, gentes enim non norunt gratuitam miſericordiam, ideo non ſtatuunt ſe exaudiri à Deo.

PSALMVS CX.

I.

Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.

II.

Sceptrum Regni tui emittet Dominus ex Zion, Vt domineris inter inimicos tuos.

III.

Populus tuus ſponte offeret tibi in die victoriæ tuæ, cum ornatu ſancto. Ex vtero oritur tibi ros generationis tuæ.

IIII.

Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.

V.

Dominus à dextris tuis, conteret in die iræ ſuæ Reges.

VI.

Iudicabit inter gentes, cumulabit cadauera, conteret capita in terris multis.

VII.

De torrente in via bibet, Propterea exaltabit caput.

HIc Pſalmus eſt ex primo genere, & propriè eſt Euangelicus, docet ordinẽ, quis ſit Chriſtus, q̃ uidelicet ſit Deus & Homo, item ubi regnaturus ſit, & quale ſit futurum regnum. Item, quòd ſit futurus Sacerdos, & habiturus ſacerdotium perpetuum. Complectitur autem beneficia Chriſti, loquens de regno & ſacerdotio, quo in loco accedit particula inſignis, quæ uberrimam doctrinã continet, quòd Chriſtus ſit æternus Sacerdos. Item, quòd ſit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, diſcernit igitur ſacerdotium Chriſti, à Leuitico. Deinde concionatur de pœnis impiorum, Poſtremõ addit uaticinium de paſſione Chriſti, Hæc eſt ſumma huius Pſalmi. *CX. Pſalmus docet quis ſit Chriſtus.*

Cũm autem neceſſaria ſit doctrina de beneficijs Chriſti, maximè opus eſt intelligere Regnum & ſacerdotium Chriſti, Nam hæc duo complectuntur ſummam beneficiorum illorum. Ad Sacerdotium pertinet, quòd Chriſtus factus eſt pro nobis uictima, quòd eſt Mediator, placans Deum, quòd ſuſtulit peccatum, quòd interpellat pro nobis, & eſt Pontifex propter quem exaudimur, & qui noſtras preces perfert ad Patrem. Item, quòd dedit nouum uerbum, & hoc uerbo uiuificat uita æterna. Nec uerõ ullus locus pijs conſcientijs eſt gratior, quãm conſideratio ſacerdotij Chriſti. Ad regnum pertinet, quòd uicit regnum Diaboli, quòd peccatum & mortem abolet, dato Spiritu ſancto, & dat nouam & æternam lucem, iuſticiam, & uitam, quòd depellit Diaboli *Ad ſacerdotiũ Chriſti quæ pertineant.* *Ad regnum Chriſti quæ pertineant.*

potentiam,quòd conseruat Ecclesiam aduersus Tyrannos in hac uita. Estq; defensor huius infirmissimæ naturæ humanæ, aduersus Diabolum & sæuitiam mundi, sicut alibi describitur Regnum Christi,cùm dicitur, Omnia subiecisti sub pedibus eius,Denicq; Rex est, quia liberat à peccato & à morte æterna, & dat uitam æternam.

Vsus doctrinæ de sacerdotio & regno Christi.

Sed doctrina de Sacerdotio,& Regno non potest intelligi, nisi nos ad usum conscientiæ nostræ accommodemus, Credamus nobis esse donatam hanc uictimam, nobis esse Pontificem, nos uerè propter hunc Pontificem exaudiri, nobis per ipsius uerbum promitti gratiam & salutem. Item nos uerè iuuari & defendi per hunc Regem. Ita intelligemus hanc doctrinam, & quidem sciamus necessariam & immutabile mandatum esse, ut hæc credamus, ut applicemus nobis hæc beneficia per uerbum, ut uerbo erigamus fidem. Hæc Christianos intelligere oportet, ut teneant, quid sit fides, & quomodo per uerbum excitetur, & sine hoc exercitio non potest intelligi doctrina de beneficijs Christi. Sed hæc copiosius in enarratione Psalmi dicentur,Nunc ista præfatus sum, ut summam Psalmi breuissimè complecterer.

Refutatio Iudæorum negantium hunc Psalmum loqui de Messia.

Nolo hîc prolixè refutare Iudæos, qui hunc Psalmum negant loqui de Messia, facilè enim refutari possunt per hæc duo, quòd loquitur de Rege regnaturo diuina potentia. Item de æterno Sacerdote. Constat autem cæteros Reges & Principes nec æquari Deo, nec perpetuum Regnum tenere. Cùm igitur hæc dicta manifestè pertineant ad Christum,erunt & cætera ad eundem accommodanda,ut cohæreat Psalmus. Hæc breuiter attigi, ut admoniti studiosi facilius possent refutare ineptas Iudæorum enarrationes. Quanquam constat eruditos Iudæos hunc Psalmum de Christo interpretatos esse. Sed nobis ipsius Christi testimonium sufficiat,qui eum de seipso interpretatur,Et apparet tunc quidem Iudæos communiter hoc sensisse, Psalmum hunc ad Messiam pertinere.

I.

DIXIT DOMINVS DOMINO MEO, SEDE A DEXTRIS MEIS.

TOtus Psalmus est quædam continua narratio, continens descriptionem regni Christi, Sed aptissimè & grauissimè orditur narrationem,ab autore huius regni, *DIXIT DOMINVS.* Duo enim complectitur uerbum,

Verbum dixit duo complectitur.

DIXIT, uidelicet quòd ordinauerit hunc Regem Deus, & ediderit testimonium per uerbum, ut sciamus hoc regnum Deo placere, efficax & perpetuum fore. Cumq; proponit testimonium, postulat ut credamus, & fide hoc Regnum amplectamur, & statuamus uerè nos bona illa consequi, quæ in hoc regno promittuntur, Hæc initiò in his duobus uerbis obseruanda sunt, Dixit, Dominus.

Additur autem, *DOMINO MEO*, De hac particula Christus ipse mouit disputationem, Cùm Messias sit filius Dauid, cur uocat eum Dominũ? Non igitur ociosa est hæc appellatio, Et de re quæstio est, An uerè Messias sit Dominus Dauidis, Nam autor generis & Rex pari potestate, non est inferior posteris, imò iure naturæ maior est. Hæc non poterant explicare Iudæi,qui imaginabantur Christum tantùm habiturum humanam naturam, propagatam à Dauide,& tantùm habiturum regnum mundanum. Hæc si ita essent, Itaq; Christus non esset Dominus Dauidis.

Itaq; hæc appellatio primùm segregat Regnum Messiæ, à regno Dauidis. Quasi sic dicat, Concionabor de promisso Rege, sed is habebit aliud regnum, quàm hoc nostrum mundanum & periturum regnum. Agnosco igitur eum esse Dominum, qui impertiet nobis, non hanc corporalem defensionem, & liberationem à uicinis hostibus, iusticiam & pacem ciuilem, sed alias res æternas, scilicet liberationem ab illis malis, quibus oppressa est tota natura humana, à quibus ego & leges & regna mundi neminem liberare possunt, scilicet à peccato, ab ira Dei, à morte, à diabolo. His malis pariter subiecti sunt ipsi Reges mundi, sicut cæteri homines. Alius igitur Rex ueniet, qui ab his malis nos liberabit, & res æternas, iusticiam & pacem æternam adferet. Ita principiò discernit appellatio Domini duo regna, & testatur Dauid se loqui de alio Rege, non de mundano. Hoc primùm in hac particula considerari debet.

Appellatio Domini discernit regna Christi & Dauidis.

Porrò hîc utrumq; obseruent studiosi. Quòd Christus uocatur Dominus à Rege, pijs regibus iucunda est consolatio, quòd sciunt suum ministerium etiam seruire & placere huic Domino, cùm dirigunt ad gloriam Christi. Rursus admonet etiam Reges mundi, ut agnoscant hunc esse Dominum, obtemperent ei, non persequantur Euangelium, sicut & paulò pòst Tyrannis minatur pœnas.

Secundò, etsi appellatio Domini discernit regna, tamen Christus disputans cum Pharisæis, significauit etiam naturas discerni, cùm inquit: Si Dauid uocat eum Dominum, quomòdo filius eius est? Taxat enim eorum ignorantiam & impietatem, qui putabant Messiam tantùm habiturum esse humanam naturam. Et significat se Dominum Dauidis esse, quia sit natura Deus, etiamsi assumserit humanam naturam ex semine Dauid, propter quam dicitur in scripturis filius Dauid, ut Matth. 1. Necesse est autem sciri, quod Christus sit natura Deus, sicut ipse hoc inculcat, Iohan. 5. Item 8. Item 10. Vt enim inuocemus hunc Messiam, necesse est in eo uerè & substantialiter esse diuinam potentiam.

Appellatio Domini etiam naturas in Christo discernit.

Porrò sicut non intelligebant Pharisæi, quale esset futurum regnũ Christi, & qualia beneficia daturus esset, scilicet nouam & æternam uitam, ita nesciebant inuocatione & fide apprehendendum esse Messiam. Hos errores omnes taxat Christus, & testatur appellatione Domini discerni & regna & naturas. Sed hæc satis sit breuiter attigisse.

SEDE A DEXTRIS MEIS.

HAec est promissio de regno. Quasi dicat, hæc est meæ concionis summa, quòd Deus sit daturus Domino meo Regnum, in quo pari potentia cum Deo regnaturus est. Nam sedere ad dextram Dei, est regnare pari potentia cum Deo, hæc est Pauli interpretatio ad Ephes. 1. ubi inquit, Collocauit eum ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum, & omnia subiecit sub pedes eius. Totus enim ille locus apud Paulum ex hoc Psalmo decerptus est. Et ad Heb. 1. ferens omnia uerbo potentiæ suæ, per se facta purgatione peccatorum nostrorum, sedet ad dextram maiestatis in sublimi, tantò prestantior Angelis &c. Hæc testimonia clarè ostendunt, hac figura sermonis significari potentiam supra omnes creaturas. Sicut & Christus ipse inquit Ioannis tertio, Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius, qui credit in Filium,

Sedere ad dextram Dei.

filium, habet uitam æternam. Item Matth. ultimo, Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.

Quale sit regnum Christi & quæ sint beneficia Regis.

Explicata figura sermonis, cogitemus, quale regnum describat, & ad quid prosit intelligere, quòd Christus regnet diuina potentia. Primùm enim hæc ipsa descriptio. Sedet ad dextram Dei, significat beneficia huius Regni. Quia enim Christus tenet regnum Deo placens & æternum, significat eum dare beneficia spiritualia & æterna. Omnes qui adhærebunt huic Regi, placebunt Deo, & consequentur æterna beneficia, ac talia, quæ non possunt humana potentia parari. Hæc igitur sunt illa beneficia, remissio peccatorum, iustificatio, donatio Spiritus sancti, & uitæ æternæ, promissio, quòd Deus propter Christum exaudiat, liberatio à tyrannide Diaboli, à peccato & à morte. Hæc beneficia breuiter significantur, quia tale regnum describitur, in quo adhærentes regi placebunt Deo, & habebunt æterna bona.

Ad quid prosit intelligere regnum Christi.

Prodest autem intelligi hoc regnum, ut sciamus quæ beneficia petenda & expectanda sint à Christo, ne somniemus tantùm esse mundanum regnum, sicut Iudæi somniabant. Secundò, prodest intelligi, quòd Christus diuina potentia regnet, & quia beneficia illa non possunt nisi diuina potentia præstari, & nobis necesse est tenere, quòd ille Messias quem inuocamus, possit & uelit exaudire, & quòd sit fide apprehendendus, & expectandum ab eo auxlium, etiamsi non cernitur oculis corporalibus, etiamsi aliquandiu nos sinit affligi, & omni genere ærumnarum opprimi.

Ergo cùm hæc uerba audis, *SEDET AD DEXTRAM DEI*, cogita primùm, quæ beneficia in hoc regno promissa sint: deinde cogita, ea tantùm diuina potentia præstari: tertiò cogita, Christum inuocandum esse, & fide petenda & expectanda esse illa beneficia. Hæc omnia latissimè discrepabant ab imaginationibus Iudaicis, qui putabant regnum corporale fore, quod armis & humanis modis defenderetur, & Christum præsentem dimicaturum esse cum gentibus. Aduersus has carnales cogitationes opponenda est sententia, Sedet ad dextram Dei.

II.

DONEC PONAM INIMICOS TVOS, SCABELLVM PEDVM TVORVM.

Effectus & circumstantiæ regni Christi.

INitium narrationis suprà, continet summam quòd uidelicet Christus regnaturus sit diuina potentia, Hæc est summa Psalmi & principalis propositio, quam his uerbis tradidit: Sede à dextris meis. Nunc attexit effectus & circumstantias Regni, Ac primùm pollicetur uictoriam huic Regi, & quidem diuinam. Ego, inquit, Deus, subijciam tibi inimicos tuos. Est autem Hebraica phrasis in particula donec, quæ non significat hoc regnum aliquando desiturum esse, Sede, donec subiecero, Sed est causalis, Sede à dextris meis, id est, habeto regnum diuina potentia, ut ego subijciam tibi inimicos. Ac postea Psalmus aliquoties repetit sententiam de inimicis, quòd Ecclesia futura sit in afflictionibus, Sed hic Dominus cui tradit Deus regnum, uincet omnes hostes, & superabit afflictiones. Sic igitur accipiendæ sunt hæ sententiæ, ut meminerimus nobis proponi consolationes, in ærumnis Ecclesiæ. Et in hac consolatione hoc spectandum est, quòd DEVS testatur sese subiecturum esse inimicos,

Donec in hoc loco particula causalis.

inimicos, Ergo Christus erit efficax diuina potentia. Item uerè curat nos Deus in illo regno, siquidem affirmat, se hostes oppressurum esse.

Sed qui sunt illi hostes? Totum regnum diaboli, id est, Diabolus qui est autor peccati & mortis, & per peccatum & mortem abstraxit à Deo genus humanum, & armat impios homines aduersus Christum, ut persequantur uerbum Dei. Hos hostes uincit Christus, abolebit peccatum & mortem, & destruet potentiam diaboli, & omnium qui persequuntur uerbum Dei: illis uerò qui adhærebunt Christo, nec peccatum, nec mors, nec diabolus nocere poterit, nec ulla erit tanta sæuitia mundi, quæ possit delere Christi regnum, Quæcunque afflictiones impetum aduersus nos faciunt, erigamus nos hac uoce Dei: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, id est, sciamus Ecclesiam & omni genere adflictionum exercendam esse, & tamen uictricem fore, quia Christus sedet ad dextram patris, & Deus subijciet omnes inimicos,

Hostes Christi qui sint.

Paulus 1. Corinth. 15. discernit regnum Christi certantis cum hostibus, ab altero statu, in quo Ecclesia glorificata & accepta hæreditate iam cũ Christo regnabit, Sed illud discrimen non constituit finem regno Christi, sed finem illi certamini in hoc regno. Ideo inquit: Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius, Et quidem adiecit sententiam, in qua describit hostes, Nouissimè inimica destruetur mors.

III.
SCEPTRVM REGNI TVI EMITTET DOMINVS EX SION.

Hic de loco incipit uaticinari, ubi hoc regnum sit incoandum, ut conscientiæ certõ teneant, ubi ille Rex quærendus sit, ubi agnosci possit. Est ergo summa, Initium huius regni fore in Sion, Vtrumq; complecti necesse est, personam ipsam, & uerbum quo regnum propagatur, Ipse Christus affuturus est in Sion, ipse dominabitur ibi, ut hîc dicitur, & erit Sacerdos, id est, prædicabit quoddam nouum uerbum, & habebit suum quoddam sacrificium, & uincet ibi hostes suos. Est igitur sententia: Sceptrum emittet, id est, incoabit regnum uidelicet, quia & persona ipsa Christi ibi aderit, & uerbum nouum ibi sparget, sicut Esaiæ 2. dicitur: Ex Sion exibit Lex, & uerbum Domini de Hierusalem, Et de officio huius Regis Esaiæ 61. Ad annunciandum afflictis misit me, ut medear contritis corde, & prædicem captiuis indulgentiam. Talia extant apud Prophetas multa & illustria testimonia, de regno Christi, quõd in Sion sit incoandum, & quale sit futurum, scilicet, quod uerbo administrabitur, non gladio, non ui corporali. Et quidem quõd non lex, sed aliud nouum uerbum annuncians salutem, propagandum sit.

Initium regni Christi in Sion.

DOMINARE INTER INIMICOS TVOS.

ANTEA de loco dixit, ubi incoandum sit Regnum, nunc addit aliam circumstantiam, quale sit regnum futurum. Et sunt obseruandæ Emphases uerborum, Ait dominaturum esse, & quidem inter inimicos. Primùm igitur pollicetur ei uictoriam, sicut aliquoties suprà dictum est, & eandem sententiam

Verbo dominandi promittur uictoria Christo.

tiam infrā repetet, Hæc consolatio quantam uim habeat, non potest nisi in ueris certaminibus intelligi. Pij luctantur cum peccato & cum morte: hîc si erigant animos hac sententia, Christum uictorem esse peccati, & postulare ut confidamus propter ipsum nobis ignosci, hac fiducia consequuntur ueram cōsolationem, iusticiam & pacem. Sic inuocatione Christi defendimur aduersus insidias diaboli. Præterea tota Ecclesia in mundo ita conculcatur, ita negligitur uerbum Dei, ut uideatur futurum ut statim extinguantur Euangelium & Ecclesia, sed quia scimus Christum esse uictorem, & perpetuō regnaturum, statuamus non posse opprimi Euangelium, & mansuram esse Ecclesiam, etiam si immani sæuitia mundus eam delere conetur. Ita fiet magis perspicuus uersiculus, si accommodetur ad usum, in certaminibus interioribus & exterioribus.

Messiam habiturum esse acerrimos hostes.

Est et in altera particula Emphasis, uidelicet, Inter inimicos, significat enim habiturum esse Messiam acerrimos hostes, diabolum & membra diaboli, omnes impios, qui persecuturi sunt & ipsum Christum, & Euangelium & omnes pios credentes in Christum. Hi hostes describuntur statim in prima promissione. Gen. 3. Ipsum semen conculcabit caput serpentis, & serpens mordebit calcaneum ipsius, id est, Christus abolebit regnum diaboli, peccatum & mortem, sed econtrā diabolus in suo regno, etsi non uincet, lacerabit tamen Christum & pios.

Vaticinium de Iudæis defecturis.

Peculiariter autem uaticinatur hîc Propheta de Iudæis defecturis & oppugnaturis Christum & Euangelium: testatur enim initium regni inter inimicos futurum esse. Significat igitur Principes & præcipuam populi Iudaici partem hostes Christi fore, sicut & aliæ prophetiæ testantur. Apud Esaiam dicitur, Et nos non reputauimus eum. Et apud Danielem scriptum est, Christus occidetur. Item populus esse desinet. Ad hanc sententiam accommodari & hic uersus debet, cōtra carnales opiniones Iudæorū, qui fingunt Messiam corporale regnum habiturū esse, & adiunctis Iudæis domiturum cæteras gentes. Sed Prophetæ docent futurum, ut ipse populus aduersetur & belligeretur cum Christo, imō ut Christus occidatur, hinc manifestè sequitur, regnum Christi non esse corporale. Nam qui occiditur, non habet uictorias ciuiles. Hoc breuiter monere uolui, ut consideretur quo sit applicandus uersiculus.

IIII.

POPVLVS TVVS SPONTE OFFERET TIBI IN DIE VICTORIÆ TVÆ.

Quōd sit Messias habiturus populum.

SI Israël non erit adiunctus Messiæ, quid igitur, nullum ne populum hic Rex habiturus est, ad quem eius beneficia pertineant? Huic quæstioni ut occurrat, affirmat non defuturum esse populum, & quidem addit de cultu. Sicut igitur Articulus fidei in Symbolo iubet credere, quōd sit Ecclesia Christi, ita hîc affirmat esse aliquem populum Christi. Magna autem consolatio proposita est in articulo de Ecclesia. Cūm scimus uerē ratas esse promissiones, quæ ad Ecclesiam pertinent, scimus certō consequi beneficia Christi, & exaudiri omnes, & fieri membra huius populi & Ecclesiæ, qui cūm agunt pœnitentiam, credunt Euangelio & se his promissionibus consolantur. Etsi igitur scandala perturbant pios, ut quæ sit Ecclesia dubitent, tamen illis scandalis opponamus

hunc

hunc articulum, quōd sit Ecclesia & populus Christi & sciamus promissiones omnibus uerē credentibus, ratas esse. Est ergo hæc prima pars uersiculi, quōd sit populus.

Quare addit *SPONTE OFFERET TIBI*, uel spontaneus? Primùm hanc particulam opponit ciuili regno, quasi dicat, Messias non parabit regnum armis, sicut Alexander aut C. Cæsar, sed audito uerbo adiungent se ei populi uolentes & non coacti, Huc iam pertinent sententiæ in Prophetis, quæ sic discernunt regnum Christi, ā regnis ciuilibus, ut Micheæ 4. Non discent ultrā belligerari. Et Zachariæ 9. Destruetur arcus belli &c. Item hîc ait, uenturos spontè populos. Hæc planē noua forma erit regni, uidelicet ubi diuina efficacia huius Regis attrahet populos, et mutabit eos, & impertiet nouam naturam, & diuinam lucem & iusticiam, quæ non humanis modis, legibus, & armis, sed diuino motu efficietur. Primùm igitur oppositа est hæc particula, Spontanei, regno ciuili. *Populus spontaneus opponitur regno ciuili.*

Secundō, ex priore antithesi sequitur altera, Nam particula, Spontanei opponitur uerbo legis, quod est ministerium mortis. Econtrā uerō in nouo testamento dabitur aliud uerbum, quod est ministerium, per quod datur Spiritus sanctus, & est efficax, ut efficiat spontaneum populum. Cùm enim Messias sine uiolentia, sine armis, & sine pœnis corporalibus adiuncturus sit sibi populum, necesse est aliud quiddam existere, quo attrahantur homines, id cùm non sit corporale, nec sit lex, quæ armat magistratus, significat Propheta allaturum eum esse nouum uerbum, quo sit efficax Deus in animis hominum, ut uolentes adiungant se Christo, Ita in hac particula, spontanei, rursus significat quale regnum sit futurum, uidelicet tale in quo regentur homines uerbo & potentia Dei. Hæc est secunda antithesis, qua particula spontanei, opponitur legi, & significat prædicationem noui uerbi, per quod datur Spiritus sanctus. II. *Verbo seu ministerio legis.*

Sed restat tertia antithesis, quæ superioribus multum lucis addit. Particula spontanei, opponitur iusticiæ legis & uetustati ac rebellioni naturæ humanæ, & significat in nouo testamento futuram instaurationem naturæ humanæ, in qua sine peccato, sine rebellione, sine morte præstabitur noua & uera obedientia. Et ut collationes superiores ostenderunt modum, quo Messias reget, scilicet non politico more seu gladio, seu lege, sed per Euangelium & Spiritum sanctum. Ita hæc tertia antithesis admodum significanter proponit effectum, qualis ipse populus sit futurus. Et hac una uoce præclarē complectitur illa ingentia beneficia, quæ affert Christus, scilicet instaurationem naturæ hominum, qua sublato peccato & abolita morte, uiuent homines in quadam noua & perpetua luce, agnitione Dei & perfecta obedientia, Hæc nouitas incoatur in hac uita, sed post hanc uitam perficietur. III. *Iustitia legis.*

Præcipuē autem hîc consideranda est causa, quare iusticia legis non sit spontanea, & quid sit, non esse spontaneam. Paulus inquit, Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Nec leue malum tām atrocibus uerbis describit, significat enim in natura hominis horribilem rebellionem, dubitationem aut indignationem esse aduersus Deum. Ideo quanquam præstatur externa obedientia utcunq;, tamen non dicitur spontanea obedientia, cum illa rebellio, dubitatio & indignatio hæreant in natura hominis. Et hæc peccata multō maiora sunt, quām ut eorum magnitudo intelligi ā ratione possit. Cùm igitur hîc Propheta uaticinatur, futuros populos spontaneos, non obscurē concio- *Quare iusticia legis non spontanea sit.*

natur de instauratione naturæ. Erit autem post resurrectionem integra obedientia & perfectè spontanea, sed in hac uita tantùm est incoata hæc spontanea obedientia.

Quomodo spō taneum discernat cultus noui Testamenti à cultibus Leuiticis.

Dicemus igitur, quomodo in hac uita opponantur Spontanei cultus seu spontaneæ oblationes, iusticiæ legis. Nam hoc quoq; complectitur Psalmus, & uult discernere noui testamenti cultus, à cultibus Leuiticis, & significare abrogationem legis, quasi dicat, Erit Ecclesia, etiamsi hic populus & hi cultus Leuitici desinent, qui sunt umbræ, non sunt ueri cultus, Habebit autem Ecclesia Messiæ alios cultus præstantiores, uidelicet spontaneos, id est, ueros motus cordis, Sicut ait Christus, Iohan. 4. In spiritu & ueritate oportet adorare. Tales cultus non exhibet iusticia legis, quia sine Euangelio & agnitione gratiæ corda dubitant de Deo, fugiunt & oderunt iudicium Dei, non possunt uerè inuocare, imò fremunt aduersus Deum, & accusant eum, præsertim in afflictionibus, nec possunt flectere animos ad patientiam, & in suis consilijs & actionibus præcipuè expetunt carnalia, non anteferunt Deum, quærunt opes, gloriam & uoluptates, confidunt rebus præsentibus, cùm in omnibus negocijs deberet mens intueri Deum, & omnia dirigere ad ornandam gloriam Dei.

Cultus noui Testamenti spontanei sunt & spirituales & ueri.

Cùm igitur maneat tanta immundities in hominibus, etiamsi audiant legem, & præstent externos cultus, & externa opera, sine Euangelio & notitia Christi, satis apparet, talem obedientiam non esse spontaneam & ueram. Econtrà uerò, postquam per Euangelium agnoscunt corda misericordiam, propter Christum donatam, & fide eriguntur, ibi uerè incipiunt inuocare Deum, & concipiunt nouos motus, noticiam Dei, timorem, dilectionem, confitentur & ornant gloriam Dei, & incipiunt obedire in afflictionibus. Hi cultus sunt spontanei & spirituales, quia sunt ueri motus cordis, non externæ umbræ. Prædicit igitur hic locus, quales sint futuri cultus in nouo testamento. Quare meminerimus hos à nobis præstandos esse, uidelicet timorem, fidem, inuocationem, dilectionem, patientiam, castitatem, & similes fructus spiritus. Hos enim uocat spontaneas oblationes. Ex his omnibus intelligi utcunq; potest, quare dixerit, Populi tui spontè offerent tibi, Quanquam enim collegimus plures antitheses, tamen omnes cohærent, & alia ex alia oritur. Nã spontaneum significat haud dubiè ueros interiores cultus instauratæ naturæ, hinc reliqua sequuntur.

IN ORNATV SANCTO.

Ornatus sanctus.

PHrasis est Ebraica, in ornatu sancto, pro uestitu Pontificio. Alludit enim ad Sacerdotes sacrificantes in uestitu sacro. Ait ergo, credentes Christo sacrificaturos esse spontaneas oblationes tanquam in Pontificia ueste, Sicut & Esaias inquit capite 61. Vos autem sacerdotes Domini uocabimini. Et paulò pōst de ornatu loquitur, Et quasi sponsum uestiet Sacerdotum more. Quanq; autem ornatus Pontificius generaliter significat omnia dona Spiritus sancti,

Ornatus Pontificius significat ministerium.

tamen præcipuè significat ministerium Euangelij & confessionē, hic est principalis & summus cultus, quem comitantur deinde cæteræ uirtutes, patientia in afflictionibus & alia bona opera, quibus glorificatur Deus. Docet igitur Psalmus, quales oblationes requirat Deus, uidelicet sacerdotales, hoc est, prædicationem Euangelij, confessionem, patientiam in cruce & cæteras uirtutes, quibus

quibus glorificatur Deus, Sicut Petrus inquit, nos uocatos esse, ut uirtutem Dei annunciemus.

Ita ordinē docet hic uersus, quòd sit Ecclesia Christi, non armis constituta, sed uerbo & efficacia Dei, Deinde quòd Ecclesia illa sit exhibitura nouos cultus spirituales, non Leuiticos, non iusticiam Legis. Et quidem cultus ille erit quoddam sacerdotium, prædicatio & confessio Euangelij, ut Deus innotescat, ut gloria Christi celebretur. Ita aptè pingit hic uersiculus totam Ecclesiam, & docet qualis esse debeat, quales cultus præstare debeamus. Hæc de sancto ornatu, id est, de ministerio Euangelij.

EX VTERO ORITVR TIBI ROS GENERATIONIS TVÆ.

REdit nunc ad Regis personam, & loquitur de eius natiuitate, Etsi autem hunc uersiculum alij aliter interpretantur, tamen uidetur maximè concinna interpretatio de natiuitate Christi ex Maria uirgine. Hanc natiuitatem cōparat rori misso diuinitus, & coniungit rorem & uterum, Quasi dicat, ueniet ille Rex & uerè nascetur ex utero, erit uerè homo natus ex posteris Dauid, sed tamen ut ros diuinitus missus, sine uirili semine, Et habebit ueram carnem ex Maria uirgine sumtam, sed sine ullo peccato, sine ulla immunditia.

Natiuitas Christi ex Maria uirgine sicut ros missus diuinitus.

Veteres transtulerunt hunc uersiculum ad æternam generationem filij Dei, & urgebant particulam, manè prodijt, quasi sit significatum, ante omnes creaturas natum esse Filium. Sed me mouent appellationes Vteri & Roris, ut uideatur hic uersiculus magis conuenire ad generationem ex uirgine Maria, præsertim cūm Propheta concionetur de Christo ueniente in mundum & incoante hoc Regnum uisibiliter, Et uteri appellatio magis quadrat ad generationem uisibilem, ac similitudo de rore cadente aptius significat nascentem Christum sine contagio & sine uirili semine, ac uenientem in mundum uirtute cœlesti, Sicut Lucæ primo capite scriptum est: Virtus altissimi obumbrabit tibi.

Veteres accōmodarunt uersum ad æternam generationem.

Extat & alia interpretatio pia, & apta, quam probo, & alios amplecti facilè patior, uidelicet, quæ non de Regis persona, sed de populo loquitur. Nascetur tibi populus, sed tanquam Ros, hoc est, Populus Dei non generatione carnali propagabitur ex semine Abrahæ, sed omnes gentes uocabuntur ac nascetur populus Dei per Euangelium & Spiritum sanctum, ut Ioannis 1. dicitur. Ait ergo Ros generis tui, id est, multitudo nata diuinitus sparso uerbo, & misso Spiritu sancto, sicut Ros spargitur de cœlo. Nam Ecclesia Christi est cœtus omnium qui uerè credunt Euangelio, qui uerè agnoscunt Christum, & sanctificantur per Spiritum sanctum, etiamsi in ciuili uita in imperijs habeat dissimiles politias, etiamsi habeat humanos ritus diuersos, sicut Paulus inquit: In Christo Iesu nec circumcisio aliquid ualet, nec præputium, sed fides quæ est per dilectionem efficax.

Interpretatio tertia de populo.

IIII.

IVRAVIT DOMINVS ET NON POENITEBIT EVM. TV ES SACERDOS IN ÆTERNVM, SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDECH.

Hactenus uaticinatus est de Rege Christo, quòd sit Rex regnaturus diuina potentia, quòd uisibile exordium regni futurum sit in Zion. Item, qualis sit futurus populus, item futurum, ut uerè & tamen mirabili modo nascatur. Nūc incipit concionari de sacerdotio Christi, Nec ullus est locus in Prophetis, qui ita clarè appellet Christum sacerdotem, & describat modum sacerdotij, ac discernat à Leuitico sacerdotio.

Sacerdotium Christi.

Orditur autem ā iuramento, quod non est obiter aspiciendum. Etsi enim Dei promissa sine iureiurando rata & firma sunt, tamen addit iusiurandum, ut infirmitati ac dubitationi nostræ opponamus non solūm promissionem, sed etiam æternum iuramentum Dei, & non sinamus nobis excuti fidem ullis scandalis. Fides enim oppugnatur innumerabilibus modis. Primùm enim conscientia peccati reclamat in nobis, Iudicamus nobis, cūm simus indigni, non contingere tantum beneficium, ut Deus nos recipiat in gratiam, ut curet nos, ut exaudiat nos, ut det uitam æternam, Deinde interim dum credimus subijcimur afflictionibus, Quare non uitam, sed mortem & summas ærumnas uidemur consequi.

Iuramentum Dei opponendum dubitationi.

Aduersus hæc scandala opponenda est hæc uox: Iurauit Dominus, Et uis huius iuramenti non potest intelligi, nisi in uera lucta. Tertullianus cūm de remissione peccatorum loquitur, urget iusiurandum: *VIVO EGO NOLO MORTEM PECCATORIS.* Ita & hoc iuramentum si proponemus nobis in uero pauore, tūm demùm sentiemus quantam uim habeat. Nec opus est longa enarratione, Vsu hic uersiculus in consolanda conscientia, & inuocatione fit illustrior & dulcior. Quoties incipimus orare, cogitemus de Pontifice Christo, ueniat nobis in mentem huius iuramenti, & credamus uerè nobis donari gratis remissionem peccatorum, noscq; exaudiri propter hunc Pontificem, iuxta promissionem.

Porrò, hoc iuramentum sæpè in scripturis repetitum est. Psalm. 131. Iurauit Dominus Dauid ueritatem, & non frustrabitur eum, Et Lucæ 1. Iusiurandum quod iurauit Dominus ad Abraham, Ideoq; Esaias ait capite 60. Feriam uobiscum pactum sempiternum misericordias Dauid fideles, id est, promissionem gratiæ factam Dauidi ratam & firmam, quæ præstabitur sine ulla dubitatione, Sed hæc mentio iuramenti & tam crebra repetitio, ita demùm erit grata, cūm eam nobis inculcabimus ad fidem erigendam & confirmandam, & statuemus nos uerè hac fide gratis reconciliari & iustos reputari. Hoc modo exaggerat & iuramentum Epistola ad Hebræos capite sexto: Abundantius Deus uolens ostendere hæredibus immobile consilium suum, interposuit iusiurandum, ut propter duo immutabilia teneremus firmam consolationem, confugientes ad obtinendam propositam spem, quam habemus tanquam ancoram animæ firmam & inconcussam, Hæc de iureiurando. Nunc dicendum est de Sacerdotio.

Iuramentum Dei sæpè repetitum in scripturis.

TV ES SACERDOS IN ÆTERNVM.

NOn solūm ait Messiam futurum esse Regem, qui pari potentia regnet cum Patre, qui sit uictor peccati & mortis, & sit defensurus suos aduersus sæuitiam diaboli & mundi, Verūm etiam tribuit ei appellationem & officia Sacerdotis seu Pontificis, uidelicet, quòd placet nobis Patrem & interpellet pro nobis. Et complectitur præcipuum beneficium Christi, uidelicet remissionem pec-

Christo tribuuntur appellatio & officia sacerdotis.

nem peccatorum,& ſummam conſolationem aduerſus terrores legis,accuſantis peccatum,& contra conſcientiam indignitatis noſtrę. Teſtatur etiam quòd Regnum Chriſti non ſit adminiſtratio corporalis aut politica, quia Chriſtus ita eſt Rex, ut ſimul ſit Sacerdos, placans nobis Patrem,afferens & impartiens nobis bona ſpiritualia, remiſſionem peccatorum, conſolationem & liberationem aduerſus terrores peccati & iudicij Dei.

Sed ut beneficia Pontificis Chriſti clarius conſpici poſſint. Primùm in genere dicam,de ratione ſacerdotij ſeu de officio ſacerdotis,hæc tradit ipſa definitio ſacerdotis.

Sacerdos eſt perſona à Deo conſtituta, habens mandatum docendi, non humanam doctrinam, ſed uerbum diuinitus reuelatum & quidem Euangelium. Item, habens mandatum & promiſſiones, ut ſuo uel alieno ſacrificio placet Deum, oret pro ſe & alijs, & offerat ſacrificia, quæ Deus inſtituit, ut innoteſcat & agnoſcatur. Verè igitur tria ſunt Sacerdotis officia. Primum,proponere alijs uerbum Dei diuinitus acceptum, & quidem Euangelium. Secundū eſt placare Deum aliquo ſacrificio ſuo uel alieno. Tertium eſt, Orare pro ſe & alijs, & offerre ſacrificia diuinitus inſtituta,ut Deus innoteſcat & glorificetur. De his tribus officijs paſſim concionatur ſcriptura. Et cùm ad erudiendos, tùm ad conſolandos nos prodeſt hęc officia in conſpectu habere. Ideo ea quiſpiam diſticho complexus eſt hoc modo:

Sacerdos quid ſit.

Tria ſunt Sacerdotis officia.

ἱρευς τὴν διδαχὴν εὐαγγελίου φυλάσσῃ,
ἱλάσκει θυσίῃ, ταῖς τ᾽ἀραῖσι θεὸν.

De primo officio,uidelicet de doctrina loquitur Malachias capite ſecundo, Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & populus requirit legem ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Ideo enim dicitur Angelus Dei, quia perfert ad homines uerbum Dei, non rationi notum,ſed diuinitus traditum, ut Deus uerè agnoſcatur, colatur & glorificetur. Et ad Angeli munus pertinet,ut à Deo mittatur,ita Sacerdos non humano conſilio, ſed Dei uocatur,& traditur ei uerbum cœleſte, ſicut ſcriptum eſt: Nemo ſibi ipſi ſumit honorem, ſed qui uocatur à Deo, tanquam Aaron. Nec ſatis eſt proponi legem, Nam hanc ratio utcunq; nouit, ſed addat Sacerdos Euangelium, ſeu promiſſiones de Chriſto, quæ non ſunt notæ rationi, ſed tantùm diuinitus reuelatæ. Quia enim teſtatur Deum uelle exaudire, ignoſcere, ſaluare, neceſſe eſt eum concionari de gratuita remiſſione peccatorum, & cæteris beneficijs promiſſis propter Chriſtum. Fruſtra Sacerdos ipſe inuocaret, niſi teneret promiſſionē, quæ teſtabatur Deum exauditurum eſſe.

Primum officium Sacerdotis eſt docere.

Erant igitur Patres Abraham, Iſaac, Iacob & reliqui,ſacerdotes,quia de hac promiſſione concionabantur. Sed qui omiſſa promiſſione docebant tantùm legem, nihilo magis erant Sacerdotes, quàm Heſiodus aut alij Ethnici Sacerdotes. Ideo quando in populo Iſraël conticeſcebat doctrina de Euangelio & promiſſionibus, Deus excitabat Prophetas, ut rurſus illuſtrarent promiſſiones, & de ueris cultibus,de fide, & de uenturo Chriſto docerent populum. Quare & hoc tempore aduerſarij noſtri, qui habent titulos Pontificum & Sacerdotum, nequaquam ſunt ſacerdotes, quia anteferunt humanas traditiones Euangelio, & conantur delere ueram doctrinam de beneficijs Chriſti, & de fide, ac defendunt impios cultus. Interea utcunq; aliquam legis particu-

lam docent, ſicut Heſiodus, aut Theognis, & addunt humanas traditiones. Longē autem aliud eſt ſacerdotis officium.

Secundum officium ſacerdotis eſt placare Deum.

De ſecundo officio, uidelicet de placatione & ſacrificio loquitur Epiſtola ad Ebræos inquiens: Omnis Pontifex conſtituitur, ut ſacrificia offerat pro peccatis. Neceſſe eſt igitur Pontificem ſeu ſacerdotem habere aliquod ſacrificium & uictimam aliquam, ſicut & Leuitici 10. ſcriptum eſt, Data eſt uobis Hoſtia, ut portetis peccata multitudinis. Manifeſta ſunt exempla Leuitica de hoc officio, quæ etſi fuerunt umbræ, ut poſtea dicam, tamen teſtantur ſacerdotes habere uictimas & ſacrificia.

Tertium officium orare pro alijs.

De tertio officio, uidelicet de oratione, Plena eſt Lex exemplis, ut Leuitici 10. Rogetis pro ea in conſpectu Domini.

Chriſto hæc tria officia principaliter conueniunt. Primum.

Hæc tria officia principaliter conueniunt Chriſto. Primùm enim ipſe adfert uerbum ignotum rationi, uidelicet expreſſam promiſſionem de gratuita remiſſione peccatorum & de uita æterna, ſicut ſcriptum eſt: Deum nemo uidit unquam, Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis, id eſt, Hanc uoluntatem Dei, quæ in Euangelio reuelatur de gratuita remiſſione & ſaluatione, nulla ratio humana per ſeſe deprehendit, ſed tantùm reuelata eſt per filium Dei in promiſſionibus, quæ data ſunt Patribus, & in Euangelio, quod poſtea ſparſum eſt in mundum.

Et ita Patres qui Deo placuerunt, fiebant ſacerdotes ſeu Pontifices, quia has promiſſiones ā filio Dei accipiebant, & earum cuſtodes & interpretes erant, non tantùm quia leges tradebant, aut erant μυσαγωγοὶ ceremoniarum.

Secundum officium præſtat Chriſtus ſuo ſacrificio placans iram Patris.

Secundum officium eſt maximē proprium uni Chriſto, ſcilicet, pro alijs ſacrificare, ac ſuo proprio ſacrificio nobis placare iram Dei. Nam huic perſonæ, uidelicet Chriſto tradita eſt promiſſio, quòd Pater eum exaudiat, & eius ſacrificium recipiat pro credentibus. Non eſt alia ulla Hoſtia pro peccatis noſtris, niſi hæc una, uidelicet mors Chriſti. Nec alio modo conſequimur remiſſionem peccatorum, niſi cùm fide ſtatuimus illa Hoſtia ſcilicet morte Chriſti, placatum eſſe Deum.

Quid profuerint ſacrificia Patrum ab initio mundi & Leuitica.

Ac magnopere prodeſt pijs hanc partem ſacerdotij Chriſti benē intelligere. Hîc enim firma & uera conſolatio propoſita eſt. Hoc loco explicatio fit perſpicua doctrinę de fide, & de remiſſione peccatorum, quæ quidem collatione fiet illuſtrior. Quæri enim poteſt quid profuerint ſacrificia Patrum ab initio mundi, & Leuitica, ſiquidem nullo ſacrificio, niſi Chriſti, placata eſt ira Dei: Ad hoc reſpondendum eſt. Nec Patres fuerunt Mediatores ſeu placatores, nec ſacrificia eorum merebantur remiſſionem peccatorum, nec fuerunt ſatisfactiones, ſed fuerunt tantùm typi uenturi Chriſti, & mortis eius. Sed uulgus Iudæorum longē aliam perſuaſionem habebat de ſacrificijs ſuis, imaginabantur enim ſe illis operibus mereri remiſſionem peccatorum, & hac opinione cumulabant ſacrificia & cultus. Hunc errorem damnat Epiſtola ad Hebræos cùm inquit: Impoſſibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.

Nec leuia certamina Prophetis hac de re cum populo fuerunt. Taxant enim acerrimis concionibus errorem populi, ut Ieremias capite ſeptimo. Non ſum locutus cum Patribus ueſtris de holocauſtis. Et Pſal. 49. Nunquid manducabo carnes Taurorum, & ſanguinem Hircorum bibā? Et Pſal. 29. Holocauſtum

cauſtum & hoſtiam pro peccato non poſtulaſti. Hæ conciones ingentes motus excitabant. Quanquam enim Prophetæ non legem Dei, non ipſas ceremonias diuinitus inſtitutas improbabant, ſed falſam perſuaſionem hominum reprehendebant, tamen fremebant Pontifices & Sacerdotes extenuari cultus, uociferabantur legem Dei aboleri. His calumnijs concitata multitudine fiebat impetus in Prophetas, ſicut hoc tempore exercetur ſumma crudelitas aduerſus noſtros, cùm docent Miſſam non mereri remiſſionem peccatorum.

Conciones Prophetarum qui taxarunt falſam perſuaſionem de ſacrificijs.

Sed Prophetæ nolebant obrui ueram doctrinam de fide, docebant non eſſe fidendum operibus, ſacrificia illa non mereri remiſſionem peccatorum, ſed donari eam gratis propter promiſſum Chriſtum, & fide accipi, ac Deum uelle ea fide coli & inuocari, uelle exaudire certò non propter ſacrificia, ſed propter unum Mediatorem quem promiſerat, & uelle ut fiduciam huius mediatoris adferamus ad inuocationem, & ſtatuamus nos uerè reſpici, nobis ignoſci, nos exaudiri, & ſaluari. Sic docebant agendam eſſe pœnitentiam, ut hæc fides accederet. Atq; ita illuceſcit animis uera noticia Dei, & incoatur noua ac ſpiritualis obedientia, cùm in pauoribus hæc fides concipitur.

Sic & Eſaias docebat non eſſe abolitum peccatum per ſacrificia Leuitica, cùm de Chriſto doceret. Ponet animam ſuam hoſtiam pro peccato. Ergo Leuiticæ hoſtiæ non abolebant, ſiquidem longè alia Hoſtia opus erat, ſcilicet morte promiſſi ſaluatoris. Hæc collatio oſtendit, quale ſit ſacrificium Chriſti, & quomodo nobis contingat huius ſacrificij fructus. Statuendum eſt enim, tantùm eſſe hoc unicum ſacrificium, quod meretur alijs remiſſionem peccatorum. Ideoq; fides cõcipienda eſt, quòd hæc Hoſtia ſola placauerit iram Dei, & fuerit ſatisfactio pro nobis, quodq; propter hoc Chriſti ſacrificium, non propter ulla noſtra opera, aut ſacrificia, Deus nobis certò ſit propicius, certò uelit exaudire, & ſaluare. In hanc hoſtiam intueatur fides, in petenda remiſſione peccatorum, in ueris pauoribus, in omni inuocatione, ac meminerit nobis hoc modo donari Chriſti ſacrificium, nosq; fieri ſacerdotes alieno ſacrificio ſcilicet Chriſti. Sed quo modo nobis impertiat honorem ſacerdotij, poſtea rurſus dicam.

Quale ſit ſacrificiũ Chriſti, & quomodo proſit.

Conuenit & tertium officium principaliter Chriſto, ſcilicet orare pro alijs, & impetrare remiſſionem peccatorum, donationem Spiritus ſancti, uitæ æternæ, & alia bona ſpiritualia & corporalia. Nam huic Chriſto data eſt promiſſio, qua Pater teſtatur ſe ipſum exauditurum eſſe, hic eſt Pontifex, qui unus accedit ad Patrem, ſine Mediatore alio, unus hic Pontifex ingreditur in arcanum illud Sanctum ſanctorum. Et exercet hoc officium Ioannis decimo ſeptimo cùm ait: Rogo non pro eis tantùm, ſed pro omnibus, qui crediturí ſunt per uerbum eorum. Quibus uotis ſinguli nos optare uellemus, ut ſciremus pro nobis intercedere filium Dei? At hîc audis uocem huius Pontificis. Ipſe precatur pro omnibus crediturís. Hac uoce ſuſtentes te, & ſcias has preces nequaquam irritas eſſe, quod qui faciet, intelliget hîc uberrimam conſolationem propoſitam eſſe. Nec uerò tantùm orat pro nobis hic Pontifex, ſed etiam teſtatur ſe eſſe talem interceſſorem, propter quem Deus nos exauditurus ſit, & noſtras preces perfert ad Patrem, ſicut docent promiſſiones: Quidquid petieritis PATREM in nomine meo, dabit uobis, Quaſi dicat, petendum eſſe non propter dignitatem noſtram, ſed propter ipſum Pontificem.

Tertium officium præſtat Chriſtus orãs pro Eccleſia.

Atq; eō nobis propicius est Pater, eō exaudit inuocantes, quia hic Pontifex assiduē pro nobis interpellat. Cur igitur non irascimur diffidentiæ nostræ, cur non inuocamus Deum, cur opprimimur dubitatione ac desperatione, cur deseri aut negligi nos à Deo suspicamur, cur præeuntem hunc Pontificem non sequimur? Quin potius audimus concionem illam in Epistola ad Ebræos, Habentes talem Pontificem, accedamus cum fiducia &c. Atq; ita nobis impertit honorem sacerdotij, quia nos iubet precari, & testatur se perferre nostras preces ad Patrem, easq; exaudiri propter ipsum. Sed postea rursus dicam, quomodo nobis impertiat honorem sacerdotij.

Christus iubēs nos orare impertit nobis honorem sacerdotij sui.

Hactenus dicendum fuit, quo modo Christus sit Sacerdos. Nec uerō alius honos maior cogitari potest, aut gradus Deo propior, quām esse talem Sacerdotem, hoc est, proferentem arcanum uerbum Dei, placantem iram Dei, intercedentem atq; orantem pro alijs. Hoc ingenti honore, cuius magnitudinem angustia humani pectoris non satis cogitare potest, fungitur inter homines filius Dei Dominus noster Iesus Christus, Et fungentem hoc honore agnouerunt Patres, Abraham, Moises, Aaron, Dauid, Esaias, & deinde Apostoli & omnes pij in Ecclesia.

Itaq; cūm tanto honore Deus hunc unum inter nos fungi uoluerit, cogitemus quām horribiliter Deus puniturus sit impios, qui hunc Pontificem omnibus blasphemijs & contumelijs onerārunt, qui statim post mundi exordium, noua sacrificia & Idola excogitauerunt, & promissionem cœlestem deleuerunt, qui postea in Ecclesia oppresso Euangelio doctrinam de fide & ueris cultibus contaminārunt, & nouos cultus, noua & impia sacrificia in Ecclesiam inuexerunt, & nouos mediatores, uidelicet sanctos inuocauerunt. Quid dubitamus Deum horribiliter irasci omnibus, qui his blasphemijs Pontificem nobis propositum deformauerunt, & qui eas defendunt & approbant. Sed de his postea concionabitur Psalmus. Nunc pertexenda est descriptio Sacerdotij, quæ hoc loco ponitur, sequuntur enim insignes particulæ, quæ discernunt sacerdotium Christi, à sacerdotio Leuitico, & ostendunt qualia bona exhibeat hic Sacerdos, uidelicet nouam ac æternam iusticiam & uitam.

SACERDOS IN ÆTERNVM.

HAEC est noua descriptio, & nihil congruens cum Leuitico sacerdote. Vocat enim hunc Christum sacerdotem æternum, Initiō autem constituendum est, quandocunque fit mentio Christi, quōd sit æternus Rex, sicut Psalmo 71. & alibi, intelligi hanc perpetuitatem de ipsa persona Christi, non de propagatione successorum, sed significatur ipsam personam Christi esse perpetuam, sicut hîc inquit: *TV ES SACERDOS IN ÆTERNVM*, de persona loquitur, non de successione. Hoc postquam constitutum est, multa sumuntur ex talibus locis, de æterno Rege aut Sacerdote. Primùm enim hi loci sunt testimonia, de natura diuina in Christo, quōd sit æternus Dei filius, sicut Micheas inquit cap. 5. Egressus eius ab initio, à diebus æternis, uel ante dies mundi. Eadem enim sententia est, Testatur eadem particula, quōd Christus uiuit æterna uita, sicut Esaias inquit, Pater futuri seculi, seu Pater æternæ uitæ, Ergo necesse fuit Christum resurgere & ipsum tenere Regnum & fungi sacerdotio, hæc primùm de persona considerantur.

Perpetuitas in mentione Christi intelligenda de persona.

Sed

Sed Propheta non tantùm de Persona loquitur, uerùm etiam de ipso modo sacerdotij & de beneficijs, quæ complectitur. Haud dubiè discernit à Leuitico. Cùm enim Christus sit æternus Sacerdos, necesse est etiam illi cœtui in quo fungitur sacerdotio, dari uitam æternam. Frustra enim diceretur Sacerdos postea, extincto toto cœtu. Quare hæc particula non obscurè conciona-tur de tollendo peccato, de abolenda morte, de instauranda natura humana, de spirituali & æterna uita. Leuiticum sacerdotium erat pædagogia instituta ad significandum futurum Sacerdotium. Et hostiæ Leuiticæ testabantur generi humano impositam esse mortem propter peccatum, non abolebant peccatum aut mortem, nullam adferebant naturæ nostræ mutationem, non adferebant uitam æternam: Sed hîc in sacerdotio Christi, exerit se diuina potentia, donatur remissio peccatorum, deinde natura humana purificatur, & aboletur mors, & illucescit in nobis noua agnitio Dei, & donamur perpetua uita & iusticia. Sic igitur Pontifex noster est perpetuus, ut & cœtum perpetuum habeat, in quo fungitur sacerdotio, & Deus habeat perpetuos cultores. Hostiæ Leuiticæ erant destinatæ morti, ut nos de peccato & de causa mortis admonerent, sed ut sint perpetua sacrificia, ut sit perpetua glorificatio Dei, aliud sacerdotium incoat Christus, in quo in uita æterna erit perpetua Dei agnitio, celebratio, gratiarum actio.

Particula Sacerdos æternus discernit modum sacerdotij & beneficia à Leuitico.

Hinc intelligi potest, quàm sit illustris differentia hîc posita, discernens Leuiticum sacerdotium, à Christi sacerdotio, quod abolet peccatum ac mortem, & adfert nouam & perpetuam uitam, agnitionem Dei & obedientiam. Intuetur ergo Propheta, cùm uocat æternum sacerdotem, non tantùm dona in hac uita, sed perpetuam illam gloriam instauratæ naturæ, quam non possumus uerbis describere.

Et tamen illa ingentia dona in hac uita incoantur. Et complectitur Psalmus ministerium Euangelij, & ea dona, quæ Christus in hac uita impertit, quæ quidem sunt incoatio uitæ æternæ. Sicut inquit Christus: Hæc est uita æterna, ut agnoscant te Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Quia enim Christus nobis fit Pontifex, & eius sacerdotium in nobis est efficax, necesse est perferri ad nos aliquod uerbum, ut suprà dictum est, & constitui aliquod ministerium. Ideo in hac uita primùm ipse suum sacrificium pro nobis palàm obtulit, dedit Euangelium, arguit péccata, donat remissionem peccatorum credentibus & agentibus pœnitentiam, impertit Spiritum sanctum: Sedet ad dextram Patris, ut sit Mediator & interpellator pro nobis, exaudit, gubernat, sanctificat, adiuuat inuocantes, & resuscitabit eos ad uitam æternam. Interea nos uerbo & spiritu Christi renascentes, incipimus Deum agnoscere, timere, inuocare, uera fide confitemur & prædicamus eius uoluntatem, & propter confessionem perferimus acerrima odia diaboli & mundi. Reddimus igitur Deo & in hac uita cultus, non mactationes pecudum, sed confessionem, inuocationem, obedientiam, perpetuam gratiarum actionem.

Dona æterna in hac uita incoantur.

Et quoniam Christi sacerdotium perpetuum est, etiam hoc ministerium in hac uita durare & conseruari necesse est. Sicut inquit Christus, non præualituras portas inferorum aduersus Ecclesiam suam. Impij aut imbecilles mouentur sæuitia Tyrannorum & scandalis omnis generis, ut existiment statim funditus interituram esse Ecclesiam, sicut Iudæi planè extinctam putabant

Ministerium in hac uita semper durat & conseruatur.

bant post mortem Christi. Multi nunc quoq; desperatione quadam abijciunt doctrinam Euangelij, quia metuunt non duraturas esse Ecclesias nostras, uel propter persecutionem, uel propter alia scandala. Sed pij erigendi sunt, & docendi, ut Christum cogitent esse æternum Sacerdotem, & conseruaturum esse Ministerium Euangelij sui. Hunc uersiculum nobis proponamus. Tu es Sacerdos in æternum, ut nos admoneat Pontificem Christum non defuturum esse suæ Ecclesiæ, etiamsi undiq; à diabolo, à fanaticis spiritibus, à Tyrannicis Pontificibus & alijs oppugnatur.

Perpetuitas regni etiam discernit regnũ Christi à politia mundana.

Breuiter hîc etiam monendus est lector, quoties fit mentio perpetui Regni aut sacerdotij in scripturis, significari, quòd Christi regnum non sit futurum Mundana dominatio, qualem Iudæi somniant, sed sit futura æterna iustitia & uita, quæ tamen in hac uita per Euangelium incoanda est. Monet item de cultibus, Non esse cultus Dei, res perituras, mactationes pecudum, aut discrimina ciborum, sed cultus spirituales, Agnitionem Dei, timorem, fidem, confessionem, & gratiarum actionem, sicut Paulus inquit. Regnum Dei non est esca, nec potus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto.

SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDECH.

NON est usitata hæc descriptio sacerdotij, secundum ordinem seu ritum seu morem Melchisedech. Nam Leuiticum sacerdotium institutum est uerbo Dei, & notum est ex descriptionibus multis in lege traditis. Ideo hic textus magnam parit admirationem omnibus quid sibi uelit hęc inusitata descriptio. Ac satis apparet Prophetam spiritualibus oculis, & multò altius introspexisse locum in Genesi de Melchisedech, quàm alios lectores. Primùm autem hoc statuamus, hanc particulam opponi sacerdotio Leuitico, Quasi dicat, Christum fore æternum Sacerdotem, non secundum ordinem Leui, sed secundum ordinem Melchisedech, hanc collationem necesse est declarari. Tametsi Sacerdotes Leuitici prædicabant etiam promissiones de Christo, tamen id non erat ipsorum proprium officium, sed erat Propheticum. Interea Leuiticum sacerdotium propriè erat mandatum docendæ Legis, non erat mandatum remittendi peccata, nec usquam Lex tradit mandatum apertum de remissione peccatorum, nec docet de gratuita remissione, sed requirit nostram obedientiam, arguit peccata & proponit maledictiones, deinde addit quasdam æternas ceremonias ad pædagogiam institutas, ut significent aliquid de peccato humani generis, de morte, de uentura Hostia. Hæc est summa Leuitici ministerij. Econtrà uerò ut ostendamus, quid sit sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, primùm considerandus est locus in Genesi.

Cur secundum ordinem Melchisedech.

Melchisedech qualis fuerit sacerdos & quod eius sacerdotium.

Capite 14. ait textus, Melchisedech fuisse sacerdotem Dei altissimi, & is benedicit Abraham redeunti ex prælio, post profligatos quatuor Reges. Principiò igitur sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, testatur Sacerdotium Christi liberum esse à ceremonijs Leuiticis, quia Melchisedech sacerdos fuit, antequam institutæ essent ceremoniæ Leuiticæ. Quare cùm illæ ignotæ fuerint huic Melchisedech, etiam nihil pertinebunt ad Christum. Et hoc argumento constat Iudæos saniores ualdè moueri, cùm disputant requiri ceremonias suas.

Secundò, Quale autem sit sacerdotium, remoto Leuitico, postea dicam. Necesse est enim alios spirituales cultus poni, uidelicet ueram agnitionem Dei

Dei illucescentem cordibus hominum, uerum timorem, fidem, Inuocationem, confessionem & obedientiam. Sed prius de persona dicam. Hieronymus ad Euagrium rectè reprehendit Origenẽ, qui scripsit Melchisedech fuisse Angelum, & hanc sententiam ait secutum esse Didymum & quosdam alios. Deinde addit sententiam Ebræorum, qui scripserunt Melchisedech fuisse Sem filium Nohæ. Constat enim ex sacris literis Sem uixisse annos sexcentos, cumq; esset sanctissimus mos primis Patribus, qui accepto uerbo diuinitus facti erant Pontifices, & Doctores humani generis, quasi per manus tradere uerbum, & ministerium suum, hoc est, Sacerdotium suis liberis, ut cœlestis doctrina propagaretur & conseruaretur ad posteros, non dubium est, Sem à patre constitutum esse Pontificem & Doctorẽ illius noui mundi. Vt enim semper aliqua fuit Ecclesia seu cœtus piorum, etiamsi fuit exiguus, ita semper fuit aliquod uerum Sacerdotium, ac ministerium cœlestium promissionum. Nunc uicia sacerdotum faciunt, ut de illo summo gradu & fastigio inter homines non satis honorificè cogitemus. Conferimus enim primos illos Sacerdotes ad hoc uulgus sacrificulorum, qui ut nihil aliud dicam, dissimilimi sunt illis summis uiris. Verũm longè alia imago Sacerdotis in animo concipienda erat.

Melchisedech fuit Sem filius Nohæ.

Primi illi parentes qui diuinitus acceptis promissionibus & mandato docendi, gubernabant cœtum piorum, hoc est, optimam partem generis humani, uocabantur sacerdotes. Nec alius superior honos aut Deo propior cogitabatur. Cumq; illi summi & heroici uiri longè antecellerent reliquis hominibus sapientia, spiritualibus donis, & omni genere uirtutum, & haberent uaticinia de posteritate, de secuturis imperijs, de religione, deq; omnibus mutationibus generis humani, uersabantur inter homines uerè ut Angeli, ac cœlestes nuncij, Sicut & Malachias inquit, Sacerdotem esse Angelum Dei. Tales fuerunt sacerdotes Adam, Enoch, Nohæ, Sem: Et postea Abraham, Isaac, Iacob. Vt enim uoluit Deus alicubi conseruari suas promissiones & ueram doctrinam cœlestem, ita semper aliquod fuit ministerium seu sacerdotium. Nec uerõ ante Abrahæ uocationem usquam fuit alius, nisi Sem, qui illis temporibus uiuebat, & à Noë uerbum Dei acceperat, & ut ætate, sic haud dubiè cæteris dotibus omnes homines tunc antecedebat. Hic uiderat mundi dissimilẽ formam ante diluuium, audierat non modõ patrem Noë de propagatione uerbi diuini, de superiorum Patrum doctrina & exemplis, deq; cæteris magnis rebus concionantem, sed etiam alios quosdam Patres, qui cum Adam uixerant & primordia mundi, ac miracula prima, quibus Deus se patefecit, norant. Quare non dubito hunc uirum antecellentem omnes alios homines, ætate, sapientia, uirtute, consilio, fuisse eum cui tribuitur hæc honorifica & uerè regia appellatio Melchisedech, id est, Rex iusticiæ, uidelicet quia & ipse præstabat noticia Dei & pietate omnibus, & docebat Ecclesiam de iusticia, de cultu Dei, de mandatis & promissionibus diuinis. Epiphanius narrat olim fuisse peculiarem sectã, quę sceleste corrupit hunc uersiculum, negans Melchisedech fuisse hominem. Et hunc errorem prolixè refutat, deinde recitat publicam opinionem fuisse in gente Samaritarum, quõd Melchisedech fuerit Sem filius Noë. Quõd uerõ Epiphanius hoc etiam reuellere conatur, ex supputatione tẽporum, qua colligit inter Sem & Abraham iam octogenariũ amplius 1100. annos,

Sacerdotes primi quales fuerint.

De Melchisedech diuersæ sententiæ.

annos,cùm tamen Sem tantùm ſexcentos uixiſſe ſcribatur,quare non potuiſſe eum peruenire ad tempus Abrahæ iam ſenis egreſſi ex Meſopotamia. In eo manifeſtum eſt,deceptum eſſe Epiphanium, quòd uſitatæ Græcæ uerſionis, quam uocant ſeptuaginta interpretum Chronographiam ſecutus eſt, quæ ā uero Ebraico textu multum diſcrepat, iuxta quam ā Sem uſq; ad octogeſimū annum Abrahæ tantūm interſunt anni 470. ſicut & Ioſephi ſupputatio cum Ebraica congruit, ita ut ex eadem colligatur,hunc ſenem uixiſſe poſt mortem Abrahæ annos 35. & attigiſſe annum quinquageſimum Patriarchæ Iacob. Nihil ergo impedit temporis ratio, quō minus hic Melchiſedech ſacerdos fuerit Sem, qui cum ætate & autoritate omnes antecelleret, præcipuus Pater & gubernator Eccleſiæ illius temporis habitus eſt.

Salem apud Ioſephum quæ urbs.

Ioſephus Salem ait eſſe eam urbem, quæ poſtea Hieruſalem nuncupata eſt. Hieronymus dicit aliud fuiſſe oppidum in Samaria, ſeu in Ephraim, uidelicet,Sichem,quæ tunc uocabatur Salem,ut teſtatur locus in Geneſi capite 33. quæ ā Hieroſolymis diſtabat fortaſſe 12. noſtris miliaribus. Et Hieronymo aſſentior.

Tertiō, Nunc dicendum eſt quale ſit hoc ſacerdotium, quod opponitur Leuitico, & qui ſint cultus in hoc noſtro Sacerdotio. Præcipua differentia eſt in hoc Sacerdotio, quòd Melchiſedech eſt Sacerdos expreſſè benedicens, & promittens Abrahæ auxilium Dei. Nam Lex arguit peccata & proponit maledictiones.

Econtrā uerō,quia promiſſiones ob hanc ipſam cauſam traditæ ſunt, ut certam conſolationem haberemus, ipſæ promiſſiones gratis annunciant remiſſionem peccatorum, & gratiam Dei. Ideo benedictio Melchiſedech ſine Lege facta, uerè annunciat Abrahæ remiſſionem peccatorum, & ille hanc fide accipiens non efficiebat incertam: ſed ſtatuebat ratam eſſe ſine conditione propriæ dignitatis. Sicut igitur Melchiſedech annunciat gratuitam & ratam benedictionem: ita Chriſtus affert gratis remiſſionem peccatorum.

Præcipua conuenientia ſacerdotij Melchiſedech cum ſacerdotio Chriſti.

Hæc eſt principalis conuenientia ſacerdotij Melchiſedech ad ſacerdotium Chriſti, ſicut & hæc principalis differentia eſt, & maximē perſpicua Legis & Euangelij, quòd lex non promittit gratis remiſſionem peccatorum,imō accuſat & damnat omnes: Euangelium uerò promittit gratis remiſſionem peccatorum propter Chriſtum.Et hæc concio Melchiſedech declarat effectus benedictionis, uidelicet, cùm addit de auxilio, quòd Deus protegat Abrahā, & adiuuet in prælio.Non enim ocioſè intelligi debet remiſſio peccatorum,ſed cùm Deus remittit peccata, recipit nos in gratiam, ſanctificat,gubernat, & adiuuat Spiritu ſancto, & nos uiciſſim uerè agnoſcimus Deum iraſci peccato, & uerē ignoſcere credentibus,& inuocamus ipſum, & obedire ei incipimus. Ita incoatur in credentibus noua & æterna uita, & Deus præſtō adeſt inuocantibus,& defendit,ac adiuuat eos in periculis,etſi exerceri eos ſinit, ſicut Chriſtus inquit: Non relinquam uos orphanos. Et Pſalmus: Nunquam uidi iuſtum derelictum,nec ſemen eius quærens panem.

Benedictio Melchiſedech.

Eſt igitur benedictio illa Melchiſedech, non imago aut umbra Euangelij, ſed eſt ipſa adminiſtratio Euangelij continens promiſſionem, quæ teſtatur Deum eſſe propicium Abrahæ & auxiliatorem. Talis benedictio eſt reuera annunciatio remiſſionis peccatorum & gratiæ qualis prædicatur in Euangelio. Et hoc eſt uerum Sacerdotium,concionari de hac uoluntate Dei remittentis peccata,& de auxilio Dei.

Hæc

Hæc concio longẽ differt à Lege. Cùm igitur inquit, SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDECH, describit Sacerdotium noui Testamenti dissimile Leuitico. Leuiticum tradit legem, arguit peccata, propo nit maledictiones, nequaquam offert gratis remissionem peccatorum, Dein de requirit externos cultus, uarias & corporales ceremonias ad Politiam isti us populi utiles. Sed econtrà Sacerdotium noui Testamenti affert benedictio nem, hoc est, remissionem peccatorum gratis propter Christum, & auxili um Dei, in tollendo peccato, & toto regno peccati, ut adiuuemur, & abolito peccato, tandem nos renouati nouam & æternam lucem, & uitam consequa mur. *Sacerdotium noui Testamẽti differt à Leuitico, ut Euangelium à Lege.*

Hæc sunt beneficia Euangelij, seu Sacerdotij Euangelij, quæ omnia com plectitur benedictio, qualis in hoc loco proponitur, quam magis intelligemus, si applicabimus ad nos singuli hoc modo, uidelicet, ut sciamus ipsum Chri stum esse hunc Pontificem, benedicentem nobis, & promittentem auxilium Dei, defendentem nos, & sanctificantem, & resuscitantem à mortuis. Admo neat igitur nos exemplum huius loci de Melchisedech, ut prorsus nos ipsos sic benedici à Christo statuamus. Hoc si crederemus, illa uerò ingens esset con solatio, Sicut haud dubiè Abraham concepit mirificam consolationem, & læ ticiam hac concione Pontificis Melchisedech. *Vsus exempli Melchisedech.*

Deinde sciamus uerbum ipsum Euangelij per omnes ministros, annun ciare hanc benedictionem, perinde ac si Christus ipse eam annunciaret, & Christus est per hanc prædicationem efficax. Ita omnes audientes absolutio nem, aut uocem Euangelij, cogitent se tali loco stare sicut Abraham, & audire uerum Pontificem benedicentẽ. Sed ideo rari sic afficiuntur, sicut afficiebatur Abraham, quia non intelligunt sic ad se pertinere illam uocem, sicut Abra ham statuebat ad se pertinere benedictionem Melchisedech. Ideo non addunt ueram fidem, sed sine ullo affectu audiunt. Dixi de principali interpretatione, quare dictum sit, secundum ordinem Melchisedech, uidelicet ad discernen dum Euangelium, quod annunciat benedictionem, à Lege, quæ proponit ma ledictionem.

Olim tantũm faciebant collationem externorum rituum. Sicut Melchi sedech obtulit uinum & panem, ita nunc in cœna DOMINI panis est com municatio corporis Domini, & uinum sanguinis. Hæc fuit collatio sumta ab externo ritu. Nos autem antea contulimus, non externos ritus, sed principa les partes Sacerdotij, id est, quale uerbum, & quæ beneficia sint utriusq; Sacer dotij. Hæc principalis collatio primũm est tenenda, Et de hac loquitur Pro pheta. Hæc est utilis conscientijs, & illustrat Euangelium. De collatione ri tuum nihil opus est dici, & tamen si quis hanc quoq; adijcere uult, satis con cinna est Allegoria. Exercitui fesso opus erat cibo & potu, ideo occurrit uici nus Princeps & Pontifex, & adfert illis cibum & potum, ad reficienda cor pora. Hæc est in historia uera & simplex sententia. *Collatio rituum.*

Si quis autem de oblatione pugnat, non reclamo. Existimo & ego sum sisse Melchisedechum, ueteri more, partem panis & uini, & libasse, id est, ob latione facta egisse gratias Deo pro uictoria, pro ipso cibo, & pro omnibus beneficijs. Hic mos fuit usitatus Patribus. Sed non est affingendum, quòd hæc *De oblatione in exemplo Melchisedech.*

gratiarum actio fuerit Sacrificium applicandū pro alijs, ut mereretur eis remissionem peccatorum, & quidem ex opere operato. Verūm gratiarum actio erat opus fidei, non pro alijs ualens: sed placebat in isto, tanquam in reconciliato propter fidem, sicut ipsius propria confessio, Quemadmodum notum est discrimen inter Sacrificium propiciatorium, & εὐχαριστικὸν. Si hoc modo conferatur ad cœnam Domini nihil est incommodi. Certè in cœna Domini fit sanctissima libatio, hoc est, gustato corpore & sanguine Domini, agimus gratias pro tanta uictoria, qua CHRISTVS uicit peccatum & mortem, & nobis communicat suam uictoriam, ac testatur nos quoq; liberatos esse à peccato, & à morte æterna. Et hæc gratiarum actio facienti prodest, non meretur alijs remissionem peccatorum: sed est in uerè credentibus uiua & ardens consolatio conscientiæ.

Accommodatio exempli Melchisedech ad cœnam Domini.

Talis Gratiarum actio uocari potest Sacrificium, non applicandum pro alijs, ut mereatur eis remissionem peccatorum, aut alia: Sed quia est opus placens in reconciliato, sicut obedientia in adflictionibus, aut confessio, sicut scriptura sæpè loquitur de sacrificio laudis. Hæc adieci propter usitatam Allegoriam, qua ad cœnam Domini confertur hoc conuiuium Melchisedech.

Cur Sem uocatus sit rex iusticiæ & pacis.

Epistola ad Hebræos etiam exaggerat appellationem (Rex iusticiæ & pacis) Et ego arbitror hanc appellationem habere grauem causam, & continere significationem aliquam. Magna etiam dignitas, magna reuerentia fuit ministerij Prophetici tunc, sicut esse debet. Ideo cùm Sem esset præcipuus Propheta, & Doctor sanctorum eius temporis, appellatus est Rex iusticiæ, id est, Rex iustus, & alijs iusticiam prædicans.

Christus uerè rex iusticiæ & pacis.

Hæc appellatio tribuenda est propriè Regi & Sacerdoti Christo, non tribuitur Leuitico Sacerdoti. Nam Leuiticus Pontifex proponit legem, peccata, mortem, & externam Politiam. Sed Christus donat & prædicat iusticiam, qua coram Deo iusti reputamur, & est autor nouæ & æternæ iusticiæ & pacis. Prædicârunt autem hanc iusticiam & Patres, quibus promissiones traditæ sunt. Hi agnoscebant uenturum Dominum, & sciebant se illa dona ab ipso accipere, sicut ait Iohannes: Ex plenitudine eius omnes accepimus. Ideoq; fungentes ministerio Christi, aliquo modo erant eius Typi. Quare cùm Sem appellatus est Rex iusticiæ, significatum est uenturum esse Regem, qui uerè restituat iusticiam & uitam perpetuam.

Cùm igitur in hoc Psalmo Dauid inquit, Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, etiam in nomine est descriptio, quale sit Sacerdotium Christi, & quod sit dissimile Leuitico uidelicet, quia Christi Sacerdotium adfert illud nouum, & æternum regnum promissum Patribus. Tale regnum, non erat Politia Mosaica aut Leuitica. Hæc de appellatione satis sit breuiter dixisse.

Postremò autem in fine huius loci admonendus est Lector, ut principalem collationem consideret, de qua suprà diximus, quòd uidelicet Sacerdotium Melchisedechi, erat sacerdotium benedicens, & non consistens in externis ritibus Leuiticis. Ita est conueniens imago sacerdotij Christi.

Multiplex doctrina in descriptione Sacerdotij Christi.

Tradita est igitur in hoc uersu insignis descriptio Sacerdotij Christi, quæ multiplicem doctrinam & consolationem continet. Primùm ostendit principale officium Christi, uidelicet quòd sit Sacerdos, & quòd fuerit passurus.

rus. Secundò, describit quale sit futurum Sacerdotium, scilicet, in quo sit unus Pontifex æternus, & daturus sit res æternas, uidelicet, iusticiam & uitam æternam. Tertiò discernit Sacerdotium Christi à Leuitico. Quartò testatur quòd sit Sacerdotium benedicens, & prædicans remissionem peccatorum, donans iusticiam &c.

Hæc breuiter collegi, ut in summa repetantur ea quæ dicta sunt. Illud autem addendum est, ut in nostris tentationibus hanc doctrinam ad usum, & ad consolationem conscientiarum transferamus. *Vsus doctrinæ de sacerdotio Christi.*

Nulla enim est dulcior consolatio, quàm Sacerdotium Christi considerare. Cùm enim sit Sacerdos, est placator, uictima, precium redemtionis nostræ, & assiduus interpellator pro nobis. Et cùm sit æternus Sacerdos, haud dubiè inuocantes liberabit à morte.

Postremò cùm sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, benedicet, & donabit nouam iusticiam & pacem. Hunc uersiculum si proponemus nobis in ueris doloribus, & certaminibus, sentiemus eum uberrimas consolationes continere, sicut Epistola ad Ebræos hortatur nos: Habentes talem Pontificem accedamus cum fiducia &c.

Hactenus de hoc uersiculo & de sacerdotio Christi. Nunc adijciam pauca de sacerdotio singulorum Christianorum.

Differunt ministerium externum, & Sacerdotium. Nam sacerdotium est ius singulorum credentium, ad inuocandum, & sacrificandum, ut posteà dicam. Sed ministerium est executio muneris docendi, ubi postulat uocatio. Hoc ministerium publicum tantùm ad illos pertinet, qui sunt ritè uocati. Sed dicam de Sacerdotio. Principaliter Christus est Pontifex seu Sacerdos, Hic enim manet æternus Sacerdos, qui immediatè accipit uerbum à Patre, Sicut Iohannes inquit: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Item, ipse habet solus ius sacrificandi pro alijs, ipse est Pontifex sine mediatore inuocans, Omnes alij inuocant Deum per hunc Mediatorem. *Differunt ministerium externum & sacerdotium.*

His modis differt Christi Sacerdotium à nostro. Sic enim nobis impertit honorem Sacerdotij. Primùm si ipsum agnoscimus esse Pontificem talem, ut dictum est. Deinde nos sibi sic adiungit, ut nobis quoq; tribuat Euangelium, & mandatum confitendi, ac docendi pro uocatione. Secundò, dat etiam ius inuocandi, sed ita, ut ipso mediatore utamur, ut certum sit nos exaudiri, Sicut inquit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. *Quomodo Christus tribuat honorem sacerdotij nobis.*

Tertiò tribuit etiam ius sacrificandi, id est, recipit obedientiam nostram in adflictionibus, in confessione, & alijs bonis operibus, tanquam sacrificia, & ornat eam honore huius tituli, testatur esse sacrificia, id est, opera quibus Dei gloria fit illustrior, & quæ placent Deo, sicut de sacrificijs loquitur Petrus, cùm ait: Sacerdotium sanctum, offerentes hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum. Hîc clarè tribuit omnibus Christianis hostias.

Sed hæ duæ differentiæ sciendæ sunt inter Christi sacrificia, & nostra. Christi sacrificium pro alijs fit, nostra non fiunt pro alijs, sed sunt cultus debiti, quos requirit Deus à singulis. Item nostra Sacrificia non placent propter seipsa, sed propter Pontificem Christum, Sicut hîc disertè ait Petrus: Hostias ac- *Differunt sacrificia Christi & nostra.*

as acceptas per Iesum Christum. Vt igitur nostra bona opera fiant Sacrificia, requiritur ut fiant in fide, hoc est, ut fiant propter Deum, ad declarandam obedientiam erga Deum, & ad confessionem, & inuitandos alios: deinde ut credamus ea placere propter Pontificem Christum. Hæ duæ circumstantiæ ex bonis operibus efficiunt Sacrificia.

HIc etiam solet disputari de Missa, hoc est, de cœna Domini, an sit sacrificium. Etsi autem hanc quæstionem suprā attigi: tamen breuiter aliquid addam.

Missa non est sacrificium quod ualeat ex opere operato.

Aduersarij hanc causam nunc pingunt multō subtilius quàm olim. Ideo diligenter quærendi sunt fontes huius disputationis. Olim docebant Missam esse tale Sacrificium, quod pro alijs factum, mereretur uiuis & mortuis remissionem peccatorum, pœnæ & culpæ, ex opere operato, sine bono motu utentis, aut illius, ā quo fit.

Hic error facilè potest refutari, quia manifestè pugnat cum doctrina fidei. Remissio peccatorum contingit propria cuiusq; fide, Ergo non contingit ex opere operato, sine bono motu utentis. Consequentia est manifesta, quia fides est proprius cuiusq; motus agnoscens misericordiam propter Christum promissam. Est igitur res contraria operi operato, & ei quod fit sine bono motu cuiusquam. Ita simpliciter est idolatria tale opus alijs applicare pro remissione peccatorum, & delet doctrinam de fide. Quare illa applicatio Missæ tanquam idolatria abominanda est. Nec opus est longa disputatione in hac causa, quia illa ratio de doctrina fidei clarissimè refutat applicationem Missæ.

Doctrina fidei clarissimè refutat applicationem Missæ.

Quanquam autem nunc subtilius pingunt errorem suum aduersarij, tamen res eôdem redit. Hoc uolunt obtinere, quòd Missa sit opus faciendum & applicandum pro alijs: tantūm addunt hanc correctionem, quòd non ualeat ex opere operato, sine bono motu utentis, & eius pro quo fit. Contra hanc applicationem etiam tenenda sunt firma argumenta.

Missam non esse opus applicandum pro alijs.

I. Ratio. Primūm ad Hebræos capite decimo scriptum est: Vna oblatione consummauit sanctificatos, Igitur sola Christi mors est illud sacrificium, quod pro alijs applicandum est, & pro omnibus satis est, nec est ille honos transferendus in opus Sacerdotis.

II. Ratio. Secunda ratio. Idolatria est fidem niti applicatione operis Sacerdotis. Iam si Missa esset opus applicandum pro alijs, siue ex opere operato, siue alioter, fidem oporteret niti illa applicatione, Ergo talis applicatio nullo modo concedenda est.

III. ratio. Tertia ratio. Cœna Domini ualet tanquam Sacramentum, Ergo impossibile est eam applicari pro alijs, sicut impossibile est Baptismum applicare pro alijs, sed prodest utenti. Antecedens est manifestum, quia substantia Sacramenti est, esse ceremoniam, in qua exhibentur nobis promissiones. Talis est cœna Domini. Item, hîc Christus exhibet nobis corpus & sanguinem, ut propriam fidem confirmemus, & applicat ipse nobis sua beneficia, Ergo non est opus tale, quod nos possimus pro alijs applicare.

IIII. ratio. Quarta ratio. Idolatria est in Ecclesia, instituere cultum applicandum pro alijs, sine manifesto uerbo: Applicatio Missæ nullum habet mandatum, sed

sed tantùm singuli iubentur pro se uti, ad confirmandam propriam fidem, Ergo applicatio est idolatria, Minor est manifesta ex institutione, quia institutio non iubet pro alijs fieri. Imò est utenti applicatio noui Testamenti, sicut ait Textus: Hic est calix noui Testamenti. Nam Christus testatur, quòd per hunc calicem applicet, & exhibeat promissa in nouo Testamento. Igitur non est applicatio pro alijs, nisi pro utente. Ex his manifestè apparet, quòd Missa non sit opus applicandum pro alijs, siue ex opere operato, siue aliter. Quare nequaquam est sacrificium, sicut Aduersarij contendunt, qui ideo defendunt esse sacrificium, quia sit opus applicandum pro alijs.

Refutatis his erroribus, postea facilè est intelligere quis sit uerus usus Cœnæ DOMINI, & quatenus sit Eucharisticum sacrificium cuiusq; utentis. Vnus est principalis usus & finis ceremoniæ, etsi enim possunt accedere deinde plures fines non pugnantes cum fine principali, unum tamen principalem esse necesse est. *Principalis finis Cœnæ Domini unus est.*

Quare Cœnæ Domini principalis usus est, uti tanquam Sacramento, hoc est, sentire, quòd sit testimonium, quo Christus testatur se nobis exhibere, & applicare beneficia noui Testamenti, & hoc testimonio admoniti credere debemus, uerè nobis donari illa beneficia propter Christum.

Non igitur prodest opus ipsum sine fide, nec prodest pro alijs, sed sicut uerbo Dei, ita hoc Sacramento suam quisq; fidem exuscitet. Ideo ait Christus: Hoc facite in mei commemorationem. Principalis enim recordatio Christi est, agnoscere eius beneficia, & ea fide accipere.

Postea accedunt & alij fines. Idem opus cœnæ Domini fit gratiarum actio & confessio. Cùm enim credimus nobis remitti peccata, pro hoc immenso & ineffabili beneficio gratias agere debemus, & confiteri fidem nostram, & nostro exemplo alios inuitare & confirmare. Constat autem gratiarum actionem & confessionem esse cultus Dei, quos sæpè præcipit Scriptura. Est & ipsa fides cultus præcipuus, quo tribuimus Deo honorem summum, quòd sit Deus, quòd uerè exaudiat, quòd præstet promissa, ut Rom. 4. scriptum est: Dans gloriam Deo. Ita fit usus cœnæ Domini sacrificium, id est, opus quo redditur honos Deo, cùm accedunt illa fides, gratiarum actio, & confessio: Concurrunt enim multi fines unius operis, sed non pugnantes inter se. *Alij minus principales fines cœnæ Domini.*

Exposui quomodo fiat sacrificium. Sed illud hîc certè tenendum est, nequaquam hoc opus esse sacrificium, nisi præcedat principalis finis, & accedat fides, & uera Gratiarum actio. Quia nouum Testamentum nulla habet sacrificia ualentia ex opere operato. Christus enim inquit: Adorabunt Patrem in spiritu & ueritate, id est, ueris motibus cordis. Et nouum Testamentum est donatio æternæ iusticiæ & uitæ. Quare habet perpetua Spiritus sacrificia, agnitionem Dei & glorificationem. *Cœna Domini non est sacrificium sine fide & gratiarum actione.*

Ex his perspicuum est, non differre usum cœnæ DOMINI in Ministro Ecclesiæ, & populo, Et pariter Ministrum & populum uti tanquam Sacramento, Vtrisq; pariter testatur exhiberi & applicari beneficia noui Testamenti. Pariter etiam Ministro, & populo fit sacrificium, cùm addunt fidem, gratiarum actionem, & confessionem. Sed Minister eò differt à populo, quia ipse porrigit, sicut Baptisans differt à Baptisato, sed tamen unà cum pluribus uesci Minister potest. *Non differunt usus cœnæ Domini in Ministro & populo.*

Aduersarij non rectè oblationem sacrificium faciun in cœna Domini.

Verũm Aduersarij nostri discernunt ã manducatione oblationem, & propriè putant oblationem esse Sacrificium. Hæc opinio suprà refutata est & facilè refutari potest, si quis consideret, quid uelint esse illam oblationem, uidelicet, cultum necessarium in Ecclesia, & quidem pro uiuis ac mortuis. Dictum est autem suprã, quòd sit idolatricum, instituere nouum cultum, sine mandato Dei. Et multò maior impietas est, fingere quòd opus illud mereatur remissionem peccatorum uiuis & mortuis. Hæc & gloriam Christi obruunt, & pugnant cum fide, ut suprã ostensum est. Retinendus est igitur simplex usus cœnæ Domini in Scriptura traditus pariter pro uniuersa Ecclesia. Et detestanda est impietas, quòd nouus cultus institutus, applicandus est pro alijs, &c.

Hæc de Missa breuiter adieci, cũm suprã de Sacerdotio dictum esset, ut uulgaris error tollatur illorum, qui putant Sacerdotum proprium esse illam oblationem. Hæc opinio abusus ingentes & multiplicem idolatriam peperit.

Omnes credentes Sacerdotes esse magna est consolatio.

Commoratus sum in hoc loco de Sacerdotio: Vtilissimum enim est piis rectè intelligere, quid sit Sacerdotium, & quas habeat prærogatiuas. Magna enim consolatio est intelligere, quòd simus Sacerdotes, id est, quòd habeamus ius inuocandi Deum propter Pontificem Christum, qui pro nobis intercedit. Item, quòd nostra bona opera, & adflictiones nostræ, sint uera sacrificia, & ueri cultus, qui Deo placent. Nam hæc sunt correlatiua, Sacerdos & Sacrificium. Quæ autem efficacior consolatio pijs proponi potest in adflictione, quàm si sciant Deum requirere hanc obedientiam, & ita ornare, ut iudicet se honore affici hoc cultu, & uelit inuocari, & affuturus sit nobis in his agonibus? Hæc omnia significat nomen Sacrificium. Quare cũm in omni uita, tũm uerò in adflictionibus habeamus in conspectu hanc doctrinam de Sacerdotio & Sacrificio. Necesse est populum Dei habere aliquod Sacrificium, quare non defugiamus, quin Deo præstemus hoc nostrum Sacrificium, uidelicet adflictiones nobis impositas, & in his exerceamus fidem & inuocationem, sicut scriptum est: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me &c.

Etsi autem hæc doctrina de Sacerdotio & Sacrificio, non satis pro magnitudine amplificari & ornari potest: tamen quia præcipuos locos utcunq; exposui, pergam ad reliquos uersus enumerandos. Illud unum tantũm adijciam, quod de Versiculo hoc inquit D. Doctor Martinus: Nullum sibi in tota scriptura uersiculum unum uideri dulciorem, aut qui breuiter tantam doctrinæ copiam complexus sit, ut hic uersus: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum.

V.

DOMINVS A DEXTRIS TVIS, CONTERET IN DIE IRÆ SVÆ REGES.

Comminatio de pœnis impiorum & persequutorum.

HActenus docuit, quale sit Regnum Christi, ubi sint auspicia futura, quales cultus esse debeat, quæ sit persona Christi, quale sit Sacerdotium. Quos locos eligere poterat magis necessarios in docendo, & utiliores conscientijs? Nunc

Nunc addit comminationem de pœnis impiorum, ſicut ſemper in Prophetis de Chriſto utrunq; traditur, quòd ſit ſaluaturus credentes, & perditurus impios. Id traditur, ut iuſtum iudicium Dei conſpiciatur, & ut aliqui uocentur ad pœnitentiam. Item ut pij ſciant Tyrannorum ſæuitiam non fore perpetuam, ſicut Pſalm. 2. concionatur: Conteres eos uirga ferrea, &c. Orditur autem hanc comminationem à deſcriptione potentiæ.

Dominus à dextris tuis, Id eſt, Deus adeſt hîc, cui nulla quamuis magna potentia par eſſe poteſt. Quare etſi Diabolus omnibus modis atq; artibus oppugnabit Chriſtum & Eccleſiam, incitabit Tyrannos, ut omne genus crudelitatis exerceant, deformabit ſcandalis, dilacerabit Eccleſiam infinitis diſcordijs & hæreſibus, tamen Dei potentia defendet Chriſtum, & Eccleſiam, & delebit hoſtes: Sicut inquit Chriſtus: Portæ inferorum non prævalebunt aduerſus eam. Itaq; hic uerſiculus proponit comminationem impijs & perſecutoribus. Rurſus etiam conſolatur pios, ut ſciant ſe defendi & ſeruari contra Diaboli & mundi potentiam. Hac conſolatione pijs maximè opus eſt in tanta infirmitate Eccleſiæ. Qualis enim ſpecies, quæ potentia eſt Eccleſiæ, quæ eſt exiguus cœtus, imbecillis, & oppreſſus omnibus calamitatibus? Huic ſe opponit Diabolus, deinde uniuerſa mundi potentia. Tantis uiribus reſiſtere, uincere inſidias Diaboli, retinere confeſſionem inter tot errores, & tanta pericula & ſupplicia, non eſt humanæ potentiæ. Ideo Eccleſia ſuſtentat ſe hac conſolatione, Dominus à dextris tuis, ut ſciant ſe diuinitus tegi & adiuuari. Huc pertinent promiſſiones paſſim traditæ in ſcripturis. Zachariæ 2. Ego ero, inquit Dominus, murus igneus in circuitu eorum. Item Pſal. 10. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor.

Eſt autem Emphaſis in particula poſtrema, quòd nominatim ait Reges puniendos eſſe, id confirmat pios contra ſcandalum, quòd flos mundi, & præcipuè ſapientia & potentia prædita, aduerſaturi ſint Euangelio. Monet ergo pios, ne hoc ſcandalo fracti deficiant ab Euangelio. Item conſolatur eos, ut ſciant Eccleſiam uictricem fore tantæ ſapientiæ & potentiæ.

Regum mentio indicat potentes aduerſaturos eſſe Euangelio.

VI.

IVDICABIT INTER GENTES, CVMVLABIT CADAVERA, CONTERET CAPVT IN TERRA MVLTORVM.

VErſus ſonat de pœna impiorum, ſed tamen non ſola pœna intelligenda eſt, ſed etiam cætera Regni officia. Et quanquam Regnum eſt ſpirituale, tamen pœnæ intelligantur non de ſola prædicatione, ſed ueris pœnis impiorum. Eſtq; ſententia: Chriſtus regnabit etiam inter gentes, uocabit, & ſaluabit multos ex gentibus, ſed impios & rebelles perdet pœnis corporalibus & æternis, etiamſi aliquandiu ſinet eos graſſari, & exercere crudelitatem aduerſus Eccleſiam. Et pœnæ infligentur Tyrannis & impijs, non ita, quaſi Eccleſia ſit regnum mouens ſeditiones, aut gerens arma contra mundi Regna: Sed Chriſtus in cœlo ſua ui graſſantes Tyrannos reprimet, & euertet & perdet, ſicut repreſſit & extinxit Neronem, Iulianum &c.

Pœnæ non armis & ſeditionibus, ſed cœlitus à filio Dei infligentur impijs.

Hæc eſt ſimplex ſententia horum uerſiculorum, quæ colligenda eſt ex

Refutatio perſuaſionis Iudaicæ de regno politico.

cæteris locis huius Pſalmi, & aliarum ſcripturarum, quæ teſtantur regnum CHRISTI non fore politicum Regnum, ſed aliud quoddam. Quare repudiandæ ſunt ludæorum interpretationes, qui, quia audiunt mentionem pœnarum fieri, poſtea intelligunt totum regnum Meſſiæ tantũm fore politiam mundanam. Et ut definitionem planam & perſpicuam adijciamus, ſciendum eſt, hoc eſſe Regnum Chriſti, quõd Chriſtus pro nobis paſſus reſurrexit, & uicit potentiam diaboli, peccati & mortis, ſedet ad dexteram Patris, & iuſtificat, & donat Spiritum ſanctum, & uitam æternam credentibus in ipſum per Euangelium, quod dedit & uult prædicari inter omnes gentes. Ibi etiam exaudit inuocantes, & dat pleraq; dona, & impios puniet æterna morte, interdum etiam præſentibus pœnis, ne Eccleſiam penitus deleant. Intelliges igitur hoc loco: Iudicabit inter gentes, id eſt, regnabit etiam inter gentes, uocabit & ſaluabit multos ex gentibus, rebelles uerõ puniet & perdet. Ita complectimur totum Regnum &c.

CVMVLABIT CADAVERA &c.

Comminatio de ruina omnium hoſtium Euangelij.

QVõd autem ait, Cumulabit cadauera, eſt deſcriptio magnitudinis pœnarum, quæ ſignificat excidia ingentis potentiæ mundi, quæ ſe opponet Euangelio: Quaſi dicat, belligerabuntur toto orbe terrarum Reges, & ſummi Principes, & omnes præſtantes ſapientia & opibus conſpirabunt aduerſus Euangelium, Synagoga, Romani Principes, deinde Mahometicum Regnum, & Pontifices cum ſuis Regibus. Aduerſus tantas uires defendetur Eccleſia, & omnes illi hoſtes, omnia hæc Imperia horribilibus cladibus & ruinis delebuntur. Eõ pertinet, quõd diſertè inquit, percutiet caput in terris multis. Significat enim ſummam mundi ſapientiam & potentiam aduerſaturam eſſe Euangelio, & tamen pœnas daturam, & ruituram eſſe.

Aliqui peculiariter interpretantur de Romana Monarchia, Verũm ego non de illa tantũm hunc uerſum intelligo, ſed primũm de Synagoga, deinde de omnibus regnis, quæ cum Euangelio uſq; ad mundi finem belligerabuntur. Nam Propheta loquitur de omnibus temporibus. Ergo poſtremis temporibus intelligatur de illis regnis, quæ aduerſabuntur Chriſto, de Mahometico regno, & Antichriſto, id eſt, de dominatione Pontificum, qui Eccleſiam Tyrannide oppreſſerunt, & idolatriam defendunt. Item de Regibus hanc Tyrannidem adiuuantibus. Hæc regna etiamſi crudeliter adfligent Eccleſiam, tamen Chriſtus conſeruabit eam uſq; ad finem, & paulatim regna quaſſata euertet, donec omnes tandem impios delebit, & conijciet in pœnas æternas.

VII.

DE TORRENTE IN VIA BIBET, PROPTEREA EXALTABIT CAPVT.

BReuitas parit obſcuritatem, quare hic uerſus diſſimiles habet interpretationes. Iudæi ineptè fingunt uictorem Meſſiam tantam cædem facturum eſſe, ut torrentes ſanguine manaturi ſint, unde bibat exercitus: Sed textus nihil de ſanguine hîc dicit, nec ſanguis ſolet eſſe potus uictorib. Ideo hãc interpretationem

pretationem reiſciamus. Habent Iudæi hîc & aliam fabulam multò abſurdiorem de Nilo, quam etiam omitto.

Quæ eſt igitur ſententia huius dicti: *DE TORRENTE IN VIA BIBET?* Omnino uſitata eſt figura apud Hebræos, bibere pro adfligi, ut apud Ieremiam capite 49. Non eris innocens, ſed bibens bibes. Et in Euangelio: Calicem bibetis. Item: Si eſt poſſibile, calix à me auferatur, Eſtq; paſſim obuia hæc figura, ut nihil dubium ſit, adflictiones ſignificari hac Metaphora. *Bibere ſignificat affligi Hebræis.*

Eſt ergo ſententia: In uia, id eſt, priuſquam glorificabitur, in tranſitu, donec in hac uita ante glorificationem & reſurrectionem uerſabitur, bibet de torrente, id eſt, hauriet & ſuſtinebit cõmunes, & horribiles adflictiones humani generis. Non dicit, ut alibi, bibet calicem, ſed bibet de torrente, ut omnes adflictiones intelligas, ſicut ipſe clamitat: *DEVS, DEVS MEVS QVARE DERELIQVISTI ME?* Harum adflictionum magnitudo non poteſt intelligi à ſecuris & ocioſis, nec poſſunt uerbis explicari. Satis ſit igitur moneri pium lectiorem, quòd omnis generis adflictiones, & quidem horribiles comprehendat Propheta, cùm nominat torrentem. Natura humana ſubiecta eſt morti, iræ Dei, & omnibus calamitatibus propter peccatum. Has pœnas pro nobis ſuſtinere Chriſtum oportebat, cùm fieret uictima pro genere humano. Et quanta ſit magnitudo harum pœnarum, oſtendunt deſcriptiones apud Eſaiam capite 23. Vidimus eum infirmum, & afflictum &c. Item Paulus ait: Chriſtum factum eſſe maledictum & peccatum, id eſt, hoſtiam pro peccato. Hæc ſignificant humiliationem, & pœnam extremam. Non modò enim ingentes cruciatus corporis ſenſit, ſed etiam luctatus eſt cum ineffabilibus terroribus, & ira Dei. Et in hiſtoria Euangelica dicitur: Et factus in agonia, prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut guttę ſanguinis decurrentis in terram. Deſcribit igitur Propheta paſſionem, & omnes afflictiones Chriſti, cùm ait: De torrente in uia bibet. *In uia, id eſt, in tranſitu in hac uita.* *Nomine torrentis comprehenduntur omnis generis, afflictiones.*

Eſtq; hic uerſus additus, ne ſuperior deſcriptio de regno corporali, Iudaico more, intelligeretur: Sed ſignificaretur Chriſtũ paſſurum, & moriturũ eſſe, & non habiturũ mundanum imperium, ſed futurũ in ſummis calamitatibus, & ærumnis, ut fiat hoſtia ſeu uictima. Nam uictimarum mactatio à principio mundi ſignificauerat, redemtorem promiſſum etiam futurum uictimam, & moriturum. Quia Deus uoluit non aliter aboleri peccatum & mortem, niſi morte filij ſui. Ideo etiam Eccleſia, ut repręſentet imaginem filij Dei, ſubiecta eſt ſemper omnibus ſummis calamitatibus generis humani, ut & Chriſti exemplum referat, & ut agnoſcamus peccatum, cùm ita in nobis mortificatur. Itaq; in hoc uerſu primum Chriſti afflictiones conſideremus. Deinde meminerimus totam Eccleſiam à principio mundi uſq; ad finem ſubiectam eſſe ſimilibus calamitatibus, & ſciamus hanc eſſe uoluntatem Dei, nec propterea nos à Deo abiectos eſſe, etiamſi horribilibus & ingentibus ærumnis exercemur & premimur. *Cur ſit additus uerſiculus de afflictionibus Chriſti.*

Deinde additur altera ſententia de glorificatione. Propterea exaltabit caput, hoc eſt, hoc modo glorificabitur, poſtquam fuerit humiliatus & factus uictima, Sicut Dominus ait Lucæ ultimo: Non ne hæc oportuit pati Chriſtũ, & ita *Altera pars de glorificatione.*

& ita intrare in gloriam ſuam? Item Actorum tertio & ſeptimo, Chriſtum oportuit pati, & reſurgere ā mortuis. Et Hebræ. 5. luculenta concio eſt, quōd oportuerit paſſionem præcedere, cūm ait textus: Chriſtus non ſemetipſum glorificauit, ſed qui locutus eſt ad eum &c.

Deinde addit de precibus, offerens cum clamore ualido, & lacrimis, exauditus eſt, propter ſuam reuerentiam, id eſt, quia Chriſtus obediuit Patri, exauditus & glorificatus eſt. Et Eſaiæ 53. Quia ponet animam ſuam pro peccato, uidebit ſemen longæuum. Deniq; paſſim obuia ſunt teſtimonia in ſcripturis, quæ oſtendunt hanc fuiſſe ordinationem Dei, ut Chriſtus primūm pateretur, deinde glorificaretur. De hac ordinatione etiam hic Pſalmus concionatur, cūm ait Chriſtum in uia paſſurum, deinde glorificandum eſſe. Cæterūm de qua glorificatione uerſus intelligendus ſit, docet particula ſuprā poſita, de Regno æterno ad dexteram Patris, hoc eſt, de Regno, in quo Chriſtus diuina potentia liberabit credentes ā peccato, ā morte, & defendet eos contra Diaboli, & mundi ſæuitiam, & puniet eos æternis pœnis, qui Euangelio non non obediunt. Cūm igitur dicit, exaltaturum eſſe caput, ſignificat eum habiturum eſſe illud Regnum, quod ſuprā deſcripſit.

Quæ glorificatio ſit intelligenda.

Cūm hoc modo uerſus intelligitur, quōd Chriſtus fuerit paſſurus, & deinde glorificandus, aptè cohærent membra, & non eſt ocioſa particula, Propterea, quæ teſtatur, quōd glorificatio ſequi debuerit paſſionem. Sed ſi ludaicas interpretationes ſequeremur, ocioſa eſſet hæc particula, Propterea, ut attentus Lector facilè iudicare poterit.

ENARRATO uerſiculo, admonendus eſt Lector, quomodo paſſio Chriſti conſideranda ſit. Deinde dicendum etiam de Eccleſiæ adflictionibus. De his duobus locis, quia alibi prolixius dicitur, hîc ero breuior. Nam omnino præterire nolui, quia utile eſt ubiq; inculcare principalem locum de paſſione Chriſti.

Paſsio Chriſti proponitur non tantùm ut exemplum, ſed ut hoſtia & precium pro peccatis.

Primùm igitur hoc ſciendum eſt, Paſſionem Chriſti non tantùm ut exemplum proponi, ſicut proponuntur adflictiones aliorum Sanctorum, ut imitemur eorum patientiam. Sed alia multō maior eſt cauſa, Proponitur enim ut donum & hoſtia, ſeu precium pro peccatis noſtris, ut credamus nobis remitti peccata, propter illam uictimam, ſeu Hoſtiam. Diſcernam igitur meditationem paſſionis triplicem.

Triplex meditatio paſsionis Chriſti. Pædagogica prima.

Prima eſt Pædagogica, Secunda Fidei, Tertia Exemplaris. Pædagogica, eſt recitatio, & conſideratio externa doctrinæ de Hiſtoria paſſionis Chriſti, uel de fructu Hiſtoriæ, qualis eſt lectio, aut qualiſcunque recitatio cerimonialis. Hæc etiamſi adhuc nondum eſt ſpiritualis, tamen eſt neceſſaria rudibus, diſcendi cauſa. Eſt etiam ideo utilis, quia Deus eſt per uerbum efficax. Ideoq; aliquorum affectus ſpirituales exuſcitat. Quare talis ceremonia, audiendæ, legendæ, recitandæ hiſtoriæ non eſt negligenda aut aſpernanda.

Spiritualis meditatio ſecunda.

Secunda meditatio eſt ſpiritualis, quæ eſt uerè perterrefieri agnitione iræ DEI aduerſus peccatum, & rurſus concipere conſolationem fide, qua credimus propter mortem Chriſti nobis remitti peccata, & hac hoſtia uerè placatum eſſe Patrem. Vtrumq; enim proponitur in paſſione Chriſti, uidelicet,

cet, ira Dei, & promissio gratiæ. Etsi enim iram Dei aduersus peccatum etiam Lex, & communes calamitates generis humani, quæ sunt horrendæ & innumerabiles, ostendunt, tamen præcipuè ostendit eam mors filij Dei. Necesse est enim ingentem iram esse, quam nullius sancti mors, aut adflictiones, denicq; quam nulla res placare poterat, nisi sola mors Filij. Vide autem quantum distet humana securitas à iudicio Dei. Cùm Deus tanti faciat peccatum, homines contrà ducunt leuem offensionem esse, & mirabili audacia, & contemtu ruunt aduersus uoluntatem Dei. Ita inquit Paulus, Christum pro nobis factum esse peccatum, & maledictum, Quæ sunt uoces significantes filium Dei non leuem iram sustinuisse, Et iubet sic apprehendi mortem Christi, & nos perterrefieri agnitione iræ Dei in morte Christi, cùm ait ad Romanos sexto: Complantati sumus similitudini mortis eius, &c. id est, debemus uerè expauescere & agnoscere iram Dei.

In passione Christi utrumque proponitur, ira Dei et misericordia.

Quoties igitur cogitamus de morte Christi, exhorrescamus, & damnemus securitatem nostram, quòd peccatum leuiter curamus, quòd Deus ita execratur, & detestatur, ut nulla Hostia uoluerit placari, nisi morte Filij sui. Mouemur minis Legis, mouemur cogitatione ingentium calamitatum humanarum, quæ sunt signa iræ Dei: Sed multò magis moueri nos oportebat hoc testimonio iræ, quòd Deus nullam hostiam, nisi Filium recepit pro peccato.

In cogitatione passionis Christi ira Dei agnoscenda, & statuendum est quòd ea morte Christi sit placata.

Deinde non satis est iram agnoscere, sed necesse est addi, quòd mors Christi ita sit hostia, ut fiat Pater placatus, & propter hoc sacrificium remittat, & deleat peccatum in carne nostra, & donet iusticiam, & uitam æternam, quòd hæc certò consequamur, non propter aliqua merita nostra, sed fide gratis. De hac parte loquitur Paulus, cùm ait ad Romanos quarto: Traditus est propter delicta nostra, Et ad Romanos octauo: Pro peccato damnauit peccatum in carne. Et secunda ad Corinth. quinto: Eum qui non nouerat peccatum, fecit peccatum pro nobis, ut nos fieremus iusticia Dei per ipsum. Hæc sententia clarè docet, quomodo uti beneficio Christi debeamus. Ita enim donata est nobis passio Christi, ut statuendum sit nos propter ipsum consequi remissionem peccatorum, & reputari iustos, non propter nostram propriam dignitatem. Non enim propria dignitas nostra aduersus iram, & iudicium Dei, sed Christi sacrificium opponi debet. Id est umbraculum illud, quo tegimur, & quo pater certò placatur.

Hæc est igitur uerè spiritualis meditatio passionis Christi, cùm hoc modo in pauoribus uerè nos erigimus fide, idq; fieri debet in omni inuocatione, in omnibus negocijs, & periculis, & tentationibus. Sic Dauid in acie se consolabatur in medijs periculis præliorum, Sic Paulus in omnibus negocijs hac consolatione se sustentat, Sic mater in partu, sic denicq; quilibet pius in omni actione inuocat Deum, illi Pontifici Christo se adiungens, & credens se propter ipsius sacrificium recipi, & exaudiri.

Verè spiritualis meditatio qualis sit.

Non igitur est spiritualis meditatio, secedere in Monasteria, & ociosis animis cogitare de passione Christi, & lugere Christum sicut Mulieres eum lugebant, euntes ad sepulchrum, sed in omni uita, in omnibus periculis &

lis & certaminibus intueamur Christum, & eius sacrificio & præsentia nos consolemur. Hæc sunt utilia pijs, & intelligi possunt. Et de hac uera & non ociosa meditatione loquitur Paulus ad Philip. 3. Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Domini mei Iesu Christi, ut inueniar in illo, non habens meam iusticiam, quæ ex Lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iusticia in fide, ad cognoscendum illum, & uirtutem Resurrectionis eius, & societatem passionis illius, configuratus morti eius &c.

Tertia meditatio est exemplaris.

Tertia meditatio est Exemplaris. Hæc etsi non est principalis, tamen etiam pijs proponenda est, Quia continet duas consolationes utilissimas in adflictionibus, uidelicet, quòd Deus hanc obedientiam requirat, ut adflictiones perferamus. Secundò, quòd Deus non ideo abiecerit pios, quia sinit eos affligi, nec affligat ut perdat, sed ut mortificetur uetustas peccati in nobis, & crescat fides in his exercitijs.

Doctrina de cruce necessaria est pijs.

Hæc doctrina de Cruce ualdè necessaria est pijs, & nusquam illustrius conspici potest, quàm in hoc ipso exemplo filij DEI, Nec ulla doctrina, aut ulla Philosophia unquam fuit, quæ tales consolationes uiderit, aut tradere potuerit. In omnibus hominibus miratur ratio, quî fiat, ut hæc excellens natura hominum, cùm tamen sit infirmissima, tantis calamitatibus onerata sit, quarum magnitudinem nemo satis cogitare potest, tantùm abest, ut dicendo explicari possit. Deinde, quare optimis & præstantibus uirtutibus præditi, incidunt in summas ærumnas? id non solùm asperum, sed etiam crudele, & iniustum uidetur. Itaq; ratio existimat partim casu hæc mala accidere, partim ex materiæ qualitatibus. Illud certè non statuit, aliquo Dei consilio tantum onus naturæ hominis impositum esse, multò minus talem obedientiam esse cultum Dei, & hanc obedientiam necessariam esse, imò fremit omni impetu aduersus hæc tanta mala, & sentit eos qui adfliguntur, à Deo desertos, & abiectos esse.

Hæc infirmitas & indignatio in humanis animis agnoscenda est, ut remedia quæramus. Nam doctrina Euangelij docet quid sit sentiendum de adflictionibus, & monstrat testimonium & exemplum in Christo. Non enim casu accidunt, sed Deus uult præcipuè Ecclesiam subiectam esse adflictionibus. Et testatur nos adfligi, non ut pereamus, sed ut exerceatur fides, ut crescat in nobis. Ideoq; adflictiones uocantur in uerbo Dei sacrificia, & sanctissimi cultus Dei. Sicut in Psalmo dicitur, sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et aliàs: Preciosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Item alibi: Preciosus sanguis eorum coram eo.

Doctrina de cruce statim est reuelata cum Euangelio.

Hæc doctrina de adflictionibus statim initio mundi reuelata est cum Euangelio. Quia pios tenere hanc consolationem magnopere opus est, ne existiment se in tantis ærumnis negligi, aut abiectos esse à Deo. Quare hæc reuelatio propriè ad Euangelium pertinet. Cùm igitur initiò promittitur redemtor, qui liberet genus humanum à peccato, & ab omnibus calamitatibus, quæ peccatum secutæ sunt, disertè additur: Inimicicias ponam inter Serpentem & Mulieris semen, & ipsum semen mulieris, conteret caput Serpentis, & serpens calcaneum eius mordebit.

De dicto Geneseos, Inimicicias ponam &c.

Hæc uerba uidentur in speciem de re non magna concionari, sed si uerè consi-

considerentur proponunt tristissimas pœnas, quæ post peccatum impositæ sunt humano generi. Ostendunt Diabolum hostem esse humani generis, qui omnem sæuitiam non modò in impios, sed in illud semen exercebit, à quo ille calcabitur. Addit enim textus Euangelium de futuro semine, quod liberabit naturam humanam à peccato, & à pœnis. Sed tamen hoc ipsum semen mordebitur à serpente. Ergo grassabitur Diabolus in uniuersam Ecclesiam, & Christus, & omnes pij erunt subiecti ingentibus calamitatibus.

Hoc docet initiò mundi prima concio, & imponit nouam legem naturę, non nobiscum natam, quòd oporteat eam adfligi, & quòd adflictiones illæ in pijs Deo placituræ sint, quia etiam ille liberator generis humani passurus sit. O admirandam, & grauem concionem, si quis consideret ærumnas illas, & calamitates humani generis, tàm breuiter hîc significatas esse. *Noua Lex quòd oporteat genus humanum affligi.*

Postea exempla declarant hanc concionem. Abel interficitur, Isaac ducitur ad mactationem. Prophetæ interficiuntur. Denicq; uniuersus populus Dei ingentibus ærumnis exercetur, sed maximè illustre exemplum est ipse filius Dei Christus. Quare nemo se illi primæ legi eximat. Sciamus omnes nos habere crudelissimum hostem Diabolum, qui etsi non potest Ecclesiæ membra perdere, tamen mordebit eorum calcaneos.

Itacq; non miremur, non frangamur animo, cùm sentiemus nos oneratos esse adeo multis & ingentibus malis: & quidem cùm uidemur multa indigna pati, hîc intueamur in exemplum Christi, & discamus utrunq;, quòd hæc obedientia sit necessaria, & quòd Deo placeat, propter Christum. Sciamus nobis minari serpentem, sed tamen non posse eum mordere nisi calcaneum, sæuit in hoc mortale corpus, sed Christus liberat nos à peccato & morte. *In calamitatibus intueamur exemplum Christi.*

Hæc tota doctrina de cruce procul extra conspectum rationis posita est, & nusquam traditur, nisi in doctrina de Christo. Ideo & in hoc Psalmo, cùm quidem triumphos Christi describat, tamen etiam adflictiones attingit, cùm ait: De torrente in uia bibet. Item cùm facit mentionem Sacerdotij. Nam Christus talis est Sacerdos, ut sit factus uictima pro peccato & maledictione, quare & mortem, & horribiles adflictiones sustinuit.

Hęc de meditatione Passionis Christi adieci, ut in hoc Psalmo complecteremur doctrinam utramq;, scilicet de Passione, & uictorijs Christi.

τέλος.

IN PSALMVM CENTESIMVM VNDECIMVM.

ARGVMENTVM.

DIXI suprà diuersa esse genera & argumenta Psalmorum. Alij enim propriè uaticinia & doctrinam Euangelij continent, alij doctrinam Legis, alij sunt preces, alij consolationes, alij gratiarum actiones.

Et hæc genera miſcentur. Hæc diligentia diſcernendi genera prodeſt ad quęrendam unam & ſimplicem ſententiam.

CXI. eſt ſimplex gratiarũ actio.

Primũm igitur hîc ſciendum eſt, hunc Pſalmum eſſe ſimplicem gratiarum actionem, quæ uidetur ad uſum publicum in cœtu populi compoſita, præſertim ad ceremoniam Paſchatis. Agit igitur gratias pro inſtituto Paſchate, ſed complectitur in genere præcipua beneficia, ſcilicet, quõd Deus, Eccleſiam & politiam huius populi, mirabilibus ſignis, uerbo & ceremonijs, conſtituerit: & quõd conſtitutam Eccleſiam & politiam defenderit.

Hæc eſt ſumma Pſalmi, & in fine additum eſt generale Epiphonema, quod opponit iudicijs prophanis de his operibus & de uerbo, quaſi dicat, Mundus quidem hæc, quæ prædicamus, contemnit, & nos delirare exiſtimat, quõd præ cæteris gentibus gloriamur nos habere uerbum Dei, & noſtrum Regnum ã Deo conſtitutum eſſe, & ab eo defendi. Sed hæc iudicia longè errant, fallitur Sapientia mundi. Verùm una ſola eſt uera ſapientia: timere Deum, & huic uerbo credere, quod nobis traditum eſt. Quõd ſi faciemus: haud dubiè Deus nos defendet, & ſeruabit. Proinde hoc Epiphonema eſt reprehenſio humanæ ſapientiæ & prophani iudicij, & adhortatio ad timorem Dei, & ad fidem.

Quodcunq; uerbum uel opus Dei anteferendum eſſe uniuerſæ ſapientiæ humanæ.

Eſtq; utilis & generalis applicatio Pſalmi, quæ monet generaliter quæcunq; opera Dei & uerbum Dei anteferre uniuerſæ humanæ ſapientiæ, & omnibus iudicijs Mundi. Et teſtatur hanc ſapientiam uerbi Dei non futuram inutilem, ſed parituram ingentia bona.

Vſus Pſalmi.

Sic igitur transferamus Pſalmum ad nos. Agamus & nos gratias pro dato uerbo Dei, & pro uocatione Eccleſiæ, & conſeruatione, ac præcipuẽ pro inſtituto Paſchate noſtro, ut poſteà dicemus. Et confirmemus nos adhortatione illa, ut ſciamus hanc ſapientiam uerbi Dei efficacem eſſe, & ſalutarem, nec deterreamur iudicijs mundi, qui perſequitur aut contemnit uerbum Dei.

Quo ordine Pſalmus beneficia Dei enumeret.

Enumerat autem Pſalmus beneficia propemodum hoc ordine.

Primũm agit gratias, quõd Deus uocauerit hunc populum, editis teſtimonijs per miracula & per uerbum.

Secundõ, quõd inſtituerit ceremonias, ac præcipuẽ Agnum Paſchalem, & quòd addiderit huic ceremoniæ prædicationem uerbi, ſcilicet, non ſolùm de liberatione populi: ſed etiam de cæteris promiſſionibus.

Tertiõ, quõd Deus dederit Verbum & Legem, & hæc beneficia mirabilibus ſignis conſeruet. Et in hoc loco ſunt egregiæ laudes uerbi DEI, quæ diſcernunt uerbum Dei ab humana ſapientia & humanis traditionibus.

Quartò agit gratias de continua defenſione populi, aduerſus quoſcunq; hoſtes, ut: Gedeon defendit populum aduerſus Madianitas: Samſon contra Philiſtĳm: Saul contra Amalech: Dauid contra Philiſtĳm: Ezechias contra Aſſyrios &c. Hanc perpetuam defenſionem complectitur uerſiculo: Redemtionem miſit populo ſuo. Itaque in ſumma agit gratias Deo, quõd Eccleſiam

&

& politiam huius populi mirabilibus signis & uerbo constituerit, defenderit, & conseruet.

Deinde additur Epiphonema: Non deterreamur iudicijs mundi, quia hæc sapientia uerbi Dei non est falsa, inanis: sed uera & efficax. Ideo Deum timeamus, & non abijciamus eius uerbum & promissionem.

Hoc est argumentum Psalmi simplicissimè recitatum. Facilis est autem accommodatio ad nos, ut nos quoq; gratias agamus pro dato Euangelio, pro datis Sacramentis, pro uocatione Ecclesiæ, pro illis admirandis operibus Christi, pro liberatione à peccato & à morte per mortem Christi, pro sanctificatione, & assidua gubernatione Sanctorum per Spiritum sanctum. Hæc arcana & admiranda opera Dei assiduè intueri & celebrare debemus, ut aliquo modo eorum magnitudinem agnoscamus, & accendamur ad fidem & gratiarum actionem. Hæc de argumento & accommodatione ad nos, breuiter præfari uolui. *Accommodatio Psalmi ad nostrum usum*

Nunc Psalmum ipsum audiamus.

PSALMVS CENTESIMVS VNDECIMVS.

I.

Gratias agam tibi DOMINE ex toto corde: in consilio & cœtu iustorum.

II.

Magna sunt opera DOMINI, scrutanda propter omnia desiderabilia sua.

III.

Glorioſum & magnificum est opus eius, & iusticia eius durat in perpetuum.

IIII.

Memoriam fecit mirabilium suorum, clemens & misericors DOMINVS.

V.

Escam dedit timentibus se, Memor est in æternum pacti sui.

VI.

Virtutem operum suorum annunciat populo suo, vt det illis hæreditatem Gentium.

VII.

Opera manuum eius veritas & iudicium, Firma sunt omnia mandata eius.

VIII.

Rata sunt in seculum seculi, Fiunt & sunt vera & recta.

IX.

Redemtionem misit populo suo, mandauit æternum esse pactum suum, Sanctum & metuendum nomen eius.

X.

Initium sapientiæ timor DOMINI, intellectus bonus facienti illa, Laus eius durat in perpetuum.

Propositio Psalmi gratias ago Deo.

PRIMVS uersus est propositio principalis, ago gratias Deo, Et quia Psalmus est ad usum publicum factus, additur: In concilio & cœtu iustorum, id est, in Ecclesia. Primùm autem docet nos de ueris, propriis, & præcipuis cultibus sanctorum, scilicet, de inuocatione & gratiarum actione. Quare monet Psalmus, ut in his cultibus fidem exerceamus. Sic enim uerè tribuitur Deo honos, quòd non sit ociosus, quòd sit propicius, quòd uerè respiciat nos, & uelit nos exaudire & iuuare, propter promissam misericordiam. De his cultibus concionatur & Psalmus 49. Inuoca me in die tribulationis & eripiam te, & glorificabis me. Et quia de eis sæpè aliâs dictum est, & infrâ subinde dicendum erit, nunc ero breuior. Tantùm monendus fuit Lector, quòd Psalmus hortetur & nos ad hæc præcipua opera, Inuocationem & gratiarum actionem.

Tres causæ cur gratias agat in Ecclesia.

Secundò, Illud est dulcissimum, quòd ait se in concilio & cœtu iustorum, id est, in Ecclesia has laudes decantare. Quam ob causam hoc additur? causæ tres sunt.

Prima causa.

Prima. In omni oratione debemus intueri promissiones Ecclesiæ factas & hac fide inuocare, quòd propter illas promissiones exaudiamur. Ideo sæpè facit mentionem Ecclesiæ, ut uidelicet significet se niti promissionibus, quæ datæ sunt Ecclesiæ, quasi dicat, In Ecclesia inuocabo Deum, id est, inter eos inuocabo, quibus tradidit promissiones, et harum fiducia inuoco.

Secunda causa.

Deinde discernit hæc particula pios ab omnibus sectis, & impiorum cultuum & traditionum inuentoribus, & nos monet ne discedamus à uera Ecclesia, ne ue exaudiri putemus impios, qui extra Ecclesiam inuocant. Sicut Psalmo decimoquinto inquit: Non recipiam nomen eorum super labia mea. Hæc comminatio hortetur nos ad ueræ Ecclesiæ unitatem & concordiam tuendam & retinendam, & deterreat nos, ne coniungamus nos cum impijs, qui traditiones aut dogmata ferunt contra uerbum Dei. Nam inuocatio in tali cœtu est Blasphemia, sicut Psalmus inquit: Fiat oratio eius peccatum. Tales sunt cultus & omnes inuocationes omnium, qui persequuntur Euangelium. Quoties igitur Psalmi iubent in Ecclesia inuocari, agi gratias: monent ne adiungamus nos impijs sectis, & persequentibus uerbum Dei, sed tueamur unitatem ueræ Ecclesiæ & hanc exaudiri sciamus, reliquas esse maledictas.

Tertia causa.

Tertia causa est, quare oratio debeat in Ecclesia fieri, ut scilicet simul sit confessio, & hac nostra confessione alios confirmemus, aut inuitemus ad credendum & inuocandum, Sicut inquit Christus: Luceat lux uestra coram hominibus, ut glorificent patrem uestrum, qui in cœlis est. Est enim hic cultus necessarius, confiteri ut exemplum nostrum alijs prosit. Et Paulus secunda Corinth. primo, iubet multos pro se orare, & multos agere gratias, & ut magis credant Deo placere nostras preces, & crescat in eis fides, & ut Deus magis glorificetur. Simul igitur complexus est Psalmus in hac sententia, doctrinam de grauissimis locis, De promissione, ut inuocantes intueamur promissionem Ecclesiæ factam, deinde de intuenda unitate Ecclesiæ, Tertiò de publica confessione, ut nostro exemplo alios inuitemus. Hæc est summa huius loci.

Sed addo etiam Grammaticam admonitionem, Ebraicè dicit in Arca-

no re-

no rectorum, Hæc figura significat idem, quod in consilio, hoc est, conuentu iustorum. Sicut aliâs arcanum pro consilio accipitur, Et Ecclesiæ præcipuè conuenit hæc figura, quia in Ecclesia est arcana doctrina, ignota, & spreta mundo. Item, quia gloria istius cœtus, uidelicet, quòd sit populus Dei, nondum conspicitur.

Hebræus textus habet in arcano rectorum.

II.
MAGNA SVNT OPERA DOMINI, SCRVTANDA PROPTER OMNIA DESIDERABILIA SVA.

SEQVITVR secundus Versus, qui iam est propositionis expositio. Incipit enim recitare beneficia, pro quibus agit gratias, uidelicet, OPERA DOMINI, quibus hunc populum mirabiliter uocauit, constituit & defendit. Non enim loquitur in genere de creatione: sed de eductione populi ex Aegypto, de donatione uerbi & legis, de uictoriis, quæ testatæ sunt hanc gentem esse populum Dei.

Secundus uersus propositionis expositio

Nec tantùm ait hæc opera esse magna. Id enim etiam fatebantur impij: sed addit, ea esse DOMINI opera, id est, fatetur liberationem illam uerè factam esse diuinitus. Hæc est uera gratiarum actio, corde credere & statuere, quòd non casu simus adiuti aut seruati, quòd non nostra uirtute simus incolumes: sed quòd uerè Deo curæ simus, quòd uerè Deus nos adiuuet & seruet, Sicut Christus inquit: Omnes capilli capitis uestri numerati sunt. Et Ieremias Threnorum 3. uituperat impios, qui negant à Deo proficisci bona & mala.

Hoc igitur discamus, uerè credendum & statuendum esse, quòd Ecclesia, & eius membra diuinitus adiuuentur & defendantur. Hæc gratiarum actio requiritur.

Scrutanda propter omnia desiderabilia sua.

Id est, Deus multiplicem doctrinam in his admirandis operibus proposuit.

Quam doctrinam proponat Deus in admirandis liberationibus Ecclesiæ.

Primùm se hoc testimonio reuelauit mundo, ac coarguit impietatem Epicureorum, qui negant esse Deum, & aliorum qui negant Deo curæ esse homines.

Secundò his pœnis ostendit se irasci impietati, & pœnas irrogaturum esse.

Tertiò consolatur & confirmat pios, ut uerè statuant Ecclesiam Deo curæ esse, & à Deo defendi & seruari, etiamsi finit eam exerceri uariis adflictionibus. Erat oppressus populus Israël crudelissima seruitute. Itaq; etsi multi perierunt: tamen Ecclesia seruatur, & tandem glorioſis uictoriis ornatur. Hæc exempla proposita sunt, ut admoneant pios, ut sciant se non perituros esse, etiamsi uersantur in extremis periculis & adflictionibus.

Quartò, hæc ipsa exempla docent quòd oporteat Ecclesiam esse subiectam adflictionibus, ut peccatum in nobis mortificetur, ut agnoscamus infirmitatem nostram, securitatem carnalem, diffidentiam, dubitationem, ut repugnantes his uicijs inuocemus Deum. Item ut gloria Dei fiat conspectior, cùm liberat ex tantis ærumnis.

Primùm igitur hæc generalis doctrina lucet in illa eductione ex Aegypto, quòd Deus uerè iraſcatur impijs, & ſit ſeruaturus Eccleſiam etiamſi eam duriter exercet. Hæc doctrina longè ſuperat captum rationis. Nam ratio dubitat an Deus curet humana, deinde certè illud non audet affirmare, quòd in afflictione non ſimus reiecti à Deo, quòd ſit ſperanda liberatio. Item, quòd populum Dei oporteat ſubiectum eſſe afflictionibus. Hæc ſapientia cœleſtis longè poſita eſt extra conſpectum rationis. Ideo inquit Pſalmus conſideranda eſſe opera illa propter multiplicem utilitatem. Docent enim nos de arcanis rebus & ignotis rationi, ſcilicet de uoluntate Dei erga impios, erga pios, erga adflictos.

Deus uerè ſeruaturus eſt Eccleſiam etiamſi duriter exercet eam.

Iam ſi ſingula facta percurrantur, multò locupletior doctrina inuenietur. Dathan & Abiron ſacrificant ſine mandato Dei. Hic locus monet nos de uocatione, ne irrumpamus ad miniſteria ſine uocatione, ne cultus ſine mandato Dei inſtituamus. Apparet & infirmitas humana, & diffidentia, cùm populus ſtomachatur ſe eductum eſſe ex Aegypto, cùm deſperant de uictu, cùm adorant Vitulum. Hæc peccata non intelligit, non iudicat ratio. Sed hîc pœnæ oſtendunt illa uicia interiora, uerè peccata eſſe damnata à Deo. Denique exempla extant in illis factis utilia ad omnes partes uitæ, ad agnitionem peccati, ad timorem, ad fidem, ad agnoſcendam remiſſionem peccatorum, ad excitandam inuocationem, ad diſcendos ueros cultus Dei, ad patientiam, ad bona opera, ad officia uocationis. Lucet igitur in illis factis ſapientia ſpiritualis, ut nuſquam alibi. Hîc Deus multis modis ſe oſtendit mundo, & patefecit uoluntatem ſuam.

Ideo hic Pſalmus ait, ſcrutanda eſſe opera DOMINI, iuxta omnia deſiderabilia ſua, id eſt, querendam eſſe in illis hanc admirandam ſapientiam, agnitionem Dei, eruditionem & conſolationem noſtram. Non enim alibi ſapientia Dei ita lucet, ſicut in his factis, & in hoc uerbo, quod populo Iſraël tradidit. Meminerimus ergo hoc præceptum, ut opera Dei ita conſideremus, ut exempla nos moueant, Sicut ſæpè aliâs præcipitur. Vt Pſalmus 78. Attendite populo meus legem meam, Filij qui naſcentur narrabunt ea filijs ſuis, ut ponant in Deo ſpem ſuam & non obliuiſcantur operum Dei.

III.

GLORIOSVM ET MAGNIFICVM EST OPVS EIVS, &c.

REPETIT ſuperiorem ſententiam, quòd illa ingentia facta Dei in uictorijs populi Iſraël ſint uerè glorioſa, & ſuperent omnium Regum atq; Imperatorum res geſtas & triumphos. Et hoc diſcrimen animaduertere utile eſt. Alexandri, Scipionis & ſimilium res, ſine expreſſo Dei uerbo geruntur. Et quanquam Deus in illis exemplis etiam oſtendit ſe punire mundum, tamen uerbum expreſſum non accedit. Et certè uerbum de miſericordia non additur, uidelicet, quòd Deus uelit remittere peccata, exaudire, ſeruare adflictos, nec additur promiſſio de conſeruando regno incoato. Nec gerunt Alexander & Scipio ſuas res iuſſi expreſſo uerbo Dei. Non ſunt igitur ibi exempla miſericordiæ, item de iuuocatione Dei, de ueris cultibus. Eſt igitur infinita differentia

Magnum diſcrimen eſt inter opera Dei & aliorum Regum res geſtas

rentia inter has uictorias & defensionem huius populi Israëlitici, & aliorum Regum facta.

Porrō illa est uera gloria, ubi in factis innotescit & glorificatur Deus, & ueri cultus exempla ostenduntur, Et cùm accedit expressum uerbum Dei. Ergo uictoriæ Israëliticæ uerè glorioſæ sunt. Sicut hanc ipsam gloriam sæpè prædicat Scriptura, ut Psalm. 148. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Item Deuteronomij primo: Portauit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare paruulū filium &c. Et capite quarto, En populus sapiens. Nec est alia natio, quæ habeat Deos appropinquantes, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est alia gens adeo inclyta &c. Ita multis uerbis amplificat illam ueram gloriam, scilicet, quòd Deus uerè adfuit atque innotuit in illius populi uocatione, gubernatione & defensione, per uerbum & per exempla. Hîc igitur discamus ueram gloriam esse & superiorem omnibus regnis mundi, quòd Ecclesiam gubernat expresso uerbo, quòd expressas promissiones habemus, quòd uerè uelit Ecclesiam exaudire.

Vera gloria est ubi in ipsis factis glorificatur Deus, & accedit uerbū Dei.

IVSTICIA EIVS MANET IN ÆTERNVM, &c.

APTISSIME sequitur de duratione, quasi dicat, gloria nostri populi, scilicet, quòd Deus nos uocauit, quòd dedit uerbum suum, quòd nos defendit ingens est, ut dictum est, sed hoc nomine præstat cæteris Regnis, quòd est durabilis gloria, quasi dicat. Imperia ab alijs constituta non sunt perpetua, leges ab alijs latæ euersis suis Rebuspublicis delentur. Sed uocatio huius populi, facta per uerbum Dei, in quo patefecit Deus iusticiam suam, & per admiranda & iusta exempla, nunquam erit irrita. In hoc populo semper erit Ecclesia, uerbum eis datum, & ordinatio diuinitus facta; non poterunt ulla humana ui deleri.

Gloria Ecclesiæ est durabilis.

Tradit igitur hic Versus utilem doctrinam & consolationem, uidelicet, quòd humana consilia sine uocatione diuina non habeant diuturnos successus, Sicut apparet in omnibus, qui res magnas sine iusta uocatione susceperunt, ut Absalon, Zambri & plerique alij seditiosi Reges in Israël. Item Cæsar, Antonius, Brutus, & alij innumerabiles. Nec ullæ traditiones humanæ, aut Sectæ excitatę contra uerbum Dei, sunt durabiles. Sicut extincti sunt Idolatrici cultus, qui olim fuerunt, Item postea Hæreses, Manichæa, Arriana, & aliæ: Sic interibunt Mahometi secta, & Pontificum & Monachorum traditiones unà cum ipsis persecutoribus Euangelij, Sicut inquit Christus: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Sed uerbum Dei est perpetuum, nec ulla ui humana opprimi potest.

Consilia humana sine uocatione diuina non habent diuturnos successus, nec traditiones humanæ ullæ.

Quare hic uersiculus in Psalmo docet nos de re magna, scilicet, ne sine uocatione iusta aliquid suscipiamus, & ne traditiones humanas amplectamur contra uerbum DEI, nec cogitemus ullas traditiones humanas, cùm sint peritiuræ, prodesse ad iusticiam aut uitam æternam, aut continere opera, quæ sunt effectus æternæ iusticiæ. Hæc cùm alibi copiosè declarentur, non uolo hîc prolixius explicare. Secundò consolatio proponitur. Etsi enim adfligitur Ecclesia, & oppugnatur iusticia Dei, omnibus diaboli & mundi

Doctrina huius uersiculi.

uiribus: tamen meminerimus id, quod hîc dictum est, Iusticiam Dei, id est, uerbum & ordinationem Dei sempiternam esse. Ideoq; non abijciamus uerbum Dei, nec dubitemus quin Deus tandem nos liberaturus sit.

Est igitur utilis Versiculus, habendus in conspectu, & opponendus contra traditiones humanas, & omnia consilia humana, quæ contra iusticiam, id est, contra uerbum & ordinationem Dei suscipiuntur. Est & periculis opponendus, ut constanter expectemus liberationem.

IIII.

MEMORIAM FECIT MIRABILIVM SVORVM. ESCAM DEDIT TIMENTIBVS EVM.

Gratiarum actio pro data lege & institutis ceremonia paschatis.

PERGIT in specie quædam beneficia nominare, Agit igitur gratias pro data lege, pro institutis ceremonijs, & nominatim pro instituta ceremonia Paschatis. Et grauiter de usu Paschatis concionatur. Memoriam fecit mirabilium suorum, quasi dicat, Non satis est ritus seruare seu paschatis, seu alios, Non prosunt ceremoniæ ex opere operato, sine uerbo, sine fide, sine Inuocatione: sed hic Psalmus requirit, ut Esca sit memoria factorum & uerbi Dei, id est, ut uerbum ibi doceatur, & excitentur, timor, fides, inuocatio, gratiarum actio & similes pij motus in audientibus admiranda opera Dei, pœnas impiorum, & liberationem populi. Sic prodest ceremonia, & fit cultus Dei.

Fecit memoriam, id est, ut uerbum prædicetur.

Est ergo insigniter hîc consideranda particula, cũm ait: *MEMORIAM FECIT*, ut discamus requiri non tantũm ceremoniam: sed potius memoriam, id est, ut uerbum prædicetur, ut mentio pœnarum incutiat terrorem audientibus, & mentio beneficiorum accendat fidem, inuocationem, & gratiarum actionem. Hæc est uera celebratio paschatis.

CLEMENS ET MISERICORS DOMINVS.

Lex conditionalis est.

DILIGENTER obseruandum est discrimen, de quo sæpẽ dicitur. Gentes etsi habent aliquam legis noticiam, quòd Deus sit bonus aut misericors, tamen lex est conditionalis, Id est, iudicat Deum bonum & misericordem esse, his, qui sunt iusti & sine peccato, non docet de gratuita remissione peccatorum. Ideo gentes non possunt habere fidem, nec uerẽ inuocare Deũ: Sed in pauoribus opprimuntur dubitatione & desperatione: Sicut in Poëmatis extant blasphemiæ dubitantium & blasphemantium.

Promissiones de Christo sunt gratuitæ.

Sed promissiones de Christo concionantur de gratuita remissione peccatorum, & de gratuita acceptatione. Hæ promissiones exuscitant fidem, & confirmant mentes contra dubitationem, ut credant, & inuocent, & sentiant se exaudiri, & Deo curæ esse. Ad has promissiones referri debent passim dicta de misericordia Dei. Nam populus Dei intuetur promissiones & fide uera expectat misericordiam, & uerẽ statuit se respici à Deo, & acceptum esse per misericordiam, propter promissum redemtorem: etiamsi interea agnoscit indignitatem suam.

Quare

Quare hæc dicta in Psalmis de misericordia non sic intelligenda sunt, sicut etiam gentes tribuunt Deo misericordiam: Sed discrimen tenendum est. Longè aliter loquuntur de bonitate & misericordia Dei Xenophon & promissio Euangelij. Gentes non norunt remissionem peccatorum, nec credunt sibi gratis ignosci, aut se exaudiri: Sed pij, qui norunt promissiones Euangelij, credunt remissionem peccatorum, uerè statuunt se exaudiri ac defendi. Hæc doctrina singulis necessaria est, ut agnoscant naturalem dubitationem de misericordia DEI, & opponant promissiones Euangelij propriæ imbecillitati & se fide erigant.

Aliter loquuntur de misericordia Dei Ethnici, aliter Euangelium.

ESCAM DEDIT TIMENTIBVS SE.

CVM nominat ESCAM, significat agnum Paschatis: nam suprà dictum est, quod hic Psalmus uideatur fuisse gratiarum actio, quæ solita est recitari in Festo Paschatis. Annumerat igitur cæteris beneficijs ordinationem de mactatione Agni, & reliquis Ceremonijs. Ingentia beneficia sunt, quòd DEVS uocauit & defendit hunc populum magnis miraculis, quòd dedit ei Verbum & Legem, quòd ordinauit certas Ceremonias, quia Deus solet Ceremonias addere uerbo, uidelicet, ut sint signa conseruantia memoriam uerbi Dei.

Esca significat agnum Paschatis.

Rursus autem hîc admonendus est Lector, Ceremonias non prodesse ex opere operato: Sed esse signa, quæ nos de uerbo & fide admonere debeant. Sic igitur prosunt Ceremoniæ, cùm nobis uerbum redigunt in memoriam, & fide excitatur Inuocatio & Gratiarum actio: Ideo prius dictum est, Memoriam fecit &c. Vt requirat cultus interiores, fidem & inuocationem, & nunc addit, timentibus eum, significans illis esse gratam & dulcem escam & consolationem, qui timent Deum, qui credunt, qui inuocant. Hæc Esca est testimonium pijs in hoc populo, quòd uelit Deus eis esse misericors, eos exaudire & seruare iuxta suas promissiones. Hac fide edentes, rectè utebantur Ceremonia.

Ceremoniæ nõ prosunt ex opere operato, sed cùm fidem excitant.

Ideo sequitur in textu: *MEMOR EST IN ÆTERNVM PACTI SVI*, Quasi dicat, Cùm tradidit nobis hanc Escam, testatus est se perpetuò hunc populum defensurum esse, & daturum promissiones, quas pollicitus est. Cùm igitur pij utebantur hac Ceremonia, debebant cogitare, Signum esse institutum, seu datum pignus, quòd testabatur huic populo Deum dedisse Verbum & promissionẽ de defensione: Item promisisse Christum, propter quem uellet eis ignoscere, & eos exaudire. In hanc sententiam adiecit, Memor est pacti sui, quasi dicat, Hæc ipsa Esca est nobis pignus, quòd Deus sit nos seruaturus, & uult hac fide celebrari Ceremoniam, ut ipse uerè inuocetur & agnoscatur.

Esca pignus est pacti de promißionib. utrisq; corporalibus & spiritualibus.

Nec uerò tantùm de defensione corporali loquitur, cùm ait, *MEMOR EST PACTI SVI*, sed etiam complectitur promissiones de bonis spiritualibus, de liberatione à peccato, & donatione nouæ ac perpetuæ uitæ promissæ propter CHRISTVM. Propter hanc promissionem gratiæ, sciebant omnia alia miracula facta esse: deinde sciebant Christum significare mactationem agni Paschalis. Simul igitur confitebantur & prædicabant has promissiones de Christo: Et pro his æternis beneficijs agebant gratias, eaq; fide petebant & expectabant.

Iam

Accommodatio ad nostrũ pascha.

Iam facilis est accommodatio ad nostrum Pascha in Ecclesia, uidelicet ad mortem Christi, & deinde ad cœnam Domini. Nam hæc beneficia multõ magis prædicanda sunt, quãm illa corporalis liberatio. Hæc sunt ingentia facta, quòd Deus Ecclesiam uocat ad uitam æternam, id est, quòd dedit Euangelium, quòd misit Filium suum ut fieret hostia pro humano genere, quòd mirabili modo liberat nos ã peccato & morte: quòd naturæ instauratæ donat æternam & cœlestem uitam.

Primũm igitur hæc Esca agnoscenda est, cũm uerè uiuificamur in pauoribus & in morte ã Christo per fidem, ipse sit Esca, sicut inquit Iohan. sexto, Ego sum panis, qui de cœlo descendi: Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Deinde instituta est etiam cœna Domini, ut sit Esca, quæ admoneat nos, ut credamus nos uerè uiuificari ã Christo. Testatur enim se uerè nos saluare, quia nos sibi adiungit, cũm impertit nobis corpus & sanguinem suum.

Escam dedit, id est, instituit cœnam.

Rectè igitur & huc accommodatur uersiculus: *ESCAM DEDIT TIMENTIBVS SE*, id est, instituit cœnam, ut meminerimus ingentia beneficia Christi, & nos consolemur, fide accipientes promissiones Euangelij, Statuamus uerẽ nobis ignosci, nos exaudiri, uerẽ nobis donari gratiam & uitam æternam. Et quidem meminerimus ratas, certas, & immutabiles esse has promissiones, sicut hîc inquit, Memor est in æternum pacti sui. Ita pia mens facilẽ poterit accommodare ad nostrum Pascha, & recitare hunc Psalmum agentem gratias pro beneficijs Christi, & intuentem admirabilia opera, mortem & resurrectionem Christi, erigere fidem, & ueram consolationem accipere.

VIRTVTEM OPERVM SVORVM ANNVNCIAT POPVLO SVO.

REcitauit facta & ceremonias. Nunc nominatim facit mentionem Ministerij uerbi, quia inquit, *ANNVNCIAT*, Item postea addit de Lege: *FIRMA SVNT MANDATA EIVS.* Nota est autem magnitudo huius beneficij, scilicet, quòd dedit promissiones & Legem: & instituit ministerium, dedit Prophetas ac Sacerdotes, ut explicaretur, propagaretur & conseruaretur Ministerium uerbi. Propter hoc beneficium segregatus est hic populus ã reliquis gentibus, ut esset aliqua natio, ubi certum esset, extare uerbum Dei. Et ob hanc causam omnia mirabilia facta sunt, ut essent testimonium non de lege tantũm, sed multõ magis de promissionibus, ut scirent pij, uerẽ Deum tradidisse aliquod uerbum de saluando genere humano, & scirent, ubi extaret illud uerbum, & quodnam esset. Horum beneficiorum magnitudinem nemo exponere pro dignitate potest, sed agnoscere ea & accipere grato animo debemus.

Annunciat uirtutem operũ, id est, instituit ministerium.

Est igitur hæc sententia uersiculi: Virtutem operum suorum annunciat populo suo, id est, instituit ministerium, Prophetas dat & Sacerdotes, Mosen, Aaron, Iosuam, Samuelem, & alios, qui concionentur de operibus Dei, quòd Deus uelit agere cum genere humano, quòd dederit promissiones, quòd uerẽ uelit saluos facere credentes per Euangelium, quòd uerẽ remittat peccata, & exaudiat inuocantes, & saluet eos, quòd regat & defendat Ecclesiam, quòd horribiliter puniat impios.

Hæc

Hæc opera omnia complectitur, cùm ait: Virtutem operum ſuorum, id eſt, cùm agat Deus cum Eccleſia & cum impijs: Sicut & poſtea eodem modo intelligit opera Dei, cùm inquit, *OPERA EIVS VERITAS ET IVDICIVM*, id eſt, uerè præſtat illa quæ in uerbo ſuo propoſuit. Seruat pijs & inuocantibus promiſſiones, & punit impios, quaſi dicat, Verbum eius & miniſterium non eſt inanis fabula, ſed uerum & efficax eſt. Haud dubiè præſtantur pijs promiſſa, & impij punientur. Hæc opera (inquit) annunciat populo ſuo, id eſt, miniſterium inſtituit, ut de his operibus Dei concionetur. Iam Antitheſis conſideranda eſt, quantum peccatum ſit obruere aut perſequi hoc Miniſterium, & pro operibus Dei tradere ceremonias & ſuperſtitiones.

Addit autem, *VT DET POPVLO HÆREDITATEM GENTIVM*: Hoc ad Hiſtoriam pertinet, & eruditè docet, quare regnum conſtitutum ſit, quæ ſit principalis cauſa, quare hic populus ſegregatus ſit à cæteris Gentibus: ſcilicet, ut hoc Miniſterium inſtitueretur. Vt enim certum eſſet, ubi extaret uerbum Dei, & in qua natione, in qua Gente, quo loco Chriſtus in hunc mũdum proditurus, ubi prædicaturus eſſet: ideo hæc gens delecta eſt, & peculiari regno, quaſi ſepta & munita, & peculiaribus ritibus ſegregata eſt à cæteris gentibus, Ideo hîc inquit, ita inſtitutum eſſe miniſterium, cùm tradita eſt huic populo hæreditas gentium, id eſt, in hoc populo regnũ conſtitutum eſt, ut ibi extarent miniſterium & teſtimonia de uerbo Dei, quod inde etiam in gentes propagandum erat ex hoc populo.

Quare populus Iudaicus fuerit ſegregatus à cæteris gentibus.

OPERA MANVVM EIVS VERITAS ET IVDICIVM.

GENERALE eſt de Regno & Miniſterio dictum, *OPERA MANVVM EIVS*, id eſt, ordinatio Dei. Verbum, promiſſio &c. ſunt ueritas & iudicium, id eſt, non eſt inanis fabula, ſed res uerè ſalutares, efficaces ad ſeruandum pios, & puniendos impios, Eſtq; ſententia oppoſita iudicijs mundi, quæ deriſerunt hunc populum, gloriantem ſe habere uerbum Dei & regnum diuinitus inſtitutum. Hæc cùm audiebant Ethnici, iudicabant eſſe uaniſſimam fabulam, nec plus habere ueri, quàm quòd Romulus dicebatur Martis filius. Et caſu arbitrabantur exortum eſſe hoc regnum, & rurſus interiturum eſſe caſu, non aliqua certa ordinatione.

Veritas & iudicium opponuntur prophanis iudicijs mundi.

Hanc impiam opinionem multa adiuuant. Alię gentes præſtabant multitudine, uiribus, opibus & cæteris rebus. Multa etiam ſcandala, multæ clades deformabant hunc populum, ut eum non putarent aliæ Gentes Deo curę eſſe: Sicut ſæpè queruntur Prophetæ, de his blaſphemis iudicijs impiorum, quibus & hic uerſiculus opponitur, quaſi dicat, Etſi impij putant nec regnum noſtrum, nec uerbum à Deo eſſe, nec uerbum hoc efficax eſſe: tamen nos contrà ſciamus, hanc ordinationem eſſe diuinam, & quidem ueritatem ac iudicium eſſe, id eſt, rem ueram & ſalutarem pijs, et punientem impios. Nam ueritas ſignificat beneficium uerũ, ratum et firmum. Iudicium uerò ſignificat executionem iuſtam, qua Deus defendit pios, & punit impios.

Veritas. Iudicium.

Quanquam igitur magnis cladibus afficiebatur populus Iſraël: tamen

pij

pij debebant se sustentare, quòd Deus eos conseruaturus esset, quia hoc regnum & hoc ministerium non essent interitura, cùm essent beneficia diuinitus ordinata, in quibus Deus pios conseruaturus esset, & de impijs pœnas sumturus.

Euangelium & uocatio Ecclesiæ sunt dona Dei.

Hac consolatione semper nos sustentemus in omnibus ordinationibus Dei. Primùm, de Ecclesia, quid est calamitosius Ecclesia? & tamen hîc cogitemus hæc opera, id est, Euangelium & uocationem Ecclesiæ, esse dona Dei, & quidem ueritatem & iudicium, id est, res ueras, duraturas, salutares pijs, & exitiosas impijs. Ita cogitemus & de imperijs ciuilibus & hac communi societate, quæ etiam habet uerbum Dei, Quia enim multum in hac ciuili societate uiciorum est, & uariæ uices, quas putant non esse curæ Deo: Ideo impij contemnunt Leges & facilè uiolant, putant impium esse, quicquid à ciuilibus imperijs decernitur aut proficiscitur. Ita transferamus uersiculum ad Ecclesiam & alias ordinationes Dei, & Deogratias agamus, & ordinationes eius magnifaciamus, & non impunè uiolari putemus.

FIRMA SVNT MANDATA EIVS, RATA IN SECVLVM.

SVMMVM beneficium est, quòd Deus uerbum suum, uidelicet, Legem & promissiones huic populo tradidit. Hoc beneficium iam expressè nominat & amplificat, aliquoties repetita eadem sententia. Firma sunt mandata eius, rata, uera, recta &c. Hæc opponuntur iudicijs mundi. Nam mundus iudicat hoc uerbum inanem fabulam esse, inutilem, interituram. Contra hæc iudicia confirmat nos Psalmus, & iubet ut sentiamus hoc uerbum uerum, & promissiones ratas, efficaces, salutares esse: Deum autorem esse huius uerbi, uerè approbare hos cultus, uerè exauditurum esse, & uerè exhibiturum promissa corporalia & spiritualia: Hæc est summa sententiæ.

Promißiones diuinæ sunt ratæ, ueræ, efficaces.

Sed hîc cogitandum & considerandum est, has esse uoces fidei: Non enim possumus ex Lege statuere, quòd nostra opera placeant DEO, cùm non simus sine peccato: nec possumus statuere, nos promissionum participes fore, cùm simus indigni. Ideo cùm Psalmus ait: Promissiones esse ratas, firmas, ueras, efficaces: requirit fidem qua statuamus nobis uerè ratas esse promissiones, etiamsi sumus indigni. Scilicet quia Deus est uerax, & uult misereri ac ignoscere propter illam redemtionem, quam pollicitus est. Hanc fidem in Christum includi iam in Legem & promissiones oportebat. Ita Lex placebat fide: promissiones erant ratæ, firmæ, salutares fide, etiamsi nemo erat sine peccato.

Promißiones requirunt fidem.

Promißiones in Psalmis sunt sententiæ Euangelicæ.

Ergo hæ Psalmi uoces erant conciones de fide, & præcipiebant, ut populus crederet uerè ratas esse promissiones, & cultum Deo placere, non quia populus esset sine peccato: sed quia Deus esset uerax, & propter suam misericordiam uellet huic populo, quem uocauerat, benefacere. Et hæ sententiæ erant pijs in populo Euangelicæ, quæ consolabantur eos non modò in corporalibus adflictionibus, sed etiam in agone conscientiæ luctantis cum peccato. Sciebant factam esse promissionem de Saluatore humani generis immutabilem; Sciebant se propter hunc Redemtorem promissum, uocatos esse & placere

cere Deo, & habere hac fide remissionem peccatorum.

Ergo pij hæc dicta opponebant peccatis suis: Si conscientia angebatur, erat intuenda hæc sententia, promissiones sunt ratæ, firmæ: Deus uult certō misereri, sicut promisit & iubet hoc credere, alioquin eius promissiones non essent ratæ. Ita & nos transferamus hos uersiculos ad nostrum usum, & in inuocatione, in agone conscientiæ erigamus imbecilles animos, & uerè nos consolemur hac uoce, promissiones Dei ratæ sunt, & in hac fide inuocemus: Et sicut ille in Marco ait, Credo Domine, sed adiuua diffidentiam meam, Ita nos petamus in nobis augeri fidem.

REDEMTIONEM MISIT DOMINVS POPVLO SVO.

ALIVD beneficium recensēt, quōd Deus subinde liberauit populum ab Hostibus, ne deleri possent. Sicut defensi sunt aduersus Aegyptios, Cananæos, Palæstinos, Syros, Aphros: Pro hoc tanto tamq; glorioso beneficio pij toto pectore gratias agebant, quia in hoc admirando opere uidebant exhiberi testimonia manifesta præsentiæ Dei.

Deus mirandis modis defendit Ecclesiam in populo Israëlitico.

Fit autem dulcior liberatio, cūm ad eam confertur magnitudo periculorum, adflictionum, & ærumnarum populi Dei, quas omnes recensere longum esset. Et historiæ notæ sunt, quæ clarissimè testantur, quōd oporteat Ecclesiam Dei subiectam esse ingentibus calamitatibus. Quantilla erat multitudo populi Israël, collata ad reliquum orbem terrarum, ad potentissimas Monarchias, Assyriam, Persicam, Græcam, Romanam? Hæ quanquam sæpè dilacerārunt hunc populum, tamen Deus mirabilibus modis defendit aut restituit suos: Sicut nullo humano consilio restitutio post exilium Babylonicum facta est.

Ita hoc tempore quantilla est multitudo ueræ Ecclesiæ collata ad imperia mundi, Turcicum, Persicum, Romanum? & conspirant potentissimi Reges ad delendum ueram doctrinam. Exercent crudelitatem non minorem ueteribus Tyrannis, moliuntur bella aduersus eas nationes, quæ profitentur ueram doctrinam. Inter hæc ingentia pericula, & inter has ærumnas Deus tamen mittit redemtionem, non sinit prorsus deleri Ecclesiam, & tandem in extremo iudicio resuscitatis mortuis simul glorificabit uniuersam Ecclesiam, & donabit ei æterna præmia, ac Tyrannos afficiet æternis pœnis.

Defenditur & nunc Ecclesia mirandis modis.

Id quoq; significat hic uersiculus. Populum Dei habiturum esse liberationem, non solum, ne in hac uita deleatur Ecclesia: sed etiam ut mortui & interfecti reuiuiscant & consequantur æterna bona. Ideo in hoc uersiculo additum est: *MANDAVIT IN ÆTERNVM TESTAMENTVM SVVM*, id est, Deus dedit non solūm Legem & hanc politiam Israëliticam, mansuram usq; ad aduentum Christi: sed etiam promissiones de uita æterna. Ideo pij habent redemtionem, non solūm eam, quæ contingit in hac uita: sed multō magis æternam, quæ contingit in postremō iudicio, quia promissiones pollicentur uitam æternam, & hæ promissiones ratæ & immutabiles sunt.

Pij habent redemtionem in hac uita & æterna.

Ita simul adiungit Propheta beneficijs temporalibus æterna. Etsi enim temporalia magis incurrant in oculos: tamen si non accederent æterna, præsens liberatio non magni momenti esset. Itaq; cùm Propheta loquitur de operibus Dei, de uerbo, promissionibus, directa est fides in æterna bona & in promissionem de remissione peccatorum, de abolendo peccato & morte, de renouatione naturæ, de noua & æterna uita. Hæc ingentia beneficia complectitur, hæc prædicat, hæc uult conspici & fide accipi, pro his agit gratias.

Cur Propheta corporalibus beneficijs ad iungat æterna.

SANCTVM ET TERRIBILE NOMEN EIVS. INITIVM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI.

ADIECIT Epiphonema, quod est ueluti conclusio gratiarum actionis, prædicans Deum huius populi, solum uerum esse Deum: ideoq; uerè eum timendum esse. Est igitur opposita sententia primùm Idolatris: *NOMEN DOMINI SANCTVM*, id est, incontaminatum, non pollutum humanis erroribus. Id est, Hic noster Deus non est conflatus humano errore, sicut Mars aut Bacchus: sed inuocamus illum Deum, qui uerè Deus sanctus est, & se patefecit per uerbum suum.

Deus sanctus.

Significat igitur SANCTVM, purè diuinum. Et opponuntur Sancto hæc duo, Dij commentitij & excogitati humano errore, & cultus impij, qui polluunt Deum. Non enim tribuunt Deo uerè honorem, quòd misereatur, quòd exaudiat: aut fingunt, quòd propter talia opera ab ipsis excogitata exaudiat, Sicut Manasses & alij fingebant se exaudiri propter opus tantùm, scilicet, propter humanas hostias. Talibus nomen Dei non est sanctum, id est, purum & uerè diuinum, sed ipsi polluunt Deum suis cogitationibus.

Sancto opponuntur duo.

Deinde terribile significat, Deum non esse ociosum & inanem fabulam, sed uerè esse efficacem, liberantem pios & punientem impios. Opponuntur ergo utrisq; hæ appellationes, Idolatris & Epicureis, quia utriq; polluunt Deum sua imaginatione: utriq; fingunt non esse terribilem seu efficacem. Nam Epicurei fingunt ociosum esse, & Idolatræ manent in dubitatione, aut fingũt se iustos esse suis cultibus, nec timent Dei iudicium.

Terribile nomen eius.

Sanctum & terribile opponuntur Idolatris & Epicureis.

INITIVM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI.

RATIOCINATVR consequens ex Epiphonemate. Cùm hic Deus sit sanctus, id est, purè Deus, qui purè & rectè colitur hoc modo, & sit terribilis, id est, efficax, Timendus igitur & colendus est hic solus. Et hæc est uera & non peritura Sapientia, hunc Deum agnoscere. Estq; hæc sententia opposita iudicijs humanis, discernens humanam sapientiam ab hac spirituali. Et hoc latè patet.

Timor Domini discernit sapientiam spiritualem ab humana.

Primùm damnat Epicureos, qui negant Deo curæ esse res humanas: negant ullum esse uerbum Dei: & hanc ipsam doctrinam (quæ est tradita populo Israël) fingunt esse totam fabulosam & commentitiam.

Refutantur hoc dicto Psalmi Epicurei.

Hanc impietatem taxat hic uersiculus, & affirmat contrarium: Hanc esse ueram sapientiam, agnoscere & timere Deum. Deinde refutat omnia consilia hominum contra mandata Dei, quamuis astutè excogitantur. Sicut Saul multis

multis consilijs astutè excogitatis molitur exitium Dauidi, sed hi conatus omnes sunt irriti. Item omnes religiones omnium hominum & traditiones excogitatæ contra uerbum Dei, sunt uanæ, displicent Deo & non sunt efficaces. Vna est igitur sapientia uera, hoc uerbum à Deo traditum retinere, huic uerbo credere & obedire. Hæc est summa sententiæ.

Nam quòd ait, *INITIVM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI*, non est pueriliter accipiendum de parte: Sed initium hîc est res gubernans omnes actiones erga Deum & erga homines, ut sit sententia: Timor Dei est sapientia gubernans omnia consilia & omnes actiones in uita spirituali & ciuili. Dauid hac sapientia sustentat se in suis pauoribus, sciens esse mandatum Dei, ne desperet, sicut dicit Psalmo 118. Nisi lex tua esset delectatio mea, perijssem in adflictione mea. Deinde gubernabatur hac sapientia in rebus gerendis, Quia propter Deum suscipiebat pericula, Deus dabat secundos exitus.

Timor Domini gubernat actiones omnes erga Deũ & homines.

Accommodetur ergo hoc dictum ad omnem uitam, & semper sit in conspectu, ut luceat agnitio Dei in omnibus partibus uitæ, uerbo Dei regatur cõscientia in pauoribus & inuocatione. Regantur & cæteræ actiones, ne quid suscipiamus adducti consilijs humanis pugnantibus cum uerbo Dei: sicut Idolatræ, Hæretici, Tyranni denique omnes discedunt à regula diuinitus tradita, & multa moliuntur humanis consilijs, nec quærunt auxilium Dei. Sicut Cicero optimo consilio, sed humano, non inuocans Deum, conatur opprimere Antonium.

Luceat agnitio Dei in omnib. partibus uitæ.

Ita accommodemus ad omnes casus in uita, & semper intueamur hanc regulam, ab hac uoce petamus consilium, Initium sapientiæ timor Domini. Hæc sapientia sola est gubernatrix, timere Deum, non recedere ab eius uerbo, consulere eius uerbum, inuocare ipsum, & ab eo petere & expectare gubernationem. Nam timere Deum usitato more in scripturis significat seruire Deo, seu colere Deum: sed tamen emphasis est in uocabulo seu uerbo timoris: monet enim in uero cultu esse uerum timorem, uerã pœnitentiam, in qua se fides & inuocatio exerunt.

Timere Deum usitata phrasi scripturæ quid significet

INTELLECTVS BONVS OMNIBVS FACIENTIBVS EA.

PHRASIS est Ebraica dissimilis nostræ consuetudini, non enim de intellectione loquitur, sed de doctrina seu uerbo Dei. Fiunt autem hæ sententiæ ita magis illustres, si fiat collatio. Illud est intellectus, id est, doctrina bona, salutaris, utilis, efficax &c. Opponit enim Psalmus hanc sententiam impijs iudicijs Epicureorum & Hypocritarum. Nam Epicurei derident uerbum Dei tanquam anilem fabulam, tantũm abest, ut iudicent esse salutare & efficax. Vident impios florere opibus, gloria & omnibus uitæ commodis: Ideo uerbum Dei de pœnis impiorum despiciunt securissimè, tanquam inanes nenias. Item uident populum, qui confitetur uerbum Dei maximis ærumnis cõflictari, imõ etiã habere infirmitates & scandala: Quare negant Deo magis curæ esse hunc populum, quàm alios: & doctrinam, quæ concionatur de præsentia Dei, de remissione peccatorum, de auxilio Dei, de consolatione spirituali, de uita æterna, tanquam stultissimas ineptias contemnunt & exibilant. Huic generi

Intellectus Phrasi Ebræa doctrinam significat. Intellectus bonus opponitur iudicijs Epicureorum & Hypocritarũ.

hominum uerbum Dei non est bonus intellectus, id est, non iudicatur esse grata doctrina & salutaris: nullam eis adfert consolationem.

Hypocritæ. Multò minus grata est hæc doctrina Hypocritis, quales sunt Pharisæi aut similes, qui oderunt ueram doctrinam tanquam Blasphemam & seditiosam: sicut nunc, quia reprehenduntur impij cultus, uociferantur aduersarij, lædi gloriam Dei, tolli cultus Dei, dilacerari Ecclesiam, moueri seditiones. His, ut Paulus ait, habentibus spiritum compunctionis, id est, exacerbatis aduersus ueritatem, Euangelium nequaquam est bonus intellectus. Execrantur enim & oderunt id, tanquam pernicioſissimam pestem: & hoc odium incenditur ac alitur scandalis crucis.

Verbum Dei tantùm est gratum & salutare obdientibus Tantùm igitur est grata uox & dulcis doctrina facientibus, id est, obedientibus, sicut aliâs sæpè inquit Scriptura, Euangelium est odor uitæ, alijs ad uitam &c. Secunda Corinth. 2. Hi habent consolationem ex uerbo Dei, & expectant auxilium Dei & uitam æternam: & hac consolatione superant omnes ærumnas, sicut Christus inquit Lucæ 12. Noli timere pusille grex: Item Iohannis 14. Non relinquam uos orphanos: & Rom. 8. In his omnibus excellenter uincimus propter eum, qui dilexit nos.

Hanc concionem & similes complectitur hic Psalmus, cùm ait, Verbum Dei esse doctrinam gratam & salutarem. Continet igitur præceptum & promissionem: lubet populum Dei constanter retinere uerbum Dei: uetat eos deterreri iudicijs impiorum, scandalis, aut sæuitia mundi. Addit & promissionem, cùm testatur esse doctrinam non uanam, non inutilem, quasi dicat, In his adflictionibus etiam expectate consolationem & liberationem, quæ uobis in hoc uerbo promittitur: Hæc spes non erit irrita: Nam hæ cœlestes promissiones sunt firmæ & ratæ, modò uos eas fide retinete.

In hoc dicto Psalmi præceptum & promissio continentur.

Sic igitur accipiatur hic uersiculus, ut intelligamus nos confirmari in ueris certaminibus. In his experimur, quæ sit uis harum consolationum, cùm eas ad usum transferimus. Et in talibus exercitijs hæ sententiæ magis intelliguntur, & fiunt dulciores.

Postremò adijcit aliud Epiphonema.

LAVS EIVS MANET IN ÆTERNVM.

In Epiphonemate præceptum & promissio. HAEC conclusio continet etiam præceptum & promissionem. Iubet enim perseuerare in celebranda laude Dei, id est, in uera confessione & in uero cultu. Et quanquam mundus delere Euangelium conatur, tanquam blasphemiam Dei: tamen hæc promissio testatur, non posse Euangelium opprimi. Et quidem concionatur de perpetua gloria. His præceptis & consolationibus nos quoq; erudiamus, excitemus & confirmemus, ut & nos uerè agamus Deo gratias, & præstemus ei ueros cultus.

PSAL-

PSALMVS CXII.

I.

Beatus vir, qui timet DOMINVM, & mandatis eius valdè delectatur.

II.

Potens in terra erit semen eius, Generi rectorum benedicetur.

III.

Opes & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in æternum.

IIII.

Oritur in tenebris lumen rectis, à misericorde, miseratore, & iusto.

V.

Benè viro, qui miseretur & mutuò dat, & administrat negocia sua iustè:

VI.

Quia in æternum non commouebitur, In memoria æterna erit iustus.

VII.

A nuncio malo non timebit, Firmum est cor eius ad confitendum DOMINO.

VIII.

Erectum est cor eius, non metuet, donec gaudebit de inimicis suis.

IX.

Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet semper. Cornu eius exaltabitur in gloria.

X.

Impius videbit & irascetur, dentibus suis frendet & tabescet. Desiderium impiorum peribit.

ARGVMENTVM PSALMI CXII.

HIC Psalmus est ex eo genere, quod uocauimus νομικὸν, id est, doctrinam legis. Proponit enim præcepta de fide & bonis operibus, & addit promissiones. Nec est obscurus his, qui mediocriter in doctrina pia instituti sunt. Nam præcepta de operibus facilius intelliguntur, quàm Prophetiæ, aut reliquorum generum conciones. Est autem admodum dulcis Psalmus. Non enim concionatur Philosophico aut Pharisaico more de operibus, sine fide, sed nominatim requirit fidem. Præterea intertexit promissiones, in his proponit consolationes pijs, contra scandalum crucis. Multi fracti adflictionibus deficiunt à Deo, multi propter persecutionem fugiunt aut abijciunt Euangelium. Aduersus huiusmodi tentationes muniendi sunt animi talibus promissionibus, quales hîc traduntur, & est expectanda liberatio iuxta uoluntatem Dei, ut posteà dicam.

Psal. CXII. νομικὸς est continens doctrinam legis.

Sed quia Psalmus concionatur de bonis operibus, primùm hîc monendus est lector, de doctrina fidei, est etiam monendus quomodo placeant bona opera, cùm tamen legi nemo satisfaciat. Primùm ergo sciendum est, quòd gratis fide propter Christum consequamur remissionem, & reputemur iusti, non propter nostra opera, aut nostras uirtutes. Sine hac fide non placet obedientia. Ideo necesse est tenere hanc fidem, quæ apprehendit misericordiam Dei, &

Doctrinæ de bonis operibus includenda est doctrina fidei.

credit nobis gratis ignoſci, nos exaudiri, & ſeruari propter Chriſtum.

Cùm hac fide corda iam agnoſcunt Deum, ſequi etiam neceſſe eſt obedientiam, ſeu bona opera à Deo nobis mandata. Et hîc ſciendum eſt, hanc obedientiam placere, non propter propriam perfectionem, non propter dignitatem, ſed propter Chriſtum, quia ſumus reconciliati, & credimus nobis condonari infirmitatem noſtram. In hac fide uult nos Deus obedire. Et hîc amplitudo miſericordiæ maximè illuſtris eſt, quòd Deus hanc incoatam & contaminatam obedientiam approbat, & ornat ingentibus præmijs corporalibus & ſpiritualibus, & nos adiuuat dato Spiritu ſancto, ut creſcat in nobis hæc obedientia. Vtrumq; enim proponi conſcientijs debet, uidelicet, ut Timor exiſtat, ſciamus nos habere peccata, & opera non propter propriam dignitatem placere, deinde rurſus teneamus conſolationem, quòd requirat Deus obedientiam, & quòd illa placeat in reconciliatis propter Chriſtum.

Quatuor cauſæ, quæ inuitent ad benè operandum.

Et nos hæ cauſæ inuitent ad benè operandum.

I. Prima, Neceſſitas, quia Deus hanc poſtulat.

II. Secunda, quia fides exiſtere non poteſt, ubi nulla eſt pœnitentia.

III. Tertia, quia fides extinguitur, ſi non exerceatur, ſicut ſcriptum eſt, Spiritus concupiſcit aduerſus carnem. Nam ubi eſt uera agnitio miſericordiæ Dei, impellit, ut inuocemus, & obediamus, & gubernari nos petamus. Vbi deſinit inuocatio, quæ in operibus ſe exerit, extinguitur etiam fides.

IIII. Quartò, inuitent nos promiſſiones & comminationes, quia Deus promittit pro noſtra obedientia, incrementa ſpiritualium donorum in hac uita, item multa corporalia beneficia, Promittit & poſt hanc uitam præmia, ſicut ait Chriſtus, habenti dabitur. Item date & dabitur uobis, Item Paulus, pietas habet promiſſiones futuræ uitæ & huius uitæ. Sic Sareptana exercuit fidem, cùm primùm obtemperans uoci Prophetæ, daret ei, quod reliquum habebat cibi. In hoc opere lucet eius fides, Ideo creuit in ea fides, & Deus auxit eius ſpiritualia & corporalia bona. Rurſus ignaui puniuntur corporalibus pœnis, ſicut ait Paulus, Si nos ipſi iudicaremus, non iudicaremur à Domino. Imò irritant iram Dei, ut eripiat dona ſpiritualia, & puniat negligentes cæcitate, erroribus & horribilibus peccatis, ſicut apparet in Saul. Et ſcriptum eſt de talibus, fieri poſteriora deteriora prioribus. Hæ tantæ cauſæ exuſcitent nos ad benè operandum, ſicut & hic Pſalmus docet.

BEATVS QVI TIMET DOMINVM.

Timor conſuetudine ſermonis ſignificat totum cultum ſeu iuſticiam uniuerſalem & cur ita uocetur.

PRonunciat illum placere Deo, & conſequi bona à Deo, qui timet Dominum, id eſt, qui uerè eum colit. Nam conſuetudine ſermonis in ſacris literis Timor ſignificat totum cultum, ſeu, ut alioqui dicimus iuſticiam uniuerſalem, ſeu obedientiam. Et hæc ideo Timor uocatur, ut ſciamus ueros cultus eſſe, non externa opera, ſed interiores motus Timorem & fidem, quibus motibus uerè agnoſcimus iram & miſericordiam Dei, & ei obedimus. Eodem modo uniuerſam obedientiam ſignificat ſequens particula.

MANDATIS EIVS VALDE DELECTATVR.

Id eſt,

Id est, qui antefert mandata Dei omnibus cæteris rebus, & habet incoatam obedientiam in omnibus præceptis. Nam hæc delectatio significat interiorem & ueram obedientiam, quæ non potest existere sine pace conscientiæ, quam adfert fides. Quia corda sine fide aut sunt Epicurea, & prorsus negant Deum punire, & seruare, aut sunt oppressa terroribus, ac dubitant an Deus uelit ipsis ignoscere, negant se exaudiri, sicut Cain, Saul, Iudas & omnes impij perterrefacti cogitant. Tales non possunt Deum inuocare, non possunt interiores cultus præstare, sed sunt pleni indignatione aduersus Deum, odio, blasphemijs. In his erumpit abditum uicium naturæ, de quo dicit Paulus, Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum.

Delectatio significat interiorem & ueram obedientiam.

Sed postquam corda apprehendunt misericordiam, agnitione Christi & fide, agnoscunt præsentiam & bonitatem Dei, & iam pacem habent, non fugiunt Deum, sed incipiunt, inuocare, confiteri & glorificare Deum, & uerē diligere, & subijciunt se ei in omnibus operibus & adflictionibus, intuentes non præsentium ærumnarum molem, sed uoluntatem Dei & æterna bona.

De tali obedientia, sequente fidem loquitur, quoties delectationem in lege nominat, sicut & Paulus ait, delector lege Dei. Nec nos assuimus sine testimonio hanc admonitionē de fide, sed Euangeliū passim docet, primùm oportere nos fide reconciliari, sicut & Paulus inquit, Iustificati fide pacem habemus, &c. & accessum ad Deum, Et Psalmus expressē hîc nominat fidem, Firmum est cor eius ad confidendum Domino. Nec est amphibolia in nomine fidei. Vbiq; in descriptionibus piorum, significat fiduciam misericordiæ, qua statuunt pij Deum ipsis propicium esse, ipsos tueri & exaudire per misericordiam, propter promissionem, etiamsi nos simus indigni.

Fides ubiq; in descriptionib. piorum significat fiduciam misericordiæ.

Itaq; & hic Psalmus concionatur clarè de misericordia, cùm ait, à misericorde, miseratore, & iusto. Proinde etiamsi alij in alijs negocijs fidem exercent, tamen hæc fiducia misericordiæ semper præit ac prælucet, sicut ideo expectat Moises liberationem ad Mare rubrum, quia statuit se habere Deum propicium propter promissionem, Ezechias petit & expectat liberationem, ne ab Assyrijs deleatur Ierusalem, quia statuit se habere Deum propicium propter promissionem, Sic est idem obiectum principale fidei seu fiduciæ in omnibus pijs.

Psalmus clarè concionatur de misericordia.

Quare & hoc loco intelligatur fides sine amphibolia. Eritq; hic primus Versiculus, propositio generalis complectens summam doctrinæ pietatis. Beatus est, id est, placens Deo, & habiturus ingentia bona à Deo, qui timet Deum, & credit ei & incipit ei obedire iuxta uerbum propositum diuinitus. Nō enim ociosē hîc nominat mandata eius, sed disertē requirit cultum seu opera diuinitus mandata, & repudiat traditiones humanas.

Beatus iuxta hunc Psalmum quis sit.

Nec uolo prolixiorem interpretationem addere in hoc uersiculo, etsi cogitare debemus quām multa complectatur hic Versiculus, tantūm illud moneo, ut lector consideret summam quandam doctrinæ pietatis breuiter propositam esse, Hanc sequitur expolitio in sequentibus uersibus, & quædam opera nominatim recensentur.

POTENS IN TERRA ERIT SEMEN EIVS.

Cur promittantur bona corporalia, cum Ecclesiã constet oppressi ærumnis omnib. in hac uita.

ALiquæ promissiones hîc expressè loquuntur de præsentibus bonis in hac uita. Cùm autem constet Ecclesiam omnibus ærumnis opprimi in hac uita, sicut etiam hic Psalmus infrà docet, cur promittit bona corporalia? Ait enim nominatim, In terra potens fore semen iusti. Item, Opes & diuitiæ in domo eius.

Promissionib. corporalibus inuolutæ sunt æternæ.

Respondeo. Etsi sunt inuolutæ his promissionibus corporalibus etiam promissiones de uita æterna, tamen rectè intelliguntur etiam de præsenti uita nec tantùm transferri debent ad uitã futuram. Rectè .n. ualet consequentia, Deus in hac uita uult aliquam Ecclesiam & Ministerium uerbi sui existere, Ergo etiam in hac uita seruabit pios. Quanquam igitur sinit eos adfligi, tamen mirabili modo Ecclesiam inter tantas procellas seruat, & interea tyrannos persequentes Ecclesiam punit, & delet, Sicut Christus inquit, Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Item, recipiet centuplum in hac uita, sed cum tribulatione, & deinde uitam æternam.

Promissiones corporales dupliciter intelligi debent.

Proinde hæ promissiones dupliciter intelligi debent, Primùm de uita æterna. Cùm enim Deus promittat bona pijs, nec omnes consequantur ea in hac uita, imò præcipui minimè ea consequantur, ut Abel, Prophetæ, Apostoli, necesse est restare aliam uitam, in qua Deus haud dubiè glorificaturus est pios.

In corporalib. promissionib. semper simul intelligantur uera & æterna bona.

Quare primùm in talibus promissionibus intelligamus, inuolutam esse doctrinam de æterna uita. Et sciamus his promissionibus & expectatione futuræ liberationis præcipuè fidem & agnitionem Dei exercendam esse, quòd non his perituris & euanescentibus rebus, in hac uita tantùm, glorificaturus sit pios, sed durabilibus & æternis bonis, ut sine peccato, & sine morte ipsum agnoscamus & glorificemus.

Quantulum interesset inter pios & impios, etiam si in hac uita pij fruerentur summa tranquillitate, & haberent opes maximas & imperia? Hæc enim omnia tamen leuia sunt, & subitò euanescunt. Ideo pij semper in his promissionibus intelligant non tantùm præsentia bona, sed uera & durabilia bona, & gloriam, in qua sine peccato & sine morte, glorificabimus Deum.

Bona promissa non contingũt in hac uita, ergo restat alia.

Hæc rectè significârunt hæ promissiones, ut hæc consequentia docet, Deus promittit bona pijs, Et hæc non contingunt in præsenti uita, Ergo restat futura uita. Sic Abraham & alij Patres, audierant promissiones, & cùm differri eas uiderent, intelligebant Deum fide colendum esse, & expectandam glorioſam aliquam liberationem, etiamsi in hac uita non contingeret, Interea uerò obedientiam in adflictionibus præstandam esse. Ac uidebant in his ipsis adflictionibus Ecclesiam subiectam esse morti & alijs calamitatibus propter peccatum. Sentiebant etiam in consolationibus spiritualibus incoationem nouæ & æternæ uitæ, sicut ait Christus, Abraham uidit diem meum, & lætatus est. Et Dauid inquit de uita æterna. Psalm. 15. Caro mea requiescet in spe. Non relinques animam meam in inferno &c. Adimplebis me lætitia uultus tui. Norant igitur se liberandos esse à peccato & morte, & habituros nouam lucem & uitam æternam, & longè maiora bona, quàm mundana.

Hoc modo primùm admoneant nos hæ promissiones, de ueris & æternis bonis, ut fides excitetur, & expectet ueram liberationem, Nec tanquam

Saducæi

Sadducæi tantũm peritura & caduca bona proponi existimemus. Cogitemus etiam quare Ecclesiam oporteat subiectam esse adflictionibus, scilicet quia hæret in hac natura carnali peccatum, quod aboleri oportet.

Neq; tamen existimandum est, nihil pertinere has promissiones ad præsentem uitam. Nam, ut Paulus dicit, pietas habet promissionem præsentis & futuræ uitæ. Ideo hæc dicta etiam promittunt consolationem in præsentia. Quia enim uidet mundus adfligi pios, ideo existimat eos negligi à Deo, deficit à uerbo Dei, abijcit ueram doctrinam, quærit opes, & potentiam malis artibus.

Mundus propter calamitates iudicat pios esse à Deo abiectos.

Contra has mundi opiniones pij munire se debent his promissionibus, in quibus coniungere debent duas pugnantes sententias, quõd Ecclesia adfligatur, & tamen seruanda sit. Hæc pugnantia Deus mirabiliter conciliat, sicut testantur exempla Ecclesiæ omnium temporum. In Aegypto Israëlitæ erant oppressi horribilibus ærumnis, & tamen seruantur & liberantur corporaliter. Dauid diu patiebatur persecutionem, & tamen seruabatur. Ita sciamus Deum in hac uita pios, etiamsi adfliguntur, iuuare tamen, Sicut inquit Christus, recipiet centuplum in hac uita, sed cum tribulatione.

In promissionibus corporalibus coniungendæ sunt duæ pugnantes sententiæ, quod Ecclesiæ adfligatur & tamen seruetur.

Sic intelligantur hæ sententiæ. *POTENS IN TERRA ERIT SEMEN EIVS, GENERI RECTORVM BENEDICETVR*, Id est, etiamsi pij adfligentur, tamen non delebuntur, imõ eorum posteritas glorificabitur & cumulabitur omnibus bonis, Sicut posteritas Dauid mansit in possessione regni, posteritas Saulis est deleta.

Pij etsi affligẽtur, non tamen delebuntur.

OPES ET DIVITIÆ IN DOMO EIVS.

HAE promissiones necessariõ primũm complectuntur agnitionem DEI. Cùm enim non sint promissiones humanæ, sed diuinæ, necessariõ requirunt, primũm, ut agnoscamus Deum promittentem, quod cùm fit, intelligunt corda proponi non tantũm corporalia bona, sed potius ueram agnitionem Dei & æterna bona, ac liberationem à peccato, & à morte.

Promissiones corporales necessariò requirunt agnitionem Dei initio.

Neq; tamen excludenda sunt corporalia bona, quia etiam oportet in hac uita Ecclesiam conseruari, ideo etsi adfligitur, tamen non deletur, non prorsus extinguitur, sed Deus eam mirabiliter defendit, & suppeditat ei uitæ præsidia.

Ita de utroq; genere bonorum intelligitur Psalmus, sed ita ut adiungamus alias sententias de cruce, & sciamus quomodo hæ pugnantes sententiæ congruant, uidelicet, quõd quanquam Ecclesia sit subiecta adflictionibus, non tamen succumbat, oportet manere in hac uita, œconomias & politias, oportet uiuere parentes, ut educari & institui iuniores possint, oportet esse imperia, & defensionem. Et hæ res diuinitus ordinatæ sunt, quare à Deo seruantur ac defenduntur, ut Ecclesia non subitò funditus deleatur. Quare Deus iubet peti, & dat uitæ præsidia.

Propter Ecclesiam seruantur reliqua.

IVSTICIA EIVS MANET IN ÆTERNVM.

Et hoc dictum habet duplicem interpretationem, ac utraq; uera est. Prior est ciuilis, quam solam Iudæi retinent, q̃scilicet ueritas aliquandiu oppressa calumnijs, tandem emergat ac triumphet, sicut Ioseph, cùm falsõ accusatus esset, postea

Duplex interpretatio huius dicti, Ciuilis Iudæorum, de iudicio Dei quod declaratur in pijs in hac uita.

postea mirabiliter liberatus est. Porrō apud omnes gentes, omnibus ætatibus accidunt talia exempla, ut quanquam Socrates iniquo iudicio condemnatus est, tamen postea eius accusatores ciuitate pulsi sunt. Cicero per calumniam pulsus ciuitate, tamen postea reuocatus est.

Altera Ecclesiæ, de iudicio Dei perpetuo.

Sed Psalmus non tantùm loquitur de hoc iudicio ciuili, etsi id quoq; est opus Dei inter homines, sed concionatur de iudicio Dei perpetuo, & uerè nō inani fama glorificante pios. Quid enim prodesset Naboth per calumniam interfecto, si prorsus extinctus esset, quōd postea ueritas patefacta est.

Itaq; clarè in hoc dicto, est inuoluta doctrina de uita æterna, *Iustícia pij* manet perpetuò, id est, Causa iusta ita glorificatur, ut perpetuō iustus etiam fruatur illa gloria, non tantùm sequatur eum inanis fama, ac umbra gloriæ nihil ad eum pertinens.

ORITVR IN TENEBRIS LVMEN RECTIS.

In hoc dicto coniunguntur afflictio & consolatio. Tenebræ significant quascunque afflictiones. Lumen significat consolationem.

Hic uersus est interpretatio superiorum, manifestè enim iam coniungit adflictiones & consolationē, & testatur iustos exerceri adflictionibus, sed addit, habere eos consolationem ac liberationē. Nam tenebræ, usitata metaphora significant quascunq; adflictiones seu calamitates, lumen significat consolationem. Estq; sententia, Oritur in tenebris lumen rectis, id est, iusti habent consolationem & liberationē in adflictionib. nec deseruntur, sicut illi, qui sunt sine Deo, Quorum qualis sit perturbatio, ac desperatio, indicat historia Saul, qui in aduersis rebus nihil consilij aut spei habet, ideoq; propter animi confusionē magicas artes tentat. Sic omnes impij ad extremū, cùm sentiunt se desertos esse à Deo, quærunt præsidia qualiacunq; possunt, contra uoluntatem Dei, ut liberentur præsentibus malis.

Pij consequuntur consolationem duplicem spiritualem et corporalem.

Sed econtrà pij præstant Deo obedientiam, & ab ipso expectant consolationē, & hanc consequuntur duplicem, spiritualem & corporalem. Nam corda sustentantur uerbo Dei & Spiritu sancto, sicut Paulus inquit, Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Et Psal. 118. Memor esto uerbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti. Hæc est consolatio mea in adflictione, quia eloquiū tuum uiuificauit me. Accedit etiam sæpē iuxta Dei consiliū externa liberatio, sicut ait textus. Ero murus igneus in circuitu eorū. Et omnes sancti, multas corporales liberationes experiūtur, sicut testantur exempla Abrahæ, Ioseph, Moisi, Dauid, Ezechiæ, & aliorum. Quia. n. Deus in hac uita uult etiam Ecclesiam conseruari, sæpè impertit corporalem liberationem, pro suo consilio. Sicut & in hoc Psalmo corporalia beneficia promittit, & alibi inquit de liberatione utriusq; generis: Multæ adflictiones iustorum, sed ex omnibus liberabit eos Dominus.

Multæ corporales liberationes sanctorū.

Est igitur, ut dixi, superiorum uersuum interpretatio in hoc uersiculo adiecta, Oritur in tenebris lumen rectis, quòd uidelicet iusti exerceantur adflictionibus, sed liberentur. Quare in superioribus promissionibus non excludantur adflictiones, sed promissiones de consolatione ac liberatione intelligantur, ut dictum est.

A MISERICORDE.

In particula à misericorde, expressa est doctrina fidei.

Hæc particula est præcipua Psalmi concio, & propriē est Euangelica. Hîc clarē docet de doctrina fidei, & de uera spirituali consolatione, & iusticia, Iubet, ut agnoscamus, Deum esse misericordem, miseratorem & iustum.

An nō etiam gentes ita sentiunt de Deo? Sæpē aliâs dictum est, quoties Psalmi concionantur de misericordia, intelligendam esse gratuitam misericordiam

cordiam, promissam propter hostiam Christum. Hanc agnitionem gratuitæ misericordiæ non habent gentes. Sed homo secundum rationem tantùm ex lege ratiocinatur, Deus est misericors iustis, ego sum iniustus, Ergo Deus non est misericors erga me.

Aduersus hanc legis opinionem concionatur promissio Euangelica, quòd Deus gratis ignoscat nobis, & nos recipiat propter Christum, Et quidem præcipit, ut huic promissioni credamus, ne Deum mendacij accusemus. *Euangelium interpretatur legem.*

Ideo & hic Psalmus hoc loco primùm requirit fidem, ut statuamus Deum uerè erga nos ipsos misericordem esse, & nobis ignoscere, nos recipere in gratiam, & nos uelle saluare. Hæc fides est principalis cultus.

Deinde hæc fides, seu agnitio Dei, est uberrima consolatio, etiamsi liberatio corporalis differtur, imò in media morte, quia hæc fides est incoatio nouæ lucis & iusticiæ in cordibus, & liberat à peccato & à morte, sicut ait Paulus, Gratia Deo, qui dedit nobis uictoriam per Iesum Christum, sicut scriptũ est, O mors ero mors tua. *Fides uberrimam affert consolationem cùm liberatio differtur.*

MISERATORE ET IVSTO.

NON est opus subtiliter discernere hæc duo, misericors & miserator. Nam utraq; uox significat, gratis ignoscentem, recipientem in gratiam, iuuantem, & saluantem. Sed illud opus est in his concionibus de misericordia, admoneri lectorem, ut principaliter intelligat inclusas esse promissiones de remissione peccatorum, & reconciliatione, Item, ut diserte complectatur exclusiuam, quòd uidelicet gratis donentur propter Christum, remissio peccatorum, & hæreditas uitæ æternæ. Nam hæc dicta oriuntur ex promissionibus de Christo, quæ sunt reuelatæ Patribus & ipsi Dauidi. Nihil enim possent affirmare conscientiæ, de misericordia, si non haberent expressum testimonium ac uerbum. Nec fides posset existere, nisi gratuita misericordia intelligeretur, ut dictum est. *In concionibus de misericordia requiritur fides & proponitur misericordia gratuita.*

Hæc necesse est moneri lectorem, & longior explicatio petenda est ex nouo testamento, ubi locus de iustificatione prolixè tractatur, modò ut hæc regula semper sit in conspectu, in his concionibus de misericordia, requiri fidem, & proponi gratuitam misericordiam, id est, remissionem peccatorum & reconciliationem promissam propter Christum.

Sed additur particula, quòd DEVS SIT IVSTVS, Hanc appellationem intelligo legaliter, quòd Deus sit iustus, id est, benefaciens pijs, & puniens impios. Et hæc agnitio iusticiæ comitatur apprehensionem misericordiæ, postquam enim reconciliati agnoscimus, quomodo recipiat & iustificet indignos, postea agnoscimus eum credentibus, quos recepit, tametsi adhuc sunt infirmi, tamen præstare ingentia beneficia, imò etiam uitam æternam: Et econtrà agnoscimus eum horribiliter irasci non credentibus, Epicureis & hypocritis. *Deus iustus in hoc Psalmi loco intelligendum est legaliter.*

Et sicut non incoatur lex, nisi post agnitionem gratiæ, ita non tribuitur Deo laus iusticiæ, nisi post agnitionem illius gratiæ seu misericordiæ. Et sola uera Ecclesia tribuit Deo laudem iusticiæ. Nam cùm uident impij genus humanum oppressum esse calamitatibus, nec uident causam, scilicet, peccatum, Deinde etiam uident bonis malè, & malis benè esse, alij, uidelicet Epicurei, cogitant hæc omnia casu, sine ulla gubernatione Dei accidere, negant *Non tribuitur Deo laus iusticiæ nisi post agnitionem misericordiæ. Iudicium mundi de Deo quale.*

gant Deo curæ esse res humanas, imò prorsus immerguntur tenebris, ac negant tandem esse Deum. Alij sentientes iram Dei, ut Saul, fremunt aduersus iudicium Dei, cogitant crudeliter totum genus humanum tantis ærumnis opprimi, & præsertim uidetur iniustum, quòd bonis indigna patienda sunt.

Sola Ecclesia tribuit Deo laudem iustitiæ.

Tale est iudicium mundi de Deo. Quare non sine graui causa hanc laudem Dei addidit Propheta, ut ostendat, quòd sola Ecclesia sic apprehendat & agnoscat Deum, quòd sit misericors, miserator & iustus. Nam credentes uident causam, quare mundus sit oneratus tantis ærumnis, scilicet, propter peccatum, Intelligunt etiam sanctos oportere adfligi, ut reliquiæ peccati mortificentur.

Et utraq; doctrina opus est Ecclesiæ, uidelicet, ut teneat Deum gratis misereri propter Christum, & iustum esse, id est, credentibus benefacere, & impios punire. Nam cùm ita agnoscimus utrumq; opus Dei, uerè concipiunt corda fidem, & timorem. Ideoq; Psalmus utrunq; proponit, ut hac concione fides & timor in nobis exuscitentur. Meminerimus ergo hunc uersiculum in hoc Psalmo principalem doctrinam continere, fidei & timoris, seu Euangelij & Legis.

BENE VIRO QVI MISERETVR ET MVTVO DAT.

De officijs erga proximum

HActenus principalis doctrina de timore, & fide tradita est, sunt etiam additæ promissiones, nunc addit ueros cultus alios, uidelicet officia, quæ erga proximum præstanda sunt. Sicut & Paulus inquit: In Christo Iesu, nec circumcisio aliquid ualet, nec præputium, sed fides quæ est per dilectionem efficax.

Officia dilectionis anteferenda esse ceremonijs.

Ac primùm, quia Psalmus nullam mentionem facit ceremoniarum, & prædicat officia dilectionis, satis significat, opera dilectionis anteferenda esse ceremonijs. Sicut igitur alibi Prophetæ errorem hypocritarum taxant, qui negligebant opera dilectionis, & interea cumulabant ceremonias, & putabant se iustos esse his operibus, ita hoc loco illa falsa persuasio reprehenditur, anteferuntur enim moralia opera. Extant conciones in hanc sententiam multæ Esaiæ 1. Item 58. Frange esurienti panem &c. Oseæ 6. Misericordiam uolui, non sacrificium. Micheæ 6. Indicabo tibi quid sit bonum, facere iudicium & diligere misericordiam. Zachariæ 7. Iudicium uerum iudicate, & misericordiam facite.

In doctrina operum addenda semper doctrina de fide.

Secundò, in doctrina operum necesse est semper addi doctrinam de fide, quia Lex sine Christo non prodest. Et patres sciebant non satisfieri legi, nec placere opera, nisi quia recepti essent per misericordiam, propter promissiones. Ideo in hoc Psalmo interspersæ sunt sententiæ de misericordia & de fide.

Sic igitur intelligatur hæc concio, Beatus, qui uerè credit sibi Deum propiciũ esse propter Christum, & hac fide agnoscens eius misericordiam incipit ei obedire, & propter ipsius gloriam obtemperat, & credit ei placere hanc obedientiam, nõ quia sit perfecta, sed quia sumus recepti per misericordiam, propter mediatorem & pontificem nobis ab ipso donatum. Hæc doctrina iterum hîc repetenda est, in concione de bonis operibus.

Ac prodest ad consolandas pias mentes, & adhortandas ad benẽ operandum, ostendere, & quod Deus requirat obedientiam, & quomodo approbet

probet. Fitq; ita maximē illustris bonitas Dei, cùm audimus, tantam esse amplitudinem misericordiæ, ut in credentibus hanc imperfectam & contaminatam obedientiam approbet, & ornet præmijs, perinde ac si legi satisfieret.

Hæc etsi suprà aliquoties dicta sunt, breuiter tamen hoc in loco de operibus repetiui, ut imperiti respondere possint, si huiusmodi dicta contra doctrinam de fide detorqueantur. Non enim ualet argumentum, si quis obijciat, Beatus qui mutuò dat, Ergo propter opera saluamur. Nam antecedens debet intelligi de credente: Beatus, qui credit in Christum, & hac fide agnoscens misericordiam Dei, incipit obedire. Cùm autem prius requiritur fides, excluditur dignitas nostra, & significatur, quòd fide propter Christum gratis accipiamus remissionem peccatorum, & fiamus hæredes Dei. Et tamen necesse est, sequi incoatam obedientiam. Ideò enim reconciliamur, ut uitam nouam & æternam consequamur, quæ est ipsa noua obedientia. Et propterea donatur nobis Spiritus sanctus, ut illa noua uita in nobis incoëtur.

Quomodo respondendum sit dictis, quæ contra doctrinam de fide detorquentur.

Fides præcedēs opera excludit dignitatem nostram.

QVI MISERETVR.

SPiritualis obedientia est, non tantùm externa opera ac disciplinam præstare, sed habere interiores motus bonos conuenientes legi Dei. Ideò Propheta primùm de interiori motu concionatur, qui non est in impijs, aut longè dissimilis misericordiæ piorum.

Spiritualis obedientia qualis sit.

Differunt enim motus illi tripliciter, Primùm fine, ut Augustus, etsi est moderatus, tamen non afficitur misericordia, ut Deo obediat, & Deum glorificet.

Motus interiores seu obedientia piorum ab alijs tripliciter differūt. Primum fine.

Secundò obiectis, quia impiorum misericordia angustior est, quàm piorum, tantùm erga illos exerit se quos carnali modo diligunt. Vt Saul est misericors erga suos, quibus benè uult. Interea impij sunt crudelissimi erga uerè afflictos & calamitosos, quos Deus præcipuè uult respici, sicut hypocritæ immanem sæuitiam exercuerunt erga Ecclesiam, erga Prophetas, Apostolos & omnes profitentes Euangelium.

Secundo obiectis.

Ea acerbitas odij iam quoque apparet in aduersarijs Euangelij, quorum multi etiam in speciem honesti uiri, tamen ita ardent odio aduersus pios, ut optent omni genere crudelitatis affici & necari omnes à quibus dissentiunt. Non potest igitur in impijs misericordia esse debita, quam Deus requirit, quia non omnia obiecta complectitur, quæ debet complecti.

Ac Psalmus præcipuè intuetur illud primum & summum opus dilectionis, scilicet misericordiam erga Ecclesiam. Arguit & taxat infinitam duritiem maximæ partis hominum, quæ nihil afficitur calamitatibus Ecclesiæ. Accusat Tyrannos & Hypocritas, qui prætextu iusticiæ, aut defendendæ pacis, omne genus crudelitatis exercent, sicut & alio loco de misericordia erga Ecclesiam concionatur: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.

Cùm igitur hîc requirit misericordiam, intelligamus eā requiri, quæ obiecta debita, iuxta mandatum Dei complectitur. Talis misericordia admodum rara est, sed tantùm in his est, in quibus est uera agnitio Dei.

Misericordia piorum complectitur obiecta debita iuxta mandatum Dei.

Tertia differentia est in modo operis. Cum misericordia piorum est coniuncta fides, scilicet, quæ credit, non solùm nos placere Deo, sed etiam ipsi curæ esse totam uitam nostram, suppeditari nobis ab ipso necessariam defensionem & uictum, & quia postulat ut nos iuuemus alios, ac promisit præmia, pij pro-

Tertio differunt modo operis.

pter Deum præstant beneficia, & uicissim fide expectant auxilium Dei.

Hic modus operis non est in Augusto. Etsi enim est misericors, tamen non credit suam totam uitam curæ esse Deo, nec pro clementer factis expectat uicissim auxilium Dei, sed benefacit sine respectu Dei, impulsus quodam naturali dono, uel metuens ne ā ciuibus propter sçuitiam excutiatur, sicut norat exempla Tyrannorum, qui ab honestis ciuibus fuerant oppressi.

In beneficijs piorum lucet fides intuens Deum.

Econtrā uerō lucet in beneficijs piorum fides intuens Deum, qua propter Deum præstant beneficia, & expectant uicissim auxilium, & sentiunt suam totam uitam Deo curæ esse. Sic Dauid ignoscit ciuibus post seditionem, quia scit Deo placere hanc moderationem in uictoria, & se defendi diuinitus. Sareptana mulier quidquid habet cibi dat Prophetæ, & credit fore, ut diuinitus offeratur aliquid, unde se & filium sustentet.

In his exemplis cerni potest differentia etiam in modo operis. Et hæc descriptio ostendit, quomodo liberalitati piorum sit coniuncta fides, de quo loco, postea iterum erit dicendum. Nam cùm dicitur, his operibus fidem exercendam esse, postulatur non modō, ut fiant opera, sed ut talia opera fiant, in quibus fides luceat & exuscitetur, uidelicet quōd hic cultus Deo sit præstandus, quōd placeat Deo propter Christum, quōd Deus curet totam uitam nostram, & propter hos cultus uicissim in nostris periculis nobis opitulaturus sit.

Diffidentia deterret ab eleemosynis.

Si hæc fides esset in multis, multō essent largiores Eleemosynæ. Nam diffidentia deterret ab his operibus, quia homines cogitant se negligi ā Deo, & somniant Deum non curaturum esse ipsis necessarium uictum, ideō rapiunt undecunq;, & parto incubant, ne quid pereat.

Hactenus dixi de prima particula uersus, Beatus qui miseretur. Estque diligenter obseruandum discrimen misericordiæ piorum & impiorum, ut sciamus qualem misericordiam flagitet. Certum est enim Psalmum concionari de illa misericordia, quam Deus præcipit, quæ propter Deum præstatur & in agnitione Dei & uera fide exercetur. Talis misericordia est cultus spiritualis, qui fit impellente Spiritu sancto, nec est tantum ciuile officium. Ita iudicandum erit & de sequentibus operibus.

Misericordia piorum est cultus spiritualis.

ET MVTVO DAT.

Qualis præcipiatur mutuatio & cur mutuationis præcipuè fiat mentio.

MIretur aliquis nominatim præcipi de mutuatione, cùm uideatur esse tantùm ciuile officium, & quod facilē præstant etiam impij. Ad hoc respondeo sicut suprā, Mutuatio præcipitur hîc talis, qualem flagitat Deus, scilicet quæ fiat propter Deum, & in fide, & liberaliter, sine captatione & sine fœnore.

Mutuatio piorum & impiorū differt tripliciter.

Differunt enim mutuatio piorum & impiorum, sicut & cætera huius generis officia. Pij dant mutuō, propter Deum, quia sciunt requiri hoc opus ā Deo, tanquam necessarium cultum. Secundò addunt fidem, credunt Deo id opus placere, & se habere Deum propicium & defensorem, ac Deum uicissim ipsis suppeditaturum esse necessaria bona. Tertiò obiecta complectuntur ā Deo proposita, dant mutuò uerē egentibus pijs, & non exercent quæstum pactione usurarum. Propter has tres circumstantias Mutuatio fit spirituale opus & cultus Dei, sicut supra de misericordia dictum est.

Deus approbat contractus qui rectè facti, sunt cultus Dei

Deinde continet hic locus etiam utilem doctrinam, de cōtractibus, quod Deus approbet contractus, quia hîc & præcipit & ornat promissionibus. Item quōd officia contractuum rectē facta, sint cultus Dei. Discamus igitur non tantùm

tantùm propter utilitatem corporalem contractus exercendos esse, sed addamus & hunc finem, ut per eos Deo seruiamus.

Porrò ut de mutuatione præcipit, ita intelligamus præcipi etiam de alijs contractibus, in quibus opus est pauperibus alieno auxilio. Et uult Psalmus contractus iustè exerceri, sine fraudibus, ut cùm pauperi opus est frumento, dimes uendat, & sit contentus mediocri precio. Talis emtio laudatur Prouerb. 11. Abscondenti frumentum maledicetur, & benedictio uendenti frumentum. Fitq; hoc præceptum illustrius, cùm intelligimus sic requiri hæc officia, ut prohibeantur contraria peccata, uidelicet, auaricia, rapinæ, furta, fraudes, usuræ.

Vt de mutuatione sic de alijs contractib. præcipit Psalmus.

Harum pestium maior est uarietas, quàm ut hîc possint species enumerari. Sed tamen non est intempestiuum hîc de usuris dicere, præsertim cùm nunc sine modo crescant. Nec dubium est, quin sit graue peccatum, petere usuras, iuxta illa præcepta sæpè repetita, Psalmo 14. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.

Illa autem est magna quæstio, qui contractus sint usurarij. Trado igitur regulam in genere, Euangelium concedit nobis uti contractibus, sicut & hic Psalmus testatur, & quidem debemus eis uti, tanquam exercitijs dilectionis, in quibus Deo seruiamus.

Euangeliũ concedit uti contractibus.

Deinde & illud sciendum est. Iudicium de contractibus & de usuris, ut de alijs rebus politicis, petendum esse à Magistratu ciuili, hoc est, ab ipsis legibus rectè & sanè intellectis, & consentientibus cum ratione. Nam in politicis rebus debemus parêre iudicio ciuilis magistratus, si tamen non pugnet cum ratione honesta. Quare ijs contractibus, quos approbant leges, uti possumus. Ac diserte dico, de approbatis. Etsi enim alicubi permittunt usuras, non tamen approbant, quia Leges non possunt omnibus uicijs mederi.

Iudicium de contractibus et usuris petendũ est à legibus et Magistratu.

Præterea quæ sint usuræ propriè dictæ, etiam discendum est à Legibus. Prudenter enim iudicandum est, ne temerè contractus aliqui legitimi damnentur. Interdum enim indocti generaliter, omnes reditus seu census improbant tanquam usurarios. Ideò autem diligenter dijudicandi sunt contractus, ut legitimis utamur maiore pietate, & uerè ac seriò uitemus usuras. At hoc tempore impudenter petuntur, non solùm centesimæ, quæ etiam legibus ciuilibus prohibitæ sunt, sed etiam ducentesimæ, quarum petitionem ethnici seuerè puniebant. Nec leuiter peccant gubernatores rerumpublicarum, quòd talia furta tolerant, imò aliqui in societatem prædæ ueniunt, & sunt, ut ait Propheta, socij furum.

Quæ sint usuræ discendum est à legibus.

Dicam autem de quibusdam contractibus. Sæpè quæri solet, an contractus redemtionis sit licitus. Sunt autem tres formæ, Prima est cùm emitur certus fundus, pro iusto & usitato precio, sed cum pacto de reuendendo. Secunda forma est, cùm emitur reditus in fundo certo, cum pacto de reuendendo.

Tres sunt formæ contractus redemtionis.

Hæ duæ formæ sunt haud dubiè legitimi contractus, & non sunt usurarij, quia sunt ueræ & legitimæ ac non simulatæ emtiones. Continent enim substantialia emtionum, Mercem, precium iustum, & consensum. Nam merx est in priore casu ipse fundus, in posteriore casu merx est, ius illud in fundo constitutum, ut quotannis inde certi reditus soluantur. Id ius emi potest, ut si quis seruitutem, actum, aut iter in alieno fundo sibi emeret.

Primæ duæ formæ sunt contractus legitimi.

Nec pactum de reuendendo tollit naturam emtionis, quare & ueteres leges approbant talem contractum, ut testatur Lex, si fundum, in codice, de pactis inter emtorem & uenditorem. Debent autem Christiani, ut antea dictum est, legum iudicijs adsentiri de natura contractuum, præsertim cùm doctorum bonorum & prudentum iudicia congruunt.

Debet autem accedere hæc æqualitas, ut in alijs seruitutibus, si periret fundus, perijsset etiam iter in fundo: Sic reditus perijsse existimandus est, cùm fundus perijt. Et quamuis accedit oppignoratio aliorum bonorum, seu hypotheca, tamen non propterea uiciatur emtio. Quia oppignoratio non aduersatur naturæ emtionis. Ac de his duabus formis contractus, quas recensui, minus ambigitur. Nam si quis dextrè iudicabit, agnoscet uerè esse emtiones.

Tertia forma contractus redemtionis etiã probatur ab eruditis.

De Tertia forma plus est disputationum. Cùm emitur reditus non in fundo certo, sed in omnibus bonis alicuius, ut si quis emat reditum ab aliqua ciuitate, quæ promittit se, non ex fundo certo, sed ex omnibus bonis reipublicæ soluturam quotannis certam pecuniam, ut sępè reditus à ciuitatibus emuntur. Probatur ab eruditis & hæc emtio. Nam hîc quoq; sunt substantialia emtionis. Merx scilicet ius illud annui reditus capiendi. Item precium & consensus. Cumq; ius fundatum esse in aliquo corpore debeat, in hoc casu, ius fundatum est in uniuersis bonis, ut si in agro alicuius emta esset seruitus, iter aut actus.

Est igitur & in hoc casu uera emtio, sed illud uidendum est, ut uerè referatur contractus ad bona ipsa, non ad personas, hoc est, ut bona possint sustinere id onus, & cùm attenuata sustinere non poterunt, pro proportione de reditu partem remittas.

Quod tertia forma contractus sit emtio probatur ratione.

Quod autem hic tertius casus sit emtio, confirmat hæc ratio. Maximè proprium est emtioni, emtorem non habere ius repetendi precij. In hoc casu emtor prorsus amittit ius repetendi precij. Necesse est igitur uicissim aliquod ius tanquam Mercem in eum translatum esse. Nec potest hic contractus esse mutuatio, quia dans mutuò retinet ius repetendi mutui.

Quid mutuatio sit propriè & usura.

Hi contractus, quos iam recensui, sunt admodum usitati. Quare prodest eos, qui in Ecclesijs docent, admoneri quæ formæ probandæ sint. Et hæc exempla discrimen ostendunt inter emtiones, & mutuationes. Est enim mutuatio, cùm non emitur aliqua merx, sed pecunia sine merce transfertur, ut tantundem pecuniæ recipiatur. Hic contractus debet esse gratuitus, redditur enim tantundem. Quare si amplius daretur, iam fuerit inæqualitas, & lucraretur dans mutuò, cùm alter nihil reciperet. Tale lucrum in mutuo, quod petitur propter ipsam mutuationem suprà sortem, est propriè usura. Ideoq; usura exhaurit facultates alienas, quia is qui soluit usuram, nihil recipit. Non potest autem esse perpetua communicatio, ubi est inæqualitas, sed necesse est alterã partem exhauriri. Prohibet igitur Deus usuram, sicut furta aut rapinas, quia sicut hæc continent inæqualitatem, & exhauriunt alienas facultates, sic usura continet inæqualitatem, & est hirudo multò pernicioſior priuatarum, & publicarum facultatum, quàm cætera furta.

Hæc de usuris breuiter adieci, ut studioſi admoniti uno atq; altero exemplo eruditius discernere possint contractus, & sciant uerè damnandas esse usuras, & prohibendam rapacitatem fœneratorum, quæ hoc tempore crescit, & grassatur

graſſatur turpius & atrocius, quām apud ethnicos.

Pertinet autem ad officium eorum, qui in Eccleſia docent, ut hoc peccatum reprehendant & damnent, & hortentur magiſtratus ut legibus & pœnis hanc rapacitatem prohibeant, quam Deus & æternis ſupplicijs & interdum magnis calamitatibus in hac uita punit. Athenis & Romæ ſæpē magnitudo fœnoris & fœneratorum crudelitas, excitauit ſeditiones & ciuilia bella, quæ fuerunt pœnæ cùm aliorum uiciorum, tùm etiam rapacitatis & uſurarum.

Ad officium docentium in Eccleſia pertinet reprehendere uſuras.

Hîc etiam quæri ſolet, An peccent non dantes mutuò, cùm tamen uideatur eſſe officium indebitum. Reſpondeo, de his officijs indebitis, de mutatione, uenditione, item de eleemoſynis, tenenda eſt regula Pauli: Ne tibi ſit tribulatio, & aliorum alatur ignauia, aut luxus. Non peccat recuſans dare mutuò his, qui petunt extra neceſſitatem probabilem, ſicut plerique ad luxum & profuſiones petunt: Sed peccat recuſans dare mutuò his, qui petunt in neceſſitate, quæ habet probabilem cauſam.

De mutatione & alijs officijs indebitis tenenda eſt regula Pauli.

Idem ſentiendum eſt de uenditione, & de Eleemoſynis, ut ſi quis nolit mutuò dare honeſto patrifamilias uerē egenti, aut ſacerdoti inopi, ſi poſſit illos iuuare ſine ſuorum iniuria & egeſtate, Is haud dubiē peccat. Hæc regula traditur 1. Ioan. 2. Qui habet facultates, & non dat egenti, quomodo manet dilectio in eo?

Ac modum huius liberalitatis probabilem præſcribit Salomon, cùm ait, Fontes tui deriuentur foras, & tu Dominus eorum maneto, id eſt, Deus non tollit proprietates & dominia, non uult diſſipari hæreditates ſeu poſſeſſiones ſingulorum. Quia expedit reipub. ciues habere certos fundos. Sic igitur danda eſt eleemoſyna, ne excutiaris ex fundo, hoc eſt, ut princeps retineat ſuum principatum, ut paterfamilias retineat ſuos agros, ſuas ædes. Ideò inquit, Tu Dominus eorum maneto. Sed fontes, inquit, foras deriuentur, id eſt, De fructibus impertiendum eſt alijs. Ita iubet, nos retinere fontes, & tamen inde educere riuulos & egentibus impertire.

Modus liberalitatis præſcriptus à Salomone.

ADMINISTRAT NEGOCIA SVA IVSTĒ.

VSitata translatio inquit, diſponit ſermones ſuos in iudicio. Id Ebraica phraſi ſignificat idem, quod adminiſtrat negocia ſua iuſtē. Hæc interpretatio fortaſſe clarius reddit ſententiam, loquitur enim de omnibus actionibus in uita, tametſi ſi quis mauult anguſtius intelligere de doctrina, aut ſermonibus, ac retinere uerba uſitatæ translationis, non ualdē repugno. Sed poſtquam ſuprā de miſericordia & mutuatione præcepit, nunc adijcit generale præceptum, complectens omnes alias actiones, requirit in omnibus negocijs iuſticiam, ac prohibet fraudes & impoſturas.

Loquitur dictum Pſalmi de omnibus actionibus in uita.

Eamus igitur ordinē per decalogum. Præcipuē prohibet Sophiſticam, & deprauationem piæ doctrinæ. Nam id peccatum eſt maximē uulgare, & omnium nocentiſſimum. Et tamen fraudes in hoc genere difficilius deprehendi poſſunt. Imò illi, qui impiſſimē corrumpunt doctrinam, & ſunt defenſores impiarum opinionum & cultuum, ſæpē habent ſummam ſpeciem ſapientiæ & pietatis, ſicut olim pſeudoprophetæ, & nunc hypocritæ pontifices & monachi, qui aduerſantur Euangelio. Dixi ſuprā, hanc eſſe concionem de bonis operibus, obſeruandum eſt igitur, quæ opera requirat. Non tantùm flagitat honeſta officia, quæ gentes intelligunt, & præſtare poſſunt, ſed etiam maiora, quæ ad

Non rectè docentes, non rectè confitentes non adminiſtrant negocia ſua iuſtè.

cultum Dei pertinent, scilicet in confessione, & in docendo ueritatem ac libertatem, ne aut per sophisticam corrumpatur doctrina, aut dissimulatione obruatur ueritas, sicut alij tacendo produnt ueritatem, aut confirmant errores non ingenuè ac perspicuè refutando, alij simpliciter nouas & impias opiniones spargunt. Hos omnes damnat hic Psalmus, cùm ait: Beatos esse eos, qui iustè administrant sua negocia. Ergo peccant, qui non docent iustè, aut non iustè confitentur.

Multi hoc tempore occultant ueritatè, assentiuntur impietati in gratiam aliorum.

Plurimi hoc tempore contra conscientiam occultant ueritatem & adsentiuntur impietati & sæuitiæ tyrannorum. Et hæc dissimulatio iam sapientia quædam esse ducitur, cumq; tantùm moueantur gratia hominum, prætexunt publica pericula, dicunt ex mutationibus oriri seditiones & motus. Sed has dissimulationes Deus horribilibus supplicijs puniet, sicut inquit Christus, Matth. 10. Qui negabit me coram hominibus, negabo eum coram patre cœlesti, & Marci 8. Filius hominis confundet eum. Et Roman. 10. Confessio fit ad salutem. Quàm multi nunc intersunt pontificum, regum, & principum deliberationibus? qui contra conscientiam tacentes eorum impietatem, & crudelitatem confirmant, sicut adiuuabant condemnationem Naboth impij testes & iudices. Et Micheæ 7. Minatur Deus pœnam his adulatoribus, cùm ait: Princeps postulat, & iudex assentitur. Alij apertè oppugnant ueritatem contra conscientiam, de quibus dicit Christus: Qui dixerit blasphemiam in Spiritum sanctum, non remittetur ei. Nec est exiguus numerus talium, præsertim hoc tempore.

Hæc breuiter perstrinxi, ut lector admonitus cogitet, in hoc uersu Psalmi, multò plura & maiora opera requiri, quàm ciuilia officia. Necesse est enim à prima tabula ordiri. Nunc uenio ad secundam.

Non administrant negocia sua iustè principes, qui non rectè regunt, nec defendunt subditos, qui exercent iniustam sæuitiam, qui onerant eos iniustis expilationibus, qui infideliter exercent iudicia.

Alij quomodo non iustè administrent negocia sua.

Item alij, qui non fideliter obtemperant superioribus, non honestè regunt, nec instituunt familias, qui habent animos occupatos priuatis odijs, & propter illa turbant Ecclesiam & respublicas, qui polluunt se libidinibus, qui fraudes in contractibus struunt, qui in iudicijs sophisticam exercent.

Viciorum infinita uarietas

Et horum uiciorum infinita est uarietas. In alijs est manifestus furor, ut in Saule interficiente Sacerdotes, Aliâs hypocritæ flagitia arte tegunt, ut cùm Saul insidiatur uitæ Dauidis, promissa filia, si interficeret centum hostes. Et impij sapientiam esse ducunt, suas cupiditates arte explere, malas causas fucisquabuscunq; defendere, callidè inflectere hominum animos, falso prætextu incendere populos, connectere & dissociare uoluntates, arte tollere eos, qui uidentur posse nocere. Hæc & huiusmodi alia multa astutè facta, nunc laudem habent, sed prohibentur in hoc uersiculo, qui iubet negocia iustè administrari. Nam astutia pugnans cum Iustitia, non est sapientia, Scriptum est enim, sapientiæ initium timor Domini.

QVONIAM IN ÆTERNVM NON COMMOVEBITVR, IN MEMORIA ÆTERNA ERIT IVSTVS.

Repetitio promissionum in hoc uersu.

Vt suprà intertexuit præceptis promissiones, ita hîc repetit promissiones. Et est sententia, Iustus etiamsi affligetur aliquandiu, tamen tandem liberabitur

rabitur,& habebit uitam,tranquillitatem,& gloriam perpetuam. Est enim his dictis inuoluta doctrina de uita æterna, sicut suprà dictum est. Nam cùm manifestum sit, in hac uita iustos affligi, ac plerosq; etiam interfici, necesse est tamen,promissiones Dei ueras esse, quæ pollicentur pijs bona, & minantur impijs pœnas. Quare necesse est,restare aliam uitam,in qua Deus iudicaturus est, & puniet impios,& rursus glorificabit pios.

Est autem singularis emphasis in altero membro, *IN MEMORIA ÆTERNA ERIT IVSTVS*, id est, Etsi in tantis ærumnis iusti uersantur,ut Deus uideatur eorum oblitus,negligere,deserere, projcere eos,sicut de Christo dicunt, Si filius Dei es,descende de cruce, & Christus ipse clamitat, Deus meus quare reliquisti me? tamen hic Psalmus testatur, Deum non obliuisci piorum. *ERVNT IN MEMORIA ÆTERNA*, id est,Deus semper meminit eorum,nunquam obliuiscitur eorum, qui haud dubiè eos tandem liberabit ex ærumnis,sicut alibi scriptum est in Psalmo, Multæ afflictiones iustorum, sed ex omnibus illis liberabit eos dominus.

Deus semper meminit iustorum etsi affligantur.

Ac tum quoq;,cùm uidetur Deus negligere,& non adiuuare suos, tamen adest,& robur impertit,ne oppressi magnitudine calamitatum, aut diaboli furore,à Deo deficiant,sicut scriptum est: Non relinquam uos orphanos. Et Roman.8. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Et 2.Corinth. 4. Circumferimus thesaurum hunc in uasis fictilibus,ut sit excellentia uirtutis Dei,& non ex nobis,undiq; tribulamur,sed non opprimimur,angimur,sed non deficimus,patimur persecutionem,sed non deserimur,impellimur,sed nõ interficimur. Item cap. 12. Virtus mea in infirmitate perficitur. Et deinde, Cùm imbecillis sum, tunc sum potens. Et perspicua est hæc doctrina in Psalmo nonagesimo de custodia piorum in ipsa tentatione, Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Et Psalmo 117. Impulsus euersus sum ut caderem, & Dominus suscepit me. Item,castigans castigauit me Dominus,& morti non tradidit me. Esai. 40.Ne timeas,quia ego tecum sum.

Deus pijs oppressis adest, robur impertiens, ne succumbant.

Hæ sententiæ & similes debent nobis esse in conspectu,ut in medijs afflictionibus & certaminibus confirment fidem nostram, & nos ad inuocationem excitent. Meminerimus ergo,Deum non solùm exitus gubernare,sed etiam adesse in ipsis periculis, nosq; iuuare, sicut & sequens uersiculus huius Psalmi docet.

A NVNCIO MALO NON EXPAVESCIT. FIRMVM COR EIVS, CONFIDENS IN DOMINO.

Prior pars est promissio,altera pars est præceptum & doctrina de fide & quasi ratio seu ἀπολογία promissionum. Ideò defendetur ac liberabitur iustus, quia confidit domino. Est autem sententia prioris particulæ. A nuncio malo non expauescet, id est, cùm terribilia pericula offeruntur, non succumbet, non deficiet, non langueſcet, ac non modò liberationem expectabit, sed etiam in ipso agone adiuuabitur & erigetur. Sicut Moises cùm staret ad mare rubrum, uideretq; ingentem hostium exercitum à tergo instare, nec posset effugere, hinc mari, illinc montibus septus, In tanto periculo cùm populus expa-

Iustus non expauescet cum terribilia nunciantur.

uisset & penē abiecisset omnem spem salutis, Moises tamen retinet fidem, & consolatur eos, nec expauescit ā malo nuncio, nec formidat uenientem exercitum. Itaq; cūm fidem retineret, Deus etiam eum confirmat, & uiam patefacit per medium mare.

Etsi autem non sunt similes omnium tentationes, tamen oportet singulos paratos esse, ut fide excipiant terrores & pericula quæ ipsis obijciuntur, sicut Moises sua pericula excepit & uicit.

Iustus non expauescet quia confidit Domino.

Sequitur ἀλλολογία. Ideò non expauescit iustus, quia confidit domino. Hîc expressè concionatur de fide & de spe, Est autem hæc doctrina prorsus ignota humanæ rationi. Quia in animis omnium hominum, in hac infirmitate naturæ

In animis hominum hæret ingens dubitatio.

hæret ingens dubitatio de uoluntate Dei. Aut enim securi habent opiniones Epicureas, non statuunt Deo curæ esse res humanas, nec inuocantes à Deo respici, Sicut multæ in hanc sententiam dubitationes in poëmatis leguntur, qualis est apud Ouidium: Sollicitor nullos esse putare Deos. Alij uerò perterrefacti, qui sentiunt se diuinitus puniri, in pauoribus fremunt aduersus iudicium Dei, iudicant se abiectos esse, & horribiliter irascuntur Deo, non statuunt sibi ignosci, nec expectant auxilium ā Deo. Talis est caligo humanæ mentis, sicut Saul iudicabat se desertum & abiectum esse ā Deo, ac desperans auxilium, perijt.

Hypocritæ damnant doctrinā de fide quia non intelligunt nec experiuntur uim fidei.

Hæc exempla intelligi possunt, Econtrà uerò, quid sit fides, ratio sine uerbo Dei & spirituali lumine non intelligit. Ideò Hypocritæ damnant doctrinam de fide, quia non intelligunt, quid sit illa fides, quæ in ueris pauoribus inuocat Deum, expectat auxilium, & erigit ac consolatur animos, de qua concionantur Prophetæ & Apostoli.

Sic igitur docemus de hac fide. Non tantùm requiritur noticia legis seu historiæ de Christo. Et noticia legis non affert fidem, quia lex tradit promissiones conditionales, si satisfeceris legi, si eris sine peccato, Deus exaudiet te. Sic iudicant de uoluntate Dei Saul & alij perterrefacti, ignorantes Euangelium, Si esses iustus, si esses sine peccato, Deus exaudiret te. Nunc cùm sis obnoxius tot peccatis, frustra inuocas, frustra speras auxilium. Hæc uox est κατήγορος, ut uocat Paulus, in omnium animis, condemnans nos. Consulat enim suum quisque animum, quod si faciet, agnoscet hanc legis sententiam sibi adsiduē obstrepentem.

Quomodo uera fides existit in animis.

Quomodo igitur uera fides existit in animis? Cùm credimus propter Christum gratis remitti peccata, & nos placere Deo, & exaudiri, etiamsi sumus indigni. Hæc gratuita promissio reuelatur in Euangelio. Cùm igitur intuens cor in mediatorem, & Pontificem Christum, credit sibi ignosci propter illum, iuxta promissionem, & inuocat, petit, expectat auxilium ā Deo, nec sibi hanc fiduciam excuti sinit conspectu propriæ indignitatis, hæc fides uincit peccatum, & terrores mortis, & impetrat bona ā Deo, sicut inquit Christus, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.

Etsi pericula differunt tamen in omnium uocatione lucere debet fiducia misericordiæ.

Etsi autem differunt pericula cum quibus luctatur fides, alia sunt negocia Moisi, alia Gedeonis, alia Dauidis, alia Pauli, Tamen in omni inuocatione & omni exercitio fidei, lucere primùm hæc fides debet, quæ est fiducia misericordię, qua statuit cor, se habere remissionem peccatorum, & placere Deo propter Christum, gratis. Hac fide erecta mens inuocat Deum, petit & expectat

auxilium

auxilium in qualicunq; tentatione. Quanquam igitur negocia & pericula sunt dissimilia, tamen fides intuens Deum & apprehendens misericordiam, iuxta promissionem, est similis in omnibus pijs, in Abraham, Moise, Gedeone, Dauide, Ezechia, Paulo, & alijs. Talem fidem requirit & hic Psalmus, nisi enim talis fides sit in animis, uincit dubitatio, & indignatio aduersus Deum, in ueris agonibus ac periculis.

Discamus igitur, scripturam de simili fide concionari, quoties ueram fidem prædicat & requirit. Et repudiandæ sunt imaginationes profanæ, quæ aliud interpretantur fidem in Paulo, cùm de fide iustificante concionatur, aliud in Psalmis, aliud in Genesi, credidit Abraham Deo &c. Paulus enim hoc testimonium citans, ostendit se de simili fide loqui. Nec est obscura Pauli sententia. Etsi enim hanc quoq; corrumpunt aduersarij, tamen quid uelit, sanis & pijs minimè dubium est.

Imaginationes profanæ de fide repudiandæ sunt.

Vt igitur magis intelligi possit, dicta de fide in Paulo & reliquis scripturis rectè consentire, explicabo integrum locum de iustificatione, præsertim cū hunc sæpè in Ecclesijs repeti necesse sit.

Est igitur hæc eius loci summa. Christus complexus est summam Euangelij, cùm iubet prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo. Quare necesse est in ministerio Euangelij argui peccata hominum, sicut ait Christus, Spiritus S. arguet mundū de peccato. Et ad hanc rē ministerium Euangelij utitur uoce legis, quæ accusat omnes homines, & testatur reos esse iræ Dei, sicut Paulus inquit Rom. 3. Per legem cognitio peccati. Item Rom. 7. Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, non concupisces. Sed non tantùm argui peccata oportet, nec tantùm lex docenda est, sed necesse est addi Euangelium, de Christo & de remissione peccatorū, de iustificatione, & de donatione Spiritus sancti & uitæ æternæ.

Christus complexus est summam Euangelij prædicatione pœnitentiæ & remissionis peccatorum.

Sciant igitur perterrefactæ mentes, in Euangelio promitti remissionem peccatorum, iustificationem & donationem Spiritus sancti, propter Christum gratis, ijs qui credunt in Christum. Hac fide sciant se consequi remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ, & donationem Spiritus sancti, gratis propter Christum, qui pro nobis factus est uictima, & propiciator, ac sua morte peccatum sustulit, sicut Rom. 8. copiosè traditur.

Beneficia filij Dei promittitur in Euangelio gratis

Difficilè est autem conscientijs in uero pauore tantùm se hac consolatione sustentare, quòd fide gratis propter Christum contingant remissio & iustificatio, Ideò quærunt merita, & conantur operibus propijs mereri remissionem. Nam ratio humana non intelligit iusticiam fidei, sed intelligit suam iusticiam, seu operum doctrinam: Ideo conatur propijs operibus mereri remissionem & instituit uarios cultus, sicut ostendunt monachorum exempla. Sed Euangelium reuocat nos à nostris operibus, & mandat ut acquiescant conscientiæ in Christo solo, & propter hunc solum statuant nobis remitti peccata, nos reputari iustos coram Deo, seu acceptos esse & placere, tantùm propter hunc propiciatorem Christum, non propter ulla nostra opera.

Ratio humana iusticiam fidei non intelligit.

Et in uero certamine conscientia non disputat, An Deus sit misericors, an remittat peccataa: gnoscit enim Deum esse misericordem, & aliquos saluare, sed illud disputat, an indignis ignoscat, an nobis uelit esse propicius. Ideō sunt docendi pij, promissionem esse uniuersalem & gratuitam,

Conscientia in uero certamine disputat quibus ignoscat Deus,

Cùm

Quisq; se includat in promissionem uniuersalem.

Cùm igitur omnibus promittatur gratia, includat se quisq; in illam uniuersalem, ac sciat uerè se beneficia Christi consequi, si credat ea sibi contingere. Nec quærat extra uerbum de uoluntate Dei, sed statuat Deum ueracem esse, & uerè exhibere promissa. Sciat etiam gratuitam esse promissionem, ac exhiberi non propter dignitatem nostram, non propter merita nostra, opera, aut uirtutes, uerùm apprehendi fide necesse est.

Gratis & sola fide excludunt conditionem meriti.

Vt igitur in ueris pauoribus habeamus firmam consolationem, nec deterreamur conspectu indignitatis & magnitudine nostrorum peccatorum, tenenda est hæc exclusiua, quòd gratis contingant propter Christum remissio peccatorum & imputatio iusticiæ, modò ut fide apprehendamus. In hanc sententiam dicitur sola fide iusti, id est, accepti sumus. Excluditur enim conditio meriti, non hoc traditur, ne adsit contritio, ne sequantur bona opera, sed hoc significatur, non propter contritionem aut opera, aut uirtutes nostras dari remissionem, sed gratis propter Christum. Id confirmat Paulus clarè Rom. 3. Iustificamur gratis fide &c. Et cùm hac fide eriguntur animi, concipiunt Spiritum sanctum, ut ait Paulus ad Galatas, ut promissio spiritus detur per fidem.

Hæc est doctrina Pauli de iustificatione. Postea addenda est doctrina de bonis operibus, in quibus tamen lucere fides illa semper debet, quæ statuit certò nobis Deum propicium esse gratis propter Christum, & nos curare & exaudire. Sed de bonis operibus seu de noua obedientia postea dicam. Prius enim dicta de fide, quæ citat Paulus adijciam, ut appareat illa dicta congruere, & esse σύμφωνα.

Testimonia Pauli de fide iustificante.

Fides Abrahæ.

In Genesi dicitur, Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Non enim hoc uult, Abraham receptum esse, propter dignitatem uirtutum ipsius, sed cùm Abraham in illis pauoribus, qui describuntur in Genesi, agnosceret indignitatem suam, & erectus uoce Dei, qui ait, Noli timere, crederet & confideret se habere Deum propicium, & custodem, ac saluatorem propter ipsius misericordiam, & illud promissum semen, quo Deus instauraturus erat naturam humanam deleto peccato. Huc etiamsi accedant postea alia plura obiecta fidei, tamen primùm agnitio & fiducia misericordiæ, qua accipitur remissio peccatorum, præcedere debet. Ideò expectat beneficia cætera, posteritatem & defensionem, quia credit se habere remissionem peccatorum.

Fides in Dauide.

Sic de fide passim concionantur sententiæ in Prophetis & Apostolis. Dauid fide præstitit patientiam & expectauit defensionem, sed eò expectauit, quia primùm credebat, se per misericordiam Deo placere, propter promissum propiciatorem. Ex his exemplis cætera iudicari facilè possunt, & perspicuum est, Paulum rectè citare dicta de fide, nec ludere ambiguitate uocis.

Proinde & in hoc Psalmo, cùm ait, A nuncio malo non timebit. Firmum cor eius confidens Deo, ad eundem modum fides intelligatur, Primùm de fiducia misericordię, qua accipimus remissionem pecatorum, quæ cùm adest etiam expectat & petit auxilium, defensionem, & liberationem à Deo.

Ideò autem doctrina de hac fide, de qua concionantur Paulus & Dauid, obscura est, quia in hac corruptione naturæ hærent in omnium animis dubitatio de uoluntate DEI erga nos, Omnes in his tenebris humani generis naturali-

naturaliter aut dubitamus, an Deus ignouerit nobis, an exaudiat & curet nos aut iudicamus nos prorsus abiectos esse. Nec ratio intelligit hanc dubitationem esse peccatum. Ideò aduersarij nostri iubent dubitare, & negant dubitationem esse peccatum, & corrumpunt dicta Pauli de fide, contendunt fidem nihil significare, nisi noticiam historiæ, qualis est etiam in impijs & in Diabolo.

Hic iure deploranda est Ecclesiæ calamitas, quòd tantæ tenebræ doctrinam Ecclesiasticam obruerunt, ut quid significet uocabulum fidei, quærendum sit. Nec est leue certamen. Nam si uocabulum fidei rectè intelligerent aduersarij, facilè his dictis Pauli assentirētur, Iustificati fide pacem habemus, sed quia imaginantur fide tantùm significari noticiam historiæ, qualem constat esse etiam in impijs, adijciunt illa Pauli dicta, & cùm apertè Paulum damnare non audeant, deprauant & corrumpunt uniuersam eius disputationem. Alius fingit esse hyperbolen, alius synecdochen, quasi Paulus fucosis laudibus ornârit fidem, ut eò plures inuitaret ad professionem Christianam: deniq; detrahunt Paulo eruditionem, arbitrantur ambigue, impropriè & ineruditè locutum esse, ut solent indocti. Hanc cùm habeant opinionem de Paulo, ipsi postea affingunt ei nouas sententias.

Aduersarij deprauant doctrinā Pauli, quòd non intelligunt uocabulum fidei.

Neque ego miror, hæc ausos esse olim monachos, qui erant indocti, sed quod nunc ita de Paulo iudicat Sadoletus, qui uult uideri literatus, & non irreuerenter sentire de tanto Apostolo, cuius doctrinam non aliter ac uocem de cœlo sonantem audire debemus, illud uerò magnopere miror. Toties agit Triumphos & nos securissimè deridet, & non solùm condemnat insciticæ, sed prorsus sine sensu communi esse iudicat, quod Pauli dicta amplectimur, qui toties inculcat hanc sententiam, fide gratis iustificari homines.

Sadoleti in Paulum interpretationes.

Itaq; breuiter hîc de propria, uera & germana significatione uocabuli discendum est, ut nos contra cauillationes & Sophismata Hypocritarum muniamus.

De significato uocabuli fides.

Non ludit Paulus ambiguitate uocabuli, sed de re grauissima disputat, an simus iusti propter Legis impletionem, an uerò propter propiciatorē Christum. De hac tanta quæstione disputans, docet nos fiducia mediatoris Christi iustos reputari. Hanc fiduciam misericordiæ propter Christum promissæ, uocat fidem.

Neq; hîc excluditur noticia historiæ, sed historia refertur ad finalem causam, quæ & ipsa in symbolo ponitur, Credo remissionem peccatorum. Sic agnoscit fides Christum esse filium Dei, passum & resuscitatum propter hanc causam, ut nobis uerè donetur remissio peccatorum, ut efficiamur filij Dei, & hæredes uitæ æternæ. Sicut de noticia Christi & Esaias loquitur, cùm ait, Noticia eius iustificabit seruos meos multos. Hæc fides pugnat cum dubitatione ac diffidentia, erigit enim nos ut statuamus nobis ignosci, nos exaudiri à Deo,

Finalis causa noticiæ historiæ est articulus, Credo remissionem peccatorum.

Et quid sit hæc fides, pugnans cum dubitatione & diffidentia, maximè intelligi potest in ueris pauorib. conscientiæ, quales sunt in ijs, qui agunt pœnitentiam. Id certamen si quis animo intuebitur, facilè intelliget, & quid sit fides, & quòd ad consolandas perterrefactas mentes, opus sit hac Paulina doctrina de fide. Nam & Pauli conciones uocant nos ad pœnitentiam, & proponunt his, qui expauescunt ueram consolationem, quare in eo agone fit illustrior

Fides pugnans cum dubitatione qualis sit intelligitur in ueris pauoribus.

eius

eius doctrina. Itaq; qui repudiat has consolationes, satis significat se nimis ocioso & profano animo de fide cogitare.

Fides est fiducia misericordiæ.

Procul autem remoueri sophisticam à doctrina Ecclesiæ conuenit. Vocemus, ut dicitur, scapham, scapham, & simpliciter intelligamus uocabulum fidei, ut scriptura ueteris & noui Testamenti loquitur, uidelicet de fiducia misericordiæ, quam quidem norant & patres propter Christum promissam esse, & hac fide iusti & salui facti sunt non propter legem.

Testimonia de significato uocabuli fides, quod sit fiducia.

Quòd autem hæc sit uis uocabuli, teneamus firma argumenta.

I.

Rom: 4. conferuntur promissio et fides.

Manifestum est Paulum loqui de fide, quæ est assensus, quo assentimur promissioni. Ideò enim Rom. 4. confert promissionem & fidem, & ait promissionem futuram ociosam, si non accipiatur fide. Requirit igitur talem fidem, quæ assentiatur promissioni gratiæ. Hoc manifestum est, nec ulla cauillatione eludi potest. Sic docet ad Galatas 3. promissioni assentiendum esse, cùm ait. Vt promissio ex fide Iesu Christi detur credentibus. Porrò fides assentiens promissioni, est uerè fiducia misericordiæ, non tantùm noticia historiæ. Ergo certum est apud Paulum, fidem significare fiduciã misericordiæ propter Christum promissæ.

II.

Fides quæ repugnat dubitationi est fiducia.

Rom. 4. inquit, de promissione non dubitauit diffidentia, sed confirmatus est fide. Hîc constat eam fidem intelligendam esse, quæ nititur promissione & repugnat dubitationi. Hæc non tantùm est noticia historiæ, sed fiducia, quæ promissionem intuetur & accipit.

III.

Fiducia uocabulum ad Ebræos & Ephesios.

Constat Paulum loqui non de ociosa noticia, sed de consolatione erigente animos in pauoribus, sicut inquit Roman. 5. Iustificati fide pacem habemus. Item accessum habemus fide in gratiam hanc, id est, cum deterremur conspectu indignitatis nostræ, agnoscamus promissam misericordiam propter Christũ, & fiducia huius mediatoris accedamus. Sic declarat eandem sententiam ad Ebræos: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Et Ephesios 1. Per quem habemus fiduciam & accessum in fide.

IIII.

Verba Christi ad mulierẽ, fides tua saluam te fecit.

Sic Christus inquiens mulieri, fides tua saluam te fecit, certè non intelligit ociosam noticiam, sed fiduciam, qua mulier agnoscebat, hunc esse dominũ, & ab eo petebat ac seriò expectabat auxilium. Eadem est uis uocabuli in similibus locis.

V.

In Actis, fide purificans corda.

In Actis ait Petrus: Fide purificans corda eorum. Opponit autem in eo loco, fidem iusticiæ legis, quasi dicat, Cùm legi non possent satisfacere patres, fide iustificati sunt, credentes sibi ignosci propter promissum Messiam. Significat igitur fides & in eo loco fiduciam misericordiæ. Constat enim non purificari corda tali noticia, qualis est in impijs.

VI.

Fides pro fiducia in dictis de oratione.

In dictis de oratione manifestum est fide significari fiduciam misericordiæ, ut apud Iacobum, Si quis habet opus sapientia, petat in fide, non hæsitans.

Eadem

VII.

Eadem est significatio in ueteri Testamento. Credidit Abraham Deo, id est, Fiducia misericordiæ promissæ statuit se habere Deum propicium, & defensorem, & expectauit promissam posteritatem. *Veteris testamenti testimonia.*

Sic in concione Iosaphat 2. Paralip. 20. Credite Deo, & securi eritis: non tantùm noticia historiæ intelligitur, sed cùm exercitus staret in procinctu, habebat opus consolatione. Quare hortatur populum, ut petant & expectent auxilium à Deo. Hanc fiduciam petentem & expectantem auxilium intelligit, cùm ait, credite, & pollicetur Deum opitulaturum esse, petentibus et expectantibus auxilium.

Eadem est uis uocabuli in hoc dicto, Iustus fide sua uiuet. Iubet enim expectare Dominum si uideatur contari. Et quod inquit, Fide uiuet, intelligit fiduciam consolantem, scilicet, quæ sustentat animum agnitione misericordiæ promissæ, & expectat liberationem.

Ex his exemplis hactenus recitatis, si quis ea non deprauabit Sophisticè, satis perspicuum est, quid uocabulum fidei significet, & quòd non sint corrumpenda testimonia per amphibolias, quodq; Paulus propriè citauerit sententias ex ueteri Testamento.

Cæterùm illud tamen largior, interdum uocabulum fidei pro noticia tantùm usurpari, ut cùm Iacobus inquit, Dæmones credunt. Et cùm Paulus nominat analogiam fidei, intelligit doctrinam. Hęc uera sunt, & ex circumstantijs iudicari potest, ubi de doctrina propriè loquantur textus, ubi de promissione & de misericordia opponenda pauoribus nostris. *Vocabulum fides interdum pro noticia tantum usurpatur*

Plana & perspicua sunt, quæ tradimus, & præsertim si ad pœnitentiam referantur, à pijs facilè intelligi possunt. Quam enim potest inuenire firmam consolationem pia mens, si non uolet audire hanc doctrinam de fide, qua statuendum est certò nobis remitti peccata propter propiciatorem Christum, nosq; propter eum iustos reputari, respici, exaudiri & saluari. *Pij in uera pœnitentia usum huius doctrinæ intelligunt.*

Qualis cæcitas, quàm diabolicus furor est in aduersarijs, qui Aspidum more aures obturant, & ut hanc doctrinam aboleant, immanem crudelitatem exercent. Postea ut scripturas corrumpant, addunt alia sacrilegia, fingunt Sophisticas cauillationes ad eludendam simplicem & germanam interpretationem. Ac facilius est aliquantò pijs, confirmare animos contra sæuitiam, quàm muniri contra Sophisticen. Ideò studiosi ita se præparent, ut iudicare & refutare aduersariorum cauillationes possint.

Postquam doctrina de fide, de qua diximus, tradita est, etiam docendæ sunt Ecclesiæ de bonis operibus, seu de noua obedientia. Cùm enim in ueris pauoribus, fide, hoc est fiducia Christi eriguntur mentes, & concipiunt Spiritum sanctum, agnoscunt se esse curæ Deo, inuocant eum & incipiunt obedire. Hanc nouam & incoatam obedientiam esse necessariam manifestum est, quia ideò iustificamur, & peccatum ideò tollitur, ut uerè in nobis incoëtur noua & æterna uita, quæ est noua lux, & obedientia erga Deum. *Noua obedientia est necessaria.*

Sed tria præcipuè de obedientia, seu operibus quæri solent. Primùm quæ opera requirantur. Secundò, quomodo placeant, cùm maneat in nobis naturalis infirmitas, uidelicet concupiscentia, quæ est sua natura peccatum. Tertiò, de peccatis mortalibus. Ad has quæstiones breuiter respondebo. *Tria de noua obedientia quæruntur.*

Ad primam. Requiruntur opera, quæ Deus nobis præcepit, non requi-

Opera requiruntur quæ Deus præcepit.

runtur cultus excogitati humana autoritate. Hoc de operibus moneri pios necesse est, ne ipsi sibi fingant cultus, sicut procliues sunt humani animi ad opera electa nostro iudicio, & ἐθελοθρησκείας, Imò sciant pij etiam in operibus, conscientiam regendam esse uerbo Dei. Etsi enim mundus non intelligit, quantum peccatum sit, comminisci nouos cultus, tamen pij sciant non leue erratum esse, sed Idolatriæ speciem. Semper igitur tenenda est in conspectu hæc uox: Frustra colunt me mandatis hominum.

Decalogus continet summam bonorum operum quæ Deus præcipit.

Cæterùm summa bonorum operum, quæ Deus nobis præcipit, continetur in Decalogo dextrè intellecto, sicut eum Christus & Apostoli enarrant. Inde discamus non solùm externa honesta opera requiri, sed interiores bonos motus consentientes legi Dei, scilicet timorem Dei, fiduciam, inuocationem, patientiam, zelum ad glorificandum & ornandum nomen Dei, diligentiam in uitandis scandalis, obedientiam erga superiores, dilectionem proximi, castitatem, ueritatem. In his motibus debet crescere in nobis nouitas spiritualis, Sicut Paulus inquit 2. Cor. 5. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Cùm adhuc hæreat in nobis immundities quomodo placeamus Deo.

De secunda quæstione, non solùm docti in libris disputant, sed multò uehementior est agon in conscientijs, cùm cogitant se non placere Deo, cùm adhuc hæreat in nobis immundities naturalis.

Aliqui ex dubitatione fiunt Epicurei.

Ac alij hac dubitatione impelluntur, ut prorsus fiant Epicurei. Quia enim desperant uitam posse Deo placere, desinunt inuocare, & expectare quicquam à Deo, deniq; induunt contemtum Dei.

Aliqui ex dubitatione ruũt in desperationem.

Alij frementes ira & indignatione aduersus Deum, quam adfert desperatio, etiam pereunt. Ideò necesse est conscientias erudiri de hoc certamine, ne in hac impia diffidentia uiuant, neue etiam arrogantia & fiducia propriæ iusticiæ intumescant.

Quæ peccata reliqua sint in sanctis.

Primùm ergo sciant pij, concupiscentiam sua natura peccatum esse, quæ quidem manet in sanctis, & gignit impetus aduersus omnia præcepta Dei, uidelicet securitatem aduersus iudicium Dei, quærere humana præsidia contra uoluntatem Dei, diffidere Deo, non expectare à Deo auxilium, odia, flammas libidinum, & alia uicia. Iam cùm sit peccatum in sanctis, polluitur & retardatur noua obedientia, quæ tamen adhuc tantùm incoata est, ac legi nequaquam satisfacit.

Noua obedientia non placet propter suam dignitatem.

Primùm igitur agnoscere debemus, hanc nouam obedientiam, non propter suam dignitatem placere Deo, nec esse precium seu meritum uitæ æternæ, nec sanctos esse iustos, & acceptos ad uitam æternam propter hanc obedientiam. Quare inquit Propheta: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Hæc doctrina detrahit nobis arrogantiam & fiduciam nostræ iusticiæ, & horratur nos ad perpetuam pœnitentiam, agnitionem nostræ infirmitatis, & iræ Dei aduersus peccatum.

Deus uult agnosci infirmitatem quæ est in nobis.

Etsi autem homines extenuant hanc infirmitatem naturæ, quia ratio humana non uidet, quantum sit peccatum, nec uidet iram Dei: tamen pij sciant Deo displicere illam carnalem securitatem & hypocrisin, ac Deum postulare, ut agnoscamus infirmitatem, & expauescamus ac timeamus iram & iudicium Dei aduersus peccatum.

Ex agnitione infirmitatis crescit pœnitentia.

Ita maneat & crescat in nobis pœnitentia, sicut deplorat Paulus suam infirmitatem non leui querela, cùm ait: Miser ego homo, quis me liberabit à corpore

corpore huius mortis? His uerbis magni affectus & ueri pauores significantur: Sicut & Ezechias inquit, in uera pœnitentia agnoscens suam infirmitatem & iram Dei: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Et Daniel: Non in iustificationibus nostris inuocantes, sed in miserationibus tuis multis. Item, Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei. Et Psalmo 31. Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino. Hi loci omnes concionantur propriè sanctis, ne suam infirmitatem extenuent, ne securi contemnant iudicium Dei, ne confidant propria iusticia aut sapientia.

In ueris pauoribus doctrina de fide conscientiam liberat à dubitatione.

Sed in pauoribus addenda est etiam altera doctrina de fide, ne relinquantur conscientiæ in dubitatione, neue ruant in desperationem. Cùm adest pœnitentia, necesse est etiam consolationem tenere, uidelicet, quòd quanquām sit in nobis illa infirmitas, tamen uerè placeat Deo persona, propter mediatorem & pontificem Christum, & condonentur nobis reliquiæ peccati, ac placeat Deo incoata obedientia, propter Christum. Sicut Paulus inquit Rom. 8. Nulla nunc damnatio est his qui ambulant in Christo Iesu. Item, Non estis sub lege sed sub gratia. Et Petrus ait, offerte spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum, quasi dicat, non acceptas esse propter nostram dignitatem, aut perfectionem, sed propter pontificem Christum.

Consolatio quòd obedientia propter Christum placeat semperhabenda in conspectu.

Hæc consolatio habenda est in conspectu, ut nos excitet, ad agnoscendam & celebrandam amplitudinem misericordiæ Dei, quòd uidelicet hanc nouam obedientiam plenam infirmitatis, & contaminatam, tamen approbat, & ornat ingentibus præmijs corporalibus & spiritualibus, quasi legi satisfaceremus. Tali fide prædita materfamilias, cùm infantes curat, lauat, facit opera bona Deo placentia, & quæ scriptura uocat ueros cultus Dei. Sic alij in suis uocationibus.

Itaq; hæc amplitudo misericordiæ excitet nos ad benè operandū. Quia enim scimus Deum non solùm postulare hanc obedientiam, sed etiam propter Christum uerè approbare, & præmijs ornare, non abijciamus curam benè operandi, quasi Deus aut non requirat nostram obedientiam, aut quasi frustra certemus. Sicut caro desperatione quadam aut dubitatione fit segnior, & ob eam causam fit negligentior, quia existimat se frustra sumere laborem, tanquam ingratum Deo. Aduersus hanc occultam carnis dubitationem, & segniciem excitari nos oportet agnitione misericordiæ, ut dixi.

De discrimine peccati uenialis & mortalis.

Tertia quæstio est de discrimine peccati uenialis ac mortalis. Cùm enim dicitur, in sanctis esse, ac manere peccata, in hac mortali natura, discrimen addi necesse est, propter quæ peccata sancti amittant gratiam, Spiritum sanctum & fidem. Econtrà uerò quæ peccata hæreant ita in sanctis, ut tamen sancti simul retineant gratiam, Spiritum sanctum & fidem. Nec leues causæ sunt, cur hoc discrimen tradi oporteat. Nam imperiti absurdas opiniones fingunt de peccatis, si non admoneantur.

Paulus Rom. 8 facit gradus peccatorum.

Scriptura clarè discernit gradus peccatorum. Paulus .n. Rom. 8. inquit: Si secundum carnem uixeritis, moriemini, si uerò Spiritu actiones carnis mortificabitis, uiuetis. Clarè igitur fatetur, in sanctis esse actiones carnis uicioſas, quæ si mortificentur Spiritu, sancti uiuent, hoc est, si affectibus uicioſis repugnabunt, & coërcebunt eos ac uincent motibus spiritualibus, timore Dei, & fiducia Christi, non amittent sancti gratiam.

Econtrã diſertè dicit morituros eſſe, ſi uiuent ſecundum carnem, id eſt, ſi non repugnabunt uicioſis affectibus, ſed laxabunt eis frenum ac obedient eis. Hæc peccata cùm faciunt illi qui fuerant ſancti, amittunt gratiam, Spiritum ſanctum, & fidem, ſicut Dauid committens adulterium erat reus mortis æternæ, ſicut Propheta clarè teſtatur. Itaq; tũc ante pœnitentiam, non habebat Spiritum ſanctum & fidem.

Diſtinctio peccati uenialis & mortalis ſumta ex Paulo.

Hinc eſt nata diſtinctio de peccato ueniali & mortali, de qua ſæpè loquuntur etiam ueteres ſcriptores. Nam Nazianzenus diſcernit peccatum φονικὸν, ab illis quæ ita hærent in ſanctis, ut tamen maneant in gratia. Sed Thomas & eius generis ſcriptores nimiùm extenuauerunt peccata uenialia, & tantùm de actionibus loquuntur, non de horribili naturæ infirmitate.

Nec Hieronymus ſatis explicat rem in dialogo ubi quærit, An ſancti ſint ſine peccato, ſeu ἀναμάρτητοι. Quanquam enim affirmat ſanctos ſemper habere peccata, tamen hæc intelligit de actionibus, ut de iraſcendo, aut aliis ſubitis affectibus, Nec loquitur de uicioſa natura, non de illis abditis morbis, de dubitatione pugnante cum timore & Fide, de cœcitate, & ſecuritate carnali, de fiducia rerum præſentium contra uoluntatem Dei, deq; aliis ſimilibus uitiis.

In ſanctis manentcorruptio naturæ & uicioſi affectus.

Itaq; ut ſuprã dixi de peccatis, quæ hærent in ſanctis, ita hîc rurſus moneo, in ſanctis in hac uita manere corruptionem naturæ repugnantẽ legi Dei, & uicioſos affectus. Hæc ſunt in impiis mortalia peccata, & iram Dei ac pœnas æternas merentur, ſed piis condonantur, ſi tamen, ut ſuprã dictum, non contemnunt ſecuri iudicium Dei, nec ſunt ut Paulus ait, ἀπηλγηκότες, hoc eſt, ſine dolore & pauore, ſed uerẽ expaueſcunt, & non ſolũm uicioſos affectus, ſed etiam ipſam naturæ infirmitatem, agnoſcunt eſſe re ipſa peccata, ac rurſus in his paſuoribus erigunt ſe, & credunt ſibi hæc peccata condonari propter Chriſtum propiciatorem, & repugnant prauis motibus nec obtemperant. Sicut Ioſeph repugnabat libidini, expetitus à coniuge domini ſui. Ita ſunt delicta uenialia, id eſt, condonata in ſanctis, & manent ſimul Spiritus ſanctus & fides.

Sanctorũ peccata quando fiant mortalia & cur.

Sed mortalia fiunt, cùm uicioſis affectibus obtemperant contra conſcientiam. Ac dicuntur mortalia, quia propter hæc amittuntur Spiritus ſanctus & fides, & ruunt homines in æternam mortem, niſi poſtea rurſus agant pœnitentiam & conuertantur.

Teſtimonia de peccatis mortalibus.

De hoc genere inquit Paulus, Ad Galatas 5. Concupiſcentiam carnis ne perficite. Manifeſta ſunt opera carnis, Adulterium, ſcortatio &c. de quibus dico, ſicut & antea dixi, quòd, qui talia faciunt, regnum Dei non poſſidebunt.

Ad Epheſ. 5. Fornicator, impudicus &c. non habebit hæreditatem in regno Chriſti & Dei.

Ad Coloſ. 3. Mortificate membra ueſtra &c. Scortationem, impudicitiam, propter quæ uenit ira Dei ſuper inobedientes.

1. Ioan. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo eſt.

Ad Ebræ. 12. pacem ſectamini & ſanctificationem, id eſt, pudicitiam, ſine qua nemo uidebit dominum.

1. Timoth. 1. Finis mandati dilectio ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Hîc requirit conſcientiam bonam.

Et 2. Corinth. 1. Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.

Et

Et Ebræos 13. Confidimus, quia bonam conſcientiam habemus in omnibus rectè uolentes conuèrſari. Hîc aptè deſcribit, qualis ſit bona conſcientia, ſcilicet cùm uolumus rectè facere, nec ſcientes ruimus contra uoluntatem Dei.

Idem docet ſententia, Rom. 14. Omne quòd non eſt ex fide, peccatum eſt. Nam fides primùm ſtatuit perſonam Deo placere propter mediatorem Chriſtum, deinde & actiones, quæ teſtimonio Dei approbantur, quia fides nititur uerbo Dei.

Quando igitur uoluntas delectatur actionibus quas conſcientia ſcit damnatas eſſe uerbo Dei, non iam regitur mens uerbo Dei, ſed eſt excuſſa fides, & ſequitur contemtus Dei aut indignatio aduerſus Deum, quæ ſunt haud dubiè peccata, quæ ſi maneant, adferunt æternam mortem.

Voluntas deſinit regi uerbo Dei, cùm delectatur peccatis prohibitis à Deo.

Deniq; impoſſibile eſt, cum mala conſcientia ſimul exiſtere fidem, quę eſt fiducia, quòd Deo placeamus, quia mala conſcientia pronunciat nos damnatos eſſe uerbo Dei.

Non poſſint ſimul exiſtere fides & mala conſcientia.

Item fides credit remitti peccata, & ab eis liberari cupit, Ergo non poteſt ſimul mens delectari peccatis.

Hæc ſcire neceſſe eſt, & ut intelligatur natura fidei, & ne indulgeamus uitioſis affectibus contra conſcientiam. Et ut ſcriptura monet, ne deſimus gratiæ Dei, ne eam excutiamus, ne poſtea abijciamur, ac puniamur cœcitate, ac pereamus priuſquam iterum conuertamur, Sicut Eſau, & Saul non ſunt rurſus conuerſi.

Ideò iubet Paulus ut cum timore & tremore ſalutem noſtram operemur. Et Petrus ait, Facite firmam uocationem & electionem ueſtram, id eſt, ne abijcite gratiam, ne deficite, ſi quis autem lapſus eſt, hic audiat uocem Dei, quæ ad pœnitentiam hortatur, & expaueſcat metu iudicij Dei, ac redeat ad fidem. Fugienda eſt enim impietas Nouati, qui negat lapſis poſſe rurſus contingere remiſſionem.

ERECTVM EST COR EIVS, NON COMMOVEBITVR.

Repetit utramque ſententiam de fide, & de euentu, ac ſicut antea de fide concionatus eſt, ita rurſus ait: Erectum cor, ſcilicet fiducia miſericordiæ & præſentiæ Dei, qua credens ſtatuit ſe habere Deum propicium, ſe curæ eſſe Deo, reſpici, exaudiri, adiuuari, non periturum eſſe. Tale cor, expectans à Deo auxilium, defenſionem, liberationem, iuxta uoluntatem Dei, non ſuccumbet, non peribit.

Credens & expectans à Deo auxilium non ſuccumbet.

Et conuenit ſententia cum cæteris promiſſionibus de fide, ut Pſalmus 28. Vniuerſi qui te expectant Domine, non confundentur. Et Pſalmo 33. Guſtate & uidete, quoniam ſuauis eſt Dominus, Beatus qui ſperat in eo. Iuxtà eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. Item, 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te &c. Cùm his ſententijs congruit & dictum Pſalmi hoc loco. Suntq; tales ſententiæ diligenter inculcandæ animis, ut uerbo Dei conſolemur nos aduerſus ingentes procellas, quæ excutere nobis fidem & inuocationem in uero dolore conantur.

Ac præcipuè exercent animum hæ tres dubitationes. Prima, an ſit prouidentia, an Deus curet humana. Secunda, etiamſi curat, an nos reſpiciat, cùm propter peccata meriti ſimus iram & damnationem. Tertia, ſi ignoſcit, cur differt liberationem & auxilium, imò cur contraria eueniunt noſtræ petitioni?

Tres dubitationes præcipuè exercent animum.

Hæ tres dubitationes non sunt leues motus in animis, Nulla cogitari tam sæua tempestas potest, quæ conferri ad horum fluctuum impetus possit. Hîc necesse est uerbum Dei opponere, & furori diaboli conantis nos ā Deo auellere, & humanæ infirmitati.

Prima dubitatio est de prouidentia, An Deus curet res humanas.

Primùm enim, cùm ratio uidet potentiam impiorum in mundo, cùm uidet afflictiones & exitus tragicos piorum, obstupescit & incipit quærere, an Deus curet res humanas. Ideò plena sunt poëmata hac dubitatione, ut apud Virgilium:

An te genitor, cùm fulmina torques,
Nequicquam horremus?

Ac multò magis expressit hanc admirationem dubitantis & obstupescentis animi Euripides, cùm ait: Quid dices de Deo, cùm uideas iam huc, iam illuc ferri diuina, & euentus accidere incertos ac præter rationem.

Secunda dubitatio, An nos respiciat cùm simus polluti peccatis, durior est priore.

Nec putemus leuiter exerceri animos hac disputatione. Sed Secunda multò est durior. Dauid obiurgatus ā Nathan uerè sentit Deum curare res humanas, sed iam propter peccatum suum disputat, an Deus reiecerit ipsum, an rursus exauditurus sit eum.

Dubitatio altera maximè se exerit in ueris doloribus.

Horum terrorum magnitudinem ipse sæpè describit in Psalmis, ut: Non est pax ossibus meis ā facie peccatorum meorum, & Ezechias, Quasi Leo contriuit omnia ossa mea. Nec pauci succumbunt in hoc certamine, oppressi conspectu peccati & iræ Dei, sicut Saul, & alij innumerabiles. Aliâs autem magis sentitur hæc tentatio, aliâs minus: Sed tamen semper adest dubitatio in omnium animis, quæ se exerit maximè in ueris doloribus: Ibi cùm lex etiam accusat nos, confirmatur dubitatio, & deterret ā fide, & ā uera inuocatione.

Hæc peccata uocat Paulus, affectus peccatorum, qui per legem erant efficaces. Nam cùm lex accusat conscientiam, fugit Deum & fremit aduersus Deum: non audet petere & expectare gratiam & auxilium, ideò animus aut tacita quadam, aut manifesta desperatione quærit auxilia & præsidia contra uoluntatem Dei. Ex hoc fonte oriuntur hominibus multa ingentia mala.

Tertia tentatio cùm differtur liberatio & auxilium.

Tertiò etiam cùm aliqua consolatione se sustentat animus, & incipit sperare gratiam: tamen sæpè fit, ut mora & dilatio auxilij rursus excutiat consolationem & fidei initia, & adferat desperationem & indignationem, sicut describitur hæc tentatio Iob 30. Expectabam bona, & uenerunt mihi mala: expectabam lucem & uenerunt tenebræ. Hi motus in animis quanti sint, nemo potest uerbis eloqui, etsi describuntur aliquo modo in Prophetis, & significantur in communibus querelis omnium excellentium hominum. Sed Christianæ mentis est, horum certaminum non esse omnino rudem.

Aduersus hos ingentes motus una firma & efficax consolatio est pijs uerè agnoscere Christum, & sustentare se promissione Dei, & Christi uictoria. In hoc enim uerè se Deus manifestauit, & patefecit certam, ratam & immutabilem uoluntatem suam: & sicut Paulus inquit, in eo sunt propositi nobis omnes arcani thesauri sapientiæ. In hunc intueri animus debet.

Remedia primæ tentationis

Ita primæ tentationi occurrendum est, quia enim donauit nobis Deus filium,

lium, testatur se uerē respicere & curare nos. Quanta contumelia & blasphemia est, accusare Deum, quōd non curet homines? cùm tanto pignore testatus sit suam præsentiam, dato filio, addito uerbo confirmato tot miraculis &c.

Sed prima tentatio magis superatur, cùm eluctamur ex secunda: hîc opus est tenerē doctrinam Euangelij, quōd ob hanc ipsam causam Christus exhibitus & passus sit, ut Pater nobis remittat peccata, & exaudiat & saluet nos: Et quōd hic sit summus cultus Dei, hoc credere, quodq; uerē hæc contingant nobis non alibi Deum quærentibus, sed sustentantibus animos ipso uerbo Dei, & expectantibus auxilium ā Deo. Etiamsi incurrit in oculos magnitudo peccati & iræ Dei, tamen sciendum est, summam contumeliam futuram Christo, si eam uictimam non anteferamus peccato nostro, Exuberat enim gratia supra peccatum, Rom. 5. Deniq; uera Euangelij sententia de promissione gratuita & uniuersali, in his fluctibus portus esse debet: & in tali tentatione hæc ipsa Euangelij sententia fit nobis illustrior. *Secundæ tentationis remedia.*

Tertiæ tentationi etiam medetur agnitio Christi, cùm intelligimus iam Deum uelle exercere Ecclesiam afflictionibus, & ut Paulus ait, Oportere nos fieri similes imaginis filij Dei. Intelligenda est etiam potentia diaboli, qui grassatur in Ecclesia, sciendumq; quōd Christus uult suam potentiam in nostris certaminibus aduersus diabolum declarare, sicut inquit Ioannes, Christum in hoc apparuisse, ut destruat opera diaboli. *Tertiæ tentationis remedia*

Quamuis igitur subiecti sumus afflictionibus, quamuis differtur liberatio: tamen non deficiamus à Deo, non afficiamus eum contumelia, non accusemus eum mendacij, sed uerē statuamus nos ei curæ esse, uerē nobis propter CHRISTVM remitti peccata, uerē nos exaudiri, nosq; habituros esse auxilium & liberationem, iuxta ipsius consilium, etiamsi differtur liberatio: sicut Abel, Esaias, Ieremias, & Apostoli adhuc expectant suam glorificationem coram mundo, & tamen in hac uita sancti multi pro gloria Dei defenduntur & liberantur, sicut Noë, Abraham, Iacob, Ioseph, Moses, Dauid & alij innumerabiles seruati & defensi sunt. *Non deficiendum est à Deo propter dilationem auxilij.*

Ad hæc fidei exercitia accommodandus est & hic Psalmus, cùm ait, Erectum est cor eius, uidelicet tali fide, ut dictum est: quōd inter illos fluctus se sustentat promissione, inuocat Deum, & expectat auxilium, nec deserit Deus sic inuocantes, quemadmodum inquit Psalmo 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Ideò hîc addit, Non commouebitur, id est, non euertetur, non peribit.

DISPERSIT, DEDIT PAVPERIBVS, IVSTICIA EIVS MANET SEMPER.

Sicut suprā partim præcepta tradidit de timore Dei, fide, & ueris cultibus, partim intertexuit promissiones. Ita hîc repetit præceptum pertinens ad officia dilectionis erga proximum. Ac nominatim dicit de liberalitate seu Eleemosynis, & addit promissionem de defensione & præmijs. Ac quia sine *Præceptū pertinens ad officia dilectionis erga proximū*

mentione Ceremoniarum prædicat officia dilectionis, significat hæc opera esse cultus, quos Deus requirit, & anteferenda esse Ceremonijs. Et taxat falsam persuasionem hypocritarum, qui neglectis his operibus cumulant Ceremonias, & putant se illis operibus iustos esse.

Lex sine Christo non prodest, nec placent opera nisi fide id est, fiducia Christi.

Sed sicut suprà sæpè dictum est, in doctrina operum semper addendam esse doctrina de fide: Tenendum est enim, quòd lex sine Christo non prosit, nec placeant opera, nisi in his, qui fide statuunt sese receptos esse à Deo, propter Christum. Ita hîc, priusquam de hoc genere operum dicatur, monendus est lector, quòd hæc opera debeant fieri fide, idq; dupliciter intelligendum est. Primùm, ut statuamus nos fide gratis propter Christum iustos esse, id est, habere nos remissionem peccatorum & fieri hæredes uitæ æternæ, non propter nostram dignitatem aut benefacta.

Opera debere fieri fide, dupliciter est intelligendum.

Nam cùm in operibus requiritur fides, semper hoc intelligendum est, excludi nostram dignitatem, quia fides est hæc ipsa fiducia, quæ nititur misericordia, & statuit se gratis accipere remissionem peccatorum propter Christum. Etsi autem remissio peccatorum & acceptatio ad uitam æternam gratis contingunt, sine conditione nostræ dignitatis: tamen sciendum est, necessariò sequi debere nouam obedientiam, & quanquàm illa non satisfacit legi, sed est adhuc imperfecta & immunda, tamen in his (qui habent fidem) placet Deo propter Christum mediatorem & pontificem.

Etsi remissio peccatorũ datur gratis, tamen necessariò sequi debet noua obedientia, quæ placet propter Christum

Ita utrumq; complecti hac fide debemus: Credendum est, quòd simus iusti, hoc est, habentes remissionem peccatorum & accepti ad uitam æternam propter Christum gratis, & quòd sequens obedientia etiam placeat Deo propter Christum.

Opera fide referri debent ad filium Dei.

Secundò accedere debet & hoc, ut fide hæc opera referamus ad gloriam Dei: sciamus Deum uelle his operibus coli, & ea facienda esse propter Deum, ut ei præstemus obedientiam &c.

In operibus fides intueri debet promissiones.

Item in his operibus fides debet intueri promissiones: statuendum est, quòd simus curæ Deo, quòd uelit nobis benefacere, nos iuuare, & nobis dare præmia, iuxta promissiones. Hæc fides in bonis operibus lucere ac conspici debet: sic præstemus officia dilectionis, ut statuamus non solùm ea Deo placere, sed etiam totam uitam nostram ei curæ esse, Deum suppeditaturum nobis uictum necessarium, & defensionem, sicut in uidua Sareptana lucet & exerit se fides, cùm quicquid reliquum habet cibi, dat Prophetæ Eliæ, defraudans sese ac filium, & credit fore, ut sibi diuinitus alicunde suppeditetur, unde uiuat. Itaque quamuis periclitatur de uictu: tamen fide propter Deum præstat hoc officium Prophetæ, & à Deo expectat uictum & alia beneficia.

Hæc duo in genere tenenda sunt, cùm dicimus opera debere fieri in fide, & ut sciamus nos à Deo recipi propter Christum, ac propter eundem placere incoatam obedientiam, & ut fide propter Deum obtemperemus, ac intuentes in promissiones uicissim expectemus à Deo præmia, uictum scilicet & defensionem.

Nunc uenio ad textum: *DISPERSIT, DEDIT PAVPERIBVS.* Sicut suprà in genere dixit de bonis operibus piorum: ita hîc nominatim tradit præceptum de liberalitate seu beneficentia erga pauperes, h. e. de illis

De Liberalitate.

illis gratuitis officijs, quæ uocantur eleemosynæ. Estq; hæc una ex præcipuis uirtutibus, de qua sæpe præcipit scriptura, & habet ingentia præmia: sicut posthæc dicetur. Sed semper hoc meminerimus, tales sententias loqui de eleemosynis piorum, qui habent fidem, de qua dixit in precedente uersu: Firmum est cor eius ad confitendum Domino. Significat ergo se in præceptis de operibus requirere non tantum externa opera, seu simulationem beneficentiæ, qualis etiam est in impijs, sed ueros motus cordis consentientes legi Dei, seu spirituale obedientiam, quæ fit ex fide, uidelicet, ut faciamus hæc opera propter Deum, ut eum glorificemus, credentes nos respici ab eo & curæ ipsi esse nos, & totam uitam nostram, & habentes hanc fidem, ex animo & liberaliter benefaciamus.

Quales Eleemosynas requirat Psalmus.

Tales Eleemosynas requirit hoc loco, quæ non sunt tantum externa & ciuilia opera, sed interiores motus & spirituales cultus, quos efficit Spiritus sanctus in his, qui habent agnitionem Dei, & fidem. Plurimum enim interest inter liberalitatem seu Eleemosynas piorum, & impiorum, sicut & suprà dixi de misericordia & mutuatione.

Plurimum interest inter liberalitatem piorum et impiorum.

Primum, finis facit discrimen. Nam impij etiamsi sunt benefici & liberales: tamen non benefaciunt alijs propter Deum, seu ut Deo obediant, sed uel ostentatione quadam & aucupio gloriæ popularis, aut propter alias causas. Interdum hypocritæ præstant opera similia operibus piorum: sed illis putant se mereri remissionem peccatorum & iustos esse coram Deo. Tales sunt sine agnitione Dei & fide, quæ intuetur misericordiam, & statuit se gratis propter filium Dei promissum mediatorem, habere remissionem peccatorum, & recipi à Deo, non propter nostram dignitatem. Ideo horum beneficentia non placet Deo.

Primò fine differunt.

Secundò, discrimen est in modo operis, Quia impij facientes opera, non credunt se respici à Deo, non expectant sibi à Deo suppeditari bona, uictum, defensionem &c.

Secundò modo operis.

Tertiò, impij non complectuntur debita obiecta iuxta mandatum Dei, tantum benefaciunt ijs, quos carnali affectu diligunt. Non adiuuant uerè pios egentes, aut qui propter uoluntatem Dei, seu confessionem ueræ doctrinæ, patiuntur persecutionem, aut exilia &c. Imò erga tales sunt crudelissimi, & exercent barbaricam sæuitiam, Sicut hypocritæ aduersus Prophetas, Apostolos & alios profitentes doctrinam Christi, omni genere crudelitatis sæuiebant.

Tertiò obiecta

Econtrà piorum beneficentia non est tantum externa simulatio: sed uerus motus cordis, quod agnoscit Deum, & propter mandatum præstat officia dilectionis, ut testetur se obedire Deo, & uelle præstare ueros cultus. Deinde complectitur obiecta, quæ debet: Liberalis est erga quosuis egentes, & gratis benefacit omnibus, quibus potest. Postremò in his operibus exercet fidem, credit ea placere Deo propter Christum: & quia propter uoluntatem Dei benefacit, credit Deo se uicissim curæ esse, se habiturum à Deo uictum et alia uitæ præsidia.

Piorum beneficentia non est tantũ externa simulatio, sed uerus motus cordis, qui fide regitur.

Talis liberalitas commendatur hoc uersu, tanquam uerus cultus placens Deo, & habet ingentia præmia corporalia, Sicut hîc additur promissio: Iustitia eius manet in seculum.

Sed hîc pauca addenda sunt de usu facultatum, & de ipsis Eleemosynis. Est enim & hic uersus testimonium doctrinæ de usu rerum politicarum contra

contra fanaticos ſpiritus,uidelicet, quōd pijs & fidelibus non præcipiatur diſcedere â facultatibus, nec tolluntur diſtinctiones dominiorum, aut diſcrimina diuitum & pauperum,ſed conceditur retinere proprium, & habere diuitias, ſicut Abraham, Iob, & multi alij, habuerunt magnas opes.

Vſus facultatū eſt ut poſſidentes eas ſint benefici.

Sed de uſu facultatum præcipitur,ut qui habent opes,ſint benefici,liberaliter impertiant his,qui habent opus ipſorum beneficijs. Ac prohibet utruncp, auariciam eorum quibus nihil ſatis eſt, ſed quoquo modo corradunt & accumulant opes, & partis incubant, non afficiuntur aliorum miſerijs aut egeſtate, ut ijs benefaciant. Deinde & profuſiones in res non neceſſarias per luxum, aut quoddam uanum ſtudium oſtentandi opes, interim neglectis & defraudatis his, quibus debebatur uictus & alia officia dilectionis. Sed de Eleemoſynis quæri ſolet, quæ ſint neceſſariæ Eleemoſynæ, ſeu quibus ſit dandum & quatenus: Breuiter ergo reſpondeo.

Primò, beneficentia erga miniſterium.

Tria ſunt genera præcipuè neceſſaria. Primùm, ut conferamus aliquid ad conſeruationem miniſterij Eccleſiæ. Hoc officium maximè proprium eſt piorum. Vult enim Deus opes,& alia corporalia bona præcipuè conferri ad hoc,ut alantur, qui docent Euangelium & ut conſeruetur miniſterium. Ita hæc liberalitas propriè eſt cultus Dei, cùm refertur ad ipſius gloriam,ut conſeruetur & propagetur uerbum & agnitio Dei. De hoc genere ſæpè præcipit ſcriptura.Chriſtus ait deberi uictum miniſtris,Dignus eſt enim, qui laborat,mercede ſua. Item Paulus inquit: Dominus ordinauit, ut qui annunciant Euangelium,uiuant ex Euangelio. Item Galat. 6. Qui inſtituitur impertiat bona inſtituenti. Sunt & in Prophetis de hoc genere integræ conciones, ut apud Aggæum & Malachiam. Ad hoc genus etiam pertinet,ut ſubleuemus difficultates & inopiam aliarum Eccleſiarum,ſicut Paulus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ collegit eleemoſynas in Achaia & Macedonia.

Principib. & rebuspub. curæ debet eſſe ſuſtentatio miniſtrorum.

Atcp hæc debet eſſe præcipua cura principum & rerumpub. ut miniſtris Eccleſiæ proſpiciant de uictu, & eos tueantur, & ſciant hoc officium eſſe Deo gratiſſimum,quod conferunt ad conſeruandas Eccleſias. Ideò pij Magiſtratus ornantur ampliſſimo & auguſtiſſimo titulo Eſaiæ 61. cùm uocat eos nutricios Eccleſiæ. Sic etiam priuati pro ſuo quiſcp modo, debent liberaliter conferre eleemoſynas ad alendos miniſtros,& eos iuuare omni genere officiorum. Hæc opera ſciant pij eſſe neceſſaria, & grauiter peccare eos, qui cùm poſſint, non ſtudent,pro ſua uocatione aliquid conferre ad conſeruationem miniſterij.

Secundus gradus beneficentia erga egentes nobis coniunctos.

Secundō, impertiendum eſt egentibus, qui nobis coniuncti ſunt aliquo iure neceſſitudinis,ut cognati, parentes,liberi, & alij propinqui. Debet enim cuicp cura eſſe de ſuis,non tantùm propter commune debitum dilectionis: ſed etiam propter naturalem caritatem,ſeu φιλοσοργίαμ, quàm Deus requirit in pijs: Sicut inquit Paulus: Si quis ſuorum maximè domeſticorum curam non gerit, fidem negauit,& eſt infideli deterior. Quia illæ naturales σοργαὶ etiam exiſtunt in infidelibus. Sic etiam ad Gal. 6. præcipit,ut operemur bonum erga omnes maximè erga domeſticos fideles.

Tertius gradus eſt, beneficum eſſe & erga alienos, qui nobiſcum uiuunt,

uunt,aut aliqua præsenti occasione nostro auxilio opus habent, & sunt implici- *Tertius gradus beneficentia erga alienos.*
ti talibus difficultatibus, ut non possint sine aliena ope uiuere. De hoc genere ait Iohannes: Qui habet facultates, & uidens fratrem suum egere, claudit uiscera sua erga illum,quomodo caritas Dei manet in eo? Sic & Lex Moisi præcipit,ut singulæ ciuitates suos egenos sustentent,Deut.15. Præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi,qui tecum habitat in terra &c. Significat ergo talibus deberi nostra beneficia.

Hæc satis sit admonuisse, quo ordine collocandæ sint Eleemosynæ. Cæterùm de modo Eleemosynarum extat regula Pauli 2. Corinth. 8. cùm inquit: Non ut alijs sit remissio,uobis autem tribulatio,sed ex æqualitate pro præsenti occasione, id, quod uobis supereſt, consulat illorum inopiæ. Hîc clarè dicit,sic dandum esse, non ut nos ipsi postea magis egeamus, quàm qui à nobis accipiunt. Deinde nominatim ait: ex eo quod supereſt,id est,ut largiamur ex fructibus,non ut nos ipsos exuamus omni patrimonio. Ita utrinq; uult esse æqualitatem, quæ est intelligenda non Arithmetica, sed Geometrica proportione, scilicet, ut ratione fiat æqualitas, & pro modo suarum facultatum quisq; largiatur,& pro alterius necessitate petentis,ut nec qui habent facultates,prorsus exhauriantur, nec inopes abutantur aliena liberalitate, nec petant, nisi cùm est necessitas. Nam mendicitas,quæ non habet probabilem causam,est furti quædam species,& prohibetur à Paulo 1. Thessal. 4. & 2. Thessal.3. cùm præcipit, ut suis manibus quisq; laboret,& suum panem manducet. *Modus eleemosynarum ex Paulo.* *Mendicitas sine probabili causa est furti species.*

Sed meminerimus de beneficentia & eleemosynis præcipi, ut ex animo & liberaliter largiamur ijs,quibus opus est nostro beneficio,nec simus tenaces, aut astricti ad largiendum,sicut quidam ualde deformant hæc officia,cùm quidem aucupentur laudem beneficentiæ, tamen in dando præ se ferunt animum ieiunum & illiberalem, ut satis appareat eos inuitos dare. Quare sic largiendum est, ut absit species auariciæ, & res testetur nos ex animo & liberaliter benefacere. Hilarem datorem diligit Deus,inquit Paulus. Econtrà de malignè dantibus ait, qui parcè seminat,parcè & metet. *De beneficentia præcipitur ut ex animo fiat & liberaliter.*

Ideoq; hîc additur descriptio ueræ liberalitatis in uerbo Dispersit, Non uult ostentationem quandam liberalitatis,quæ est & in impijs,aliquo inani aucupio gloriæ, profundentem ubi non est opus. Econtrà reprehendit & eos, qui per auariciam & sordes malignè erogant, quod dandum est, sicut Malach. 1. accusantur,qui offerebant ad aram uiciosas & morbidas pecudes: sed postulat,ut ex animo, & gratis propter Deum impertiamus egentibus quantum omnino possumus. *In uerbo dispersit expressa est uera liberalitas.*

Et hoc ipso uerbo Spargendi, significat se requirere fidem in his operibus, ut suprà dixi. Non enim existit hæc uirtus ueræ liberalitatis,nisi in ijs,qui propter uoluntatem Dei libenter largiuntur, & credunt se respici à Deo ac Deum suppeditaturum esse ipsis necessarium uictum, defensionem, &c. etsi se defraudent,& periclitandum sit de uictu. Hoc nomine Christus præfert opus uiduæ pauperculæ,mittentis duo æra in Gazophylacium,aliorum diuitum eleemosynis,quòd,cùm ipsa egeret,etiam seſe defraudans, totum uictum contulisset. Et magnificè prædicat scriptura exemplum Sareptanæ, quæ in summa penuria, cùm nihil haberet præter pauxillum farinæ, quo ad unum diem sibi ac filio uitam prorogaret,tamen id omnę præbet Eliæ uenienti,nec retardatur diffiden- *Verbum Spargendi significat requiri fidem.*

tia ad

tia ad benefaciendum, quòd sit sibi defuturus cibus uel uictus: sed fide præstat hoc opus credens sibi diuinitus suppeditatum iri, etiamsi nihil supersit cibi. Hæc exempla imitentur pij, ut in his operibus exerceant fidem, & ita præstent largas eleemosynas, nec deterreantur à benefaciendo, etsi cum aliquo suo incommodo, & propemodum supra uires largiendum sit, sicut Paulus prædicat eleemosynas Ecclesiarum Macedoniæ, quod etiam supra uires sponte contulerint.

Beneficentia magnificas habet promissiones in scripturis.

Magna laus est in scripturis huius uirtutis, & habet magnificas promissiones præmiorum in hac uita, & post hanc uitam, sicut Christus inquit Lucæ 7. Date, & dabitur uobis, mensuram confertam, uberem, abundantem dabunt in sinum uestrum. Et Prouerb. 12. qui liberaliter benefacit, cumulabitur &c. Item 22. Liberali oculo benedicetur, quia de suo pane dat egenti. Ideò & hîc additur promissio, iusticia eius manet in seculum &c. Pollicetur pijs benefacientibus præmia, quòd Deus sit ipsos defensurus ac glorificaturus.

Deus remunerator beneficos.

Est enim sententia, sicut suprà: etiamsi pij non accipiunt præmia ab hominibus pro benefactis, sed in mundo patiuntur calumnias, iniuriam, fraudes improborum, opprimuntur & conculcantur à tyrannis, damnantur ab hypocritis, tanquam abiecti à Deo, tamen Deus defendet eos, & tandem glorificabit ipsos, ut uincat ipsorum causa. Item suppeditabit eis etiam necessaria ad hanc uitam, augebit etiam dona spiritualia, ut multum possint prodesse Ecclesiæ & reipublicæ, sicut de Naaman Syro scribitur, quòd propter eius pietatem, Deus dederit salutem toti Syriæ, Deniq; fruentur post hanc uitam æterno gaudio, & perpetuò erunt glorioſi.

Scriptura plena est promissionum & exemplorum beneficentiæ.

Plena est scriptura promissionum & exemplorum huius generis, Paulus 2. Corinth. 8. Promittit non solùm corporalia præmia, sed etiam incrementum donorum spiritualium, Qui suppeditat semen seminanti &c. augebit etiam prouentum frugum iusticiæ nostræ, ut in omnibus locupletemini, abundantes in omne opus bonum &c. Malach. 3. cùm concionatur de eleemosynis conferendis ad ministerium. Inferte, inquit, omnem decimam in horreum meum, si non aperuero cataractas cœli, & effudero omnem benedictionem &c.

Eleemosynæ principum & regum.

Prædicantur etiam in exemplis sanctorum hæc officia, præcipuè principum & regum eleemosynæ, ut de Ezechia. 1. Paral. 21. quòd præceperit dare uictum ex prouincijs, & decimis, sacerdotibus, ut possent uacare legi domini, Et additur, ex quo cœptæ sunt offerri primitiæ, benedixisse dominum populo. In historijs nostrorum principum insignem laudem habet liberalitatis in pauperes Tiberius imperator secundus, qui successit Iustino. Aiunt hanc fuisse eius uocem, cùm reprehenderetur quòd exhauriret ærarium publicum, Nunquam defuturam pecuniam fisco regio, quandiu pauperes eleemosynas acciperent. Scribitur etiam propter singulare studium beneficentiæ, patefactos ei esse ingentes thesauros in terra reconditos.

Scriptura atroces pœnas minatur negligentibus officia beneficentiæ.

Econtrà his, qui negligunt hæc officia, non conferunt ad conseruationem ministerij, nec adiuuant egentes cùm possunt, minatur scriptura atroces pœnas. 1. Ioan. 3. Qui habet facultates, & uidens fratrem egere claudit uiscera sua, quomodo manet dilectio Dei in illo? Haggæus de neglecta cura conseruandi ministerij ait: propter hoc prohibiti sunt cœli, ne darent rorem. Ezechiel 36. inter caulas euersionis Sodomorum etiam hæc allegatur, quia manum suam pau-

am pauperi non porrigebant. Hæc prodeſt admonere homines,ut excitentur ad benefaciendum. Ac profectò ſi promiſſiones fide intueremur, multò eſſent largiores Eleemoſynæ, ac minus rapacitatis,ac furtorum &c.

PECCATOR VIDEBIT, ET IRASCETVR: DENTIBVS SVIS FREMET, ET TABESCET, &c.

ANtitheſis addita eſt de impijs, quæ & promittit pijs liberationem & glorificationem, & impijs prædicit pœnas. Eſt autem oppoſita ſcandalo, quod exercet infirmos, cùm uident impijs,tyrannis & hypocritis, qui perſequuntur Eccleſiam, benè eſſe, & eos florere in mundo, ac frui omnibus commodis &c. Cùm interim pij duriter exerceantur ſub cruce & afflictionibus, ſubiecti calamitatibus & ærumnis omnis generis, nec uidentur euentus reſpondere tam magnificis promiſſionibus, quales ſuprà poſuit. Contra hoc ſcandalum ſæpè ſcriptura munit & armat pios, & ſunt hoc argumento integri Pſalmi 36. Noli æmulari &c. & 72.Quàm bonus Iſraël. *Conſolatio oppoſita ſcandalo ex felicitate impiorum contra promiſſiones pijs datas.*

Ita hic uerſus confirmat pios,ne iſta ſpecie ſcandali,incurrentis in oculos, moueantur, uidelicet quòd differtur liberatio, & impij aliquandiu florent & triumphant. Sed ſciant Deum tandem liberaturum & glorificaturum eſſe pios,ſicut promiſit, & ſumturum pœnas de impijs. Sed ſicut ſæpè dictum eſt, promiſſiones requirere fidem,nec niſi fide apprehendi poſſe:Ita ſciamus & has ſententias de pœnis impiorum fide tenendas eſſe, nec iudicandum ex præſentibus euentibus,quòd pij affliguntur, nec adparet liberatio, & impij pergunt furere,imò,tanquam iam triumphatum ſit de pijs,etiam acerbè inſultant,& illudunt ipſis, Sicut Chriſtum afficiunt acerbiſſimis blaſphemijs in cruce, & in Pſalmis deſcribuntur tales uoces,uelut triumphantium,ut Pſalm.34.Euge,euge,uiderunt oculi noſtri &c. Sed econtrà fide ſtatuendum eſt, quamuis differtur liberatio piorum, & impiorum pœna:tamen certò futurum eſſe, ut Deus puniat impios, glorificatis pijs. Ita fide apprehendendæ & certò tenendæ ſunt promiſſiones, antequam euentus apparet, & ſtatuendum, quòd Deus uerè ſit ſeruaturus promiſſa, liberaturus pios, & puniturus impios, nec moueamur ſcandalis, etiamſi aliquandiu differtur liberatio, & ſæpè diuerſi exitus apparent,quòd ſancti occiduntur, nec uidentur conſecuti eſſe promiſſa. Sicut multi ex ſanctis, ut Dauid, Moyſes, & alij, diu exercebantur afflictionibus, quidam etiam oppreſſi & interfecti ſunt ab impijs, & tamen fide tenuerunt promiſſiones, fore ut Deus aliquando glorificaret ipſos, & de impijs pœnas ſumeret. Sic ergo & nos complectamur promiſſiones fide, Etiamſi propter Euangelium ſunt obeunda pericula omnis generis, uidemus ſanctos duriter exerceri atq; affligi, ita ut appareat Eccleſiam propemodum oppreſſam eſſe, tamen ſciamus Deum tandem liberaturum & glorificaturum eſſe ſuos, & impios daturos eſſe pœnas. *Sententiæ de pœnis impiorum requirũt fidem,nec iudicandum eſt ex præſentibus euentibus.*

Eſt igitur conſolatio propoſita pijs in hoc uerſu,ut ſciant DEVM præſtiturum eſſe promiſſa,& euentus iuxta promiſſionem certò ſecuturos eſſe, ſed ita,ut prius fide hæreamus in uerbo,antequam euentus apparet,et expectemus auxilium DEI, iuxta ipſius uoluntatem, neq; præſtituamus ipſi modum, aut tempus : ſed exitum committamus ipſius conſilio, ut pro ſua ſapientia gubernet euentus. Ac Pſalmus confirmat pios etiam de præſenti liberatione in hac uita,et docet quòd Deus mirabiliter ſit glorificaturus pios,quantumuis furen- *Fides utrunq; ſtatuat,& Deum liberaturũ eſſe ſuos, & impios tandem daturos eſſe pœnas.*

tibus impijs, ut etiam inuiti & fruſtra repugnantes experiantur Deum reſpicere & adiuuare pios, & ſe diuinitus puniri, Et ſignificanter deſcribitur incredibilis furor, & horribilis fremitus impiorum, quibus cruciantur flagrantes immani odio & iracundia aduerſus Eccleſiam & pios, & incredibiliter dolore uruntur & indignatione, cùm uident diuinitus adiuuari Eccleſiam, & ſuos conatus irritos eſſe. Hæc ipſa eſt horribilis pœna in impijs, ardere implacabili odio, & ira aduerſus pios, quæ tandem ipſis adfert exitium, quia eò magis accenditur odium, quò minus uident ſeſe efficere, nec tamen deſinunt furere & exercere ſæuitiam, quoad ruant in exitium: Sicut Pharao aduerſus Moyſen & populum: Phariſæi, Pontifices & Tyranni aduerſus Apoſtolos & Eccleſiam, inflammati immani odio & iracundia, cùm quidem uideant Deum adiuuare pios, tamen pergunt furere, quoad ipſi ruunt & pereunt. Hæc conſolentur pios, ut aduerſus furorem impiorum fide ſeſe ſuſtentent, ac expectent gloriſicationem.

Furor & fremitus impiorum aduerſus Eccleſiam & pios, indicatus in hoc Pſalmo.

PSALMVS CXIII.

Laudate ſerui DOMINVM, laudate nomen DOMINI.
Sit nomen DOMINI benedictum, ab hinc vſq; in perpetuum.
Ab ortu Solis vſq; ad occaſum, laudetur nomen DOMINI.
Excelſus ſuper omnes gentes DOMINVS, & ſuper cœlos gloria eius.
Quis ſicut DOMINVS Deus noſter, qui in altis habitat? Et humilia reſpicit in cœlo & in terra.
Erigens de puluere inopem, & de ſtercore extollens pauperem.
Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui.
Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantem.

ARGVMENTVM.

Pſal. CXIII. concionatur de miſericordia & beneficijs quæ in Euangelio proponuntur.

SVprà diſtinxi genera Pſalmorum, uidelicet: alios complecti uaticinia de Chriſto, aut aliquam partem doctrinæ Euangelij, aut eſſe conſolationes, precationes, & gratiarum actiones: alios tradere doctrinam Legis, aut præcepta operum. Et quamuis interdum hæc genera miſcentur: tamen in ſingulis conſiderandum eſt, quod ſit principale argumentum. Cùm autem Pſalmi tradant plurimos & grauiſſimos locos doctrinæ ſpiritualis, gratiſſimi & dulciſſimi ſunt illi, qui propriè concionantur de miſericordia & beneficijs, quæ in Euangelio proponuntur. Ex eo genere eſt & hic Pſalmus.

Vaticinium de nouo uerbo ſpargendo in totum orbem.

Eſt enim uaticinium de nouo quodam uerbo, & noua noticia ſpargenda & euulganda in totum orbem, qua innoteſcant & prædicentur miſericordia & beneficia Dei, & exiſtant ueri cultus, in quibus celebretur gloria Dei, uidelicet, quòd uerè miſereatur, quòd reſpiciat, adiuuet, & ſaluet humiles, adflictos & abiectos. Hoc ipſum uerè eſt uaticinari de regno Chriſti, de quo concionatur Euangelium, & proponit præcipuum locum qui pertinet ad conſolationem conſcientiarum, & adfert ueram noticiam ſeu agnitionem Dei, parit ueros cultus, timorem, fidem, inuocationem, & alios ſpirituales motus, quorum nihil poteſt exiſtere ex doctrina Legis.

Nam etiamſi Lex habet promiſſiones, & docet Deum eſſe bonum, miſericordem

ricordem &c. tamen addit conditionem noſtræ dignitatis, requirit perfectam obedientiam, nõ docet de gratuita miſericordia, quòd Deus recipiat, exaudiat, & ſaluet indignos. Itaq; homines etſi habent noticiam Legis, tamen ſine Euangelio non poſſunt certò ſtatuere de uoluntate Dei, nõ credunt ſibi gratis ignoſci, aut ſe exaudiri, non expectant certò auxilium Dei. Cùm enim non ſatisfaciamus Legi, cùm habeamus peccatum, reclamat in nobis ipſa uox Legis, ac Chirographum inſcriptum cordibus noſtris accuſans & damnans nos, negat nos recipi à Deo, pronunciat nos propter peccata puniri. Itaq; non poteſt exiſtere fides & inuocatio, imò conſcientiæ opprimuntur dubitatione & deſperatione.

Homines ex lege ſine euangelio non poſſũt ſtatuere de miſericordia Dei nos acceptante.

Quare opus eſt alia doctrina, quæ adferat certam & firmam noticiam miſericordiæ, per quam excitetur in cordibus fides, & uincantur terrores iræ Dei, & deſperatio. Hæc eſt doctrina Euangelij, quæ reuelat hanc uoluntatem Dei, quòd uelit gratis remittere peccata, ignoſcere indignis, & habentibus peccatum, propter Chriſtum propiciatorem, ſi tamen fide hunc apprehendamus, & quòd certò uelit credentes exaudire & ſaluare. Hoc modo uerè agnoſcitur Deus, & exiſtunt ueri cultus ſpirituales, uera inuocatio, gratiarum actio, uera & ſpiritualis obedientia.

Euangelium affert noticiam miſericordiæ.

De hac noticia uaticinatur hic Pſalmus, uidelicet, ſpargendum eſſe uerbum Euangelij per totum orbem, quò uerè agnoſcatur Deus apud omnes gentes, & innoteſcat eius gloria, & præſtentur ueri cultus, Et nominatim prædicat præcipua beneficia Dei, & teſtimonia miſericordiæ, uidelicet, quòd ſit Deus reſpiciens & adiuuans humiles, abiectos, oppreſſos, &c. Hæ ſunt ipſæ Euangelij uoces, quales paſſim plurimæ ſunt in ſcriptura. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & c. Item Luc. 12. Nolite timere puſillus grex, placuit enim Patri uobis dare regnum. Eſaiæ 66. Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu. Pſalm. 34. Iuxtà eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit &c. Pſalm. 144. Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos.

Pſalmi uerba ſunt ipſæ Euangelij uoces paſſim repetitæ.

Huc ergo referendus eſt & hic Pſalmus, tanquam pars doctrinæ Euangelij, quæ docet de regno Chriſti, in quo lucet & agnoſcitur miſericordia Dei, & habet inſigne præconium operum miſericordiæ, commemorat beneficia, de quibus docet Euangelium, quæq; propria ſunt regni Chriſti, uidelicet reſpicere humiles, abiectos, adiuuare & glorificare oppreſſos &c. Quare ualdè ſuauis eſt Pſalmus, & facilè dulceſcet piis, cùm accommodabitur ad conſolandas & erigendas mentes, in certaminibus conſcientiæ, & ad exercitia fidei in inuocatione, & in omnibus actionibus.

Pſalmus pertinet ad doctrinam Euangelij.

LAVDATE SERVI DOMINVM, LAVDATE NOMEN DOMINI.

INitiò cùm hortatur & inuitat ad laudandum nomen Dei, admonet nos de ueris & præcipuis cultibus piorum, ſcilicet de confeſſione & prædicatione beneficiorum eius, de quibus aliâs ſæpè dicitur. Nam tales cultus paſſim requirit ſcriptura, qui non ſunt tantùm externa ſimulatio cultuum, quę præſtatur etiam ab impijs, ſed qui ſunt ſpirituales, & ueri motus cordis, ut eſt timor, fides, inuocatio, aut ſunt uera & non ſimulata teſtimonia interiorum motuum, ſcilicet, timoris & fidei, ut eſt confiteri, ac prædicare uerbum Dei, gratias agere pro beneficijs &c.

Primus uerſus de præcipuis & ueris cultibus præcipit.

Veri cultus sunt in quibus cor agit cum Deo nec est simulatio externa.

Hos cultus requirit scriptura,& opponit eos alijs cultibus electicijs,aut in quibus tantùm est quædam simulatio operum Legis. Nam hi tantùm sunt ueri cultus, in quibus cor agit cum Deo, & apprehendit Deum, iudicat se accipere bona à Deo,& afficit Deum honore,iudicat uerè esse Deum, curare,& gubernare omnia,uerè irasci peccato, & rursus ignoscere & misereri implorantibus misericordiam,& exaudire inuocantes & saluare. Hæc fide tenere & confiteri,est uerè honorem Deo tribuere,statuere quòd non sit ociosus,quòd sit propicius, quòd respiciat & exaudiat nos. Hæc est uera laus Dei,prædicare & testari ista,nostra confessione. De his cultibus præcipit Psalmus 49. Sacrificium laudis honorificabit me, Quasi dicat, alij non sunt ueri cultus, qui sunt tantùm externa quædam obseruatio Legis, aut traditionum humanarum, quæ præstantur ab hypocritis, Quia his non tribuitur uerus honos Deo, sed illis, qui sunt ueri motus cordis, & cultus mentis, quæ apprehendit Deum, sentit nos Deo curæ esse, nos exaudiri &c.

Veri cultus non possunt præstari sine Euangelio.

Sed hîc sciendum est illud, hos cultus non posse præstari, nisi ab his, qui norunt Euangelium, ac tenent doctrinam de fide, uidelicet statuendum esse, quòd Deus gratis,per misericordiam propter Christum,uelit remittere peccata,exaudire & saluare credentes.Hæc nō intelliguntur ex doctrina Legis,Nam si respiciendum esset ad Legem,nunquam possemus statuere,nos consequi hæc beneficia, cùm Legi non satisfaciamus.

Doctrina Psalmorum de ueris cultibus reuocat à Lege ad Euangelium.

Quare cùm Psalmus iubet nos laudare Deum, ac prædicare eius beneficia, reuocat nos à Lege, & à conspectu nostræ dignitatis, ad doctrinam Euangelij, de gratuita misericordia, & ad promissiones de beneficijs Christi, uult ut uerè statuamus nos gratis recipi in gratiam propter Christum promissum, respici,exaudiri &c.Sicut postea clarè exponit,cùm addit causam,quare requirat hos cultus,& testatur se loqui de beneficijs regni Christi.Ita docet, qui sint ueri cultus, & admonet nos ut fidem exerceamus in his cultibus, inuocatione, confessione,gratiarum actione &c.

Psalmi requirentes ueros cultus,referendi sunt ad doctrinam Euangelij.

Sic in omnibus Psalmis,cùm requiruntur tales cultus,inuocatio,laus,confessio,Item cùm iubemur sperare,lætari,exultare etc. meminerimus ea referenda esse ad doctrinã Euangelij,& intelligamus nos admoneri de fiducia gratuitę misericordiæ. Nam ut dixi, hi cultus sine fide præstari non possunt, nemo potest lætari,sperare,laudare,agere gratias,nisi iudicet se habere Deum propicium, & uerè statuat se curę esse Deo,accipere bona à Deo. Id non fit,cùm respicimus ad nostram dignitatem, imò sic excutitur fides, & opprimit animos dubitatio, cùm cogitamus ista tantùm dignis & meritis contingere : Sed tùm demum existunt tales motus,cùm tenentes Euangelij doctrinam, fide statuimus DEVM certò nobis ignoscere, nos respicere propter Christum gratis.

Quo fine requirantur ueri cultus.

Itaq; sciamus à nobis requiri hos cultus, ut Deum honore afficiamus, & in his exerceamus fidem, statuamus has sententias propriè concionari his, qui sentiunt se esse indignos,et præcipere ut repugnemus dubitationi,& uincamus desperationem fide, & tribuamus Deo debitum honorem, uidelicet, ut iudicemus eum esse ueracem, sciamus uelle eum à nobis laudari, ut qui uerè uelit nos respicere, & præstare promissa.

Hæc duo consideranda sunt in his primis uersibus: Primùm,qui sint ueri cultus,ac debiti Deo: Deindè sciendum est talibus sententijs nos admoneri de misericordia, de qua concionatur Euangelium; tenenda est regula, cùm iubemur

iubemur laudare Deum, gratias agere, lætari &c. quòd requiratur à nobis fides, quæ ſtatuat ſe accipere miſericordiam, & certò expectet bona promiſſa à Deo.

Cùm præcipiuntur ueri cultus, requiritur fides.

A SOLIS ORTV VSQVE AD OCCASVM, LAVDETVR NOMEN DOMINI.

EXCELSVS SVPER OMNES GENTES DOMINVS, &c.

Vaticinium de doctrina Euangelij ſpargenda in totum orbem.

Hic incipit uaticinari de Euangelio ſpargendo in totum orbem, in quo notícia Dei inclareſcat, & præſtentur ueri cultus. Non ſunt autem obſcuri uerſus, nec habent opus prolixa interpretatione. Clarè concionatur de tali regno, in quo agnitio, & laus Dei ubiq; in orbe ſpargatur. Quare ſignificat Euangelij doctrinam de Chriſto, prædicandam eſſe in toto orbe. Non enim poſſent exiſtere laus, & ueri cultus Dei apud gentes, niſi Euangelium doceret nos de uoluntate Dei, uidelicet de miſericordia gratuita, quòd uelit eſſe propicius, nos reſpicere & ſaluare propter Chriſtum. Nam etſi homines habent noticiam Legis, quòd ſit Deus, quòd ſit colendus, quòd benefaciat iuſtis etc. tamen non poſſunt ſtatuere, quòd GRATIS remittat peccata, quòd uerè reſpiciat & exaudiat indignos, non ſatisfacientes Legi &c. Quare non uerè credunt Deo, non poſſunt inuocare, laudare, & agere gratias: ſed hærent in perpetua dubitatione, quæ pugnat cum fide, & impedit inuocationem, & ueros cultus.

Ergo cùm dicit Pſalmus, Deum agnoſci, laudari, & glorificari apud omnes gentes, ſatis oſtendit ſe loqui de Euangelio ſpargendo in orbem terrarum, quæ eſt noua doctrina, docens de miſericordia & beneficijs, quæ nobis donantur GRATIS non propter Legem, ſed propter Chriſtum.

Hæc eſt ſumma ſententiæ, quæ ſatis perſpicua eſt. Tantùm hoc conſideretur, Prophetam uaticinari de Euangelio & beneficijs Chriſti, ut hæc opponantur doctrinæ & cultibus Legis. Diligenter enim diſcernenda ſunt, regnum Chriſti et cultus Noui Teſtamenti, à doctrina ſeu cultibus Legis, ſeu Moſaicis, ſicut ſæpè aliâs dicitur. Iudæi ſomniabant Chriſtum conſtituturum eſſe quoddam externum ac mundanum regnum, in quo Lex, & politia Moſaica, propagaretur in totum orbem, & ſubiecturum eſſe omnes gentes huic populo, ſeu huic politiæ Moſaicæ. Ita carnaliter imaginabantur de regno Chriſti, nec putabant aliud fore, niſi propagationem politiæ Moſaicæ, & cultuum Legis, in totum orbem.

Diligenter diſcernendi ſunt cultus Noui Teſtamenti à legibus Moſaicis.

Sed ſcriptura clarè docet, regnum Chriſti non eſſe eiuſmodi mundanam Politiam, & obſeruationem rituum & cultuum Moſaicorum: ſed eſſe ſpirituale regnum, in quo ſpargitur nouum uerbum, uidelicet, de noua & æterna iuſticia, de liberatione à peccato & à morte æterna per Chriſtum, & quod gignit in cordibus nouam lucem, et ueram agnitionem Dei, Parit nouos cultus ſpirituales, fidem, inuocationem, confeſſionem &c.

Regnum Chriſti nõ eſt mundana politia, ſed regnum ſpirituale.

Has res adfert nobis Euangelium, cùm concionatur de regno Chriſti, non conſtituit aliquod externum, mundanum regnum, non ſubijcit nos politiæ Moſaicæ, nec requirit ritus aut cultus Legis, imò exæquat utroſq; gentes & Iudæos, coniungit utrunq; populum, iubet utroſq; agnoſcere hunc Chriſtum, & ſtatuere, quòd non propter Legem, nec obſeruationem rituum Moſaicorum, nec propter propriam dignitatem: ſed propter promiſſum Semen recipi-

antur in gratiam, & consequantur remissionem peccatorum, exaudiantur & saluentur, & postulat nouos cultus, sicut dictum est.

Euangelium tollit discrimẽ Iudæorum & Gentium.

Ita & Euangelium tollit discrimen Iudæorum & gentium, non requirit nouam politiam aut ritus: Sed subiicit omnes uni Christo, proponit eosdem cultus spirituales, &c.

Hæc significantur in his uersibus: *AB ORTV SOLIS AD OCCASVM LAVDABILE NOMEN DOMINI*, Videlicet, nouum uerbum spargendum esse de Christo, per quod uerè agnoscatur Deus, & præstentur ueri cultus, non tantùm apud Iudæos, sed ubiq; in toto orbe terrarum, nec requiri obseruationem rituum politiæ Mosaicæ, sed hos spirituales cultus, laudem, confessionem, prædicationem misericordiæ, & beneficiorum, quæ proponit Euangelium.

Idem docet, uel potius declarat sequens uersus, *EXCELSVS SVPER OMNES GENTES DOMINVS, &c.* Significat uerè regnum Dei spargi in omnes gentes, quod non est externa politia Mosaica: sed regnum spirituale, in quo Deus per uerbum regit & gubernat mentes, infundit eis nouam lucem, ut ipsum agnoscant, & est efficax dato Spiritu sancto in cordibus, ut certò credant quòd sit propicius, quòd remittat peccata propter Christum, quòd uerè præstet promissa, exaudiat & saluet nos &c. Hæc testatur quòd uerè regnet, & sit efficax in credentibus, quia ab his glorificatur, id est, uerè agnoscitur quòd sit talis, qualis prædicatur in uerbo, & præstantur tales cultus, qui ipsum afficiunt honore, & uerè ei tribuunt gloriam, quòd sit Deus, quòd impertiat hæc bona, de quibus concionatur Euangelium.

QVIS SICVT DOMINVS DEVS NOSTER, QVI IN ALTIS HABITAT, &c.

Beneficia de quibus prædicat Euangelium.

DIxit Psalmus de uera noticia Dei, spargenda in totum orbem per Euangelium: nunc recensẽt beneficia, de quibus prædicat Euangelium, & quę conspiciuntur in Ecclesia, seu cœtu illorum, qui norunt Euangelium. Commendat autem ea opera, quibus testatur Deus se respicere & recipere, adiuuare & saluare, humiles, abiectos, adflictos &c. Hæc sunt præcipua opera Dei, quæ testantur uerè esse Deum, quibus illustratur gloria Dei, quòd curet nos, quòd adiuuet pios &c.

Ratio ex doctrina Legis non intelligit beneficia Euangelij propria.

Sed sciendum est, ut suprà dixi, hîc proponi doctrinam propriam Euangelij. Nam ratio ex doctrina Legis iudicans, hæc non intelligit, sentit Deum tantùm benefacere his, qui sunt iusti, & seruant Legem, negant eum respicere, exaudire & iuuare indignos, qui habent peccatum. Itaq; iudicat ex præsentibus casibus, seu euentis, hos esse curæ Deo, quibus sunt res secundæ, qui fruuntur commodis huius uitæ. Econtrà eos qui adfliguntur, qui iactantur perpetuis casibus & ærumnis, non respici à Deo: sed puniri propter peccatum. Hoc est iudicium humanæ rationis ex Lege, quod ipsum tamen non est firmum, & perpetuum. Nam cùm uidet sæpè bonis malè esse, & eos exerceri durissimis casibus, & econtrà palàm improbos florere, & abundare omnibus commodis, excutiuntur etiam illæ sententiæ, quas ex Lege tenebat, & conijcitur in dubitationem, utrum Deo curæ sint res humanæ, utrum respiciat & exaudiat homines, & tandem delabitur eò, ut aut blasphemet, ac prorsus neget Deum curare huma-

re humana,aut ruat in desperationem,cùm uidet suam indignitatem, iudicat se reiici propter peccata,nec exaudiri à Deo &c.

Hæc est horribilis caligo & cœcitas in animis hominum,qui non habent noticiam Euangelij, ac fidem. Quare has sententias, quas inculcant Psalmi prorsus non intelligunt, sed aut securi contemnunt Deum,& fiunt palàm Epicurei,non credunt Deo,non petunt nec expectant ab eo bona, aut si sunt hypocritæ,somniant se propter opera,& propter suam dignitatem respici à DEO, nec habent uerum timorem Dei,& ueram fiduciam. Econtrà cùm incidunt in calamitates,aut terrores,iudicant se prorsus abijci à DEO, & ruunt in desperationem.

Sine Euangelio & fide horribilis caligo & cœcitas in mentibus hominum.

Ac sanctos quoq; exercent hæc certamina, & coguntur luctari præcipuè aduersus desperationem,ac uincenda est dubitatio fide,quæ teneat hanc sententiam Euangelij, quòd Deus GRATIS uelit ignoscere & misereri indignis, quòd certò respiciat abiectos, adflictos, perterrefactos, &c. quòd non abijciat eos propter peccata,nec sinat adfligi, ut damnet aut perdat, sed ut discamus ipsi confidere ac inuocare,Quare diligenter aspiciendæ sunt hæ sententiæ, quæ docent de misericordia & beneficijs gratuitis. Sunt enim suauissima præconia,& ipsissimæ uoces Euangelij ad consolandos perterrefactos & adflictos, & ad excitandam fidem & inuocationem in omnis generis casibus & periculis. Hæc satis sit admonuisse de sententia horum uersuum. Non sunt enim obscuri.

Sanctos in calamitatibus etiam exercent certamina cũ dubitatione.

Ac aptè distributa est commemoratio beneficiorum & operum Dei.Primùm in genere prædicat Deum respicere & adiuuare adflictos & humiles. Hoc ad uniuersam Ecclesiam pertinet, & ad omnes pios, qui sunt membra Ecclesiæ, quæ in hoc mundo iacet oppressa sæuitia & tyrannide impiorum, horribiliter oppugnatur à Diabolo, exercetur acerbissimis calamitatibus & æruminis.

Apta distributio beneficiorũ & operũ Dei in hoc Psalmo. Beneficia Ecclesiæ propria.

Deindè pollicetur quòd Deus etiam exteriorem uitam piorum, politiam & œconomiam uelit adiuuare & gubernare,ut usui sint Reipublicæ,& per ipsos feliciter administrentur,& floreant politiæ,conseruetur pax & alia bona, & quòd Deus sit defensurus pios, etiamsi patiuntur iniuriam & uiolentiam improborum. Hoc est,quod ait, de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus,sicut Ioseph ex carcere,Daniel in exilio, euecti sunt ad regios honores,Moyses expositus & abiectus fit dux & liberator populi Israël,Dauid ex infimo loco traducitur ad regnum.

Politica beneficia.

Postremò etiam in priuata & domestica uita promittuntur pijs bona,soboles ac posteritas, uictus,defensio,sicut Saræ uxori Abrahæ, tametsi sterili & effœtæ datur hæres & posteritas: obstetricibus benedicitur, quæ seruabant infantes Ebræorum Exod. 1. Viduis, quæ exceperunt hospitio Eliam & Helisæum, datur uictus in difficultate annonæ, & resuscitantur liberi. Hæc dicta & exempla accommodemus etiam ad nostram uitam, & nostra certamina, ut in terroribus & periculis concipiamus consolationem, & fide erigamur, statuamus nos uerè respici à Deo, Deum nos adiuturum & defensurum esse. Itaq; ipsum inuocemus & expectemus bona ab ipso &c.

Oeconomica & priuata beneficia.

PSALMVS CXIIII.

IN exitu Israëlis de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro.
Facta est Iuda sanctificatio eius, Israël dominatio eius.
Mare vidit & fugit, Iordanis auersus est retrorsum.
Montes exilierunt sicut Arietes, & colles sicut agni ouium.
Quid erat tibi Mare cur fugeres? & tu Iordanis cur auersus es retrorsum?
Montes exilijstis sicut Arietes, & colles sicut agni ouium?
A facie DOMINI mota est terra, à facie DEI Iacob.
Qui conuertit petras in riuos aquarum, & silices in fontes aquarum.

NOn nobis DOMINE, non nobis: sed nomini tuo des gloriam, propter misericordiam tuam, & veritatem tuam.
Quare dicent gentes: Vbi nunc est DEVS eorum?
Sed DEVS noster in cœlo quicquid voluit fecit.
Simulacra illorum argentum & aurum, opera manuum hominum.
Os habent: sed non loquuntur, oculos habent, & non vident.
Aures habent: sed non audiunt.
Nares habent: sed non odorantur.
Manus habent: sed non palpant.
Pedes habent: sed non ambulant.
Non meditantur in gutture suo.
Similes illorum sunt, qui faciunt ea, & quicunq; confidunt illis.
Israël confidit in DOMINO, adiutor eorum & protector eorum ipse est.
Domus Aaron confidit DOMINO, adiutor & protector eorum ipse est.
Qui timent DOMINVM, confidunt DOMINO, adiutor & protector eorum est.

DOMINVS memor est nostri, & benedicit nobis.
Benedicens benedicit domui Israël, & benedicit domui Aaron.
Benedicit timentibus DOMINVM pusillis & magnis.
Accumulet DOMINVS super vos, & super filios vestros.
Benedicti vos à DOMINO, qui fecit cœlum & terram.
Cœli cœlorum DOMINI sunt, & terram dedit filijs hominum.
Non mortui laudabunt te DOMINE, neq; vlli, qui descendunt in infernum.
Sed nos benedicimus DOMINO, ab hinc vsq; in perpetuum, Alleluia.

ARGVMENTVM.

Distincti in hebræo textu Psalmi ab interpretib coniuncti.

APud Ebræos duo sunt Psalmi, quos, quia uidentur aptè cohærere, interpretes coniunxerunt. Quare & nos utrumq; complectemur. Est autem in summa uterq; Psalmus gratiarum actio, ut caneretur, ut apparet præcipuè in Pascha, ad celebrandam memoriam liberationis populi Israëlitici ex Aegypto, & datæ terræ promissæ.

Prior Psalmus historica narratio de eductione ex Ægypto.

Sed prior Psalmus est prorsus historica narratio, breuiter complectens historiam eductionis & miraculorum, quæ sunt edita diuinitus in hoc populo, ab egressu ex Aegypto, quoad introducti sunt in terram Canaan, quibus Deus testatus

testatus est,se elegisse hunc populum, & in eo proposuit testimonia præsentiæ suæ, iuxta promissiones datas Patribus, quòd esset ipsorum Deus, quòd esset seruaturus promissa, exhibiturus Christum &c. uidelicet ut ipsi admoniti his exemplis,discerent timere Deum, & credere Deo, & ut per hæc miracula etiam gentes excitarentur ad agnoscendum & glorificandum hunc DEVM. Ideo sæpè scriptura repetit & inculcat hæc miracula, ut populum admoneat de timore & de fide erga Deum, Et in ipso Decalogo fit mentio historiæ liberationis populi,Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti &c. uoluit enim in hoc opere, ut dixi, conspici Deus, & extare testimonium suæ præsentiæ.

Hæc est summa prioris Psalmi,qui nihil aliud est,quàm breuissima repetitio admonens de historia.

Hunc aptè sequitur alter Psalmus, & cum hoc cohæret, quasi accommodatio applicans historiam ad usum, Docet de uera agnitione Dei, & de ueris cultibus,quòd hic sit uerè Deus,qui dederit uerbum,& in his exemplis sese uoluerit agnosci, quòd non sit ocioſus, sed uerè præstet promissa, quòd respiciat & exaudiat & liberet pios,& econtrà puniat impios, ideóq; eum timendum,& ipsi credendum esse, & hac fide inuocandum, quòd uerè sit exauditurus nos, & daturus promissa.

Alter Psalmus applicat historiam ad usum cùm concionatur de præcipuis cultibus Dei.

Sic Psalmus concionatur de præcipuis cultibus præceptis à Deo,de timore,fide,inuocatione &c. Et ad hunc usum docet accommodandas esse historias, & exempla operum Dei. Hæc ferè est summa posterioris Psalmi, quam ordiuntur primùm à precatione: *NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS, &c.* Petit ut Deus gubernet,respiciat,defendat,ac saluet populum, & allegat causam cur petat exaudiri,uidelicet promissiones,& uerbum,ut glorificetur nomẽ ipsius,ut innotescat & prædicetur,q; uerè sit Deus,seruans promissa, exaudiens &c.iuxta promissiones, non propter nostra merita, aut dignitatem nostram:sed propter misericordiam gratis, sicut alibi dicitur Psal. 78. Propter gloriam Nominis tui libera nos, & propicius sis peccatis nostris propter Nomen tuum. Item Psal. 25. Propter Nomen tuum propiciaberis peccato meo &c.

Exordium posterioris Psalmi à precatione.

Deindè addit illustrem antithesin de Idolis, quòd aliorum religio & cultus sint idolatria, qui non sic agnoscunt Deum iuxta uerbum & promissiones, hoc est,qui non uerè credunt quòd Deo curæ sint res humanę,quòd certò uelit exaudire & iuuare credentes,sed hęrent in dubitatione: ideò nõ inuocant Deũ, non præstant ueros cultus, ac reuera sunt sine Deo, quia talium Deus nec oculos,nec aures habet. Econtrà testatur,quòd hi uerè habeant Deum, qui tenent uerbum,& credentes inuocant & expectant auxilium iuxta promissiones.

Antithesis de Idolis.

Sic ait in hoc populo extare ueram noticiam Dei, & Deum in ipsis conspici, quòd sit uerè Deus, quia habeat talem populum, qui gubernetur uerbo, qui præstet ueros cultus,& in quo extent exempla beneficiorum & operũ Dei, quia dederit uerbum, & seruet promissa, gubernet & conseruet sacerdotium et politiam huius populi, exaudiat & adiuuet pios.

In fine repetit gratiarum actionem pro datis beneficijs,benè precatur populo & omnibus pijs, ut DEVS augeat & conseruet hæc beneficia, ut propagetur uerbum ac uera noticia Dei,ut etiam floreat politia etc. Ac hîc docet etiam corporalia beneficia esse Dei dona,magistratus,conseruationem publici status &c,cùm inquit: Terram dedit filijs hominum. Ad extremum iterum allegat

Gratiarum actio in fine.

hanc

hanc causam petitionis, ut Deus propter suam gloriam exaudiat inuocantes, uidelicet, ut innotescat eius misericordia, quòd gratis respiciat & saluet nos. Alioqui enim non posset prędicari & laudari, si non exaudiret nisi nos essemus satis meriti, & afferremus nostram dignitatem. Ideò inquit: Non mortui laudabunt te Domine.

Posterior Psalmus applicat historiam liberationis populi ad doctrinam fidei, & inuocationis.

Ita aptè cohæret posterior Psalmus cum priore, quia historiam liberationis populi accommodat ad doctrinam fidei & inuocationis, uidelicet, quòd inuocatio debeat fieri hac fide, quæ nititur gratuita misericordia, non nostra dignitate, & quòd hæc sit uera noticia Dei, quæ statuit Deum non esse ociosum, aut non curantem humana: sed talem, qui uerè respiciat nos, qui uelit inuocari, & nos exaudire ac iuuare, propter misericordiam promissam.

Vsus Psalmi utriusq;

Breuiter complexus sum utrumq; Psalmum, qui etiam transferendus est ad nos. Ac posterior pars est planè generalis doctrina conueniens & apta omnibus ætatibus & temporibus. Sed prior pars, quæ est historica, agens gratias pro liberatione & beneficijs exhibitis populo Israëlitico, etiam rectè & utiliter accommodabitur ad Ecclesiam, quæ agit gratias pro illis ingentibus beneficijs, quæ nobis contingunt propter Christum, & proponuntur in Euangelio, quòd per hunc liberamur à peccato, morte, & à potestate Diaboli, ac recipimur à Deo, ut simus filij & hæredes uitæ æternæ. Quia illa corporalis liberatio erat uelut umbra & significatio, admonens de spiritualibus & æternis beneficijs, quæ sunt proposita in promissionibus Euangelij.

Accommodatio Psalmi ad usum nostrũ.

Sic ergo & nos utamur Psalmo, agamus gratias Deo, q; exhibuit Christum, qui liberat nos à peccato & à morte, & per ipsum impertit æterna bona, iusticiam & uitam æternam, dedit nobis uerbum, quo ipsum agnoscceremus, seruat promissa, respicit, exaudit & adiuuat nos in omnibus periculis, gubernat & sanctificat nos dato Spiritu sancto, defendit aduersus sæuitiam mundi & diaboli, sicut illum populum mirabiliter defendit & seruauit. Ita proderit nobis lectio historiæ, si admoneat nos de beneficijs, quæ nobis Deus promittit.

Deinde hæc transferamus ad usum in uita, & ad exercitia fidei & inuocationis, sicut ipse Psalmus docet, Discamus agnoscere Deum, quòd uerè agat nobiscum, uelit esse in nobis efficax, & impertire bona, & postulet à nobis præstari ueros spirituales cultus, fidem & inuocationem. Sciamus etiam hæc beneficia esse gratuita, & dari nobis per misericordiam, iuxta promissiones Euangelij, & Deum sic agnoscendum & colendum esse, statuamus nobis certò contingere hæc bona propter Christum, nos recipi in gratiam, exaudiri & saluari, ac pro his agamus gratias, addamus etiam inuocationem, precemur ut Deus gubernet, adiuuet & conseruet Ecclesiam, det etiam corporalia beneficia necessaria ad conseruandam Ecclesiam in mundo, tranquillitatem publici status, uictum, defensionem &c.

IN EXITV ISRAELIS, &c.

Recitatur historia eductionis.

DIxi principiò repeti historiam illius singularis operis Dei in populo Israëlitico, quo testatus est se elegisse hunc populum, et eum ingentibus miraculis defendit & seruauit, ut in eo extaret testimonium, quòd hîc esset uerè Deus, qui hunc populum elegerat, ac dederat promissiones, ut homines admoniti his operibus excitarentur ad agnoscendum Deum, & ad timorem ac fidem, ut scirent Deum irasci impijs, & eos puniturum esse, & econtrà ut crederent pios respici, exaudiri & adiuuari à Deo iuxta promissiones.

Sunt

Sunt autem hi uersus plani & perspicui, nec habent opus prolixiore interpretatione. Tantùm recitatur historia illius operis, quæ est nota ex scriptura, de profectione populi ex Aegypto in terram promissam, & de miraculis, quibus Deus hunc populum defendit & liberauit. Estq; hæc summa: Deus elegit hunc populum Israëliticum, & mirabiliter defendit ac seruauit aduersus hostes editis illustribus ac ingentibus miraculis, cùm eduxit eos per Mare rubrum, Item transuexit per Iordanem. Hæc totidem ferè uerbis hîc dicuntur.

Sed historia propter exemplum proposita est, ut admonerentur pij, quòd Deus, qui elegerat populum, & mirabiliter defenderat, esset etiam defensurus ipsos, quibus dedisset uerbum & promissiones. Nam exemplum non tantùm unius temporis est: sed Deus uoluit illud esse perpetuum, & extare omnibus temporibus, ut admoneat pios de uoluntate Dei. Quare etiam nobis proponitur & admonet pios ut sciant, sicut ille populus est diuinitus electus & defensus: ita Deum elegisse & defensurum esse Ecclesiam, cui dedit uerbum, reuelauit Euangelium de Christo, & eius beneficijs, de liberatione à peccato, morte, à potentia Diaboli & mundi, & in eo dedit testimonium, quòd respiciat nos, quòd uelit nos exaudire & saluare. Hoc modo exemplum transferamus ad nos, ad confirmandam fidem, quòd DEVS sit seruaturus ac defensurus Ecclesiam, hoc est, credentes.

Exemplum liberationis populi non est tantùm unius temporis, sed perpetuum.

Ac Psalmus etsi breuissimè historiam recitat, & repetit miracula edita in hoc populo, tamen nominatim recenset hęc beneficia tanquam præcipua, quòd Deus dederit eis Sacerdotium, & gubernârit eos uerbo, ut existerent apud eos uera agnitio & ueri cultus Dei, Item quòd etiam constituerit politiam populi, dederit duces & gubernatores, per quos eum defendit & liberauit, ut constaret hunc populum diuinitus regi.

Quæ beneficia præcipuè Psalmus recenseat.

Hæc significantur in his uerbis, *FACTA EST IVDÆA SANCTIFICATIO EIVS, ISRAEL POTESTAS EIVS.* Nam Sanctificatio significat Sacerdotium, in quo propositum erat uerbum & promissiones datæ huic populo de Christo, quibus Deus se illis patefecit, ut agnosceretur, & addidit ritus seu cultus, quibus segregauit hunc populum ab alijs gentibus, tanquam notis, quibus agnosceretur populus Dei, quia oportuit esse aliquem populum, in quo extarent promissiones, & ubi sciretur Christum nasciturum esse.

Sanctificatio significat sacerdotium.

Deinde etiam politia constituta est in hoc populo diuinitus, & dati Principes, qui eos gubernarent iuxta uerbum quo Deus uoluit regi hunc populum. Ideò additur, *ISRAEL POTESTAS EIVS*, seu dominatio, politia seu regnum &c.

Potestas significat regnum seu politiam.

Hæc satis sit breuiter admonuisse de Historia, Nihil enim habet obscuritatis, tamen meminerimus exemplum accommodandum esse ad Ecclesiam. Sicut Deus illum populum elegit & defendit, cui dedit uerbum &c: Ita sciamus omnibus temporibus esse in mundo aliquam Ecclesiam electam, quę gubernatur diuinitus, & quidem in ea extare hanc notam, quòd habet uerbum diuinitus reuelatum, uidelicet Euangelium de Christo, in quo lucet & apprehenditur uera noticia Dei, ac præstantur ueri cultus, timor, fides, inuocatio & cæteri motus spirituales. Hanc sciamus defendi & conseruari diuina potentia contra sæuitiam mundi & Diaboli, & hac consolatione nos sustentemus, cùm uidemus eam in mundo affligi, & propemodum opprimi, & exerceri pios omni genere

nere calamitatum &c. quòd Deus mirabiliter liberaturus sit pios, & conseruaturus ac glorificaturus Ecclesiam, sicut testantur exempla illius populi & historiæ omnium temporum.

NON NOBIS DOMINE NON NOBIS, &c.

Posterior Psalmus applicatio prioris, & concio de misericordia, fide, inuocatione &c.

HIc Psalmus, ut dixi, aptè coæhret cum superiore. Est enim applicatio historiæ de illo opere & miraculis, quæ erant testimonia, quòd Deus elegisset & uocasset hunc populum, Ac habet grauissimam concionem, quæ docet de misericordia, de inuocatione, de fide, de discrimine ueræ & falsæ Ecclesiæ &c. Et statim initiò ostendit, quare recitauerit historiam liberationis populi, uidelicet ut pij discerent eam accommodare ad totam Ecclesiam omnibus temporibus, ut his operibus admonerentur ad agnoscendum & glorificandum Deum, & excitarentur ad inuocandum & petendum auxilium à Deo. Ideò orditur à precatione, qua petit, ut Deus defendat ac seruet Ecclesiam, sicut antea hũc populum mirabiliter defenderat ac liberauerat. Ita sumit occasionem precationis ab illis operibus, quæ antea ediderat Deus in hoc populo, & inuocat Deum mentione promissionum, quæ datæ erant huic populo, quòd uellet esse ipsorum Deus, quòd esset eis exhibiturus Semen promissum.

Est ergo summa horum uersuum: *NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS, &c.* petimus ut nos adiuues & gubernes ac serues Ecclesiam, quemadmodum à principio eam defendisti & liberasti, priusquam hunc populum elegisti.

Petit exaudiri ut innotescat Dei gloria.

Sed addit causam petitionis, quæ est præcipuè consideranda. Allegat nomen & gloriam Dei. Ideò petit exaudiri, ut innotescat ipsius gloria, quòd sit uerè misericors & seruans promissa, quòd respiciat & exaudiat confidentes misericordia, iuxta promissiones. Ac ut hæc causa fiat illustrior, inserit antithesin, qua excludit dignitatem seu merita humana, quia si pendet res ex nostra dignitate, et sentiendum esset, non prius nos exaudiri, quàm satis meritorum afferremus, non posset teneri fides & uinceret in animis dubitatio. Nam in uero certamine & agonibus piorum, etiamsi quæ uirtutes & benefacta adsunt, tamen obruuntur conspecta magnitudine peccati, & piæ mentes intelligunt hæc non posse consistere in iudicio Dei. Ideò necesse est in uera inuocatione respicere ad misericordiam gratuitam, quæ ostenditur in promissionibus.

Repudiata mentione propriæ dignitatis implorat misericordiam.

Sic ubiq; in precationibus Ecclesia, repudiata mentione propriæ dignitatis implorat misericordiam, imò fatetur peccatum & indignitatem suam, ac petit se exaudiri gratis propter Christum Mediatorem &c. Sicut Daniel cap. 9. orat: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei nostræ. Item: Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam: sed in miserationibus tuis multis. Et sæpè in Psalmis, ut Psalmo 84. Propter Nomen tuum Domine propicius esto peccatis nostris &c.

Ita hîc orat totius Ecclesiæ nomine, ut exaudiatur & defendatur, non propter suam dignitatem, aut iusticias proprias: sed propter misericordiam gratis promissam &c. Idq; ideò, ut ipsi tribuatur laus & gloria, quòd sit uerè misericors, & seruans promissa, qui respiciat ac exaudiat indignos, confidentes misericordia promissa propter Christum. Ideò enim coniungit misericordiam & ueritatem, ut admoneat promissionum factarum de Christo uenturo Semine, qui erat

qui erat futurus uictima & propiciatio, propter quam consequeremur remissionem peccatorum, ac reciperemur in gratiam à Deo.

Admonet igitur hîc uersus, qualis sit inuocatio Ecclesiæ & piorum, uidelicet quæ nititur misericordia, & statuit se exaudiri propter Christum Gratis, nõ propter propriam dignitatem, uidelicet, ut sit certa, & ut fides possit teneri, quam necesse est excuti, si respiciamus ad nostram dignitatem, nec potest fieri uera inuocatio, quæ seriò petit & expectat bona à Deo, ac necesse est tales uiuere in perpetua dubitatione, ac prorsus esse sine DEO, quemadmodum faciunt impij, qui cùm non teneant hanc doctrinam de misericordia gratuita, non possunt inuocare, nec præstare ueros cultus: sed aut prorsus sunt ἄθεοι, negant Deo curæ esse res humanas, Deum non exaudire homines, aut hærent in perpetua dubitatione in omni uita, quæ tandem abripit ac demergit eos in desperationem. Quare teneamus hanc doctrinam, quòd in inuocatione fides niti debeat gratuita misericordia, ut sit certa, & ut uincatur dubitatio. Hoc est præcipuũ beneficium doctrinæ Euangelij, qua uerè patefit & illustratur gloria Dei, & existunt ueri cultus spirituales, sicut sæpè dictum est.

Inuocatio Ecclesiæ nititur misericordia Dei, non sua dignitate.

DEVS AVTEM NOSTER, &c.

SVperior pars Psalmi, ut dictum est, fuit historica narratio de singulari opere Dei exhibito populo Israël, uidelicet de beneficijs liberationis, & instituti regni ac sacerdotij, & de miraculis, quibus Deus testatus est se peculiariter elegisse hũc populum, & se eum defensurum ac seruaturum esse, propter promissiones factas Patribus, & exhibiturum esse Christum, qui liberet genus humanum à peccato & à morte, iuxta promissionem, quæ ideo data erat Patribus, ut per eos propagaretur in posteros, et tandem spargeretur etiam in gentes, ut audientes hoc uerbum de Christo, scirent etiam ad se pertinere promissionem, sicut clarè inquit textus, In Semine tuo benedicentur omnes nationes terræ. Ideò Psalmus primùm percurrit historiam liberationis populi Israël, & constitutæ politiæ ac sacerdotij, & prædicat miracula exhibita illi populo, ad exuscitandam & confirmandam fidem piorum, quia hęc opera testabantur hunc esse uerè Deum, qui se huic populo reuelârat dato uerbo, & admonebant pios, ut crederent Deum uerè exhibiturum beneficia proposita in promissionibus, Deum uelle exaudire ac seruare credentes promissioni & hac fide inuocantes.

Postea in altera parte Psalmi historiæ subiecta est prolixa concio, quæ historiam huius populi accommodat ad doctrinam de fide, de inuocatione & ueris cultibus, & docet, quod sit discrimen ueri & idolatrici cultus, ueræ & falsæ Ecclesiæ. Et hæc posterior pars constat tribus ferè membris.

Primùm exorsus est à precatione, ut Deus defendat & seruet Ecclesiam, & addit causam petitionis, ut Deus exaudiat non propter dignitatem, aut merita populi; sed propter gloriam, ut eam defendat aduersus impios, qui negant hunc esse Deum, & blasphemant eius uerbum, & propter uerbum persequuntur pios. Aduersus hos orat, ut Deus tueatur gloriam suam, & testatum faciat quòd sit Deus, quòd respiciat, exaudiat, adiuuet credentes eius uerbo, ut uidelicet tribuatur ipsi laus misericordiæ & ueritatis, quòd exaudiat, quòd seruet promissa, etiamsi nos sumus indigni, nec possumus afferre merita.

Posterior Psalmus cõstat tribus partibus. Prima est precatio.

Quare hæc petitio primùm prohibet fiduciam propriæ dignitatis, testatur beneficia huic populo exhibita, non contigisse illis propter ipsorum digni-

tatem aut merita, imò ingentia erant peccata, propter quæ Deus potuisset delere populum, quemadmodum historia testatur. Ac etsi in populo erant sancti: tamen maxima pars erat impia, nec pij erant sine peccato, ut Moyses, Aaron. Quare ne sancti quidem possunt allegare sua merita aut dignitatem propriam: sed oportet hos etiam afferre confessionem indignitatis, quemadmodum in Daniele precantur, Tibi DOMINE iustitia, nobis autem confusio faciei, Sed inuocantes allegant Deo promissiones, ut propter eas exaudiat, ut tribuatur ipsi gloria misericordiæ & ueritatis.

In inuocatione necesse est pios adferre ad Deum confessionem propriæ indignitatis.

Ita hîc de inuocatione docet, quòd necesse sit pios primùm adferre ad Deum confessionem suæ indignitatis, deindè quòd tamen nostra indignitas non debeat nos deterrere ab inuocando, quia fides niti debet non nostra dignitate, nec quærere merita, sed nitatur misericordia, quæ proponitur in promissionibus. Hæc cùm sit gratuita, nec requirat conditionem nostræ dignitatis, conscientia tutò ea niti potest, & debet statuere se certò exaudiri. Ideò enim transfertur res à nostra dignitate in misericordiam, ut conscientia sit certa, & fides retineri possit contra dubitationem, sicut Paulus docet Rom. 4. Hæc est sententia uersus, Non nobis Domine, non nobis &c.

Secunda pars de uera agnitione Dei & uero cultu.

Postea attexit descriptionem, quæ docet de uera agnitione Dei, de uero cultu, & ostendit quæ sit uera Ecclesia, quos habeat cultus. Sed ut hoc fiat illustrius, addit luculentam antithesin de idolatricis cultibus impiorum, qui cùm non regantur uerbo, ideo non uerè agnoscunt Deum, nec possunt præstare inuocationem & ueros cultus. Estq; hæc descriptio Psalmi digna, quæ consideretur. Docet enim quæ sit omnium temporum idolatria, & unde oriatur, uidelicet cùm homines suo iudicio instituunt cultus sine uerbo.

Sed priusquam ad hanc descriptionem accedit, præfatur de uera agnitione Dei, de uero cultu, uidelicet inuocatione & fide, sicut dixi, qui cultus non nititur humanis imaginationibus de Deo, aut iudicio rationis: sed iudicat ex uerbo seu promissionibus, & iuxta eas apprehendit Deum, iudicat hunc uerè esse Deum, qui se patefecit in uerbo, nec esse otiosum, sed curare res humanas, seruare promissa, exaudire inuocantes iuxta uerbum. Hoc modo de agnitione DEI docet uersiculus, Deus autem noster in cœlo etc. Prædicat hunc esse uerè DEVM, qui dederit uerbum, qui tot beneficijs & miraculis exhibitis illi populo, testetur suam præsentiam, quòd sit conditor omnium rerum, quòd curet & gubernet res humanas, quòd respiciat & seruet pios, puniat impios &c. Ideoq; hunc esse inuocandum, huic esse præstandos ueros cultus, timorem, fidem, dilectionem &c.

SIMVLACRA GENTIVM ARGENTVM ET AVRVM, &c.

Antithesis de Idolatria.

HAec est antithesis, ut dixi, de illis, qui non agnoscunt hunc DEVM, nec habent uerbum Dei: sed persequuntur populum Dei, qui confitetur uerbum. Hos ait esse sine Deo, & omnes illorum religiones & cultus esse idolatriam. Estq; ualde illustris descriptio, qua uelut ob oculos pingitur cæcitas & amentia illorum, qui non reguntur uerbo: sed iudicant de Deo secundum suas imaginationes, & fingunt ac cumulant cultus propria autoritate, & quidem habent ingentem speciem sanctitatis, uolunt perhiberi religiosè colere Deum.

Quare

Quare non ferunt de se pronunciari, quòd non norint Deum, quòd sint idolatræ.

Sed Psalmus confirmat pios,& pronunciat omnes esse idolatras, & reuera sine Deo, qui non apprehendunt hunc Deum, qui dedit uerbum. Et quia non reguntur uerbo,non possunt statuere se curæ esse Deo, se exaudiri &c. Ita planè faciunt Deum ociosum, qui nec oculos nec aures habeat,non tribuunt ei ueros honores,qui Deo debentur,non uerè timent,nec credunt Deo. Itaq; uerè sunt idolatræ.Hæc breuiter est sententia horum uersuum, qui cùm habeant insignem picturam idolatricorum cultuum, diligenter sunt considerandi. Pulcrè enim docent quid sit idolatria,seu qui sunt idolatrici cultus, & unde oriatur idolatria, uidelicet, cùm homines uolunt apprehendere Deum, & instituunt cultus sine certo uerbo Dei.

Primùm igitur hoc constituatur, cultus idolatricos esse omnes, quicunq; sine mandato Dei instituti sunt.Non enim potest rectè agnosci, aut apprehendi Deus,nisi sese reuelet,& testetur uoluntatem suam uerbo. Et ut cultus placeant Deo, necesse est eos uerbo præscribi ac definiri, quos & quales requirat. Ideò enim dat uerbum, ut de eius uoluntate certi simus, quomodo à nobis coli postulet. Nihil autem opus erat dari uerbum, si ratio per sese Deum apprehendere posset,aut si placerent cultus,iudicio humano excogitati.Quarè necesse est homines sine uerbo deerrare à uero cultu Dei,& fieri idolatras. Fingunt enim Deum aliter quàm est,aliter colunt quàm coli uult,deniq; pro Deo colunt idolum.Non est enim talis Deus, qualem ipsi imaginantur. Constat autem hanc uerè esse idolatriam, cùm pro Deo colitur quod non est Deus, aut cùm Deus alius fingitur quàm est, quemadmodum docet Primum præceptum, Non habebis Deos alienos,quod non tantùm de manifesta idolomania intelligendum est,cùm statuæ aut saxa adorantur: sed prohibet omnes cultus humanos, quos necesse est esse idolatricos,quia contra hoc mandatum instituuntur.

Cultus idolatrici sunt qui sine Dei mandato instituti sunt.

Primum Decalogi præceptũ prohibet omnes cultus humana autoritate conditos.

Ideóq; in Prophetis passim accusatur populus propter tales cultus, & uocantur idolatræ, sicut erat cultus uitulorum in Bethel, & excelsorum in lucis, Qui tametsi sacrificabant non idolis,sicut gentes: sed uni Deo ,& quidem similes erant ritus illis, qui erant instituti uerbo Dei, tamen uocantur idolatriæ, quia contra mandatum Dei ab ipsis erant electi, imò hoc nomine grauius accusatur populus Iudaicus quàm gentes, quòd meretricio more fornicentur, & se turpiter prostituant dñs alienis. Quia cùm hic populus gloriaretur se habere noticiam Dei, habere uerbum, quod eis Deus tradiderat, ut scirent quomodo uellet coli, tamen suo arbitrio nouos cultus excogitabant contra mandatum Dei. Itaq; grauius erat flagitium, nec poterat hæc idolatria excusari ignoratione,sicut gentium , quæ non habebant uerbum.

Populus Iudaicus grauius accusatur ob Idolatriam quàm Ethnicus.

Hoc primùm in genere hoc loco obseruetur de idolatria, quòd idolatria uocentur omnes cultus sine uerbo Dei instituti. Deinde meminerimus hîc accusari idolatriæ in uniuersum omnes homines, qui non norunt hoc uerbum, quòd primùm illi populo in promissionibus traditum fuit,sed postea per prædicationem Euangelij sparsum est in totum orbem. Hinc enim tantùm rectè cognosci potest Deus, & intelligi, quomodo sit colendus. Nam ratio humana etsi habet aliquam noticiam de Deo impressam naturę, uidelicet quòd sit Deus

Idolatræ sunt omnes qui non norunt uerbũ Dei.

conditor & conseruator omnium rerum, quòd sit inuocandus &c. tamen per sese non potest statuere de uoluntate Dei, non potest pronunciare qui cultus placeant Deo.

Sine uerbo regente facilè est deerrare.

Deindè nec hoc statuere potest, an sit curæ Deo, an uerè exaudiatur &c. Et cùm deest uerbum, quo regi debebat illa noticia naturalis de Deo, postea facilè decipitur ut deerret, ac distrahatur uarijs opinionibus, & cultum Deo debitum, ac diuinos honores: timorem, fiduciam, inuocationem, tribuat ei quod non est Deus.

Ratio sine uerbo non apprehendit Deum.

Nam etsi in genere ueras noticias habet ratio: tamen sine uerbo non potest DEVM apprehendere, & in applicandis illis noticijs fallitur & aberrat. Tanta etiam est infirmitas, ut in hominibus securis, illæ ipsæ noticiæ naturales, sæpè aut obliterentur, aut prorsus excutiantur dubitatione, cùm ratio sine uerbo errans, iudicat de præsentibus euentibus & casibus, uidet multa euenire aliter quàm oportuit, iudicat esse summam confusionem rerum humanarum. Ideò delabitur in epicureas opiniones, ut neget prouidentiam, statuit Deum nihil esse. Ita multi fiunt prorsus ἄθεοι.

Rursus in magnis periculis, cùm uidet se destitui omnibus præsidijs humanis, ipsa magnitudo periculi & calamitatum, reuocat mentes ad illud quale cunq; iudicium naturæ de Deo, & adigit eò, ut quærant aliquod numen, qua de re eleganter Poëta. Primos in orbe Deos fecit timor &c. Sed quia sine uerbo ratio non rectè quærit Deum, necesse est eum miserè errare & fluctuare opinionibus. Nam ut cuiq; obiectus est aliquis metus, aut periculum, imò ut cuiusque animus aliquo affectu occupatus est, ita sibi Deum & cultum fingit.

Confusio Ethnicæ Idolomaniæ nata ex tenebris mentis & errantium opinionũ sine uerbo.

Ex his tenebris mentis humanæ & errantium opinionum sine uerbo nata est illa confusio Ethnicæ idolomaniæ omnibus temporibus, & infinita superstitio absurdissimorum cultuum, sicut Aegyptij feles, cepas, Romani pallorem, febrem &c. coluerunt. In quorum locum postea successit non minor idolomania in Ecclesia, in cultu & inuocatione mortuorum. Ac horribile est tantam caliginem animis hominum offundi, ut ridiculis & manifestis superstitionibus decipiantur. Sed sic est, sine uerbo fieri non potest, quin homines uariè errent opinionibus. Lucerna, inquit Dauid, pedibus meis uerbum tuum. Quare oremus Deum, ut nos gubernet & regat uerbo, ne deerremus. Necesse enim est, ut dixi, fieri idolatras, qui sine uerbo quærunt Deum. Non enim possunt rectè apprehendere Deum: sed quemadmodum incerti feruntur cæcis & fluctuantibus opinionibus, ita iuxta eas fingunt uarios cultus, qui in Prophetis uocantur idola, & in hoc Psalmo simulacra gentium &c.

Cultus gentium sine uerbo sunt simulacra facta ab hominibus.

Dixi autem obseruandam esse hanc descriptionem Psalmi. Est enim insignis irrisio humanorum cultuum, Ait omnes cultus gentium, id est, eorum, qui carent uerbo, esse simulacra facta ab hominibus, & quidem talia, quæ nec loquantur, nec uideant, nec audiant &c. Vide enim quanta sit cæcitas, Homines sine uerbo audent iudicare de Deo, & instituunt cultus, Hoc uerè est fingere seu sculpere Deos, seu simulacra, non enim apprehendunt Deum ut est, nec consistunt in certo aliquo & unico Deo: sed, ut dixi, sicut uariè errant opinionibus, ita fingunt uarios cultus, alij alios &c. & postquam suum sibi quisq; Deum finxit, & suos cultus exercet: tamen adhuc hæret in dubitatione, non uerè statuunt se exaudiri, defendi, adiuuari in periculis. Hoc uerè est fingere Deum, seu habere

habere pro Deo,colere,inuocare talem,qui habeat oculos,aures,manus: nec tamen uideat, aut audiat, aut palpet, quia non possunt statuere quòd respiciantur,exaudiantur,adiuuentur &c.

Sic sunt omnes religiones,& cultus humani,sine uerbo,uidelicet nihil aliud, nisi stulta aut mendax opinio de Deo, fingunt cultus, somniant se habere Deum, cuius officium est ubiq; adesse, exaudire & opem ferre, Id enim est oculos & aures habere &c. Nec tamen iudicant uerè præsentem & efficacem esse. Reuera ergo talem Deum fingunt, qui uelut statua habens oculos & aures, nihil nec uideat nec audiat. Id uerè est esse sine Deo,facere ociosum,& nihili idolum,Sicut & alibi ait Psalmus: Omnes dij gentium dæmonia seu idola. *Religiones sine uerbo sunt stulta et mendax opinio de Deo.*

Dixi de idolatria,quæ in his uersibus pulcrè describitur, & quæ sit ac unde oriatur, & quàm latè pateat. Estq; illustrata descriptio insigni reprehensione, quæ taxat & irridet omnes cultus humanos, qui sine uerbo, seu mandato Dei instituuntur, quòd sint irriti & sine fructu, sicut & Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominum &c. Quia enim non habent uerbum homines, non possunt certi esse de uoluntate Dei, nec possunt statuere se exaudiri à Deo. Quare reuera sunt sine Deo, sicut hîc ait: Similes illorum sunt, qui faciunt ea &c. Itaq; omnis illorum religio & cultus prorsus sunt frustra & nihili.

Hæc,ut dixi, non tantùm intelligenda sunt de uno aliquo tempore, aut genere hominum, qui manifestè sunt idolatræ,aut prorsus alieni à populo Dei, sicut Ethnici &c. sed semper omnibus ætatibus mundus plenus est idolatricis cultibus, qui propriè inde existunt, quòd sine uerbo homines quærunt Deum, & sibi fingunt cultus pro suo arbitrio. Vnde etiam orta est omnibus temporibus crassa illa idolomania, quæ alligat DEVM ad certa loca, seu certas statuas,ac putat illis adesse aliquid numinis,seu præsentiæ diuinæ. Sicut etiam in illo populo erat cultus uitulorum,Baal & similes, contra mandatum Dei instituti. *Omni tempore mundus plenus est idolatricis cultib.*

Hinc igitur facilè est iudicare, de nostri temporis idolatria, quæ in Ecclesiam inuasit, oppresso uerbo Dei, & ignoratione uerorum cultuum, quam oportuit sequi, postquàm obscurata est pura doctrina Euangelij, Ecclesia oppressa fuit non tantùm crassissimis superstitionibus, quæ à quouis facilè possunt iudicari, sicut est illa idolomania adorandi ad certas statuas, item idolatrica inuocatio Sanctorum. Sed accesserunt & aliæ, quæ sunt obscuriores,qualis est totus cultus Missarum priuatarum,ubi sacramentum corporis & sanguinis DOMINI collocatum fuit ad horribilem abusum & profanationem, neglecto uero usu,qui est manducatio in fide,quæ statuit,quòd in hac Cœna exhibeantur & contingant nobis beneficia Christi, quòd uerè adiungamur Christo, tanquam membra, quæ fides excitata & confirmata usu Sacramenti, erigit, & consolatur conscientiam. *Idolatria nostri temporis.* *Cultus Missarum.*

Pro hoc uero usu inuecta est multiplex idolatria, Sacramentum ipsum sine manducatione à Christo instituta, & sine fide in Missis propositum est tantùm pro spectaculo adorandum, Deinde in eundem finem solitum circumgestari. Item Missa proposita est tanquam cultus, qui ex opere operato prodesset facienti aut spectanti, & applicatus pro alijs, mereretur remissionem peccatorum uiuis & mortuis, &c. Denicq; hic totus cultus Missarum in uniuersum est idolatricus, propter has duas causas. Primùm, quia est cultus institutus in Ecclesia humana autoritate,sine mandato Dei.Deindè quia non seruatur institutio *Idolatria in Sacramento Cœnæ.* *Cultus Missarum idolatria est propter duas causas.*

tutio Christi, quæ est ut distribuatur manducandum corpus, & bibendus sanguis eius in Ecclesia, non ut fiat opus operatum, aut ut proponatur Sacramentum ad spectaculum. Non est autem dubium Sacramenta, cùm adhibentur ad alium usum pugnantem cum institutione Christi, non esse Sacramenta, sicut nunc Turcica aut Iudaica Circumcisio non est sacramentum: sed inane spectaculum, quia non habet uerbum, nec promissionem diuinam. Quare palàm est, in tali usu Sacramenti, alieno ab institutione Christi, multis modis committi idolatriam. Hæc addidi exempli causa. Nam de hac re aliâs dici solet. Nunc redeo ad textum.

DOMVS ISRAEL SPERAVIT IN DOMINO, &c.

PSalmus instituit, ut dixi, antithesin, qua discernit ueros & falsos cultus. Dixit de Idolatris, qui sunt sine Deo, & exercent cultus impios & irritos. Nunc addit alteram partem de ueris cultibus, quos præstat populus Dei. Ac primùm describit populum, qui est Ecclesia, seu populus Dei, uidelicet is, qui habet promissiones & regitur uerbo.

Domus Israël, domus Aaron, populus cui se patefecit Deus.

Nam hæ appellationes: Domus Israël: Domus Aaron: significant eum populum, cui se reuelauit Deus in uerbo, & tradidit promissiones, sicut & illa descriptio: Qui timent Dominum, id est, qui colũt Deum iuxta uerbum traditum. Tametsi appellationes, domus Israël, domus Aaron, discernunt utramq; administrationem, uidelicet politicam seu regni, & sacerdotij, quæ sic erant distincta, ut administratio Sacerdotij, tantùm mandata esset generi seu familiæ Leuiticæ ab Aaron. Nec uoluit Deus confundi hæc discrimina ab ipso ordinata, ne uidelicet cæteræ familiæ inuaderent in administrationem Sacerdotij, quę pertinebat ad familiam & posteritatem Aaronis. Sed tamen utraq; administratio, tàm politiæ quàm sacerdotij, erat diuinitus instituta, & tradita, ac uerbo Dei gubernabatur. Quare describit talem populum, qui habet uerbum, quòd est testimonium hunc esse populum Dei.

Qui sint cultus quos præstat Ecclesia.

Secundò, de cultu huius populi inquit: Sperauerunt seu confidunt in Domino, &c. Hîc addit notam, quæ describit, qui sint ueri cultus, quos præstat Ecclesia, seu ij, qui uerè sunt populus Dei. Hæc nota est, qua agnosci potest quæ sit Ecclesia, uidelicet, quæ habet uerbum, quo docetur de uera noticia Dei, ubi exercentur cultus spirituales, uidelicet timere, confidere, inuocare, &c. Hos opponit aliorum cultibus, qui quia sunt sine uerbo, nec sunt tales ubi mens agit aliquid cum Deo, non uerè timet, nec uerè confidit, aut inuocat: sed tantùm sunt externæ obseruationes operum, nihil sunt nisi idolatria.

Veri cultus discernunt Ecclesiam ab alijs.

Quare hi cultus faciunt discrimen inter eos, qui uerè sunt Ecclesia, seu populus Dei & alios. Nam exercitia & obseruationes operum possunt præstare etiam palàm impij. Sed hunc cultum præstant tantùm pij, uidelicet, ij, qui iuxta uerbum iudicant de uoluntate Dei, uerè timent Deum, deinde confidunt misericordia promissa, credunt sibi ignosci à Deo, & se recipi propter Filium Dei. Hac fiducia inuocant in periculis, & sese sustentant spe ac expectatione auxilij & liberationis. Itaq; hi cultus sunt testimonium, quòd sint populus Dei. Nam ipsi his cultibus testantur, quòd sentiant se uerè habere Deum, se curæ esse Deo, uerè exaudiri &c.

Tales cultus requirit Deus ab omnibus, uultq; præstari in omnibus generibus

neribus uitæ, in unaquaq; administratione seu uocatione, sicut hîc ait Psalmus: Domus Aaron confidit in Domino, & omnes, qui timent Dominum, confidunt in Domino. Omnis uita piorum plena est periculis & difficultatibus omnis generis. Quare in omni gubernatione, Ecclesiastica & politica, in uita œconomica uniuscuiusq; opus est fide, id est, fiducia, quæ in periculis inuocat et expectat auxilium & liberationem à Deo. Nec sine hac Deo placere aut felix esse potest ullum opus, aut ullum genus uitæ. Quare hæc fides regat & gubernet omnem uitam, omnes actiones piorum. Tùm demum erunt cultus DEO grati, &, sicut in scriptura uocantur, sacrificia, id est, talia opera, quibus Deus iudicat se uerè coli & honore affici, quemadmodum Psalmo quarto dicitur: Sacrificate sacrificia iusticiæ, & sperate in Domino.

Dicta de fide, inuocatione, referenda sunt ad promissionem Euangelij de Christo.

Cæterùm hoc etiam meminerimus, sicut aliâs sæpè dictum est, omnia dicta, quę in genere docent de fiducia, spe, inuocatione, &c. referenda esse ad principalem promissionem Euangelij de Christo, uidelicet quòd intelligenda sit fides, quæ primum apprehendit remissionem peccatorum, & statuit sibi ignosci, et se recipi à Deo per misericordiam gratis propter Christum. In hanc promissionem semper intueri debet animus, & in omnibus periculis, in omni inuocatione hanc fidem præcedere oportet, & gubernare omnes actiones. Nec potest sine ea fieri uera inuocatio. Neq; enim statuere potes quòd Deus accipiat tuas preces, & daturus sit, quæ petis, nisi primùm hac fide statuas, quòd Deus uelit tibi ignoscere, & te exaudire per misericordiam propter Christum iuxta promissiones. Hactenus dictum est, quis sit uerus cultus, quem requirit Psalmus.

De effectu seu fructu uerorum cultuũ.

Tertiò additur de effectu, seu fructu, qui sequitur, cùm inquit, Adiutor eorum & protector eorum est. Hîc ostendit, cultus piorũ non esse frustraneos, non esse irritam fiduciam & inuocationem: sed exaudiri, iuuari, defendi, liberari pios, qui habentes uerbum & promissiones, sicut populus Israël habebat, iuxta illas credunt & inuocant Deum, sicut testantur historiæ illius populi, & exempla omnium ætatum, Deum mirabiliter adiuuisse & defendisse pios, seruasse Ecclesiam omnibus temporibus, sicut populum Israël ingentibus miraculis liberauit, conseruauit Sacerdotium & Regnum à se institutum, dedit insignes uictorias &c. Hæc opera testantur piorum fiduciam & preces non esse irritas, & sicut ipsi iudicant se uerè habere Deum, quem inuocant fide, & ab eo expectant bona, ita uicissim Deus testatur, quòd sint populus, quòd placeant ipsorum cultus, quia exaudit eos, adiuuat, defendit &c. dat bona spiritualia & corporalia.

Qui carent fide, in grauibus periculis opprimuntur dubitatione.

Econtrà qui carent hac fide, etiamsi habent professionem religionis, et aliquos cultus operum: tamen non uerè apprehendunt Deum, non statuunt se exaudiri. Quare in grauibus periculis opprimuntur dubitatione, et destituti consilio ac præsidijs ruunt in desperationem, ut Saul, etiamsi sacrificat, & præstat quasdam obseruationes Legis: tamen, quia est sine fide, non præstat ueros cultus, in periculis non potest statuere se respici et exaudiri à Deo, nec expectat ab eo liberationem: sed uictus dubitatione, quærit alia non concessa auxilia, quæ cùm frustrantur ipsum, tandem ruit in desperationem. Dauid quia habet fidem, etsi conflictatur ingentibus ærumnis & periculis: tamen fortiter perfert pericula, ac tandem emergit, et uincit fide, qua statuit se exaudiri à Deo iuxta promissiones, & magna fiducia expectat liberationem. Hæc satis sit monuisse de hoc loco Psalmi.

DOMINVS MEMOR EST NOSTRI, &c.

HAec cohærere cum superioribus testantur repetitiones, domui Israël, domui Aaron. Ac,sicut cœpit, pergit commemorare beneficia, quibus Deus testatur se uerè esse Deum huius populi, cui dedit uerbum ac promissiones, quia præstet promissa,respiciat & adiuuet,& benefaciat pijs,qui iuxta uerbum apprehendunt Deum, & præstant ueros cultus, fiduciam, inuocationem, &c. qui non sunt, ut aliorum cultus, irriti & sine fructu: sed Deus ostendit sibi eos placere,quia exaudit pios, & dat beneficia,quæ complectuntur hi uersus.

Gratiarum actio pro dato Regno & Sacerdotio.

Ac sicut initiò Psalmus exorsus est gratiarum actionem à commemoratione beneficiorum,quæ Deus singulariter præstitit illi populo: Ita nunc repetit in genere beneficia data diuinitus, & addit precationem, ut Deus ea conseruet & augeat. Vt autem dixi de auxilio Dei & defensione: Adiutor et protector eorum est: ita hîc de conseruatione,incremento,& propagatione beneficiorum agit gratias. Primùm inquit: Dominus meminit nostri,id est, conseruat uerbum traditum, & alia beneficia,adest & adiuuat nos in periculis, ac etiamsi aliquandiu sinit nos affligi,& differt auxilium: tamen non ideo deserit nos, non obliuiscitur nostri: sed cùm est opus adiuuat,& mirabiliter seruat nos. Item benedicit nobis,id est,fauet & benefacit nobis,cumulat nos donis,dat successus & incrementa donorum.

Ac repetit in specie beneficia, agit gratias pro dato Regno ac Sacerdotio, Benedicit domui Israël,& domui Aaron, id est, sicut in hoc populo Deus instituit utramq; gubernationem Regni & Sacerdotij, & dedit promissiones de utraq;, Idq; præcipuè propter Christum. Ita utramq; conseruat,et dat bona necessaria ad conseruationem utriusq; status. Sacerdotium institutum fuit propter ministerium uerbi,ut populus doceretur,et ut esset aliqua Ecclesia,ubi conseruarentur promissiones de Christo. Ideò ad illud conseruandum dedit Prophetas, qui subinde doctrinam obscuratam restituerunt, clarius explicârunt promissiones,fuerunt autores abolendi idolatricos cultus, & populum reuocârunt ad ueram noticiam Dei,& ueros cultus. Sic etiam in politia,cùm populus premeretur à uicinis hostibus,item ab Assyrijs regibus Deus mirabiliter adiuuit populum, excitauit heroicos uiros, per quos dedit insignes uictorias,reddidit pacem, restituit statum politicum &c. Hoc est quod inquit, Benedicit domui Israël.

Præcipuum beneficium exhibitio & conseruatio promißionum.

Sed præcipuum beneficium est, quòd in hoc populo dedit ac conseruauit promissiones de Christo, Christum exhibuit iuxta promissionem, propter quem & illud sacerdotium Leuiticum, & regnū corporale huic populo à Deo traditum erat, ut esset testimonium uenturi promissi Seminis benedicti,qui futurus esset æternus Rex & Pontifex, sicut alibi describitur, qui ipse sese offerret uictimam pro peccatis,ac uicta & abolita morte & potestate Diaboli,liberaret genus humanum, placaret nobis Deum, & sublato peccato & morte, donaret iusticiam & uitam æternam. Hæc est æterna administratio sacerdotij & regni spiritualis,ubi Christus ad dextram Patris interpellat pro nobis, gubernat Ecclesiam,dato uerbo & Spiritu sancto, defendit eam aduersus sæuitiam Diaboli & mundi. Huius æterni sacerdotij & regni umbra erat illud externum sacerdotium Leuiticum,& regnum populi,quia propter Christum institutum erat, & habebat promissiones de Christo,Et apparet ideò hîc mentionem fieri regni & sacerdotij, ut admoneat pios promissionū de Christo, quæ describunt regnum

& ſacerdotium æternum, ſicut & alias ſententiæ de Sacerdotio & Regno reuocant nos ad promiſſiones de Chriſto.

ADIICIAT DOMINVS SVPER VOS, &c.

ADdit apoſtrophen, qua gratulatur & benè precatur piis, habentibus hæc beneficia diuina, uidelicet, uerbum & ueram noticiam Dei, ueros cultus, & alia bona ſpiritualia & corporalia, ut Deus hæc augeat & conſeruet. Sicut & nobis gratiæ agendæ ſunt pro talibus beneficijs, quòd Deus dat uerbum, quòd conſeruat Eccleſiam, dat pacem publicam &c. & petendum ut hæc bona foueat & conſeruet, ut propagentur ad poſteros.

Petitio ut hæc beneficia augeat & conſeruet.

BENEDICTI VOS A DOMINO, &c.

INgens præconium eſt, & dulciſſima conſolatio, de uera Eccleſia habente uerbum diuinitus traditum, quo ſe patefecit DEVS, ut uerè agnoſci poſſit, & addidit ingentia beneficia, promiſit & exhibuit Filium ſuum, per quem credentibus contingunt æterna bona, liberatio à peccato & morte æterna, remiſſio peccatorum, donatio Spiritus ſancti, & uita ac lætitia perpetua in æterna conſuetudine cum Deo. Addidit etiam corporalia beneficia, quòd inde uſq; ab initio ſemper in mundo dedit Eccleſiæ uictum, defenſionem. Item editis miraculis teſtatus eſt ſuam præſentiam. Quare rectè ornatur hic populus hoc præconio, quòd *SINT BENEDICTI A DEO*, id eſt, habentes Deum placatum, fauentem, cumulantem eos omni genere bonorum. Diſcernit ergo hunc cœtum, habentem uerbum & promiſſiones, ab omnibus alijs gentibus. Solius huius populi hæc eſt gloria, quòd uerè habeat & colat Deum, quia habet uerbum, habet teſtimonia operum Dei, ſacerdotium & regnum diuinitus inſtitutum. Quare in hoc populo uerè poteſt conſpici Deus. Hanc gloriam non habent aliæ gentes, quæ etiamſi habent aliquam noticiam quòd ſit Deus: tamen quia ſunt ſine uerbo, quo ſe patefecit Deus, non rectè apprehendunt Deum, nõ agnoſcunt eius beneficia, Sed, ut ſuprà dixi, iactantur errantibus opinionibus de Deo, non uerè ſtatuunt Deo curæ eſſe res humanas, Deum ubiq; adeſſe, omnia regi & gubernari ipſius conſilio & potentia, certò reſpici, recipi, & exaudiri credentes propter Filium promiſſum: ſed putant res humanas temerè & caſu ferri. Quare non uerè timent Deum, non confidunt Deo, non inuocant nec expectant bona à Deo. Hæc eſt cæcitas & ignoratio humana, cùm homines carent uerbo diuinitus tradito.

Benedicti à Deo.

Quæ ſit ſolius Eccleſiæ gloria.

Aliæ gentes carent ea gloria quæ eſt Eccleſiæ.

Econtrà pij, qui habent hoc ſummum beneficium, hi demum rectè apprehendunt DEVM, uident & agnoſcunt eius præſentiam, quòd ſit conditor & conſeruator omnium rerum, quòd gubernet omnia, quòd iraſcatur peccato, puniat improbos, & benefaciat Iuſtis. Nec tantùm hanc Legis noticiam habent: Sed etiam norunt promiſſiones Euangelij, quòd Deus uelit condonare peccata, & recipere homines propter Filium ſuum, quem uoluit fieri uictimam pro nobis. Quare uerè agnoſcunt Deum, ſciunt eum iraſci peccato, ideò uerè timent, rurſus ſeſe erigunt fiducia miſericordiæ promiſſæ propter Chriſtum, & hac fiducia inuocant. Itaq; præſtant ueros cultus, expectant etiam & petunt à Deo corporalia bona, neceſſaria in hac uita, uictum, defenſionem, pacem publicam &c. Tales ergo uerè prædicant Deum, q̃ hic Deus, cuius uerbum habent, ſit uerè Deus, omnipotẽs, conditor & cõſeruator omnium rerũ, qui ubiq; adſit, gubernet omnia, & impertiat diuina beneficia, & uerbum, quo agnoſci & coli poſ-

coli possit, det item bona corporalia, uictum, defensionem, conseruationem status politici &c.

Hæc prædicat hic uersus: *COELI COELORVM DOMINI SVNT*, Id est, hic Deus ubiq; adest, gubernat & conseruat uniuersam naturam rerum, ac ita agnosci uult, quòd ubiq; respiciat, exaudiat, seruet pios, &c. Deinde, *TERRAM DEDIT FILIIS HOMINVM*, Id est, ille ipse DEVS etiam dat bona corporalia, necessaria in hac uita, regimen politicum, defensionem &c. Hæc etiam largitur, ut Ecclesia in mundo durare possit, ut pij habeant aliqua commoda uitæ. Hæc sunt Dei beneficia, nec sunt in potestate humana, etiamsi impij & Tyranni rapiunt imperia, conantur opprimere pios, eripiunt eis commoda uitæ, etiamsi Diabolus per homines improbos sæpè perturbat statum, & tranquillitatem rerumpub. bellis, seditionibus, & alijs modis: tamen Deus conseruat respub. & defendit pios, propter eos largitur pacem, & alia beneficia, ut sit aliqua Ecclesia.

Beneficia corporalia Ecclesiæ.

Est autem obseruanda hæc particula, quæ ait: *TERRAM DEDIT FILIIS HOMINVM*, quia habet utilem doctrinam de rebus politicis, & earum usu, testatur politicas, & alias res necessarias ad rem corporalem, esse res à Deo cõditas, ad utilitatem humani generis, & ab ipso dari & conseruari. Quare significat earum usum concessum esse, & approbari à Deo. Quia enim dicit hæc approbari à Deo seu esse dona Dei, sequitur esse res bonas, & quòd earum usus placeat Deo, sicut & Paulus inquit de hoc genere: Omnis creatura Dei bona est. Quare res politicæ, imperia, iurisdictiones, magistratus, diuisio & proprietas rerum iuxta leges, contractus, iudicia &c. sunt res, quarum usum Deus approbat, & in pijs usus earum est opus Deo placens.

Terram dedit filijs hominum quam habeat doctrinam.

Hæc prodest tenere ad refutandas imaginationes hypocritarum & fanaticorum, qui damnant usum rerum politicarum, aut certè non satis reuerenter de eis sentiunt. Sed hæc doctrina amplificat & ornat dignitatem magistratuum, & rerum politicarum, uult nos reuerenter sentire de his, tanquam beneficijs diuinitus donatis, excitat etiam studium diligentius parendi legibus & magistratibus. Postremò hæc sententia admonet & eos, qui uersantur in magistratibus, & reliquos, ut meminerint his rebus corporalibus utendum esse tanquam donis Dei, nec sic dari, ut homines arbitrentur potentia, gubernatione, opibus aut alijs rebus pro sua libidine utendum esse, contra uoluntatem Dei, ad explendas suas uoluptates, aut ad aliorum iniuriam, & ad opprimendos pios &c. Quia Deus qui est autor & dator horum bonorum, non uult ut ea habeamus tanquam propria & à nobis parta: sed ut ijs utamur tanquam administratores alieni beneficij, & meminerimus hæc conferenda esse ad gloriam Dei, & ad utilitatem publicam, ac Deo reddendam esse rationem nostræ administrationis.

Testimonium contra fanaticos de usu rerum politicarum.

Rebus corporalibus utendum tanquam donis Dei.

NON MORTVI LAVDABVNT TE DOMINE &c.

MEmorabili sententia claudit Psalmum, qua repetit precationem, quæ est in hoc Psalmo præcipua, uidelicet, ut Deus exaudiat, defendat, & seruet populum seu Ecclesiam, propter suam gloriam, ut possit laudari, ut præstentur ei ueri cultus, qui sunt inuocatio cum fide, quæ certò expectet auxilium & liberationem

tionem,deinde laus & gratiarum actio pro datis beneficijs,pro liberatione &c. Allegat ergo eandem causam petitionis, quam suprà in uersu: Non nobis Domine,sed Nomini tuo da gloriam &c.petit exaudiri,ut innotescat & celebretur gloria Dei,quæ est, quòd Deus exaudiat GRATIS,per misericordiam,non propter nostram dignitatem: sed adiuuet & saluet indignos,non uelit nos perire etiamsi habemus peccatum. Ideò ait: *NON MORTVI LAVDABVNT*, quasi dicat, Si sentiendum esset, tùm demum inuocandum esse, aut statuendum quòd Deus nos exaudiat, si nos haberemus satis meritorum, non posset celebrari gloria Dei, quæ laus non esset misericordiæ: sed nostræ dignitatis,imò non posset existere fides,aut inuocatio: sed animi opprimerentur dubitatione & desperatione,quia semper habemus peccatum. *Non mortui laudabunt te.*

Quare ita inuocamus, non quærentes nostra merita, aut respicientes ad propriam dignitatem: sed confidentes tua misericordia, quòd gratis recipias, exaudias,salues,iuxta promissiones,& ideò petimus nos exaudiri,ut tibi tribuatur laus misericordiæ,& innotescat gloria tua. Estq; grauissima sententia,quæ allegat Deo misericordiam & bonitatem, & docet hac fide inuocandum esse,& expectandam à DEO salutem, quia DEVS non uelit nos perire: sed uelit adiuuare, etiamsi sumus indigni ut possit laudari.

PSALMVS CXVI.

I.

Dilexi,quòd exaudit Dominus vocem deprecationum mearum.

II.

Quia inclinat aurem suam mihi, & omnibus diebus meis inuocabo.

III.

Circumdederunt me funes mortis, & angustiæ inferni inuenerunt me, Tribulationem & pauorem inueni.

IIII.

Et Nomen Domini inuocabo, Obsecro Domine, eripe animam meam.

V.

Misericors Dominus & iustus,& Deus noster miseretur.

VI.

Custodit paruulos Dominus, Attenuatus sum, & saluauit me.

VII.

Reuertere anima mea in requiem tuam, Quia Dominus benefecit tibi.

VIII.

Quia eripuisti animam meam de morte, oculos meos à lacrimis, pedem meum à lapsu.

IX.

Ambulo coram DOMINO in terra viuentium.

I.

Credo propterea loquor, Ego autem humiliatus sum valde.

II.

Ego dixi in consternatione mea, omnis homo mendax.

III.

Quid reddam Domino, pro omnibus beneficijs erga me?

IIII.

Calicem salutarem accipiam, & nomen Domini inuocabo.

V.

Vota mea Domino reddam, coram omni populo eius.

VI.

Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

VII.

Obsecro Domine, quia ego sum seruus tuus, Ego sum seruus tuus, & filius ancillæ tuæ, qui dirumpis vincula mea.

VIII.

Tibi sacrificabo sacrificium laudis, Et Nomen Domini inuocabo.

IX.

Vota mea Domino reddam, coram omni populo eius.

X.

In atrijs domus DOMINI, In medio tui Ierusalem.

ENARRATIO PSALMI CXVI.

Argumentum & dispositio Psalmi CXVI.

EST & hic Psalmus ualdè celebratus, quia res insignes continet, consolationem in summa tentatione, uidelicet animi luctantis cum terroribus æternæ mortis & iræ Dei. Item mandatum de Confessione, doctrinam de peccato & condemnatione humanæ iusticiæ, doctrinam de persecutione, de ueris cultibus, scilicet de afflictione, inuocatione & confessione. Hæ materiæ proponuntur in exemplo, ut fit in Psalmis, Estq; gratiarum actio commemorantis pericula, & liberationem, & effectus qui secuti sunt. In hac imagine traduntur præcipui loci doctrinæ Euangelij. Terrores describunt ueram pœnitentiam. Consolatio qua se sustentat Dauid in his terroribus, sunt uoces fidei, Et qualis res sit fides, & quòd uerè hunc cultum DEVS postulet, clarè ostendit hoc exemplum, uidelicet, quòd fides niti debeat sola misericordia, & non intueri nostras uirtutes, nec frangi & excuti conspectu nostræ infirmitatis. Hæc est doctrina peculiaris Euangelij concionantis de gratuita reconciliatione, quæ diligentissimè cognoscenda & discernenda est à doctrina Legis. Necesse est autem lucere in Ecclesia doctrinam de his certaminibus, & pios ea experiri, alios plus, alios minus, Nec inuocatio uera sine hac fide existere potest. Vbi autem accensa est hæc fides, sequuntur inuocatio, confessio, crux. Hos locos constat esse præcipuos in doctrina Euangelij, & in uita Christiana.

Hic Psalmus exemplum doctrinæ Euangelij et uerorum certaminũ ac sacrificiorum.

Est igitur hic Psalmus exemplum doctrinæ Euangelij, & imago uerorum certaminum & sacrificiorum, Nam hîc quoq; significatur discrimen cultuum, & proponuntur non ceremoniæ, sed longè alia sacrificia, scilicet fides, inuocatio, confessio, afflictio. Et memorabiles sententiæ multæ traduntur.

Initiò

Initiò de Fide, *DILEXI QVOD DEVS EXAVDIT ME*, id eſt, lætor, hac conſolatione me ſuſtento, quòd exaudit me Deus luctantem cum terroribus æternæ mortis. Hęc eſt uox fidei, quæ nititur ſola miſericordia, ut poſtea dicit, Deus noſter miſeretur. Tales ſententiæ opponendæ ſunt dubitationi ac diffidentiæ, quæ deterret & languefacit inuocantem. *Dilexi, id eſt, lætor.*

Ideò poſtea coniungit inuocationem & fidem. *CREDIDI, PROPTER QVOD LOQVOR*, id eſt, Inuoco, & profiteor. Saul quia dubitat, fugit Deum, non inuocat. Itaq; inuocatio apud ignaros & hoſtes Euangelij, non eſt inuocatio Dei, ſicut nec apud gentes. *Loquor, id eſt, inuoco.*

Eſt & hoc memorabile dictum, quòd omnes homines accuſat, *OMNIS HOMO MENDAX*, id eſt, non rectè ſentiens de Deo. Nemo timet ut debet, nemo confidit Deo, ut debet, ſed inflectuntur animi, aut auertuntur à Deo, metu, fiducia humanarum rerum, quærunt præſidia humana, ruunt amore & aliis motibus contra Deum. *Homo mẽdax, id eſt, non rectè ſentiens de Deo.*

Eſt & hoc memorabile dictum, *PRECIOSA MORS SANCTORVM IN CONSPECTV DOMINI*. Etſi coram mundo uidentur à Deo abiecti, negligi, interire, tamen reuera Deus hoc ſacrificium, uidelicet mortem, ducit eſſe precioſum & excellentem cultum. Ac uiciſſim curat, ſeruat, & glorificat eos. Eſtq; teſtimonium de uita futura poſt hanc uitam. *Mors precioſa, id eſt, excellens cultus.*

Recenſui & argumentum Pſalmi, & excerpſi quædam dicta, quæ ualdè prodeſt habere in conſpectu poſita, & cõtinent dulciſſimam doctrinam & conſolationem piorum, qui non ſunt omnino ocioſi, ſed exercentur ærumnis aliquibus, et petunt à Deo auxilium & conſolationem. Ac de argumento tantùm.

LÆTOR, QVOD EXAVDIT DOMINVS VOCEM DEPRECATIONVM MEARVM.

PRimus uerſus eſt propoſitio & ſumma negocij. Cùm enim ſit gratiarum actio, ſtatim incoat eam ab hac ſententia, Gaudeo me exaudiri à Deo, Ago gratias Deo me exaudienti, Obſeruandus eſt enim Ebraiſmus in uerbo translationis uſitatæ, Dilexi, quoniam exaudiet. Nam uis Ebraicæ figuræ hæc eſt, Hanc rem mihi ex animo gratulor, hac me conſolatione ſuſtento, hac re delector, quòd Deus me exaudit. *Propoſitio Pſalmi.* *Hebraica phraſis in uerbo dilexi.*

Dixi autem antea, hanc eſſe fidei uocem, quæ eluctatur ex mediis fluctibus, cùm ſtatuit Deum uerè uelle exaudire & ſaluare per miſericordiam, & ſentit nos non debere cedere aut deſperare, propterea quòd peccata accuſant nos, aut deterret nos infirmitas noſtra. Contra hæc erigamus animos, & ſuſtentemus nos promiſſione miſericordiæ. Sic uult Deus inuocari, & hæc inuocatio eſt uerum fidei exercitium, & cultus quem Deus flagitat & in Euangelio requirit. Sic inuocat Dauid, pulſus in exilium. Mouetur conſcientia ſui lapſus, deinde ingentium & horribilium ſcandalorum, quæ ſecuta ſunt propter illum lapſum, Non potuit niti meritis, ſed intuetur promiſſionem gratuitam remiſſionis peccatorum. Hac una ſe erigit & ſuſtentat, accipit remiſſionem, & expectat ueniam ac liberationem. Ita fide eluctatur ex inferis. Talia exempla monſtrant ueram ſententiam horum Pſalmorum, præſertim apud pios qui non habent mentes carnali ſecuritate ebrias, ſed aliqua certamina experiuntur pauorum & fidei. *Fides eluctatur ex inferis.*

QVIA INCLINAT AVREM SVAM MIHI, ET OMNIBVS DIEBVS INVOCABO.

Repetitio propositionis.

REpetitio est superioris sententiæ, amplificata effectu, Gaudeo me exaudiri. Iam hîc considerent pij, qualis motus sit fides, toties hoc ingeminat, Gaudeo me exaudiri. Inspiciamus autem mentes nostras, & sese interroget unusquisq; an statuat respici suas preces, deinde an in afflictionibus possit se consolari, & concipere leuationem & gaudium ex hac spe auxilij diuini. Epicureis, Academicis, Sauli, tales consolationes prorsus ignotæ sunt. Dubitant, nec inuenire Deum possunt, & hæc dubitatio auget mœrorem, considerant dissimiles aliorum euentus, & iudicant se abiectos esse à Deo, irascuntur dissimilibus iudicijs Dei, extinguuntur dolore. Hæc ita geri testatur experientia.

Dubitatio displicet Deo postulanti fidem.

Sed nos discamus hanc dubitationem displicere Deo, et postulare Deum, ut credamus Euangelio promittenti ueniam, Et hac fide repugnemus naturali dubitationi, & discamus uerè statuere, quòd Deus respiciat, recipiat, & exaudiat nostras preces. Sicut & Iacobus dixit, Postulet in fide, nihil hæsitans. Et ad Ebræos, Accedamus cum fiducia. Ita hîc adfirmat Propheta exaudiri se,

INCLINAT DEVS AVREM SVAM MIHI.

Deinde addit de effectu, SEMPER INVOCABO, quasi dicat, Cùm certum sit Deum flagitare hunc cultum, & exaudire inuocantes, non desinam præstare hoc officium, non desinam quærere consolationem, nec desinam celebrare hæc beneficia, ac docere de ueris cultibus, Nam & inuocationem & prædicationem complectitur. Et hanc sententiam aliquoties repetet, Credidi, propter quod loquor, inuoco, prædico.

CIRCVMDEDERVNT ME FVNES MORTIS, ET ANGVSTIÆ INFERNI INVENERVNT ME, TRIBVLATIONEM ET PAVOREM INVENI. ET NOMEN DOMINI INVOCABO, OBSECRO DOMINE ERIPE ANIMAM MEAM.

Narratio exponens magnitudinem periculi.

NArratio est addita propositioni, exponens magnitudinem periculi. Estq; admodum pathetica, describens non uulgarem agonem animi sentientis iram Dei, ac penè ruentis in æternam damnationem, sed tamen utcunq; se fide & inuocatione sustentantis. Non omnium similes sunt luctæ, sed tamen omnes pij exercentur aliquibus doloribus in pœnitentia. Et accedunt multis non leues morsus Diaboli, qui arte nouit euertere incautos, & sic infigit dentes uirulentos calcaneis piorum, ut uulnera non facilè curari possint. Quantum uulnus fecit Adæ facinus Cain, præsertim cùm cogitaret suum lapsum causam esse talium malorum futurorum. Talis consternatio animi sequitur, cùm sentimus ex aliquo nostro peccato aut errore orta esse ingentia publica mala aut scandala, ut ex Monetarij errore orta est seditio Rusticorum. Sic sæpè adferunt etiam sanctis horribiles cruciatus, non solùm alieni lapsus, sed etiam proprij.

Omnes pij sentiunt aliquos dolores in pœnitentia.

Infernum & funes mortis quid uocet.

In his doloribus non tantùm cruciatur animus conspectu corporalium malorum, sed agnitione iræ Dei, æternæ damnationis, cogitat animo ruinas aliorum, & secuturos errores ad posteritatem. Cogitat quàm miserum sit, esse uas seu organum iræ, non seruire generi humano aut Deo ad bona, Sed in consilijs, in negocijs trahi tanquam quadam tempestate contra Deum, & ad infelicia negocia: Sicut Saulis consilia & negocia tandem erant impia & infelicia.

Cùm

Cùm hæc animus pius aliqua ex parte sibi accidere sentit, hinc oriuntur pauores qui nullis uerbis describi possunt, & sunt gustus quidam æternorum cruciatuum, & fugæ æternæ. Hos dolores hîc uocat infernum, & funes mortis, quos sæpè aliâs describit, ut in Psalmo, Domine ne in furore tuo arguas me, etc.

Nemo autem potest diu sustinere hos tantos terrores, nisi interim retineat aliquam scintillam fidei, quærentis promissiones misericordiæ, & utcunq; gemitu inenarrabili auxilium Dei implorantis. Sic Adam, Dauid nõ potuissent suas ærumnas tolerare, sed abrupissent uitam, sicut Iudas, Ahitophel & similes. Et quantos existimamus fuisse cruciatus Christi, cùm sudaret sanguinem. Tantos motus nemo hominum alius ferre potuisset. Sed tales interim sustentantur, ut dixi, aliquo quamuis obscuro motu fidei luctantis cum pauoribus.

Cruciatus conscientiæ sine aliqua scintilla fidei nemo diu sustinere potest.

Hanc luctam & inuocationem addit hîc, & ipsa repetitione modum certaminis aliquo modo significat, quia uices sunt terrorum, & fidei inuocantis & quærentis consolationem. Ideò toties eadem repetit, Inuocabo nomen Domini, Obsecro Domine, Eripe animam meam. Ita nos quoq; discamus exercere fidem uera inuocatione in nostris & communibus periculis, nec succumbamus magnitudini terrorum, quantumuis peccati & infelicitatis moles in animo crescat, tamen sciamus Filium Dei potentiorem esse peccato & inferis, & gratiam exuberare supra peccatum.

Vices sunt terrorum & fidei in luctauera.

MISERICORS DOMINVS, ET IVSTVS, ET DEVS NOSTER MISERETVR. CVSTODIENS PARVVLOS DOMINVS, ATTENVATVS SVM ET SVM SALVATVS.

HAec est ipsa propriissima descriptio luctę, in qua fides repugnat doloribus. Sed fides requirit aliquod uerbum & agnitionem misericordiæ. Sicut memini in maximis & terribilibus doloribus d. Doctorem Martinum subinde clamantem ingeminasse hanc uocem, Conclusit Deus omnia sub peccatum, ut omnium misereatur. Ita hoc loco Dauid proponit sibi sentẽtiam de misericordia, ut sæpè aliâs in Psalmis, quasi dicat, Etsi ingentibus oneribus peccatorum & periculorum premor, & moles mihi paulatim crescit, tamen his omnibus anteferre debeo misericordiam tuam. Tradidisti promissiones, & precipis ut credamus te uelle nobis ignoscere, te uelle esse Liberatorem à peccato et à morte. Nos non possumus nostra iusticia, nostra sapientia, hæc mala excutere. Ideò promisisti nobis Dominum, per quem benedices, Tua dextra nos liberabit ex his malis. Proinde quantacunq; sunt peccata mea, non propterea accusabo te mendacij, sed confugiam ad promissiones tuas & his credam, hac fide expectabo mitigationem malorum & liberationem. Es misericors, id est, gratis misericordiam promisisti indignis. Es iustus, uerax & seruans promissionum tuarum. Deinde eò etiam te iustum prædicamus, quia nos iniustos recipis ac iustos pronuncias. Quò magis apud animum crescit peccatorum sensus & magnitudo, eò magis fugere cupimus. Sed contrà nitendum est. Hanc ipsam ob causam quia sumus iniusti, contendamus ad DEVM iustum, hoc est, iustificantem.

Descriptio luctæ.

Deterrent autem animos à Deo, & peccata nostra, & calamitates. Vtraq; res languefacit mentes, quia calamitas uidetur testari, quòd Deus nos abiecerit, ut infelices pugnæ mouent Saulem, ut desperet. Sed hîc opponit & huic terrori consolationem. Imò calamitas non est testimonium irę & damnationis,

Peccatum & calamitates languefaciunt mentes.

Calamitates piorum non sunt testimonia iræ et damnationis.

sed signum in quo Deus glorioſè oſtendit potentiam & bonitatem ſuam. Hoc uult cùm ait, Cuſtodit paruulos, calamitoſos, non ſuperbos, non confidentes ſuis conſilijs, opibus ac uiribus.

Eôdem pertinet quòd ait, *ATTENVATVS SVM.* Quanquam in extremas calamitates coniectus ſum, tamen reſtitutus ſum, Sicut alibi inquit, Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Hæc uſitata doctrina Euangelij, omnibus nota eſſe debet, quòd Deus uelit nos affligi, non ut perdat, ſed ut reuocet ac ſeruet. Et tamen adfligi nos oportet, ut diſcamus, quantum malũ ſit peccatum. Experimur ſæuitiam Diaboli, mordentis calcaneos Eccleſię, ſicut fauciauit filium Dei. Sed gloria Dei eſt, quòd interim ſuſtentat nos, & mitigat mala, ac tandem prorſus tollit. Nam mitigatio dum durant, eſt ſingulare genus conſolationis, de quo Prophetæ loquuntur, ut Ierem. 10. Corripe me Domine, ueruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. Item, Domine ne in furore tuo, &c. Non eſt in morte qui memor ſit tui, &c.

REVERTERE ANIMA MEA IN REQVIEM TVAM, QVIA DOMINVS RETRIBVIT TIBI. QVIA ERIPVISTI ANIMAM MEAM DE MORTE, OCVLOS MEOS MEOS A LACRIMIS, PEDEM MEVM A LAPSV. AMBVLABO CORAM DOMINO IN TERRA VIVENTIVM.

Prædicatio uictoriæ seu liberationis.

ABſoluta deſcriptione luctæ, uictoria ſeu liberatio prædicatur, et celebrantur effectus ſecuturi hanc liberationem. Nam in uictoria fides excitatur, hæc noua certamina proſpicit, & ſe ad ea præparat. *REVERTERE ANIMA IN REQVIEM*, id eſt, quieſce, ſis læta, tranquilla, etiamſi impendent minæ & pericula, *QVIA DOMINVS RETRIBVIT TIBI.* Deus eſt cuſtos, qui tueri ſolet, qui rurſus eripiet ex uenturis calamitatibus. Sicut 2. Corinth. 1. dicitur: Reſponſum mortis in nobis habuimus, ut non ſimus confidentes in nobis, ſed in Deo excitãte mortuos, qui ex tanta morte liberauit nos, & liberaturus eſt. Vt in ocio langueſcit & extinguitur fides, ſicut dicitur, Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexit ludere: Ita econtrà in certaminibus creſcit fides, ut ferre maiores impetus poſſit. Nam phraſis Ebraica, in his uerbis, Retribuit tibi Dominus, ſignificat continuum morem liberandi.

Phraſis Ebræa in uerbo retribuit.

Duplex fructus uictoriæ, incrementum fidei & uerus cultus Dei.

Eſt ergo primus fructus uictoriæ, hoc incrementum fidei. Alter fructus eſt, ambulare coram Domino, id eſt, uenire ad templum Dei, qua figura complectitur totum cultum Dei, omnia officia ueræ pietatis, quibus glorificatur & celebratur Deus. Propter hanc finalem cauſam Deus omnia miracula edit, glorioſè liberat ſanctos, ut conſeruet Eccleſiam, ut uera doctrina propagari & latè ſpargi poſſit, ut multi inuitentur ad pietatem. Ideò ſæpiſſimè repetitur hæc cauſa in ſcripturis, ut, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Pſalm. 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. Item, Non mortui laudabunt te Domine. Sic & hoc loco inquit, Quia eripuiſti me à morte, ambulabo coram Domino, præſtabo tibi ueros cultus, invocabo te, prædicabo, agam tibi gratias, obediam, omnibus officijs inuitabo alios, ut te agnoſcant, & rectè colant. Hanc ipſam ſententiam aliquoties inculcat in fine huius Pſalmi.

CREDO

CREDO, PROPTER QVOD LORVOR, EGO AVTEM HVMILIATVS SVM VALDE.

SVperior pars Psalmi descripsit, & agonem animi luctantis aduersus terrores iræ Dei & mortis æternæ, & uictoriam seu liberationem, cùm fides erigens sese uerbo, et apprehendens consolationem emergit ex illis fluctibus. Cùm his cohæret & reliqua pars. Nam gratiarum actio amplificata est descriptione effectuum, qui sequuntur uictoriam, hoc est, uerorum cultuum, de quibus dicere cœpit in uersu præcedente. Ambulabo coram Domino, id est, præstabo cultus, quibus Deus glorificatur. Hos cultus hîc in specie enumerat, & ut cœpit, in suo exemplo proponit doctrinam de multis rebus. Recenset ordinè qui sint ueri cultus, uidelicet, fides, inuocatio, confessio, afflictiones, gratiarum actio, &c. Ita hæc pars continet insignes locos doctrinæ Euangelij, de fide & de effectibus fidei. Item doctrinam, quæ accusat & damnat hypocrisin & fiduciam humanam. Item doctrinam de cruce & afflictionibus. Hæc est utilis doctrina & necessaria pijs. Quare diligenter considerari debet.

Amplificatio effectuum qui sequuntur uictoriam.

Primùm, cùm inquit, CREDO, PROPTER QVOD LOQVOR, coniunguntur hæc duo, fides & inuocatio seu confessio quam parit fides, ac utrumq; docet, & quid sit fides, & quomodo fieri debeat uera inuocatio. Verbum Credo respicit ad ea quæ suprà dixi, de beneficijs pro quibus gratias agit, uidelicet de uictoria & liberatione, quòd sit exauditus à Deo, & liberatus ex illis terroribus per misericordiam. Estq; intelligendum uocabulum de fide, quæ statuit se habere Deum placatum seu remittentem peccata, se exaudiri per misericordiam Gratis. Nec patitur se deterreri conspectu propriæ indignitatis, Sed magnitudini peccatorum opponit, & antefert misericordiam promissam propter Filium Dei redemtorem generis humani. Hæc fides uincit terrores peccati & mortis, & erigit sese, ut ausit accedere ad Deum & inuocare, & certò expectat auxilium & liberationem, quare mox addit de inuocatione.

Coniunguntur fides & confessio.

Vocabulum credo intelligendum de uera fide.

Ita hoc uno uerbo, Credo, complectitur totam doctrinam de iustitia fidei, quam propriè docet Euangelium, & ostendit, quæ res sit fides, de quo necesse est in Ecclesia certò & explicatè tradi doctrinam consentientem cùm scriptura. Primum ac præcipuum certamen est cum aduersarijs, quid significet uocabulum fidei. Nam hoc constituto, postea de doctrina facilius conueniri potest. Verùm alibi hæc tota doctrina de iustificatione integrè tradita est, & collecta sunt testimonia, de significatione uocabuli, quòd fides in Paulo & reliqua scriptura significet non tantùm noticiam historiæ, seu professionem religionis, sed propriè & præcipuè significet fiduciam misericordiæ, hoc est, fiduciam, quæ statuit, quòd non propter nostram dignitatem, sed propter Christum GRATIS consequamur reconciliationem seu remissionem peccatorum, & uitam æternam. Nec opus est hîc integrè repetere materiam toties agitatam.

Sed illis testimonijs addamus & hoc dictum Psalmi. Credo, propter quod loquor. In quo palàm est Prophetam loqui, non de ociosa noticia seu professione, sed de fide, quæ in uero certamine dimicat cum terroribus, & apprehendit misericordiam propositam in promissionibus. Atq; hoc modo percipit consolationem, & uincit terrores. Nam hoc minimè obscurum est, talem fidem

Propheta loquitur de fide quæ est fiducia non ociosa noticia.

describi, quæ agit aliquid in certamine conscientiæ, & apprehendit misericordiam, quam opponit propriæ indignitati, & repugnat dubitationi.

Deinde cùm paulò antè claris uerbis dixerit de misericordia. Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur: Non obscurè significat, se loqui de fiducia quæ nititur gratuita misericordia.

Inuocatio non potest fieri sine fiducia.

Postremò, quia hîc addit de effectu, hoc est, de inuocatione, testatur se loqui non de notícia historiæ, sed de uera fiducia, quia uera inuocatio non potest existere, nisi cùm adest fiducia, quæ apprehendit misericordiam. Nec dubium est in inuocatione requiri hanc fidem, quæ sentit Deum uelle nobis ignoscere & nos exaudire per misericordiam, propter Pontificem & Mediatorem filium suum. Itaq; cùm coniungantur fides & inuocatio, necesse est intelligi fiduciam misericordiæ.

Vocabulum Credo, hoc loco admonet de tribus rebus, quæ sunt præcipuæ in doctrina fidei.

Quare diligenter obseruetur hoc loco uerbum Credo, ut admoneat nos de ijs, quæ sunt præcipua in doctrina de fide. Primùm de significatione uocabuli. Est enim testimonium, quòd fides uocetur fiducia, non ociosa notícia, & quidem credere non tantùm reliquos articulos, sed præcipuè hunc quoq;, ad quem reliqui referendi sunt, tanquam ad causam finalem. Credo remissionem peccatorum. Secundò, quòd hæc fides nitatur sola misericordia, nec quærat dignitatem aut merita propria. Imò, quòd necesse sit misericordiam opponere nostræ indignitati. Tertiò, quòd hæc fides propriè pugnare debeat cum dubitatione, ac certò statuere sibi ignosci, se exaudiri, &c. Nam hęc tantùm fides uincit terrores & desperationem.

Aduersarij multipliciter hallucinantur in doctrina fidei.

Aduersarij, cùm semel deerrârunt, postea multipliciter hallucinantur. Primùm de uocabulo errant. Deindè tantùm hærent in notícia historiæ, non docent unde petenda sit uera & firma consolatio conscientiarum, quomodo utendum sit Christo, quomodo uincatur dubitatio, imò palàm docent esse dubitandum. Ita planè eripiunt conscientijs firmam consolationem, extinguunt fidem & inuocationem, ac prorsus abijciunt præcipuum articulum, Credo remissionem peccatorum, &c. Deinde cùm tantùm notíciam historiæ doceant, transformant Euangelium in doctrinam Legis, quæ non consolatur conscientias, non reddit certas de remissione peccatorum, sed magis auget terrores.

Nec uerò posset existere fiducia misericordiæ Dei, nisi promissiones reuelatæ & traditæ essent. Ergo fiducia illa in Patribus oriebatur ex certo uerbo, & nitebatur promissio Liberatore, sicut Psalmus secundus ait, Osculamini Filium, &c. Beati omnes qui confidunt in eo. Et Esaias inquit, Iniquitates nostras

Cap: 53.

ipse portauit. Ita quoties fit mentio fidei & misericordiæ, intueamur promissiones, & nitatur mens Mediatore & Liberatore Christo filio Dei. Hæc de fide etsi sæpè repetuntur, tamen hoc loco commemorari necesse est, ut uerbum Credo, uerè & propriè intelligatur de uera fiducia misericordiæ, qua agnoscimus Deum placatum esse, & conscientiæ fiunt tranquillæ, eriguntur et uiuificantur. Nam qui fidem aliter intelligunt in talibus locis scripturæ, aut putant sine hac fide, de qua diximus, ualere inuocationem, aut agnosci Deum, hi prorsus errant, & in densissimis tenebris uersantur.

Doctrina de fide intelligi non potest sine exercitijs in

Neq; uerò intelligi hęc doctrina de fide potest, sine ueris exercitijs in Cruce, & in uera Inuocatione. Ebria mens uoluptatibus & secura, quæ non luctatur cum aliquibus pauoribus, nec uerè expetit auxilium Dei, non intelligit quid sit

fides.

fides. Etsi autem multa exempla uerorum exercitiorum proponuntur in Prophetícis & Apostolicis scriptis, tamen contemplemur Publicanum Lucæ 18. de quo ait Christus, Non audebat oculos in cœlum tollere. Hic gestus significat acerrimam pugnam, animi desperabundi & fugitantis Deum. Cùm mens uerè expauit conspectu peccati, metuit iram Dei, cogitat se abijci, fugit Deum, non audet inuocare, nec sperare ueniam. In his angustijs reuocanda est mens ad promissiones gratiæ, sicut exuscitat se ille ipse Publicanus. Erigit se & tandem attollit oculos, audet quærere Deum, & petere ueniam, Sicut inquit, Propicius esto mihi peccatori. Ibi cùm fides uicit pauores, fit tranquilla conscientia & uiuificatur. Talia exempla nobis proponamus, & hos motus nostris exercitijs discamus intelligere. Hactenus dictum est de uerbo, Credo. Nunc pergamus ad cætera.

cruce & inuocatione.

PROPTEREA LOQVOR.

SImul hîc Inuocatio & Confessio comprehenduntur, quia impossibile est hæc diuellere. Nam inuocatio est re ipsa quædam Confessio, Sicut experientia testatur. Tres Israëlitæ in Babylone, cùm nolunt adorare statuam, ostendunt quẽ cultum probent, aut abominentur. Valentinianus cùm in templo daret colaphum sacerdoti aspergenti ipsum lustrali aqua, ostendit se non inuocare Idola Iuliani Imperatoris sui. Certum est igitur hęc duo comprehendi, Inuocationem & Confessionem. Primùm autem de Inuocatione dicamus. Hæc sine fide non potest fieri, iuxta illud Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non credunt? Et Ebræos 11. Credere oportet accedentem ad Deum, quòd sit, & inquirentes ipsum remuneretur.

Loquor, complectitur inuocationem & confessionem.

Inuocatio sine fide fieri non potest.

Epicureos manifestum est non inuocare Deum. Iuxta illud, Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Nec Saul inuocat, sed fugit Deum, eiq; irascitur. Nec Academici inuocant, id est, homines securi, qualis est maxima pars generis humani, qui dubitant utrum Deus moueatur hominum ærumnis & precibus, & cùm precantur, tamen nihil à Deo expectant, nõ existimant se respici à Deo. Sic maxima pars hominum inuocat, nec intelligit hunc cultum damnatum esse. Sed Christus clamitat, Quidquid petieritis credentes. Et Paulus, Orate sine ira & sine hæsitatione, id est, non impatienter irascentes Deo, & non diffidentes. Item Iacobus, Postulet autem in fide non hæsitans.

Epicurei non inuocant Deum, nec Academici.

In hanc sententiam hîc dicitur, *CREDO, PROPTEREA LOQVOR.* Non sum Epicureus, non sum Academicus, uerè statuo esse Deum, & confido eum mihi propicium esse propter Filium suum, quem pro nobis uictimam esse uoluit. Credo meas preces per hunc Pontificem ad ipsum perferri, & accipi. Credo me ei curæ esse, & propter Filium me exaudiri. Non fugio eum sicut Saul, etiamsi agnosco meam miseriam, sed obtempero ei, cùm iusserit nos credere remissionem peccatorum donandam propter Filium. Cùm dico, In te Domine speraui, non confundar, uerè & ex animo spero, & expecto consolationem & auxilium à Deo. Hunc scio esse cultum Dei, hoc cultu scio eum delectari, sicut dicitur in Psalmo, Inuoca me in die tribulationis, &c. Hæc intelligere debemus, & sic in inuocatione mentes adfectas esse oportet. Estq; hæc propria & peculiaris piorum sapientia, ignota mundo.

Huc & cætera, quæ de oratione traduntur, accommodanda sunt, quòd uidelicet pia mens sibi proponere debeat præceptum de inuocatione, Deindè & promissiones. Tertiò, quòd semper adferenda sit hæc ipsa fides, quæ credit remissionem

Quæ sint coniungenda in oratione.

missionem peccatorum. Quartò, doctrina tenenda est, quas res fides nominatim petere & expectare debeat, quas cum conditione petere debeat, si ita placeat Deo.

Promißiones Euangelij proprias sine conditione petito.

Nam ea quæ nominatim iussit Deus peti, ut promissiones Euangelij proprias, uidelicet de remissione peccatorum, de uita æterna, de conseruatione Ecclesiæ, de depulsione blasphemiarum, hæc petat & expectet fides sine conditione, quia uoluntas Dei iam est expressa.

Corporales promißiones petat fides cũ conditione.

Sed de cruce in periculis corporalibus, fides in genere statuat, Deo placere inuocationem, & non futuram inanem, etsi non illo modo liberamur, quem nos cogitamus, quia Deus uult Ecclesiam subiectam esse cruci, & pendere ex fide, non ex humanis cogitationibus. Et tamen eam exaudit & liberat, Sed uarijs modis, ut Paulus inquit, ad Ephesios 3. Ei qui potens est super omnia, facere excellentius quàm petimus aut cogitamus. Et Psalmo 4. Scitote quòd Dominus mirificat sanctum suum, id est, mirabiliter liberat.

Deus promiserat se seruaturum esse regnum Dauid. Petebant igitur Sancti, ne in Babylonem abducerentur, Sed tamen addebant conditionem, si ita Deo uideretur, & intelligebant requiri obedientiam in cruce. Et tamen norant Deum seruaturum esse populum etiam in exilio. Itaq; ibi maiori gloria ornantur, quàm qualem domui habuerant, & mirabili modo reducuntur.

Exemplum Dauidis petentis reductionẽ ab exilio.

Ita Dauid exulans petit reductionem, sed cum conditione, si Deo placeat, ac intelligit requiri obedientiam, Interea tamen scit non abijciendam esse fidem remissionis peccatorum, Scit & has preces de reductione Deo placere, & euenturam aliquam mitigationem calamitatis, seu consolationem. Iuxta illud, Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit. Item, Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Item, Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Hæc doctrina maximè necessaria est in cruce, ne mentes prorsus deficiant à Deo, sed fide expectent ab eo uel liberationem, uel mitigationem calamitatum, sicut orat Ieremias cap. 10. Castiga me Domine, sed in iudicio, non in furore tuo, ne ad nihilum redigas me.

Dictum est breuiter de inuocatione. Cùm hac coniuncta est cõfessio, quia inuocans præstat aliquos manifestos cultus Deo. In his ostendit, quos cultus, quam doctrinam probet, discedit ab idolatris, adiungit se ueræ Ecclesiæ. Denicq; necesse est tantos animi motus erumpere. Ideò toties recurrunt hi uersiculi. Laudationem Domini loquetur os meum. Item, Confitebor tibi in nationibus, &c.

Confeßio est necessarius cultus.

Quòd autem confessio sit necessarius cultus, testatur Christus, inquiens, Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego ipsum coram Patre meo cœlesti. Et Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem. Quare ingentia peccata sunt, aut palàm oppugnare ueram doctrinam, aut dissimulata confessione, confirmare furorem hostium Euangelij. Multi qui norunt ueritatem, tacent metu potentum, & interim fingunt specioſas causas, cur taceant, aiunt se uereri ne magis exacerbent potentum animos, aut ne plus tumultuum oriatur. Hæ sunt friuolæ excusationes damnatæ CHRISTI uoce, cùm ait: Quem pudet sermonum meorum, Filius hominis confundet eum &c.

EGO

EGO AVTEM HVMILIATVS SVM VALDE.

EXemplum suum proponit aduersus scandalum crucis. Mundus enim offenditur calamitatibus piorum, quia ratio iudicat bonis, qui Deo credunt, qui ueritatem profitentur, ac Deo seruiunt, debere benè esse. Cumq; uideat pios conflictari asperrimis ærumnis, ex his miseriis iudicat neq; doctrinam quam profitentur, neq; ipsos Deo placere. Ergo toties ab initio consolatus est Ecclesiam exemplis, & expressis sententijs, in quibus significauit Ecclesiam in hac mortali uita subiectam fore cruci. Hoc prima concio docet, Serpens mordebit calcaneum Ecclesiæ, Et mox secuta sunt exempla, ut Abel, Abrahæ, Isaac, Iacob, & deinde Prophetarum, ut Esaiæ, Ieremiæ, & plurimorum aliorum, qui fuerunt lumina Ecclesiæ. Ita hîc inquit Dauid, *EGO AVTEM HVMILIATVS SVM NIMIS.*

Dominus exemplis & sententijs consolatus est pios aduersus scandalum crucis.

Tyranni ut deleant Euangelium, exercent sæuitiam in professores ueræ doctrinæ. Sed hæc concio Dauidis non tantùm de tyrannorum crudelitate intelligatur, sed in uniuersum, de piorum afflictionibus. Diabolus enim insidiatur toti Ecclesiæ. Cùm Saul extinctus iam non persequeretur Dauidem, nouas fraudes struit Diabolus, Dauidem ocioſum præcipitat in flagitium, postea oppugnat eum desperatione. Ita nunquam sunt extra periculum sancti. Formidantur supplicia corporis, cùm audimus pios interfici, Sed multò magis formidare ocioſi deberemus insidias Diaboli, quia semper quærit occasiones mordendi calcanei. Et alios alijs modis adoritur.

Dauidis concio intelligenda de omnibus piorum afflictionibus.

Intelligatur igitur generaliter dictum Psalmi, *EGO AVTEM HVMILIATVS SVM NIMIS*, quòd Ecclesiam oporteat subiectam esse cruci, siue à Tyrannis, siue à Diabolo oriantur afflictiones, ut morbi, detrimenta facultatum, pauores animi, qualia exempla cernuntur in historia Iob. Huc accedunt singulares pauores, diuinitus incussi in pœnitentia.

His exercitijs oneratur Ecclesia, ut in eis luceat fides, & exerceatur inuocatio. Si enim tantùm suauiter uiueret caro, non intelligeremus opus esse Dei auxilio, non expectaremus nec peteremus bona à Deo. Vult etiam Deus conspici suam præsentiam & potentiam, cùm mirabilibus modis liberat Ecclesiam conflictantem tanta infirmitate, & belligerantem cum potenti ac sæuo hoste.

Cause afflictionum.

Mira quidem est hæc gubernatio Ecclesiæ, & abhorrens à iudicijs humanis, Ideò multos offendunt scandala crucis, sed tamen pij discant hanc esse uoluntatem Dei, ut Ecclesia in hac mortali uita exerceatur, & huic uoluntati obtemperandum esse. Hanc uoluntatem ostendit Deus in Filio suo, Domino nostro Iesu Christo. Quare Paulus inquit, Oportet nos fieri similes imaginis Filij eius.

Voluntas Dei est, ut Ecclesia exerceatur.

EGO DIXI IN CONSTERNATIONE MEA, OMNIS HOMO MENDAX.

Hic uersiculus iam de utilitate afflictionum concionatur. Ideò exercetur caro, ut uideamus nos, cùm sumus ocioſi & securi, habere fiduciam nostri, delectari nostra sapientia, nostris donis alijs. Hæc cùm excutiuntur, uidemus nos eis abusos esse, habuisse uanam fiduciam auersam à Deo, fuisse negligentiores, non timuisse Deum, sine fiducia Dei quæsiuisse humana consilia, & præsidia. Hæc agnoscuntur in afflictionibus.

Vtilitas afflictionum.

Ideò

Ideò Propheta inquit, se in pauoribus qui accedunt ad omnis generis adflictiones, didicisse hanc doctrinam, de infirmitate humana. *OMNIS HOMO MENDAX*, id est, non rectè sentiens de Deo, sine uehementi timore, sine ardenti fide, dubitans, fugitans Deum, quærens humana præsidia, uoluptates contra mandatum Dei, non ardenter inuocans Deum, non expectans auxilium, fremēs impatientia in cruce, non satis obedienter ferens afflictiones, expetens uindictam, humanam gloriam, concipiens flammas amorum uel odiorum contra uoluntatem Dei. Hæc & similia omnia complectitur, accusans omnes homines mendacij, quæ uicia securi non uident, nec deplorant, sed pij in afflictionibus magis magisq; agnoscunt ea, & admoniti expauescunt, humiliantur, petunt condonationem, & erigunt fide perterrefactas mentes. Ita simul crescunt pœnitentia & fides.

Omnis homo mendax.

Huius utilissimæ doctrinæ exemplum proponit, cùm de se ipso concionatur, ait sese exerceri duris afflictionibus, & in his agnoscere infirmitatem, non tantùm suam, sed omnium hominum, id est, totius naturæ hominum corruptæ.

Tradit igitur doctrinam quam in Ecclesia extare necesse est, de infirmitate sanctorum, uidelicet quòd maneant peccata in Sanctis in hac mortali uita. De hoc loco sæpè concionantur Prophetæ & Apostoli, ut Psalmo 142.

De infirmitate Sanctorum.

Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

Et 1. Iohan: 1. Si dixerimus, quòd peccatum non habeamus, nos ipsos seducimus, &c.

Hæc necesse est in Ecclesia inculcari, propter utrosq;, uidelicet propter securos seu superbos, & propter pauidos. Nam hypocrisis castigatur, & damnatur humana fiducia, cùm audimus nos uerè peccatum habere, nec iustos seu acceptos esse Deo, propter nostras uirtutes.

Paulus inquit, Video aliam Legem in membris meis, militantem contra legem mentis meæ, & captiuantem me legi peccati. Vsus est Apostolus illustri metaphora, & significantibus uerbis, ut errorem hypocritarum taxaret, qui suas uirtutes et facta ualdè admirantur, seq; efferunt, induunt securitatem & superbiam, quia imaginantur se nihil habere uicij, se mundos esse ac iustos coram Deo propter sua facta.

Peccatum hærens in natura, opponitur hypocrisi à Paulo.

Huic cœcitati opponit Paulus hanc concionem, uocat peccatum hærens in carne, legem membrorum, hoc est, non rem ociosam, sed habentem acres stimulos & motus, deinde addit, Militantem contra legem mentis. Non igitur cessat hæc labes, nec est extincta, sed hostili more grassatur, ut auertat mentes à Deo: tandem uocat & captiuantem, sicut sæpè horribiliter impingunt Sancti ex infirmitate & ignorantes. Item diu luctantur in pauoribus cum desperatione. Moysen tenebat captiuum infirmitas ad petram, cùm dubitaret, etsi iussus erat à Deo, aquam ex petra elicere.

Lex membrorum apud Paulum.

Interdum impelluntur Sancti ad horrendos lapsus contra conscientiam, qui excutiunt fidem, ut, Dauid impulsus est ad adulterium. Sunt igitur sæui & acres motus peccati hærentis adhuc in carne. Hanc imbecillitatem securi agnoscant, ac deponant fiduciam iusticiæ, & expauescentes petant condonationem, ac discant, homines tantùm per misericordiam iustos, id est, DEO acceptos esse.

Peccati hærentis in carne motus sunt sæui & acres.

Rursus

Rursus pauidi teneant hanc consolationem, sciant Deum ueracem esse, ac uerè postulare, ut statuamus nos iustos esse per misericordiam fide in Christũ, non propter nostram dignitatem. Nec deterreamur ab hac cõsolatione, etiamsi infirmitas nostra multis modis oppugnatur, hærent uicia non leuia in carnali natura, ut dictum est, uexamur morbis, inopia, fame, bellis, & alijs ingentibus calamitatibus, quas nemo recensere potest, ut, Dauidis filius interficit fratrem, mouet seditionem aduersus parentem. Talia cùm incurrunt in oculos, mouent animos etiam sanctorum, ut cogitent se abiectos esse à Deo, Sicut in Psalmis sæpè dicitur. Vt Psal. 29. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor. Quæ utilitas in sanguine meo, &c.

Pauidis quæ sit consolatio.

In his durissimis luctis hæc præcipua consolatio est, scire quòd uerè præceperit Deus, ut credamus nos placere per misericordiam propter filium Dei, etiamsi premimur infirmitate, aut ingentibus calamitatibus.

Mandatum de fide in Filium præcipua consolatio est menti luctanti cũ dubitatione.

Ita Paulus Rom. 6. ait, Nos simul sepultos esse cùm Christo. Iacemus obruti mole afflictionum & ingenti infirmitate, perinde ut cùm in sepulcro iaceret mortuum corpus Christi, non cõspiciebantur eius uita & gloria: Sed tamen interim Deus respicit, seruat nos, & suo tempore ornabit nos gloria. Paulus significat sepulturam Christi esse imaginem uitæ infirmæ et adflictę sanctorum. Quare in hoc typo nos contemplemur, & discamus infirmos & adflictos non esse abiectos à Deo, modò ut fide, hoc est, fiducia misericordiæ promissæ propter Filium, nos sustentemus.

Sepultura Christi est imago calamitatis Sanctorum.

Sed magna est naturæ humanæ contumacia, blandimur nostris uicijs, quærimus præsidia contra uoluntatem Dei, fremunt animi calamitatib. & irascuntur Deo, indignantur melius esse Tyrannis & Epicureis, quàm inuocantibus Deum. Hæc omnia complectitur hîc Dauid inquiens, Omnis homo mendax, id est, non rectè sentiens de Deo, non uerè obediens, irascens Deo, diffidens &c. Et in hac confessione peccati, ipse intuetur misericordiam, & scit se habere Deum propicium, propter promissum Liberatorem. Hactenus dixit de primis cultibus, de fide, inuocatione, prædicatione, cruce, agnitione peccati. Horum locorum cognitio quàm sit necessaria pijs, & quàm suauiter in hoc exemplo Psalmi hę res maximę proponantur, diligenter cogitandum est. Nunc tantùm addit repetitiones superiorum quorundam membrorum.

Contumacia humanæ naturæ taxata dicto, Omnis homo mendax.

QVID REDDAM DOMINO, PRO OMNIBVS BENEFICIIS ERGA ME.

CALICEM SALVTAREM ACCIPIAM, ET NOMEN DOMINI INVOCABO.

NOn dubium est, interrogationem, *QVID REDDAM*, opponi duabus rebus, ceremonijs, & generaliter fiduciæ meritorum, quasi dicat, Alij mactant greges taurorum, ædificant templa, instituunt ieiunia, & similes ceremonias. Sed tu requiris alia maiora munera, inuocationem, confessionem, prædicationem, crucem. Ideò proximus uersus in hanc sententiam respondet interrogationi.

Quam requirat Deus gratitudinem contra ceremonias et fiduciam meritorum.

Altera antithesis taxat arrogantiam illorum qui iactant merita, quasi dicat, Accepi ingentia beneficia, uocatus sum ad agnitionẽ Dei, et Filij eius, donatus sum

tus sum hæreditate uitæ æternæ, defendor & gubernor diuinitus. Hæc tanta dona non sum meritus meis uirtutibus, sed agnosco me debitorem esse Deo, sicut Paulus inquit, Quis prior dedit illi. Nec post acceptum munus compensatio ulla par est. Exclamat igitur, *QVID REDDAM*, quasi dicat, Summa beneficia donata sunt immerenti, nec nunc habeo compensationem. Quod munus Deo reddi potest, pro Filio misso, pro sublata morte æterna, pro futura societate cœlestis uitæ? Quanquam autem par gratia nulla reddi potest, tamen Deus requirit quoddam debitum officium, scilicet, ut celebremus hæc beneficia, & alios inuitemus ad Dei agnitionem, & ad accipienda hæc beneficia, sicut Petrus inquit, Vocati è tenebris ad admirandum lumen, ut uirtutes eius, id est, glorioſa beneficia enarretis. Hanc gratiam Deus poscit aliorum causa, ut plures saluentur.

Calix phrasi hebræa significat cuiusq; portionem bonam seu malam.

Inquit igitur Dauid, se aliquam gratiam redditurum esse. *CALICEM SALVTAREM ACCIPIAM, ET NOMEN DOMINI INVOCABO.* Constat esse phrasin Ebraicam, Calicem salutarem accipiam. Et quia figura nõ fuit intellecta, uersiculus ineptè detortus est ad poculum in Cœna Domini, cùm de eo poculo hîc non dicatur. Sed crebrò offert se hæc metaphora in Prophetis, ubi calix significat suam cuiusq; portionem, seu bonam seu malam. Quare & hoc loco sic intelligatur. Calicem salutarem accipiam, id est, hanc ducam esse præcipuam portionem, qua maximè fruar & delectabor, & quæ mihi una erit salutaris, uidelicet hic cultus inuocandi Dei, & prædicandæ ueræ doctrinæ, quasi dicat, Relinquam alias portiones alijs fruendas. Habeat Saul regnum, habeant opes & imperia Tyranni. Ego hanc portionem mihi salutarem esse duco, inuocare & prædicare nomen Dei. Sicut Psalm. 118. dicitur, Portio mea Domine, dixi custodiam Legem tuam, id est, Hanc ducam esse præcipuam meam portionem, qua maximè fruar, profiteri ueram doctrinam.

Antitheſis portionis Sanctorum & impiorum.

Conferenda est igitur Antithesis, ut intelligatur uersiculus, opponenda Sanctorum portio, ijs rebus quas impetunt impij & tyranni. Et discrimen obseruandum est, quod hîc traditur. Hæc una portio inuocandi Dei & prædicandæ ueræ doctrinæ, est salutaris, Impiorum portiones non sunt salutares, Sed

Credentes fide intelligunt calamitates esse salutares.

species longè alia est. Nam qui prædicant ueram doctrinam, exercentur adflictionibus omnis generis, oppugnantur à Diabolo, trucidantur à Tyrannis. Hæ calamitates certè in speciem nõ uidentur salutaris portio. Sed credentes norunt ex uerbo Dei, has ærumnas esse obedientiam Deo placentem, in qua Deus uult exerceri, lucere & conspici fidem & confessionem nostram, norunt item, post has ærumnas secuturam esse æternam gloriam. Ideò fides intelligit hæc certamina salutaria esse. Quòd autem dicit, *INVOCABO NOMEN DOMINI*, complectitur inuocationem Dei, confessionem & prædicationem ueræ doctrinæ, quia hæc opera reipsa cohærent, ut suprà dictum est, quia inuocantes est necesse ostendere quid sentiant, quos cultus approbent.

Recitaui enarrationem huius uersiculi, quam eruditi iudicant maximè grammaticam esse, uidelicet si prius comma iungatur posteriori, tanquam expositio, Inuocabo Deum, & prædicabo ueram doctrinam, Hæc opera erunt mihi calix salutaris, id est, portio præcipuè expetenda, atq; ita calix generaliter de bona portione accipiendus erit. Alij discernunt commata, & duas res significari uolunt, Calicem intelligunt afflictiones. Nec malè cohærent ita cæteri

Alia horum uersuum expositio.

uersiculi

uerſiculi. Quid reddam? Suſtinebo ingenti animo afflictiones, non defugiam certamina & pericula, & in his inuocabo DEVM, ac propagabo ueram doctrinam.

VOTA MEA DOMINO REDDAM CORAM OMNI POPVLO EIVS.

PRECIOSA IN CONSPECTV DOMINI, MORS SANCTORVM EIVS.

ITerum coniungit confeſſionem & crucem, *VOTA REDDAM DOMINO*, id eſt, cultum Deo debitum. Nam uota generaliter ſignificant gratiarum actionem, quæ complectitur omnes debitos, id eſt, ueros cultos. Inuocationem, confeſſionem, propagationem doctrinæ, obedientiam in afflictionibus, in confeſſione. Hîc opus eſt Sanctis conſolatione. Ideò ſequitur, *PRECIOSA IN CONSPECTV DOMINI, MORS SANCTORVM EIVS.*

Coniunguntur Confeſſio & Crux.

Vota ſignificat gratiarum actionem.

Hoc eſt egregium dictum, quòd de multis magnis rebus nos docet. Primùm teſtatur Eccleſiam Dei ſubiectam eſſe cruci & afflictionibus, diſcernit Eccleſiam ab imperijs mundi & tyrannis, quaſi dicat, graſſabuntur tyranni et imperia in Eccleſiam, quæ erit exigua & imbecillis, Sancti interficientur, Erunt imperia & opes penes impios. Sed hac re frangi non debet Eccleſia, quia etiam moriens Deo curæ eſt. Imò etiam hæc mors precioſa eſt coram DEO, id eſt, Deus iudicat hoc officium ſingularem & eximium cultum eſſe, ut poſtea dicetur.

Doctrina dicti, Precioſa eſt mors &c. I.

Secundò, hîc locus eſt illuſtre teſtimonium de uita futura poſt mortem corporis, quia cùm mors Sanctorum ſit precioſa coram Deo, neceſſe eſt ſanctos in morte Deo curę eſſe, nec penitus extinctos eſſe. Quid boni adferret eis mors, ſi prorſus interirent & non reuicturi eſſent. Fruſtra diceretur mors precioſa eſſe, ſi ipſis morientibus nihil accederet boni.

II. *Mors ſanctorum teſtimonium eſt de uita et iudicio poſt hanc mortem.*

Deindè etiam teſtimoniũ eſt de iudicio poſt hanc uitam, quia enim mors Sanctorum eſt precioſa, diſcernit Deus in morte Sanctos à Tyrannis & impijs. Sanctorum mors eſt precioſa, id eſt, Sancti in morte ornabuntur gloria, Ergo Tyranni dabunt pœnas. Diligenter igitur hoc teſtimonium infigamus animis, ut confirmet ſententiam de uita futura, & admoneat nos de futuro iudicio.

Tertiò proponit dulciſſimam conſolationem in genere, de morte, & omnibus afflictionibus ſanctorum. Non ſolùm ſignificat, non abiectos eſſe ſanctos, aut extinctos in morte, ſed etiam hoc officium Deo placere & rem glorioſam eſſe, ſicut Paulus inquit Rom. 5. Gloriamur in afflictionibus, id eſt, ducimus eas eſſe res glorioſas, Deo placentes, quas Deus poſtea ornabit gloria. Hęc ſapientia, ut ſæpè dictum eſt in Pſalmis, diſſidet ab omnibus humanis iudicijs, & tantùm eſt ſapientia Euangelij. Omnes homines iudicio rationis in calamitatibus diſputant ſe negligi à Deo, non exaudiri, non ſubleuari. Nec ulla doctrina eſt præter Euangelium, quæ adfirmet calamitoſos non eſſe abiectos à Deo. Ideò ſcriptum eſt, Qui ſanat contritos corde. Tantùm illi qui norunt Euangelium de filio Dei, de peccato, de morte, de liberatione à peccato & à morte, inuocant & adorant hunc Deum Patrem Liberatoris noſtri Ieſu Chriſti, exau-

III. *Afflictiones ſanctorũ ſunt res glorioſa et placens Deo.*

dientem afflictos. Ignari Euangelij non possunt inuocare Deum, sanantem contritos, non credunt exaudiri ac recipi afflictos.

Doctrina de Cruce est sapientia propria Euangelij.

Quare hæc peculiaris sapientia Euangelij discenda est, & prudenter discernenda à iudicijs humanis, quæ quidem, cùm sola sit uera & firma consolatio piorum, semper nobis in conspectu esse debet, semper hac doctrina admoniti discamus inuocare DEVM in afflictionibus, & ab eo expectare auxilium. Et sciamus hunc cultum præcipuè flagitari, sciamus hunc honorem DEO à sola Ecclesia tribui. Facilè est autem magnificè loqui de hac doctrina, cùm mens est ociosa. Sed quantum exercitium fidei sit, non intelligitur, nisi cùm in afflictionibus uerè confugimus ad DEVM, & in inuocatione fidem exercemus.

Doctrinam de cruce mentes ociosæ non intelligunt.

Quare meminerimus hoc dictum, *PRECIOSA MORS SANCTORVM*, Precioſæ afflictiones, quia DEO placent, & in his Deus exercet fidem nostram, uult inuocari & glorificari. Ideò adfligimur, ut ab ipso auxilium postulemus, & agnoscamus eum nobis adesse, & ostendere suam præsentiam & potentiam, cùm mirabiliter nos liberat, sicut inquit Psalmus, Scitote quòd mirificat Deus sanctum suum, id est, mirabilibus modis liberat & seruat. Sciamus autem in his certaminibus, non dimicare nos cum carne & sanguine tantùm, sed cum Diabolo. Nec sumus soli in his prelijs. Sed iuuamur à Filio Dei, qui destruit opera Diaboli. Ac ob eam causam Ecclesia est infirma, quia Deus uult uictorias Filij sui glorioſas esse, uincentis Diabolum per infirmos & afflictos.

IIII. *Afflictiones sanctorũ sunt sacrificia & cultus.*

Quartò, Precioſa est mors Sanctorum, quia afflictiones & mors Sanctorum, sunt præcipua sacrificia & cultus Dei, cùm uidelicet accedunt fides, inuocatio, confessio: Sicut Psalmus inquit, Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c. Item Psalm. 43. Propter te mactamur tota die. Quia enim Deus subiecit Ecclesiam cruci & afflictionibus, Ideò hanc obedientiam ornat & magnifacit, uocat sacrificia, & testatur se honore affici, cùm sustinemus afflictiones, seu propter confessionem, seu alioqui iuxta uocationem: Sicut hos cultus cernimus præstitisse Filium Dei, & Patres, Prophetas ac Apostolos. Oportet enim Ecclesiam similem esse imaginis Filij Dei, Sicut Paulus inquit, Vnà glorificabimur, si tamen etiam unà affligemur. Quare sicut in hoc Psalmo dictum est, Precioſa mors Sanctorum coram DEO: Sic 72. dicitur, Precioſus sanguis eorum coram eo.

Hi loci totam doctrinam Euangelij de cruce seu afflictionibus continent, quare lector animo repetat cætera quæ de cruce dicuntur, colligat utiles sententias, quæ præcipiunt de hac obedientia, & iubent addi inuocationem Dei, & expectationem auxilij. Quales sunt hæ gnomæ, 1. Pet. ult. Humiliamini sub potenti manu DEI, & omnem curam in eum reijcite, quasi dicat, Cùm ærumnæ uos opprimunt, non fit hoc casu, sed fit potenti manu Dei. Non existimate casu uos affligi, aut Deo non esse curæ uestras ærumnas. Imò Dei manus uos premit, quæ quidem est potens, & ad securos euertendos, & ad sustentandos, ac erigendos miseros. Obtemperate igitur, & obedientiam Deo præstate, Deindè non existimate uos reiectos esse, sed scitote Deo placere hos cultus, addite inuocationem, petite auxilium à Deo. Ideò addit, *CVRAM IN EVM REIICITE.*

Dictum Petri, Humiliamini sub potenti manu Dei.

Idem

Idem dulciſſimè traditur Pſalmo 37. Subditus eſto Deo, & ſpera in eum. Prima particula poſtulat obedientiam, Subditus eſto, ſeu ut Ebraicè legitur, Taceas Domino, id eſt, obedias Deo, non iraſcaris ei, non fugias eum indignabundus, non quæras præſidia contra mandatum Dei, ſicut Saul iratus Deo, fugit & deſerit eum, ac petit auxilium à Diabolo. Hos furores quibus agitantur impatientes prohibet, cùm ait, Subditus eſto, ſeu taceas Deo. Nec tamen ſatis eſt tacere, ſed accedat inuocatio Dei & expectatio auxilij diuini. Ideò addit, Et ſpera in eum, id eſt, Pete, expecta auxilium à Deo. Hæ ſententiæ & ſimiles ſemper in conſpectu nobis eſſe debent, ut regant omnia noſtra pericula & mitigent ærumnas.

Dictum Pſalmi 37. Subditus eſto Deo, &c.

OBSECRO DOMINE, QVIA EGO SVM SERVVS TVVS.

EGO SVM SERVVS TVVS, ET FILIVS ANCILLÆ TVÆ, DIRVPISTI VINCVLA MEA.

PSalmus eſt imago credentis, qui commemorauit prius afflictiones quæ ſequuntur inuocationem, confeſſionem & prædicationem, adiecit etiam ſententiam, quid de Cruce ſentiendum ſit. Nunc pergit agere gratias de liberatione, etſi miſceri ſciamus petitionem & gratiarum actionem.

Porrò cùm inquit, *EGO SVM SERVVS TVVS*, duo argumenta complectitur. Alterum, cùm tibi ſeruiam, & deſertus ſum à mundo, & me oderunt, ac delere conantur principes ac ſapientes. Petit igitur auxilium à Deo, tanquam omnibus humanis præſidijs ſpoliatus. Sicut Pſalmus 24. ait: Reſpice in me & miſerere mei, quia unicus & pauper ſum ego. Item 26. Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem ſuſcepit me.

Duo argumenta in dicto Pſalmi, Ego ſum ſeruus tuus, &c.

Alterum argumentum eſt à gloria Dei & promiſſionibus ſumtum, quaſi dicat, Tuæ gloriæ intereſt, ne deleatur Eccleſia. Defendas igitur ſeruum tuum, ut conſpiciatur tua gloria, quòd uerè hîc cœtus tuum uerbum profiteatur. Item, ne hoſtes uictores extinguant tuum uerbum, penitus deleant Eccleſiam. Sic orat ſæpè, ut Pſal. 78. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propicius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum, ne dicant in gentibus, ubi eſt Deus eorum?

Gloriæ Dei intereſt ne deleatur Eccleſia.

Simul etiam de promiſſionibus eum admonet. Pollicitus es auxilium ſeruis tuis inuocantibus te: Sicut inquit Pſalm. 144. Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in ueritate. Item, Pſalm. 24. Vniuerſi qui expectant te, non confundentur. Et Naum primo, Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & agnoſcens ſperantes in ipſum. De talibus promiſſionibus admoneamus nos ipſos, cùm petimus, ut Deus nos adiuuet, tanquam ſeruos ſuos quibus auxilium & liberationem pollicitus eſt. Et quidem uult coli, hac inuocatione, ac petitione & expectatione auxilij. Ideò toties ingeminat eadem uerba, *EGO SERVVS TVVS, ET FILIVS ANCILLÆ TVÆ*, id eſt, ſeruus, ſeu filius tuæ Eccleſiæ, deſertus à mundo, ſuſtinens ærumnas, in quibus ſi triumphabunt hoſtes tui, delebunt tuum uerbum & populum. Defendas igitur ſeruum tuum, propter tuam gloriam, iuxta tuas promiſſiones.

Promiſſiones bonorum corporalium.

Deus uult coli petitione & expectatione auxilij.

DIRVPISTI VINCVLA MEA.

Pericula sunt perpetua.

AGit gratias pro dato beneficio, & simul petit liberationem in futuris periculis. Sunt enim perpetua pericula, & Ebraica phrasis apta est ad significandam hanc continuitatem. Tu qui soles liberare, etiam postea me eripies.

Vincula Psalmo sunt omnis generis pericula.

Vincula autem uocat, omnis generis pericula, & insidias Diaboli, qui non tantùm ita grassatur, ut tyrannos impellat ad interficiendos pios, sed multò magis conatur qualibuscunq; fraudibus, qualicunq; sophistica doctrinam ipsam cœlestem obruere. Nec possunt hi laquei enumerari: Sed pios in ipsis negocijs oportet intentos esse, sicut Christus iubet prudentes esse, sine cupiditate nocendi. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

TIBI SACRIFICABO SACRIFICIVM LAVDIS, ET NOMEN DOMINI INVOCABO. VOTA MEA DOMINO REDDAM CORAM OMNI POPVLO EIVS, IN ATRIIS DOMVS DOMINI, &c.

Quam gratitudinē sit Deo redditurus Dauid.

POsterior particula expositiuè adijcitur, ut sæpè fit in Psalmis. SACRIFICABO SACRIFICIVM LAVDIS, VOTA REDDAM, Id uerò est nomen Domini inuocare. Repetit argumentum, quod toties inculcat de sua gratitudine. Ait se redditurum Deo quoddam officium, quo ostendit gratitudinem. Id uocat sacrificium laudis, ut sæpè aliâs, quòd complectitur hæc omnia, uidelicet fidem, inuocationem, gratiarum actionem, confessionem & prædicationem ueræ doctrinæ iuxta uocationem, obedientiam in afflictionibus, quæ confessionem sequuntur, diligentiam cauendi scandala, ne doctrina propter nos malè audiat.

Sacrificium laudis quæ complectatur.

Quis finis debeat esse sacrificiorum & obedientiæ.

Ideò in altero uersu addit, REDDAM VOTA CORAM OMNI POPVLO EIVS. Item, IN ATRIIS DOMVS DOMINI, IN MEDIO IERVSALEM, Horum sacrificiorum & huius obedientiæ finis sit, ut Ecclesia confirmetur, ut plurimi inuitentur ad agnoscendum uerbum Dei, ad timorem Dei, ad ueram fidem, non deterreantur scandalis, non seducantur dissimulatione ueræ sententiæ. Hic scopus sit propositus pijs in confessione & omni uita: Sicut Christus inquit, Luceat lux uestra coram hominibus, ut glorificetur Pater uester cœlestis.

Propheta discernit uera sacrificia à ceremonijs.

Vt autem sæpè aliâs Propheta discernit sacrificia à ceremonijs, & taxat Hypocritarum opinionem de sacrificijs, ita & in hoc uersiculo, antithesis cogitanda est. Sacrificabo, inquit, non mactatione pecudum, sed sacrificio laudis. Sicut Christus inquit, Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & ueritate, Spiritu, id est, motibus spiritualibus cordis. Veritate, id est, iuxta uerbum Dei, non commentitijs cultibus & ἐθελοθρησκείαις. Sed præstabunt sacrificia, motibus cordis, quæ uerbum Dei requirit & adprobat.

Maxima laus operum, quòd uocantur sacrificia, & hominum quòd sacerdotes nominantur.

Prodest autem multis de causis rectè tenere totam sacrificiorum descriptionem, quia nulla est maior laus operum, quàm cùm uocantur sacrificia, nulla maior laus hominum, quàm quòd sumus Dei sacerdotes, & quòd dicimur Deo sacrificare, nulla maior consolatio in omnibus afflictionibus, in tota uita, quàm quòd omnes ærumnæ nostræ ornantur à Deo hac laude, quòd sint sacrificia. Ideò addam descriptionem & distinctionem sacrificiorum.

Certum

Certum est duplicia opera mandata esse à Deo. Alia sunt signa addita promissionibus, per quæ uult suam uoluntatem erga nos agnosci, &, ut crassè dicamus, aliquid nobis largiri. Hæc uocantur Sacramenta, ut in nouo Testamento, Baptismus est opus diuinitus ordinatum, per quòd nos Deus recipit, & uult id opus nobis testimonium esse, quod testetur nos in gratiam recipi, & saluandos esse. Hoc opus est nota promissionis, Et amissa promissione est irritum & inane signum. Vt Iudæi aut Turci retinent circumcisionem sine promissione, Id opus non est Sacramentum, sed spectaculum, quod Deus aspernatur. Quare principaliter in Baptismo & Cœna Domini intueri promissionem debemus.

Duplicia sunt opera à Deo mandata.

Sacramenta.

DE SACRIFICIO.

SAcrificium uerò est opus à DEO mandatum, quod nos DEO reddimus, ut ipsum honore afficiamus, hoc est, ut testemur hūc Deum, quem nos inuocamus, uerè esse Deum, conditorem omnium rerum, & recipientem, exaudientem, & saluantem nos, ac debere ei hanc obedientiam, & inuitamus alios hoc testimonio, ut hunc Deum agnoscant, inuocent, & ei obediant.

Sacrificij descriptio.

Hæc est generis definitio, quæ ex dictis Propheticis & Apostolicis collecta est. Primùm enim opera non mandata à Deo, non esse sacrificia testatur Christus inquiens. Frustra colunt me mandatis hominum.

Deindè finem esse talium operum, ut testemur hunc DEVM quem nos inuocamus, uerè esse DEVM, & alios inuitemus, docet dictum Christi, Luceat lux uestra coram hominibus, ut glorificetur Pater uester cœlestis. Sed nemo hanc definitionem reprehendet, aut labefactare poterit. Species iam quæ[illegible]ndæ sunt.

Finis sacrificiorum.

Nihil dubium est, duas tantùm species præcipuas esse, scilicet Propiciatorium & Eucharisticon.

Duæ sunt species Sacrificiorum.

Est autem Propiciatorium, opus Deo placens, quòd alijs remissionem peccatorum meretur. Tale est tantùm unicum Christi sacrificium, id est, mors Christi cum tota eius obedientia: Etsi autem quædam Leuiticæ ceremoniæ uocantur propiciatoria sacrificia, tamen nullum est uerè propiciatorium, quod alijs coram Deo mereatur remissionem peccatorum, nisi solum Christi sacrificium, ut clarè testatur Epistola ad Ebræos, Impossibile est sanguine Taurorum & Hircorum tolli peccata: Sed Leuitici ritus habebant hanc adpellationem, tantùm uelut typi propter significationem, quibus quomodo fuerit utendum, postea dicam.

Sacrificium Propiciatorium.

Cur quædam Leuiticæ ceremoniæ appellentur propiciatoria.

Sic & in Psal. 37. inquit Christus, Sacrificium & oblationem noluisti. In capite libri scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam, Deus meus, Volui, & Lex tua in medio cordis mei. Et Esaias inquit, Quia ponet animam suam hostiam pro peccato, uidebit semen longæuum. Hîc Propheta breui dicto testatur, hostijs Leuiticis non esse abolitum peccatum. Sed restare hanc unam hostiam, quæ abolitura erat peccatum.

Testimonia & sola obedientia Christi sit Propiciatorium.

Eadem est sententia dicti Iohannis, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, uocat enim Agnum, quia est uictima, & nominat Agnum Dei, id est, et missum à Deo, & Deo placentem, & consecratum à Deo propriè ad abolendum peccatum. Nam cæteræ uictimæ nec missæ sunt à Deo, nec ad abolendum peccatum consecratæ, nec per se placentes Deo, sed fuerunt umbræ, & res

destinatæ ad pascendos Sacerdotes. Erant igitur typi,& sacerdotum agni. At hic Agnus à Deo missus & consecratus est ad abolendum peccatum. Significat igitur Iohannes non esse abolitum peccatum uictimis Leuiticis. Sed hoc tribuendum esse huic uni uictimæ,Filio Dei. Estq; in hoc quamuis breui dicto summa Euangelij, & dulcissima consolatio proposita.

Sacrificia sine cultu mentis Deus non approbat.

Nec adprobat Deus sacrificia sine cultu mentis, sed requirit talia sacrificia,in quibus ipse agnoscitur, inuocatur,prædicatur, & in quibus ipsi obedientia præstatur. Ideò Paulus iubet offerri λογικὰ sacrificia,id est,mentis,quę Deum intuetur,inuocat,præstat Deo obedientiam. Tale fuit Christi sacrificium, sicut Psalmus inquit, Lextua in medio cordis mei. Et Ebræ. 5. Offerens cum clamore ualido & lacrimis,& exauditus est propter suam reuerentiam,id est,obedientiam. Item cap. 10. In qua uoluntate sanctificati sumus. Ideò fit ipse Christus Pontifex,& suum sacrificium applicat,& pro nobis intercedit. Iohan. 17. Pro eis ego sanctifico me, ut & ipsi sint sancti in ueritate: Rogo autem non pro eis tantùm,sed pro credituris per uerbum eorum in me.

Humana cœcitas quærit alia Propiciatoria.

Quanquàm autem tantùm unicum est uerè propiciatorium sacrificium,tamen hominum cœcitas prona ad superstitionem & falsos cultus,& magnifaciens sua opera, solet hunc honorem tribuere omnis generis operibus, Quia pendere ex solo uerbo, & manere in fide,nec colligere merita incurrentia in oculos,res est difficilima humanæ infirmitati. Ratio enim admiratur iusticiam propriam,disputat iuxta Legem,Deo satisfaciendum esse. Paulus & has ipsas persuasiones, & impios cultus uocat peccata,quæ Lege excitantur.

Prophetæ taxant opinionem fingẽtem ceremonias esse propiciationes.

Hinc tantum est bellum Prophetis cum populo Israël, qui ceremonias fingebat esse sacrificia propiciatoria, mereri remissionem peccatorum, & omnia bona, Et hac opinione cumulabat ceremonias, imò fingebat etiam nouos cultus, & ut uideretur insignia & dura opera facere,decurrebat in magnis periculis ad humanas hostias. Has horrendas superstitiones toties seueriſſimè taxant Prophetæ,ut Psalmo 49. Non arguam te de sacrificijs. Et Esaiæ 1. ac Ieremiæ 7. Non præcepi de holocaustomatis. Docebant Prophetæ alium usum ceremoniarum,de quo postea dicemus, & monstrabant uerum sacrificium, scilicet promissam uictimam, & proponebant doctrinam de fide. Nec leuia pericula pariebat eis reprehensio publici erroris.

Errores qui post Apostolos obscurârunt sacrificium Christi.

Vt autem in populo Israël hærebat hic error, ita multò magis tenebat gentium mentes fascinatas: Sic & Ecclesiam post Apostolos tenebræ obruerunt, Obscuratum est sacrificium Christi, & amissa doctrina de fide, receptæ sunt stultæ satisfactiones pro peccatis, excogitati Monachatus, & castigationes, quas iudicabant esse sacrificia pro peccatis, id est, mereri remissionem peccatorum. Sed omnia uicit error de Missa,qua dicebant ex opere operato facientem sibi & alijs mereri remissionem. Nec minus tribuebant huic oblationi sacerdotis, quàm oblationi Christi.

Psalm. 49. magna seueritate damnat errorem de sacrificio propiciatorio.

Hanc prodigiosam impietatem taxari & damnari in Ecclesia necesse est, sicut Psalmus 49. totum genus humanum in iudicium uocat, ut hunc uniuersalem errorem omnium gentium & temporum clarè, & cum magna seueritate improbet: Deus deorum Dominus locutus est, & uocauit terram. A solis ortu usq; ad occasum. Aduocauit cœlum desursum,& terram deorsum,ut iudicet seu accuset populum suum. Hoc tàm grandi exordio usus est Propheta, ut admoneat

neat auditorem, non de leui causa poponi concionem, sed reprehendi magnum & horribilem errorem. Quare hanc regulam teneamus, tantùm unicum fuisse sacrificium uere propiciatorium, scilicet mortem & afflictiones Filij Dei. Iam de altera specie dicam.

Altera species sacrificium εὐχαριστικὸν, id est, opus mandatum à Deo, factum à iusto uera fide, non ut mereatur remissionem peccatorum, seu culpæ: sed ut præstet Deo obedientiam debitam, ac testetur nos agnoscere hunc uerè Deum esse, quem inuocamus & sic colimus, ac inuitet alios, Quòd quidem ita placet, cùm prius statuimus nos placere Deo propter Christi sacrificium, & placere hanc quanquam imperfectam obedientiam, propter Mediatorem Christum interpellantem pro nobis, & nostra sacrificia offerentem Patri, sicut Petrus docet, 1. Pet. 2. Estis sacerdotium sanctum, ut offeratis hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum. *Sacrificium εὐχαριστικὸν.*

Hæc definitio diligenter tenenda est, tùm ut finem bonorum operum, tùm ut dignitatem eorum magis intelligamus. Non sit finis, ut mereantur remissionem peccatorum, & deleant gloriam sacrificij Christi. Sed ut accepta reconciliatione propter aliam uictimam præstantiorem, postea celebremus Deum, nos ipsos exuscitemus, ut in talibus exercitijs fides luceat, & crescat, item inuitemus alios nostris pijs exemplis & officijs. *Finis bonorũ operum quæ uocantur sacrificia.*

Deindè magna dignitas est bonorum operum, tribui eis à Deo hanc summam laudem, quòd sint res, per quas Deus testatur se honore affici, se agnosci, sibi tribui honorem diuinitatis. Item, quòd noster Põtifex Christus perferat ea ad Patrem, ut sint odor gratus Patri, sicut in Genesi dicitur cap. 8. Odoratus est DOMINVS odorem suauitatis, id est, recepit, adprobauit Nohæ & Ecclesiam quæ apud eum fuit, quæ prædicauit promissionem datam Patribus, & ingentia beneficia per ipsum data, per quæ conseruaretur ad posteros Ecclesia. *Dignitas bonorum operum.*

Itaq; singuli pij semper habent duo sacrificia, Alterum alienum, Alterum proprium. Primùm est præcipuum, scilicet Christi sacrificium, Id fit nostrum fide adplicatum. Singuli enim statuere debemus, nos propter Filium Dei recipi in gratiam, exaudiri & saluari. Et id sacrificium semper in omni inuocatione Deo proponi debet, per Filium Dei, tanquam Mediatorem, accedendum est ad DEVM, sicut Rom. 5. dicitur, Iustificati fide pacem habemus per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus in gratiam hanc, in qua stamus & gloriamur. Et Ebræos 4. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut accipiamus misericordiam, habentes talem Pontificem. *Singuli pij habent duo sacrificia, alienum & proprium.*

Quare hoc sacrificium, etsi est unius Christi opus, tamen fide statuamus nobis donari, & fieri nostrum, sicut Christus nostra causa factus uictima, sese pro nobis obtulit Patri. Quanquam enim huius sacrificij dignitas & meritum soli Christo tribuendum est, tamen eius utilitas ad nos redit, & donatione uerè fit nostrum, si tamen fide accipimus. *Christi sacrificium fit nostrum applicatum fide.*

Sed habent pij & proprium sacrificium, ut dixi, εὐχαριστικὸν, quod quidem tum primùm uerè præstatur, & Deo placet, postquàm Christi sacrificium fide apprehenderunt, & statuunt se receptos esse à Deo propter uictimam Christũ, & placere etiam illam obedientiam, propter eundem Mediatorem & Pontificem interpellantem pro nobis. *εὐχαριστικὸν sacrificium piorum proprium.*

Sacrificium εὐχαριστικὸν complectitur opera & cultus mandatos à Deo.

Hæc ſpecies ſacrificij complectitur omnia opera & cultus, qui habent mandatum Dei, & fiunt à pijs ſeu credentibus, hoc fine, ut teſtentur ſe agnoſcere Deum, & gratias agere pro acceptis beneficijs, & ut uiciſſim ei præſtent obedientiam debitam. Itaq; Euchariſtica ſacrificia uocamus, uniuerſam obedientiam & bona opera piorum, qui iam ſunt iuſti, id eſt, accepti Deo propter Chriſtum, uidelicet, fidem, inuocationem, confeſſionem, gratiarum actionem, de quibus audimus concionari Pſalmum.

Vita Chriſtiana eſt perpetuum ſacrificium εὐχαριστικὸν.

Quare uniuerſa uita Chriſtiana, eſt perpetuum ſacrificium εὐχαριστικὸν, in qua lucere & conſpici debet, agnitio Dei, & obedientia erga Deum, & perpetua celebratio beneficiorum Dei. Sicut hic Pſalmus profitetur, ſe redditurum uota, id eſt, acturum gratias, celebraturum Dei beneficia, ut innoteſcat bonitas Dei, & alij inuitentur ad agnoſcendum hunc Deum, & præſtandos ueros cultus, &c.

In ſacrificio εὐχαριστικῷ conſiderandæ cauſæ efficientes & finales.

Semper autem tenendum eſt de hoc genere ſacrificij, quod ſuprà dictum eſt, conſiderandæ ſunt cauſæ, uidelicet, ut ſint opera à Deo mandata, & fiant iuſto ſeu debito fine, ne putemus ea mereri remiſſionem peccati ſeu culpæ, ſed ut Deo præſtetur obedientia debita, & quòd non placeant, niſi in ijs, qui credunt ſe propter Chriſtum recipi in gratiam, & conſequi remiſſionem peccatorum. Ideò in genere de Ceremonijs teneatur regula, quòd opera traditionum humanarum, ſeu cultus qui fiunt ſine mandato Dei, non ſint ſacrificia aut opera placentia Deo: luxta illud, Fruſtra colunt me mandatis hominum. Deindè & hoc ſciendum eſt, quòd ne illa quidem opera quæ habent mandatum Dei, facta à nobis, ſint eiuſmodi ſacrificia, quæ mereantur remiſſionem peccatorum.

Leuiticæ ceremoniæ non merebantur remiſſionem peccatorum.

Ex his facilè eſt iudicare, quid ſentiendum ſit de Leuiticis ceremonijs, quę etſi erant opera mandata à Deo præſtanda illi populo, & in his quædam uocabantur Propiciatoria, ut holocauſta, item ſacrificium pro peccato, &c. Tamen non merebantur remiſſionem coram Deo. Ideò Prophetæ acriter reprehendebant errorem hypocritarum, qui aſſuebant opinionem meriti remiſſionis peccatorum, & admonebant pios de uero uſu ceremoniarum, docebant hos ritus eſſe inſtitutos tanquam typos, qui admonerent promiſſionum de Chriſto, qui erat futurus uictima pro peccatis generis humani, Sicut Eſaias exponit, illos ritus fuiſſe umbras & ſigna ueri ſacrificij, cùm inquit de Chriſto, Ipſe ponet animam ſuam hoſtiam pro peccato, Quaſi dicat, Hæc demum erit uera uictima, uerum ſacrificium pro peccato, cuius ſacrificij typi & umbræ ſunt Leuiticæ hoſtiæ.

Pij in populo Iſraelitico quid tribuerint ceremonijs.

Ita ſancti, fide tenentes promiſſiones de Filio Dei, intelligebant hanc unam eſſe ueram uictimam propoſitam à Deo, ut ſatisfaceret pro peccatis, et tolleret iram Dei, ut Iohannes inquit, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et in illis Leuiticis ſpectaculis fide intuebantur in Chriſtum, & ſtatuebant ſe propter ipſum à Deo conſequi remiſſionem peccatorum. Poſtea utebantur illis ritibus tanquam ſignis ſeu Sacramentis, quibus admoniti promiſſionum de Chriſto, excitabant fidem, credentes uerè ad ſe pertinere promiſſiones propoſitas, & ſe uerè conſequi beneficia promiſſa propter uenturum Liberatorem.

Leuitica quædam uocata

Hîc erat pius & præcipuus uſus illorum rituum in ſacrificijs Leuiticis, quorum quædam uocabantur Propiciatoria, propter ſimilitudinem & ſignificationem,

cationem,quia erant propoſita,ut eſſent imagines & picturæ,quæ admonerent pios de promiſſionibus Euangelij,& de uero ſacrificio Chriſti.Ita & Patres habuerunt utriuſq; generis ſacrificia, quia fide & ipſi tenebant illud Chriſti ſacrificium, poſtea etiam addebant εὐχαριστικὰ, hoc eſt, bona opera omnis generis, ut præſtarent obedientiam & ueros cultus, iuxta mandatum Dei.

propiciatoria propter ſignificationem.

Deindè, ut de uſu Sacramentorum docetur, quòd principalis finis ſit, ut illis utamur tanquam teſtimonijs, quibus Deus nos admonet promiſſionis Euangelij,& teſtatur quòd recipiat nos, quòd impertiat nobis beneficia Chriſti. Et tamen interim accedunt etiam alij fines,ſicut in uſu Cœnæ Domini, etſi precipuus finis eſſe debet, ut ſciamus nos uerè accipere remiſſionem peccatorum, adiungi Chriſto tanquam membra. Tamen ſimul accedit & hic uſus,utentes hac ceremonia, recordamur mortis Domini, hoc eſt, agimus gratias, celebramus & prædicamus hæc beneficia, &c. Ita Patribus etiam illi ritus Leuitici fiebant ſacrificia εὐχαριστικὰ,quibus teſtabantur ſe agnoſcere Deum, agebant gratias,& prædicabant eius beneficia.

Finis principalis Sacramentorum.

Sed ut in populo Iſraël de ſacrificijs ſemper obrepſit error, qui fingebat hæc opera eſſe cultus,qui placarent iram Dei, & mererentur remiſſionem peccatorum: Ita in Eccleſia hęſerunt multi & pernicioſi errores,de hoc genere operum, primùm deerratum eſt à ſcopo ſeu regula, quod eſt uerbum Dei, opera traditionum ſine mandato Dei habita ſunt pro cultibus. Præterea in uniuerſa doctrina operum,prorſus ſilentium fuit de fide.Acceſſit horribilis error de applicatione operis operati in Miſſa,ut ſuprà dictum eſt, finxerũt homines, opus Sacerdotis adplicatum alijs,uiuis & mortuis,mereri remiſſionem culpæ et pœnarum,&c.

Errores in populo Iſraël & Eccleſia omnium temporum de ſacrificijs.

Hos errores neceſſe eſt in Eccleſia reprehendi,et extare puram doctrinam Euangelij,et quę opera uocentur ſacrificia,& quod ſit diſcrimen ſacrificij Chriſti,quod fide nobis adplicatur, & noſtrorum operum, quæ non poſſunt adplicari alijs,ſeu uocantur εὐχαριστικὰ in his,qui fide apprehenderunt ſacrificium Chriſti. Sed refutatio errorum de Sacrificio Miſſæ & applicatione operis ſacerdotis requirit integram & longiorem diſputationem, quæ aliâs eſt agitata.

PSALMVS CXVIII.

I.

CONfitemini DOMINO quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

II.

Dicat nunc Iſraël,quoniam bonus,quoniam in ſeculum miſericordia eius.

III.

Dicat nunc domus Aaron,quoniam in ſeculum miſericordia eius.

IIII.

Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

V.

De tribulatione inuocaui Dominum, exaudiuit me in latitudine Dominus.

VI.

Dominus mecum,non timebo,quid faciat mihi homo.

Dominus

VII.

Dominus mecum & auxiliator meus, & ego despiciam inimicos meos.

VIII.

Melius est confidere in Domino, quàm sperare in homine.

IX.

Melius est confidere in Domino, quàm sperare in Principibus.

X.

Omnes gentes circumdederunt me, Sed in nomine Domini delebo eos.

XI.

Circumdederunt me vndiq, Sed in nomine Domini delebo eos.

XII.

Circumdederunt me sicut apes, arserunt sicut ignis spinarum, Sed in nomine Domini delebo eos.

XIII.

Impellens impulit me vt caderem, & Dominus adiuuit me.

XIIII.

Fortitudo mea & canticum meum Dominus, & fuit mihi auxiliator.

XV.

Vox exultationis & salutis in tentorijs iustorum, Dextra Domini fecit virtutem.

XVI.

Dextra Domini exaltata est, Dextra Domini fecit virtutem.

XVII.

Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.

XVIII.

Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.

XIX.

Aperite mihi portas iusticiæ, ingrediar eas, & confitebor Domino.

XX.

Hæc porta DOMINI, iusti intrabunt in eam.

XXI.

Confitebor tibi, quia humiliasti me, & factus es mihi in salutem.

XXII.

Lapis quem reprobauerunt ædificantes, factus est in caput anguli.

XXIII.

A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

XXIIII.

Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.

XXV.

O Domine da salutem, Domine da prosperitatem, Benedictus qui venit in Nomine Domini.

XXVI.

Benediximus vobis ex domo Domini, Deus est DOMINVS, illuminator noster.

XXVII.

Ornate festum frondibus, vsq; ad cornua Altaris.

Deus

XXVIII.

Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus exaltabo te.

XXIX.

Confitemini DOMINO quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

ENARRATIO PSALMI CXVIII.

Hieronymi de Psal. CXVIII. testimonium.

HIeronymus scribit Iudæos, florente adhuc regno, in Synagogis crebrò hunc Psalmum recitasse, petentes exhiberi Messiam, eoq; Psalmum fuisse notiorem populo, & inde sumtum esse uersiculum in pompa, cùm exciperetur Iesus Nazarenus, tanquam Messias. Christus etiam ad se accommodat Psalmum, Matth. 21. citans uersiculum, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Eundem uersum & Petrus de Christo citat.

Vaticinium de afflictionibus de glorificatione & regno Christi.

Quare non dubium est, hunc Psalmum in ore fuisse pijs, tanquam uaticinium, de afflictionibus, & de glorificatione Christi, & de regno eius. Fortassis & Esaias hinc sumsit dictum 28. Ecce ponam in Sion, Lapidem electum, angularem, quod & Paulus ad Ephesios imitatus est.

Psalmus principaliter pertinet ad Messiam.

Etsi igitur potest Psalmus generaliter ad Ecclesiam, & singula membra accommodari. Nam tota Ecclesia exercetur afflictionibus, & rursus experitur uarias & mirandas liberationes, ut celebret Deum, et latè spargat Euangelium, & tandem prorsus à morte liberabitur, Tamen principaliter ad Messiam accommodandus est.

Argumentum Psalmi.

Reprehendit Propheta uulgi opinionem, qui Messiam somniabant ipsis Imperium mundi, opes & uoluptates allaturum esse. Docet igitur longè aliter de regno Messiæ sentiendum esse, Venturum uidelicet, ut sua morte deleat peccatum & mortem, & defecturos esse ab ipso, Principes & Pontifices populi Iudæorum, Et tamen eum superata morte, reuicturum, regnaturum, & noui ædificij autorem, ac noui populi Ducem fore. Et huius Messiæ similia esse membra, hoc est, Sanctos ab initio mundi usq; ad iudicium extremum. Horum odio ardent Diaboli, & impij Pontifices & Principes, qui cupiunt deletum Euangelium, & ueros Dei cultus. Et tamen seruantur aliqui pij ministri, & auditores, defensi & adiuti à Lapide Angulari, uidelicet à Messia, à quo sustentantur, qui est immotus, et euerti non potest. Sciunt & omnes Sancti, se propter illum Ducem, Messiam, liberandos esse à peccato & morte, & reuicturos esse, ut in perpetua uita fruantur Dei conspectu, & eum celebrent.

Doctrina & cõsolatio Psalmi pertinens ad Ecclesiam.

Quare primùm Prophetia est Psalmus, de uenturo illo Lapide angulari, uictore mortis, Deindè doctrina est & consolatio, quæ membris Messiæ concionatur, ut sciant sibi similes ærumnas, & similem liberationem in hac uita & post hanc uitam propositam esse. Docet item de ueris cultibus, de fide, de spe, de confessione, de ministerio Euangelij. Postremò etiam gratiarum actio est, qua singuli tùm priuatam liberationem, tùm publicam Ecclesiæ defensionem agnoscentes, gratias agere Deo, autori horum beneficiorum debent.

Pij cùm experiuntur morsus Diaboli quid debeant facere.

Singuli, si sumus membra Ecclesiæ, experiemur aliquos Diaboli morsus, lapsus, insidias Diabolicas, supplicia corporis. Inter hæc pericula fide nos erigamus, innixi lapidi angulari, dicamus. *NON MORIAR, SED VIVAM, ET NARRABO OPERA DOMINI.* Redditur tibi uita, Defenditur Ecclesia, non ut has admirandas uictorias Filij DEI, comitentur

in nobis

in nobis ocium, luxus, uoluptates. Sed ut narremus opera Domini, id est, prædicemus & doctrinam & hæc beneficia, ac nostro exemplo alios etiam inuitemus & confirmemus.

Finis afflictionum Ecclesiæ.

Hîc etiam discamus, quo animo Deus exerceat Ecclesiam tantis grumnis, uidelicet, non ut nos perdat, sed ut reuocet ad pœnitentiam, ut in his certaminibus fides exerceatur, & agnoscatur præsentia & potentia Dei, & ducis nostri Messiæ in nostra infirmitate. Ideò inquit, *CASTIGANS CASTIGAVIT ME, ET MORTI NON TRADIDIT ME.*

CONFITEMINI DOMINO, QVONIAM BONVS, QVONIAM IN SECVLVM MISERICORDIA EIVS.

DICAT NVNC ISRAEL, QVONIAM IN SECVLVM MISERICORDIA EIVS.

DICAT NVNC DOMVS AARON, QVONIAM IN SECVLVM, &c.

DICANT NVNC OMNES QVI TIMENT DOMINVM, QVONIAM, &c.

Exordium ab affectu & gratiarũ actione.

VSitatum est exordium ab adfectu & generali gratiarum actione, cui subiiciet postea expositionem eius beneficij peculiaris, de quo iam concionaturus est.

Difficillimum est opus Deo gratias agere.

Primùm autem attentè considerandum est, quale, quàm arduum, et quàm difficile sit hoc opus, agere gratias Deo, hoc est, fateri & testari, quòd Deus sit bonus, curet, exaudiat, iuuet nos. Deindè hoc longius extra conspectum humanæ rationis positum est, agnoscere misericordiam Dei perpetuam, ut hîc dicit. In seculum misericordia eius.

Non enim tantùm hoc uult Propheta, in hac uita Deum largiri bona, dare uitam, fœcundare terram, ut gignat fruges ad alenda corpora, dare uictorias, pacem, & similia bona, liberare ex periculis, & ostendere bonitatem, etiam cùm uidetur aliquandiu nos deseruisse. Complectitur hæc Propheta, sed præcipuè prædicat illud inenarrabile beneficium, quòd Deus elegit Ecclesiam perpetuò uicturam, in uita & gloria æterna, ut fruatur conspectu Dei, quódq; hanc Ecclesiam interea mirabiliter exercet & liberat à peccatis & à morte, per Filium quem misit, ut mirabili modo placaret iram Dei, & tolleret peccatum.

Præcipuum Dei beneficiũ electio Ecclesiæ.

Admirans igitur Propheta magnitudinem æterni beneficij, quòd hæc mortalis natura ad æternam uitam & gloriam, ad societatem cum Deo electa & uocata est, clamitat se hoc prædicare, immensam esse bonitatem Dei, quæ se sic erga nos effuderit, ut non tantùm corporalibus bonis nos cumulauerit, sed etiam æterna uita & gloria, quam cogitare ratio non potest.

Vera Gratiarum actio uox est ueræ & ardentis fidei.

Est ergo hæc uox ueræ & ardentis fidei, intuentis Deum, non more rationis, sed qualem ipse se nobis ostendit in arcana promissione Euangelij, quam reuelauit Filius, qui est in sinu Patris. Philosophi & populus Legis non intelligunt hanc uocem, *CONFITEMINI DOMINO, QVONIAM BONVS, QVONIAM IN SECVLVM MISERICORDIA EIVS.* Videt humana sapientia hæc pulcerrima corpora, cœlum & terram, uidet

uidet mirificum ordinem motuum, temporum uices, uidet etiam opificium humani corporis summa arte conditi. Hæc admirans cogitur fateri, esse aliquam æternam mentem, à qua hæc orta sunt & reguntur, & dolet se non posse penetrare ad autorem. Sed cùm oculos refert ad confusionem in uita hominum, ubi cernit multitudinem infinitam uiciorum, uidet florere tyrannos & flagitiosos, opprimi uerò iustos & innocentes, rursus amittit cogitationem de Deo, & dubitat an homines Deo curæ sint, maximè uerò in propriis ærumnis iudicat se negligi à Deo.

Verã gratiarũ actionem nec ratio humana nec populus legis sonat.

Hæc consideranda sunt, ut sciamus hanc uocem, *CONFITEMINI DOMINO*, non esse quorumlibet. Nec populus Legis eam sonat. Mala conscientia fugiens Deum, non prædicat, sed fremit aduersus eum, non ait bonum esse, non expectat illam æternam misericordiam, Sed potius mallet nihil esse, sicut Saul, Iudas & omnes homines, qui non eluctantur ex malæ conscientiæ terroribus.

Tantùm igitur illi canunt hanc uocem, qui iam statuunt se habere DEVM placatum per Filium qui hîc describitur noui ædificij autor. Hi agnoscunt æternam salutem, uitam & gloriam, & norunt propter illam æternam gloriam liberari nos à peccato & à morte, imò etiam dari nobis uitam, uictorias, pacem, tegi nos in periculis corporum, defendi nostras familias, gubernari omnia consilia & actiones, quia Deus non uult in hoc mundo prorsus deleri Ecclesiam, uult aliquos esse, qui ipsius Nomen & noticiam celebrent, & Euangelium circumferant.

Gratiarum actio tantùm est uox credentium.

Vt igitur possimus & nos hanc uocem sonare, ac laudare Deum, quòd sit bonus, qui cùm in hac uita iuuet, tùm uerò daturus sit nobis æternam uitam & gloriam, agnoscamus sapientiam humanam cœcam esse, discamus quantum mali sit, succumbere malæ conscientiæ, & confugiamus ad Filium Dei Mediatorem, & fide nos erigamus, ut Deum inuocare & prædicare possimus.

Etsi autem una est sententia, qua & ipse laudat Deum, & iubet alios eandem laudem sonare, tamen uenusta est distributio. Primùm præcipit toti populo Israël, Deindè nominatim præcipit domui Aaron, id est, ministris uerbi Dei, doctoribus & gubernatoribus, Nam hi debent huius chori duces esse, docere alios de uera laude, & ueris cultibus. Postea præcipit omnibus qui timent DOMINVM, hoc est toti Ecclesiæ, collectæ ex Israël & ex gentibus. O beatum, qui cum hoc choro potest Deum sic inuocare, ut agnoscat esse bonum, curare, exaudire, iuuare nos, & uerè nobis æternam uitam & gloriam daturum esse. Hîc est uerus, & solius Ecclesiæ cultus. Ideò Psalmus hunc cultum proponit & docet.

Psalmus præcipit gratiarũ actionem populo Israël, domui Aaron & toti Ecclesiæ collectæ ex gentibus.

DE TRIBVLATIONE INVOCAVI DOMINVM, EXAVDIVIT ME IN LATITVDINE DOMINVS.

DOMINVS MECVM, NON TIMEBO, QVID FACIAT MIHI HOMO.

DOMINVS MECVM ET AVXILIATOR MEVS, ET EGO DESPICIAM INIMICOS MEOS.

MELIVS EST CONFIDERE IN DOMINO, QVAM SPERARE IN HOMINE.

MELIVS EST CONFIDERE IN DOMINO, QVAM SPERARE IN PRINCIPIBVS.

Repetita narratio beneficij.

EXpositio seu narratio beneficij, aliquoties repetita. Et uerba plana ac perspicua sunt, Membra sunt quinq; narratio periculi, inuocationis, liberationis, confirmatæ fidei & doctrinæ.

Periculum initiò uno uerbo recitat, cùm mentionem facit tribulationis. Sed hanc postea exaggerat, cùm narrat omnium gentium odia et impetus se sustinuisse, se impulsum & castigatum esse, & conflictatum cùm morte, ut postea dicetur. Significat autem ærumnas omnium atrocissimas, quas & Christus & semper Ecclesia pertulit. Impia multitudo, etsi tandem rapitur ad pœnas, tamen diu floret, tenet imperia, opes, gloriam, fruitur uoluptatibus: Sed Christus & Ecclesia iacent oppressi seruitute, rapiuntur ad necem, & intus sentiunt ingentes terrores, cùm agnoscunt iram Dei aduersus peccatum, & luctantur cum æterna morte.

I. Membrum, Christus & Ecclesia subiecti sint cruci.

Primùm igitur in hac narratione sciamus, Christum & Ecclesiam subiectos esse cruci, & dissimilem esse statum imperijs mundi. Et ut sæpè dictum est, peculiaris est sapientia Ecclesiæ, intelligere, quòd uelit Deus talem esse Ecclesiæ formam, & cur subiecerit eam tantis & tam horrendis afflictionibus, uidelicet, ut agnoscat peccatum, & iram Dei aduersus peccatum, ut mortificentur reliquiæ peccati, & crescat pœnitentia, & fides inuocet Deum & cernat præsentiam Dei. Item, ut conspiciatur in infirmitate nostra, Dei iuuantis & uincentis gloria. Item, ut admoneamur de immortalitate, quòd restet iudicium, in quo Deus hostes horribiliter puniet.

II. Membrum, Inuocatio.

Secundum membrum est, Inuocatio. Et exemplum continet doctrinam, quod in tribulatione sit inuocandus Deus. Dixi iam inter causas afflictionum hanc esse, ut excitemur ad inuocandum Deum. Vt igitur hîc testatur se in afflictione inuocasse, ita nobis doctrinam tradit, ut in periculis inuocemus Deum. Iuxta illud, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te.

III. Membrũ, uox Euangelij & promissio præcedens inuocationem.

Sed ut possimus inuocare, oportet prælucere nobis uocem Euangelij, quæ ostẽdit Deum uerè exaudire, & uelle opitulari. Ideò sequitur tertium membrũ. *ET EXAVDIVIT ME IN LATITVDINE DOMINVS.* Recitat enim hæc uerba, tanquam exemplum & doctrinam, quasi dicat, Ego testor Deum uelle inuocari & exaudire, sicut clamitant promissiones. Et Christus inquit, Petite & accipietis. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Et in Ezechiele Iusiurandum addit, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

Ad has promissiones referatur & doctrina Psalmi, Testatur se oppressum ingentibus procellis, inuocasse, & inuocantem exauditum esse, ut nos quoque in omnibus periculis inuocemus Deum, & credamus nos respici & exaudiri. Hanc fidem adferamus ad inuocationem. Nam hæc fides discrimen facit inter inuocantes pios & impios. Ethnici & hypocritæ inuocant Deum, sed dubitant se respici, aut accipi suas preces. Interim adferunt aliqua opera, quibus conantur Deum placare. Sed fides piorum statuit accipi preces, per misericordiam, propter donatum Mediatorem.

Fides discernit pios & impios.

Quod

Quod addit in latitudine,actiuè intelligatur,id est exaudiuit me,ita ut ex angustijs me extraxerit, & me collocârit in latiore spacio, ubi me nemo premit aut angit.Est enim usitata linguæ metaphora de consolatione. Vides igitur in hoc primo uersiculo, imaginem esse Ecclesiæ, commemorat afflictiones, inuocationem & liberationem. *Imago Ecclesiæ in his uersibus.*

Sequentes uersiculi repetunt eandem sententiam,Sed amplificatam. Dominus mecum,non timebo quid faciat mihi homo.

Quartum membrum est,Fides experta consolationem erigitur & confirmatur, sicut & Paulus inquit, Probatio spem efficit, id est, cùm fides probatur & exercetur,spes crescit & fit firmior ac ardentior. Noti sunt uersus: *IIII. Membrum,fides sensu consolationis confirmatur.*

Vidi ego quassatas mota face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

Ita si fides non exerceatur,fit languida & extinguitur, rursus sicut flamma crescit agitata,ita fides in periculis excitata,fit ardentior. Ideò hîc addit triumphalem uocem fidei confirmatæ, non timebo hominum impetus. Et est extenuatio in adpellatione hominis,quasi dicat,Cur timemus hominum sæuitiam, cur timemus Turcicum furorem? Quid est homine fragilius & imbecillius, quàm facilè Deus humanam potentiam quamuis summam delere potest? Quare obtemperemus Deo, nec deterreamur minis aut sæuitia hominum.Deus seruabit nos inuocantes ipsum. *Fides non exercitata fit languida.*

Sequens uersus repetit prorsus eandem sententiam , Si Deo obtemperabimus, & fide expectabimus, glorioſè triumphabimus, læti uidebimus hostes nostros puniri & deleri.

Quintum membrum est utilissima doctrina, grauissimis uerbis taxans uanam fiduciam in omnibus hominibus, & docens transferendam esse fiduciam in Deum.Sicut magis timendus est Deus, quàm omnes creaturæ, sic magis fidendum est Deo,quàm ulli creaturæ. Sed in utroq; peccant omnes homines. Multi mortem, offensiones Principum, iacturam existimationis apud sapientes in mundo, inopiam & similia plus metuunt quàm Deum, ruunt & faciunt quædam contra mandata Dei. Ita & diffidentia peccant, imaginantur sibi profuturam esse suam sapientiam, gratiam principum, coniunctiones amicorum, opes. *V. Membrum, reprehensio uanæ fiduciæ in omnibus hominibus.*

Hæc fiducia prohibita à Deo, sæpè fallit etiam bonos in causis iustis. Sicut Achas habebat iustas causas belli contra Syros, & tamen quia confidebat auxilijs Assyriorum,non Deo,fuit infelix.

Tenendæ sunt hæ regulæ, ut nos ipsos admoneamus, & in nostris negocijs & periculis regant corda nostra. *Testimonia contra uanam fiduciam.*

Ierem.17.Maledictus homo qui confidit in homine,& ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.

Econtrà uerò.Esaiæ 28.Omnis qui confidit in Dominum,non confundetur.

Et in Psalmis sæpè repetita est hæc sententia.

Psalm. 9. Et sperent in te qui nouerunt Nomen tuum,quia non derelinques quærentes te Domine.

Psalm.24. Vniuersi qui expectant te Domine, non confundentur.

Psalm.30, In te Domine speraui, non confundar in æternum.

Psalm. 33. Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eripuit eum.

Psalm. 124. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebuntur &c.

Fiducia in solum Deum collocanda est.

Deus uult sibi soli tribui, quòd uerax sit & omnipotens. Homines sunt mendaces, & leues, & omnis humana potentia imbecillis est. Ideò uult Deus ut certam fiduciam tantùm in ipsum collocemus, qui promisit auxilium & est uerax, & potest unus iuuare, cùm sit omnipotens. Sed quia non uidemus, quomodo uelit opitulari, ideò quærimus præsidia posita ob oculos. Difficilè est à solo uerbo DEI pendere, & nudari omnibus humanis præsidijs. Cruciat etiam mora, cùm sæpè differatur liberatio tam diu, ut etiam mors opprimat Sanctos.

Impij doctrinam de fiducia in Deum collocanda deridet.

Ideò impij hanc doctrinam de fide seu fiducia collocanda in Deum non intelligunt, imò derident. Et hunc præcipuum cultum, scilicet confidere Deo, & ab eo solo petere & expectare auxilium, non possunt præstare. Interim uerò quærunt præsidia & auxilia undecunq;, sicut Saul implorat opem à muliere magica. Et Reges Iudææ confugiebant ad Aegyptios, ut Esaiæ 30. dicitur, ubi perspicuè describitur imbecillitas humani cordis, quod non potest à uerbo DEI pendere, & fide se sustentare, Sed quærit res subiectas oculis, & manu comprehensas, ut eis nitatur, Sicut illi apud Esaiam dicunt. Ad equos fugiemus.

De dicto Esai: In silentio & spe, &c.

Opponit autem Esaias contrariam doctrinàm, Si reuertemini & quiescetis, salui eritis. In silentio & spe erit fortitudo uestra. Duo requirit, quietem seu silentium, & spem. Prohibet enim animi infirmi & dubitantis trepidationes & discursationes, undique quærentis auxilia humana, seu concessa seu inconcessa.

Trepidationes & discursationes oriuntur ex diffidentia.

Hæ discursationes quales sint, exempla quotidianæ uitæ, summorum & infimorum ostendunt. Et nunc uocantur practicæ & sapientia consilia. Sed hæc trepidatio oritur ex diffidentia animi, cogitantis se deseri à Deo, & fugientis Deum. Ideò sæpè uituperatur. Psalmo 45. Vacate, & uidete quòd ego sim Deus. Iubet uacare & intueri Deum, quasi dicat, Statuite uos DEO curæ esse, & expectate auxilium eius. Ipsum intuemini, non existimate uos ab eo desertos & proiectos esse, nec tanquam deserti à Deo discurrite, quærite fœdera, socios, practicas, technas. Idem pulcerrimè significatum est, cùm Moyses diceret, State, & uidebitis magnalia Dei. Vetat fugere & dissipari populum desperatione diuini auxilij.

Silentium non pugnat cum officijs uocationis.

Neque hæc uacatio, seu hoc silentium pugnat cum officijs uocationis. Sed regulam in Psalmo traditam seruemus. Reuela DOMINO uiam tuam, & ipse faciet. Vocat uiam, uocationem & omnia officia uocationis, hæc bona conscientia facienda sunt, Miles prælietur, Senator gubernet, Pastores doceant, Sed his operibus uocationis, præluceat fides, petens & expectans à DEO auxilium, sicut Iosaphat inquit, Credite Domino DEO uestro, & securi eritis.

Hæc est summa sententiæ etiam hoc loco traditæ, Melius est confidere in Domino, quàm in homine. Melius est confidere in Domino, quàm in Principibus. Vetat confidere humanis præsidijs, non solùm, quia uoluntas omnium

omnium hominum ſunt mobiles & inconſtantes, Sed etiam ob hoc ipſum, quòd auxilia ſunt infirma. Sæpè homines, ſi uelint non poſſunt iuuare. Sunt in hiſtoriis & præceptis Ethnicis multæ ſimiles ſententiæ, quæ prohibent hanc fiduciam, quale illud eſt, Nuſquam tuta fides. Omnia uertuntur, certè uertuntur amores. Sed hæ loquuntur tantùm de inconſtantia uoluntatum, & perfidiis uſitatis inter homines, quas quidem omnes experimur eſſe creberrimas.

Magna inconſtantia eſt uoluntatum in hominibus & infirma ſunt auxilia.

Sed Spiritus ſanctus non ſolùm de uoluntatum inconſtantia, ſed etiam de fragilitate humanarum uirium concionatur. Pompeius tam firmum exercitum habuit, ut non dubitaret ſibi polliceri uictoriam, ſed tamen hac ſpe fruſtratus eſt.

Nec ſine cauſa hîc nominatim mentionem facit Principum. Intelligit enim non tantùm Reges & Diuites, ſed alios etiam præſtantes ingeniis, ſapientia, uirtute. De his admonet maximè nos in Eccleſia, ne ex illorum autoritate, iudiciis & uoluntatibus pendeamus, neue nos ad illorum uoluntates inflectamus. Sicut Hoſius ſe inflexerat ad Conſtantij uoluntatem.

Nomine Principum intelliguntur et Reges & alij præſtantes uiri.

Si cauſam bonam moues, quia ſperas te Principum & magnorum uirorum ſtudia habiturum eſſe, experieris illorum inconſtantiam. Rurſus etiam peccas, ſi metu Principum & ſapientum, bonam cauſam proiicis. Ideò ſequere regulam Pſalmi 36. Spera in Dominum, & recta facito. Obtempera tuæ uocationi, rectè doceas & agas, & expecta auxilium & gubernationem euentuum à Deo, nec ſpectes uel beneuolentiam, uel promiſſa, uel odia Principum. Præſertim in Eccleſia opus eſt hac animi magnitudine, quia experientia oſtendit, quàm pauci ſemper fuerint fideles Principes, & quàm ſint mutabiles, etiam qui uidentur eſſe mediocres. Vt Aſa, cùm auſpicia regni fuiſſent pia, & ipſe egregiis uictoriis à Deo ornatus eſſet, tamen poſtea factus eſt ſui diſſimilis, & exercuit ſæuitiam in Prophetam & alios.

Eccleſia ſæpius experitur inconſtantiam Principum quàm alij.

OMNES GENTES CIRCVMDEDERVNT ME, SED IN NOMINE DOMINI DELEBO EOS.

Circumdederunt me vndiq, Sed in Nomine Domini delebo eos.
Circumdederunt me ſicut Apes, arſerunt ſicut ignis ſpinarum, Sed in Nomine Domini delebo eos.
Impellens impulit me ut caderem, & Dominus adiuuit me.
Fortitudo mea & canticum meum DOMINVS, & fuit mihi auxiliator.
Vox exultationis & ſalutis in tentoriis iuſtorum, Dextra Domini fecit virtutem.
Dextra Domini exaltata eſt, Dextra Domini fecit virtutem.
Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini.
Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.

SOlent Pſalmi eandem ſententiam, uel iiſdem uerbis, uel paululum mutatis repetere, amplificandi cauſa. Idq; uidemus in ueteribus carminibus uſitatum

Repetitur exaggeratio periculi & celebratio victoriæ.

fuisse. Ita in hoc triumphali carmine, eadem sententia sæpè repetita est. Iterum exaggerat periculum, & testatur se diuinitus seruatum esse, & celebrat admirandam uictoriam, & fide erectus sperat similes uictorias in posterum, & hostibus minatur exitium. Vt autem hæc narratio præcipuè Christi afflictiones & uictorias describit, ita imago est totius Ecclesiæ, & certamina eius, & ærumnas ac uictorias nobis proponit, ut sæpè in Psalmis hoc ipsum argumentum tractatur.

Ecclesia omni tempore oppugnatur ab impijs.

Quòd dicit, *OMNES GENTES CIRCVMDEDERVNT ME*, etsi etiam rectè intelligitur de Dauide, cui omnes uicinæ gentes bella intulerunt, tamen totam Ecclesiam, inde usq; à principio ad finem, complectitur uox Christi. Toto orbe terrarum inde usq; ab Abel, incitauit Diabolus impia organa aduersus Ecclesiam. Nulla gens non habuit Tyrannos inimicos Christo. Omnes Monarchiæ conatæ sunt delere uerbum Dei. Maximè uerò sæuijt quarta, & nunc post quartam Turcicus furor, sicut significauit Daniel, pedes, id est, postremam partem ultimi Imperij omnia conculcare, hoc est, horribiles uastitates in Ecclesijs toto orbe terrarum efficere. Item de cornu, quòd exoritur ex quarta bestia ait, belligeraturum esse cum Sanctis. Et Ezechielis, capite 38. de Gog & Magog ait, Ignem iræ Dei esse sæuitiam, quam exercebit Gog & Magog.

Monarchiæ. Turci.

In qualibus nunc sit Ecclesia periculis.

Quare cùm hæc uerba legimus, *OMNES GENTES CIRCVMDEDERVNT ME*, Ecclesiam omnium temporum intueamur, & maximè de ultimæ ætatis persecutione cogitemus. In Oriente & Africa Saraceni dominantur, Turci uastant Occidentem. In Europa exiguus angulus est, qui titulum retinet Ecclesiæ Dei, & profitetur se Christum inuocare, & retinere uerbum Dei, traditum Prophetis & Apostolis. Et in hoc cœtu Pontifices, Episcopi, Reges, & multæ nationes defendunt manifestas εἰδωλομανίας, & conantur delere puram doctrinam Euangelij, per Prophetas, Christum & Apostolos traditi.

Vehementia hostium Ecclesiæ similitudinibus apum et incendijs spinarum significata est.

Hanc igitur tristissimam & acerbissimam querelam nunc uerissimè repetit Ecclesia Christi. Omnes gentes, Sarraceni, Turci, Hypocritæ, Pontifices & Reges circumdederunt nos. Et multitudo, iracundia ac uehementia hostium significata est duabus similitudinibus, Apum & incendij Spinarum. Magna & densa sunt apum examina, & natura eius insecti pugnacissima est, ut monstrat experientia, & Virgilius inquit:

Illis ira modum supra est, læsæq; venenum
Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt
Adfixæ venis, animasq; in vulnere ponunt.

Longum esset persequi totam collationem. Sed cogitemus acerrimum odium & acerrima prælia significari, præsertim sapientum, Nam id quoque significatur mentione apum. Vt uidemus arsisse Pharisæos acerrimo odio aduersus CHRISTVM & Apostolos. Est & incendium spinarum imago magni impetus.

Vox Christi triumphalis opposita periculis.

Sed his periculis opponit Christus uocem triumphalem, *IN NOMINE DOMINI DELEBO EOS*, Id est, Inuocatione & confessione Nominis Dei, qui adest, regit, defendit & saluat illum cœtum, qui Euangelium ipsius

ipſius circumfert, & uera fide ipſum inuocat. Addit autem amplificationes ærumnarum. Non ocioſo & dormitanti contingent uictoriæ. Imò prius horribiles ærumnas feret Eccleſia, Id quoq; docet Pſalmus, & ſignificat duplices ærumnas, crudelitatem hoſtium, & iram Dei caſtigantis Eccleſiam.

Duplices ærũnæ crudelitas hoſtium et ira Dei caſtigans Eccleſiam.

Facilè eſſet ferre hominum impetus, ſi non accederet ſenſus peccati noſtri & iræ Dei, Sicut inquit Ieremias, cap. 17. Non ſis tu mihi terrori, ſpes mea tu in die afflictionis. Sed cùm hîc ait, Caſtigans caſtigauit me, admonet, has afflictiones eſſe pœnas, uocantes nos ad pœnitentiam, Et ſancti intelligunt oneratam eſſe Eccleſiam tantis calamitatibus, propter peccatum hærens in natura, ut agnoſcamus noſtram infirmitatem, & confugiamus ad miſericordiam. Itaq; luctantur ipſi ſecum, ſicut inquit Paulus, Intus terrores, Foris pugnæ.

Sed his calamitatibus opponit Pſalmus uberrimas conſolationes, & finem monſtrat, teſtatur Eccleſiam ſic affligi, non ut pereat, ſed ut in caſtigatione magis agnoſcat præſentiam & miſericordiam Dei, creſcat fide, maiori robore celebret & confiteatur Deum.

Conſolationes contra ærumnas.

Et hæc concio de hoc fine calamitatum ſæpè repetitur in Prophetis. Eſt enim propria & peculiaris ſapientia ueræ Eccleſiæ, ut Pſalmo 88. Viſitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo. Et alibi, Bonum mihi quòd humiliaſti me, ut diſcam iuſtificationes tuas. Et Ieremiæ 29. Ego ſcio cogitationes, quas cogito ſuper uos, ait Dominus, cogitationes pacis & non perditionis, ut dem uobis finem quem expectatis. Et Ezechielis 33. Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat.

Teſtimonia de fine calamitatum.

Nec exiſtimemus fruſtra tales ſententias in ſcriptura traditas eſſe, aut eſſe uulgares & philoſophicas conſolationes, Sicut & Philoſophi dicunt, Homines ferocientes, rebus aduerſis ad modeſtiam reuocari. Quod etſi uerum eſt, tamen de alia re concionantur Prophetæ, ſcilicet de uoluntate Dei. De hac dubitant animi in rebus aduerſis, ſicut apud Euripidem dicit Hecuba, poſt captam urbem, inuocans Deos, ſe inuocare ignauos opitulatores, κακοὺς συμμάχους. Nimis uerè Poëta iudicium rationis & animi motum in impijs pingit. Sic homines naturali iudicio in ueris doloribus agnoſcunt ſe propter malefacta puniri, & ſe abiectos eſſe à Deo, quem ſentiunt iraſci humanis delictis, & uident ſe ruere in in æternam mortem & pœnam.

Sententiæ de ærumnis et cõſolationibus non fruſtra traditæ ſunt.

In his fluctibus & procellis opitulatur humanæ menti uox Dei, & proponit conſolationem ignotam rationi & philoſophiæ, ac teſtatur uoluntatem Dei eſſe, non perdere eos quos punit, ſed caſtigatis ignoſcere, ſi credant promiſſioni gratiæ propter Filium Dei promiſſæ. Sicut Paulus clamitat, Concluſit Deus omnes ſub peccatum, ut omnium miſereatur, quaſi dicat, non ut perdat, ſed potius ut reddat ſalutem inuocantibus ipſum. Sicut dixit, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te.

Voluntas Dei caſtigans pios ignota eſt rationi.

Hæ & ſimiles promiſſiones infigendæ ſunt animis, & diſcernenda hæc doctrina Prophetarum, à Philoſophia & iudicio rationis & Legis. Ideò enim diligentius repetitæ ſunt hæ promiſſiones in ſententijs & exemplis, ut diſcamus aliter iudicare de calamitatibus Euangelium, aliter rationem, Legem, & Philoſophiam.

Sententiæ Psalmi pertinentes ad promissionem.

Pertinent igitur ad promissiones illas & hæc dicta, *CASTIGANS CASTIGAVIT ME DOMINVS, ET MORTI NON TRADIDIT ME.* Itē, *NON MORIAR, SED VIVAM, ET NARRABO OPERA DOMINI.* Proponit exemplum, quod tanquam promissio communis ad omnes credentes pertinens intelligi debet. Fatetur se castigatum esse, & luctatum cum morte, sed tamen rursus liberatum esse. Hæc eò dicit, ut discamus uoluntatem Dei esse, etsi castigat, punit, et in mediam mortem conijcit, rursus tamen liberare castigatos.

Sed quid interest inter Dauidem & Scipionem? Non ne & Scipio sæpè in magnis prælijs periclitatus est, & uicit, sicut Dauid? Et ut tandem Scipio placida morte extinctus est, ita & Dauid post tot uictorias, tamen ad extremū mortuus est. Quî magis igitur hæc canit Dauid, quàm Scipio? Non moriar, sed uiuam.

Multa discrimina inter Dauidem & Scipionem.

Respondeo, multa sunt discrimina, Scipio uincit, Deo iuuante, Sed non statuit se à Deo uocatum esse, & casu putat has uictorias contingere, multò minus intelligit uictorias præsentes debere simul æterna morte absorberi, Deinde Scipio nihil certò statuit de æterna uita.

I. Agnitio Dei & fides.

Econtrà Christus, Dauid & omnes qui Deum rectè inuocant, agnoscunt se diuinitus uocatos esse ad agnitionem Euangelij, & Deum uelle, ut agnitione Euangelij & fide uincant æternam mortem. Quare etiam superati calamitatibus & morte corporis, tamen clamitant: Non moriar, sed uiuam, & narrabo opera Domini. Et hæc uox primùm & principaliter congruit filio Dei, per quem mors superatur, & qui resurgens uicta morte, ostendit se Apostolis, docuit eos, dedit Spiritum sanctum, misit Apostolos, & regnat in Ecclesia. Estq; hoc dictum, Non moriar, sed uiuam, testimonium de resurrectione Christi. Toties testatur scriptura Christum fore uictimam, & moriturum esse. Et rursus sæpè dicit, ut hîc, se non moriturum esse. Necesse igitur fuit eum resurgere, sicut & Psalmo 15. ait. Non dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Deindè intelligit Dauid & norunt omnes sancti, ducem Christum uincere & delere mortem, ut reddat uitam etiam cæteris Sanctis. Canit igitur & Dauid hanc uocem de uita æterna, quæ Scipioni ignota est.

II. discrimen de præsentibus uictorijs.

Deindè & de præsentibus uictorijs discrimen est. Etsi dimicat Scipio singulari quodam impetu, tamen arbitratur id casu fieri, nescit se à Deo uocatum esse, nec adfert ad prælium fidem expectantem auxilium à Deo.

III. discrimē.

Tertiò, nec uincit in talibus fidei exercitijs peccatum & mortem æternam.

IIII. discrimen.

Quartò, etsi sæpè feliciter præliatur, tamen semper est incertus de exitu, sciebat interfectos esse tam multos præstantes Duces omnium temporum, meminerat trucidatos patrem, patruum, Aemylium, Marcellum, & alios. Ideò cogitat & se aliquando simili fato periturum esse. Nec tantùm de personæ suæ exitu est incertus, sed etiam de causa & repub. quam propugnat, hanc etiam cogitat casu regi, & fortassè subito aliquo motu ruituram esse.

Dauid de sua persona & causa aliter sentit quàm Scipio.

Quanquàm autem euentus in populo Israël, & cæteris imperijs uidentur esse similes, Interficiuntur magni & pij Duces, ut Samson, Ionathas, Iosias, exoriuntur Tyrannides, seditiones, & aliæ magnæ mutationes, Tamen Dauidis mens & de persona sua, & de causa, longè aliter sentit, quàm Scipio. Dauid scit se à

se à Deo uocatum esse, deinde in prælijs fide petit & expectat auxilium & uictoriam, Et eadem fide luctatur cum terroribus peccati, & uincit mortem æternam. Scit & hoc, Deum defensorem esse ueræ Ecclesiæ, cui ipse seruit, & propterea duces à Deo uocatos plerunq; in officijs uocationis seruari. Et ut maximè in acie intereant Duces, (uidit enim Deum mirabiliter regere Ecclesiam, & uelle nos exerceri ingentibus periculis) tamen scit causam & Ecclesiam non interituram esse. Quare & ipse reuiuiscet, & erit socius æterni triumphi & gloriæ apud Deum. Hac igitur fide uerè canit hunc hymnum, & prædicat causam non interituram esse, imò se quoq; in præsentibus prælijs liberatum esse à morte, & rursus uerè liberandum esse ab æterna morte.

Cùm autem de liberatione à morte concionatur, complectamur nos omnia Christi beneficia. Non aboletur mors in Dauide & nobis, nisi liberemur à peccato. Quare hic uersiculus, *NON MORIAR, SED VIVAM*, complectitur promissionem de remissione peccatorum, & tota instauratione & glorificatione Sanctorum. Iam uide quomodo hic pæan conueniat cum specie Ecclesiæ. Dilaceratur uera Ecclesia inde usq; ab initio, & undiq; est cincta morte. Abel interficitur, Israëlitæ in Aegypto, postea etiam in Palæstina opprimuntur seruitute, trucidantur Prophetæ, Apostoli, Martyres. Quomodo hi canunt: Non moriar, sed uiuam. Imò uerò & de causa, & de personis canunt. Esaias, Ieremias, Paulus sæpè in hac uita glorioſè seruantur, ut diutius fungi officio possint, &, ut hîc ait Psalmus, *NARRARE OPERA DOMINI*. Tandem postea quasi perfuncti sua militia interficiuntur, sed tunc & causa manet, & ipsi uitam æternam accipiunt.

Liberatio à morte complectitur omnia Christi beneficia.

Pij etsi interficiuntur tamen uitam æternam accipiunt & causa manet.

Sed hominum oculi sine fide longè aliter de Ecclesia cogitant, imò hanc totam cantilenam, Non moriar, sed uiuam, putant esse fabulosam. Contra hæc humana iudicia confirmemus animos, his sententijs Spiritus sancti, & meminerimus hoc doctrinæ genus diuinum esse, & supra humanam sapientiam positum, & discamus exercere fidem, ut luctantes cum peccato & morte, in toto cursu uitæ & uocationum, agnoscamus per hunc Liberatorem nostrum, cuius triumphus hîc describitur, deletum esse peccatum, abolitam mortem, & reddita esse perpetuam iusticiam & uitam, nosq; hac fide uiuificari, sicut scriptum est, Iustus fide sua uiuet.

Homines sine fide aliter de Ecclesia cogitant quàm docet Euangelium.

APERITE MIHI PORTAS IVSTICIÆ, INGREDIAR EAS, ET CONFITEBOR DOMINO.
HÆC PORTA DOMINI, IVSTI INTRABVNT IN EAM.
CONFITEBOR TIBI, QVIA HVMILIASTI ME, ET FACTVS ES MIHI IN SALVTEM.

ALtera pars Psalmi est, Nam suprà recitauit afflictionem suam, & liberationem. Nunc de applicatione loquitur. Hæc inquit in Ecclesijs prædicabo cæteris, & nouum ædificium, seu nouum regnum per me, quamuis antea afflictum, incoabitur. Afflictio seu passio Messiæ seruiuit alijs. Fuit enim sacrificium pro peccato humani generis. Liberatio etiam prodest alijs. Hæc celebrari in Ecclesijs & innotescere oportet.

Altera pars Psalmi de applicatione.

De hac

De hac applicatione iam concionatur. Ideoq; dicit Christus, *APERITE MIHI PORTAS IVSTICIÆ*, id est, patefacite mihi Ecclesias & cœtus, in quibus iusticia iam fulgebit. Vos Ecclesiæ auditæ hanc meam concionem. Hæc & Christi uox est, & aliorum docentium & confitentium.

Portæ significant imperia seu regna.

Ecclesia est porta iusticiæ.

Portæ significant usitata metaphora, imperia seu regna. Et hîc discernit ab imperijs mundi hanc portam, id est, hoc regnum, seu hunc cœtum. Vocat enim portam iusticiæ, & portam Domini. Est enim Ecclesia regnum Dei, hoc est, cœtus, in quo Deus rectè agnoscitur, inuocatur, colitur, & perpetuò laudabitur. Ideò est & iusticiæ porta, hoc est, iustum regnum, seu cœtus iusti, Deo placentes, & hæredes uitæ æternæ.

Collatio aliorum regnorũ & Ecclesiæ.

Alia regna iusticiam externam seu ciuilem utcunq; tuentur, coërcent pœnis humanam audaciam, sicut dicitur in Psalmo, In chamo & freno maxillas eorum constringe. Denicq; sunt carcer Legis, qui seruit miseræ necessitati uitæ corporalis, non adfert iusticiam aut uitam æternam. Sed Ecclesia est regnum seu cœtus, in quo dantur iusticia & uita æterna, & in quo Deus ipse regnat, agnoscitur, inuocatur, & perpetuò laudabitur. Nam quid fiat in Ecclesia hîc quoq; addit, *INGRESSVS IN HAS PORTAS CONFITEBOR DOMINO*, prædicabo, celebrabo eius beneficia, & præstabo ueros cultus.

DE ECCLESIA.

HInc igitur uera definitio Ecclesiæ Dei sumenda est, & repudiandæ sunt aliæ definitiones, quæ non Ecclesiam, sed Pontificium Regnum describunt.

Ecclesiæ descriptio comprehensa quatuor uersibus Psalmi.

Continetur enim definitio ueræ Ecclesiæ in his quatuor uersibus, qui hîc contexuntur. Hæc est porta Domini, iusti intrabunt in eam. Confitebor tibi, quia humiliasti me, & factus es mihi in salutem. Lapidem quem reprobauerũt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est hoc, & mirabile est in oculis nostris.

Accommodatio quatuor uersuum Psalmi ad definitionem Ecclesiæ.

Definitum & titulus est. *HÆC EST PORTA DOMINI*, id est, hæc est Ecclesia Dei, seu regnum Dei. Deinde sequitur genus, *IVSTI INTRABVNT IN EAM*, id est, Ecclesia Dei, est iustorum cœtus. Sed hi certas habent notas, & certum caput, & doctrinam, qua discernuntur ab alijs regnis, habent & gloriam singularem dissimilem gloriæ aliorum imperiorum. Hæc eruditè traduntur in his uersibus. Postquàm enim dixit esse iustorum cœtum, addidit notam externam. *CONFITEBOR TIBI, QVIA HVMILIASTI ME, ET FACTVS ES MIHI IN SALVTEM.* Talis cœtus est iustorum, qui prædicant Deum, habent certum uerbum, & in confessione adfliguntur, & tamen seruantur. Confessio enim, hoc est, uera agnitio & celebratio Dei, cum qua necesse est coniunctam esse Euangelij prædicationem, proprium munus & peculiaris nota est Ecclesiæ.

Sed descriptio fit illustrior in sequenti uersu, *LAPIDEM QVEM REPROBAVERVNT ÆDIFICANTES, HIC FACTVS EST IN CAPVT ANGVLI.* Hæc porta seu Ecclesia iustorum, confitetur

fitetur certum uerbum, quod acceptum ab illo duce, qui uincit mortem, & reſtituit uitam, qui reiectus eſt ab ædificantibus, id eſt, doctoribus & regibus, & tamen factus eſt *CAPVT ANGVLI*, id eſt, fundamentum Eccleſiæ Dei, collectæ ex Iudæis & Gentibus, quæ eſt populus uita æterna donandus, & perpetuò celebraturus Deum.

Deindè additur, *A DOMINO HOC FACTVM EST*. Hoc eſt, hic Chriſtus rex non humano conſilio miſſus eſt, aut uicit, ſed à Deo miſſus eſt, & diuina potentia aboleuit peccatum & mortem. Eſt ergo Eccleſia porta, ſeu cœtus iuſtorum, hoc eſt, talium, qui confitentur ſe ſaluatos eſſe per Dominum miſſum à Deo, qui quamuis reprobatus eſt à regibus & doctoribus, tamen non moritur, ſed uiuit, & narrat opera Domini, & eſt caput anguli, hoc eſt totius Eccleſiæ. *Eccleſia quid ſit.*

Sic ſæpè definiunt Eccleſiam Prophetæ & Apoſtoli, uidelicet cœtum iuſtorum, hoc eſt, uerè credentium Euangelio filij Dei, & rectè inuocantium Deum, qui liberati ſunt à peccato & æterna morte. Ita definitur Eccleſia, Epheſ. 2. ubi ait eſſe templum ſanctum, ædificatum ſuper lapidem angularem, Ieſum Chriſtum, qui eſt fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Et Epheſ. 5. ait eſſe cœtum, mundatum lauacro aquæ per uerbum, nec habere rugam, aut maculam. *Eccleſia in Prophetis & Apoſtolis quomodo definiatur.*

Magnum igitur diſcrimen eſt inter politias humanas & Eccleſiam Dei. Sed homines politici ſemper hæc miſcent, & humano more iudicant de Eccleſia, unde ſequuntur pernicioſi errores, promiſſiones factæ Eccleſiæ detorquentur ad impios, ſtabiliuntur falſa decreta, tribuitur autoritas Pontificibus & ſynodis, quæ tribui eis non debet. *Iudicia hominum politicorum de Eccleſia qualia ſint.*

Fingunt enim homines politici humano more, Eccleſiam eſſe regnum, in quo unus ſit Monarcha Romanus Pontifex, qui tribuat Epiſcopis & Sacerdotibus per gradus autoritatem docendi & adminiſtrandi Sacramenta, Deinde alligant ita Eccleſiam ad hunc cœtum Epiſcoporum & Sacerdotum, ut tribuant eis poteſtatem interpretandi uerbi Dei, condendi leges, inſtituendi cultus, & iudicandi de dogmatum controuerſijs, & adfirment maioris partis ſuffragijs obtemperandum eſſe, quia ſemper in hoc cœtu retineatur ueritas.

Hæc tota pictura eſt imago humani regni, & nequaquam eſt ueræ Eccleſiæ definitio, quia uera Eccleſia non eſt certa multitudo ſeu Pontificum ſeu Epiſcoporum, humano conſilio collecta, Iohan. 1. Et proprij eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri, credentibus in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, nec ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri, ſed ex Deo nati ſunt. *Eccleſia non eſt multitudo Epiſcoporum aut Pontificũ.*

Et certiſſimum eſt, promiſſiones non pertinere ad non credentes, Ioh. 3. Qui autem non credit, iam iudicatus eſt. Et Roman. 8. Si quis Spiritum CHRISTI non habet, hic non eſt eius. Sed cùm tota turba Pontificum, Epiſcoporum & Sacerdotum poſſit eſſe impia, non eſt ad hunc cœtum alligenda Eccleſia. Sed retineatur dictum Pauli, Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. *Promiſſiones non pertinent ad non credentes.*

Deindè ſequitur particula reliqua uerſus. *ET EST MIRABILE IN OCVLIS NOSTRIS*, quaſi dicat, Omnia regna habent gloriam aliquam, qua conſpici poſſunt, habent præſtantes duces, ſenatores, habent uictorias & triumphos. Iam ſi pingitis Eccleſiam talem, in qua non ſint Pontifices *Qualis ſit gloria Eccleſiæ præ reliquis regnis.*

fices & Episcopi gubernatores, in qua non sit ordo regentium, quæ non habeat potestatem aliquam iudicandi et decernendi. Qualis confusio & ἀταξία est?

Deus dat Ecclesiæ gubernatores suo arbitrio.

Aduersus hoc scandalum inquit Psalmus, *ET EST MIRABILE IN OCVLIS NOSTRIS.* Habet Ecclesia, etiamsi est oppressa & exigua, ingentem gloriam, Deus excitat suo arbitrio excellentes gubernatores, ut Eliam, Elisæum, Esaiam, Ieremiam, Danielem, Apostolos, & alios inferiores, sed tamen excellentia lumina. Dat item donum interpretationis, id est, lumen spirituale excellens aliquibus. Defendit etiam & seruat Ecclesiam mirabili modo, etsi duriter quassatur inter imperia mundi. Habet igitur admirandam gloriam, quæ non pendet ex humanis consilijs, sed ab admirabilibus Dei operibus. Hæc est insignis hoc loco descriptio Ecclesiæ, digna quæ diligenter obseruetur. Cæterùm qualis sit species, qui cultus, quæ liberationes huius Ecclesiæ, significatum est in his uerbis.

CONFITEBOR TIBI, QVIA HVMILIASTI ME, ET FACTVS ES MIHI IN SALVTEM.

Confessio quid significet & quæ officia complectatur.

CONfessio ut sæpè dictum est, significat gratiarum actionem, quæ complectitur multa officia, Inuocationem, prædicationem, & professionem seu testimonium nostræ sententiæ de religione, quod ostendi oportet non solùm cùm de doctrina interrogamur, sed etiam in moribus, in tota uita lucere debet professio, ita ut significemus in publicis & priuatis negocijs, nos hunc Deum inuocare, qui misit Filium suum, ut sit *LAPIS ANGVLARIS*, hoc est, saluator Ecclesiæ. Hi cultus proprij sunt Ecclesiæ, inuocare, docere, & profiteri, sicut aliâs dictum est in uersu Psalmi, Credidi, propter quod locutus sum.

Cur Ecclesia sit subiecta cruci.

Speciem autem Ecclesiæ describit, inquiens, *QVIA HVMILIASTI ME.* Suprà dictum est aliquoties, Ecclesiam in hac uita subiectam esse cruci, mirabili consilio Dei, cùm propter alias causas, tùm quia circumfert peccatum in carne, quod Deus uult mortificari in sanctis in hac uita, uult etiam Deus conspici potentiam suam in infirmis contra potentiam diaboli, belligerantis multipliciter contra Ecclesiam.

Diaboli & organorum eius sæuitia.

Hæc certamina prædicta sunt initiò post lapsum Adæ, ubi dicitur de Semine mulieris, Ipsum conculcabit caput Serpentis, & serpens mordebit calcaneum eius. Hos uenenatos morsus experitur Ecclesia omnium temporum, priuatim & publicè. Nota est sæuitia publica Tyrannorum, quæ statim tempore Cain exarsit, & deinde post Diluuium creuit, cùm exortæ essent Monarchiæ. Et nunc in fine mundi durissimè quassatur Ecclesia, à Turcis, à Pontificibus & Regibus. Et hanc sæuitiam alij magis, alij minus experiuntur. Sed tamen & hi qui procul absunt à publica tyrannide, habent suas ærumnas, singuli tametsi priuati, & extra loca periculis obnoxia degentes, sentiunt horribiles morsus Diaboli, qui uel corpora sanctorum, uel uitam, uel familias oppugnat, ut implicatos acerrimis doloribus interficiat, uel ad desperationem trahat. Ita grassatur Serpens ille, autor peccati & mortis, etsi pauci homines agnoscunt causas tantorum malorum. Sed Ecclesia scit se luctari cum Diabolo, scit Diabolum esse hostem filij Dei, scit filium Dei propagatorem esse Ecclesiæ, & hanc ad ingentia certamina uocatam esse, sicut hîc dicitur de certaminibus & de uictoria. Ait se utrumq; prædicaturum esse, quòd sit humiliatus, & liberatus.

Est ergo

Est ergo hæc species Ecclesiæ, Est exigua, imbecillis, oppressa tyrannide impiorum, experitur & priuatim morsus diaboli: Sed interim seruatur & liberatur mirabili modo: Sicut Noë seruatur in diluuio, Sicut Dauid defendebatur contra sæuitiam Saul, Sicut Elias, Elisæus & alij Prophetæ defensi sunt contra tyrannos, Denicp ut Daniel seruabatur inter Leones. Hæc semper est ueræ Ecclesiæ species. Et hi sunt cultus proprij Ecclesiæ, patientia in his ærumnis, & inuocatio Dei, confessio, & celebratio, ut nos ipsi confirmemur, & alij ad agnitionem Dei inuitentur, Sicut sæpe dicunt Psalmi, Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Item, Narrabo nomen tuum fratribus meis &c. *Species Ecclesiæ.*

Ac de specie Ecclesiæ, & proprijs cultibus hic uersus concionatus est, quos cum sciamus requiri à nobis, simus animo parato ad certamina, quæ Ecclesiæ proposita sunt. Sequens uersus eadem repetit, sed nominatim de duce & Liberatore Ecclesiæ Christo etiam uaticinatur.

LAPIDEM QVEM REPROBAVERVNT ÆDIFICANTES, HIC FACTVS EST IN CAPVT ANGVLI.

EO etiam magis amandus est hic uersiculus, quia citatus est à Christo ipso, & Apostolis Petro & Paulo, & usui nobis est tripliciter. Primùm refutat Iudæos, qui fingunt Messiam triumphantem & non interfectum à populo suo. At hic uersus testatur ipsos Pontifices & principes fore hostes Messiæ, & futurum ut uideatur Messias reiectus & deletus à suo populo, & quidem à principibus. Vsitata est enim metaphora ædificantium pro gubernatoribus. *Triplex usus sententiæ de lapide angulari.* *I. Vsus contra Iudæos.*

Secundò docet & nos de Ecclesiæ persecutione, quòd sicut Christum persecuti sunt principes, ita sit Ecclesia subiecta similibus ærumnis. Hæc sententia, etsi sæpe repetitur, tamen & hîc continetur. *II. Vsus, consolatio contra persequutiones.*

Tertiò docet nos hic uersiculus de ædificio Ecclesiæ, & ut suprà in descriptione Ecclesiæ eum complexi sumus, ita sciamus semper in descriptionibus Ecclesiæ citandum, proferendum, & explicandum esse. Continet enim doctrinam admodum utilem ad fidem confirmandam in pijs, qui specie Ecclesiæ offenduntur. Videtur Ecclesia cœtus esse desertus, & uagabundus Nomadum aut pecudum more, sine doctoribus & sine defensoribus. At hic uersiculus testatur Messiam esse caput anguli, id est, fundamentum, cui Ecclesia incumbit, quòd intelligendum est, & de uerbo seu doctrina, & de efficacia ac defensione. *III. Vsus, de ædificio Ecclesiæ.*

Primùm .n. certa & una doctrina est, tradita per filiũ Dei, patribus, Prophetis & Apostolis, sicut ait Ioannes, Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Et æternus pater clara uoce de cœlo mandauit, hunc filium audiri, Mat. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo complacitum est mihi, hunc audite. Hic filius certò patefacit uoluntatem Dei de reconciliatione, de tollendo peccato & morte, & de danda uita æterna. Huic filio uult credi, & uult doctrinam eius anteferri totius mundi iudicijs, & opinionibus. *Vna est doctrina patefacta per filium.*

Et Ecclesiæ unitas consistit in societate huius unius doctrinæ Euangelij inde usq; à principio ad finem. In hac uoce Euangelij, uidelicet in promissione Messiæ, consociati fuerunt patres ante circumcisionem, & deinde posteritas Abrahæ, cum multis qui crediderunt ex gentibus, ut Nahaman Syrus, Nabugdonosor & alij, Ac postremò Ecclesia collecta per Apostolos ex Iudæis & gentibus. *Vnitas Ecclesiæ consistit in societate doctrinæ.*

Non aliter deus agnoſci & coli uult niſi in uerbo.

Non enim poteſt Deus aliter coli aut inuocari, niſi Euangelium de Meſſia amplectamur, & in hoc ipſo uerbo agnoſcamus miſericordiam Dei, & ſtatuamus nos exaudiri & ſaluari. Ideò clamitant Apoſtoli Petrus & Paulus. Epheſ.2. Eccleſiam ædificatam eſſe ſupra hunc Lapidem angularem. Idem docet 1.Corinth.3. inquiens, Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quòd poſitum eſt, quòd eſt Ieſus Chriſtus. Quare extra hoc miniſterium, quod prædicat filium Dei, non eſt Eccleſia, nec ſaluatio, ſicut & Petrus Actor. 4. inquit, Non eſt aliud nomen, per quòd oporteat ſaluos fieri, niſi nomen Chriſti. Quare ſunt excluſi à uita æterna omnes, ſuper quos non eſt inuocatum nomen Chriſti, ut gentes ignaræ Euangelij, aut blaſphemæ, ut Epicurei omnium gentium. Item Iudæi, Mahometiſtæ, tyranni, qui defendunt impios cultus Papæ, & conantur ueram & ſalutarem doctrinam de beneficijs filij Dei, & de fide opprimere. Item, Anabaptiſtæ, qui contendunt etiam infantes extra Eccleſiam, & ſine inuocatione nominis Chriſti ſaluari.

Chriſtus eſt lapis angularis propter doctrinam.

Docet igitur hic uerſiculus, quæ ſit Eccleſia, & ut conſpici poſſit, proponit certam notam, ſcilicet hunc Lapidem angularem, hanc unam doctrinam traditam inde uſq; ab initio de filio Dei ſaluatore. Impietas & impoſtura eſt, proponere aliam doctrinam, pro fundamento ſeu Lapide angulari, diſſentientem ab Euangelio, ſicut faciunt Iudæi, Mahometiſtæ, & defenſores errorum Pontificiorum.

Cæterùm ubi uerum fundamentum retinetur, ſi in externis moribus Eccleſia habet aliquas traditiones, hæ non æquentur fundamento, nec dicantur eſſe res neceſſariæ, ſed Adiaphoræ, inſtitutæ propter politicum ordinẽ, ut ſunt feriæ, & certæ lectiones. Nullæ tales res poſſunt eſſe fundamentum aut lapis angularis perpetui ædificij, quod manebit in uita æterna.

Chriſtus eſt lapis angularis etiam propter efficaciam.

Secundò, Lapis angularis eſt ſeu fundamentum Chriſtus, non tantùm propter doctrinam, ſed etiam propter efficaciam. Id conſiderari hoc loco neceſſe eſt. Oportet enim diſcerni filium Dei ſaluatorem à patribus & Prophetis & cæteris miniſtris. Dicat enim fortaſſis aliquis, cur non & Moiſes intelligitur Lapis angularis, cum & ipſe ſit architectus pulcerrimi ædificij, ſcilicet, politiæ Iſraël, hoc eſt, doctor Legis, qua conſociatus eſt populus Iſraël.

Chriſtus eſt lapis angularis non tantùm ut doctor ſed ſaluator & liberator.

Sed reſpondendum eſt, hîc fieri mentionem de Lapide angulari, qui non tantùm eſt doctor, ſed ſaluator, & Liberator à morte æterna, qui diſcernendus eſt à patribus, Prophetis, & cæteris miniſtris, ſicut Iohannes Baptiſta aliquoties monuit. Patres, Prophetæ & cæteri miniſtri, tantùm ſunt doctores: At filius Dei eſt & doctor Euangelij & ſaluator. Et eſt ſemper efficax in Eccleſia, remittit peccata credentibus, exaudit, dat Spiritum ſanctum, ſanctificat corda credentium, liberat eos à tyrannide diaboli, regit eos mirabiliter & iuuat in periculis, dat uitam æternam, & depellit diabolum. Hæc aſſidua beneficia impertit ueræ Eccleſiæ, ſicut & aliâs ſæpè dicitur, Sine me nihil poteſtis facere. Item, Aſcendit, captiuam duxit captiuitatem, dat dona hominibus. Non cogitemus ocioſum eſſe dominum, Sed hic Lapis angularis uerè ſuſtentat, & geſtat nos, ac uult beneficia à nobis intelligi, & fide peti, quæ quidem experiuntur ſancti in aſſiduis liberationibus, ſicut uiderunt Eccleſiam mirabiliter ſeruari et defendi, Noë, Moiſes, Samuel, Dauid, Ezechias, Ieremias, Daniel, Apoſtoli, et cæteri pij. Eſtq; hic cultus ueræ Eccleſiæ, in hac fide inuocare Deum, petere et expectare auxilium et liberationem, propter Meſſiam, qui eſt Lapis angularis. Sicut

cut ipſe clamitat, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis,& ego reficiam uos.Item,Quicquid petieritis Patrem in nomine meo,hoc faciam. Item, Ego uobiſcum ſum,uſq; ad conſummationem ſeculi. Item,Non relinquam uos orphanos,ueniam ad uos.Has ſententias nobis inculcemus,ut diſcamus quare uocetur filius Dei Lapis angularis, ac geſtator Eccleſiæ, & nos hac doctrina & conſolatione ad fidem,inuocationem,& ad ueros cultus excitemus.

Et quoniam fit ædificij mentio, conſideremus quæ ſint in politijs præcipua,caput,ordo perſonarum,& gloria. Hæc quo modo ſint in ædificio Eccleſiæ, docet hic uerſus. *Quomodo ordo politiarum cõgruat ad ordinem Eccleſiæ.*

I.

DE CAPITE ECCLESIÆ.

DIſſimilis eſt Eccleſia imperijs ſeu regnis mundanis. Sicut clarẽ dicit Paulus, Qui ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei. Item,Qui ſpiritũ Chriſti non habet, hic non eſt eius. Et Galat 3.Omnes filij Dei eſtis per fidem in Chriſtum Ieſum, Non eſt Iudęus,nec Græcus,non ſeruus,nec liber,non mas,nec fœmina. Quanquam igitur uagatur in terris Eccleſia, & habet externum miniſterium Euangelij & Sacramentorum,& res magnas gerit,dimicat cum diabolo,& impietate mundi,tamen in terra non habet caput, hoc eſt, regem ut cætera regna, qui ferat nouas leges populi Dei,aut mutet,aut inflectat doctrinam à Deo traditam,aut cogat exercitu & armis aduerſarios obtemperare Euangelio,aut defendat armis populum Dei,ſed regnum eſt cœleſte ſeu ſpirituale, corpora ſubiecta ſunt cruci, mentes uerõ præliantur aduerſus diabolum & mundi impietatem.Habent autem caput,ſcilicet filium Dei,qui adeſt ipſis,& primũm regit eos una & immutabili Euangelij uoce , deinde adiuuat etiam Spiritu ſancto, corroborat contra carnem, & defendit contra diabolum, reprimit & furores tyrannorum, ſicut Danielem in lacu leonum ſeruabat. *Eccleſia diſſimilis eſt imperijs mundanis.*

Nec enim intelligatur caput Eccleſiæ,ocioſus titulus : Sed filius Dei uerẽ eſt efficax,iuuat & uiuificat inuocantes, ſicut ſæpẽ ſcriptum eſt, Ego ſum uitis, uos palmites,Sine me nihil poteſtis facere. Et Paulus deſcribens Eccleſiam & caput ad Epheſ.primo ait,Et omnia ſubiecit pedibus eius,& ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ,quæ eſt corpus ipſius,uidelicet cœtus perficientis omnia in omnibus. Poëtæ ludunt,cũm fingunt Iouem in cœlo ocioſum conuiuia agitare,ſed tamen cogitationes humanas de Deo pingere uolebant.Et ſic cogitant de Chriſto multi,ſedere ocioſum in cœlo. Ac talia ſomnia confirmantur in ſtultis,cũm proponitur aliud caput Eccleſię in terris,uidelicet Romanus Pontifex, & tribuitur ei autoritas tanta,ut uerum caput obſcuretur. *Chriſtus caput Eccleſiæ aſſiduè efficax in ſanctis.*

At contra omnia hæc deliramenta teneantur ſententiæ, quæ docent filium Dei eſſe caput,aſſiduẽ efficax in ſanctis,& uelle,ut hanc efficaciam experiamur in quotidianis certaminibus,& quotidiana inuocatione. Perficit omnia in omnibus, iuuat Dauidem aduerſus Goliath, ſuſtentat eum & uerẽ eſt Lapis angularis,cũm pellitur in exilium, & oppugnatur ſenſu iræ Dei propter peccata,& metu æternæ pœnæ, terroribus diaboli, odijs & furore ſeditioſorum. In tantis periculis erigit ſe promiſſione miſericordiæ,Suſtẽtatur ergo à filio Dei, tanquam Lapide angulari,& exitus ſunt glorioſi,ſicut hîc dicitur,NON MO-

RIAR SED VIVAM, ET NARRABO OPERA DOMINI. Sentit Dauid se reuocari ex pauoribus & morte, remitti peccata, liberatur ab hostibus, & crescit in fide, & donis spiritualibus. Ita filius Dei qui caput est, omnia in eo perficit.

Externa dominatio res est aliena ab Ecclesia.

Sic & nos capitis & ducis nostri præsentiam & efficaciam experiamur. Nec sinamus nobis offundi nebulas per carnales imaginationes & κακοζηλίας, quæ transformant Ecclesiam in regnum mundanum, & imponunt scenicum caput, Pontificem Romanum, cùm illa externa dominatio res aliena sit ab Ecclesia. Nunc dicamus de ordine.

II.

DE ORDINE IN ECCLESIA.

Alius est ordo in imperijs alius in Ecclesia.

IN imperijs ordo instituitur, cùm discernuntur principum & officiorum gradus, ut aliud est ducis, aliud senatoris, aliud quæstoris officium, alius gradus militum, alius artificum. Ita in Ecclesia docent aduersarij, Episcopos iure diuino antecellere cæteris ministris Euangelij, addiderunt etiam Senatum Cardinalium, & multos gradus fecerunt, quasi Ecclesia sit humana politia.

Præcipuè autem de hoc articulo pugnant, quòd Ecclesia alligata sit ad ordinariam successionem Episcoporum. Ex qua hypothesi ratiocinantur, nullam esse ordinationem, nullum ministerium, nullam remissionem peccatorũ apud eos, qui non habent Episcopos ordinaria successione regnantes.

Ecclesia non est alligata ad certum locum aut ad ordinariam successionem, sed ad uerbum Dei.

Hanc pernicioſam opinionem necesse est refutari. Nam Ecclesia non est alligata ad certum locum, aut certarum personarum successionem, sicut clarè ait Christus, cùm dicent: Ecce hîc est Christus, aut illic est, nolite credere. Item, Regnum Dei non uenit cum obseruatione. Sed Ecclesia tantùm ad uerbum Dei alligata est, & hac mente & uoluntate coniuncta est ueris ministris, ubicunq; sunt, ã quibus discit Euangelium, sicut Ecclesia in Babylone, credens doctrinæ absentis Ieremiæ, tamen eius ministerio fruebatur. Ita nunc multi pij inter aduersarios uoluntate coniuncti sunt cum ministerio Ecclesiarum nostrarum, unde discunt Euangelium.

Christus est fundamentum Ecclesiæ non doctrina hominum.

Idem docet hic uersiculus: LAPIS QVEM REPROBAVERVNT, HIC FACTVS EST IN CAPVT ANGVLI. Testatur enim non humanam doctrinam, aut humanas ordinationes de locis, aut successione, sed Christum esse lapidem angularem, hoc est, fundamentum super quod extructa est Ecclesia.

Doctrina alia quærenda est si ueritatem abolẽt qui sunt in successione ordinaria.

Quoties lux Euangelij in successione ordinaria extinguitur, necesse est aliam doctrinam quæri, sicut dicitur, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Si oculis humanis Ecclesiam intuens, uideas cœtum esse sine externo & conspicuo capite & duce, deinde uagabundum, & non habentem in una certa sede continuos Episcopos & moderatores, qualis uidebitur dissipatio esse? Quid minus congruit ad politicum ordinem, quàm tollere autoritatem ordinariæ successionis? Et tamen necesse est regulam teneri, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

Et retinent pij seiuncti ab impijs Episcopis, uerum ministerium, ueram ordinationem, uerum usum Sacramentorum, remissionem peccatorum, & donationem Spiritus sancti & cætera beneficia Christi. Hæc sunt in cœtu pio, etiamsi

etiamsi discesserit ab impijs Episcopis ordinaria successione regnantibus, quia certissimum est Ecclesiam Dei uerè ex Euangelio pendere, & nasci uoce Euangelij, & non ad certas personas, aut certa loca alligatam esse.

Ideò consolatur Christus Apostolos, admonens, ne moueantur scandalo dissipationis, cùm ejcientur ex synagogis. Grata & dulcis res est, pius consensus Episcoporum & Ecclesiarũ, ut dicitur in Psalmo, Ecce quàm bonum, 2c. Sed cùm Episcopi belligerantur cum Christo, necessariò deserendi sunt. Interim uero unitas Ecclesiæ manet, conseruata unitate ueræ doctrinæ, quàm summo studio tueri debemus. Hoc uult Paulus, inquiens, Ephes. 2. Ecclesiam esse ædificatam supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, id est, certum uerbum per Prophetas & Apostolos traditum.

Cõsolatio Christi contra scandalum dissipationis.

Vnitas Ecclesiæ conseruata doctrina manet.

Hęc admonitio & consolatio necessaria est pijs, ut se confirment aduersus terribilia iudicia eorum, qui sine modo amplificant ordinariam successionem, cùm reipsa hoc agant, ut eo prætextu abstrahant pios à ueræ doctrinæ professione. Nec paucos hę fucosæ laudes ordinariæ successionis decipiunt.

Sed quærat aliquis, An non etiam gradus diuersi sint ac ordo? Respondeo. Est in Ecclesia uera ministerium docendi, sunt doctores ac pastores alicubi ut scriptum est, alios quidem dedit doctores, alios pastores, ne circumferamur uarijs uentis doctrinæ. Est igitur officium, & sunt gradus donorum. Sed hinc non sequitur, iure diuino Episcopum, à presbytero discernendum esse. Imò Hieronymus apertè testatur, nõ esse iure diuino diuersos gradus Episcopi & presbyteri. Loca nota sunt, ad Eugubium, & in commentario ad Titum.

Gradus officiorum in Ecclesia non discernuntur iure diuino.

III.

DE GLORIA ECCLESIÆ.

DEus uult regna gerere res glorioſas, tueri iusticiam, coniugia, uirtutem, depellere tyrannos, punire & arcere flagitia. Ideoq; Deus iusta imperia adiuuat, & ornat uictorijs, & opibus. Hac imitatione Pontifices & Ecclesiam uoluerunt esse stipatam regum armis, cumulatam opibus, armatos potentia superioris gradus, et ornatos dignitatibus, ut Cardinales essent summus senatus, antecellens opibus, potentia, & dignitate: post hos collocârunt Archiepiscopos & Episcopos. Hanc potentiam, & has opes & uictorias, quibus præsentem statum quoquo modo tuentur, iudicant esse gloriam Ecclesiæ. Imò etiam affinxerunt, Pontifices esse regnorum dominos, habere utrunq; gladium. Et perfidiosè accommodârunt huc dicta quædam in Euangelio & Prophetis, ut: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Item, Ecce duo gladij hîc. Item Esa. 49. Et erunt Reges nutritores tui, & Reginę nutrices. Capiuntur autem animi humani potentia, opibus, uictorijs, rebus secundis, uoluptatibus, ideo multi uerè putant hanc esse gloriam Ecclesiæ, ac sequuntur eam Ecclesiam, quæ his bonis floret.

De gloria Ecclesiæ.

Qualis sit gloria Ecclesiæ secundum Pontifices Romanos

Sed sciendum est, longè aliam esse speciem ueræ Ecclesiæ, Nec diuitię, nec paupertas, nec potentia, nec miseriæ, nec regum coniunctio, nec disiunctio constituunt Ecclesiam. Imago proponi potest ueræ Ecclesiæ ex historia exilij Babylonici, ibi imperium plerunque penes impios reges erat, & tamen interim erant cœtus exulum Israëlitarum, qui ibi uagabantur, & uerbum Dei ac ueros cultus profitebantur: hi magna ex parte erant homines inopes, despecti, sine

Species ueræ Ecclesiæ qualis sit.

præsidijs, obnoxij sæuitiæ tyrannorum propter confessionem, ut cùm tres uiri nolentes adorare statuam, conijciebantur in flammas fornacis. Interdum habebant adiunctos reges, sed hos quoq; exercuerunt tristissimæ ærumnæ, ut cùm Nabogdonosor cœpit furere, seu cùm Darius Medus principum impiorum conspiratione uictus, Danielem obiecit Leonibus.

Ecclesia omnibus ætatib. oppugnatur à Diabolis & organis eius.

Denicq; non dubium est, Ecclesiam omnibus ætatibus, & singula membra, alia aliter, oppugnari à diabolo, & organis eius, & uarijs modis excruciari. Sicut historiæ inde usq; ab initio ostendunt, Abel, Abrahæ, Isaac, Iacob, populi seruientis in Aegypto, Deinde Regum, Dauidis, Ezechiæ, & populi abducti in exilium. Postea sæuitum est in Christum, Apostolos, Martyres. Talis plerunq; est Ecclesia, sine ulla certa humana defensione. Nam etiamsi interdum principes aliqui sunt æquiores, tamen id nunquam est diuturnum, ut in Aegypto & Babylone pauci reges fuerunt pij. Et non uult Deus Ecclesiam niti præsidijs humanis: Sicut docet Propheta, Nolite confidere in principibus, neq; in filijs hominum, in quibus non est salus.

Ecclesia est cœtus dißipatus.

Est igitur Ecclesia, dissipatus cœtus exulum, erronum, despectorum, qui nullam certam humanam defensionem habet, siue sint diuites, siue pauperes, reges seu serui, omnes sunt obnoxij ingentibus periculis, ut Constantino Licinius aduersabatur, Theodosio Eugenius & alij. Sed oportet in hoc despecto cœtu lucere Euangelium, ac ueram Dei noticiam, & multas excellentes uirtutes in confessione.

Qualis pingatur Ecclesia in concionibus Prophet. Christi & Apostolorum.

Sic non solùm in exemplis Ecclesia proponitur oculis totius mundi, sed etiam talis pingitur in concionibus omnium Prophetarum, Christi, & Apostolorum. Psalmo 43. Dedisti nos tanq; oues escarum, & in gentibus dispersisti nos, Hæc omnia uenerunt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo. Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Esaiæ 30. Dabit uobis Dominus panem arctum, & aquam breuem, & non sinet auolare à te ultrà doctorem tuum. In hoc dicto & plerisq; similibus multa simul continentur. Præcipuum munus est Ecclesiæ, professio Euangelij. Ideò ait, Non sinet auferri doctorem tuum. Deinde, ne penitus extinguatur noticia Dei, Deus conseruat Ecclesiam, & dat ei aliqua hospitia & uictum. Ideò dicitur, dabit uobis Dominus panem, & aquam. Sed tamen Ecclesia semper est subiecta cruci. Ideò dicitur, Panem arctum, & aquam breuem. Magna autem consolatio est, quòd testatur in his miserijs, tamen non interituram esse. Denicq; hic totus Psalmus docet, Ecclesiam subiectam esse cruci, & hic uersiculus idem repetit, cùm ait, Lapis, quem reprobauerunt ædificantes.

Ecclesia habet ueram & admirandam gloriam.

Quancq; igitur humana & carnalia iudicia offendit hæc species Ecclesiæ, quòd non habet gloriam similem imperijs, certa Regna, potentiam, opes, præsidia, defensionem humanam, sed est dissipata, laceratur à tyrannis & alijs impijs, Tamen interim habet admirandam & ueram gloriam multiplicem, dissimilem Regnorum, ut Danielis gloria, seruati inter Leones, quantò maior est, quàm gloria omnium Regum Babylonicorum.

Septem gradus gloriæ, quæ est Ecclesiæ propria.

Enumerabimus autem aliquos gradus.

I. gradus gloriæ q̃ habet Ecclesia est certũ uerbum Dei.

Primus est, habere uerbum Dei certum, & agnitionem ueri Dei, iudicij diuini, & uitæ æternæ, & futuræ gloriæ. Propter hanc causam Paulus, Ephes. 2. Credentes Euangelio uocat Lucernas in mundo. Et pertinent huc dicta Moisi & Dauidis. Deuter. 4. En populus sapiens, intelligens, & gens magna. Nec est

alia

alia natio tanta, quæ habeat Deum appropinquantem sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

Hic Moises prædicat hoc summum beneficium, possessionem uerbi Dei, & agnitionem ueri Dei, ad quæ dona accedit & hoc, quod longè maximum est omnium, quòd certò scit Ecclesia, se curæ esse Deo, & ab eo exaudiri & saluari, de quo dono postea dicetur. Prius enim & Psalmi dictum adijciam. Psal. 147. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

Ethnici fatentur se nihil de Deo certi scire, non habere traditam doctrinam diuinitus, nihil scire certi de uita æterna. Hæc fatentur ethnici ex omnium gentium historijs. Et quanq; rident Ecclesiam, iactitantem se habere certã de Deo doctrinam, tamen ipsi prius suam ignorantiam confitentur, postea damnãt ignota. Quòd uerò Ecclesia nõ sit incerta de uerbo accepto, testatur tota historia populi Israël. Nam omnia miracula omnium temporum in populo Dei, præcipuè edita sunt propter hanc causam, ut dicant testimonium de hoc uerbo, reuelato per patres & Prophetas, & tota politia populi Dei conseruata est propter hanc causam, ut esset custos huius uerbi, & certo testimonio hoc uerbũ propagaretur. *Ethnici non recte agnoscunt Deum & dubitant de Deo.*

Ad hæc testimonia accessit resuscitatio mortuorum, facta per Eliam, Elisæum, Christum, & Apostolos. Hæc conuincunt etiam gentes, ut maximè præfracti homines, & impediti laqueis diaboli repugnent agnitæ ueritati. Nobis autem sunt satis certa testimonia, nos scimus hanc doctrinam ã Deo certis & non fallentibus testimonijs acceptam esse.

Scimus & hoc, antiquissimam esse hanc doctrinam, & primam omnium de Deo. Nulla enim gens habet historiam ullam de initijs mundi, & certa serie annorum. Hæc copiosè possent tractari, & sunt cogitationes pijs utiles, & honestæ, & hæc ipsa prærogatiua, si uolumus uerè iudicare, magna gloria est Ecclesiæ. Sed gradus sequens est maior. *Doctrina Ecclesiæ de Deo antiquissima est.*

Secundus gradus, ex priore oritur. Quid potest dici maius, glorioſius, melius, & gratius homini, quàm, quòd uerè ita se res habeat, quòd Deo æterno cõditori curæ simus, quòd exaudiamur, defendamur, iuuemur, donemur uita æterna. Mens humana longè est angustior, quàm ut capere tantam liberalitatem Dei possit. Ideò non assentitur, quia non arbitratur tantam esse Dei bonitatem, ut se sic demittat, & effundat in nos sua bona. Quare & profani irrident Ecclesiam hæc iactitantem de Dei præsentia. Sed Ecclesia est certa ex uerbo, & plurimis liberationibus, quas subinde experitur. *II. gradus gloriæ Ecclesiæ, q̃ scit se Deo curæ esse.*

Econtrã cæteræ gentes fatentur se dubitare, an in inuocatione exaudiantur à Deo. Imò leguntur innumerabiles loci in poëtis, & alijs scriptoribus, in quibus manifesta confessio est dubitationis de prouidentia, ut apud Virgil. *Gentes dubitãt de uoluntate Dei.*

An te genitor, cùm fulmina torques,
Nequicquam horremus? &c.

Sed de Ecclesia inquit Moises, ut antea citaui, Deum adesse obsecrationib. nostris, Imò toties repetita sunt mandata de inuocatione, & additæ promissiones, ut, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Item, Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum. Huc adde omnia similia testimonia, quę sunt innumera. Necesse est autem, pios aliqua certa semper in conspectu habere, ut contra doctrinam de dubitatione nos muniamus, & ut ueram gloriam Ecclesię intelligamus.

III. gradus gloriæ, perpetua conseruatio.

Tertius gradus est, Etsi est subiecta cruci Ecclesia, tamen hoc ipsum est mi randa gloria, quòd deleri non potest, & conflictata cum omnibus monarchijs, tamen manſit.

IIII gradus gloriæ, insignes liberationes Ecclesiæ.

Quartus gradus. Quòd in his certaminibus, subinde habet insignes libe rationes, & tantùm diuinas, ut cùm Noë in diluuio seruatus est, cùm mare rubrũ præbuit transitum Israëlitis, cùm deinceps donatæ sunt Samueli, Dauid, Eze chiæ & alijs mirabiles uictoriæ, cùm Elias, Elisæus, Esaias, Ieremias, Daniel, res maximas gesserunt, & fuerunt tuti aduersus tyrannos, nullis humanis præsidijs, sed tantùm mirabili gubernatione diuina. Horum Prophetarum uictoriæ, lon gè superant omnium Regum triumphos.

V. gradus gloriæ sunt Prophetæ, quos habuit Ecclesia.

Quintus gradus, impiæ gentes habuerunt fanaticos uates, quorum uati cinijs etsi sæpẽ respondérunt euentus, tamen ipsæ prædictiones fuerunt ambi guæ, & fallaces, & ne ipsi quidem allegauerunt Deum autorem, sed obseruaue runt quædam signa, in extis, in auium uolatu, aut alijs rebus.

Sed Ecclesia longẽ alios Prophetas habet, qui allegant Deum, & miracu lis probant, quòd habeant ã Deo mandata. Nec sunt ambiguæ eorum prædi ctiones, sed perspicuæ, definientes momenta temporum. Præterea utilitas se quitur has Prophetias, quõd per eas inuitantur multi ad agnitionem ueri Dei, & pij confirmantur, ut Ioseph expressẽ dicit numerum annorum, quib. magna ubertas frugum futura erat, deinde eorum, quibus erat futura sterilitas, definit tempora, monet quomodo gentes illæ seruandæ sint, & hoc ipso beneficio con firmat pios, & multos inuitat ad agnitionem Dei. Tales fuerunt & Moisi, Elię, Elisæi, Esaiæ, Ieremiæ, Danielis & multorum aliorum Prophetiæ. Tales Pro phetæ fuerunt & Apostoli.

Posteriora tẽpora qualesha beant doctores pro Prophetis

Et quanquam posteriora tempora Ecclesiæ non habent coram mundo gloriam tantam, quanta fuit Prophetarum in Israël, tamen interdum Deus ex citat uel Prophetas futura dicentes, qualis scribitur fuisse Methodius martyr Episcopus Lyciæ, & multi alij. Interdum sine prædictionibus doctores excel lentes, per quos renouat doctrinam, & repurgat Ecclesiam, quos etiam mirabi li modo defendit, sicut excitauit Ambrosium, Augustinum, & passim aliquos magnos uiros postremis temporibus, sed obscuriores, ut Taulerum aut similes.

Testimonia q̃ recentior emẽdatio Ecclesiæ sit à Deo.

Et nunc incoata est emendatio Ecclesiæ, quam esse à Deo, primũm testa tur ipsum doctrinæ genus, quia non tradit res nouas extra uerbum Dei, sed re uocat Ecclesiam ad ipsum purum Euangelium Dei, ubicunq; autem est purum

I. Puritas doctrinæ.

Euangelium Dei, ibi necesse est esse ueram Ecclesiam. Sicut Christus ait, Qui ex Deo est, uerbum Dei audit.

II. Patefactio rerum necessariarum & spiritualium.

Secundò, habemus & hoc testimonium Spiritus sancti, quòd res patefa ctæ sunt necessariæ & spirituales, de pœnitentia, consolatione, quæ fit per fi dem. Hę res non poterant deprehendi, aut cerni ingenijs humanis. Sed tantùm lumine Spiritus sancti per uerbum, in cruce agnoscuntur.

III. Defensio Ecclesiarum nostrarum.

Tertiò, uidemus etiam diuinitus defendi hanc doctrinam, cùm diabolus undiq; aduersus eam exuscitet hostes, Pontifices, Reges, Principes, impium uul gus, imõ etiam Turcas. Ideõ enim diabolus impellit Turcas, ut in hæc loca irrum pant, ut extinguãt lucem Euangelij, excitat etiã uaria scandala inter nos ipsos, ut deformet Euangelium. Inter hæc pericula tamen fulsit Euangelium, & ut speramus fulgebit. Hæc ipsa magnitudo periculorum, & indignatio diaboli commo-

cõmouentis totum mundum aduersus nos, est signum, quõd doctrina Ecclesiarum nostrarum sit Euangelium Dei.

Sextus gradus est, Etiamsi Ecclesia uera est ærumnosa, sine opibus, sine potentia, & multi pij interficiuntur à tyrannis, tamen ipsæ uirtutes Ecclesiæ, sunt magna gloria. Sicut mens humana naturaliter detestatur crudelitatem, uagas & promiscuas libidines, periuria, calumnias, quibus uicijs omnibus tyranni abundant: ita econtrà miratur & probat iusticiam, castitatem, constantiam in perferendis cruciatibus, propter confessionem rectæ sententiæ. *VI. gradus gloriæ sunt uirtutes Ecclesiæ.*

Ideò magna est Ecclesiæ gloria in illis ipsis certaminibus, in quibus tyranni suam sæuitiam explent, Vt etiam ethnici spectatores magnitudinem uirtutis in Laurentio, cùm uiderent eum ambustum tyranno insultare, magis mirati sunt, quàm potentiam tyranni. Quare & exempla uirtutum omnis generis, multos ad Euangelium inuitauerunt.

Septimus gradus est, Hæreditas uitæ æternæ, in qua sancti perpetuò lætabuntur cum Deo, & fruentur dulcissima consuetudine angelorum, patrum, Prophetarum, Apostolorum, & aliorum summorum uirorum. Hæc gloria nõdum in hac uita conspicitur, sed tamen nos credentes Euangelio, certa spe & expectatione tanti muneris consolari nos ipsos debemus, & iudicare ingentem gloriam esse, quõd iam simus hæredes tanti honoris, Sicut Paulus inquit, gloriari nos in spe uitæ æternæ. Sed hęc gloria magis conspicietur post hanc uitam. *VII. gradus gloriæ hæreditas uitæ æternæ.*

Est autem & hoc considerandum, quõd impij fatentur se dubitare de futura uita, & sunt contumelioси in Deum, dubitant an sit prouidentia, an iusti sint habituri præmia, scelerati pœnas. Hæc ipsa dubitatio est magna labes in mente humana, & est contumelioса in Deum.

Nos igitur hoc nomine antecellimus, quõd statuimus restare uitam, & iudicium post hanc uitam, & eius rei tenemus certam fidem, confirmatam in animis luce uerbi Dei, motu Spiritus sancti, & multis illustribus argumentis & testimonijs, resurrectione Christi, & aliorum sanctorum. Hæc ipsa sapientia est ingens gloria, & tribuit Deo prouidentiam & iusticiam. Recensui præcipuos gradus gloriæ, quos uera Ecclesia opponere impiorum gloriæ debet. Nam & afflictiones nostras & gloriam considerare nos conuenit, ut nos erudiamus, consolemur, & confirmemus.

Hæc ut de Ecclesia colligerem, admonuerunt me dulcissimi uersiculi: *LAPIS QVEM REPROBASTIS, HIC FACTVS EST IN CAPVT ANGVLI. A DOMINO FACTVM EST HOC, ET EST MIRABILE IN OCVLIS NOSTRIS.* Vt enim agnosci possint hæc mirabilia opera DEI in Ecclesia, dicendum hîc fuit, quid sit Ecclesia, qualis eius sit species coram mundo, qualis politia, seu quale ministerium, quæ sit autoritas, & quæ gloria sit. Ac necesse est ueras Ecclesiæ notas, & admiranda dona intelligere ac agnoscere, ne specie & potentia illius cœtus decipiamur, qui sibi titulum Ecclesiæ falsò arrogat, & belligeratur cũ uera Ecclesia. *Cur prosit notas ueræ Ecclesiæ diligenter considerare.*

Et hæc ipsa consideratio dulcissimam consolationem pijs affert. Iuuat intueri patriam, multò magis delectemur cogitatione huius ueræ & æternæ patriæ, in qua non inter tyrannos, & portenta scelerum uiuemus: Sed fruemur conspectu & sapientia Dei, & Liberatoris nostri Iesu Christi, audiemus sapientissimos Patres & Prophetas. Hic cœtus est uera patria, quam ardentibus uotis omnes expetamus.

HAEC

HÆC EST DIES QVAM FECIT DOMINVS, EXVLTEMVS ET LÆTEMVR IN EA.

Repetita commemoratio uictoriæ.

DEscripsit antea uictoriam Messię, qua Ecclesia constituta & liberata est. Nũc eiusdem uictoriæ commemoratio repetitur, adiecta mentione temporis. *HÆC EST DIES QVAM FECIT DOMINVS*, id est, hoc est tempus noui testamenti, in quo genus humanum liberatum est ã peccato & ã morte, iuxta testamentum, id est, pactum & promissiones DEI, datas patribus.

Dies liberationis ecclesiæ est dies resurrectionis.

Ac ut constituatur certus dies, quo promissiones completæ sunt, & uictoria Messiæ parta est, qua uictoria uniuersa Ecclesia præcedens & secutura saluatur, rectẽ hîc intelligitur ipse dies resurrectionis Messiæ, qui est præcipuus dies totius Noui testamenti, inde ab initio Ecclesiæ, usq; ad finem.

Collatio diei mortis & liberationis.

Facienda est enim collatio duorum dierũ. Cùm Eua & Adam lapsi sunt, dies luctus & æternæ iræ ac mortis, oppressit totum genus humanum. Eius diei ærumnas non fecit Deus, sed diabolus. Et durat ille funestus dies impijs, semper & omnibus temporibus. Econtrã uerõ cùm Christus superata morte resurrexit, liberauit genus humanum ã peccato & ã morte, sic ut omnes intuentes in eum diem, & id beneficium fide, id est, fiducia filij Dei, accipientes quocunq; tẽpore, fiant iusti & hæredes uitæ æternæ.

Restitutio uitæ æternæ Dei munus est.

Huius diei beneficium, id est, restitutio uitæ æternæ, certè non est ullius creaturæ opus, sed Dei munus. Hic uerè est autor huius diei, hic per Messiam præstitit hoc ingens beneficium, hunc uoluit esse patrem, id est, autorem & incoatorem æternæ uitæ, ut inquit Esaias.

Incoatio uitæ æternæ in hac uita est perpetua.

Et sicut dies mortis durat impijs perpetuõ, sic agnitio & fructus huius diei, quo uicit & triumphat Messias, pertinet ad uniuersam Ecclesiam omnium temporum. Sic in patribus incoata est uita æterna, intuentibus in hunc diem uictoriæ & triumphi Messiæ, & fide hunc autorem & patrem uitæ æternæ apprehendentib. Ita Nouum testamentum, non annorum numero, sed agnitione beneficij discernatur ã die mortis.

Fiduciã Christi sequitur lætitia.

Cùm autem agnouimus huius diei uictoriam, & fide munus accepimus, uerè exultant & lætantur animi. Ideõ sequitur, *EXVLTEMVS ET LÆTEMVR IN EA.* Primùm in nobis ipsis complentur corda inenarrabili lætitia, cùm liberantur à terroribus peccati & mortis, & concipiunt consolationem, Sicut Paulus inquit, Fide iustificati pacem habemus. Et Christus de Abraham inquit, Abraham uidit diem meum, & lætatus est. Agnouit uenturum hunc diem, quo Messias aboliturus erat peccatum & mortem. In ea luce agnouit misericordiam Dei & remissionem peccatorum, & mirabili lætitia sensit sibi dari uitam æternam.

Lætitia non potest existere in cordibus sine Euangelio.

Sed hæc lætitia non potest existere, nisi rectẽ agnoscatur hic dies, id est, ni si rectẽ teneatur Euangelium de filio Dei. Donec animi sauciantur legis uoce, fugiunt Deum, non lætantur, id est, donec imaginantur has uoces, Exultate, lætamini, ad alios pertinere, nec posse lætari, nisi eos qui sunt digni, sine peccato, nondum agnoscunt hunc diem, nondũ norunt Euangelium. Sed sciant gratis propter Messiã promitti reconciliationem, et imputationẽ iusticię. Sciat quisq; ad se pertinere has uoces, Exultate, Lætamini, et gratis donari hoc beneficium

et in-

& indignis. Scit Deus te oppressum esse mœsticia, propter peccatum hærens in carne. Ideō præcipit quanquam indigno, ut læteris, uult te statuere, quòd quanquām indignus sis, tamen propter hunc uictorem & Mediatorem, Deo placeas. Ita cognito Euangelio de gratia, id est, gratuita acceptatione seu imputatione iusticiæ, corda lætari & accipere beneficia filij Dei, & inuocare Deum possunt.

Lætari & exultare quas res complectantur.

Porrò Lætari & exultare non tantùm arcanam læticiam significat, sed etiam complectitur gratiarum actionem, inuocationem, prædicationem, confessionem, & in omni obedientia studium celebrandæ huius uictoriæ, & glorificandi filij Dei, & constantiam in subeundis periculis & ærumnis, quæ non potest existere, nisi cor pacatum sentiat se habere Deum propiciū & adiutorem. Postquām igitur de læticia dixit, quæ inuocationem & celebrationem continet, iam subijcit exemplum inuocationis & celebrationis.

O DOMINE DA SALVTEM, DA PROSPERITATEM.
BENEDICTVS QVI VENIT IN NOMINE DOMINI.

Qualis sit Ecclesiæ precatio omni tempore.

VT Christo ingredienti in urbem Ierosolymam, pij canebant hunc uersum, precantes Deum, ut hoc suum regnum constitueret, augeret, defenderet, Ita omnibus temporibus Ecclesia clamitat, *O DOMINE, DA SALVTEM.* Adesto huic tuo regno, fac ut illucescat in animis nostris dies Euāgelij tui, ut rectē agnoscamus uictorem, adiuua nos tuo robore, ut te celebrare, & tibi obedire possimus. Depelle diabolum molientem dissipationem tui regni, serentem falsa dogmata & scandala, reprime tyrannos & fanaticos.

Accommodatio sententiarum Psalmi ad orationem Dominicam.

Denicp prorsus idem petit Ecclesia in his uerbis, Domine da salutem, da prosperitatem, seu prosperos successus, quod petit in precatione quotidiana, Sanctificetur nomen tuum, id est, nomen tuum nobis sanctè, id est, purè innotescat, data uera & pura Euangelij doctrina, Adueniat regnum tuum, id est, rege tu nos, per uerbum tuum & Spiritum sanctum, & incoa in nobis æternam iusticiam & uitam, Fiat uoluntas tua, ut in cœlo, ita in terra, obediant tibi doctores, gubernatores, & cæteri in sua quisq; uocatione, ut nomen tuum non deformetur scandalis, ut consulatur communi saluti Ecclesiæ, sint glorioſi successus Euangelij, ut erant Eliæ, Elisæi, Esaiæ, Ioannis, Christi, & Apostolorum successus, quia nisi tu traxeris mentes hominum, non potest hoc regnum crescere, sed quia elegisti tibi hoc regnum, & uis cōstituere & glorificare, sicut promisisti, te inuocamus, ut adsis & adiuues nos.

Ac mox adiectæ sunt promissiones, ut nos confirment, & ad inuocationem, spem, confessionem, & certamina accendant. Et postquam in genere pro regno precatus est Propheta, addit testimonium, quo peculiariter regem ipsum celebrat, & nobis commendat, inquiens:

BENEDICTVS QVI VENIT IN NOMINE DOMINI.

VT sæpè dixi, In his breuibus dictis necesse est intueri uniuersam scripturam Propheticam, quia hæ breues admonitiones ita proponuntur, ut mandentur memoriæ, tanquam symbola continentia summas promissionum. Et Propheta uelut digitum intendens ad ipsas promissiones, edit hanc uocem.

Duæ

Duæ sunt insignes particulæ in hoc breui uersiculo: Ait Messiam uenientem in nomine Domini, benedictum esse. Generaliter uenire in nomine Domini, est uenire, iubente, gubernante, & adiuuante Deo, cum mandatis Dei, & inuocatione nominis diuini, Sicut Paulus inquit, Omnia facite in nomine Domini. Complectitur enim hæc omnia, uult nos ea suscipere, quæ Deus præcepit, & inuocare Deum, ut gubernet negocia, & fiducia mandati & auxilij diuini, non nostræ sapientiæ aut uirium nostrarum pergere.

Venire in nomine Domini quid sit.

Venerunt igitur in nomine Dei ad populum, Moises, Dauid, Elias, & alij Prophetæ, quia uocati susceperunt ministeria certa, Deo mandante, quæ & gubernauit Deus, & ipsi inuocantes Deum, res magnas feliciter gesserunt.

Hæc communia conueniunt ad filium Dei: Sed tamen ipsius uocatio maior est. Ideò diligenter consideranda est hæc descriptio, Venit in nomine Domini, non solùm iubente, gubernante, adiuuante Deo, cùm inuocatione patris æterni, adferens mandata, & uocatus ad certum ministerium: Sed uenit ut filius, propter quem cæteri omnes dilecti & missi sunt. Venit ut adferret ē sinu patris Euangelium, & fieret non tantùm doctor, sed Liberator, & quidem in nomine Dei, hoc est, adiutus non ut cæteri, sed habens diuinam potentiam, autor uitæ æternæ: Sicut ipse inquit, Omnia mihi subiecta sunt in cœlo & in terra.

Quomodo filius Dei ueniat in nomine Domini, & q, uocatio eius sit multò maior q̄ cæterorum.

Et quia promissus erat patribus talis Liberator, hunc uenientem in nomine Dei, hîc intelligamus uenientem, non communi conditione, ut uenerunt Iosue aut Dauid, sed sicut promissus est mandante Deo & in potentia diuina, ut aboleret regnum peccati & mortis. Referenda est igitur hæc uox huius Psalmi ad promissiones.

Ideò addit: *BENEDICTVS.* Nam & hîc intelligit non tantùm benedictum, id est felicem, Sicut erant benedicti & felices, Abraham, Ioseph, Samuel, aut similes: Sed admonet lectorem Psalmus de promissione, data patribus, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Eò respicit, & significat hunc Messiam uenientem, iubente Deo adferentem noua mandata, ac uenientem cū diuina potentia, primùm esse qui sit benedictus, Deo dilectus, propter quem cæteri diliguntur, quos liberaturus est à maledictione, quæ oppressit genus humanum.

Cur et quomodo dicatur filius Dei benedictus.

Itaq; & benedictus est ipse, sicut pater æternus inquit: Hic est filius meus dilectus, quo delector. Et donatus est nobis, ut propter eum nobis benedicatur, à patre æterno, & ut ipse filius sit benedictor, id est, ut propter eum donentur remissio peccatorum, iusticia, uita æterna, & alia bona, & ut ipse sit donator iusticiæ & uitæ æternæ.

Fit illustrē dictum Psalmi, cùm refertur ad illam dulcissimam promissionem, In semine tuo benedicentur omnes gentes, quia satis constat ibi benedictionem intelligi, liberationem à peccato & morte, & donationem iusticiæ & uitæ æternæ, ac opponi maledictioni primæ, cùm natura hominis oppressa est ira Dei, ruens in peccatum & in mortem.

Benedictio in loco Geneseos, In semine tuo benedicentur, &c. quomodo intelligatur.

Nec opus est longa enarratione. Sed ipsi discamus his amplissimis promissionibus fidem nostram exuscitare. Quoties inuocamus Deum, mens intueatur mediatorem filium Dei, & cogitemus nos propter hunc recipi, exaudiri, iuuari, & saluari, quia hoc decretum æterni patris immutabile est, & iureiurando ipsius sancitum, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Item, Benedictus qui

Vsus harum sententiarum in exuscitanda fide.

ctus qui uenit in nomine Domini. Certō propter hunc benedictum filium uult nos, qui fuimus subiecti iræ & maledictioni, recipere & benedicendo iubere, ut simus liberati ab omnibus malis. Vtinam his tantis promissionibus seriō moueremur, & inflammarentur animi, ut excitata fide, disceremus uera inuocatione hanc benedictionem, & salutem promissam petere, expectare, & uero corde celebrare. Hoc affectu & Propheta in Psalmo addit Epiphonema de ministerio Euangelij.

BENEDIXIMVS VOBIS DE DOMO DOMINI.

ANtea cecinit uictoriam & beneficia Christi. Nunc addit adhortationem, suo & communi Prophetarum nomine, ad uniuersam Ecclesiam, ut res easdem celebret, id est, ut ministerium conseruet, & propagare studeat. Estq; hic breuis uersiculus, dulce encomium ministerij Euangelij, admonens, quid sit docendum, quod sit munus doctorum, & quæ sit Ecclesia. *Adhortatio ad uniuersam Ecclesiam.*

Et ut hinc incipiam. Ecclesia est domus Dei, in qua benedixerunt nobis Patres & Prophetæ, hanc benedictionem filij Dei proponentes, & clamitantes: Deus, dominus illuminator noster. Sic alligat Ecclesiam principiō ad uerbum Prophetarum, Vbi etiam ipsorum patrum & Prophetarum certamina cogitemus, quæ in Euangelij propagatione sustinuerunt. Cùm enim inquit Dauid. BENEDIXIMVS VOBIS EX DOMO DOMINI, id est, nos, qui sumus in domo Domini, benediximus uobis, docuimus hanc benedictionem, & eam magnis certaminibus propagauimus, Intuere animo stantes in templo patres, Adam, Seth, Enoch, Noë, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Moisen, Dauidem, Eliam, Elisæū & alios. Omnium hæc una uox est, BENEDIXIMVS VOBIS DE DOMO DOMINI. *Doctrina propagatur in Ecclesia.*

Vt sunt in choris certi, qui incoant cantilenas, & præcinunt reliquæ turbæ, & uocantur Exarchi, ita sunt in Ecclesia Patres & Prophetæ. Idq; quanq; est gloriosum populo Israël, & nos gratiam illis doctoribus debemus, tamen ideō præcipuē significatur, ut sciamus Ecclesiam alligatam esse ad uerbum traditum per Patres, Prophetas, Christum & Apostolos. Hi omnes sunt Exarchi Ecclesijs collectis ex gentibus. *Patres & Prophetæ sunt exarchi docentium in Ecclesia*

Vt autem definitionem Ecclesiæ sumamus ex hoc loco, non solùm dicemus, quæ personæ sonent hunc uersiculum, sed etiam quid sonent, uidelicet, Benedictionem, Breuis uox est, sed referenda ad promissiones. Nec quicquam dici maius potest, quàm quòd illa Ecclesia patefecerit nobis Benedictionem, promissam à Deo, quæ primùm exhibet æterna bona, Postea addit etiã multa præsentia, sicut inquit Paulus 1. Tim. 4. pietatem habere præsentis & futuræ uitæ promissiones. Hæc benedictio in Ecclesia, testatur Deum nobis placatū esse per filium, nos hæredes esse uitæ æternæ. Ideoq; Deo curæ esse, regi etiam in hac uita, & mirabiliter seruari, sicut ipsi patres, Prophetæ, Christus, & Apostoli, suis exemplis hanc mirandam gubernationem pinxerunt, & ostenderunt, quæ bona æterna & præsentia complectatur benedictio seu promissio, quomodo regantur socij huius benedictionis, quomodo exerceantur, iuuentur, & saluentur. *Ecclesia sonat benedictionem id est, promissionem æternorum & præsentium bonorum*

Iam discamus hanc benedictionem, id est, promissiones diuinas fide accipere & retinere, sequamur Exarchos incoantes cantilenam, non excutiamus *Benedictio fide accipienda est*

oblatam misericordiam,sed fruamur,& unã cum ipsis agnoscamus Deum,& fiducia promissionum & Messiæ nobis donati eum inuocemus, & exemplo ipsorum suscipiamus certamina, & expectemus ac experiamur auxilium & liberationes. Ipsi suum munus fideliter præstant,patefaciunt nobis benedictionem promissam.Nos etiam eam accipiamus. Sed surdæ mentes hominum non afficiuntur illa diuina uoce, ideò beneficia nec accipunt,nec experiuntur. Quare huius tanti muneris magnitudinem pauci cogitant. Si in inuocatione exerceremus fidem, experientia doceret nos de beneficijs huius Benedictionis.

Dixi quid sonet ille chorus,scilicet Benedictionem. Hanc interpretatur & sequens uersiculus,cùm ait:

DEVS EST DOMINVS, ILLVMINATOR NOSTER.

Illuminator,id est,præbens lumen.

FIgura usitata est, Illuminator,præbens lumen, id est,consilium & consolationem,ut Psal.26. Dominus illuminatio mea & salus mea, id est, consolator & gubernator meus. Hęc igitur breuis descriptio continet summam promissionis, quòd Deus, quem prædicant Prophetæ, sit illuminator, sit iam placatus, propicius, ducens ex tenebris, liberans à peccato & morte, ac reddens lucem, agnitionem ipsius,iusticiam,gaudium &uitam æternam. Hæc est uox quæ de Dei uoluntate erga nos,in Ecclesia sonare debet.

Pontifices & Episcopi non sonant benedictionem.

Sed hanc uocem non sonant Pontifices & Episcopi, qui oppresso Euangelio, docent umbram doctrinæ Legis & suas traditiones. Ideò nec benedicunt, nec sunt pars domus Domini, sed ui grassantes in ea, tyrannidem exercent,sicut erant in domo Domini Ieroso lymis Pontifices impij,Pharisæi &Saducæi. Interim erant alij,qui & benedicebant,& erant pars domus Domini, qui ad hunc cœtum pertinent,de quo Dauid loquitur, Zacharias,Simeon,Baptista,Christus,Apostoli,Maria, Elisabeth, Anna & similes.

Officium doctoris in Ecclesia.

Ex hac definitione Ecclesiæ satis intelligi potest, Pontifices aduersantes Euangelio non esse Ecclesiam,aut doctores Ecclesiæ. Præterea quod sit officium doctoris in Ecclesia,ex eadem descriptione intelligi potest,scilicet,unã cum Prophetis & Apostolis benedictionem prædicare, non fingere nouas leges aut nouos cultus.Est autem benedictio,ipsa uox Euangelij qua propter filium Dei, deleto peccato, restituitur gratia & uita æterna, ut suprà sæpè de benedictione dictum est.

In Ecclesia docenda est uox sonans benedictionem.

Hinc etiam apparet,quid in Ecclesia docendum sit,uidelicet hęc ipsa uox Prophetarum,quæ sonat benedictionem,hoc est,Euangelium quod arguit peccata,& offert benedictionem Dei, donatam propter filium. Explodantur ergo ex Ecclesia doctrinæ maledicentes,id est,iram Dei augentes, ut sunt doctrinæ confirmantes idolorum cultus, ut Papisticæ Missæ,inuocatio mortuorum. Item doctrinæ confirmantes hypocrisin, & cumulantes peccata, ut monachatus,lex de cœlibatu,& alia deliria.

Tam dulcis uersiculus est,*BENEDIXIMVS VOBIS EX DOMO DOMINI,* ut sæpè cogitandus sit,tanquam symbolum multa monens, de benedictione propter Christum donata,de uerbo,quod proprium est Ecclesiæ,de toto cœtu patrum,Prophetarum,Christi & Apostolorum,à quibus uerbum Dei accepimus.Sed admoneat etiam auditores de obedientia.Qui aspernantur

nantur hunc cœtum benedicentem, & nolunt accipere oblatum donum, audient id quod alibi dicitur. Noluerunt benedictionem, & auferetur ab eis. Ideō grato pectore audiamus cœtum patrum, Prophetarum & Apostolorum, benedicentem nobis, amplectamur eorum doctrinam, & eam in inuocatione Dei exerceamus. Quid enim potest esse optabilius, quàm esse socios huius chori, & esse partem domus Domini.

Eôdem pertinet sequens adhortatio. Vt enim suprà de doctoribus inquit, *BENEDIXIMVS VOBIS*, ita nunc auditores, hortatur, ut ritè agant festum diem, hoc est, audiant hoc Euangelium, de quo hic dicitur, agnoscant Deum, & Messiam ab ipso missum, qui est Lapis angularis, hoc est, caput & rex Ecclesiæ, agant Deo gratias, celebrent Deum, & Messiam ab ipso missum, & ei obediant. Constat enim quid propriè significet festi diei sanctificatio, uidelicet, publicam doctrinæ enarrationem, laudes Dei, inuocationem, & gratiarum actionem. *Festi diei sanctificatio quid sit.*

ORNATE FESTVM FRONDIBVS, VSQVE AD CORNVA ALTARIS.

SVmta est figura à communi consuetudine ornandorum templorum. Sed non intelligantur solæ ceremoniæ, Pompa diei festi, cœtus, templi ornatus. Nam ut constat, hæ figuræ admonere nos de uera celebratione debent. Est autem uera celebratio, conseruare ministerium Euangelij, proponere & audire Euangelium, quod suprà tradidit de regno Messiæ, agnoscere Messiam, & uera fide Deum inuocare, & ei gratias agere, atq; ita in his conuentibus propagare ad posteros Euangelium. *Vera celebratio diei festi in quibus consistat.*

Frondes præsertim in illis regionibus, fragrantissimæ contexebantur in pompis, ut uiror & odor recrearet corpora. Sic ueræ frondes, scilicet conciones de Deo, inuocationes & laudes Dei sunt odor gratus Deo, id est, sacrificia præcipua, & suauitate sua recreant mentes piorum auditorum. Sed hoc obseruandum est, quòd has frondes certo altari alligat, quia lex prohibuit ulla fieri altaria aut templa, nisi in uno loco diuinitus constituto, ut doceat unam esse Ecclesiam, unum ministerium uerbi Dei, ad quòd uult Deus alligatam esse Ecclesiam. *Veræ frondes conciones de Deo.*

Hinc discamus regulam, de qua sæpè disputatur, Ecclesiam alligatam esse ad certum uerbum Dei, & ministerium uerbi Dei. Idq; significatur per frondes contextas ad altare. Sed in hac regula discerni oportet uerum ministerium, ab Episcopis, qui titulum gerũt, cùm sint hostes Euangelij. Et tamen hi disputant, Ecclesiam alligatam esse ad successionem ordinariam, ut uocant, Episcoporum ac ad eorum leges, Negant esse Sacramenta & remissionem peccatorum apud eos, qui non obtemperant talibus Episcopis. *Ecclesia alligata ad uerbũ Dei & ministerium.*

Contra hos errores diligenter muniendi sunt animi, ac utrunq; discendum, Ecclesiam alligatam esse ad uerbum Dei, & ministerium eius uerbi, quia Deus prohibuit uagari animos sine certo uerbo, & fingere opiniones de Deo, & cultus, sicut ethnici fingunt. Et tamen rursus hoc sciendum est, Ecclesiam non ad personas alligatam, quæ titulum gerunt Episcoporum, cũm sint hostes Euangelij, sicut Paulus ad Galatas clarè præcipit, Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit. Item, Fugite idolatriam. Quare Episcopi defendentes idolatriam, deserendi sunt, & fugiendi tanquam anathemata. *Ecclesia non est alligata ad personas quæ habẽt titulum Ecclesiæ.*

Nec propterea fit ἀναρχία, sed maximè contendimus, ut obedientia ministerio Euangelij præstetur, sic frondes contexuntur & alligantur altari, quod Deus collocari iussit, id est, ministerio uerbi Dei. Nam altare significat uerum ministerium. Et qualis sit tota hæc pompa festi, sequentes uersus indicant.

DEVS MEVS ES TV, CELEBRABO TE, DEVS MEVS EXALTABO TE.
CONFITEMINI DOMINO QVONIAM BONVS, QVONIAM IN SECVLVM MISERICORDIA EIVS.

HAec est uera celebratio festi, cùm doctores & populus canunt hoc admirandum carnem, *DEVS MEVS ES TV, CELEBRABO TE.* Ad hanc agnitionem & celebrationem Deus initiò condidit genus humanum, & postea reparauit, ac Ecclesiam perpetuò uicturam elegit, ut bonitas ipsius & gloria innotesceret, & celebraretur. Nec est alia sapientia maior ulla hominum aut angelorum, quàm hæc quam iubet nos canere, his uerbis, Deus meus es tu, celebrabo te. Hîc iubemur agnoscere hunc dominum, qui uerbum suum nobis tradidit, qui misit Messiam, uerè esse unicum Deum, æternum & omnipotentem, conditorem & conseruatorem rerum, deinde & nobis esse Deum, hoc est, uerè curantem, respicientem, exaudientem, liberantem, saluantem nos.

Genus humanum conditũ et reparatum ad agnitionem dei

Humana mens oppressa dubitatione de prouidentia, non sonat hanc uocem sine luce diuina, *DEVS MEVS ES TV*, dubitat enim an Deus nos curet, exaudiat, uelit iuuare, ac præcipuè in ærumnis, cùm sentit se negligi, non iuuari. Hîc nequaquàm ait, Deus meus es tu, Sed fremit potius ac miratur, cur Deus adeò negligat hanc imbecillem naturam.

Humana mens sine luce diuina dubitat.

Deinde cùm mens nihil nouit, nisi legis doctrinam, opprimitur conspectu peccati & iræ Dei, fugit Deum, ruit in desperationem, & exitium, sicut Cain, Saul, Iudas, aut similes. Horum nemo potest dicere, Deus meus es tu, sed fugiunt Deum, tanquam sæuissimum hostem, irascuntur ei, & uellent quoquo modo abrumpi posse ingentes cruciatus, quos sustinent, & tùm Deum, tùm se non existere. Nec magnitudo huius doloris describi uerbis potest, nec satis cogitari, quanta sit miseria, obrui his terroribus, quos in ocio & tranquillitate homines securi non magnifaciunt. Pij gustum aliquem habent, & cogitare eos debent, ut uerè perhorrescant metu iræ Dei, & ingentium pœnarum, quæ post hanc uitam damnatos oppriment.

Sola legis doctrina mentes humãas opprimit desperatione.

Nemo igitur Epicureorum, nemo Mahometistarum, nemo Iudæorum, nemo aduersariorum Euangelij, poterit canere hunc uersum, *DEVS MEVS ES TV.* Sed canent hi tantùm, qui norunt Euangelium, qui agnoscunt æternum patrem Deum, placatum esse per filium Iesum Christum, & propter hunc condonari peccata, exaudiri nos, & fieri hæredes uitæ æternæ, seruari etiam Ecclesiam in hac uita, etiamsi aliqua membra intereant. Hac fide se pij in hac infinita uarietate periculorum & afflictionum sustentant, norunt Deum non esse ociosum, non agitare conuiuia, ut ludunt Poëtæ, sed seriò uelle agnosci, & inuocari, non frustra misisse filium suum unigenitum, non frustra dedisse uocem Euangelij sui patribus & Prophetis, non frustra patefecisse in hac pulcerrima mundi conditione, fœcundis terræ uicibus, liberatione miranda Ecclesiæ, in eductione ex Aegypto, in defensione sanctorum omnibus seculis.

Soli credentes rectè agnoscũt & celebrant Deum.

In

In hæc omnia intuens pia mens, erecta luce Euangelij,& noticia filij Dei, poteſt clamare, *DEVS MEVS ES TV.* Et ſequitur gratiarum actio,& proprium Eccleſiæ officium, *CELEBRABO TE*, id eſt, Etſi undiq; bellum infertur nomini tuo, Tyranni, Epicurei, Hypocritæ, autores impiorum dogmatum, ueram doctrinam, ueram inuocationem abolere conantur. Defendunt Ethnici ſuos furores, Iouis, Martis, Bacchi, Veneris, Priapi ſacra. Iudæi filium Dei & Apoſtolos trucidant, & ſomniant ſe iuſtos eſſe, ſuis ritibus, Mahometiſtæ contumelia filium Dei adficiunt, delere nomen eius conantur, & ſibi arrogant iuſticiæ laudem, hoc uno argumento, quòd non addunt filiũ Deo, poſtea frenum laxant libidinibus, lege concedunt duci, dimitti, & rurſus duci dimiſſas, quot quiſq; uelit, concedunt lege & nefarias libidines, propter quas Deus non tantùm Sodoma, ſed multas gentes totas funditus deleuit.

Semper erit exigua aliqua Eccleſia rectè celebrans Deũ

Quantam fæuitiam exercet Romani Pontificis factio, ut Idola ſua ſtabiliat, Miſſas, ſtatuas Diuorum, celibatum, Monaſticas ſuperſtitiones. Et hæc omnia defendit, non quòd probet, ſed ut potentiam, opes, uoluptates tueatur. Inter talia certamina ſemper & fuit, & erit aliqua exigua Eccleſia, quæ eſt cuſtos uerbi Dei, quæ ſonat hanc uocem, *CELEBRABO TE DEVS, CONFITEMINI DOMINO QVONIAM BONVS, QVONIAM IN SECVLVM MISERICORDIA EIVS.*

Repetitio argumenti Pſalmi.

Enarraui Pſalmum mediocri diligentia, qui cùm de regno Chriſti, de adflictione, & de uictorijs eius concionatur, nunc maximè legendus & meditandus eſt, ut cùm ſtatuemus non poſſe deleri nomen filij Dei & Euangelium eius, eò fortiorib. animis & refutemus impios doctores, & in acie dimicemus aduerſus Turcicam barbariem. Extrema mundi ſenectus eſt, qua diabolus ſciens inſtare diem, quo palãm condemnatus, & uinctus graſſari deſinet, rabiem ſuam aduerſus Eccleſiam paulatim atrocius exerit. Hinc oppugnat eam per Pontifices, ſtabilientes idola, iſtinc Turcicis armis totum nomen Chriſti delere conatur.

Pontificij & Turci oppugnant Eccleſiam.

Fuerunt & antea imperia in mundo, quæ ſæpè concuſſerunt Eccleſiam. Sed tamen diſſimilia Turcico, Perſarum Monarchia diu clementer fouit populum Dei. Alexander, Seleucus, Ptolemæus Pater, & Filius Philadelphus, mediocri humanitate erga populum Dei uſi ſunt. In imperio Romano, etſi interdum fæuitia exarſit, tamen ſæpè mitigata eſt, & multi principes hoſpitia Eccleſijs præbuerunt. At poſtea Mahometi Tyrannis hoc titulo conſtituta eſt, ut coiret multitudo ad liberandum orbem terrarum ſeruitute, ad tollendas religionum diſſenſiones, & ad eius religionis propagationem, quæ unum Deum agnoſcendum & colendum eſſe doceat, non multos, nec patri filium addat, quæque armis defendere doctrinam doceat, & conſtituere imperium, non iubeat ſubire cruciatus, ſicut Apoſtoli & martyres ſubierant.

Quibus initijs ceperit & creuerit potentia Mahometica.

Hæc cùm eſſent plauſibilia, concurrit multitudo, duce Mahometo, & facilè Aegyptum dilaceratam multis diſſenſionibus ſectarum, & uicina loca occupauit, & Eccleſias funditus in illis locis deleuit, ac paulatim longius protulit imperium. Creuerant enim uicia omnis generis in Eccleſia, Luxus, ambitio, audacia fingendi noua dogmata, & nouos cultus ſpreto Euangelio, inteſtina odia, libidines, auaricia, rapacitates. Talibus moribus irritatus Deus, permiſit ut graſſaretur illa Mahometi Tyrannis & uinceret, ſicut in Daniele prædictum eſt. Etſi autem latè uaſtitatem Eccleſiarum fecit, tamen ſciamus nomen filij Dei

non penitus deleri posse. Erit aliqua Ecclesia uera Christi, in qua lucebit Euangelium, erit aliqua sedes, erunt aliquæ Respub. quæ præbebunt domicilium ueræ Ecclesiæ.

Daniel de regno Mahometico.

Discamus igitur pios præmonitos esse, ne adsentiantur regno, quòd collabente iam monarchia Romana constituetur, & profitebitur se uelle Christi nomen delere. De hoc regno inquit Daniel: Et sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora & leges, & tradentur in manus eius, usq; ad tempus &c. Contremisco toto corpore, legens hoc uaticinium, & simul cogitans de successibus & uictoriis Turcicis, de ira Dei, de Ecclesiarum excidijs. Sed tamen hanc consolationem teneamus, quam dixi, non posse deleri nomen filij Dei, non funditus interituras esse Ecclesias, gerent enim bellum cùm illa tyrannide inimica Christi, quæ latè dominabitur, ut Antiochus latè dominabatur, & Iudæam ipsam præsidijs tenebat. Et tamen aliqui erant exercitus pij, qui legem Dei propugnabant, & aliquantò pòst recuperabant templum. Hæc historia imago est earum rerum, quę nunc in Ecclesia accident, grassabuntur Turci, sed erunt tamen exercitus, quãuis exigui, qui se opponent.

Tria sunt considerandà de periculis postremis.

Discamus igitur hæc tria, quæ de his postremis periculis prædicta sunt, ne nos magnitudo imperij Turcici, aut Ecclesiæ clades moueant, ut à Christo deficiamus. Primùm, Non esse adsentiendum regno Turcico, ne nos societate blasphemiæ contra Deum, & parricidiorum in sanctos polluamus, quia hæc duo tribuit Turcico regno, cap. 7. sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret. Constat autem delirium Mahometicum, palàm & ex professo contumeliosum esse contra filium Dei. Et totum hoc regnum, fœdus est factum, ad delendam gloriam filij Dei, & ad parricidia.

I. Blasphemiæ Mahometicæ contra Deum.

II. Libidines fœdæ & nefariæ in regno Turcico.

Accedit ad hoc, quòd qui uolentes se adiungunt regno Turcico, fœdas & nefarias libidines confirmant, quæ lege Mahometi conceduntur. Magna turpitudo fuit in Græcia & in Asia, Alexandri tempore & postea magna Romæ in ipso imperij flore, sed tamen leges erant honestiores. At lex Mahometi concedit ducere, dimittere, & dimissas rursus ducere. Hoc prorsus est tollere coniugij perpetuum fœdus, & non solùm cum Christi dicto pugnat, sed etiam cum Moise.

Ac talis consuetudo, quid est nisi promiscua quædam scortatio, ducere, extrudere, uendere alteri, rursus emere extrusam. Nullum est igitur uerè coniugium legibus Turcicis. Et ipsa lege conceditur maior turpitudo. Daniel notas tradidit Antichristi, ut agnosci & uitari possit, ait nouam doctrinam contumeliosam contra filium Dei propositurum esse. Addit & alteram notam, contumelias fœminei sexus. Hæc ubi palàm sonat ipsa legis uox, non dubitandum est, ibi regnum esse Antichristi.

Eadem flagitia confirmãtur à Pontificijs quæ à Mahometicis

Quanquam autem dissimiles sunt politiæ, Mahometica & Pontificia, tamen eadem flagitia seruntur & confirmantur diuersa ratione. Nec singula conferam, sed defendi Idolomanias in Pontificia politia manifestum est, profana spectacula Missarum, & mortuorum inuocationes, Legem etiam de celibatu, fontem esse magnæ turpitudinis, nemo negare potest.

Sed hæc superstitione quadam, & quibusdam inuolucris tecta sunt. Magis impudenter iactitat lex Mahometi, contumelias aduersus Christum, & flagitia libidinum. Hæc notæ ã Prophetis indicatæ sunt, ut nos & à doctrina flagitiosa, & à regno execrãdo deterreant.

Deinde

Deinde prædictiones Spiritus ſancti monent,ut aduerſemur doctrinæ et regno Mahometi,Omnes opponamus ueram inuocationem Dei,Eccleſiæ omnes orent Deum,ut reprimat graſſantem diabolum in regno Turcico. Pugnemus etiam ſuo quiſq; loco,doctores legem Mahometicam refutent,patefaciant turpitudinem, monſtrent dicta Prophetarum, qui nos præmunire uoluerunt. Politiæ,quæ colunt Euangelium filij Dei,dimicent armis. Quæ cauſa uiros fortes ad dimicandũ uehementius incitare poteſt, quãm defenſio pudicitiæ coniugum,filiarum, filiorum, & honeſtarum legum coniugij? Quis noſtrum non malit uno hiatu terræ uniuerſam Germaniam corruere, ac uaſtitatem fieri, quã inferri contumelias Chriſto,coniugij diſſipationem, publicam licentiam rapiendi florem iuuentutis. Hæc mala uiri fortes metuunt,hæc fugiunt,hæc ne accidant, non ſolũm dimicare in acie, ſed etiam mortem oppetere glorioſum ducunt. Cumq; tantæ ſint dimicandi cauſæ,ſint occaſiones,ſint ſtudia populi, dolendum eſt ita nos ceſſare,cũm hoſtis ſit in conſpectu. Vtinam igitur Deus exuſcitet tandem Duces,ut patriæ,ut Eccleſiæ,quæ eſt altera patria,ut ſuæ priuatæ ſaluti conſulant.

Teſtimonia S. S. contra doctrinam & regnum Mahometicum.

Tertiò,non ſolũm pericula oſtendunt Prophetæ,nec monent tantũm fugienda eſſe, ſed etiam conſolationem addunt. Latè uagabitur barbaries Gog & Magog, quos eſſe Turcas omnino conſentaneum eſt, ſed tamen ait Daniel, de poſtrema mundi ætate. Tempore illo ſtabit Michaël Dux magnus pro filijs populi tui. Ducem intelligit filium Dei. Hic ſtabit,non fugabitur,non euertetur,ſed dimicabit pro Eccleſia,ducet pios exercitus,præliabitur in acie,adiuuabit pios milites,ut adiuuabat Maccabæi exercitum in recuperando templo,in euertenda Iouis Olympij ſtatua, in abolendis Bacchanalibus,ſed ſimul ſignificat Daniel fore exiguas copias. Subleuabuntur inquit,auxilio paruulo. Etſi autem magnæ clades accipiendæ erunt, dat enim Eccleſia pœnas multorum ſcelerum,tamen hac ſpe nos ſuſtentemus, quòd tandem reliquijs Eccleſiæ uictoria promittitur.

III. Conſideranda prædictiones Prophetica de Gog & Magog.

Eccleſia quamquam ærumnoſa erit, tamen tandem uincet

Tales conſolationes ut quæramus & colligamus, ipſa nos temporum ſæuitia coget. Et experiemur auxilium Dei,ſi ipſum inuocabimus & Eccleſias noſtras propugnare conabimur. Oſtendunt tandem euentus,hanc Pſalmi uocem non eſſe irritam: *LAPIDEM QVEM REPROBAVERVNT ÆDIFICANTES, HIC FACTVS EST IN CAPVT ANGVLI.* Diabolus per domeſticas inſidias & externos hoſtes molitur Eccleſiæ exitiũ. Sed penitus eam delere non poterit,uincet filius Dei,& ſeruabit reliquias ſuas,nec ſinet prorſus extingui lucem Euangelij,& hæc uera doctrinæ cœleſtis ſtudia.

FINIS.

EXPLICATIO PROVERBIORVM SALOMONIS IN SCHOLA VVITEMBERGENSI DICTATA. ANNO M. D. LV. A PHILIPPO MELANTHONE. ESTQVE HÆC POSTREMA.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. IOHANNI ALBERTO DVCI MEGALburgensi, Principi inclytæ & vetustæ gentis Henetæ in littore Baltico, Domino in Rostoch, & Stargarden &c. Domino suo clementissimo.

REDIT AD CELSITVDINEM TVAM SALOMON, SED NON ORnatus, vt talem Regem decebat, ac vix tenui penula vestitus. Ipsius verò Regis vocem audiri & considerari volo, non hos panniculos aspici, quos ego circumdedi, qui tantùm hoc ago, vt liber Salomonis sæpè repetitus, sit in manibus iuniorum, & à multis ac sæpè relegatur.

Iulianus Imperator scribens contra Ecclesiam Dei, opponit Salomoni Phocyliden, vt ostendat doctrinam de virtutibus & discrimen bonarum & malarum actionum non defuisse Ethnicis. Huic respondet Cyrillus: Salomonem seculis aliquot fuisse ante Phocyliden & Theognidem, qui vixerunt vnà cum Solone & Thalete, regnante Cræso. Imò antecedit Salomon ætate Homerum & Hesiodum. Fuit enim Homerus ætate Esaiæ.

Etsi hæc temporum collatio vera est, & Græci ipsi scribunt, Phocylidæ sententias ex alijs vetustioribus monumentis collectas esse, in quibus reliqua fuerunt præcepta primorum patrum post Iaphet: tamen & alia responsio multò firmior opponenda est impietati Iuliani.

Errat Iulianus, existimans in Ecclesia tantùm esse Legis doctrinam, ac discerni Ecclesiam à cæteris gentibus tantùm professione præceptorum de moribus, sicut & Lactantius collationem tantùm legum facit. Vt noticias numerorum nascentes nobiscum adferimus, ita et Legum noticia lux est diuinitus condita in omnium mentibus, tametsi propter naturæ deprauationem obscurior est. Ac voluit Deus reliquas esse has in homine noticias, vt ipsius iudicium aduersus peccatum agnosceretur, & vt homines disciplina regi possent.

Ex hoc fonte Solon, Zaleucus & alij boni gubernatores honestas leges, & scriptores sapientes honesta præcepta hauserunt, vt Homerus, Hesiodus, Pindarus, Phocylides, Theognis, Sophocles, Euripides & alij, quos volo certè legi.

Sed sciendum est, aliud esse vocem Euangelij de remissione peccatorum, & omnibus beneficijs Mediatoris. Hæc sapientia non angelis, non hominibus nota fuit sine diuina patefactione. Discrimen igitur Ecclesiæ à cæteris gentibus non facit Legis noticia, sed longè alia sapientia de filio Dei in promissionibus patefacta. Hoc discrimen Legis & Euangelij cùm nesciret Iulianus in illa sua collatione, toto cœlo errat.

Etsi autem multæ sunt in Salomone sententiæ, quæ tantùm sunt Legis riuuli, aut etiam politica & œconomica præcepta, quorum similia tradiderunt viri sapientes Ethnici, quale est: Malè erit spondenti pro alijs, quod conuenit cum dicto: Sponde, damnum præstò

præstò est: tamen aliæ multæ sunt de voluntate Dei, de iudicio, de misericordia, de vera Inuocatione, de veris cultibus, de vita æterna, de præsentia & auxilio Dei in ærumnis nostris. Hæc doctrina non est Ethnica, aut nata in humana ratione, sed est explicatio primæ tabulæ Moisi, & multa dicta propriè ad Euangelium pertinent, sumta ex promissione de Messia.

Hæc discrimina diligentissimè consideranda sunt, vt rectè vti sententijs discamus. Videndum quid intersit inter Salomonem & Ethnicos scriptores. Videndum item, quæ sit varietas sententiarum in ipso Salomone. Et intuenda sunt summa capita doctrinæ in Ecclesia, Lex & Euangelium, cultus Dei, gubernatio politica, vita œconomica. Et prudenter singulæ sententiæ ad sua capita accommodanda sunt. Hanc dyudicationem, & quasi classium seu generum descriptionem necessariam esse in hac lectione nihil dubium est, ac intelliget lector, nos de rebus maximis in omnibus vitæ officijs admoneri, si hanc diligentiam adferet, vt secum quærat ipse, ad quam vitæ partem singula dicta referenda sint, quos gradus vitæ humanæ, quæ pericula, quales casus Rex sapientissimus intueatur, vbi docere ac monere lectorem, vbi consolari velit. Nã alia dicta sunt διδασκαλικὰ, alia προτρεπτικὰ, alia προφητικὰ.

Etsi autem hæc admonitio, quam recensui, valdè necessaria est, vt lector genera seu classes distinguat, tamen & alia admonitio addenda est. Exorsus est ipse Salomon ab his dictis: Timor Domini initium sapientiæ. Item: Habe fiduciam in DOMINO, ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Prælucere vult omnibus actionibus agnitionem & inuocationem veri Dei, qui se in hoc ipso populo Israël edita voce legis & promissionum de Messia patefecit. Hunc verum Deum discernit appellatione Iehoua ab omnium gentium commentitijs numinibus. Discernit item, quia præfatur se in Ecclesia Israël concionari, & iubet huius Dei doctrinam audiri. Et placet obedientia politica & œconomica, cùm prælucet fides, qua statuimus nobis Deum propicium esse propter filium mediatorem, & propter eum nos exaudiri, & petimus nos Spiritu sancto regi, seruari nobis Ecclesiam & familias & earum nidulos. Hanc totam doctrinam complecti Salomonem sciamus in dictis crebrò repetitis de timore Dei, & de Fide. Et cùm cæteras sententias politicas aut œconomicas audis, semper adiungat mens illas priores tanquam in titulo scriptas. Imò ipsum filium Dei mens intueatur iam exhibitum, crucifixum, resuscitatum, regnantem ad dextram æterni Patris, & vocem Euangelij de reconciliatione & de fide cogitet. Postea verò obedientiam in officijs vitæ mandatis seiungat ab Ethnica, & sciat eam Deo placere propter Mediatorem.

Laudat Alexander Macedo versum Homeri: ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. Et est talis primo quinquennio. Sed nec agnoscit nec inuocat verum Deum, nec refert obedientiam ad illustrandam gloriam Dei. Legit similem sententiam Iosaphat in his admonitionibus Salomonis, à quo ortus est. Non decet Principem labium mendax. Itaq; maiore studio regit linguam, præstat promissa, odit calumnias, quæ sunt in aulis plurimæ, prohibet Sophisticam in Religione, & in Iudicijs. Hanc diligentiam scit magnum decus esse, & multis salutare, quod & Solon, Aristides & Lælius vident. Sed Iosaphat in his officijs intuetur Deum, agnoscit Mediatorem, statuit se propter hunc immensa misericordia receptum esse, nouit causas, quare tota politia, cui seruit, constituta

sit, &

sit, & à suo cognato Mediatore petit & expectat auxilium, & refert labores omnes ad conseruandam doctrinam de eo. Ita multas virtutes addit Iosaphat, quæ non sunt in Solone, Aristide, Lælio & similibus. Sic igitur in hoc libro dicta omnia politica & œconomica intelligenda sunt, Sicut in doctrina de bonis operibus semper Ecclesia complectitur doctrinam de filio Dei, de timore, de fide, de vera inuocatione. Hæc in huius libri vestibulo moneri necesse est. Postea lectio & vtilior, & dulcior erit.

Nunc verò de ipsis sententijs non aliud præconium addam, nisi hoc quod præcipuum est, hæc oracula vocem esse filij Dei in Ecclesia, & congruere cum Lege Dei & Euangelio, & continere admonitiones vtilissimas de plurimis vitæ officijs et periculis. Quare & quotidiè legenda sunt omnibus ætatibus. Subinde enim iuniores & grandiores plura ex hac lectione discent. Et bonis ac studiosis considerantibus quò referendæ sint hæ grauissimæ admonitiones, subinde hæc sapientia erit dulcior.

Sed cur ego mea oratione inuitare lectores conor? Inuitat eos liber ipse, non voce Salomonis tantùm, quod etiam sæpè fit, sed etiam voce diuina, cùm inquit: O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Audite, ab æterno ordinata sum, antequàm cœlum, terra, abyssi conderentur. Et adfui architectatrix. Ludo in orbe terræ, & delitiæ meæ sunt, hominum saluti consulere. Beati qui vias meas custodiunt. Sic diuina sapientia in hoc ipso libro omnes homines inuitat. Hac tanta autoritate si qui non mouentur, duriores sunt omnibus in Caucaso scopulis.

Præcipuè verò nostri officij est, in scholis adsuefacere ad hanc lectionem iuniores. Ideò superiore anno rursus hunc libellum vtcunq; enarraui. Scio nullius enarratione amplitudinem rerum, quarum hîc fit mentio, comprehendi posse. Hæc vero nostra explicatio nimis ieiuna & macilenta est. Sed tamen cùm eam Typographi ederent, non repugnaui, quia fortassis hæc noua editio plures ad hanc lectionem inuitabit.

Causa autem cur huic editioni tuum nomen adscripserim, non hæc tantùm est, quòd scio te in hac ingenij & virtutis præstantia libenter legere sapientissimi Regis admonitiones, sed etiam, quia cùm priorem editionem ante annos vigmti dedicassem inclyto Principi Magno Duci Megalburgensi tuo fratri patrueli, hanc recentem editionem ad te mittere decreui, vt munus illi missum in familia maneret, in qua vt semper Salomonis vox audiatur, toto pectore opto, quam quidem summa cum pietate Dux Magnus audiebat, & cùm ad hanc normam consilia priuata & publica dirigeret, optimè de patria meritus est. Summa reuerentia sapientissimum patrem in gubernatione adiuuit, Ecclesias curauit rectè erudiri, & custos fuit duarum optimarum rerum, puritatis doctrinæ, & concordiæ docentium: fouit studia literarum, quæ eò magis amabat, quia præclarè eruditus erat: & cùm Ecclesiæ doctrinam ex fontibus hauserat, tùm verò Latinas & Græcas historias adsiduè legebat, ac à viro doctissimo Arnoldo Burenio ad formandam Latinam orationem sic adsuefactus erat, vt Latinè rectè & splendidè loqueretur & scriberet. Deniq; exemplum erat Dux Magnus boni & salutaris Principis in publica & priuata vita. Itaque quanto eius desiderio non solùm patria, sed etiam vicinæ gentes afficiantur, vides. Sed vt Propheta inquit, euocantur ex hac mortali vita iusti, ne videant ventura mala. Sic ipsum quoq; Deus ad æternæ Ecclesiæ consuetudinem abduxit, vbi iam inter optimos Principes, Dauidem, Iosaphat, Ezechiam, Iosiam & similes fruitur dulcissimo conspectu & colloquijs Dei, & Domini nostri Iesu Christi, quæ in hac vita ardentissimis votis expetiuit. Ipsi igitur cœlestia bona gratulemur.

Et

Et quia Deus aliquos in hac militia huius vitæ vult esse superstites, oremus Filium Dei custodem Ecclesiæ suæ, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, *vt ipse nos gubernet, & faciat nos* σκεύη ἐλέους, *& organa salutaria, & seruet Ecclesias et earum hospitia. Verissimum est enim has res tantas non seruari posse sola humana sapientia. Sed Filius Dei sedens ad dextram æterni Patris immensa bonitate suos cœtus, suam hæreditatem tuetur.*

Accipies igitur à me hunc librum eò libentius, quia fratris patruelis in eo mentio fit, qui si viueret, etiam hortator esset, vt lectionem Salomonis tibi familiarissimam faceres.

De mea verò enarratione nihil aliud dicam, nisi me pio studio hoc agere, vt boni libri sint in manibus discentium, & cùm de hoc scripto, tùm de cæteris meis scriptis omnibus iudicium Ecclesiis & Academijs harum regionum, quæ Confessionem exhibitam Imperatori Carolo in conuentu Augustano, Anni M. D. XXX. amplectuntur, permitto. Nec ego aliud genus doctrinæ amplector, nisi illud ipsum, quod quidem scio esse perpetuam Ecclesiæ Christi vocem. Benè & feliciter vale. Anno M. D. LV.

T. Celsitud:

addictiss.

Philippus Melanthon.

PRÆFATIO PHILIPPI MELANTHONIS IN PROVERBIA SALOMONIS.

*VISITATA ADMONITIO EST, DE DVOBVS MODIS DOCENDI, QVO-*rũ alter est integra Dialectica methodus, ordinẽ procedens, & quasi integrũ ædificium extruens, ut uniuersa doctrina in unum corpus redigatur. Vt, cùm Medicus primùm de fabricatione corporis, de mẽbris & de humoribus, postea de morborum causis & generibus, deinde de remedijs dicit. *Duo modi docendi. Primus methodo constat.*

Alter modus est, cùm breues sententiæ traduntur, tanquam aphorismi, idque sæpẽ fit promiscuẽ sine magna cura ordinis: ut præcepta moralia scripserunt Phocylides, Theognis, & alij. Talis coaceruatio sententiarum est hic liber Salomonis, cui titulus est in Latina editione, PROVERBIA. Etsi autem discrimen est tùm apud Græcos inter γνώμας & παροιμίας, tùm apud Latinos inter sententias & prouerbia: tamen Ebræis uno nomine promiscuẽ utrunque significatur. *Alter modus constat breuib. sententijs.*

Sententia seu γνώμη est breue dictum, continens præceptum de moribus, aut commonefactionem de præmijs & pœnis, aut descriptionem euentuum in uita, quorum consideratio etiam prodest ad commonefactionem. Præcepta sunt: Sperne uoluptates, nocet emta dolore uoluptas, μέμνησο ἀπιστεῖν γνῶθι σεαυτὸν. De præmijs & pœnis: εὐσεβέων παίδεσι τὰ λώια, δυσεβέων δ' ου. De euentibus. Luxuriant animi rebus plerunq; secundis. Fortuna quem nimiũm fouet, stultum facit. *Sententia seu γνώμη.*

Sed Prouerbium est ualde celebratum dictum, & plerunq; figura aliqua, seu

seu metaphora, seu collatione, seu imagine, seu hyperbole, seu ironia aliquid significans, siue sententiam contineat, siue aliam qualemcunq; descriptionem: ut, Dolium pertusum. Ad Calendas Græcas. Eat ad coruos. Eurípo mutabilior. Hæc & multa alia nullas sententias continent. Sed alia tempus, alia locum, alia alias circumstantias figuratè significant.

Prouerbia simul sunt sententiæ.

Etsi igitur aliud est prouerbium, aliud sententia: tamen multa prouerbia simul sunt sententiæ, ut Spartam nactus es, hanc orna. Sententia est, monens ut suam quisq; uocationem, sicut nominamus, intelligat, & intra metas eius se contineat, & rectè faciat ea quæ sunt sui officij. Ideò autem & prouerbium est, quia figura ornatum est, & ualde celebratum. Non uidemus manticæ quod in tergo est, sententia est, reprehendens cæcam φιλαυτίαν, quæ tamen de alijs acerbius iudicat. Simul autem prouerbium est, quia figuratum est, & ualde celebratum. Ita sunt sententiæ & prouerbia: Dat ueniam coruis, uexat censura columbas. τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικᾶν χελῶναι. id est, uirtutem & sapientiam uincunt testudines, id est, pecunia.

Argumentum libri prouerbiorum.

Cùm autem talia dicta multa sint in hoc libello, quæ simul & sententiæ sunt & prouerbia, titulus Prouerbiorum non malè congruit, sed siue titulus erit sententiæ, siue prouerbia, sciendum est, hîc collectum esse aceruum dulcissimarum sententiarum, quæ sunt præcepta de omnibus uirtutibus.

Distinctio sententiarum secundum Decalogum.

Sæpè autem monemus, summam doctrinæ de uirtutibus, ut aliquo modo comprehendi possit, includendam esse in Decalogum. Idem hîc faciendum est, & genera sententiarum iuxta Decalogum distribuantur. Aliæ de prima tabula, aliæ de secunda loquuntur. Hæc genera sic nominari possunt: Aliæ sunt Theologicæ, quæ de Deo, & de præceptis primæ tabulæ concionantur. Aliæ politicæ, quæ gubernatorum officia continent. Aliæ Ethicæ, quæ de communibus omnium moribus præcipiunt. Aliæ Oeconomicæ, quæ de coniugio, & de domestica gubernatione loquuntur.

In dictis Salomonis singularis dulcedo propter figuram & res.

Cùm autem sententiæ in omnibus linguis gratæ sint, quia breuiter de rebus honestis præcipiunt, & expetuntur, tanquam assiduæ monitrices in hac tanta uarietate actionum humanarum, sciendum est, in his uetustissimis dictis Salomonis singularem esse dulcedinem, & propter figuras, & propter res ipsas. Multa enim de arcanis affectibus, multa de causis & seminibus maximarum mutationum in uita, & de præcipuis momentis gubernationis monent, quæ non sunt agrestia, seu Bucolica, ut multi putant. Quàm blanda pictura est coniugij, cùm mariti & coniugis mutuum amorem, simplicem, sincerum, dulcem, nihil fuci, nihil suspicionis, nihil morositatis habentem, pingit imagine capreæ & hinnij? Quanta suauitas est præcepti œconomici: Fontes tui deriuentur forâs, & tu dominus eorum maneto. Quid amabilius est fontib. & riuulis, rigantibus & tuos hortos, & uicinos? Quàm copiosa doctrina continetur in hoc dicto. Approbat distinctionem dominiorum, præcipit iusticiam & frugalitatem, ut suum quisq; teneat, & ab alieno abstineat, suos fundos diligenter colat, beneficentiam quoq; exerceat, sed ita, ne ex fundo excutiatur, uerũ iuuet alios ex fructibus. Tales sunt multę sententię in hoc toto aceruo, quæ blãdissimis imaginibus & dulcissimis figuris significant res maximas.

Necesse est autem & hoc initiò moneri, magnum discrimen est inter γνωμολογίας Ethnicas, ut sunt Phocylidis aut Theognidis, & has ã Salomone in Ecclesia Dei traditas, sicut aliâs in genere dicitur de discrimine philosophiæ & doctrinæ sonantis in Ecclesia.

Vt

Vt philosophia particulam legis retinet, ita & Phocylides aliquid dicit de ira Dei, & de pœnis scelerum. Sed de Mediatore, de remissione peccatorum, de reconciliatione, de uera inuocatione, fide & spe, de præsentia Dei in calamitatibus nostris, non dicit, cæterùm utcunque recitat multa præcepta, pertinentia ad secundam tabulam Decalogi. Salomon uerò de uera agnitione & inuocatione Dei, & de cæteris uirtutibus ad primam tabulam pertinentibus sæpè concionatur, ut: Initium sapientiæ timor Domini. Item: Confide Domino in toto corde tuo, & non innitare sapientiæ tuæ, in omnibus uijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. De cruce: Quem diligit Dominus castigat, ne deficias ab eo. Et de salute post hanc uitam: Sperat iustus in morte sua.

Ethnici particulam legis retinent.

Iulianus Imperator opposuit Salomoni Phocylidem, cùm disputat, nihilo maiorem sapientiam tradi in libris Propheticis & Apostolicis, quàm qualis apud Ethnicos reperitur. Et Cyrillus refutans Iulianum, tantùm eò antefert Salomonem, quòd ætate anteceſſerit Phocylidem. Nam Phocylides, qui fuit Milesius, & Theognis, qui fuit Megarensis, Cyri & Thaletis ætate uixerunt. Sed hæc puerilis responsio non satisfacit magnitudini huius disputationis. Dicendum enim fuerat de ueris fontibus doctrinarum, aliam esse doctrinam Legis, aliam Euangelij. Et concedendum fuerat, Phocylidem recitare bonam partem Legis, sed tamen aliam propriam Ecclesiæ doctrinam esse, scilicet de patefactione Dei, facta illustribus testimonijs, de editis promissionibus, de Euangelio, annunciante remissionem peccatorum, & offerente æternam uitam propter filium, de consolatione in cruce. De his summis rebus muti sunt Ethnici scriptores. Id discrimen semper in conspectu esse oportet, ut sciamus, quæ sit doctrina Ecclesiæ propria.

Iulianus Imperator.

Alia doctrina Ecclesiæ propria diuersa à doctrina Legis.

In præfatione & hoc addendum est, Cùm hic liber in uera Ecclesia Dei scriptus sit, in qua nota erat promissio de Messia, intelligamus eũ & hoc uelle, ut præluceat fides, intuens Messiam in usu omniũ sententiarũ, siue de fide loquatur siue de operibus, ut cùm dicit capite 3. Confide Domino toto corde tuo, intellige, propter Mediatorẽ, sicut antea Dauid docuerat: Osculamini filium, Beati omnes qui confidunt in eum. Expressè .n. iubet Salomon doctrinam in hoc populo à Deo traditã, amplecti. Et ubi fit mentio fidei, necesse est intueri promissiones. Sic cùm de coniugio dicit: Lætare cum uxore adolescentiæ tuæ, intellige, prælucente fide, statuas te propter Mediatorem Deo acceptum esse, & propter eum placere ei opera diuinitus ordinata. Sic ubiq; simul complectenda est doctrina de Messia, quæ in Psalmis & Prophetis magis perspicuè tradita est. Significatur tamen hîc quoq;, quia fit mentio sapientiæ Dei concionantis in genere humano, quæ est Filius missus ad Ecclesiam. Et iubet Salomon cognosci doctrinam in hoc populo traditam à Deo. Item cùm fit mentio, & uitę æternæ, intueri promissiones necesse est.

Doctrinæ Salomonis includenda doctrina Euangelij de Mediatore.

CAPVT I.

PROPOSITIO.

Sententiæ Salomonis, filij Dauid, Regis Israël, scriptæ, ut hinc discas sapientiam, disciplinam, prudentiam, & accipias intelligentiam, iusticiam, iudicium & rectitudinem, & Vt detur incautis circumspectio, & adolescentibus scientia & consideratio.

ADMONITIO.

Audiet sapiens & proficiet, & intelligens possidebit consilia, & intelliget sententias & interpretationem & sermones sapientum, & ænigmata eorum.

PRIMVM PRÆCEPTVM.

TIMOR DOMINI initium sapientiæ, Sapientiam & disciplinam stulti despiciunt.

Propositionis declaratio. PRopositio perspicua est, in qua ait, se collegisse has sententias, magnæ utilitatis causa, ut rudiores & iuniores commonefiant, doceantur, & ad diligentiam flectantur in gubernatione morum, erga Deum & erga homines. Has utilitates describit multis uerbis, quorum propriæ significationes considerentur.

Sapientia. SAPIENTIA significat agnitionem Dei, cum qua lucent in corde uerus timor & uera fides.

Disciplina. DISCIPLINA seu eruditio generaliter est præparatio seu institutio.

Prudentia. PRVDENTIA significat gubernationem morum.

Intelligentia. INTELLIGENTIA, dijudicationem, ubi multis probabilibus propositis, difficilis est electio, ut cùm Hieremias suadet deditionem contra aliorum opinionem. Zacharias suadet tolerandam esse seruitutem, non mouendam esse seditionem.

Iustitia. IVSTICIA significat uniuersaliter obedientiam, iuxta omnia præcepta.

Iudicium. IVDICIVM accusationem, castigationem & pœnam.

Rectitudo. RECTITVDO opponitur hypocrisi, ac si diceretur sinceritas.

Circumspectio CIRCVMSPECTIO opponitur stoliditati, quæ temerè ruit sine deliberatione.

Scientia. SCIENTIA significat delectum.

Consideratio. CONSIDERATIO idem est, quod deliberatio, quid conueniat pro diuersitate locorum, temporum, & personarum.

AVDIET sapiens & proficiet &c.

Admonitio qualem oporteat esse auditorem. Propositioni addit admonitionem, qualem oporteat auditorem esse. Sapiens auditor proficiet, sicut Dominus inquit: Habenti dabitur. Item, dabit Spiritum sanctum petentibus, non contemnentibus, non repugnantibus barbarica & cyclopica ferocia. Hos contemtores Dei, ut Epicureos & similes, ait hîc non proficere, sed alios, in quibus sunt initia timoris Dei, & qui petũt se regi à Deo, sicut dicitur: Petite & accipietis.

PRIMVM PRÆCEPTVM.

Orditur à timore Dei. Orditur autem præcepta ab eo quod primum est, uidelicet ã timore ueri Dei. Quia enim nominat IEHOVA in populo Dei celebratum, deducit nos primũm ad agnitionem doctrinæ de uero Deo, & uult discerni ueram inuocationem, ab aliarum gentium cultibus.

Timor Dei quid & quæ complectatur. Vsitatè autem Timor Dei nominatur totus cultus Dei uerus, & non simulatus, seu uniuersalis obedientia, iuxta omnia præcepta, ut in hoc dicto: Beati omnes qui timent Dominum. Hic timor complectitur initiõ cognitionem

uerę

ueræ doctrinæ, deinde timorem, qui sensu percipitur, & fidem quæ discernit hunc timorem, cũm est uera inuocatio coniuncta, ã timore seruili seu impio, qui est fugere & fremere aduersus Deum. Complectitur item in uera agnitione Dei, in uero timore & fide, inuocationem, quæ petit & accipit reconciliationem, & petit & expectat auxilium in tota gubernatione uitæ. Nec de initio tantũm, id est, de incoatione intelligatur hoc dictum, sed de summa, quasi dicat: Timor Domini est summa sapientiæ, gubernans omnia consilia in rebus secundis & aduersis.

AVDI FILI eruditionem patris tui, & matris tuæ legem ne dimittas.

Prius dixit de summa doctrinæ & cultuum: Initium sapientiæ timor Domini, nunc monstrat personas docentes, & iubet has audiri, quia oportet esse ministerium docendi, & necesse est ministerium audire. Ac primus gradus est in ordine Personarum, gradus parentum, & horum officium primum est, recte tradere natis doctrinam de Deo, sicut & ad Ephesios scriptum est: Educate natos in doctrina & disciplina Domini. Adiungatur autem hoc dictum priori: Audi eruditionem patris tui, scilicet, docentis de timore Domini, hanc ipsam doctrinam quam sonat Ecclesia Israël, quam nominauit, hanc etiam nomine *LEGEM TVÆ MATRIS*, scilicet, Ecclesiæ, traditam ã Deo certis & illustribus testimonijs in Israël. Ita sciamus nos ad certum genus doctrinæ alligari, cùm ait, Legem matris tuæ ne abijcias. Significat enim appellatione MATRIS Ecclesiam Israël. Manifestum est autem, hoc mandatum sæpe repetitum esse, ut unicum hoc doctrinæ genus de Deo amplectamur, quod Ecclesiæ traditum est in scriptis Propheticis & Apostolicis. Sicut inquit æternus Pater de Filio: Hunc audite &c. Et Dominus inquit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, &c. Vt autem ibi Dominus promissionem omnium summam addit huic præcepto de cognitione & professione doctrinæ, ita hîc Salomon addit promissionem, quæ ut sit blandior, metaphora sumta est ã puerilibus ornamentis. CORONA significat regnum seu præstantiam, estq; sententia: Deus collocabit te inter salutares gubernatores, & prouehet & iuuabit consilia, ut sint salutaria, tibi & populo, ut sis uas misericordiæ tibi & populo, Sicut Samuel, Dauid, Iosaphat, Ezechias, non sis uas iræ, sicut Saul, Absolon, Achitophel. *ORNAMENTA COLLI*, significant eloquentiam, hoc est, salutarem doctrinam, & salutaria consilia. His ingentibus donis te Deus ornabit, si legem Matris tuæ audies.

Quæ personæ sint audiendæ.

1. Gradus docentium gradus parentum.

Appellatione matris intelligatur Ecclesia

Corona significat regnum.

Ornamenta colli.

FILI MI, si lactauerint te peccatores, ne obsequaris.

Admonitio est contra illecebras, quæ plurimos abstrahunt ã Deo, scilicet, contra multitudinem impiorum, & contra res secundas impiorum.

FRVSTRA panditur rete coram volucri.

Id est, etiamsi putant se latere impij, sicut aucupes se abscondunt: tamen non latent. Quia cernit Deus omnia uindex. Psal. 57. Vtiq; est Deus, iudicans homines in terra. Psal. 61. Tu reddis unicuiq; iuxta opera sua. Hortatur ergo Salomon, ne exemplis multitudinis & rebus secundis impiorum moueamur, ut faciamus contra Deum, & addit comminationem de pœna. Inter pœnas autem

Comminatio de pœnis impiorum.

autem triſtiſſima eſt: Tunc inuocabunt,& non exaudiam. Non hoc uult,non poſſe lapſos redire ad pœnitentiam, aut pœnitentiam inutilem eſſe. Imō uocat nos ad pœnitentiam, & promittit mitigationem præſentium pœnarum, & remiſſionem pœnæ æternæ, ut dicitur Eſaiæ 1. Si peccata ueſtra fuerint ſicut coccinum, eritis candidi ſicut nix. Eſt autem dicti ſententia, ante pœnam exaudiri agentes pœnitentiam. Sed cùm uenit pœna, & iam adeſt. Si eſt corporalis, mitigatur agenti pœnitentiam,Si eſt æterna,nulla eſt exauditio, ut in interitu Saul & Iudæ. In fine eſt antitheſis: Audiens uel obediens quieſcit ſecurè.

CAPVT II.

Adhortatio ad diſcendam doctrinam.

TOTVM ſecundum caput eſt adhortatio ad audiendam & diſcendam hanc doctrinam, quam Deus Eccleſiæ tradidit, & ad hanc nos alligat, ac præcipit fugere aliam ſapientiam, pugnantem cum hac doctrina. Figuratè enim nomine MVLIERIS ADVLTERAE intelligit ſapientiam, quæ à Deo mentes abducit. Nominatim enim inquit, illam mulierem uagabundam relinquere magiſtrum, id eſt doctorem Deum, cui deſponſata fuerat. Talis enim mens eſt uelut adultera,quæ relicto & ſpreto uero Magiſtro, cui fuerat deſponſata, uagatur petulantiſſimè, ludit impijs opinionibus,ut lætantur ſua audacia Epicurei, lætantur & idolatræ ſuis cultibus, quia putant ſe propter eos habere magnos ſucceſſus, & omnia bona. Addit autem in hoc capite promiſſiones & comminationes, iuxta dictum: Primùm quærite regnum Dei, & omnia adijcientur uobis &c. Item Pſalmus 1. Beatus uir &c. Monet etiam quomodo proficere poſſimus, coniungit enim duas cauſas, auxilium Dei, & noſtrum ſtudium, ſicut alibi dicitur: Quantò magis dabit Spiritum ſanctum petentibus. Item,petite & dabitur uobis. Quærite & inuenietis &c. Et in Libro Sapientiæ capite 6. Sapientia facilè inuenitur ab his qui diligunt eam, & anteuertit eos, qui expetunt eam. Hæc dicta promittunt auxilium diſcentibus.

Mulier adultera,id eſt,ſapientia abducēs à Deo.

CAPVT III.

Repetitio adhortationis cum promiſſione.

INITIO tertij Capitis repetitæ ſunt adhortationes,& promiſſio inſerta eſt: *MISERICORDIA ET VERITAS NON DESERENT TE*, ſcilicet miſericordia Dei. Vſitata phraſis eſt de Deo & hominibus: Fecit miſericordiam & ueritatem, id eſt, beneficentiam & fidelitatem præſtitit. Vt, Ionathas fecit miſericordiam & ueritatem Dauidi,id eſt,fuit erga eum beneficus & fidelis, id eſt, conſtanter & ſine ſimulatione eum dilexit, & ei benefecit. Ita hîc dicitur: Deus benefaciet tibi, & fideliter, id eſt, ſemper te protege, iuxta dictum, Timenti Dominum non deerit ullum bonum.

Miſericordia & ueritas.

PRÆCEPTA.

CONFIDE DOMINO in toto corde tuo.

Tria præcepta.

I. de fide quòd tria complectitur.

Sequuntur tria præcepta. Primum de agnitione Dei, de fide, & de timore. Secundum de conſeruatione miniſterij doctrinæ. Tertium de cruce. Ampliſſima eſt doctrina in ſingulis præceptis. Primùm præcipit de fide, & addi

addita est Antithesis. Ne innitaris prudentiæ tuæ, quod intelligatur de tribus generibus, de agnitione Dei, de moribus, & de consilijs in delectu utilium. Sic agnoscas Deum, sicut se in hac doctrina patefecit, nolo te uagari ut Ethnicos, & comminisci uaria numina, cultus, opiniones de Deo, uolo te in moribus facere quæ præcepta sunt, non sequi tuas imaginationes, ut Lacedæmonij concedebant paciscí cum uiro de uxore. Papa prohibet coniugium. Volo te in delectu rerum utilium sequi mea præcepta, facere necessaria, non πολυπραγμοσύνῃ, non spe uel metu tentare aliquid extra uocationem. Sis memor dicti in Ezechiele: In præceptis meis ambulate.

HONORA Deum de facultatibus tuis &c.

II. Præcipit de conseruatione ministerij.

Præcipit ut singuli pro suis facultatibus iuuent conseruationem ministerij doctrinæ in templis & scholis, & addita est dulcissima promissio, sicut & Matth. 10. scriptum est: Qui dederit potum aquæ uni ex minimis meorum propter doctrinam, habebit mercedem.

CASTIGATIONEM Dei ne auerseris, & non abomineris correptionem.

III. Præceptum de cruce.

Hîc tota doctrina de cruce comprehendenda est, & considerandum discrimen Philosophię & Euangelij. Philosophia et humana ratio aliter de causis mortis & humanarum calamitatum iudicat, quàm uox Euangelij. Necesse est autem sciri causas, propter quas Ecclesia subiecta est cruci. Deinde & loci consolationum philosophici & Euangelici conferendi sunt. Discernenda & patientia Christiana & Philosophica.

BEATV S homo qui inuenit sapientiam &c.

Redit ad communes adhortationes, ac præcipit, ut discamus doctrinam à Deo traditam, & ei obediamus, nec anteferamus nostram sapientiam aut calliditatem, & addit promissiones & comminationes. Hæc omnia opponuntur sapientiæ humanæ, quæ audacissimè ludit fingendis opinionibus de Deo, religionibus & cultibus &c. & non uult esse alligata uerbo Dei. Item quæ in consilijs uitę, calliditate sua quærit præsidia, nec manet intra metas uerbo Dei traditas. Et congruunt hæ adhortationes cum toto Psalmo, Beati immaculati &c. Rectè autem intelliguntur hæ laudationes sapientiæ de sapientia reuelata, id est, de uerbo Dei patefacto in Ecclesia, de Decalogo & Euangelio. Nec tamen alienum est quòd uetustas accommodauit has laudes sapientiæ ad personam, quæ est filius Dei, qui est patefactor uerbi sonantis in Ecclesia, & est efficax per id uerbum, & in eo ostendit, qualis sit Deus, & quæ sit eius uoluntas.

Laudationes sapientiæ rectè intelliguntur & de uerbo patefacto & de filio Dei.

PRÆCEPTA.

NON prohibeas benefacere illum, qui potest benefacere, & benefacito tu, cùm manus tua potest.

Non impedias aliorum uocationem, & tuæ uocationi studiosè & fideliter obtemperes.

NON dicas proximo tuo, Vade & redito, cras dabo, cùm iam possis dare.

NON machineris proximo tuo malum, sed habitet apud te securè.

Dupliciter alijs ſtruitur malum, uiolentia & fraude.

Hoc præceptum & ſequentia pertinent ad præceptum, Non occidas. Dupliciter autem ſtruitur malum alijs, aut manifeſta uiolentia, aut fraudibus, calumnijs, furtis &c. Vtruncp genus prohibet Iohannes, cũm inquit, Nemi-nem concutiatis necp calumniemini.

NON litiges cum homine ſine cauſa, cùm tibi malum non fecerit.

Prohibet omne genus calumniarum, & contentionum iniuſtarum.

NON æmuleris virum iniquum, & non eligas uias eius.

Non deficiendum à Deo propter ſcandalum crucis aut ſucceſſus impiorum.

Commune præceptum eſt, ne offenſi ſcandalo crucis & ſucceſſibus im-piorum deficiamus ã Deo, & imitemur impios ſpe potentiæ, opum, tranquil-litatis & aliorum commodorum, ſicut magna ex parte fit, ut Eccleſia ſit ſubie-cta cruci, & impij dominentur. De hoc ſcandalo concionatur totus Pſalmus: Noli æmulari &c.

STVLTORVM exaltatio erit ignominia.

Congruit cũm dicto: Tolluntur in altum, ut lapſu grauiore ruant.

CAPVT IIII.

IIII. Caput generalis adhortatio ad doctrinam & obedientiam.

REDIT iterum ad communes adhortationes, & præcipit ut doctrinam diſcamus, & ei obediamus. Quartum caput generalis adhortatio eſt ad di-ſcendam doctrinam, & ad ſtudium obediendi, et ad diligentiam regendi di-ſciplinam, et ad circumſpectionem, ne decipiamur exemplis impiorum, et in-ſeritur mentio præmiorum et pœnarum.

De dicto: Principium ſapientiæ eſt acquirere ſapientiam.

Obſcuritas eſt in uno dicto: *PRINCIPIVM SAPIENTIÆ EST ACQVIRERE SAPIENTIAM:* Sed plana eſt ſententia de modo & incoatione conuerſionis ad Deum, audire doctrinam, & eam uerè ex petere, & petere gubernationem à Deo, iuxta doctrinam, eſt incoatio conuer-ſionis, ſicut alibi dicitur: Dabit Spiritum ſanctum petentibus. Et Propheta inquit: Conuerte me & conuertar. Et ſapientiæ 6. Inuenitur ab his, qui quæ-runt eam, & prior occurrit expetentibus eam. Et ſuprã cap. 2. Si quæſieris eam inuenies. Iacobi 1. Si quis indiget ſapientia petat à Deo &c. Item: Trahit De-us, ſed uolentem trahit.

CAPVT V.

V. Caput ad 6. & 7. præceptum pertinet.

CAput quintum ad duo præcepta Decalogi pertinet. Non mœchaberis, &, Non furtum facies. Initio enim quinti capitis prohibet adulteria, & omnes uagas libidines, & addit conciones de pœnis, quia ſine ulla dubitatione huic diuinæ regulæ reſpondent euentus: Scortatores & adulteros puniet Deus. Et hîc cap. 6. Adulter perdet animam ſuam, ut hiſtoriæ priuatæ & publicæ oſten-dunt, Dauid, Troia, Thebæ &c. Et quancp Deus mitigat pœnas aliquibus a-gentibus pœnitentiam, tamen ſemper aliquæ pœnæ comitantur, & ſæpè pec-cata ſeminis puniuntur in ſemine, id eſt, in ſobole.

Approbatio coniugij & amoris.

Inſerta eſt autem dulciſſima concio, quæ approbat coniugium & mutu-um amorem, & ſuauitatem coniugij, & prohibet adulteria. Approbatio con-iugij & mutui amoris eſt, cùm inquit: Delecteris uxore adoleſcentiæ tuæ, id eſt, quam adoleſcens ducis. Deinde pingit amorem mutuum inſigni imagine,

Talis

Talis sit amor, ut est cerui & ceruæ, seu ut est Capreæ & hinnuli, id est, sit ardens amor, sine simulatione, & sine coactione, sit suauis, sine morositate & fastidio, sit sincerus, sine suspicionibus, & sine superbia, & acquiescant coniuges in mutuo amore, ne diuellantur aut appetant alios. Extat ardoris descriptio apud Oppianum de ceruis.

Exemplum cerui & ceruæ.

Ipse tamen ceruus pedibus velocibus ipsam
Cùm fugit assequitur, sistitq́ amplexus amatam.

ἀλλὰ ποσὶ κραιπνοῖσι θεὼν ἐκίχανε θέουσαν
φεύγουσαν μάρπτει δὲ καὶ ἀγκὰς ἔχει παράκοιτιν.

Antithesis uerō declaratur exemplis. Tyberius inuitus ducit Iuliam, hîc simulatio & coactio reddit coniugium insuaue. Q. Ciceronis Pomponia est morosior. Multæ naturæ uirorum & mulierum sunt suspicaces, superbæ, diffidentes, non seruantes æqualitatem in conuersatione, Talia uicia omnia remouentur, considerato sincero & dulci affectu Capreæ & hinnuli, seu cerui & ceruæ. Et repetit textus dulcissimam approbationem amoris & fœderis coniugalis, cùm ait: Vbera eius inebrient te, id est, sit uerus & ardens amor, & non sit uagus. Considerentur emphases, ubera significant στοργὴν. Inebrient, significat magnum amorem. Et deinde dicitur: *IN DILECTIONE EIVS IGNORES*, uidelicet alias. Estq́ summa, uerē diligito tuam coniugem, & ea unica contentus esto, sicut hæc lex de coniugio statim in Paradiso sancita est: Erunt duo in carnem unam, id est, unus mas & una fœmina inseparabiliter iuncti. Quia tunc quoq́ etiamsi natura hominum mansisset integra, uoluisset Deus homines intelligere castitatem, & præstare exercitium obedientiæ, huius ordinis conseruatione, uidelicet, uitandis uagis libidinibus.

Antithesis de amore simulato aut coacto.

Vt autem omnium uirtutum intellectus ideo mentibus hominum inditus est, ut hoc ipsum discrimen honestorum & turpium sit testimonium, quōd sit Deus, & ostendat qualis sit, & quōd sit iudex, ita & castitatem uult Deus intelligi, & seuerissimē punit uagas libidines, ut sciamus ipsum esse mentem castam, & hac consideratione discernamus eum à naturis immundis. Cogitemus & hoc, in sola Ecclesia Dei mansisse incorruptam doctrinam de uitandis uagis libidinibus. Et sæpè nos commonefaciamus de pœnis. Puniuntur enim uagæ libidines & tristissimis exemplis in hac uita, & æternis cruciatibus, si non fiat conuersio ad Deum, iuxta dictum illud Pauli 1. Corinth. 6. Scortatores & adulteri non possidebunt regnum Dei. Et in historijs & multis ærumnis quotidianis consideremus iudicium Dei.

Deus uult intelligi ac præstari castitatē, & punit uagas libidines.

DE ALTERO PRÆCEPTO.

BIBE aquam de tuis fontibus &c.

Simul complexus est hîc præcepta de iusticia particulari, abstinente à rebus alienis, & de parsimonia, & de liberalitate. Ac primùm obseruetur hîc insigne testimonium contra Monachos & Anabaptistas, laudantes Platonicam communionem. Hîc enim expressè dicitur: Tu Dominus rerum tuarum maneto, & non alij tecum. Sicut in præcepto, Non furtum facies, sancitur distinctio dominiorum: Ita sciamus eam hîc confirmari, cùm ait: Tu Dominus rerum tu-

Præcepta de iusticia particulari, parsimonia & liberalitate.

Testimonia contra communionē Platonicam.

rum tuarum maneto, & non alij tecum. Ac de parsimonia suprà præcipit: *NON DES FACVLTATES TVAS ALIENIS, ET ANNOS TVOS CRVDELI.* Crudeles nominat, *HIRVDINES*, quæ abutuntur alienis facultatibus. Hæc rapacitas in aulis conspectior est, & pingitur in fabula Actæonis, quem sui canes dilacerant. De liberalitate uerò & de Eleemosynis dulcissimè dicitur: *DERIVENTVR FONTES TVI FORAS, ET TV DOMINVS EORVM MANETO*, id est, largiaris de fructibus, ita ut retinere possis fundum. Ostendit igitur modum liberalitatis, uult dominia conseruari, non fieri profusiones & dissipationes hæreditatum, & tamen uult iuuari egentes pro facultatibus, sicut Dominus inquit: Date pro facultatibus.

Parsimonia.

Liberalitas.

PENE fui in omni malo, in medio congregationis.

In hoc capite & hæc insignis sententia obseruetur de exemplis multitudinis: *PENE FVI IN OMNI MALO, IN MEDIO CONGREGATIONIS*, id est, contagia populi nocent omnibus, quia homo natura ad imitationem ducitur, & imitatione discit. Cùm igitur multorum & magnorum falsas opiniones audit, & cernit ritus & mores, sequitur eos, & facilius est uicia imitari, postea consuetudo confirmat morborum initia. Ideo multa dicta extant, quæ præcipiunt, ne relicta regula exempla uel multitudinem sequamur. Exod. 23. expressè dictum est: Non sequaris multitudinem ad faciendum malum, & non respondebis in iudicio declinans ad multitudinem declinantem. Videmus autem, præcipuè in religionibus, quantum ualeat multitudinis opinio. Aduersus talia contagia, confirmemus nos his dictis: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Item: Audite me &c. Vult nos Deus suo uerbo regi, non opinionibus & exemplis discedentibus à uerbo Dei &c.

Multum nocent opiniones multitudinis & exempla.

CAPVT VI.

IN sexto capite prima sententia dissuadet sponsiones, narrans esse periculosas, quia plurimi fallunt sponsores, ideo celebratum est dictum, quod in templo Delphico scriptum fuit: Spondeto damnum præstò est, id est, si spoponderis damno afficieris. Et Homerus inquit Odysseæ θ. Δειλαὶ τοι δειλῶν γε, ἐν ἔγγυαι ἐγγυάασθαι, id est, Malæ sunt sponsiones spondendo pro malis. In genere autem hoc dictum monet, ratam esse fidem pactorum, & raros esse sinceros & fideles. Contrà uerò multos instabiles, fucatos, infidos, perfidos, ut multæ querelæ leguntur: Nusquam tuta fides. Quos credis fidos effuge, tutus eris. Et illud Epicharmi: Νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, ταῦτα γὰρ ἄρθρα φρενῶν ὀστίν. Item in Psalmo, Nolite confidere in Principibus, & in filijs hominum, in quibus non est salus. Et apud Ieremiam: Maledictus qui confidit in homine.

Dissuadet sponsiones.

Rara est fides pactorum, & rari sunt amici fideles.

Hîc si quis interroget, Quid igitur, nihil 'ne credendum est? Respondeo, primùm de doctrina de Deo, credendum est uerbo Dei, cùm quidem Deus addiderit illustria testimonia, resuscitationem mortuorum & alia. Sed hominibus asseuerantibus aliquid de Deo, propria audacia, extra doctrinam à Deo traditam, non est credendum, iuxta dictum: Nihil addatis neq; detrahatis. Deinde in artibus certa est doctrina propter demonstrationes & alias causas certitudinis, quia κριτήρια & demonstrationes etiam sunt ordo diuinitus institutus, quem uult Deus conspici ab humanis mentibus. Sed multa sunt mutabilia in rebus

Quæ sint credenda, & ubi & quatenus sit assentiendum humanis promissis.

in rebus, & maximè mutabiles sunt hominum uoluntates, & sæpè sunt fallaces, ideo adhibendum est hoc loco discrimen, & considerandum est, ubi & qua tenus assentiendum sit humanis promissis, ubi non sit assentiendum.

Est autem uirtus quæ nominatur Candor, quæ dijudicat uoluntates, cuius extrema sunt calumnia & stulta credulitas. Nam candor est uirtus uicina ueritati, propter probabilem rationem approbans alienas uoluntates, & non gignens uanas suspiciones maleuolentia seu κακοηθίᾳ, quædam etiam ambigua in meliorem partem flectens, ac benè quidem sperans, sed tamen ut de rebus mutabilibus, cogitans posse mutari uoluntates humanas, & posse hominem errare de uoluntate alterius, cùm non penitus introspiciantur latebræ humani pectoris, Vt, Dauid benè sentit de Ionatha, quia habet probabilem rationem, quare illius uoluntatem speret firmam esse, quia scit eum timere Deum, & ornatum esse testimonio diuino. Non benè sensit de Achitophel, quia animaduertit eum non timere Deum. Sic igitur intelligatur dictum 1. Corinth. 13. Dilectio credit omnia, id est, est candida, non est suspicax, non malè sentit de alio sine probabili & graui ratione.

Candor qualis sit uirtus & quæ sint eius extrema, calũnia & stulta credulitas.

DE LABORIBVS SEV DE SEDULITATE.

In hoc sexto capite, secundum præceptum est de labore, quod exemplo etiam illustrat, iubet nos intueri formicas, & earum sedulitatem imitari. Primùm igitur hîc discamus, & ordinasse Deum gradus officiorum seu uocationum, & mandatum Dei esse, ut suæ quisq; uocationis labores faciat, nec ingerat se alienæ uocationi, sed in sua præstet diligentiam & fidem. Sic præcipiunt hæc dicta 1. Thessa. 4. Hortamur uos excellere, & sic ambitiosos esse, nempe ut sitis quieti, & propria faciatis, & laboretis propriis manibus. Eccles. 9. Quicquid inuenit manus tua ad faciendum, hoc totis uiribus facito. Et quòd Dei consilio gradus officiorum ordinati & distincti sint, manifestum est ex dictis Rom. 12. & 13. & 1. Corinth. 12. Distinctiones sunt ministeriorum. Et 1. Corinth. 7. Vnusquisq; sicut uocatus est ã Domino sic ambulet. Vbi utrunque docetur, & distinctos esse gradus consilio Dei, & unumquemq; debere nosse metas sui officij, & sui gradus labores facere.

Præceptum de labore.

Gradus uocationum sunt ordinati à Deo.

Quoties autem laboris mentio fit, simul comprehendantur inuocatio & auxilium Dei, iuxta dicta: Scio Domine non est hominis uia eius. Item, Nisi Dominus ædificauerit domum &c. Item, Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Item, Petite & accipietis. Item, Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item Daniel 2. Deus dat sapientiam sapientibus. Coloss. 3. Omnia quæ facitis, in sermone aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu facite. Et suprà Prouerbio. 3. In omnibus uijs tuis consideres eum, & ipse diriget gressus tuos. Sit semper coniunctio inuocationis & laboris. Hæc uirtus nominatur Sedulitas, cuius sit hæc definitio.

In mentione laboris complectenda sunt inuocatio & auxilium Dei.

Sedulitas est uirtus, qua constanter & firmiter uolumus propter Deum & communem salutem labores facere uocationi conuenientes, iuuante Deo, qui petentibus auxilium promisit, ut, Dauid est sedulus miles, Paulus est sedulus Doctor. Huius uirtutis extrema sunt Ignauia & πολυπραγμοσύνη. Ignauus nimiùm cessat, πολυπράγμων seu ardelio multa nõ necessaria seu περίεργα molitur, & se ingerit alienis uocationibus, ut Achas, Pericles, Demosthenes non necessarijs

Sedulitas qualis sit uirtus.

ſarijs contentionibus attrahunt bella, quæ uitari poterant. Ita ſæpē turbatur Eccleſia non neceſſarijs diſputationibus & contentionibus, aut cùm ingerunt ſe doctores ciuilibus negocijs, tanquam alterum pedem in curia, alterum in templo habentes. Hæc breuiter de Sedulitate dixi.

Colligant autem ſtudioſi ſimul & dicta in ſcriptis Propheticis & Euangelicis, huc pertinentia, & alia ſapienter dicta, ut, Spartam nactus es, hanc orna. Hîc & ſedulitas præcipitur, & prohibetur πολυπραγμοσύνη. Verſus Nazianzeni monet neceſſaria facere: τὸ μὲν πάρεργον οὐδαμῶς ἔργον λέγω. Hoc dictum Nazianzeni admonitio eſt de conſociatione: καὶ γὰρ χερὸς χεὶρ, καὶ πόδος ποῦς ἐνδεής, Manus eſt indigens manu, & pes pede.

HOMO BELIAL, id eſt, inutilis, non eſt tantùm ceſſator, ſed turbator.

Extremis uicijs ſedulitatis cognata ſunt uicia ambitio & rixoſitas.

Dixi ſedulitatem eſſe inter extrema uicioſa, ignauiam & πολυπραγμοσύνην, & uicina uicia ſunt ambitio & rixoſitas, hæc etiam hoc loco taxantur, quia utrumq; ualdè pernicioſum eſt communi ſocietati, ut, de ambitione uicioſa dicit Iuuenalis: Patriam tamen obruit olim, Gloria paucorum laudis, tituliq; cupido. Item Claudianus: Nam cætera regna Luxuries uicijs odijſq; ſuperbia uertit. De cupiditate contentionum: & de diſſidijs hæc dicta nota ſunt: Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Teneantur autem definitiones.

Vera gloria quæ ſit & quid ſit.

Vera gloria, & quæ iuſtè appetitur, eſt approbatio conſcientiæ rectè iudicantis, & aliorum rectè iudicantium. Hanc eſſe appetendam manifeſtum eſt ex his ſententijs: Melius eſt nomen bonum, quàm aurum & argentum. Item: Viuite ſine ſcandalo. Item: Væ homini, per quem uenit ſcandalum. Item: Hæc eſt gloriatio noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Item: Probet unuſquiſq; opus ſuum, ſic habebit gloriam apud ſeſe, & non ex alijs. Et cùm mandatum Dei ſit, appetere approbationem conſcientiæ ſuæ rectè iudicantis, & aliquorum rectè iudicantium in Eccleſia, uirtus eſt hanc gloriam ordinè expetere.

Leuitas gloriæ oppoſita.

Oppoſita uicia ſunt, Leuitas & impudentia. Leuitas eſt, nec ſuæ conſcientiæ, nec aliorum recta iudicia curare, iuxta uerſum:

Leuis eſt, nec illum ſtimulat gloriæ decus.

Impudentia & arrogantia oppoſita gloriæ.

Impudentia & arrogantia & uanitas eſt tribuere ſibi quæ non adſunt.

Deinde in ſexto & ſeptimo capite rurſus concionatur de caſtitate, de qua & ſuprà dictum eſt, ut ſint notæ conciones de pœnis adulteriorum, & aliarum uagarum libidinum, paſſim in ſcripturis traditæ.

CAPVT VIII.

Generalis adhortatio ad diſcendam ſapientiam, qua intelligit uerbum reuelatū.

IN octauo capite poſtquam initiò Decalogi præcepta repetiuit, nunc redit ad generalem adhortationem, ut hanc ſapientiam diſcamus, & ei obediamus. Nominat enim ſapientiam à Deo nobis propoſitam & reuelatam, & ad hanc nos alligat, non loquitur de ſapientia Periclis aut Alcibiadis, aut ſimilium, quæ eſt calliditas augendi potentiam & opes quacunque occaſione, ſiue iuſto, ſiue iniuſto modo. Nec uerò dubium eſt, Salomonem loqui de uerbo reuelato in Eccleſia, de Lege Dei, & de Euangelio, quia dicit, Sapientia in portis ciuitatis

tis clamitat. Sed tamen cũm sapientia æterna & immota, quæ est in ipso Deo, reuelata sit uoce Legis & Euangelij, & sit reuelata per ipsum Filium, per quem Pater dicit decreta de ordine creationis & reparationis hominis: Vetustas intellexit hoc loco sapientiam quæ est Filius loquens scilicet ad Ecclesiam. Hanc sententiam rectè intellectam probo.

Vetustas per sapientiam etiam intellexit filium loquentem ad Ecclesiam.

Sed Arriani falsõ excerpserunt quædam dicta, ut confirmarent Filium esse creaturam. Vbi enim Salomon inquit, *DOMINVS POSSEDIT ME INITIO VIÆ SVÆ*, legerunt Arriani, Dominus creauit me initio uiarum suarum. Sed sciendum est in Ebraica lectione uerbum possidendi, non creandi positum esse, ac uerbo possidendi & continua serie narrationis perspicuè refutantur Arriani. Vt enim in Iohanne scriptum est: In principio erat uerbum, ita hîc dulcissimè dicitur: *DOMINVS POSSEDIT ME INITIO.* Item: *ANTE SECVLA ORDINATA SVM.* Et inquit hæc sapientia, se fuisse artificem seu formatricem, sicut Iohannis 1. dicitur: Omnia per ipsum facta sunt. Item Ebræ. 1. Gestans omnia uerbo potentiæ suæ. Quia idem Filius est, per quem dicitur decretum de ordine creationis & reparationis hominis. Ideo hîc eodem nomine sapientiam creantem & edentem Legem & Euangelium nominat. Ac sequitur, *LVDENS CORAM EO IN OMNI TEMPORE, LVDENS IN ORBE TERRÆ, ET DELECTATIONES MEÆ CVM FILIIS HOMINVM.* Hæc sapientia primùm summè lætificat Patrem, deinde ostendit Angelis & hominibus Patrem in mirando ordine opificij mundi, ac postea in promulgatione uerbi, in assumtione naturæ humanæ, & resurrectione, in hominum reparatione, & totius Ecclesiæ conseruatione, in diluuio Noë, in Mari rubro, & omnibus alijs miraculis ostendit & glorificat Patrem, & lætatur uiuificatione & restitutione Ecclesiæ. Hæc omnia miranda opera nominat hîc ludos & delectationes sapientiæ Dei. Hanc dulcissimam sententiam attentè considerent pij lectores, & hæc eadem sapientia, id est, filius docet foris Ecclesiam promulgato uerbo, & intus eam sustentat, docet & illustrat, & quia propter Ecclesiam seruat genus humanum, quatenus iusta fiunt in politijs, fiunt ipso sustentante & docente gubernatores edito uerbo, & gubernante eos arcano modo. Ideo inquit: Per me reges regnant, & iudices iusta decernunt. Hanc sapientiam Dei rectricem per uerbum promulgatam, discernit deinde ab humana calliditate. Sapientia diuina est felix, efficax, & salutaris, & tandem adfert lætos exitus, etiamsi aliquandiu differuntur. Calliditas uerò Periclis, Alcibiadis, Demosthenis & similium est exitiosa patriæ & ipsis. Ideo inquit sapientia DEI: *PENES ME EST CONSILIVM ET SVCCESSVS*, id est, illa consilia sunt iusta, quæ congruunt cum uerbo Dei, & hæc consilia tandem habebunt lætos exitus, adiuuante ea filio Dei, qui quidem uult adesse perseuerantibus in uerbo quod tradidit, & inuocantibus eum, iuxta dictum: Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Prouerb. 3. In omnibus uijs tuis cognosce eum, & ipse diriget gressus tuos. Item: Deus est qui facit, ut uelitis & ut perficiatis. Contrà uerò pœnæ sequuntur uniuersaliter iniusticiam, quanquam in præsentia aliquantisper uoluptates gratæ fuerunt, aut potentia creuit.

Arriani falsõ detorserunt hæc dicta contra filium Dei

Accommodatio sententiæ Salomonis ad Filium Dei.

Discernit sapientiam Dei ab humana sapientia.

CAPVT

CAPVT X.

NON ſinet eſurire DOMINVS animam iuſti.

Ad prouidentiam pertinent q, diſcernit Deus recta & non recta præmijs & pœnis.

COMMVNIS doctrina eſt de prouidentia, quæ ſæpè repetita eſt in toto opere. Diſcernit autem Deus recta & non recta æternis præmijs & pœnis, quia hîc eſt ordo iuſticiæ, ut recta conſeruentur, & non recta deſtruantur, iuxta dictum: Deus eſt ignis conſumens, & uult Deus mentione pœnarum & præmiorum fieri conſpectius diſcrimen rectorum & non rectorum. Sunt autem recta conformia Deo ſeu legi eius. Non recta ſunt pugnantia cum Deo ſeu cum lege.

Pœnæ temporales & æternæ.

Diſcernendæ autem ſunt pœnæ temporales & æternæ. Pœnæ temporales imponuntur primùm ut reuocent homines ad pœnitentiam, deinde in non agentibus pœnitentiam, ſunt initia deſtructionis & pœnarum æternarum, ut ſupplicia Saul, Iudæ, Neronis, & aliorum omnium ruentium in æternas pœnas.

Bona corporalia & æterna.

Diſcernantur & bona corporalia & æterna. Eccleſia certò habebit æterna bona. Ideo enim conditæ ſunt rationales creaturæ, ut ſint aliqua organa, quibus Deus communicet ſeſe, ſuam lucem, ſapientiam, inſticiam, uitam & lætiçiam æternam. Sed in hac uita mortali Eccleſia adhuc certo conſilio Dei ſubiecta eſt cruci, ideo multa membra duriter exercentur, alia magis, alia minus, & tamen quia uult Deus Eccleſiam in hac uita uoce miniſterij, & non aliter colligi, ſemper aliquem cœtum ſeruat, qui ſine cibo, potu, & hoſpitijs uiuere non poteſt. Sic igitur mitigat crucem, ut huic cœtui quoq; det neceſſaria ad uitæ corporalis conſeruationem, & ſeruat inter hos quoq; has regulas de externa uita, uniuerſaliter: Atrocia delicta comitantur atroces pœnæ, ut, Dauidis adulterium, Manaſſis ſcelera, ſecutæ ſunt horribiles pœnæ: pijs uerò mitigantur multæ pœnæ, & multorum eſt tranquillior curſus. Hîc igitur ſæpè inculcantur promiſſiones & æternæ, & corporales, ut hoc loco dicitur: Non ſinet eſurire Dominus animam iuſti. Pſal. 33. Leones eſurierunt, timentibus autem Dominum non deerit ullum bonum.

Hæc communis doctrina de diſtinctione, quam ſanxit æterna & immota ſapientia Dei inter recta & non recta, & de præmijs & pœnis ſemper ſit in conſpectu, & ſimul conſideretur uniuerſa doctrina de Eccleſia, de diſtinctione promiſſionis æternæ & corporalium. Item doctrina de cruce.

Quatuor cauſæ propter quas tradidit Deus promiſſiones bonorũ corporalium.

Sunt autem præcipuæ cauſæ quatuor, propter quas Eccleſię traditæ ſunt promiſſiones de bonis corporalibus:

Prima. Vt ſint teſtimonia de prouidentia, contra Epicureas opiniones, ne exiſtimemus hæc bona externa caſu ſpargi, ac præſertim in Eccleſia dantur ſingulari conſilio Dei, & ſingulari modo. Imò & toti generi humano ſeruatur natura rerum propter Eccleſiam.

II. Secunda. Vt teſtentur Deum ſeruaturum eſſe Eccleſiam, etiam in hac uita, & cogitemus in hac mortali uita oportere incoari Eccleſiam.

III. Tertia. Vt fides & inuocatio exerceantur in quotidiana neceſſitate, in petenda pace, uictu, bona ualetudine, ſucceſſu in gubernatione.

IIII. Quarta cauſa. Vt ſint commonefactiones de promiſſione æterna, quia in omni petitione, oportet prælucere fidem, quæ accipit Remiſſionem peccatorum propter Mediatorem, & ſemper cogitemus Eccleſiam in hac uita quoq; propter

propter eum & per eum ſeruari, ſicut dicit: Ego geſtabo uos in ſinu, ſicut Paſtor agnos recens editos geſtat. Sciamus igitur promiſſiones de bonis corporalibus non eſſe irritas & confirmati hac uoce diuina, petamus & expectemus neceſſaria uitæ in inuocatione.

EGESTATEM efficit manus ignaua.

Coniungit Salomon promiſſiones & præcepta de labore, quia utrumq; præcipit Deus, & ut faciamus opera uocationis, & ſimul petamus & expectemus ab ipſo bonos euentus, iuxta dictum: Commenda Deo uiam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet. *Coniunguntur præcepta & promiſſiones de labore.*

ODIVM ſuſcitat rixas, Vniuerſa autem delicta operit dilectio.

Præceptum eſt de ἐπιεικείᾳ & de candore, pertinens ad quintum & octauum præceptum. Hîc primùm ſcire neceſſe eſt communes definitiones & diſtinctiones iuſticiæ. *De ἐπιεικείᾳ & labore.*

Iuſticia particularis eſt uirtus ſuum cuiq; tribuens. *Iuſticia particularis.*

Sic iuſticia iudicis eſt uirtus tribuens iuſtis defenſionem, & pœnas iniuſtis. Quia uerò gradus ſunt delictorum, ut atrocius ſcelus eſt Diaboli quàm Adæ, atrocior eſt culpa Iudæ quàm Petri: diſtincti ſunt & gradus iuſticiæ uindicis, ſeueritas & æquitas, & utraque eſt iuſticia, ac extrema ſunt eadem, crudelitas & indulgentia. Sylla crudelis fuit, qui etiam poſt uictoriam occidit promiſcuam multitudinem, ſicut inquit Poëta: Exceſſit medicina modum. Iulius pepercit Ciceroni, Marcello & alijs, & in urbe nullam ſæuitiam exercuit. *Iuſticia iudicis. Gradus iuſticiæ uindicis.*

Diſcernantur autem in hoc dicto Salomonis: Vniuerſa delicta operit dilectio: iudex & priuata perſona. Iudex mandato diuino cogitur ſeueritate uti aduerſus eos qui atrociter deliquerunt, ut aduerſus blaſphemos, periuros, homicidas, pollutos adulterijs & inceſtis libidinibus. Deutero. 19. Auferes malum de medio tui, non miſereberis eius, ſed ſit anima pro anima, quia Deus uult conſpici pœnas, ut agnoſcatur ipſe diſcernens recta & non recta, & iudicans ac puniens ſcelera, deinde ut communis ſocietas defendatur. Idem autem iudex intelliget quoq;, ubi leniendæ ſint pœnæ, ſicut leges ipſæ de cæde ex inſidijs facta ſunt atrociores, quàm de cæde fortuita. Hæc uirtus moderatrix nominatur ἐπιείκεια, quæ eſt iuſticia, ſeu leges aliquas, ſeu pœnas propter rationem probabilem mitigans, & ſapientiſſimè tradita ſunt multa exempla huius mitigationis. Vt Dauid eſuriens uſus eſt panibus ſacerdotum. *ἐπιείκειᾳ quid ſit.*

Thraſybulus ſanxit ἀμνηςίαν, nec eiecit poſſeſſores ex facultatibus exulum, ne noua bella orirentur. *Thraſybulus.*

Conradus Imperator fecit pacem cum Guelpho ad oppidum Vueinsberg, cùm contra intellectum pacti mulieres extuliſſent uiros & filios ex arce, quia Imperator permiſerat, ut mulieres diſcederent cum ijs rebus quas poſſent aſportare. Hæc de iudice dicta ſint, quem oportet intelligere, ubi ſeueritate, ubi lenitate utendum ſit, ut alibi dicendum eſt. *Conradus III. Imperator.*

Sed de priuatis perſonis & de priuatis offenſionibus primùm ſciendum eſt, neceſſariam defenſionem conceſſam eſſe, ſed extra caſum neceſſariæ defenſionis remittendæ ſunt priuatæ iniuriæ, & obruendæ obliuione, iuxta dictũ:

Remittite & remittetur uobis. Cùm autem tales iniuriæ in consuetudine hominum plurimæ accidant, & insania sit, sperare uitam, in qua non multi in te incurrant, non existimemus hoc præceptum de raris offensionibus loqui, sed sciamus hanc condonationem in multis uitæ negocijs necessariam esse in priuatis offensionibus.

Propter quas causas sint faciendæ condonationes & de qua re admoneant.

Et faciendæ sunt condonationes, primùm propter Deum, deinde propter communem tranquillitatem. Ac Deus non solùm præcipit hanc uirtutem, sed etiam uult eam esse commonefactionem de sua condonatione. Ideo inquit: Remittite & remittetur uobis. Vult etiam nos in huius uirtutis cogitatione & exercitio commonefieri de sua misericordia, & de Euangelio, in quo proponitur ingens ἐπιείκεια legis, quòd recipitur incoata obedientia exigua & sordida, & quòd multæ infirmitates condonantur, & quotidie leniuntur pœnæ, iuxta dictum: Misericordia Domini quòd non consumti sumus. Quòd autem communi paci necessaria sit priuatarum offensionum obliuio, manifestissimum est.

De uero intellectu dicti: Delicta tegit dilectio.

Monendi sunt autem iuniores, ne admittant falsam interpretationem detorquentium hoc dictum ad errorem, qui fingit nostra opera mereri remissionem peccatorum. Delicta tegit dilectio, Ergo tua dilectio tegit tua delicta coram Deo, Neganda est consequentia, quia dictum est politicum, & loquitur de condonatione inter homines, & de alienis delictis tegendis, & de reprimenda cupiditate uindictæ, ut Leuit. 17. præcipitur: Non exerceas uindictam, nec sis memor iniuriæ aduersus ciues tuos. Nominatim enim de ciuibus dicitur, ut significet, propter communem concordiam multas iniurias dissimulandas esse. Pudeat autem nos nostræ superbiæ & impatientiæ, cùm filius Dei non solùm remittat nobis multa & magna peccata, sed etiam pœnam in sese deriuauerit prostratus coram Patre, ac iram aduersus nostra delicta sustinens, quasi ipse se meis & tuis sceleribus polluisset, Ideo inquit: Discite à me, qui mitis sum & humilis corde.

Hoc exemplo & præcepto moniti patienter feramus cum quasi de superiori loco detrudimur, cùm quidem nos reuera multis magnis peccatis meritissimus pœnas, & coërceamus nostros impetus, ne maiora odia, dissidia, bella accendantur. Diligamus hanc uirtutem ἐπιείκειαν hanc ipsam ob causam, ut sæpè nos hoc ipsum nomen admoneat de Euangelio, in quo dulcissima ἐπιείκεια Legis diuinæ proponitur, ut dictum est.

Veritas & candor cognatæ uirtutes, extrema assentatio & calumnia.

Sicut autem uirtutes uicinæ sunt, seuera iusticia & ἐπιείκεια, ita sunt uicinę uirtutes, Veritas seuerè iudicans de alienis dictis aut factis, & Candor. Extrema sunt Assentatio & Calumnia. Moderatur autem Candor iudicia duriora, ut sæpè aliquid negligentius dictum in bonis scriptoribus leniendum est interpretatione congruente ad perpetuam autoris sententiam.

OS stulti confusioni appropinquat.

Vicia linguæ propria quæ & quot sint.

Multa sunt dicta in Salomone de sermone seu de lingua frenanda. Sunt autem uicia linguæ propria, Mendacium, garrulitas, præcipitantia, Curiositas, maledicentia, conuiciatio, petulantia linguæ, calumniæ, uanitas, seu iactantia, θρασωνισμὸς, ironia, δυσωπία, ἀκκισμὸς, impudentia, φιλονεικία, scurrilitas, obscœnitas, scopticum esse, futilitas, assentatio. Hæc uicia ideo considerandа sunt, ut maiore cura uitare ea discamus, & frenemus impetus nostros, nec omnes cogitationes effundamus &c.

Bene-

BENEDICTIO DOMINI *facit diuites & non addit dolorem.*

Prophani omnia ponunt in humana induſtria & laboribus.

Prophani homines cogitant, opes & uictorias parari tantùm humana induſtria & laboribus, ut exiſtimant Alexandrum uincere, quia conſilio, laboribus, & robore exercitus antecellit multitudini Perſicæ, ſicut uſitatè dicitur: Labor omnia uincit improbus. Et Plato inquit, hunc eſſe beatum, cui non ex alijs pendet fortuna, ſed cui in ſeipſo poſita ſunt omnia, quæ ad beatitudinem neceſſaria ſunt. Et ſic dicit Nabuchodonoſor: Ego Babylonem feci tantam meo robore. Tales imaginationes confirmant fiduciam noſtræ calliditatis & noſtrarum uirium, qua elati homines negligunt Deum, & mouent non mouenda, ut, Quia uidet Antonius ſe inſtructiorem eſſe Auguſto, & ſperat eum poſſe opprimi, mouet bellum iniuſtum. Talia ualdè multa ſunt triſtia errata hominum.

Cauſa bonorũ euentuum eſt Deus, non ſola humana induſtria.

Sed uox diuina docet, cauſas eſſe bonorum euentuum, non labores hominum ſolos, ſed Deum iuuantem iuſtos labores, & hominum obedientiam in uocatione. Ideo expreſſè tradita eſt negatiua propoſitio: Niſi Dominus ædificauerit domum, fruſtra laborat qui ædificat eam. Item Eccle. 9. Non eſt uelocium curſus, nec fortium bellum, nec ſapientium panis. Et Pſal. 33. Fallax equus ad ſalutem. Et Pſal. 59. Non egredieris Deus in uirtutibus noſtris. Da nobis auxilium de tribulatione, uana ſalus hominis. Et Hiere. 10. Scio Domine non eſt hominis uia eius. Iohan. 3. Non poteſt ſibi homo ſumere quicquam, niſi datum ſit ei à Deo. Et Iohan. 5. Sine me nihil poteſtis facere. Hæc teſtimonia non prohibent laborem uocationis, ſed docent bonorum euentuum cauſam eſſe, non ſolam hominum ſapientiam & ſolos hominum labores. Damnant igitur fiduciam noſtri.

Vox diuina coniungit Deum & obedientiam in uocatione.

Poſtea uox diuina coniungit has cauſas bonorum euentuum, Deum iuuantem labores uocationis, & obedientiam noſtram in uocatione. Præcipit igitur labores iuſtos, congruentes uocationi, ut Eccleſiaſt. 9. Quicquid poteſt facere manus tua, operare omnibus uiribus. Et 1. Theſſa. 4. Studioſè hoc agatis, ut ſitis quieti, & propria faciatis, & laboretis manibus ueſtris. Et Gene. 3. In ſudore uultus tui comedes panem tuum. Et Pſal. 127. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit. Et Prouerb. 10. Manus ſedulorum diues erit. Sed ſciendum eſt hos labores ita felices eſſe, & ſequi bonos euentus, cùm Deus adiuuat laborantes iuxta uocationem.

Cur & quæ traditæ ſint promiſſiones de auxilio & mandata de inuocatione.

Traditæ ſunt igitur promiſſiones de auxilio diuino, & mandata de inuocatione, ut Deus agnoſcatur. Item ut agnoſcatur præſentia eius in gubernatione priuata & publica, ut 36. Pſal. Subditus eſto Deo, & ora eum. Item: Commenda Deo uiam tuam & ſpera in eum, & ipſe faciet. Et Pſal. 33. Non eſt inopia timentibus Deum. Et Pſal. 54. iacta in Deum curam tuam & ipſe te ſuſtentabit. Pſal. 90. Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum, cum ipſo ſum in tribulatione. Daniel 2. Dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus. Prouerb. 16. Cor hominis cogitat uiam ſuam, ſed Deus confirmat greſſus eius. Prouerb. 21. Equus paratur ad diem belli, Deus autem dat uictoriam. Prouerb. 20. Vt oculus uideat, & auris audiat, Deus facit utrunq;. Eſaias 46. Ego feci uos, ego geſtabo uos etiam in ſenecta. Eſa. 40. Geſtaui uos ſicut paſtor lactentes agnos. Deut. 30. Ipſe eſt uita tua, & longi-

tudo dierum tuorum, Deut. 8: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit ex ore Dei. Exod. 19. Gestaui uos super alas aquilarum. Deut. 8. Ne dicat, fortitudo mea & manus meæ hæc mihi dederunt, sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse uires tibi præbuerit.

Testimonia de labore & inuocatione opponenda sunt prophanis imaginationibus.

Hæc & similia testimonia prodest in conspectu habere, ut imaginationē prophanam eiiciamus ex animis, nec confidamus nostra diligentia, aut nostris uiribus, sed uerē credamus, ita tantùm labores nostros felices esse, cùm ā Deo adiuuantur, & petamus auxilium Dei, iuxta dictum Psalmi: Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Et Prouerb. 16. Commenda Deo opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. Hanc regulam uitæ in omnibus consilijs & negocijs intueamur, faciendos esse labores uocationis, & pertendum & expectandum auxilium ā Deo. Et adiungatur huc doctrina de inuocatione Dei, de promissionibus.

Ethnici etiam fatentur confidentes suis uiribus euerti

Præterea & hoc consideretur, Ethnicos quoq; experientia coactos fateri, sæpē potentiores & sapientiores uinci, uidelicet cùm aut iniusta faciunt, & non necessaria mouent fiducia uirium suarum, & multis fiducia uirium suarū exitio fuit, sicut de Aiace dicitur: Cùm dixisset se etiam sine Deo uincere posse, propter hanc impiam fiduciam sui punitum esse furore, quo sibi mortem consciuit. Et sæpē recitatur historia de Milone Crotoniata, qui cùm in diuulsa arbore hæreret, laceratus est à lupis. Et Bellerophontem Pegasus excussit, cùm uellet inuehi intra cœlum. Et Perseo tandem fuit exitio caput Gorgonis.

CAPVT XI.

LIBRAM fraudulentam abominatur Dominus, & pondus æquale placet ei.

De iusticia commutatiua regente contractus.

PRæceptum est de particulari iusticia, & ueritate in contractibus, & pertinet ad Decalogi dictum: Non furtum facies. Et comminatio sæpē repetita, hîc quoq; repeti intelligatur: Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis, etiam in hac uita. Iuxta dicta: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Væ qui spolias, quia spoliaberis. Et in huius ordinis consideratione uult Deus se agnosci, & intelligi hunc ordinem diuinitus sancitum esse.

Ordo rerum politicarum est opus Dei.

Ac sciamus, coniugia, politicam societatem, contractus, iudicia, pœnas, opera esse sapientiæ & iusticiæ Dei, & efficaciter ā Deo conseruari, quantum ordinis reliquum manet, etiamsi ā diabolis & ab organis diaboli interea magni tumultus mouentur. Sicut custos gregis seruat aliquod agmen, etiamsi lupi aliquas pecudes rapiunt. Sic dicit infrā de politico ordine capite decimo sexto. Pondus & statera iudicia Domini sunt, & opera eius omnes lapides lancis. Hæc admonitio necessaria est contra furores Manichæos & Anabaptisticos, ut sæpē aliâs copiosē dictum est.

CVM uenit superbia, uenit & ignominia, & in humilibus est sapientia.

Vsitatum est homines in secundis rebus fieri negligentiores, quia muniti præ-

ti præsidijs manifestis, minus metuunt & minus dolent, ideo & inuocatio Dei fit languidior, sicut in Mose dicitur: Sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere. Item: Luxuriant animi rebus plerunq; secundis. Extincto autem timore Dei, homines securi, ut augeant potentiam, multa extra uocationem tentant, & alios iniurijs afficiunt. Inde sequuntur pœnæ ordine diuino, iuxta dicta: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Item: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

In rebus secundis homines fiunt negligentes & superbi.

Ac Ethnicos experientia coëgit fateri, diuino ordine ineuitabiliter sequi pœnas superbiam ruentem extra metas uocationis. Hunc ordinem nominauerunt ἀδράσειαν, & signũ sequuturæ ruinæ est insignis insolentia, iuxta dictũ Claudiani: Tolluntur in altum, ut lapsu grauiore ruant &c. Hæc est & hoc loco sententia Salomonis. Contrà uerò ait in humilibus sapientiam esse, sicut Petrus inquit: Humilibus dat gratiam. Et apud Esaiam dicitur: Vbi habitabit DOMINVS? in Spiritu contrito & humiliato, & temente sermones meos.

ἀδράσεια apud Ethnicos ordo diuinus puniens superbiam.

Notæ sint autem definitiones Humilitatis & Superbiæ. Humilitas seu ταπεινοφροσύνη est in timore Dei agnoscere & fateri propriam infirmitatem, & non erumpere extra uocationem, sed intra metas uocationis Deo seruire, spe auxilij diuini, & non despicere, nec premere alios, sed tribuere singulis gradum, in quem ordine collocati sunt, & sentire illos etiam posse organa Dei salutaria esse, & non irasci Deo in pœnis. Exemplum illustre huius uirtutis est Ionathas. Omnium uerò summum est ipse filius Dei in sua uocatione obediẽs, & hic inquit: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.

Humilitatis definitio.

Superbia autem est, securum & sine timore Dei esse, & confidere propriis uiribus, & fiducia sui extra metas uocationis erumpere, sibi potentiam uelle augere, despicere & premere alios, pertinaciter anteferre propriam sapientiam bonis consilijs, & irasci Deo & hominibus cùm exitus est infelix, ut Pharao, Goliad, Saul, Achitophel, & similes.

Superbiæ definitio.

CVM iusto in terra fiat retributio, quantò magis impio & peccatori?

Insignis admonitio est, ex qua & Petri dictum sumitur, quia tempus est ut incipiat iudicium à domo Dei, Si autem primùm à nobis, quis finis est eorum qui non credunt Euangelio? & si iustus uix saluatur, impius & peccator ubi apparebunt? Est autem doctrina de pœnitentia & de pœnis uenturis impiorum, & consolatio de scandalo crucis. Argumentum autem instituitur à minore. Cùm iusti in hac uita affligantur, qui tamen quærunt emendationem, quantò magis impij, contumaciter & furenter in sceleribus perseuerantes punientur, necesse est igitur post hanc uitam restare aliud iudicium, ut cùm Dauid punitus sit propter adulterium & cædem, punientur haud dubiè alij deteriores, ut Dionysius, Tyberius, etiamsi in hac uita habuerunt placidos exitus, restat igitur aliud iudicium.

Doctrina de pœnitentia & de pœnis impiorum & consolatio de scandalo crucis.

Hîc autem duæ regulæ conferantur, & conciliatio consideretur. Prior est: Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis in hac uita, id congruit ordini Iusticiæ in Deo, & quia sic plerunq; fit, horum exemplorum congruentia testimonium est de prouidentia & præsentia Dei in genere humano.

Regula, Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis.

Altera regula Eccleſia eſt ſubiecta cruci

Altera regula eſt: Eccleſia ſubiecta eſt cruci, & Tyranni exercent crudelitatem aduerſus eam. Id uidetur non congruere ordini iuſticiæ, diſputatur igitur ratio an ſit prouidentia. Sed Eccleſia reſpondet: Primùm congruit ordini iuſticiæ in Deo, etiam punire Eccleſiam, quia adhuc hæret in ea peccatum. Et ſcit Eccleſia multas cauſas quare ſubiecta ſit cruci. Deinde de Tyrannis manet uera altera regula, quia ipſi quoq; plerunq; in hac uita rapiuntur ad pœnas, iuxta dictum: Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni. Quanquam igitur florent aliquandiu, tamen poſtea excutiuntur ex imperijs.

De argumento Iuſtis debet benè eſſe, iniuſtis malè &c.

Secundò ſcit Eccleſia iuſticiæ Dei conuenire, ut ſcelera non tantùm preſentibus & breuibus ſupplicijs puniat, ſed æternis. Ideo reſpondet ad hoc argumentum. Iuſtis congruit benè eſſe, iniuſtis malè. Eccleſia eſt iuſta, Tyranni ſunt iniuſti, Ergo Eccleſiæ benè ſit, Tyrannis malè. Reſpondet Eccleſia ad Maiorem. Congruit iuſtis benè eſſe, iniuſtis malè, iuxta declarationem Euangelij, quod docet quare Eccleſia ſubiecta ſit cruci in hac uita, & tamen ſemper à Deo ſeruari cœtum aliquem, & poſtea habituram eſſe Eccleſiam æterna bona, Impios autem fore in æternis pœnis. Imò hæc ipſa exempla ſunt teſtimonia uenturi iudicij. Quia Abel à Cain interficitur, & Deus iuſtus antea oſtendit ſe diligere Abel. Ergo reſtat aliud iudicium, in quo oſtendetur diſſimilitudo Abel & Cain. Deinde ad minorem reſpondeatur. Eccleſia eſt iuſta, uidelicet imputatione & incoatione, nondum conſummatione. Igitur ad tempus exercetur, ut agnoſcat iudicium Dei aduerſus peccatum, ut in Eſaia dicitur: Caſtigatio eſt eis diſciplina, ut ad te clament. Sequitur ergo concluſio, Tyranni ſæpè in hac uita puniuntur, ſed uniuerſaliter poſtea erunt in pœnis æternis, Eccleſia etſi affligitur, tamen & in hac uita ſentit mitigationem, & poſtea habebit æterna bona.

CAPVT XII.

Repetita dicta de prouidentia.

MVlta ſunt dicta in duodecimo capite, ſæpè repetita de prouidentia Dei, quòd iniuſti ſint daturi pœnas. Item de labore, de linguæ uicijs, de mendacio, de ſophiſtica, de calumnijs, de iactantia & oſtentatione. Præcipuè uerò meminerit lector hoc dictum: Abominatio Domino labia mendacia. Sciamus præcipi amorem & curam tuendæ ueritatis, & in doctrina de Deo & in artibus, & in omnibus honeſtis pactis & contractibus, & quia ueritas eſt inter præcipuas & maximè conſpicuas uirtutes, ideo atroci uerbo damnatur contrarium uicium, & nominatur abominatio, id eſt, tale malum quod Deus ſingulari commotione deteſtatur, ſicut & idola nominantur βδελύγματα.

CAPVT XIII.

INTER ſuperbos eſt contentio & apud deliberantes eſt ſapientia.

Superbia ſæpè eſt cauſa diſcordiarum.

GRæcum dictum eſt, ὄρος ὄρει οὐ μίγνυται, id eſt, mons monti non miſcetur, quo ſignificatum eſt, non conuenire inter duos pariter elatos. Quanquam autem plures ſunt diſcordiarum cauſæ, tamen ſæpius cauſa eſt ſuperbia, cùm uidelicet naturæ, quæ ſeſe admirantur, & uolunt antecellere, ſumunt undecunque occaſiones certaminum, nec mouentur magnitudine, aut paruitate rerum, ſed dimicant de exiſtimatione, & de populi applauſu, poſtea quæ mala ſequantur publicas diſcordias, notum eſt. Vnde ſunt hæc dicta: Patriam tamen obruit

ruit olim Gloria paucorum, laudis titulíq; cupido. Item Claudiani: Nam cætera regna, Luxuries uicíjs odíjſq; ſuperbia uertit.

Cùm igitur hi duo affectus ſint acerrimi, cupiditas gloriæ, & iracundia, ſeu cupiditas uindictæ, ut in Mario & Sylla, in Pompeio & Iulio, & alijs, nominatim filius Dei grauiſſimis uerbis præcipit ut iſti duo affectus frenentur: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Altera uirtus opponitur ſuperbiæ, Altera manſuetudo cupiditati uindictæ. *Duo ſunt acerrimi affectus, cupiditas gloriæ & uindictæ.*

Eſt autem Manſuetudo uirtus, quæ primùm comprehendit iuſticiam, ne pugnet ubi non eſt neceſſe, Deinde in pugna neceſſaria moderatur iram, & probabili ratione lenit aliquid de iuſta ira, ſeu de pœna. Quòd autem opponitur deliberatio contentioni, ſignificatur animos impeditos ambitione, ira uel alijs affectibus, aut non cernere uerum, aut cùm cernunt, tamen non uelle uideri uinci, ſicut dicitur: *Manſuetudo qualis ſit uirtus.* *Affectus impediunt iudicium de ueritate.*

Aurum & opes & Vaſa frequens donauit amicus,
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Quare in deliberatione ueritas ex ſuis fontibus quærenda eſt, nec impedienda eſt inquiſitio fluctibus affectuum. Cogitanda ſunt & illa: Nimiùm altercando ueritas amittitur. Item: Nam quiſquis nimiùm non ſapit, ille ſapit. Crede mihi ſapere eſt non nimiùm ſapere, Inuenta autem ueritate mens acquieſcat, agat Deo gratias, & ueritatem ad uſum in uita conferat, ſicut ſuprà dictum eſt: Abominatio coram Deo labium mendax.

MVLTVM eſcæ in ſulcis pauperum, & alij ſine modo cumulant.

Præceptum œconomicum eſt de mediocritate & diligentia tuendi mediocres facultates, iuxta dictum: Laudato ingentia rura, Exiguum colito. Eſtq; ſententia, melius eſſe poſſidere mediocres facultates, & eas rectè adminiſtrare, & frui eis cum pietate & tranquillitate, quàm magnas opes cumulare, quod ſine offenſionibus fieri non poteſt. Huc pertinet dictum Pauli: Qui uolunt fieri diuites, incident in cupiditates ſtultas & pernicioſas. Transferatur dictum ad alia: Melius eſt in parua gubernatione eſſe, & eam ornare, quàm in ſummo faſtigio, ubi magnitudinem rerum minus ſuſtinere poſſumus. Et uerſiculus notus ſit, quem Ariſtoteles 4. Politicorum citat ex Phocylide: πολλὰ μέσοισιν ἄριστα, μέσον δέλω ἐν πόλει εἶναι. *Optimum eſt mediocres facultates rectè adminiſtrare.*

CAPVT XIIII.

EST via recta coram homine, cuius exitus tamen eſt via mortis.

ADMONITIO eſt de caligine & infirmitate humani iudicij, & de multis magnis erroribus conſiliorum, ſicut manifeſtum eſt, ſæpè errare homines in iudicando & in deliberationibus. Decipiuntur autem uel ſuis imaginationibus, uel exemplis aliorum, uel conſuetudine &c. & decepti magis ruunt faſcinati à Diabolo, ſicut de Iuda ſcriptum eſt: Intrauit Satanas in cor eius. Ita magna multitudo aſſenſit & aſſentitur impijs cultibus, & hæretici portentoſa dogmata mordicus retinent. Et Pompeius, Ioſias errant in deliberatione de bello. De hac multorum infirmitate querelæ extant, iuxta dicta: Stulto- *Infirmitas humani ingenij cauſa erroru in conſilijs qui ſunt exitioſi.*

Facienda sunt necessaria iuxta uerbũ Dei cùm inuocatione.

rum infinitus est numerus. Item: Omnis homo mendax. Item: οὐδεὶς ἀνθρώπων ζῶν ἅπαντα σοφὸς. Item: πολλάκι τὴν μορφὴν ἐξαπατῶσ' ἰδέα, Item Simonides: τὸ δοκεῖν διάζεται τὴν ἀλήθειαν. Aduersus hæc mala hoc unicum remedium est, piè agnoscere uerbum Dei, & iuxta uerbum Dei facere necessaria cum inuocatione, iuxta hæc dicta: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Item: Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Item Deut. 4. Hæc sapientia uestra ambulare in præceptis meis.

CAPVT XV.

MOLLIS responsio mitigat iram,
SERMO asper prouocat iram.

Præcepta de pace pertinẽt ad mandatum non occidas.

TOTA Lex Dei est descriptio qualis sit Deus, & hominibus patefacta est, ut sciamus qualis sit Deus, & quòd uelit nos sibi conformes esse. Sicut igitur præcipit: Non occides, ita ipse est Deus non perditionis, sed saluationis, sicut & iurat: Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Multa sunt igitur tradita præcepta de pace, quæ pertinent ad mandatum, Non occidas. Id uiolant, qui sine iusta causa pacem turbant. Nota sint igitur dicta: Beati pacifici, quia filij Dei uocabuntur. Rom: 12. Quantum in uobis est, pacem habete cum omnibus.

Præcepta de modo retinendæ pacis & de moderatione.

Traduntur etiam præcepta de modo retinendæ pacis. Primùm, nemo alium iniuria afficiat. Deinde non satis est non incoare iniusta certamina, sed etiam modus sit in repellenda iniuria, ὡ τῷ ἀμύνεσθ, non sit repulsio atrocior quàm iniuria, sicut dicitur: Defensio non sit offensio. Si uerbis contenditur, & sunt atrocia crimina, moderatè respondeas uerbis, si non sunt atrocia crimina, sæpè est uirtus, dissimulare ea, & condonare communi tranquillitati, & refutare ea potius uitæ testimonijs, quàm recriminando, sicut Cicero inquit: Malè mecum agitur, si me oratio potius quàm uita mea purgat. Et Demosthenes inquit, se non responsurum esse de priuatis conuicijs, sed opponit uitam testem: si talem me esse scitis, qualem ipse describit, statim surgite tanquam me condemnato. Et Dauid inquit: Detrahebant mihi, Ego autem orabam.

Hæc moderatio pertinet ad has uirtutes, mansuetudinem, patientiam, pietatem debitam Ecclesiæ uel publicæ tranquillitati.

Plures peccant φιλονεικία.

Sed extrema sunt φιλονεικία, id est, cupiditas contentionis, & lenitas. Plures autem peccant φιλονεικίᾳ, id malum est multò pernicios̃ius.

φιλονεικία quid sit.

Est autem φιλονεικία, seu in mouendis certaminibus uel iniustas uel non necessarias contentiones accendere, aut superbia, aut ambitione, aut morositate naturæ, aut æmulatione, aut iracundia, aut superstitione, seu in respondendo neq; cedere, neq; aliquid lenire, sed acerbitate uelle uincere, & undiq; sumere materiam inflammandi odia, sicut inquit Lucanus: Et causas inuenit armis. Item: It uagus, atq; ignes animis flagrantibus addit. Tales multæ sunt Tribunitiæ naturæ, inquietæ & rixatrices, ut Romani multi Tribuni, & in Ecclesia multi Hæretici. Ac citatur dictum uetus in Stobæo, quo significat cupiditatem contentionis, causam esse ingentium calamitatum, τὰ μεγάλα κακὰ οὐκ ἄλλως, ἢ ἐκ φιλονεικίας συνίσταται.

Cùm igitur fugiendum sit hoc uicium, Salomon tradit admonitionem de modo.

modo. Mollis responsio frangit iram, id est, non solùm prior alium non afficias iniuria, sed etiam cùm respondes, lenire aliquid studeas. Ac multa sunt similia præcepta, quæ docent, cum iratis non contendendum esse, ut, Ignem gladio ne fodias. Et laudantur hi uersus Euripidis: δυοῖν λεγόντοιν πατὴρ θυμουμένου, ὁ μὴ ἀνιαρὸς τοῖς λόγοις σοφώτερος. *Non esse contendendum cũ iratis.*

Sed hîc contrà obijciunt aliqui, Increpa oportunè, importunè &c. & prætexitur zelus priuatis odijs, superbiæ, aut alijs affectibus. Sed sciant bonę mentes, in hoc genere regulas à Deo traditas sequendas esse. Doctores suo loco rectè doceant, & quidem necessaria, non serant inanes λογομαχίας, non litigent de παρέργοις aut rebus alienis à suo officio, auditores interrogati de doctrina respondeant, sicut Petrus inquit: Parati ad rationem reddendam omnibus qui interrogant, cum manſuetudine. *De dicto: Increpa oportunè, importunè.*

VICTIMA impiorum abominatio DOMINO, & precatio rectorum placet ei.

Sæpè repetita est hæc doctrina in Prophetis, de tribus generibus operum, de ceremonijs, de operibus moralibus, & de fide. Hæc concio est totius Psalmi 49. Non manducabo carnes taurorum &c. taxans abusum ceremoniarum. Et Hieremiæ 7. dicitur: Non præcepi uobis de holocaustis. Et Esaiæ ultimo dicitur: Mactans pecudem est uelut strangulans canem. Et Ecclesiast. 4. Melior est obedientia, quàm stultorum uictimæ, qui nesciunt quid faciant. Et Oseæ 6. Misericordiam uolo, non sacrificium, & agnitionem Dei magis quàm holocausta. Iohan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & ueritate, id est, uera agnitione iuxta uerbum Dei, & motibus cordis, timore, fide, spe. Hæc & similia dicta familiarissimè nota sint omnibus, & sciant iuniores, tres esse gradus operum seu cultuum. *Testimonia Prophetarũ de triplici genere operum.* *Tres sunt gradus operum seu cultuum.*

Primus, Ceremoniæ, id est, externa signa. Instituit enim Deus aliquas ceremonias propter duas causas, & ut sint signa promissionum, & ut sint nexui publicæ congregationis, quia Deus uult Ecclesiam non esse in latebris, sed conspici & discerni à cæteris gentibus, uoce & ceremonijs. *Ceremoniæ sunt primus gradus.*

Prudenter autem considerandum est, quomodo utendum sit ceremonijs, quia homines proni sunt ad falsos cultus, & præsertim ad abusum ceremoniarum.

Amissa enim noticia promissionum, & extincta luce fidei, flectunt oculos ad ceremonias, & has cogitant mereri remissionem peccatorum coram Deo, & esse iusticiam. Hæc persuasio in genere humano omnibus temporibus latissimè uagatur. Sic de suis sacrificijs Ethnici sentiebant, Sic in populo Israël magna pars sentiebat, Sic docebant Pharisæi, Sic Monachi de Missa, de uotis, & alijs ceremonijs docuerunt. *Amissa doctrina homines se se uertunt ad ceremonias.*

Hunc autem communem errorem acerrimè taxant Prophetæ, ut dictũ est de Psalmo 49. & alijs testimonijs. Imò & Ethnici reprehenderunt hanc superstitionem, quæ ceremonias seruat, sine bonis operibus moralibus, Vt, Plato dicit: Oportet colere Deum, non gestus arte simulantes, sed uerè honorantes uirtutem, οὐ σχήμασι τεχνάζοντας, ἀλλὰ ἀληθείᾳ τιμῶντας ἀρετήν. Sed hæc Ethnica reprehensio non sufficit. Etsi enim uerum est oportere in hominibus esse iusticiam bonam conscientiæ, tamen in Ecclesia scimus, non tantùm de Legali *Error de ceremonijs sæpè reprehensus à Prophetis.*

Operibus cere monialibus & moralibus oportet prælucere noticiam Mediatoris.

gali doctrina dicendum esse, sed etiam de Mediatore, de promissione gratiæ, & de fide. Oportet enim omnibus operibus moralibus & ceremonialibus prælucere noticiam Mediatoris & promissionis, & fiduciam Mediatoris, ut corda credant se recipi & exaudiri propter Mediatorem, quanquam indigni sumus, & hac fide ad Deum accedant, sicut inquit Dominus: Nemo uenit ad Patrem nisi per Filium. Item: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis.

Hanc fidem in inuocatione & in tota uita postulat Deus, & in petitione auxilij postulat spem & expectationem, iuxta dictum: Quia ueniens ueniet, & non tardabit &c. Item: Sacrificate sacrificium iusticiæ & sperate in Domino.

Bona opera moralia quomodo placeãt.

Postea placent bona opera Moralia hoc fine, non ut mereantur remissionem peccatorum, sed ut Deo obediamus, & alij discant doctrinã, & celebrent Deum, & non triumphet Diabolus in nobis aduersus Deum.

Ceremoniæ à Deo institutæ quomodo placeant.

Placent & ceremoniæ institutæ à Deo, factæ hoc fine, non ut mereantur remissionem, sed quia sunt signa, commonefacientia nos de promissione ut accendatur fides. Item: quia sunt signa confessionis. Item, quia sunt nerui congregationis. Hos ueros fines in Ecclesia intelligi oportet, & remoueri impias opiniones.

CAPVT XVI.

HOMINIS est præparare cor, sed à DEO est responsio linguæ.

SIMILE dictum sequitur mox in eodem capite: Cor hominis cogitat uiam suam, & Dominus confirmat gressum eius. Hæc dicta non tollunt libertatem uoluntatis humanæ, seu electionis, sed significant, esse aliquas electiones humanæ uoluntatis, cùm in non renatis, ut in Pompeio, tùm in renatis, ut in Iosua, Dauide &c. sed in his electionibus aliquando errare homines, ut cùm Iosias mouit bellum non necessarium aduersus regem Aegyptium, uoluntas eius habebat electionem, sed errantem, & successus non respondit.

Sunt aliquæ electiones humanæ uoluntatis in omnibus hominibus.

Aliud est electio, aliud successus.

Ac diligenter considerandum est, aliud esse Electionem in nobis, aliud successum. Vt autẽ sit felix Electio, necesse est accedere auxilium Dei duplici ter, uidelicet in iudicando, & postea in regendo euentus. Nisi enim iudicium regatur uerbo Dei, & luce diuina, multi errores accidunt, ut Iosias, Zedechias, Demosthenes, Pompeius, Cicero errant in eligendo bello, & sequuntur tetri euentus, quia non iuuantur à Deo. Interdum etiam cũm non errat mens iudicio, & tamen Deus non adiuuat agentes, propter alias causas, ut, in præsens aduersus Beniamin etiam euentus tristes sequuntur, quia Israëlitæ confidebant suis uiribus.

Ad felicem electionem necesse est accedere auxilium Dei dupliciter.

Sciamus ergo, causam felicium actionum esse, non solam humanam electionem & diligentiam, Ideo inquit Ieremias: Scio Domine, non est hominis uia eius, id est, homo sine auxilio diuino sæpẽ in consilijs errat, & non potest habere felices successus. Ideo scriptum est: Nisi DOMINVS ædificauerit domum &c. Item: Nemo potest sibi sumere quidquam, nisi sit ei datum ã Deo. Item: Sine me nihil potestis facere, id est, sine meo auxilio non potestis facere salutaria.

Hanc

Hanc noſtram imbecillitatem uult nos Deus agnoſcere,& ſimiliter uult regi nos ſuo uerbo in uocatione, & timere ipſum, ac fide petere auxilium diuinum, iuxta dictum: Commenda Deo uiam tuam,& ſpera in eum,& ipſe faciet. Item: Petite & accipietis. Item, Cùm neſcimus quid agendum ſit, ecce oculi noſtri ad te Domine diriguntur. *In agnitione noſtræ imbecillitatis Deus uult nos petere auxilium.*

Nota ſit igitur hæc Regula uitæ, quam hîc quoq; repetit: Commenda Deo opera tua, tunc confirmabuntur cogitationes tuæ, id eſt, fac mandata Dei iuxta uocationem, pete auxilium à Deo, tunc erunt felicia conſilia, tibi & populo. *Regula de operibus uocationis.*

Hæc doctrina ſæpè cogitanda eſt, ut curam in nobis excuſcitemus regendi uitam uerbo Dei,& petendi auxilium diuinum &c. Ad hunc uſum accommodentur hæc dicta, non ad Stoicas opiniones de neceſſitate. Non enim ſequitur: Zedechiæ non reſpondit euentus, Ergo Zedechias non liberè uoluit bellum. Imò quia uoluit, & uoluit ſine mandato, & ſine inuocatione Dei,ideo euentus non reſpondit. *Præcepta de petitione auxilij diuini nõ ſunt transferenda ad Stoicam neceſſitatem.*

OMNIA facit Deus propter ſeſe, etiam impium ad diem malum.

Superiores ſententiæ fuerunt præcepta de petendo auxilio Dei. Hoc dictum concionatur de prouidentia, de qua multæ triſtes dubitationes ſunt in mentibus hominum. Sunt autem duo genera rerum, uidelicet, Res bonæ, in quibus ordo conſpicitur, & res malæ, quæ ſunt ordinis deſtructio, ut, ſcelera & calamitates. *Dictum de prouidentia.* *Duo genera rerum, res bonæ & malæ.*

De rebus bonis utcunq; mouetur mens,ut cogitet eas non caſu ortas eſſe, aut caſu ſeruari, & tamen adſenſio turbatur. Ac multi Philoſophi diſputârunt, materiam cœli & terræ ſua quadam neceſſitate talem eſſe, & ſemper talem fuiſſe, & alia corpora gignere,nec liberè hæc à mente æterna fabricata eſſe, nec liberè conſeruari.

Ab his Cyclopicis furoribus retrahit nos hæc concio ad primum articulum fidei de creatione. Imõ, inquit, res non ſunt caſu tales, ſed uerè eſt Deus ſapiens & bonus, qui liberrimè condidit & ſeruat res bonas, uidelicet, ordinatas ab ipſo, cœlũ,terram,uices temporum, fœcunditatem terræ, generationem animantium in ſingulis ſpeciebus, ſocietatem generis humani, ordinem politicum,Eccleſiam,& in bonis mentibus ſingulorum ſua dona, ſapientiam & uirtutes, & multas liberationes inuocantium. *Res bonæ non ſunt caſu tales ſed ſunt à Deo*

Hæc omnia & facta ſunt, & fiunt à Deo liberrimè, & quidem ad hunc finem, ut ſint teſtimonia, quòd ſit Deus, & quòd ſit ſapiens & bonus conditor & ordinator. Ideo inquit: Propter ſeſe condidit Deus. *Bonæ res conditæ ſunt teſtimoniũ de Deo.*

Sed obiiciunt Epicurei multa inordinata: Cùm Deus uelit ordinem, unde ſunt mala, ſcelera & calamitates? Reſpondit Salomon de pœnis: Imò & pœnæ teſtimonia ſunt de prouidentia,ut uniuerſale eſt,Atrocia delicta puniri atrocibus pœnis,etiam in hac uita,iuxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et uniuerſaliter, Mors & omnes calamitates ſunt pœnæ peccati originalis & aliorum peccatorum,iuxta dictum Pauli: Per peccatum mors intrauit &c. Interea hoc uerum eſt,Deum nec uelle,nec efficere, nec approbare peccatum, ſed poſtquam propria libertate homines abuſi ſunt, conſpicitur iuſtitia Dei in hoc ordine, quòd per pœnam fit compenſatio. *Pœnæ ſunt à Deo & ſunt teſtimonium prouidentiæ.*

Ac Syntaxis in uerbo FACIT, obſeruanda eſt: Non enim dicit, facit impium,

Facit impium ad diem malum, id est, rapit eum ad pœnam.

impium, sed additur prædicatum, facit ad diem malum, id est, eum qui impius est, peccans non uolente Deo, rapit ad pœnam. Id quoq; prouidentiæ testimonium est, ut cùm dico, statuarius facit ex marmore figuram Alexandri, Hic statuarius non gignit marmor, sed figuræ fabricator est, ita Deus nequaquam est causa impietatis, sed ordine iusticiæ punit ac destruit impium.

Tota igitur hæc sententia commonefactio est de Prouidentia, & monet ut agnoscamus, Deum liberè facere & conseruare res bonas, & liberrimè punire, iuxta dicta Psal. 32. De cœlo respexit Dominus, uidit omnes filios hominum &c. Psal. 61. Tu reddis unicuiq; iuxta opera sua.

ABOMINATIO Domino est omnis superbus corde, nec erit impunitus, etiamsi erit manus ad manum.

Præceptum contra superbiam.

Citatur & Lucæ 16. hoc dictum: Quod sublimè est inter homines, abominatio est coram Deo. Et Siracides inquit: Omnis peccati initium est superbia. Hîc definitiones cogitentur suprà traditæ, & considerentur exempla contraria Ionathæ & Antonij Triumuiri. Et semper in conspectu sit dictum: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

MISERICORDIA & Veritate expiatur iniquitas, & timore DOMINI receditur à malo.

De discrimine cultuum.

Repetita est admonitio de discrimine cultuum, ut suprà in dicto: Victima impiorum abominatio. Et Oseæ 9. Scientiam Domini uolo, non holocausta, & misericordiam, non sacrificium. Eodem modo hîc ait, non esse homines iustos propter sacrificia, sed si habeant timorem Dei, misericordiam & ueritatem. Et est usitata summa doctrinæ: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

Timor Domini.

Timor Domini significat ueram conuersionem ad Deum, in qua est timor & fides, sicut alibi sæpè expressè dicitur de fide.

Phrasis usitata Ebræis est, de sincera & non fucosa dilectione erga homines, ut Ionathas facit Misericordiam & ueritatem cùm Dauide, id est, benefacit ei, & fideliter, sine simulatione, & constanter hoc facit. Sic infrà dicitur capite 20. Misericordia & ueritas custodiunt Regem, & fulcitur clementia solium eius, id est, Beneficentia & fidelitas sunt nerui imperij. Sed si hîc intelligitur ueritas erga Deum, significat ueram agnitionem Dei, quæ est fides.

DIVINATIO in labijs Regis, in iudicio non delinquet os eius. Pondus & statera iudicia Domini sunt, opus eius omnia pondera lancis.

Totus politicus ordo est opus sapientiæ diuinæ.

Hæc dicta affirmant, totum politicum ordinem, Magistratus, Leges, distinctionem dominiorum, contractus, iudicia, pœnas, esse opera ordinata Dei sapientia in genere humano. Et quanquam Diaboli & homines multis horribilibus furoribus turbant hunc ordinem, tamen ne funditus extinguatur genus humanum, aliquid politici ordinis reliquum manet. Id sciamus efficaciter à Deo conseruari, sicut & Daniel inquit: Deus transfert & stabilit regna. Deinde cùm cognoscimus ordinem politicum Dei opus esse, amemus eum, & tueri nostris officijs studeamus, & modestè propter Deum ei obediamus, & Deo conseruatori gratias agamus, & sciamus furores Diabolorum & hominum

hominum, qui turbant politicum ordinem, displicere Deo, sicut tota hæc doctrina longa concione ad Romanos 13. recitatur.

Sed quare dicit: *DIVINATIO IN LABIIS REGIS, IN IVDICIO NON ERRAT OS EIVS?* Coniungenda sunt hæc membra. Dictum loquitur de Rege & de Iudicijs, non de Tyranno & de Calumnijs. Regis uox est diuinatio, scilicet, cùm iudicat iuxta leges. Nominat igitur Diuinationem ipsas leges, & iudicia congruentia legibus, quia Leges sunt sapientia diuinitus monstrata, Nam fons omnium honestarum legum est Decalogus, qui est summa Legum naturalium. Et propter hanc causam primùm & principaliter præposuit Deus generi humano Magistratus, ut sonent uocem Decalogi, & sint exequutores in pœna. Deinde armauit Deus eos etiam hac potestate, condendi proprias leges, non pugnantes cum Decalogo, sed extructas ex ipso Decalogo seu demonstrationibus, seu probabili ratione.

Diuinatio sunt leges & iudicia legibus cõgruentia.

Has rationes ut uideant gubernatores, Deus aliquorum regum mentes mouet, & dat eis singulares motus, ut alij excellentes artifices habent singulares motus, quia Deus sic uult seruare genus humanum, regendis mentibus salutarium principum, & excellentium artificum, sicut dictum est: Vt oculi uideant, & aures audiant Deus facit utrunq;.

Deus gubernatoribus, excellentib. artificibus interdũ dat singulares motus.

Ita fuit singularis motus in Salomone, ratiocinante utra esset Mater.

Et recens Gonsagæ præsulis Mediolanensis iudicium fuit singulare exemplum. Cũm Hispanus præfectus oppidi sub eo, teneret uirum nobilem captiuum, & coniunx eius peteret liberationem captiui oblata magna pecunia, Hispanus petit stuprum, quod cũm obtinuisset, deinde reddit captiuum prius interfectum. Gonsaga postquam hoc resciuit, cœpit Hispanum, & coëgit eum ducere illam mulierem. Postquam duxit, deinde re iudicata Hispanum capitali supplicio affecit, & facultates Hispani mulieri attribuit.

Gonsaga præsul Mediolanensis.

CAPVT XVII.

QVI celat alienum delictum, acquirit amiciciam: Qui uerò palàm facit, distrahit Principes.
Increpatio prudentem magis perterrefacit, quàm centum plagæ stultum.
Tantùm discordias quærit malus, & nuncius crudelis occurret ei.
Melius est occurrere ursæ orbatæ catulis, quàm stulto in sua stulticia.

VICINAE sunt sententiæ, & pertinent omnes ad ordinem in iudicando, qui in dicto Christi comprehenditur: Si peccauerit in te frater tuus, argue eum inter te & ipsum. Pastores & alij, præsertim qui habent officium docendi, cũm sciunt errare aliquem, aut alioqui iniustè facere, primùm admoneant eum priuatim. Si ille non emendat se, postea fiat accusatio publica.

Præcepta de ordine in iudicando.

Sit autem in Monitore Veritas & Candor, non quærat calumnioſè quod reprehendat. Monitus sit docilis, non contumax. In neutro sit φιλονεικία, id est, cupiditas contentionis. Ita hoc loco præcepta dantur & monitori & monito.

In iudicando adhibeatur ueritas & candor.

Malus tantùm quærit rixas, id est, non quærit ueritatem & salutem Ec-

Naturæ rixatrices nõ quærunt ueritatẽ.

clesiæ, sed sine fine turbas, ut Cleon & Alcibiades Athenis subinde bellorum semina spargunt. Omnibus contradicebant Cynici, & Academici, & recens Valla, Cornelius Agrippa, Carolostadius, Oſiander, Stancarus, & multi habent tales rixatrices naturas. Hi non quærunt ueritatem, sed rectè dicta arte deprauant, aut petulanter mouent non necessaria certamina, nec moniti cedunt, sed rabiosius defendunt errores. De his dicit hoc loco Salomon: Satius est occurrere ursæ orbatæ Catulis, quãm stulto in stultitia sua, ut cùm fascinatus Papista defendit manifestos errores.

Damnantur calumniæ, cupiditas contentionum & pertinacia in erroribus.

Damnant igitur hæ sententiæ calumnias & cupiditatem contentionum, & pertinaciam in erroribus. Præcipiunt autem, seruari ordinem in admonitione, & iubent adhiberi ueritatem, candorem & ἐπιείκειαν, & monitos iubent esse dociles, iuxta dictum: Desinite malè facere. Item: Agite pœnitentiam & credite Euangelio. Ideo dicitur: Qui celat alienum delictum, acquirit amicitiam, id est, qui cum ordine monuit errantem, sanat eum, non tumultuatur publicè, seruat hominem, & alit publicam concordiam. Contrà uerò neglecto hoc ordine ex rixis oriuntur discordiæ Principum, bella & uastationes, sicut in uersu Empedoclis dicitur:

φοιτᾷ δὲ βροτολοιγὸς ἔρις κενεὸν λελακυῖα,

Vana sonans adfert sæuas discordia cædes.

Pœnæ rixosorum.

Pœnam etiam hîc rixosis monitoribus & monitis denunciant. Nuncius malus occurret ei, id est, qui calumnijs aut accendunt aut alunt discordias, tandem dabunt pœnas, quia Veritas etiamsi aliquandiu reprimitur, tamen tandem uincit. ἰσχυρὸν τὸ ἀλήθεια, ut inquit Demosthenes. Et Paulus iubet hæreticos post unam & alteram admonitionem uitari, & ait, peccant αὐτοκατάκριτοι, id est, quia conuicti in conscientia non uolunt uideri conuicti, iam suo testimonio seſe damnant.

Quomodo cõuinci possit homo in forensibus in Philosophia, & in doctrina Ecclesiæ.

Quærat autem aliquis, quomodo potest homo conuinci? Respondeo, In forensibus negocijs conuincitur homo legitimo iudicio et sententia iudicis. In Philosophia per normas communes, quæ nominantur κριτήρια, quæ tria sunt: Experientia uniuersalis, principia, & intellectus consequentiæ. In doctrina Ecclesiæ de Lege & de articulis fidei conuincitur homo per testimonia rectè citata ex Prophetis & Apostolis, & per Symbola. Non est enim ambigua doctrina Ecclesiæ de fundamento.

Mandatum diuinum est, ut in agnita ueritate acquiescamus.

Sciendum est autem, mandatum diuinum esse, ut agnita ueritate, in ea acquiescamus propter Deum, & Deo gratias agamus, quòd lucem suam monstrauit, & eam ad usum conferamus, ut præceptum est Zachariæ 8. Diligite ueritatem & pacem. Et non assentiens ueritati de Deo, uiolat primum & secundum præceptum Decalogi, Non habebis Deos alienos. Item: Non assumes nomen Domini Dei tui falsò. Et agnitæ ueritati de Deo aduersari, blasphemia est, de qua dicitur: Blasphemia Spiritus non remittetur. In alijs negocijs uiolatur præceptum: Non dicas falsum testimonium.

CAPVT XVIII.

IVSTVS initiò accusator est sui, postea inquirit in alium.

IN

IN omnibus hominibus in hac imbecillitate hi fontes sunt multorum peccatorum, φιλαυτία & superbia. Nobis placemus, & nos efferimus supra alios. Ideo nobis blandimur, & amamus κολακίας, & nostra uicia non cernimus, uolumus etiã alios uideri inferiores, ac de eis acerbẽ iudicamus, nobis parcimus & aliorum sumus censores & Momi. In nostris uicijs cæcutimus, in alienis sumus Lyncei. Foris sapimus, domi non sapimus. Hinc illa dicta sunt: Suum cuiq; pulcrum. Et ad Atticum inquit Cicero: Suam cuiq; sponsam, mihi meam. Suum cuiq; amorem, mihi meum. Non scite hoc &c. Hinc & Apologus est de duabus Manticis, de quibus Catullus inquit:

φιλαυτία & superbia fontes sunt multorum peccatorum.

Nimirum omnes fallimur, neq; est quisquam,
Quem non in aliqua re uidere Suffenum
Possis, suus cuiq; attributus est error.
Sed non uidemus Manticæ quod in tergo est.

Et Horatius.

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum uicijs tam cernis acutum?

Et Persius.

Vt nemo in sese tentat descendere, nemo:
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Item.

Tecum habita, & noris quàm sit tibi curta supellex.

Et in Euangelio seuerẽ taxatur Hypocrita, qui habens trabem in oculo, uult alteri festucam eximere.

Contra hanc φιλαυτίαν & peruersitatem Iudiciorum teneatur admonitio, quæ in hac sententia traditur: Iustus initiõ accusator est sui, id est, inquirit in sese, agnoscit suam infirmitatem, & suos lapsus, quia iustum est, incoare pœnam ã nobis ipsis, iuxta dictum: Turpẽ est doctori cũm culpa redarguit ipsum.

Iustus initiò est accusator sui.

Præterea & iusti habent aliquos næuos, iuxta dictum: Non est iustus in terra, qui quanquam benefacit, non etiam peccet. Sed quia sunt iusti, uera fatentur, nec defendunt suos errores aut lapsus, dolent, ac sese primùm puniunt, & emendant. Postea considerant, quando & quo ordine de alijs iudicare debeant, nec iudicant ex leuibus suspicionibus, sed ex ueris argumentis.

Iusti etiam habent aliquos næuos.

Ideo textus utitur uerbo, EXPLORABIT, inquiens: Probet unusquisq; suum opus, & sic habebit gloriam apud sese, non ex alio, id est, si rectẽ facit officium, habet tranquillam conscientiam, & non pendet ex applausu uulgi. Huc pertinent multa dicta: Metiri se quenq; suo modulo ac pede uerum est. Item: Qui sua metitur pondera ferre potest &c.

Interpres Græcus in Salomone usus est insigni uerbo. Iustus in πρωτολογία seipsum accusat. Est autem πρωτολογία forense uocabulum, uidelicet oratio accusatoris antequam reus auditur. Difficile est autem postea euellere ex animis opinionem primum conceptam, ut Demosthenes inquit. Iam cogita, quàm multi sint tales censores passim, qualis describit pictura Hypocritæ, qui habens trabem in oculo, alteri uult eximere festucam.

Vicia concurrentia in peruersitate iudiciorum.

Concurrunt autem multa uicia in hac peruersitate iudiciorum, φιλαυτία, superbia, πολυπραγμοσύνη, crudelitas, cùm sibi parcunt Hypocritæ, & in alios sæuitiam exercent &c. Agnoscamus autem singuli nostra uicia, & adficiamur misericordia erga sanabiles, & iuxta uocationem sanare eos studeamus, & simus memores dicti Nazianzeni:

εἰδὲ οἶδας ὄφλων καὶ πρόχρησον τὸ πρᾶον,
οἴκτῳ γὰρ οἶκτος, τῷ θεῷ σταθμίζεται.

INVENIENS vxorem inuenit bonum, Et hauriet voluptatem à DOMINO.

Coniugium felix est singulare Dei donum

Phrasis consideretur. INVENIRE significat feliciter ducere. Inueniens uxorem, id est, feliciter ducens, seu græcè εὐτυχῶς ἐντυχὼν. Significat igitur singulare Dei donum esse, felix, placidum, & pium coniugium, in quo mutuus est amor & coniuges concordes sunt Ecclesia, simul inuocantes Deum, iuxta uersum:

Inq́ Deo sit mens vna, sit vnus amor.

Ideo in sequenti capite dicitur: *VXOR PRVDENS A DOMINO.*

Deus custos est piorum coniugum.

Simul autem hęc dicta sunt illustria testimonia, quæ adfirmant, Deo placere coniugium. Et singulari Emphasi hîc dictum est: *HAVRIET VOLVPTATEM A DOMINO*, quasi dicat, Magna sunt uitæ pericula, & communes miseriæ multæ, in his tamen Deus erit custos talium coniugum, qui concordes ipsum inuocant, & lætantur in Deo, quia sciunt, se ei curæ esse. Tales fuerunt coniuges Zacharias & Elisabeth, & alij pij, quos Deus mirabiliter tunc protexit, cùm assiduè pessimarum gentium exercitus passim in Iudæa uagerentur. Cùm Lamyrus triginta millia Iudæorum occidit, & captiuos coëgit uesci cadaueribus interfectorum Iudæorum, tunc Zachariam, Elisabeth, Mariam, & eius parentes protexit Deus, sicut seruauit tres uiros in fornace Babylonica. In his exemplis cogitemus quid sit haurire uoluptatem à Domino.

Emphasis in uerbo hauriendi.

Vsus est autem uerbo insigni Hauriendi, alludens ad fontes & scaturigines, ut significet, multiplicem, efficacem & dulcem consolationem, & quasi recreationem.

Summa doctrinæ de coniugio.

Nota sit autem hîc tota doctrina de Castitate, & de Coniugio. Condidit Deus Marem & Fœminam, quia genus humanum uult esse Ecclesiam, Et certa lege coniunxit marem & fœminam, & metas circumdedit, ac prohibuit uagas libidines, ut sit in genere humano intellectus castitatis. Vult enim Deus intelligi, se mentem castam esse, & hac cogitatione discerni in inuocatione à naturis immundis. Necesse est enim nos cogitare, quid inuocemus. Et quia non amplectimur Deum brachijs, sed mente eum alloquimur, cogitandum est, qualis sit, & ubi se patefecerit. Dicimus igitur:

Formula precationis qua alloquendus est Deus.

Omnipotens Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terrę, angelorũ & hominum, unà cũ filio tuo Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu tuo sancto, sapiens, bone, uerax, iuste, misericors, Iudex, caste & liberrime, miserere nostri propter Iesum Christum filium tuum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, & iustifica nos propter eum, & per eum, & sanctifica nos Spiritu tuo sancto ueraci & casto &c.

Nota sit igitur & doctrina de castitate, & teneamus seuerissimas comminationes

nationes diuinas, quæ recitantur Leuitici 18. & 1. Corinth. 6. Scortatores, adulteri, homicidæ &c. non possidebunt regnum Dei. Et ad Ebræos: Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Et in conspectu sunt exempla pœnarum, ut in Leuitico expressè dicitur: Cananæos deletos esse propter confusiones libidinum. Nec dubium est, magnam partem calamitatum in toto genere humano pœnas esse libidinum. *Commonitiones libidinum.*

Simus igitur ardentiores in petenda Castitate à Deo, quia quò magis irascitur Deus inquinationi hominum, & Diabolus magis incendit homines, eò magis uult nos Deus custodire, petentes castitatem. Seruemus etiam regulam: Vitare peccata est uitare occasiones peccatorum. Item, Ambulate accuratè, non ut fatui. Item, Si actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis, &c.

CAPVT XIX.

NON decent stultum deliciæ. Nec seruum dominari Ducibus.

OMnes homines in hac imbecillitate naturæ in rebus secundis fiunt negligentiores, sicut usitatè dicitur: Luxuriant animi rebus plerunq; secundis. Item: Fortuna quem nimiùm fouet, stultum facit. Item: Sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere &c. Deniq; in multis scriptis hæc commonefactio repetita est, quia cùm non anguntur animi, minus inuocant Deum, & minus sunt intenti in rebus necessarijs agendis. Cùm autem natura non prorsus ociosa esse possit, & prona sit ad uoluptates & ad uicia, non occupati necessarijs curis ruunt ad praua, ut Cato ait: Homines nihil agendo mala agere discunt: Item: Ocia si tollas periêre Cupidinis arcus, Contemtæq; faces, & sine luce iacent. Item: Ocia securis insidiosa nocent. Dauid ociosus admittit & alit incendia amoris. *In rebus secundis homines fiunt negligentiores, & ex ocio ruunt in uicia.*

Ideò hîc dicitur: Deliciæ non decent fatuum, id est, non domiti, non cicurati antea, fiunt audaciores & peiores in rebus secundis, ut Roboam fit insolentior, factus rex in tanta tranquillitate. In Alexandro multa uicia post tot uictoriarum cursum crescunt.

Vniuersaliter igitur de disciplina præceptum est in Siracide cap: 33. Pabulum, uirga, & onus asino. Sic panis, disciplina & opus seruo, id est, homines non sint ocioſi, sed certo labore honesto occupati. Sed tamen modus sit, habeant pabulum, habeant aũt & inspectores, qui sint exactores operarum & ἐργοδιώκται, id est, urgentes operas, & puniant contumaces, ut alij metu pœnarum in officio contineantur. Hoc præceptum commonefactio est, & de suo cuiusq; corpore, & de œconomica gubernatione, & regula: Regna non sint tantùm carnificinæ populi, sed relinquant pabulum ciuibus, & curent ut sint occupati honestis laboribus, & puniant contumaces. *Ad disciplinam pertinet, ne homines sint ocioſi.* *Regna nõ sint carnificinæ populi.*

Nunc plerunq; negligitur disciplina, & immoderatis expilationibus exhauriuntur facultates ciuium, ut mediocres homines non habeant res uitæ necessarias, & sumtus ad educandam & instituendam sobolem. Sed uox diuina prædixit, in hac delira mundi senecta, imperia fore deformiora, & iubet nos à Deo petere mitigationem pœnarum publicarum et priuatarum, et mediocrem conseruationem honestæ societatis & Ecclesiæ. *Imperia ad extremum fore deformiora diuinitus prædictum est.*

Subsannatore percusso imperitus erit cautior.

Postquam mens hominum mersa est in peccatum, sequuta est destructio,

Peccatum causa mortis & calamitatum.

uidelicet Mors, quia humana natura desijt esse domicilium Dei, sicut antea fuerat, iuxta dictum: In ipso uita erat, id est, per Verbum habitans in homine uiuebat homo, excusso uerbo excussus est Deus rector & uiuificator, & sequuta est mors. Sed tamen quia propter Filium uoluit Deus colligere Ecclesiam æternam in genere humano, non mox deleti sunt primi Parentes, sed rursus uiuificati sunt, uerbo iterum habitante in eis, edita promissione.

Filius Dei in Ecclesia delet peccatum & uiuificat.

Cùm igitur sit genus humanum, & multa sint peccata, cumulantur & pœnæ, & innumerabiles calamitates mortem antecedunt.

Physici rectè causas immediatas quærũt in materia & uoluntatibus hominum.

Physici causam mortis & multarum calamitatum dicunt esse materiam, quæ sua natura, ut in pomis arefit aut putrescit. Dicunt item, aliquas miserias accersi erroribus, & uoluntatibus humanis.

Hæc de immediatis causis rectè dicuntur. Sed cur hominum materia nũc est talis? Vnde est in hominibus ignorantia, & uoluntatis prauitas?

Ecclesia monstrat principales causas calamitatum.

Hîc doctrina Ecclesiæ monstrat principales causas, scilicet peccatum. Postquam homo excusso uerbo Dei excussit Deum rectorem, sequuta sunt peccata, et ex originali postea innumerabilia actualia oriuntur. Est autem ordo iustitiæ in Deo, ut natura rea destruatur, sicut scriptum est: Deus est ignis consumens. Ideò pœnæ sequuntur. Sunt autem quatuor causæ pœnarum præcipuè considerandæ.

Quatuor causæ pœnarum.

Prima.

Prima est ordo iustitiæ in DEO, quia iustum est, ream naturam destrui.

Secunda.

Deinde accedunt finales causæ. Vult Deus agnosci discrimen honestorũ & turpium, uult se agnosci qualis sit, & uult intelligi, quòd sit iudex & uindex scelerum. Est igitur secunda causa pœnarum, ut pœnæ sint commonefactiones, quòd sit Deus & qualis sit, ut quia destruit Sodoma, scimus Deum castum esse, & amantem castitatis, & horribiliter irasci incestis libidinibus.

Tertia.

Tertia causa est utilitas, ut conseruetur genus humanum, quia non esset finis latrociniorum, si nullæ essent pœnæ.

Quarta.

Quarta causa est, ut exemplo alij commonefiant, & metu coërceantur, & aliqui ad Deum conuertantur, De hac causa hoc loco dicitur: Subsannatore percusso, imperitus erit cautior, ut Gabeonitæ deletis uicinis facti sunt cautiores, & petierunt pacem. Pœna Sisamnis facit cautiorem Otanem collocatum in sellam, in qua pellis paterna expansa erat, ut Herodotus narrat in Terpsichore.

Epicureus cõtemtus grauius punitur.

Nominatim uerò dicit, *PERCVTI SVBSANNATORES*, id est, atrociter delinquẽtes, qui cùm pœnæ differantur, Epicureo contemtu deriderit admonitiones, & fiunt furiosiores, ut pœna sit conspectior, ut dicitur:

Tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Altera pars dicti: Correctio apud prudentem auget scientiam, significat non omnes emendari exemplis castigationum, sed aliquos, non furiosos, qui audiunt admonitiones, & moniti obtemperant.

CAPVT XX.

AVREM audientem, & oculum videntem Deus facit vtrunq.

IN gubernatione felici hæc duo concurrere oportet: Bona consilia gubernantium,

nantium, & obedientiam populi. Et utrunq; dicit Salomon donum Dei esse. Vt, Ieremias erat bonus monitor, sed non habebat regem Zedechiam obtemperantem, Ideò Hierosolyma deleta est. Esaiæ obtemperabat Ezechias, ideò ciuitas seruata est. Hæc est principalis sententia huius dulcissimi dicti: Aurem audientem, & oculum uidentem Deus facit utrunq;.

Duo necessaria sunt in bona gubernatione, Bona consilia & obedientia.

Monet autem, non solùm sapientia humana regi politias & œconomias, sed petendum esse auxilium Dei et in dando consilio, & in flectendis uoluntatibus hominum ad obedientiam, & in regendis euentibus, sicut Ieremias inquit: Scio Domine quòd non est hominis uia eius. Item: Nisi Dominus ædificauerit domum. Item: Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet.

Diuino auxilio opus est in gubernatione.

Cæterùm & dictum Salomonis in genere accommodandum est ad omnes excellentes artifices, quorum mentes inueniunt & deprehendunt multa in artibus diuinitus, quæ alij non cernunt, sicut in Daniele dicitur: Deus dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus.

MALVM est, Malum est dicunt, cùm tenent. Sed postquam amiserunt laudant &c.

Quantum fieri potest morbos nostros consideremus, ut aliquo modo eos corrigamus. Omnes enim nascentes multa uicia nobiscum adferimus. Inter hæc est fastidium bonorum præsentium, quod oritur uel ex mobilitate & inconstantia animi, uel ex defatigatione, uel ex impatientia, cùm offensi aliquibus incommodis, mutationem appetimus. Hoc fastidium taxant multæ sententiæ:

Fastidium bonorum præsentium inter uicia quæ nascentes afferimus.

Optat Ephippia bos piger, optat arare caballus.

Et Apologus apud Aesopum extat, de Asino subinde mutante conditionem in deteriora. Et Sophoclis uersus sunt in Aiace: Stulti homines non agnoscunt bonum, dum in manibus est, priusquam amittunt, postea amissa desiderant.

Denique singuli in seipsis deprehendunt talia fastidia præsentis status, sicut & ille apud Terentium inquit: Nostri nosmet pœnitet. Et usitatissimum est, præsentia imperia ægrè ferre, & appetere alia, sicut apud Thucydidem dicitur: ἀεὶ τὸ παρὸν βαρύ.

Aduersus hanc instabilitatem animorum multa præcepta tradita sunt diuina de patientia. Vt, Humiliamini sub potenti manu Dei. Item: Non murmurate aduersus Deum.

Præcepta diuina de patientia.

Et philosophica de animi moderatione: στέργειν τὰ παρόντα. Item: Quod sis, esse uelis, nihilq; malis. Et uersus est Pythagoræ: ὧν ἂν μοῖραν ἔχῃς ταύτῃ ἔχε, μηδ' ἀγανάκτει.

Præcepta philosophica de moderatione animi.

Et Stigelius.

Sis Asinus, quemcunq; asinum fors aspera fecit,
Qui placidè sortem ferre scit, ille sapit.

Item: Sufficit diei afflictio sua.

Et Pindarus uenustissimè monet, cùm bonis mala admixta sint, bona excerpenda & fouenda esse, & arte lenienda mala.

ἐν πρὰ ἐσθλὸν πήματα
σὺν δ' ὀδαίοντι βροτοῖς
ἀθάνατοι. τὰ μὲν οὖν οὐ δάωνται

νήπιοι κόσμῳ φέρειν ἀλλ'
ἀγαθοὶ τὰ καλὰ ξέφωτες ἔξω.

Virtutes quas concurrere oportet, ut moderatè tolerentur præsentia.

Hanc artem in uita necessariam discamus. Iusticiæ est cum gratitudine amplecti præsentia bona. Deindè prudentiæ & Tolerantiæ est, quædam incommoda moderatè ferre, ne stultis mutationibus plus mali accersamus, ut monet Periander: μὴ κακῷ κακὸν ἰῶ.

Ad hanc doctrinam referatur & hæc sententia Salomonis, qua propriè taxat fastidia præsentium bonorum, & significat amissa rursus desiderari & requiri. Referatur autem hoc dictum ad locum communem de fastidio præsentium, & de patientia, quæ est, uelle obedire Deo in his oneribus ferendis, quæ iubet ferre, & simul petere & expectare auxilium à Deo, sicut Paulus hæc coniungit: Semper gaudete, semper gratias agite, semper orate.

HÆREDITAS ad quam properatur initiò, tandem benedictione carebit.

Præceptum de expectanda uocatione.

Præceptum est de expectanda uocatione. Absalon potuisset fieri rex, si expectasset mortem patris, sed quia ante tempus & sine uocatione rapit dominationem, rursus excutitur & opprimitur horribilibus pœnis. Filij Ephraim ante Moysen inuaserunt terram Cananæam, carnali fiducia diuinæ promissionis, quia stirpi Abrahę terra Canaan promissa erat: sed quia sine uocatione, persuasione humana mouent bellum, interficiuntur, & totum consilium inutile fuit, 1. Paralip. 7. Promissio enim dederat ius ad rem, nondum in re. Contrà uerò Dauid etsi scit sibi regnum promissum esse, tamen uiuo Saule nequaquam se nominat regem, nec illum ex regno excutit, nec eum interficit, cùm iustas causas haberet, quia Saul interfecerat Sacerdotes, & sæpè armatus quærebat illum, ut eum interficeret.

Discernamus igitur necessaria à non necessarijs, & nihil sine uocatione cogente moueamus.

RVINA est homini, sancta contumelia afficere, & postea uota facere.

Taxatur superstitio conantium ceremonijs humanis expiare impietatem et scelera.

In Latina scriptione & uersione mendę sunt, quæ prębuerunt occasionem alienis & commentitijs interpretationibus, & accommodationi ad uota Monastica. Cæterùm Salomonis sententia perspicua est. Taxat usitatissimam superstitionem maximæ partis hominum, qui polluti impietate, odio Euangelij & alijs sceleribus contra conscientiam, postea ceremonias aliquas anxiè obseruant, & propter has somniant se Deo placere, & se efferunt supra alios, ut Hispani adulteri & sicarij magna solicitudine spectant Missam, aut in ferijs certis publica flagellatione lacerant tergora.

Suprà autem de discriminibus cultuum dictum est, in sententia: Victimę impiorum abominatio, oratio autem rectorum placet Deo &c. Et Ecclesiastæ 4. dicitur: Melior est obedientia, quàm stultorum uictimæ, qui nescIunt quantum mali faciant.

CAPVT XXI.

NON est sapientia, non prudentia, non consilium contra Deum. Equus paratur ad diem belli, à Deo autem est victoria.

Regula

REGVLA necessaria est uitæ, facienda esse officia uocationis, & petendum esse auxilium Dei: Ita Deo iuuante labores fiunt utiles & salutares. Sed iniusta negocia, aut curiositate susceptа, aut quæcunq; negocia susceptа sine fiducia Dei & inuocatione, sunt infelicia, etiamsi magna calliditas adhibetur. *Negocia susceptа sine inuocatione Dei infelicia sunt.*

Semper igitur in conspectu sint præcepta de Vocatione. Vt, ad Thes. inquit Paulus: Ambitiosè hoc agite, ut propria faciatis. Item, ad Corinthios: Qua uocatione quisq; uocatus est, in ea ambulet. Et deinde præcepta de inuocatione Dei, & promissione auxilij, ut in Psalmo: Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Item ad Corinthios: Non erit inanis labor uester in Domino. Et Iohan. 15. Qui manet in me, & ego in eo, hîc fert fructum copiosum. *Præcepta de uocatione.*

Has consolationes opponamus difficultatibus, quæ languefaciunt animos, dubitantes utrum labor profuturus sit. Et fides & inuocatio exuscitanda est, & spe auxilij diuini labores sedulò faciendi sunt, & sciendum est, Deum uelle exerceri fidem, inuocationem & spem in his ærumnis graduum uitæ, ut Psalmus inquit: Subditus esto Deo, & ora eum &c. *Testimonijs de uocatione exuscitanda est fides & inuocatio.*

Sciamus etiam taxari fiduciam nostrarum uirium, πολυπραγμοσύνην & κακοζηλίαν &c. Iuxta has sententias: Non est sapientia, non prudentia, non consilium contra Dominum. Item: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum â Deo. Item, Nisi Dominus ędificauerit domum, in uanum laborant, qui ædificant eam.

CAPVT XXII.

MELIVS est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.

RECTE dicitur: Bona conscientia mihi propter Deum opus est, bona fama propter proximum. Et sciendum est, Bonam famam esse rem bonam, id est, approbationem ordinatam â Deo, & appetendam esse, quia Deus uult publicis testimonijs ostendi discrimen inter recta & non recta, & uult rectè facientes approbari & seruari, & non rectè facientes uituperari & deleri. Hæc testimonia uult conspici, ut discamus legem, & cogitemus esse Deum, & qualis sit, & quòd sit uindex scelerum. *Bona fama est res bona.*

Est igitur bona fama testimonium diuinitus ordinatum, multorum rectè iudicantium, approbantium recta, & rectè facientium, quo testimonio muniti sint rectè facientes, & eis honestus locus in communi societate tribuatur, ut alij homines doceantur & inuitentur ad recta. *Bona fama quid sit.*

Cùm igitur bona fama sit approbatio diuinitus ordinata, & multipliciter sit utilis uitæ, manifestum est, eam rem bonam & appetendam esse. Ideo & Siracides cap. 41. inquit: Cura sit tibi de bono nomine. Durabilius est enim quàm magni thesauri. Causæ autem considerentur. *Causa cur bona fama sit res bona & appetenda.*

I. Primùm quia Deus uult nos honestorum hominũ iudicia intueri, ut Siracides cap. 6. inquit: In cœtu seniorum consistito, & si quis est sapiens ei adhæreto. Arrogantia & impudentia est, nolle intueri sanorum iudicia.

II. Deinde uult etiam honesta exempla alijs præberi. Ideo 1. Cor. 10. dicitur: Omnia ad gloriam Dei facite, & non offendite Ecclesiam. Et ad Philip. 4. Hæc curate quæ sunt uera, grauia, iusta, casta, amicabilia, laudabilia, uirtutem & laudem.

Primùm

Primùm flagitatur VERITAS, quæ est ueræ doctrinæ conseruatio, & in alijs honestis negocijs seruare dicta & pacta. Est autem uirtus primæ tabulæ, ueræ doctrinæ conseruatio.

GRAVITAS est constantia in sermone & gestibus honestis personæ conueniens, & est pars Modestiæ.

IVSTICIA PARTICVLARIS est, neminem iniuria afficere.

CASTITAS est uitare prohibitas libidines.

AMICABILIA nominat Beneficentiam & Επιείκειαν, sine qua non potest retineri concordia.

LAVDABILIA nominat uirtutem, quæ est diligentia uitandi scãdala, quæ nominatur φιλοδοξία, honesta appetitio honoris seu bonæ famæ.

Postea expressè nominat Paulus VIRTVTEM & LAVDEM, ut significet, rectè factis, non inani ostẽtatione bonam famam parandam esse.

Sic & Romanos 14. inquit: Qui in his seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus, ubi etiam uult, nos iudicia honestorum hominum intueri & uereri. Hæc qui non intuentur sunt arrogantes & impudentes. Ideo rectè dictum est in Tragœdia Senecæ: Leuis est, nec illum stimulat gloriæ decus.

Qui intuentur iudicia honestorum hominum non sunt arrogantes.

Meminerint iuniores & congruentes sententias in alijs scriptis, ut in uersu Publij: Honestus rumor alterum patrimonium est. Et Plautus: Honestam famam si seruasso, sat ero diues. Et Hesiodus præcipit uitare malam famam, & addit, communem famam non prorsus inanem esse.

φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα πολλοὶ
λαοὶ φημίζωσι, θεὸς νύ τις ἔστι καὶ αὐτή.

DIVES & pauper simul sunt, & Deus facit vtrunq.

Deus testimonia prouidentiæ proposuit in operibus ordinarijs & extraordinarijs.

Res secundæ iniustorum & calamitates iustorum turbant assensionem de Prouidentia Dei, & alij alias causas euentuum quærunt, & multi ad Physicas causas & fata decurrunt. Sciendum est igitur, Deum proposuisse testimonia Prouidentiæ in operibus ordinarijs & extraordinarijs, & in expresso uerbo suo.

Ordinaria opera.

ORDINARIA opera ostendunt præsentiam Dei, ut hic ipse pulcerrimus ordo corporum mundi, uices Hyemis & Aestatis, fœcundatio annua terræ, conseruatio societatis humanæ, pœnæ homicidarum, lex & iudicium conscientiæ in singulis, generatio & prima nutricatio sobolis &c.

Extraordinaria opera.

Deinde EXTRAORDINARIA opera magis incurrunt in oculos, ut omnia miracula, eductio populi ex Aegypto, resuscitatio mortuorum, & alia.

Testimonia ostendentia non casu accidere res secundas uel aduersas, sed diuino consilio.

Et cùm hæc facta testentur, uera esse dicta diuina, sint in conspectu multæ sententiæ, quæ affirmant, non casu res secundas & aduersas accidere, sed regi hæc quoq; consilio Dei. Hæc fides luceat in cordibus, & petat & expectet bonos euentus à Deo.

Sic Ieremias inquit in Threnis: Quis est iste, qui dicit, Ex ore DOMINI non egredientur bona & mala.

Et Zophoniæ 1. Scrutabor Hierusalem lucernis, & uisitabo uiros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet Dominus benè & non faciet malè.

Item Psalmo 32. De cœlo respicit Dominus, uidet omnes filios hominũ.

Item

Item Matthæi 10. Vnus de iſtis paſſeribus non cadet ſuper terram, ſine uoluntate Patris mei.

Item: Omnes capilli capitis ueſtri numerati ſunt. His & ſimilibus teſtimonijs confirmemus nos contra Epicureos furores. Intueamur & mandata Dei de petendis corporalibus ab ipſo, & promiſſiones, quæ etiam ſunt teſtimonia prouidentiæ.

De uoluntate Dei iudicandũ eſt ex ipſius uerbo.

Deinde hoc ſciamus, de uoluntate Dei iudicandum eſſe ex ipſius Verbo, ſicut dicitur: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Neceſſe eſt igitur obtemperare uerbo Dei, etiamſi iuſti ſæpẽ duriter affliguntur, quia certæ cauſæ ſunt, quare Deus Eccleſiam uult ſubiectam eſſe cruci. Et nota ſit ſententia: Multæ tribulationes iuſtorum, ſed ex omnibus illis liberauit eos Deus.

Quanquam igitur Lazarus eſt pauper, tamen non propterea abijciat aſſenſionem de prouidentia, ſed iudicet ex uerbo Dei, quod affirmat eſſe prouidentiam, & ſequuturam eſſe liberationem. Hęc in uerbo expreſſẽ tradita ſunt. Quare autem ipſe ſit pauper, & non habeat imperium Tyberij, non eſt ſcrutandum. Sed tenenda eſt regula Siracidæ capite 3. Quæ mandata ſunt tibi hæc cogita ſanctẽ. Non enim neceſſe eſt, te occulta aſpicere oculis. Ita diſcernatur inter reuelata & non reuelata, & in ſua uocatione quiſq; Deo obediat.

In ſua quiſq; uocatione Deo obediat.

Hæc in ſumma docet & hoc dictum: *DIVES ET PAVPER SIMVL SVNT, ET DEVS FACIT VTRVNQVE*, id eſt, Scito eſſe prouidentiam, nec caſu alios Diuites, alios pauperes eſſe, ſed Dei conſilio, & ſuo quiſq; loco rectẽ ſeruiat, iuxta dictum: Qua uocatione quiſq; uocatus eſt, in ea ambulet. Pauper non fremat aduerſus Deum, ſed obediat huic dicto: Humiliamini ſub potenti manu Dei, & hanc conſolationem teneat. Beati pauperes ſpiritu, quia talium eſt regnum cœlorum. Item Prouerbiorum. 17. Qui deſpicit pauperem, exprobrat factori eius. Et Prouerb. 15. Melius eſt parum cum timore Dei, quãm theſauri magni cum tumultu. Item: Sufficit diei afflictio ſua. Item: Orate ſine ira & ſine hæſitatione.

NON transferas limites antiquos, quos ſtatuerunt patres tui.

Sententia de non transferẽdo limite ad ſeptimum præceptum pertinet.

Ad præceptum, Non furaberis, pertinet & hæc prohibitio, ne limites effodiantur, ac conturbentur fines, ſicut expreſſẽ dictum eſt, Deute. 19. Non transferas terminos &c. Et cap. 27. Maledictus qui transfert terminos proximi ſui. Et in ff. tit. de termino moto, leges ſunt Iulij, Neruæ & Adriani de pœnis eorum, qui limites effodiunt.

Non temere mutandæ ſunt ueteres leges.

Nec præceptum obſcurum eſt, ſed citatur allegoricẽ, de non mutandis legibus, quas Vetuſtas graui autoritate tradidit, ſi non ſit euidens neceſſitas. Nam inter præcepta uitæ politicæ hoc quoq; ſæpẽ repetitum eſt, non temerẽ mutandas eſſe ueteres leges, ut & uerſus monet: Moribus antiquis res ſtat Romana uirisq;.

Demoſthenes in oratione contra Timocratem de Locrenſibus.

Ac nota ſit omnibus narratio quæ extat apud Demoſthenem in oratione contra Timocratem de Locrenſibus, apud quos lex fuit, Vt ſi quis nouam legem laturus eſſet, ſuaderet eam publicè collo inſerto in laqueum, ut ſi non placuiſſet lex, ciues mox ſtrangularent ſuaſorem.

Verba Demoſthenis hæc ſunt. Volo iudices Locrenſe exemplum uobis narrare. Non enim deteriores eritis audito exemplo, præſertim eius ciuitatis, quæ honeſtis legibus gubernatur. Illi adeo ſentiunt ueteres leges retinendas eſſe,

das esse, & patria instituta munienda & conseruanda esse, nec ferendas esse nouas leges ad cupiditates ullorum, aut ad eludendas actiones iniuriarum, ut si quis uelit nouam legem ferre, cogatur eam suadere collo inserto in laqueū. Quod si populus iudicat, legem honestam & utilem esse, discedit suasor uiuus & incolumis. Sin autem non placet, suasor statim interficitur constricto laqueo. Ideo non audent ferre nouas leges. Veteribus autē magna cura & seueritate utuntur. Ac ualdē multis annis tantūm una lex noua lata est. Cūm enim ibi lex esset, ut effodienti oculum uicissim oculus effoderetur, nec multa pecuniaria puniretur: Quidam autem habens duos oculos inimico unoculo minatus est, se ei oculum quem habebat unicum effossurum esse, hic unoculus metuens calamitatem suam ausus est nouam legem suadere, Vt si quis habens geminos effoderet oculum habenti unicum, puniretur effosso utroq; oculo, ut æqualis esset utriusq; calamitas. Hanc solam dicunt nouam legem conditam esse intra annos plures 200. Hæc sunt uerba Demosthenis.

Talis seueritas si nunc esset, non haberemus tot nouos Dogmatistas & Lycurgos de cereis & nolis, & similibus rebus, quarum mutatio prorsus non necessaria est, & nullam adfert utilitatem.

A liqua incommoda consuetudini condonanda sunt ne Respub. euertantur.

Ac iubent uiri politici aliqua parua incommoda condonare consuetudini, ne mota Republica, uelut ægro corpore, maiora mala accidant. Quia uidemus non falsō dictum esse ā Xenophonte: ὥσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν δηνατηφόροι, id est, omnes mutationes Rerumpublicarum adferunt cædes. Ideo & hoc dictum sæpē repetitur: Malum benē conditum non est mouendum.

Regula de non mutandis ueteribus legibus exceptionem habet in doctrina impia & impijs legibus.

Sed hīc necesse est addi hanc correctionem. Cūm doctrina est impia, & leges stabiliunt impias opiniones & idola, necesse est anteferri regulas: Si quis aliud Euangelium docet anathema sit. Item: Oportet Deo magis obedire quām hominibus. Item: Blasphemia non remittetur neq; in hoc neq; futuro seculo. Et cūm sit necessaria emendatio, non transferuntur limites patrum, sed restituuntur. Quia doctrina primis patribus ā Deo tradita restituitur, sicut dictum est ā Tertulliano: Primūm quodq; uerissimum est. Sed diligenter inquirenda est uera antiquitas, & magna est confirmatio fidei, cognita serie temporum Ecclesiæ eligere testimonia eorum, qui fundamentum retinuerunt.

CAPVT XXIII.

CVM sedes Vt comedas cum potente, sis cautus, & pone cultrum in gutture tuo, & serues uitam tuam &c.

Cautio adhibenda in loquendo apud potentes.

AVLICA admonitio est. Cūm periculosæ sint familiaritates potentum, sis cautus & circumspectus in loquendo, tanquam gladium gutturi admouens, ne quid temerē dicas, quod tibi exitium adfert. Vt Alexander Clitum liberius contradicentem in conuiuio interfecit. Extant similes admonitiones multæ de aulicis periculis.

Horatius inquit:

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit. &c.

Et longa est Ouidij elegia.

Viue tibi, quantumq; potes præclustria Vita,
Sæuum præclustri fulmen ab arce Venit.

Nam

Nam quamuis soli possunt prodesse potentes,
Non prosunt, potius plurimum obesse solent &c.

Et Aesopus dixit Soloni eunti ad Crœsum. Cùm Rege loquendum, ἢ ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα, aut quàm parcissima, aut quàm dulcissima. *Æsopus ad Solonem.*

Necesse est esse gubernatores & ministros, & Deus hunc gradum sic ornauit, ut tribuerit ei societatem sui nominis. Ego dixi Dñi estis, id est, habentes officium diuinum. Et uocati ad officia sint fideles, prudentes & modesti. Sed dolendum est, ꝙ in hoc summo fastigio pauci rectè faciunt officium, & plurimi sunt uel ignaui, uel crudeles. Ac mirũ est, in illa sede Dei tã horribiliter grassari Diabolum, ut ostendunt exempla omnium ętatum. Et quia multi potentia abutuntur, attrahunt tragicas pœnas. Sunt igitur multæ querelæ de inconstantia fortunæ in aulis. Versus Senecæ hi sunt in Agamemnone: *Gubernatores ut sunt diuinitus ornati præ cæteris, ita magis expositi sunt insidijs diaboli quàm cæteri.*

Non sic Lybicis Syrtibus æquor
Furit alternos voluere fluctus,
Non Euxini turget ab imis
Commota vadis vnda, ninali
Vicina polo, vbi cæruleis
Immunis aquis lucida versat
Plaustra Bootes:
Vt præcipites Regum casus
Fortuna rotat.

Quanquãm autem multum est periculorum in aulis, tamen communia mala sunt in hominum naturis Ambitio & Fastus. Ambitio appetit celsa, sicut Seneca inquit, hominum animos sursum tendere, quia sint ignei. Fastus in his qui habent potentiã, est abuti loco, & sibi iniustam licentiam sumere, quam postea sequuntur pœnæ. Salomon igitur ut reprimat Ambitionem & fastum, tradit admonitionem, qua præcipit Modestiam & circumspectionem. *Communia uitia in aulis sũt fastus & ambitio.*

Sint autem notæ regulæ. Petere officia ad quæ mediocriter idonei sumus, iustum est. Sed petitio nostra non impediat iudicia eligentium, non pugnet iniustis modis. Ac talis petitio est indicare sese, & ostendere piam uoluntatem, & offerre sese ad societatem difficilimorum laborum & ingentium periculorum. De tali petitione dictum est: Qui Episcopatum desiderat, honestum opus desiderat. Item, Hilarem datorem diligit Deus. Item, Paulus ad Titum iubet discere honestas artes, ut possimus esse usui in gubernatione. *Petitio officij ad quæ quis mediocriter idoneus est, iusta est.*

Sed uicios̃a ambitio est, ita petere, ut cupias impedire iudicia eligentium, & pugnare iniustis modis, aut postea extra uocationum metas erumpere. Contra hanc ambitionem dicitur: Qui se exaltat humiliabitur. Item, Abominatio est coram Deo omnis superbus corde. *Vicios̃a ambitio quid sit.*

Est & uicios̃a ambitio, quæ nominatur ἀκκισμὸς, illorum, qui cũm sint ambitiosissimi, tamen uolunt uideri defugere id, quod maximè appetunt. Tales nominat Aristoteles ϛαυκοπαν̃ργους, id est, fictè fastidientes. *ἀκκισμὸς.* *ϛαυκοπαν̃ργοι.*

Præterea qui sunt euecti deinde plerunꝙ abutuntur potestate ad priuatas cupiditates, sicut Dauid in regno sibi indulsit, & multò magis alij. Hîc simus memores dicti Syracidæ, capite 3. Quò maior es, tantò magis te humilia, sic inuenies gratiam coram Deo. Notum sit etiam Plutarchi dictum: Princeps imitetur solem, qui cùm in summum fastigium uenit in parte Boreali tardior

est,ut sit securior: μιμνήσθητι τὸν ἥλιον τοῦ ἄρχοντος, ὅς ὅταν ὕψωμα λάβῃ μέγιστον, ἐξαρθεὶς ἐν τοῖς βορείοις, ἐλάχιστα κινεῖται, ἵνα σχολαιοτέρῳ τὸν δρόμον εἰς ἀσφαλὲς καθιστάμενος.

NON angaris animo, vt fias Diues, prudentiam tuam omittito.

Prohibetur auaricia, non sedulitas aut labor.

Antea de Superbia concionatus est. Hîc concionatur de Auaricia. Nequaquam autem prohibet hæc sententia sedulitatem & laborem iuxta uocationem, neq; diligentiam in uocatione. Sæpissimè enim expressè præcipitur de diligentia & labore, ut suprà formicæ exemplum proponitur. Et in Ecclesiaste capite nono. Item, Qui præsunt sint diligentes. Item, Diligentia non ignaui &c.

Et 1. Cor 4. Hoc requiritur, ut fideles simus. Huc & parabola pertinet de Talentis, Matth. 25.

Labores felices sunt auxilio diuino.

Sciamus autem, labores ita felices fore, cùm accedit auxilium Dei, iuxta dictum Psalmi: Nisi Dominus ædificauerit domum &c. Vult igitur coniungi inuocationem Dei & nostram diligentiam in laboribus uocationum, iuxta dictum: Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Prohibet autem πολυπραγμοσύνην & iniusta aucupia, quæ homo quærit, quia Deo diffidit, & hac diffidentia cruciatur. Hanc diffidentiam taxat, non diligentiam in mandato labore. Dicit igitur hîc Salomon, humana consilia uidelicet extra uocationem suscepta & iniusta, irrita esse, & fugere diuitias ceu Aquilas auolantes. Reuocat igitur nos ad metas uocationis, & ad petendum auxilium Dei, & ad diligentiam ac prudentiam diuinitus præceptam.

NE cum inuido comedas panem, neq; concupiscas cibos eius, quia in anima eius tanquàm spectrum est &c.

Fugiendos esse inuidos.

Suprà dixit, periculosas esse familiaritates potentum seu aulicas, deinde monuit, ne extra uocationem appetamus potentiam & opes. Nunc monet, fugiendos esse inuidos.

Inuidi qui sint

Sunt autem inuidi, qui dolent, alios bonos seu mediocres aliquo dono seu uirtute, seu alijs bonis rebus antecellere. Cain dolet, fratrem antecellere hac magna gloria, quòd Deus eum hoc publico testimonio ornauit. Hic dolor causa est horribilium malorum in uita, ut ostendunt exempla Cain, Esau, Saul, Marij, Pompeij, & similia innumerabilia.

Superbia fons inuidentiæ.

Est autem fons Inuidentiæ Superbia. Quia enim omnes homines uolunt eminere, & sunt φιλαρχικοὶ, sicut Diabolus Euam alloquitur: Eritis sicut Dij. Et Seneca inquit: Humanos animos igneos esse, ac ideò sursum tendere: Dolent homines, cùm uident alios antecellere, ac præcipuè cùm hoc accedit, ut ipsi dejiciantur. Ideò scriptum est in Siracide: Superbia initium est omnis peccati. Et adeò communia mala sunt superbia & inuidentia, ut dictum sit in Græco uersu, omnia honesta semper comitari inuidiam: ἀεὶ τὰ σεμνὰ πάντα ἕπεται φθόνος. Et Cicero inquit, Labes atq; macula huius seculi est, inuidere uirtuti.

Inuidentia iniusta est, quia nec Deo nec hominibus tribuit debitum.

Ideò autem hic dolor iniustus est, quia nec Deo nec hominibus tribuit debitum. Vt, Cain non agit gratias Deo edenti testimonium de sua præsentia, & de collectione Ecclesiæ. Nec uult fratrem habere dona à Deo data, & postea furens tollere eum conatur. Sic & Saul non agit Deo gratias pro multis beneficijs, quòd per Dauidem & testimonia dat Ecclesiæ, & tribuit multas uictorias suo regno. Nec uult Dauidem habere illa dona à Deo tradita, incenditur indignatione, & insidiatur eius uitæ.

Vicinum

Vicinum est uicium ἐπιχαιρεκακία, id est, lætitia in calamitate iustorum seu tolerabilium, ut Diabolus manifestissimē est ἐπιχαιρέκακος. Hæc uicia hoc loco damnantur, & traduntur admonitiones de fugienda societate inuidorum & suspicacium. Item de uera beneuolentia cordis in omnibus officijs præstanda.

ἐπιχαιρεκακία uicinia est inuidentiæ.

Vt cæterarum uirtutum initia sunt ā iudicio, uoluntate & corde: Ita & beneficentia debet ex ijsdem fontibus oriri. Ideo scriptum est: Hilarem datorem diligit Deus. Et dulcissimum est Græcum dictum, χαρίτων δέπε θυμὸς ἄριστος. Animus in beneficijs est optimus. Et apud Senecam legitur dictum Fabij, qui inquit: Beneficium superbē datum ab homine duro, simile est pani lapidoso.

Beneficentiæ initia sunt à iudicio, uoluntate & corde.

Sit igitur in dandis beneficijs uoluntas benefica, cupida iuuandi, fauens alienæ saluti. Et cūm talis est, si luceant in pectore agnitio Dei, fides, amor communis salutis, & uoluntas referens ad gloriam Dei hæc officia, fit hæc uirtus cultus Dei.

Beneficentia quomodo fiat cultus Dei.

Contrā uerò in homine inuido, maleuolo & suspicaci, magna confusio est pessimorum affectuum. Ideò hîc dicit, *IN TALI CORDE SPECTRVM ESSE.* Et quidem reipsa tale cor cloaca est Diaboli. Ideò scriptum est in Iohanne: Qui non diligit fratrem homicida est.

Cor inuidum & suspicax cloaca diaboli est.

Et manifestissimum est, multum calamitatum ā talibus oriri, cūm maleuolentia indulget suspicionibus, & falsa ratiocinatur, & ut se muniat, alios delere conatur, de quibus malè suspicatur. Et singularis felicitas est tales cauere, ut hîc dicit: Ne comedas cum inuido panem tuum. Et sit mediocris diligentia in considerandis hominum uoluntatibus, sicut Christus inquit: Estote simplices sicut columbæ, id est, sine maleuolentia, & prudentes sicut serpentes, qui caput tuentur, & inter multos in turba agnoscunt hostem suum, & illum petunt, cæteris omissis.

Maleuolentia indulgens suspicionib. causa est multorū malorum.

CAPVT XXIIII.

LIBERA eos qui trahuntur ad mortem, & qui properant ad necem, cùm potes.

NOta sunt hæc præcepta: Non occidas &c. Non communices alienis peccatis. Deus & Magistratui & priuatis præcipit, non occidere innocentem. Præcipit etiam non adiuuare iniustam crudelitatem. Quandō autem & quo ordine Magistratus tollere debeat fontes, addita est Decalogo explicatio, ut Deuter. 19. & alibi. Sit autem Magistratus custos uitæ innocentum, sicut scriptum est Rom. 13. Dei minister est, uindex ad pœnam ei, qui malē facit. Et priuati homines sine seditione, quantum possunt pro uocatione, aduersentur iniustæ sæuitiæ.

De non occidendo innocente præceptum est magistratui & priuatis.

Eius rei exempla recitantur digna consideratione. Ionathas aduersatur patri suo, & non solūm testimonio, sed etiam alijs officijs iuuat Dauidem, sine seditione. Abdias clām pauit Prophetas, pulsos à Iesabel. Ieremiam Eunuchus extrahit ex carcere. Aegyptiæ obstetrices seruant infantes Israëliticos. Rahab seruat exploratores Israëliticos. Tempore Diocletiani uir nobilis in urbe Bithyniæ Nicomedia, edictum Imperatoris de interficiendis Christianis publicē concerpsit, ut ostenderet, se iniustam crudelitatem improbare.

Exempla priuatorum qui rectè aduersati sunt iniustæ sæuitiæ, sed sine seditione.

Exemplo Doëg multi hoc tempore iniustam sæuitiam confirmant.

Contrarium exemplum est Doëg, qui furori Saul morem gerens, crudeliter interfecit innocentes Sacerdotes. Ita multi hoc tempore iniustam sæuitiam, quæ exercetur aduersus nostras Ecclesias, confirmant aut palàm, aut suo silentio. Hi cogitent hoc dictum Salomonis & similia, & commonefacti tristissima comminatione Christi emendent se. Scriptum est enim Matthæi 23. Veniet super eos omnis sanguis iustus effusus super terram inde usq; à nece Abel iusti, usq; ad Zachariam.

Vox Traiani ad Magistrum equitum.

Digna memoria est etiam honestissima uox Traiani, qui dans gladium Magistro equitum: Hunc, inquit, gladium tibi trado, ut eo pro me utaris, cùm iusta facio: Contra me uerò utaris, si iniusta facio.

NE INSIDIERIS impiè habitaculo iusti, Septies enim cadit iustus et resurgit &c.

Prohibentur ἐπιχαιρεκακία & σαρκασμοὶ.

Repetit præceptum: Non occidas, addita commonefactione de ἐπιχαιρεκακία & σαρκασμῷ. Cùm enim uident impij & sæui homines calamitates piorum, hac ipsa deformitate eorum lætantur, & fiunt rabiosiores, sicut Semei maledicit Dauidi. Cùm enim inquit: *SEPTIES IN DIE CADIT*, præcipuè de malo pœnæ, id est, de calamitatibus, loquitur. Et tamen accedunt interdum etiam mala culpæ, quæ attrahunt calamitates. Ex his tamen emergit iustus, sicut Dauid, Manasse, & alij innumerabiles.

TIME DOMINVM fili, & Regem, & cum seditiosis ne commiscearis: QVIA SVBITO veniet exitium eorum, & ruinam seditiosorum quis nouit.

De obedientia erga Deum et Magistratum.

Est & hæc sententia inter præcipuas huius libri obseruanda, quæ præcipit obedientiam, & quidem ordinat eam. Primùm iubet Deo obedire, & deinde Regi, quia primum officium est, etiam politici gubernatoris, ut ipse sit uox Decalogi, & puniat uiolantes Decalogum. Ac propter hanc causam præcipuam Deus subiecit multitudinem Magistratibus, quia uult exaudiri & intelligi suam legem, ut ipse agnoscatur. Altera causa deinde est, Ne societas generis humani infinitis tumultibus dissipetur. Sanxit autem Deus, ut propter ipsum obediamus, & sciamus eum punire contumaces. Circumdedit etiam metas potestati, ne præcipiat contraria mandatis diuinis. Ideò prius hîc dicitur: Time Deum. Quare & Apostolorum regula hîc comprehenditur; Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.

Præcipit uitare seditiosos.

Cogitanda est autem hoc loco integra doctrina de causis politici ordinis, & de Magistratibus, quæ Roman. 13. & alibi copiosius recitata est. Nominatim autem hîc præcipit, *VITARE SEDITIOSOS*, ubi necesse est in dissensionibus iudicari, qui sint seditiosi. Et facilior dijudicatio est in politicis negocijs, quia ordinaria potestas longè eminet supra multitudinem, & conspicitur oculis.

Officia ordinariæ potestatis.

Ac manifestum est, quæ sint officia ordinariæ potestatis, scilicet: Sonare uocem Decalogi, & punire contumaces. Item, proprias leges ferre non pugnantes cum Decalogo, & punire contumaces. Item, exercere iudicia, & ferre sententias iuxta leges. Ac in dubijs rebus ualent sententiæ non solùm propter probabilem rationem, sed etiam propter autoritatem diuinitus attributã Magistratibus, cui uult Deus in ciuilibus negocijs etiam antea dubijs nos obedire. Et quia Deus aliâs dat magis placida & mitia imperia, aliâs minus, uult nos etiam

etiam quædam duriora onera ferre, modò sint tolerabilia, & non sint atroces & notoriæ iniuriæ, & obedientia non sit peccatum.

De his regula Pauli tenenda est: Necesse est obedire, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Peccant autem contumaces, id est, non uolentes obedire legitimis imperijs, & plus peccant seditiosi, id est, qui contra Magistratus contumelioſi sunt uerbis, aut qui ui, factionibus & armis eos excutere conantur. His pœnam hoc loco minatur, sicut & Dominus inquit: Qui gladium acceperit, gladio peribit, id est, qui gladium stringit, non datum à legibus, ut perierunt Absalon, Seba, Adonias, Ioab, Cassius, Brutus & alij innumerabiles.

De dicto Pauli ad Rom. 13. Necesse est obedire &c.

Sed contra iniurias atroces & notorias concessa est defensio, ut lex scripta in ff. concedit interfici Consulem deprehensum in adulterio à patre Mulieris. Et Marius absoluit adolescentem, qui Tribunum militarem in defensione pudicitiæ interfecit, Victorinus præses Germaniæ in Colonia Agrippina interfectus est à scriba, cuius uxorem compresserat, cùm alioqui adeò laudetur eius uirtus, ut Neruæ & Traiano conferatur.

Contra atroces et notorias iniurias cõcessa est defensio.

Concedit autem Euangelium uti legibus politicis, cum ratione congruentibus. Imò si talis defensio non esset concessa, transformaretur Euangelium in doctrinam politicam, & stabiliret infinitam tyrannidem. Sed de hac disputatione aliâs copiosius dicitur.

Euangelium non prohibet defensionem notorijs iniurijs.

Sed de reprehensione errorum in Ecclesia sciendum est, nequaquam peccare eos, qui aduersantur Principibus & Episcopis defendentibus errores. Necesse est enim obedire Deo in confessione ueritatis, sicut Apostoli dicunt: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Item, Si quis negabit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo cœlesti. Item, Si quis dixerit Blasphemiam contra Spiritum sanctum, non remittetur ei. Item, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. His mandatis Dei confirmemus nos contra clamores regum et Episcoporum, qui uociferantur nos seditiosos esse, quia docendo & confessione taxamus errores & idola, sicut Deus præcepit. Sciamus autem, ministros Euangelij non gerere gladium, & cùm illi qui tenent ordinariam potestatem, exercent sæuitiam, iniurias tolerandas esse, iuxta hæc dicta, 2. Cor. 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia. Item, Sicut Pater misit me, sic ego mitto uos. Et: Regnum meum non est de hoc mundo.

Non peccant qui aduersantur principib. & Episcopis defendentibus errores.

CAPVT XXV.

GLORIA DOMINI est verbum celare. At gloria Regum est inquirere illud.

Differt doctrina propria Ecclesiæ Dei ab humana sapientia, & sæpè in gubernatione errant præsertim præstantes homines, anteferentes sapientiam politicam uerbo Dei, sicut Nabuchodonosor instituit cultum, somnians ad regni concordiam profuturam esse similitudinem ceremoniarum. Sic hæretici flectunt Euangelium ad suas imaginationes. Hîc igitur monet, Verbum Dei esse sapientiam arcanam, & discendam uero studio, id est, Vult Deus nos discipulos esse suæ uocis, non uult nos anteferre nostras cogitationes, & fingere noua dogmata seu ritus. Sic gloria Regum est, id est, omnium præstantium, inquirere arcanam sapientiam, scilicet audiendo, non turbando cauillationibus.

Differt doctrina Ecclesiæ ab humana sapientia.

onibus. Sicut & Paulus præcipit: Sapientia Dei habitet in uobis, id est, sapienter inquirantur fontes, & conferantur testimonia, & meminerimus, nos debere discipulos esse uocis diuinæ, sicut Salomon inquit: Audiens sapiens sapientior erit.

Humana sapientia in Dauide iubebat interfici Saulem, sed Spiritus sanctus in Dauide, noluit tale exemplum ostendere in populo Dei.

ACETVM super nitrum, canens carnem cordi prauo.

Similitudo de sale & Nitro.

Salis & Nitri naturæ similes sunt, rodunt & urunt corpora, & singularis uis est Nitri in pellendo, & irritatur aceto & calce, sicut inquit Plinius: Vlceribus quæ serpunt Nitrum cum calce & aceto illini.

Significat igitur hæc similitudo, pertinaces cùm admonentur, tantùm fieri rabiosiores, ut Nitrum incensum infuso aceto multò uehementius dissipatur & pellitur propter ἀντιπερίστασιν. Sic Saul admonitus fit multò sæuior. Tales multi sunt impij, in quibus crescunt furores cùm admonentur.

Non prohibet autem hæc sententia doceri ueram doctrinam. Sed loquitur de facto seu euentu, & ostendit, dissimiles esse auditores, alios esse dociles, alios pertinaces nolle doceri, ut Rom. 11. dicitur de blasphemis: Excœcati sunt oculi eorum, ne uideant.

Discernendi sunt auditores dociles & pertinaces.

Etsi autem ut dixi hæc sententia non prohibet doceri ueram doctrinam, tamen significat discernendos esse auditores. Dociles piè & sedulò erudiendi sunt, ut Paulus inquit: Infirmum in fide assumito. De alijs blasphemis dictum est: Non detis sanctum canibus. Et Prouerb. 13. Auribus stulti ne loquaris, quia contemnit sapientiam eloquij tui. Et tamen priusquam auditores discernere possis, omnibus doctrina proponenda est. Postea sequamur regulam Pauli: Hæreticum hominem post unam atq; alteram admonitionem, uitato.

FONS conturbatus & scaturigo lutulenta iustus cadens coram impio.

Mirabilia spectacula, impij florentes in imperijs, et Ecclesia oppressa ærumnis.

Manifestum est, ualde turbari omnium sapientum mentes deformitate Ecclesiæ cùm uident imperia, opes, sapientiam penes impios esse, Interea uerò Ecclesiam exiguam, ærumnosam, sine certo imperio sparsam in dissimilimas gentes. Item, à turpissimis Tyrannis innocentes homines interfici, Israëlitarum infantes à Pharaone, Baptistam ab Herode, Paulum à Nerone. Hæc mirabilia spectacula mouent sapientes, ut cogitent, hos miseros homines non esse Deo curæ.

Ecclesia est ubi doctrina est de deo, sed exigua est, et subiecta cruci.

Sed docet uox diuina, ibi esse ueram Ecclesiam, ubi se Deus edita promissione & illustribus testimonijs, resuscitatione mortuorum & alijs patefecit, & hanc esse Deo curæ, & exaudiri, protegi, & hæredem esse æternæ gloriæ apud Deum, Et quidem exiguam esse, & subiectam esse cruci propter certas causas.

His diuinis testimonijs nos confirmemus aduersus hæc spectacula, quæ usitatè nominantur Scandalum crucis, & simus memores horum dictorum. Matth. 11. Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Item 1. Corinth. 1. Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes &c. Huc pertinet tota doctrina Pauli cap. 9. ad Rom. & multi Psalmi. Vt: Noli æmulari in malignantibus. Item Psalmo 72. Moti erant penè pedes mei.

Ita fit priuatim. Cùm Dauid pellitur in exilium, delectantur eius calamitate impij, & manifestis sarcasmis ei illudunt. Hæc iudicia describuntur hac imagine:

imagine: Fons lutulentus iustus coram impio. Sed teneant pij ueras consolationes, & sciant, qualis sit Ecclesia, & cogitent causas, quare cruci subiecta, & unde sint petendæ firmæ consolationes.

Causæ quare Ecclesia sit subiecta cruci.

1. Primùm, quia uult agnosci PECCATVM, quod adhuc hæret in hac natura hominum.
2. Quia sæpè & manifestos lapsus habet Ecclesia, & uult nos Deus reuocari ad pœnitentiam.
3. Quia uult inuocari, & ostendere suam præsentiam in ærumnis, quæ nõ possunt humano consilio sanari.
4. Quia uult neces Sanctorum testimonia esse de doctrina, & de uenturo iudicio.

CAPVT XXVI.

SICVT NIX in æstate, sicut pluuia in messe. Sic non decet stultum gloria.

DE euentu loquitur, ut hoc dictum: Fortuna quem nimiùm fouet stultũ facit. Narrat. n. homines nondũ castigatos seu cicuratos fieri insolentes rebus secundis, & laxare frenos uarijs cupiditatibus, ut Alexander cùm initiò modestissimus & mitissimus fuisset, postea uult esse Deus, & fit crudelis. Cùm enim homines non anguntur, fiunt securi, non petunt auxilium à Deo, & ebrij successibus, sua consilia & sese magnificiunt. Ideò magni & tristes sunt Heroum casus, ut Herculis, Nabuchodonosor, Iulij, Pompeij, & innumerabilium aliorum.

Dictum de euẽtu rerum secũdarum, cõplectens præceptum de modestia.

Etsi autem hîc de Euentu tantùm dicit, qui ad regulam pertinet de communiter accidentibus, tamen tacitè complectitur admonitionem seu præceptũ de Modestia, quod recitat Siracides capite 3. Quò maior es, eò magis te humilia, & coràm Domino inuenies gratiam. Item: Deus superbis resistit, humilib. autem dat gratiam. Et suprà recitaui dictum Plutarchi: Solem imitentur Principes, qui cùm in summum fastigium uenit, elatus in partem Borealem, tardissimè mouetur, ut tarditas cursum reddat tutiorem.

SICVT AVIS fugit, & Hirundo auolat: Ita maledictum fatui non adhærescit.

Tenenda est regula uita: *MILITA BONAM MILITIAM, RETINENS FIDEM ET BONAM CONSCIENTIAM.* Hæc habentes habebimus etiam aliquorum honestorum approbationem. Et hæc expetenda est, ut Siracides inquit, capite 41. Curam habe de bono nomine. Sed tamen semper multi sunt inuidi, qui deformare eos quibus inuident conantur, ut Cicero inquit: Est quædam huius seculi labes & macula, inuidere uirtuti. Ac multi natura sunt uirulenti, quos ipsa Maledicentia delectat. Multis in quæstu est, ut Plautus inquit, Istic thesaurus stultis in lingua situs, ut quęstui habeant, malè loqui melioribus. Et noti sunt uersus Menandri:

Approbatio honestorũ hominum appetenda est.

Semper reperiuntur inuidi obtrectantes alienæ famæ.

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται.
Vita maximè delectatur improbis.

πρᾶξιν δ' ὁ κόλαξ ἄρισα πάντων,
δεύτερος δ' ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτατος.

Et omnium temporum historiæ ostendunt, multos honestos calumnijs oppressos esse,ut Ioseph,Palamedem,Aristidem, Theramenem, Socratem, & alios innumerabiles. Ac in Ecclesiaste dicitur: Calumnia turbat sapientem,& frangit robur cordis eius. Sicut experientia ostendit, sæpē bonos uiros impediri calumnijs.

Falsa maledicta etsi sauciāt tamen tandem reteguntur.

Hîc igitur consolatio contra calumnias tradita est,uidelicet,falsa maledicta,etiamsi aliquantisper sauciant, tamen postea retegi & improbari, sicut dicitur: Veritas aliquandiu laborare potest,deleri non potest. Psalmus addit dulciorem consolationem: Maledicent illi, & tu benedices. Et Dauid de conuicijs Semei inquit: Deus dabit mihi aliquid boni pro his maledictis.

Conscientiæ integritas retinenda est.

Has consolationes teneamus, sed ita tamen, ut conscientiæ nostræ integritatem retineamus,sicut sæpē præcipitur: Hæc est gloriatio nostra, testimonium conscientiæ nostræ. Et ad Galatas, Opus suum unusquisq; probet, & sic habebit gloriam apud sese,& non ex alijs,id est,Rectē facito,ne te conscientia tua damnet,& cūm non est saucia conscientia, habes gloriam, causæ uidelicet, non pendentem ex stulto applausu aliorum, sed talem,quæ est uera conscientiæ approbatio, & in credente est opus necessarium,& Deo placens.

Calumnia non est leuis carnificina.

Hæc præcepta & has consolationes sciamus nobis diuinitus dari, quia calumnia non est leuis carnificina,etiamsi tandem Veritas patefacta eam refutat. Vt,cùm Socrates interfectus esset,postea repręsentata est Tragœdia de Palamede,in qua recitatus est hic uersus: ἐκάνετε ἐκάνετε τὸν ἄριστον ἑλλήνων, μηδένα βλάψασαι ἀηδόνα. Post hanc Tragœdiā ciues expulerunt ex Athenis accusatores Socratis.

Nunc sequuntur alia dicta,quæ ad hoc propositum pertinent,& monent sapienter iudicandum esse, quando refutanda sit calumnia, quando non sit refutanda.

NE RESPONDEAS stulto de stulticia eius, ne similis eius fias &c.

Duarum contrariarum sententiarum explicatio de nō respondendo & de respondendo stulto, &c.

Duæ pugnantes sententiæ recitantur,quæ ideò dissentiunt,quia aliquando refutanda sunt maledicta,aliquando non necesse est refutare,sed prudenter iudicandum est,utrum faciendum sit. Facilis autem dijudicatio est pastoribus in publico munere docentibus. Hi semper habent auditores dissimiles, pios, firmos,& infirmos,dociles tamen,& aduersarios pertinaces & insanabiles. Necesse est autem pastores seruire meliori parti, ubi uox doctrinæ incorrupta refutat aduersarios. Et hi discernant maledicta. Alia lacerant doctrinam, alia deformant personam docentis.

Mandatum est autem de doctrina illustranda & propugnanda. 2. Tim. 1. Honestum depositum custodi per Spiritum sanctum,habitantem in nobis. Ad Titum 1. Quibus oportet os obstruere. Et ibidem, Conuincito eos seuerē. Et ad Titum 2. Conuincito cum omni imperio, id est, præcipiens expressa asseueratione,ut uerbo assentiantur.

Pugnandū est de rebus necessarijs.

Priuata ferenda sunt.

Pugnent aūt de rebus necessarijs, & studeāt assumere infirmos in fide, ut Paulus inquit,& adiungere studeant,nō turbent disputationib. inextricabilib. neq; alienent acerbitate. Priuata aūt conuicia aut modestè refutēt,aut omnino prætereant, sicut in Psalmo dicitur: Illi detrahebant mihi,ego autem orabam.

In alijs autem priuatis congressibus, Doctores & alij considerent discrimina auditorum. Si adsunt sanabiles,rectè doceantur. Si quis autem incidit in turbam

turbam insanabilem, ut Ioannes cũm in balneo ueniſſet ad Cherinthi turbam, hîc oſtenſa confeſſione, ne uideatur cum illis colludere, quàmprimum, ſi poteſt, diſcedat ab eis, iuxta dictum: Hæreticum hominem poſt unam atq; alteram admonitionem uitato, Sicut Iohannes ſtatim ex balneo egreſſus eſt. Item, ne detis ſanctum Canibus.

Præſertim autem decet, priuata conuicia aut non refutare, ſicut Dauid tacuit, cũm ei malediceret Semei: Aut paucis refutare. Et exempla multa ſunt magnorum gubernatorum, qui conuicia diſſimulârunt, ut Pericles, Fabius, Scipio & alij fecerunt. Lacedæmonij tacuerunt prouocati ã Mardonio, qui cùm factus eſſet inſolentior propter ſilentium Lacedæmoniorum, inquit Herodotus, eum elatum eſſe ψυχρῇ νίκῃ, id eſt, frigida uictoria. Et in libro Herodoti narratio recitatur de Spartano legato, qui Geloni Siculo ſuperbè reſponderat, ad hunc Gelon inquit: Probra obiecta homini ſolent iram accendere: Tu uerò etſi contumelia me in ſermone affeciſti, non tamen perſuadebis, ut indecora faciam, compenſando conuicia.

Priuata conuicia aut nõ aut paucis refutanda ſunt.

Præterea plerunq; ira impelluntur homines ad conuicia. Stultícia eſt autem cum irato rixari, ſicut elegantiſſimè dictum eſt in Græcis uerſibus: Duobus dicentibus, cũm alter eſt iratus, qui non contratendit dicendo, ſapientior eſt.

Ira impellit homines ad conuicia.

Δυοῖν λεγόντοιν, θατέρῳ θυμουμένῳ,
ὁ μὴ ἀνταινῶν τοῖς λόγοις σοφώτερος.

Denicq; de priuatis conuicijs ſimus memores dicti Petri 1. Pet. 3. Non reddentes conuicium pro conuicio. Hoc etiam meminerimus, in refutatione non tantũ alterius errata reprehendenda eſſe, ſed etiam doctrinã neceſſariam perſpicua adſeueratione proponendam eſſe, quia non ſatis eſt, Academico more contradicere alijs, ſed etiam oſtendendum eſt, quid ſentiendum ſit, ſicut Demoſthenes monet, cùm inquit: ἐπιλαμᾷν παντὸς ὄξι, συμβουλεύειν δ' οὐ παντός.

QVI PER nuncium ſtultum agit negocium, eſt velut claudus pedibus.

Congruit cum Homerico, quod laudat Pindarus: ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ.

Commoda res valdè eſt, ſapiat ſi nuncius ipſe.

ARTIFEX format opus: Et conducens ſtultum, conducit corrumpentem opus.

Iuriſconſultus inquit: Magna eſt artificum differentia. Et multa ſunt dicta, de diſcrimine artificum, de impoſtoribus & ardelionibus, qui ſe uenditant pro artificibus, cùm non ſint. Vt, plurimi ſunt impoſtores, qui uolunt uideri medici. Plurimi indocti concionatores ſunt, qui adulantur uulgõ aut potentibus.

Traditur ergo hîc admonitio, quæ ad prudentiam pertinet, ut eligantur in qualibet re idonei. Simul etiam præcipitur his qui profitentur artes, ne ſint impoſtores aut ardeliones, ſed ut Paulus inquit, ſint Fideles, id eſt, rectè ſciant artes quas profitentur, & in uſu præſtent fidem & diligentiam. Hæc omnia complectitur uirtus, quæ nominatur SEDVLITAS, quæ eſt proprij officij ſeu uocationis opera & intelligere & fideliter facere.

Deligendi artifices in qualibet re idonei

Sedulitas quas res complecta tur.

Huc pertinent dicta: Quam quiſq; norit artem, in hac ſe exerceat. Item:

Quodq;

Quodq; parum nouit nemo docere potest. Item: Aliud est sceptrum, aliud est plectrum. Item: τέκτων γαρ ὢν ἐπρασσες οὐ ξυλουργικα, id est, faber existens, non facie bas fabrilia. Item Phocylides: μὴ ποτε γαρ κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσης. Item: Remum ducat qui didicit. Item hoc Syllæ: Remigem prius esse oportet, quàm clauum gubernare. Et plerunq; fit, ut indocti sint audaciores, iuxta dictum: ἀμαθία θράσος ἀπεργάζεται. Inscitia audaciam affert.

SICVT CANIS redit ad vomitum, Ita stultus iterat &c.

Quatuor causæ pœnarum.

De causis pœnarum in hac uita sæpè aliâs dictum est, uidelicet, causas precipuas quatuor esse.

1. Prima, quia Deus iustus est, & propter suam iusticiam destruit contraria.

2. Secunda, quia uult intelligi, se iustum esse, & disci discrimen inter iusta & iniusta.

3. Tertia, ut pernicioſa membra tollantur.

4. Quarta, ut pœnæ nobis & alijs sint commonefactiones, & deterreant nos ā peccando, sicut suprà dictum est, cap. 19. Derisore percusso imperitus erit cautior. Et 1. Corinth. 11. inquit Paulus, pœnas populi Israël esse exempla. Et Dominus dicit ad Abraham, se ideō ei commemorare exemplum pœnæ Sodomorum, ut posteros moneat de iudicio Dei. Et aliqui sanabiles moniti pœnis deinde fiunt cautiores, de quibus dicitur: Ictus sapit. Item, παθήματα μαθήματα. Item: Turpe est bis impingere ad eundem lapidem. Item de alienis exemplis dicitur: βλέπων πεπαίδευμαι εἰς τὰ ἄλλων κακά: Intuens aliorum mala eruditus sum.

De ijs qui in pœnis efferuntur aut recidunt in scelera.

Sed multi cœci & ferrei, nec alienis, nec suis pœnis emendantur, multi etiam efferuntur & fiunt rabioſiores in pœnis. Aliqui repressi paulisper, sicut Saul, mox relabuntur in eadem scelera. De talibus relabentibus loquitur hoc dictum, sicut & sæpissimè aliâs monet Deus, ne relabendo attrahamus maiores pœnas, ut Amos 1. dicitur: Ter peccantibus peperci, quartò non parcam. Et Christus & Petrus inquiunt, Postrema talibus fieri peiora prioribus. Et Salomon ait, Relabentes similes esse canibus. Sed multò tristius est, quòd Dominus inquit redire diabolum, cum alijs septem nequioribus spiritibus.

Exempla publica & priuata, eorum quibus pœnæ fuerunt causa furorum maiorum & qui recciderunt post pœnas in scelera.

Hîc horribilia exempla publica & priuata considerentur. Crescit furor in Pharaone, Saul, Absolone, Achab. Et ciues Sodomorum, qui uiderant, se diuinitus liberatos esse, cùm Abrahā profligauit exercitum hostiū, deinde mox obliti priorum pœnarum & liberationum, furenter ruunt in teterrima scelera.

Iudæi post tristissimas calamitates & liberationes interfectis Macabæis fratribus, petulantissimè lacerârunt doctrinam dissidijs sectarum, Pharisaicæ & Saducææ. Lacerârunt & regnum ciuilibus bellis.

In ea historia & nunc Germaniæ imaginem uidemus: Emendata doctrina multi redeunt ad priores errores, & postea prorsus fiunt ἄθεοι. Multi nouis erroribus lucem ueræ doctrinæ obruunt, & seditiones mouent. Multi doctores omissa inquisitione doctrinæ, tradunt grata uulgo. Vulgus delectatur licentia, & laxat frenos cupiditatibus. Ita pœnas maiores attrahimus. Seruabit tamen Deus aliquas ueræ Ecclesiæ reliquias. Huius si uolumus esse membra, seriò conuertamur ad Deum, & petamus nos conuerti, regi & confirmari, ā filio Dei, ne relabamur. Et sit in nobis ipsis diligentia uitandi illecebras & occasiones

siones peccatorum sicut Paulus præcipit: Videte ne gratiam frustra acceperitis. Item: Ambulate accuratè, non ut fatui &c. Item, notum est dictum: Vitare peccata est uitare occasiones peccatorum. Item Siracides, Qui amat periculum peribit in illo.

CAPVT XXVII.

NON GLORIERIS de die crastino, Quia nescis quid pariet hodiernus dies.

COnuenit cum Romano dicto: Nescis quid uesper serus uehat. Item, Ludit in humanis Diuina potentia rebus, Et certã præsens uix habet hora fidem. Item, Omnia sunt hominum tenui pendentia filo, Et subito casu quę ualuêre ruunt. Item, Irus & est subitõ qui modò Crœsus erat. Deniqꝫ omnes libri pleni sunt talium admonitionum de fortunæ inconstantia, quæ ideò nobis proponuntur, ut nos de Modestia admoneant, & prohibeant hæc duo maxima uicia, fiduciam nostri, & temeritatem mouendi res non necessarias, stulta spe, & nos intra metas includant, ut tantùm faciamus nostræ uocationis officia necessaria, sicut Paulus inquit: Propria facite. Et quidem in agnitione infirmitatis nostræ adiungamus inuocationem Dei, iuxta dictum: Subditus esto Deo, & ora eum. Item: Sine me nihil potestis facere. Et Ieremias inquit: Scio Domine, quòd non est hominis uia eius, id est, uocatio. Non enim dicit, Nihil agere homines, sed sine auxilio Dei, neqꝫ consilia neqꝫ actiones felices esse.

Inconstantia fortunæ inculcatur ut prohibeat fiduciã nostri & temeritatem mouendi res non necessarias.

Semper igitur hanc regulam intueamur, Necessaria & præsentia rectè facienda esse, quæ postulat officij ratio, & ã Deo petendum esse auxilium, ne confisi nostris uiribus aut stulta spe moueamus non necessaria, sicut Pericles mouit bellum non necessarium leuissima causa, quæ negligi potuit, ut tunc quoqꝫ multi iudicabant. Alcibiades traiecit in Siciliam sine necessitate. Hannibal Romanis intulit bellum sine necessitate. Pompeius poterat retinere pacem honestis conditionibus. Hæc bella omnia ciuitatibus istorum exitialia fuerunt. Carolus Burgundus sine causa intulit bellum Lotharingo & Heluetijs, in quo infeliciter dimicans in acie interfectus est. Deniqꝫ regulariter infelix est πολυπραγμοσύνη, id est, facere non necessaria stulta spe, sicut dicitur: μάταιοι μάταια λογίζονται δι' ἠθυμίας.

Necessaria & præsentia rectè facienda sunt cum inuocatione Dei.

Has admonitiones in uita considerare utile est, ad quas etiam pertinet Christi dictum: Crastinus dies pro sese solicitus erit. Sufficit diei afflictio sua, id est, facito necessaria in præsentia, quæ per sese satis habent difficultatum, & non cumules difficultates inani ratiocinatione & solicitudine de rebus futuris.

GRAVE est saxum, & ponderosa arena.
SED ira stulti grauior est vtraq; re.

Sæpè cogitanda sunt discrimina sententiarum. Aliæ expressè præcipiunt aliquid, aut prohibent, aliæ sunt promissiones aut comminationes diuinæ, aliæ narrant Euentus. Hæ simul tectè monent, quomodo aduersus eos euentus muniendi sint animi. Ita hæc sententia narratio est de euentu, uidelicet de communi morbo multorum, qui sunt iracundiores, & minus placabiles. Tales irati plerunqꝫ sunt qui sunt stolidiores & imperitiores, qui non considerant infirmitatem hominum, & non cogitant, multa aliorum errata placidè toleranda et sananda esse, Ideò dictum est: Imperito nunquam quicquam iniustius est. Sed ut in

De communi morbo multorumqui sunt iracundi & minus placabiles.

ut in Deo eminet bonitas, & tolerat ipse in suis quoq; multos morbos, & præcipit: Remittite & remittetur uobis. Ita sapientes magis flectunt animos ad bonitatem, & cogitant de communi infirmitate sua & aliena, & sunt memores diuini præcepti: Remittite & remittetur uobis. Nec potest illustrior imago de stolidis implacabilibus pingi, quã in Euangelio proposita est imago serui crudelis, qui debebat sexaginta tonnas auri.

Quanquàm autem hæc sententia in hoc libro Salomonis tantũm narratio est de Euentu, tamen multa monet: Iubet considerare humanam infirmitatem, & meminisse præcepti de ἐπιεικείᾳ, & moderari iracundiam: Monet item uitare stolidos, qui neq; cognoscere neq; ignoscere norunt. Huc multa dicta pertinent:

Quò quisq; est maior, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.

Et Seneca inquit: Nihil magnum quod non est placidum. Et dulcissimi sunt uersus Homeri 7. Odyss:

Hospes tale mihi pectus ne duxeris esse,
Quod temerè aut nimiùm flagranti exæstuet ira.
Omnibus in rebus modus est pulcerrima virtus.

ξεῖν' οὐ μοὶ τοιόνδε φίλῳ ἐνὶ στήθεσι θῦμὸν
μαψιδίως κεχολῶσθαι. Ἀμείνων δ' αἴσιμα πάντα.

Dictum Plinij Qui uicia odit homines odit.

Et Plinius inquit: Qui uicia odit, homines odit. Sed tamen id dictum prudenter intelligendum est. Non enim loquitur Plinius de enormibus uicijs, nec de approbatione, sed de tolerandis affectibus aliquantum aberrantibus sine scelere. Cæterũm nota sint præcepta diuinitus tradita de moderanda ira, ut Matth. 5. & 8. Item, Rom. 12. & alibi.

SICVT auis deserens nidum suum:
SIC est vir, deserens locum suum.

Non deserendum uitæ genus propter molestias & pericula.

Nullum uitæ genus, nulla functio est sine multis molestijs & periculis, ideõ citò in quolibet uitæ genere obrepunt fastidia, iuxta illud: Optat ephippia bos piger, optat arare caballus. Monet igitur, ne fracti fastidijs temerè deseramus uitæ genus, ad quod rectè uocati sumus. Paulus inquit: Vnusquisq; in uocatione, qua uocatus est, maneat apud Deum.

Huc pertinent multa præcepta tradita contra Inconstantiam, qualis est in uita desultoria, quæ subinde mutat instituta: Vt lapis sæpẽ uolutatus non obducitur musco, λίθος κυλινδόμενος τὸ φῦκος οὐ ποιεῖ. Item, Planta quæ sæpẽ transfertur, non coalescit. Item: Sis Asinus, quemcunq; Asinum sors aspera fecit: Qui placidè sortem ferre scit, ille sapit. Item: Pro eleganti Medico malus Poëta, ἀντὶ χαρίεντος ἰατροῦ κακὸς ποιητής.

FERRVM ferro acuitur.
SIC homo acuit faciem amici.

Singuli homines multa ignorant & sæpe errant.

Agnoscamus infirmitatem nostram, & sciamus, singulos homines multa ignorare, sæpẽ errare & labi, sicut Salomon inquit: Stultorum infinitus est numerus. Item, Est uia quæ uidetur homini recta, & nouissima ducunt ad mortem. Et extat hæc querela in multorum scriptis. Euripides inquit: Nemo unus uidet omnia, εἷς ἀνὴρ οὐ πάντα ὁρᾷ. Theognis: οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφός.

Ac

Ac Deus propterea nos ad communicationem sermonis condidit præcipuè, ut alij alios doceant, & consilijs regant. Ideo Paulus inquit: Docete & commonefacite uos mutuò. Et Siracides capite 6. Si uideris uirum sapientem, manè accedito ad eum, & gradus ianuæ eius exteratur pedibus tuis.

Deniq; plurima dicta sunt, quæ præcipiunt audire peritorum consilia & iudicia, & conferre cogitationes cum alijs. Et quotidiana experientia ostendit, quàm sit periculosum ἰδιοβουλεύειν. Et de artificibus hoc dicitur: Quisq; sibi pessimus magister est. Et Euripides dulcissimè dixit: ὁμιλία ἔτεκε τέχνας, Conuersatio peperit artes, cùm uidelicet multi suas cogitationes conferunt, & alij aliorum iudicijs aut exemplis commonefiunt.

ἰδιοβουλεύειν periculosum est.

Ac res ipsa ostendit, corrumpi doctrinas ab ijs, qui non audiunt alios, sed abditi uelut lucifugæ, fingunt ex sese nouas opiniones, abhorrentes à probata forma doctrinarum. Tales multi nunc sunt, qui gloriantur se esse αὐτοδιδάκτους, et sua somnia admirantur, nec audiunt aliorum sanorum iudicia. Sed nos præceptis obtemperemus, quæ iubent audire peritos, & conferamus nostras cogitationes cum alijs, ut Paulus inquit: Docete & commonefacite uos mutuò.

αὐτοδιδάκτοι corrumpunt artes.

De hac collatione iudiciorum & consiliorũ loquitur & hæc sententia: Ferrum ferro acuitur, sic acuit artifex artificem. Hæc diligentia primùm Modestiæ pars est, propriam infirmitatem considerantis. Deinde prudentia est studium discendi quæ ignoras. Et suprà Salomon laudans fidele consilium inquit: Vt cordi suaues sunt fragrantes odores, Sic amicus dulcis est, dans consilium animæ. Scribit Synesius, Apellem solitum esse adhibere iudicem picturarum Lysippum statuarium, & uicissim à Lysippo statuas Apelli iudicandas esse monstratas. Imò etiam ex hostium exemplis multa discuntur. Ideò laudatur uersus Sophoclis: ἀπ' ἐχθρῶν πολλὰ μανθάνουσι οἱ σοφοί.

Collatio iudiciorum & cõsiliorum pars modestiæ & prudentiæ.

Synesius de Apelle & Lysippo.

SICVT facies in aquis,
SIC cor hominis ad hominem.

Sicut facies in aquis apparentes lubricæ sunt & euanescentes: Ita corda sunt inconstantia & fallacia. Passim autem similes querelæ extant, de inconstantia humani cordis, ut: Nusquam tuta fides. Item,

Et cum fortuna stat, cadit, fides.

Corda hominum inconstãtia et fallacia.

Cùm autem taxatur inconstantia humani cordis, monemur ne facilè credamus hominibus. Ideo hæc admonitio sæpè repetita est, Vt apud Ciceronem: Epicharmion illud teneto, μέμνησο ἀπιστεῖν, neruos atq; artus esse sapientiæ. Item: Quos credis fidos, effuge, tutus eris. Et in Ieremia: Maledictus qui confidit in homine.

Hæc dicta monẽt primùm de doctrina, ne dogmata de Deo, sola humana autoritate moti approbemus, sed fontes quæramus in doctrina à Deo tradita. Deinde ne confisi humanis præsidijs moueamus res nõ necessarias, Quia sæpẽ mutantur hominum uoluntates, ut Octauius deseruit Ciceronem. Dion interfecit Heracliden socium. Calippus Dionem, cui familiarissimus fuerat.

CAPVT XXVIII.

PROPTER delicta terræ citò alij post alios fiunt Principes.
ET propter virum prudentem & intelligentem durabilius est imperium.

Peccata utrorumq; principum & populi causa sunt mutationum.

VSitatæ querelæ sunt, de Principum negligentia, de expilationibus, de neglectione iudiciorum & defensione. Et populus accusat ipsos Principes & aulas, iuxta uersum: Quicquid delirant Reges plectuntur Achiui. Sed uox diuina utroscp accusat, Principes & populum, ut Oseæ 4. dicitur: Qualis populus talis sacerdos. Et sæpē prædicitur, propter peccata populi non dari salutares Principes, ut Esaiæ 3. Auferet Dominus bellatorē & iudicem & Prophetā.

Ita hîc dicit: *PROPTER PECCATA TERRÆ*, scilicet, Principum & populi, *MVLTI FIVNT PRINCIPES*, id est, nulli diu regnant, uel multi discordes regnant, & alij alios pellunt &c. ut in Pannonia aliquandiu regnauit Ioannes, aliquandiu Ferdinandus, nunc Turca.

Mutationes principum non fiunt sine magnis calamitatibus.

Tales mutationes non fiunt sine magnis calamitatibus, ut uerissimē dixit Xenophon: πᾶσαι πολιτειῶν μεταβολαὶ φοναπφόρον id est, omnes mutationes imperiorum adferunt cædes. Et de seditionibus inquit Thucydides: ξυσάσα πᾶσα ἰδέα κακῶν ἔνι. Item, ξυ δὲ δυχοσασίᾳ καὶ πάγκακον ἔμμορε ἁμῆς. Agnoscamus igitur publicarum calamitatum causas esse plurimorum peccata, & salutis publicæ causa singuli impetus suos frenent.

Quid præstet prudens princeps ad durabilitatem imperiorum.

Addita est autem Antithesis, quæ singularem commonefactionem continet, Principibus & populo necessariam. *IMPERIA DICIT DVRABILIORA ESSE PROPTER HOMINEM PRVDENTEM ET INTELLIGENTEM*, id est, Sapiens princeps aliquando cedit de suo iure, & patitur aliquid incommodi, ut maiora incommoda uitet, ut Fabius dictator passus est sibi æquari Magistrum equitum. Non ponebat enim rumores ante salutem: Cicero cessit Lucio Antonio de prouincia, ut haberet collegam consentientem.

Sic illi qui populo dant consilia, suadeant ne maiora mala accersant seditiosis consilijs, ut non dubium est in Iudæa multos turbulentos homines uociferatos esse, expellendos esse armis Romanos, sicut patres expulerant Antiochum. Sed Zacharias & Simeon intellexerunt dissimiles causas & dissimilia tempora esse, & dissuaserunt bella. Sciebant enim, tunc finem esse politiæ Iudaicæ, & Deum singulari moderatione mitigasse seruitutem, quia haberent αὐτονομίαν in cultibus, & uidebant idoneos duces deesse, Antiochus autem non concesserat αὐτονομίαν in cultibus, & sciebant docti, nondū finem esse politiæ Iudaicæ.

Gubernatores salutares considerāt ubi sit pugnandum, ubi non.

Ita considerant salutares gubernatores, ubi sit pugnandum, ubi non sit pugnandū. Esaias dissuadet deditionem, Ieremias contrā suasor est deditionis suo tempore. Ita dissimilia exempla et dissimiles causas consideremus, & seruitutē sapienter feramus, cū est toleranda, & ueris gemitib. petamus ā Deo consilia & protectionem sicut illi ipsi Prophetæ petunt. Esaias clamat: Nos lutum tuum sumus, ne irascaris nimiūm. Et Ieremias: Non ad nihilum redigas nos. Et Psal. 7. Exurge Domine ad præceptum quod mandasti, ut Synagoga populorum circundet te, id est, conserua Legem tuam & Ecclesiam, ne fiat uniuersalis dissipatio, sicut & his uersibus dicitur:

Te maneat semper seruante Ecclesia Christe,
Infertosq; ipsi nos tua dextra regat.
QVI tegit iniquitates suas, non erit felix.
CONFITENTI autem & relinquenti Dominus erit propicius.

Aliqui manifesta pertinacia perseuerant in sceleribus atrocibus, quæ homines

mines intelligunt. Hos ruere in pœnas nihil dubium est, iuxta dictum: Propter hæc uenit ira Dei super inobedientes. Sed hîc mentio fit de his qui tegunt scelera, id est, qui sophisticè excusant, ut qui stabiliunt impios cultus, & fucosis excusationibus ornant falsa dogmata. His minatur pœnas, quia etiamsi ab hominibus reprimi non possunt, tamen tandem diuinitus reprimentur, iuxta dictum: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Iudæi non uolebant cedere Apostolis, tandem uerò deletio totius politiæ Iudaicæ testimonium fuit iudicij diuini aduersos eos. Sic Manichæi, Ariani & similes deleti sunt.

Qui sophisticè excusant tandem ruunt in pœnas.

Vt autem in omni conuersione primùm fit contritio, id est, agnitio erroris & delicti, ac dolor & mutatio uoluntatis: Ita hîc postulatur Confessio, & quidem talis, in qua etiam fiat emendatio, ut Paulus fatetur, se errasse, cùm fuit hostis Ecclesiæ, & deinde fit testis & propagator Euangelij.

Requiritur cõfessio in qua fiat emendatio erroris.

Ac disertè hîc dicitur: Propicius erit Dominus relinquenti &c. Necesse est enim in conuersione abijci malum propositum, nec est conuersio seu pœnitentia donec manet perseuerantia in malo proposito. Conuersis autem promissa est remissio pœnæ æternæ & mitigatio pœnæ temporalis propter Mediatorem, sicut dictum est: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Item Zachariæ 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Item, Esaiæ 1. Si peccata uestra fuerint sicut coccinum, & uermiculus, eritis candidi sicut nix. Item: Misericordiæ Domini, quòd non consumti sumus.

BEATVS est homo, qui semper est pauidus.
INDVRANS verò cor suum cadet in exitium.

Vicina sententia est superiori. Hortatur enim homines ad exercitia Pœnitentiæ, iubet ut sit in nobis timor, agnoscens iudicium & iram Dei aduersus peccata, sit solicitudo in cauendis malis opinionibus & lapsibus, ut Paulus inquit: Operamini salutem cum timore & tremore, id est, retinete puritatem doctrinæ, magna cura & solicitudine consideratis fontibus, & magna solicitudine uitate lapsus contra conscientiam.

Adhortatio ad exercitia pœnitentiæ.

Nec pugnat hæc doctrina cum sententia de fide, de consolatione conscientiarum, & de lætitia in mediatore, sed utrumq; præcipit, ut sit in corde dolor deplorans nostram contumaciam & immunditiem, dubitationes & multa mala, quæ in nobis hærent. Sed gubernet timorem & dolorem fides, quæ statuat, nos quanquam indignos & miseros, tamen placere Deo propter Mediatorem.

Taxat igitur hoc dictum carnalem securitatem, & superbiam confidentem propriæ sapientiæ, iusticiæ & potentiæ, nec curantem iudicium Dei, sicut Pharao ruit in exitium fiducia suæ potentiæ. Bellerophontes securus uolens Pegaso intra cœlum uehi, excutitur. Antiochus securus fiducia suæ potentiæ, conatur delere Legem Dei. Semper igitur in conspectu sint hæ admonitiones de timore Dei, & de metis uocationis: Beatus homo, qui semper est pauidus. Item, Vbi habitabit Dominus? In spiritu contrito & humiliato, & tremente sermones meos.

Taxatur carnalis securitas & superbia confidens propriæ sapientiæ.

CAPVT XXIX.

PRINCEPS amans mendacia, habet omnes ministros impios.

Exempla Principum plurimum ualent in utramq; partem.

MAgna ex parte reguntur homines exemplis quia homo intelligit imitationem, & imitando discit. Plurimum autem ualent insignium personarum, ut Principum & docentium exempla. Sæpè igitur admonitio repetita est, ut Principes honesta exempla proponant, & ut populus intueatur honesta exempla, & uitet turpia. Noti sunt uersus:

Scilicet in vulgus manant exempla Regentum,
Regis ad exemplum totus componitur orbis.
Vtq; Ducum lituos sic mores castra sequuntur.

Ac ualent aliquid exempla in utramq; partem. Citius autem manant praua contagia, præsertim inter eos, quorum est domestica familiaritas & adsiduitas. Ideò uenustissimè Græci dixerunt: Quales dominæ, tales sunt catellæ. Et uulgò dicitur:

Fortè cubos primùm posuit cùm futilis Abbas,
Tunc sese Monachi ludere iure putant.

ὅτταν πρῶτα κύβους βάλλῃ πότε μάργος ὁ Ἄββας,
παίζειν οἴονται οἱ μοναχοὶ νόμιμον.

Amor mendaciorum perniciosum malum est in gubernatore.

Ita hîc dicit Salomon: Princeps amans mendaciũ habet omnes ministros impios. Vt autem insignis uirtus est in gubernatione Veritas seu Veracitas, pugnans cum uanitate, perfidia, calumnijs, suspicionibus, sophistica. Ita contrã ualde perniciosum malum est in quocunq; gubernatore amor mendaciorum, & multa uicia complectitur illud malum, sicut multa sunt genera mendaciorum.

Vanitas seu perfidia primum genus mendacij.

Manifestum genus est Vanitas seu Perfidia in non seruandis promissis & fœderibus, ut Alciabiadis perfidia uituperatur. Et de Metio Suffecio inquit Virgilius:

Raptabatq; viri mendacis viscera Tullus.

II. genus amor calumniarum.

Aliud genus mendaciorum est amor Calumniarum. Id commune est in aulis. Plurimi enim delectantur obtrectatione, & habent patulas aures ad omnes fabellas, de quibus uersiculi Menandri noti sunt:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται.
πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων,
δεύτερος ὁ συκοφάντης.

Et in Pseudolo Plauti dicitur: Homines qui gestant quiq; auscultant crimina, si meo arbitratu liceat, pendeant omnes gestatores linguis, auditores auribus.

III. genus suspiciones.

Tertium genus mendaciorum sunt suspiciones, quas naturæ infidæ & obtrectatrices ex seipsis gignunt, quæ sæpissimè magnis malis occasionem præbent. Vt, Tyranni tantùm propter suspiciones multos tollunt, ut Alexander optimè meritum Parmenionem. Ac naturæ suspicaces auidissimè audiunt calumnias, habent igitur multos aulicos, idoneos ad calumniandum.

IIII. genus Sophistica.

Quartum genus est Sophistica, quæ falsas opiniones & malas causas fucosis prætextibus in gratiam Principum tuetur. Hoc genus mendaciorum laudatur in aulis ceu præcipua sapientia, sicut nunc Pontificiæ aulæ scriptores magnifaciunt, qui impios cultus præstigijs Sophismatum defendunt, quæ sunt uerè σφιγγὸς sophismata.

Cùm aũt multa horribilia mala in uita ex omnibus his generibus mendaciorũ oriantur, monet Salomõ, ut simus cauti, & tales aulas fugiamus, sicut Vlysses iubetur præterire Scyllam & Charybdim.

Cùm

CVM ceſſat Prophetia, diſſipatur populus: Et cuſtodiens Legem, erit beatus.

Prophetia, id eſt, Propheticum regnum, in quo Deus per aliquem ſalutarem gubernatorem dat felicia conſilia, & bonos euentus. Dicit autem, tantiſper florere imperia, donec ſunt aliqui tales gubernatores. Vt Heliſæus circiter 70. annos poſt Eliam rexit conſilia Regum in maximis calamitatibus. Samaria obſidione liberata eſt, cùm fames tanta eſſet, ut Caput Aſini 80. argenteis, id eſt, didrachmis 80. emeretur. Et ſextarius ſtercoris columbarum quinq; argenteis. Poſt Heliſæi mortem non multò plus centum annis durauit regnum, agitatum aſſiduis ſeditionibus. *Florere imperia dum aliqui ſalutares gubernatores.*

Sic Eſaiæ gubernatio multas calamitates lenijt circiter 80. annos. Poſtea ſequutum eſt excidium, in quo tamen Ieremiæ conſilijs pars populi ſeruata eſt.

Ex talibus exemplis intelligi poteſt, quare dicat: Ceſſante Prophetia diſſipari populum, quia extinctis ſalutaribus gubernatoribus ſequuntur in Imperijs certamina ambitionum, ſeditiones, deinde interitus, ut in uerſu dicitur:

Nam cætera regna
Luxuries vicijs, odijſq; ſuperbia vertit.

Addit autem Salomon, qualis ſit Prophetica gubernatio, cùm inquit: Beatus qui Legem cuſtodit, quaſi dicat: Talis eſt gubernatio Prophetica, retinet ueram doctrinam & ueros cultus, & dat conſilia congruentia uerbo Dei, non quærit præſidia contra uerbum Dei, ſicut Achas contra mandata Eſaiæ quærit peregrinorum Regum fœdera & cultus. Et fœderibus Turcicis Græcum imperium & regnum Hungariæ interierunt. *Qualis ſit Prophetica gubernatio.*

Monet hoc quoq; ſecunda pars ſententiæ: Beatus qui cuſtodit Legem, in illis ipſis diſſipationibus illas reliquias ſaluas fore, quæ retinent poſſeſſionem doctrinæ Diuinæ, ſicut in Amos dicitur: Ecce ira Domini ſuper regnum peccans, id eſt, regnum reum, quod iam ordinatum eſt ad pœnam. Sed tamen excerpam reliquias, ſeruabo grana & cribrabo.

Cogitent autem & Principes & populus commonefacti hac ſententia & ſimilibus, uerè opus Dei eſſe ſalutarem gubernationem, & eam à Deo petant, nec cumulent ſcelera, ut Deus adimat ſalutares gubernatores.

CAPVT XXX.

PLerunq; in gnomologicis ſcriptis etiamſi unus aliquis autor eſt magnę partis, tamen inſeruntur & aliorũ concinna dicta, ut Phocylidis carmini aiunt Sibyllinos uerſus inſertos eſſe. Sic credibile eſt & Salomonis libello aliorum ſententias additas eſſe, ideò nouus titulus eſt in 30. capite, Verba congregantis, id eſt, collectio aliarum ſententiarum filij Iachit, tametſi & hoc nomen, & alia quæ ſequuntur, appellatiuè de uiris Propheticis intelligi poſſunt. *Capitis 30. nouus titulus.*

Prima autem ſententia, in qua dicit: Stultiſſimus ſum hominum, confeſſio eſt humanę ignorantiæ, & deploratio caliginis in hac miſera natura hominum. Nec ſolùm exempla Ethnicorum oſtendunt, horrendas eſſe tenebras de Deo in mentibus hominum, ſed ſinguli homines ſentiunt, ſe uarijs dubitationum fluctibus turbari.

Simonides interrogatus, quid ſit Deus, petiuit triduum ad deliberan-

dum, tandem respõdit Hieroni, se, quò diutius cogitet, eò minus inuenire quod affirmet. Non rectè Simonides. Lucet enim in mentibus utcunq; legalis noticia de Deo, quæ discernit Deũ à malis rebus. Et inde descriptio Platonis sumta est: Deus est mens æterna, causa boni in natura. Quanquam autem est hæc scintilla in hominum mentibus, tamen assensio languida est, & ruunt homines in dubitationes, propterea quia multa fieri contra ordinem uident, uidelicet, sępè bonos à malis opprimi. Eius rei causam cùm non sciant, dubitant de Prouidentia.

Descriptio dei apud Platonẽ.

Primùm igitur hîc deploratur humana ignorantia, quam singuli homines & agnoscere & gementes deplorare debent, sicut Prophetæ deplorant: Omnis homo mendax. Item: Peruersum est cor hominis, & ærumnosum. Sunt & apud Ethnicos tristissimæ deplorationes uniuersæ humanæ infirmitatis, quæ ideò recitantur, ut homines reuocent ad Modestiam. Pindarus in Oda 8. Pyth. inquit: τὶ δὲ τις; τὶ δὲ οὔτις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. Hæc dicta sæpẽ cogitare utile est.

Deploratio humanæ infirmitatis.

Nescit autem sapientia hominum remedia contra ignorantiam & infirmitatem. Sed in Ecclesia scimus patefactiones Diuinas, in quibus & causæ calamitatum & remedia ostenduntur. Ideò & in hoc textu deducimur ad doctrinam à Deo traditam, & præcipitur, ut eam audiamus & amplectamur, moueamur comminationibus, & adsentiamur consolationibus, nec addamus corruptelas.

Ecclesia sola monstrat remedia contra humanam ignorantiam & infirmitatem.

Hæc mandata sæpẽ repetita sunt, ut in his dictis: Hîc est Filius meus dilectus, HVNC audite. Item, Ego sum uia, uita, & ueritas. Item, Sanctifica eos in ueritate, Sermo tuus est ueritas. Et in Psalmo: Lucerna pedibus meis Verbum tuum. Et apud Esaiam: Ad Legem & ad testimonium. Et in Numeris: Ne sequaris cogitationes tuas.

Ita hoc loco dicitur: *OMNIS SERMO DEI PVRVS*, id est, sine corruptelis, *ET CLYPEVS CONFIDENTIVM IPSI*, id est, Ideò Deus misit filium, & se patefecit sua uoce immensa bonitate, ne erres, hanc Filij uocem audias & amplectaris, iuxta hanc iudices de essentia & de uoluntate Dei, de Lege & de Euangelio, de ira & de gratia. Hunc uerum Deum, qui se patefecit misso Filio, & edita uoce sua per filium agnoscas & inuoces, sicut ipse inquit: Hæc est uita æterna, ut agnoscant te uerum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Sic rectè agnosces & inuocabis Deum senties eum efficacem esse, & sic scias æternam Ecclesiam, & non aliter, colligi.

Et figuram considera, quòd inquit: *VERBVM DEI CLYPEVM ESSE HIS QVI CONFIDVNT DEO*, iuxta uerbum, Sicut & Paulus nominat, Scutum fidei, quia certum est, Deum sic efficacem esse, cùm uerbo Dei & inuocatione nos sustentamus Fide, ut Paulus inquit: Vt per consolationem scripturarum spem habeamus. Item: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Psalmo 129. Sustinuit anima mea in uerbo eius, Sperauit anima mea in Domino.

Hæ dulcissimæ sententiæ opponendæ sunt Ethnicis & alijs impijs opinibus & blasphemijs Anabaptisticis & Stenckfeldianis, quæ abijciunt externam uocem doctrinæ.

Simul autem hîc de retinenda puritate uerbi Diuini præcipitur. Et puriritas dupliciter intelligenda est. Primùm de ipso uerbo Dei rectè intellecto, sine imaginationibus carnalibus. Vt Saducæi retinebant quidem τὸ ῥητὸν in Mose, sed

Puritas doctrinæ dupliciter intelligẽda est. Primo de ipso uerbo Dei rectè intellecto.

se, sed intelligebant Promissiones tantum carnali modo de præsenti uita. Sic Monachi intelligunt Legem de externis operibus, Fidem tantùm de noticia historiæ &c.

Altera puritas est, non expresse addere corruptelas, ut Papa addidit inuocationes mortuorum, quæstum Missarum, falsam adorationem, prohibitionem coniugij, & alias impias traditiones. De utraq; puritate loquitur Psalmus 12. Eloquia Domini eloquia pura, sicut argentum purgatum in uase testaceo, purgatum septies, id est, primùm rectè intelligatur uerbum Dei, quod discitur in ueris exercitijs pœnitentiæ, & in cruce. Ibi enim purgantur mentes nostræ, ut uerbum Dei intelligant primùm sine carnalibus imaginationibus, ut cùm Paulus arguitur de iniusta sæuitia, discit Prophetas loqui de regno æterno Christi, non de politico. Ideò inquit: ψυχικὸς homo non percipit ea quæ sunt Spiritus. Secundò adsit puritas talis, ne expresse addantur traditiones de nouis cultibus. Harum uanitas etiam deprehenditur in uera pœnitentia & in cruce, sicut Paulus inquit, Stipulas doctrinarum consumi igni. *Altera puritas de non addendo corruptelas intelligi debet.*

Ita hoc loco cùm initiò dicit: Verbum Dei purgatum intelligatur hoc de priore puritate, uidelicet, ut τὸ ῥητὸν rectè intelligatur. Postea expresse prohibentur nouæ traditiones, sicut sæpè alibi dicitur. Et citat Dominus dictum Esaiæ: Frustra colunt me mandatis hominum.

DVO petiui à te, Procul amoue à me mendacium, Inopiam & Diuitias ne dederis mihi.

Primùm & summum bonum est uera Dei agnitio, sicut Dominus inquit: Primùm quærite regnum Dei. Et Salomon in sua petitione cæteris bonis antefert Sapientiam, sicut dicit: Initium sapientiæ Timor Domini. Item, Non in solo pane uiuit homo. Deinde mediocritas uitæ tutior est, quàm opulentia aut egestas. Ordinè igitur hæ duæ petitiones hîc recitantur, quæ nobis quoq; sint lumen & regula uitæ. Primùm quæramus regnum Dei, & simus memores dicti. Timenti Dominum non deerit ullum bonum. Sic in Parabola Euangelica iubemur Margaritam emere, uenditis omnibus bonis. *Primum bonũ est uera Dei agnitio.*

Secundò sciamus uoluntatem Dei esse, ut singuli iuxta uocationem honestos labores faciamus, unde uictum habere possimus, ut dicit Paulus: Propria facite. Et simus contenti mediocri statu, sicut & alibi dicitur: Abominatio coram Deo omnis superbus corde. Et Siracides inquit capite 3. Difficiliora te ne quæsieris stolide: Quæ mandata sunt tibi sanctè cogitato. *Secundum bonũ mediocres successus inuocatione.*

Experti sunt etiam Ethnici, mediocrem statum tutiorem esse, iuxta uersum: πολλὰ μέσοισιμ ἔρισα, μέσῳ θέλω ἐν πόλει εἶναι. Et plurimos abuti potentia & opulentia ad explendas uicioſas cupiditates manifestum est, iuxta dictum:

Luxuriant animi rebus plerunq; secundis,
Nec facilè est æqua commoda mente pati.

HOC genus patri conuicium facit.

Sequentes aliquot sententiæ sunt querelæ de uarijs uicijs, id est, sunt narrationes, quæ ostendunt, quid fiat, & monent ut simus uigilantiores & firmiores in uitandis talibus uicijs, & in fugienda societate malorum, & contagijs, sicut Horatius inquit: *Querelæ de uarijs hominũ uicijs.*

Absentem qui rodit amicum,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Sic narrãtur uicia & uiciorum causæ, ut Medici uenena describunt, ut uitentur. Similis quærela seu narratio hæc est: Tria turbant terram. Seruus potitus imperio. Item: Stultus factus diues & potens. De priore dicitur: Asperius nihil est humili cùm surgit in altum. De posteriore, Insipiente fortunato nihil est insolentius. Et Theognis: τίκτει τοι κόρον ὕβρις, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται.

QVATVOR sunt minuta sapientiora sapientibus hominibus.

Venusta collatio est cum minutis bestiolis, quas dicit antecellere sapientibus. Monet autem, agnoscendam esse ingentem naturæ humanæ miseriam, quæ ipsa secum pugnat. Nouit Deum & Legem, & non obtemperat, imõ sciens ruit contra Deum & contra Naturale iudicium, & accersit sibi calamitates innumerabiles, sicut dicitur in Menandri uersibus, Plura esse mala ἐκόντα, quàm ἀυτόματα.

Ne quidem in præstantibus uirtus est durabilis.

Et ne quidem in præstantibus naturis uirtus est durabilis, sicut in Dauide, Nabuchodonosor, Hercule, Themistocle, Alexandro &c. At bestiæ obtemperant suæ naturæ, nec ã se ipsis dissident.

Formica. *Lepus.* *Locusta.* *Aranea.*

Consideranda est igitur naturæ nostræ infirmitas, & quærenda sunt remedia in filio Dei proposita. Nominatur autem hîc FORMICA, quia est monitrix de labore & sedulitate. LEPVS quærens latebras monet infirmos, ne aggrediantur maiora uiribus. LOCVSTA ut amans congregationes, non seditiosa, non turbatrix ordinis aut tranquillitatis. ARANEA ut arte excellens.

Ignaui. *θρασύδηλοι.*

Formicis opponuntur ignaui, his deest uirtus, quæ nominatur Sedulitas. Leporibus opponuntur θρασύδηλοι, Thrasones multa mouentes, quæ sustinere non possunt. His deest Fortitudo.

Seditiosi.

Locustis seditiosi, turbantes ordinem & tranquillitatem. His deest iustitia, quæ Geometrica proportione debitum locum tuetur, ne turbetur communis ordo.

Stolidi.

Araneis stolidi, qui confidunt uiribus, & negligunt consilia. His deest Prudentia.

SI fatuè egisti elatus superbia, manum opponito ori tuo.

De pœnitentia & emendatione errorum.

Præcipit de pœnitentia & emendatione errorum. Cùm lapsus es, ne defendas erratum, sed admonitus & intelligens errorem, doleas, & amplectaris ueritatem, & perspicua confessione ostendas, quid sentias, ne in alijs error confirmetur, sicut Paulus fatetur, se errasse, cùm fuit hostis Euangelij. De talibus suprã dixit: Iustus in principio accusator est sui. Et in Zacharia dicit: Emendans errorem has plagas accepi in domo diligentium me.

Si quis admonitus pertinaciter defendit errorem, hunc Paulus iubet relinqui, & nominat αὐτοκατάκριτον, id est, suo ipsius iudicio condemnatum, quia cõuictus scit se pugnare contra conscientiam. Talis cùm sit blasphemus, ruit postea sine fine in æternum exitium. Et de his dicitur: Errare humanum est, perseuerare in errore Diabolicum. Multi autem difficulter cedunt, sicut dicitur:

Aurum

Aurum & opes & vasa frequens donauit amicus,
Qui velit ingenio cedere rarus erit.

Et hîc fit mentio Superbiæ, quæ est fiducia propriæ sapientiæ aut potentiæ contra Deum. Hac fiducia elati homines multi gignunt noua dogmata, aut instituunt cultus, & postea admiratione sui superbè defendunt suas opiniones, ut dicitur: δόξα διάζεται τὴν ἀλήθειαν, Opinio uim facit ueritati. Et tristius hoc est, quòd multi propugnant errores, astutè quæsitis præstigijs, & addunt mendacia mendacijs. Hæc horribilia peccata & consideranda sunt & fugienda. *De Superbia.*

QVI premit lac exprimit Butyrum, Et nimiùm emungens narem elicit sanguinem.
ET qui effundit iram emittit discordias.

Primùm significat, Imperia moderata esse debere, sicut Plato inquit: Vtraq; optima, moderata libertas & moderata seruitus: Et rursus utraq; pessima, Libertas immodica, & seruitus immodica. Et in uersibus Solonis dictum est: *Imperia debẽt esse moderata.*

δῆμῳ ἅμα ἡγεμόνεσιν ἔτοιτο,
μήτε λίαν ἀνεθεὶς, μήτε πιεζόμενος.

Et modus constitutus est in Decalogo. Et Baptista inquit: Estote contenti stipendijs uestris. Item, Neminem concutiatis neq; calumniemini. Item, Asino onus, pabulum & uirgam, sic seruo laborem, cibum, & castigationem, scriptum est in Syracide.

Postea addita est sententia de reprimenda ira, ne publicæ discordiæ oriantur, quæ postea latè magnas ruinas trahunt, & sæpè oriuntur ex leuibus causis, quæ potius moderatione aliqua leniendæ & sanandæ erant. *Ira reprimenda.*

CAPVT XXXI.

POstremi capitis additio continet tres sententias, prohibitionem Ebrietatis, mandatum de Confessione, aduersus eos, qui opprimunt innocentes, ut nũc in Regum aulis multi cũm intelligant ueram doctrinam, tamen non ostendunt quid probent, cũm ad supplicia rapiuntur innocentes. Hic iubet intelligentes doctrinam, sua confessione tegere innocentes ne iniusta sæuitia confirmetur silentio uel collusione ipsorum. Vnus Ionathas apud Saulem apertè excusabat Dauidem. Doëg & alij furorem Regis incendebant. Apud Alexandrum Callisthenes & Clitus apertè reprehendebant eius insolentiam, cæteri assentatione confirmabant, quia plures sunt mali, & uerum est dictum: *Prohibitio ebrietatis. Mandatum de confessione.*

ὁ βίος μᾶλλον τοῖς πονηροῖς κλίνεται.
πρᾶξις δ' ὀκόλαξ ἄρισα πάντων,
δεύτερος ὁ συκοφάντης &c.

Tertia pars carmen est de uirtutibus honestæ Matrisfamilias. Vt autem singulis hominibus uitæ regula esse debet Decalogus, ita in hac laudatione distribuantur uirtutes in Decalogum, & ad primam tabulam pertinet dictum hoc loco. Mulier timens Deum, laudabitur. *Virtutes honestæ matrisfamilias.*

TIMOR autem intelligatur totus uerus cultus, uera Dei agnitio, Timor, Fides, Inuocatio, dilectio Dei, & aliæ coniunctæ uirtutes, sicut Prophetæ sæpissimè utuntur nomine timoris Dei pro toto cultu, qui Deo placet. Et suprã dicitur: Initium sapientiæ timor Domini. Item: Beatus uir qui timet Dominũ. *Timor Dei.*

Deinde

Castitas. Deinde recitantur cæterę uirtutes. Castitas coniugalis, amor erga maritum, sine morositate, sedulitas in omnibus laboribus Oeconomicis, Parsimonia, Frugalitas & Mansuetudo in gubernatione familiæ, diligentia in educanda sobole, domestica assiduitas, beneficentia erga pauperes. Harum uirtutum omnium definitiones notæ sint, & consideretur, ad quam Decalogi partem singulæ referendæ sint.

De dicto Pauli ad Timoth. Saluabitur mulier &c.

Tota autem hæc narratio simpliciter sine allegoria intelligatur, tanquam speculum honestæ Matronæ, sicut Simonides inquit: Felicem esse eum, qui ducit uxorem similem apì. Sed hæc tota doctrina dulcissimē comprehensa est in dicto Pauli ad Timotheum: Saluabitur mulier per filiorum generationem, si manserint in fide, dilectione, sanctificatione & temperantia. Vbi etiam præcipuæ uirtutes & officia uocationis recitantur. Disertē nominat Paulus Fidem, uidelicet ueram agnitionem Dei, & fiduciam filij Dei, qui prælucere omnibus uirtutibus debet. Et cūm hac fide accepta est remissio peccatorum, & reconciliatio, & hæreditas uitæ æternæ, simul in cordibus noua lux, uita, & iusticia accensa est, iuxta dictum: Transformamur ad imaginem eius, tanquam ā Domini Spiritu. Cūm igitur fide agnoscitur Deus, & ostensa est misericordia Dei, propter Mediatorem promissa, simul accenditur dilectio Dei in cordibus, & uera inuocatio, ut cum solis luce simul calor spargitur. Nominatur filius Dei sol iusticiæ, quia & lucem, id est, ueram noticiam misericordiæ adfert, & uerum Deum ostendit. Et ueram noticiam misericordię Dei comitantur dilectio Dei, & inuocatio & cæteræ uirtutes. Dauid audita uoce: Dominus abstulit peccatum tuum, reuiuiscit, nouit Deum, & se ei subijcit, diligit & inuocat eum. Ita Paulus hoc loco uult in Matrona, fidem, id est, ueram agnitionem Dei & fiduciam misericordiæ lucere.

Castitas quæ sit uirtus quā Paulus sanctificationem uocat.

Deinde adiungit cæteras uirtutes, Dilectionem Dei & proximi propter Deum, dilectionem mariti & sobolis. Sanctificationem nominat eam uirtutem, quæ usitatē Castitas dicitur. Est autem Castitas, ut suo loco prolixius dicitur, uirtus quæ omnes commixtiones seu seminis effusiones uitat ā Deo prohibitas, & est in coniugio seruare iura coniugij. Temperantia est moderatio in cibo & potu, naturæ corporum conueniens.

Tradit igitur Paulus dulcissimam consolationem opponendam hypocrisi Monachorum, quia expressē affirmat, Matres familias in coniugio, retinentes fidem & bonam conscientiam, saluas fieri. Hanc doctrinam extare in Ecclesia necesse est contra fanaticos homines, qui coniugia damnārunt.

Paulus non dicit officia mulieris esse merita uitæ æternæ.

Remouenda est etiam alia cauillatio illorum, qui hoc dicto Pauli abutuntur ad confirmandam opinionem Monachorum, quæ fingit bona opera esse merita & precium uitæ æternæ, quia dictum sit: Saluatur mulier per filiorum generationem. Nequaquam enim Paulus mulieris officia dicit esse merita aut precium uitæ æternæ, quare & statim fidei mentionem facit. Cūm autem dicit, si manserit in fide, id est, agnitione Dei, & fiducia Mediatoris, mox excludit opinionem de meritis operum.

Sed hoc sentit, quōd sæpissimē repetitum est in concionibus Christi, Prophetarum & Apostolorum, oportere in renatis esse fidem, & iusticiam bonæ conscientiæ, sicut inquit: Milita bonam militiam habens Fidem & bonam conscientiam. Item, Nolite errare, Scortatores, Adulteri, Homicidæ &c. non

sunt

sunt hæredes uitæ æternæ. Semper autem in enumeratione uirtutum fit mentio operum, quæ sunt propria uocationis singulorum, ut Iohannes dicit militibus: Neminem concutiatis, neq; calumniamini, & contenti estote stipendijs uestris. Vt igitur singulos de suæ uocationis officijs admonere necesse est, ita hîc Paulus matribus concionatur de laboribus partus, nutricationis & educationis. Et tamen manet firma sententia, propter Mediatorem gratis sola fide recipi & placere personam, non propter propriam dignitatem, sicut & in Psalmo dicitur: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item, Rom. 3. Omnes egent gloria Dei, iustificamur autem gratis fide propter filium &c. Hîc mente repetant studiosi integram doctrinam de fide & de operibus, ut in confessione Ecclesiarum nostrarum recitatur.

De Matronarum officijs multa dulcissimè scripta sunt in multorum scriptis, Inde ad huius loci enarrationem transferri longior explicatio posset. Sed nolui prolixior esse. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, custodem Ecclesiæ suæ, ut clementer & Ecclesias & Politias & Oeconomias nostras gubernet & protegat.

AMEN.

LAVS DEO.

ENARRATIO BREVIS CONCIONVM LIBRI SALOMONIS, CVIVS TITVLVS EST ECCLESIASTES, AVTORE PHILIPPO MELANTHONE.

CLARISSIMO VIRO, ERVDITIONE ET VIRTVTE PRÆSTANTI, D. IOACHIMO MOLLER HAMBVRGENSI, DOCTORI IVRIS, PHIlippus Melanthon S. D.

MVLTI OMNIBVS TEMPORIBVS INTVENTES TRISTISSIMAS *humani generis confusiones, ruinas Regnorum, promiscuos interitus hominum sceleratorum aut aliorum, quorum mores fuerunt modesti et inculpati, dubitarunt, an prouidentia diuina regantur res humanæ, an verò sine consilio vel Physicis motibus vel temerè & cæca vertigine & casu omnia voluantur.*

Aduersus hanc dubitationem, etsi Deus multa testimonia in ipsa natura opposuit, ipsam mundi figuram, vices motuum cœlestium & temporum, mirandam fabricationem naturæ humanæ, & in mentibus hominum numeros, cognitionem ordinis, immotum discrimen honestorum & turpium, conscientiæ dolores, terræ fœcundationem, conseruationem singularum specierum, pœnas atrocium scelerum, tamen & prodiens ex arcana sede allocutus est vniuersum genus humanum, ac de salute hominum & de venturo iudicio cõcionatus est, in quo vniuersale & æternum discrimen inter bonos & malos efficiet, ac vt

sciremus

ſciremus has conciones veras eſſe, reſuſcitatione mortuorum, & alijs mirandis operibus oſtendit eas Dei decretum eſſe.

Etſi autem in genere humano pauci eis adſentiuntur, tamen ſemper fuit, eſt & erit aliqua Dei Eccleſia, aliâs magis, aliâs minus frequens, quæ firma adſenſione diuinam vocem amplectitur. Hæc celebrat & inuocat verum Deum, & cauſas confuſionum præcipuas didicit, nec diſſimilitudine fortunæ mouetur, vt de prouidentia dubitet. Et quanquam ſunt in hac vita diſſimilia ſpectacula, tamen in illud venturum iudicium ſemper intuens, ſcit eſſe vnicam vitæ normam diuinitus traditam, qua regi iudicia in mente, & omnes actiones humanas oporteat. Hæc dubitationi opponit & teſtimonia naturæ impreſſa, & vocem à Deo traditam, & exempla reſuſcitationis mortuorum & ſimilia. Confirmantur pij & ſingulari teſtimonio in cordibus, quod nequaquam eis dubium eſt. Nam & in ſenſu iræ Dei, agnoſcunt eum verè iraſci peccatis, & rurſus cùm in conſolatione erigiuntur fide, illuceſcit pectori flamma, agnoſcunt ſe ex inferis retrahi, & ſentiunt initia vitæ æternæ. De hoc teſtimonio loquitur Paulus inquiens: Spiritus ſanctus dat teſtimonium ſpiritui noſtro.

Quanq̃ autem de argumento huius libri alij aliter locuti ſunt, tamen in hac ſententia acquieſco, & iudico ſummam operis hoc modò rectè diſtribui: Totam concionem eſſe doctrinam, videlicet, Adſeuerationem de prouidentia, ac refutationem in qua conſolationes ſunt, & comminationes. Etſi magna eſt in hac vita confuſio, imperia tenent homines iniuſti, qui Deum contemnunt, florent opibus impij: Eccleſia rectè inuocans Deum horribiliter premitur, vox rectè docentium & bona ſuadentium ſæpè eſt inutilis, magna multitudo eſt hominum inſanabilium, tamen non propterea exiſtimes nullam eſſe prouidentiam: Sed venturum eſt iudicium in quo fiet æternum diſcrimen bonorum & malorum.

Sunt & conſolationes intextæ, in quibus ducuntur Argumenta à neceſſario, à poſſibili, & ab vtili. Cùm neceſſe ſit Deo obedire, facias officia vocationis, quicunq; erunt euentus. Nec erunt prorſus irriti conatus. Aderit Deus inuocanti, & labores, pericula, impedimenta reget, ſicut Pſalmus inquit: Commenda Deo viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet. Nec ſemper erit infelix labor, Reſpondebunt aliquando boni euentus. Sparge, inquit, panem velut in aquam, quia tamen rurſus inuenies. Mira imago eſt, iubet ſpargere ſalutarem doctrinam & conſilia, ac ſi panem in aqua ſpargeremus, qui perire ibi videtur. Sed melius promittit hic concionator. Aliqua ex parte hi tui labores, Eccleſiæ, patriæ, poſteritati profuturi ſunt, etiamſi non poteris conſtituere ſtatum qualem conſtituit Ioſue, Samuel, Dauid, Salomon, Ioſias, at ſeruies vtiliter tuo loco, ſicut in miſera & oppreſſa patria ſeruiebant Zacharias, Simeon & alij his inferiores, quorum tamen fuit ſimilis voluntas.

Poſtremò cùm non reſpondent euentus, tamen in Deo acquieſcito, ſcias ipſi & in officijs vocationis, et deinde in euentibus obediendum eſſe ſicut ſcriptum eſt: Humiliamini ſub potenti manu Dei.

Non eſt ſimilis temporum fortuna, & Deus ipſe prædixit maiores imperiorum & Eccleſiæ dilacerationes in extrema ſenecta mundi futuras eſſe quàm fuerunt Patrum & Prophetarum temporibus. Et tamen quælibet ætas multa triſtia exempla habet. Sed nunc vrgemur non ſolùm ætatis infirmitate, ſed etiam mole pœnarum, quæ cumulatæ ſunt propter Idola & alia ſcelera. Maior etiam in Diabolo rabies eſt, ſentiente iam inſtare tempus extremi iudicij, in quo ſibi maiores cruciatus in omnem æternitatem certò propoſitos eſſe nouit.

Addit

Addit Salomon & comminationes, tradit Regulam: Atrocia scelera & in hac vita puniri. Non est iniustis, inquit euasio in prælio. Item, Etsi differuntur pœnæ, tamen certò secuturæ sunt. Benè erit timentibus Deum. Ac nequaquam benè erit impio, nec diuturna eius vita erit, sed sicut vmbra euanescit.

Hæc sunt præcipua membra in hac concione Salomonis. Iam apud sese lector reputet, quàm sit utilis doctrina, quæ confirmat in mente sententiam de prouidentia, & de uenturo iudicio, quæ admonitionem de officijs uocationis, & consolationes de difficultatibus & euentibus proponit. Nam exordium in omni graui deliberatione est cogitatio de prouidentia & de iudicio Dei, & de auxilio diuino.

Sciat autem lector & hoc, has conciones in Ecclesia Dei recitari, ubi notam esse oportet doctrinam de ueri Dei inuocatione, & de Redemtore filio Dei. Prælucere agnitionem filij Dei, & Redemtoris oportet his laboribus, de quibus hæc concio loquitur: Vt ipse Salomon hîc uniuersam doctrinam Ecclesiæ cognosci & audiri præcipit, & cultus inutiles taxat inquiens: Ingrediens domum Dei, accede vt AVDIAS. Melior est obedientia, quàm stultorum victimæ, qui nesciunt quantum faciant mali. Vides grauissimè præcipi, vt doctrinam in domo Dei, id est, in vera Ecclesia sonantem audiamus, quæ totam fundamenti doctrinam complectitur. Nam & tunc necesse erat discerni verum Deum ab omnium gentium commentitijs numinibus, & oportebat promissiones de redemtore notas esse, intelligi doctrinã de iusticia fidei. Nulla fuit neq; est Inuocatio grata Deo, nisi mens agnoscat Summum Sacerdotem perferentem nostra vota, & nostros gemitus ad æternum Patrem.

Itaq; tunc quoq; Prophetæ docebant agentes pœnitentiam accipere remissionem peccatorum, reputari iustos, donari Spiritu sancto, & hæredes esse vitæ æternæ certò fiducia Redemtoris, non propter propriam dignitatem, aut Legem. Fulsit autem hæc noticia redemtoris in alijs magis, in alijs minus, multi etiam vt fit omnibus ætatibus tantùm somniârunt homines illa disciplina Legis iustos esse, & peccata tolli mactatione victimarum. Sed tamen Prophetæ & multi eorum auditores custodes fuerunt veræ doctrinæ & fiducia redemtoris Deum rectè inuocârunt.

De cæteris qui putabant se iram Dei placare suis sacrificijs, inquit Salomon. Nesciunt quantum faciant mali. In hac breui querela Salomonis, tristis vituperatio est cœcitatis multorum omnibus ætatibus, qui simili errore fascinati sunt. Multi nunc quoq; nesciunt, quantum faciant mali, qui idola stabiliunt in Missa, & in inuocatione mortuorum. Sed audire eos vocem diuinam oportebat, quæ taxat errores & monstrat veram inuocationem.

Hæc de argumento huius libri Salomonis breuiter dixi, quem quia prodest familiariter notum esse omnibus, qui discunt literas, nam profectò multas vtilissimas admonitiones continet, recens in schola vtcunq; relegi.

Etsi autem video enarrationem nimis ieiunam esse, edi non volebam & tamen eò minus repugnaui, quia aliqui existimabant plures ipsum Salomonem lecturos esse, vtcunque commonefactos de rerum magnitudine, quas liber continet.

In editione verò tuum nomen addidi, quia te quoq; in illa tua militia has consolationes sæpè requirere animo scio, quæ adfirmant pios labores in gubernatione placere Deo, & non prorsus irritos fore, etiamsi bona consilia variis modis impediuntur. Insidiari humano generi Diabolos non dubium est, qui incitant alios, ut ui Ecclesiam delere conentur, alios vt sophismatum præstigijs eas turbent. Ad hæc mala accedunt multæ difficultates aliæ.

Sed ſcimus filium Dei ſedentem ad dextram æterni patris, cuſtodem eſſe ſuæ Eccleſiæ. Hũc oremus vt nos regat, & faciat nos vaſa miſericordiæ & organa ſalutaria, adiuuet pios labores, & foueat mœſtas Eccleſias, & reprimat Diabolum graſſantem tyrannide & ſophiſtica. Hæc noſtra vota ſcimus non eſſe irrita. Benè & feliciter vale, Cal. Oct.

ARGVMENTVM IN ECCLESIASTEN.

Quo conſiliõ argumẽta ſcriptorum, primùm recitentur.

IDEO IN ENARRATIONIBVS ARGVMENTA ET CONSILIA SCRIptoris initiõ recitantur, ut iuniores præmoniti utcunq; ſummam operis mente complectantur, & cogitent ad quem uſum materia ſcripta accommodanda ſit, an finis ſit cognitio, an uerõ Actio aliqua uitæ profutura.

Vt aũt iam de ſcriptis in Eccleſia dicamus. Vna pars doctrina eſt, ut recitatio articulorum fidei, quia Deus uult ſe agnoſci ex patefactionibus ſuis, uult nos audire ſuam uocem, & noſſe illuſtria teſtimonia, quę addidit ſuę uoci. Vult etiam nos aſſentiri ſuis dictis, & hanc aſſenſionem eſſe uirtutem pronunciat.

Cognitio non eſt ultimus finis doctrinæ in Eccleſia, ſed incoatio uitæ æternæ.

Sed non eſt ultimus finis cognitio, uerùm poſtea uult ad cognitionem accedere timorem & conſolationem, quia ideõ ſe patefecit Deus, ut colligat ſibi æternam Eccleſiam in genere humano, & eam ã peccato & morte liberet. Erigendi ſunt igitur auditores conſolatione, quæ fit Fide, quæ eſt incoatio uitæ æternæ, & oportet mentes in hoc curſu habere conſolationem, ut fieri poſſit inuocatio. Poſtea fruentur luce, ſapientia, bonitate & lætitia diuina in omni æternitate, cũm erit Deus omnia in omnibus, id eſt, cũm erit efficax in nobis, ſine miniſterio uerbi, ſed ſua ipſius luce, quam palãm cernemus.

Partes doctrinæ Eccleſiaſticæ.

Quanquam igitur pars aliqua in ſcriptis Eccleſiæ eſt δογματικὴ ſeu doctrina, tamen poſtea illi fines ulteriores intuendi ſunt. Sicut & eruditus concionator aliâs recitat ordinẽ articulos ſymboli aut legem: Aliâs proponit commina-tiones, accuſat reos, ut timorem iudicij diuini in animis exuſcitet: Aliâs recitat uocem Euangelij & conſolationes, quas filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus Eccleſiæ tradidit, & accendit fidem, & inuocationem, & lenit mœſticiam, ne corda opprimantur deſperatione, & ruant in exitium.

Doctrina Eccleſiæ ſumenda ex ſcriptis Propheticis et Apoſtolicis.

Ita ſciat concionator membra ſuæ orationis diſtribuenda eſſe, ut & Paulus monuit: Sis adſiduus in lectione, doctrina & conſolatione. Legat pius Concionator libros Propheticos, & Apoſtolicos. Inde ſumat res Eccleſiæ proponendas, non fingat nouas opiniones aut commentitia numina, ut Numa, Pompilius aut ſimiles. Sumtas autem res ex fontibus pius Concionator perſpicuẽ & ſine corruptelis exponat, monſtret alicubi definitiones, ac diſtinctiones. Hęc ſunt docentis munera. Tertiõ transferat doctrinam ad excitandum Timorem & Fidem, quæ eſt conſolatio & reſtitutio uitæ.

Conciones Salomonis ſunt dogmaticæ, Aſſeueratio de prouidentia.

Poſtquãm autem Lector harum concionum Salomonis conſiderauit, hęc eſſe conſilia ſcribentium, Sciat principaliter totum hũc librum, cui titulus eſt Eccleſiaſtes, eſſe doctrinam, uidelicet, Aſſeuerationem de prouidentia. Affirmat eſſe Deum ſapientem, ueracem, iuſtum, iudicem, liberrimè agentem, colendum iuxta doctrinam ab ipſo traditam, non aliter, punientem contemnentes ipſum, & miſericordem ac ſeruantem eos, qui ipſum inuocant & ei obedire incipiunt.

incipiunt. Est igitur præcipuum opus huius libri δογματικὸν, uidelicet, Asseueratio de prouidentia contra Epicureas, Pyrrhonias, Stoicas & alias cogitationes, quæ labefactant assensionem de prouidentia.

Suntq; expressæ asseuerationes in his uerbis capite ultimo. Cuncta quæ sunt, adducet Deus in iudicium, Omnia abscondita iudicaturus est, & bona & mala. Item cap. 11. Scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Et cap. 3. Iustum & impium iudicabit Deus. In his uerbis & similibus scito principalem propositionem totius concionis recitari & repeti. *Principalis propositio concionum Salomonis in quib. sententijs contineatur.*

Hanc asseuerationem sequitur doctrina de obedientia. Cùm Deus dederit Legem & addiderit comminationes, ingenti misericordia etiam uocem Euangelij de reconciliatione, & amplissimas promissiones ediderit, & certò puniat contemnentes ipsum, recipiat uerò & seruet confugientes ad filium Mediatorem, necesse est ei obedire iuxta suam doctrinam, sit in cordibus Timor metuens eius iudicium, sit fides acquiescens in Mediatore, & statuens te recipi, exaudiri, iuuari, protegi & seruari, & frenentur membra ne ruant contra mandata Dei. *Doctrina de obedientia addita assueratione de prouidentia.*

Ita doctrina transfertur ad usum, cùm obedientia sequitur assensionem de prouidentia, & in illa obedientia corda sustentantur diuina consolatione, & liberantur à morte æterna, & incoatur cœlestis uita, quam ultimam metam intueri nos necesse est.

Sed asseuerationi de prouidentia uidentur aduersari multæ confusiones in uita. Iustus iudex cùm potest, defendit iustos, & reprimit facturos iniusta, & eos qui deliquerunt, punit. At in genere humano plerunq; iusti iacent oppressi magnis ærumnis. Quàm multa millia innocentum infantum, Virginum, matronarum quotidiè in bellis, incendijs, & alijs calamitatibus pereunt. Interea scelerati non solùm non reprimuntur, sed etiam florent & habent imperia & opes. *Confusiones in uita uidentur aduersari doctrinæ de prouidentia.*

Talis cùm sit confusio, quomodo uideri potest regi uita à Deo. Extat hæc querela in plurimorum scriptis, ut notum est. Et nemo est hominum, qui non hac disputatione excrucietur.

Præterea uidentur homines boni & mali fortuitis casibus perire, sicut conculcantur uiolæ in terra, aut uenti flores & poma decutiunt ab arboribus.

Sæpè etiam sapientum & iustorum conatus irriti sunt, & uincunt mali. Erat uera Ecclesia in populo Iudæorum, cùm Nabogdonosor fecit uastitatem in tota Iudæa deletis Ierosolymis & alijs urbibus. Hoc spectaculum tunc quoq; multos mouit, ut existimarent eam gentem non esse curæ Deo. *Irriti conatus sapientum & iustorum.*

Etsi autem multa sunt testimonia præsentiæ Dei in natura, & in conseruatione generis humani, ut ordo motuum cœlestium, noticiæ certę in mente, conseruatio specierum, pœnæ regulares atrocium scelerum, tamen Epicurei difficulter refutari possunt, cùm contra prouidentiam hæc spectacula confusionum colligunt. *Difficilè est refutare Epicureos obijcientes confusionũ spectacula.*

Sed Salomon hîc opponit responsiones firmas & ueras, quæ non nascuntur in humana ratione, sed sunt uox Dei de uenturo iudicio post hanc uitam. Ac primùm ait, in hac uita quoq; multorum scelera puniri, ut cap. 8. dicit. Non saluabit impietas impium, nec erit ei euasio in bello.

Deinde fatetur aliquantisper differri iudicium, & queritur hac quamuis breui mora, tamen confirmari audaciam sceleratorum. Sed tamen opponit æ-

ternitatem. Hæc uita breuis umbra est. Nec pœnæ in hac uita diuturnæ sunt, nec lætitia. Sed æterna bona & mala non sunt fugaces umbræ. Hanc æternitatem iubet omnes intueri,& cauere,ne incidant in æternam Dei iram,& horrendos cruciatus nunquam desituros,& petere,& expectare æterna bona.

Pij fide acquiescunt in Salomonis respõso.

In hac responsione fides in conuersis ad Deum acquiescit, fugit æternam Dei iram,petit & expectat æternam salutem,ideoq; Deo obtemperat,&sustentat se agnitione præsentiæ Dei, & auxilij diuini in præsentibus ærumnis. Scit autem etiam Ecclesia,quare in hac uita onerata sit tanta mole miseriarum.

Etsi igitur Epicurus rideret Salomonis responsionem, tamen pia mens assentitur & credit Deo asseueranti de futuro iudicio.

Concio Salomonis est doctrina fidei de iudicio Dei et discrimine Ecclesiæ & impiorum.

Ergo hæc concio Salomonis Prophetica est,&uox diuina in Ecclesia Dei de futuro iudicio,qualis est concio filij Dei in capite Matth.25. & in alijs locis. Non igitur hic liber Salomonis legendus est, ut Cratetis aut Senecæ Epistolæ de contemtu diuitiarum, & Monachorum scripta de desertione societatis Politicæ, sed doctrina fidei est de iudicio Dei, & de distinctione impiorum & Ecclesiæ, & inter horrendas confusiones generis humani ostendit iram Dei contumacibus,& consolationem pijs, Ideoq; prolixæ sunt narrationes confusionũ & scandalorum,ut postea doceat,nequaquam ex his spectaculis in hac uita iudicandum esse de uoluntate Dei, sed firma fide assentiendum esse VOCI DIVINAE & uerbum Dei oportere NORMAM esse omnium consiliorum & actionum,sicut scriptum est, LVCERNA pedibus meis uerbum tuum.

Summa doctrinæ Ecclesiasticæ in Salomone expendenda.

Necesse est igitur in huius Libri lectione nouisse summam doctrinæ Ecclesiasticę,de creatione mundi & hominis,de lapsu hominum, de causis calamitatum,de promissione,& de Mediatore,propter quem & per quem rursus Ecclesia colligitur,de fide accipiente remissionem peccatorum,de lege Dei,de uita æterna,de iudicio postremo,de pœnis æternis impiorum, de salute piorum. Hanc totam doctrinam complecti necesse est,cùm de prouidentia dicitur. Cũ enim confusiones in hac breui uita caliginem offundant mentibus, ut minus cernant prouidentiam,necesse est intueri illam alteram uitam,in qua discrimẽ erit illustre malorum & bonorum in omni æternitate.

Series partium libri Salomonis.

Consideranda est autem series partium in hoc libro Salomonis. Prius recitat obiectiones, quæ uidentur aduersari prouidentiæ, & in hac recitatione prolixus est,quia magnos & assiduos tumultus excitant in humanis mentibus hæ profanæ cogitationes. Est igitur & hæc pars libri prolixior. Passim uerõ breues responsiones inserit. Timeto Deum,restat aliud iudicium, Hæc breuissima dicta sunt responsiones, quas firma assensione & fide amplecti nos oportet.Certissimum est enim esse eas decreta diuina, quæ in Ecclesia uoce Prophetarum, Christi, & Apostolorum sæpè repetuntur,& fides certa & breuia dicta diuina opponit turbulentis cogitationibus rationis.Hæc ipsa certamina rationis humanæ imitatur forma obiectionum & responsionum in hoc libro.

Sequuntur autem asseuerationem de prouidentia, Lex & comminatio. Item Euangelium & consolatio: postquam statuis esse Deum, & esse iudicem & uindicem, audi præcepta & obtempera, et quia magna est infirmitas hominum, et multi furores diabolorum, qui augent confusiones generis humani, multa sunt impedimenta obedientiæ, Hîc necessaria est consolatio. Audienda

est

est igitur uox Euangelij, quæ docet, quæ obedientia, & quomodo placeat, iubet gubernatorem non abijcere uocationis officia, etiamsi in hac uitæ confusione aliquantisper dissimiles sunt euentus rectorum consiliorum, & monet, ne frangamur desperatione, etiamsi aliquantisper florent iniusti, & premitur uera Ecclesia, quia etiamsi aliquantisper differtur iudicium Dei, tamen aliquantō pōst & in hac uita, & in tota æternitate punientur scelerati.

Hanc consolationem sæpè intexit huic Scripto, quæ comprehensa est & in toto Psalmo 36. Noli æmulari, & in multis concionibus Prophetarum & filij Dei, ut in capite Matth. 10. Non timete eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Longē anteferenda est æternitas breuissimo spacio huius uitæ mortalis, & tamen in hac uita comitantur atroces pœnas atrocia delicta, iuxta illud: Qui gladium acceperit gladio peribit, & experientia peperit hæc dicta:

τεύχων ὡς ἑτέρῳ τὶ, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Vt de Archelao Rege Macedonico dictum est, qui etiamsi fuit aliquantisper gloriosus Rex, tamen quia per scelus regnum inuaserat, ā suis interfectus est, & singulæ ætates multa uident talia exempla. *Archelaus Rex Macedonicus.*

Iam facilè intelligit lector non omnino rudis uitę communis, quis sit usus huius libri, quæ inde utilitas capienda sit. Confirmanda est assensio de prouidentia dictis huius concionatoris, quæ in Ecclesia proponuntur non humana autoritate, sed diuinitus. *Vsus libri Salomonis.*

Deinde suo quisq; loco obediat Deo, & faciat officia uocationis, quam cùm multa impediant, teneat consolationes quæ hîc proponuntur, sciat cursum in uocatione Deo placere, sciat Deum rectorem esse sui cœtus, & uelle peti auxilium diuinum, & uerissimē opem ferre fideliter seruientibus in uocatione, & tandem collocaturum esse Ecclesiam in illam æternam consuetudinem cum diuinitate, in qua Deus erit omnia in omnibus. Hac fide obtemperet Deo, recta faciat, & acquiescat in Deo, non indignatione, non desperatione abijciat officia uocationis, non ruat in contemtum Dei Epicureum.

Hac admonitione de usu libri considerata, lectio & magis perspicua & dulcior erit, ac propemodum summa operis continetur in his dulcissimis regulis uitæ. Psalmo 36. Subditus esto Deo, & ora eum. Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & IPSE faciet. Expecta Dominum, & custodi uiam eius. Iacta curam tuam in Dominum, & ipse te sustentabit. Primùm quærite regnū Dei & cætera adijcientur uobis. Ne sitis soliciti de crastino, sufficit diei afflictio. Fac necessaria, & pete ac expecta auxilium ā Deo, nec moueas non necessaria. Sed intuens in mandata Dei, hanc normam sequaris, & scias ex Euangelio placere obedientiam propter Mediatorem, & per eum ac propter eum labores tuos fore salutares, sicut inquit: Sine me nihil potestis facere. Et Paulus inquit: Non erit inanis labor uester in Domino. Efficiet ipse filius Dei, ut cursus tuus prosit Ecclesiæ, sicut scriptum est: Ascendit, dedit dona hominibus, prophetas, Apostolos, doctores &c. Et in Psalmo dicitur: Qui dat salutem Regibus. *Summa operis quibus regulis contineatur.*

Has consolationes ueras & salutares esse, bonæ mentes intelligunt. Et quia magna pars harum consolationum pertinet ad uirtutem, quæ nominatur Patientia, breuiter initiō & hanc admonitionem addam. Notum sit discri- *Consolationū magna pars pertinet ad patientiam.*

Patientia Philosophica.

men patientiæ Philosophicæ & Christianæ. Patientia Philosophica est obedire rationi in perferendis ijs laboribus & ærumnis quas iubet ratio ferre, & nihil facere contra iusticiam, & hac recti conscientia moderari dolorem. Interdum autem hæc Philosophica patientia est sine ulla spe auxilij, cũm uidelicet ratio non ostendit auxilium aut mitigationem ante mortem, ut Aristides, Camillus, æquo animo ferunt iniurias & exilia, nec expectant auxilium à Deo.

Patientia Christiana.

Sed patientia Christiana est obedire Deo in his laboribus & ærumnis ferendis, quas iubet Deus ferre, & nihil facere contra iusticiam, & petere ac expectare auxilium ac mitigationem à Deo propter Mediatorem, & hac fiducia præsentiæ Dei moderari dolorem. Ita in Dauide, in Ieremia & similibus semper cum obedientia coniunctæ sunt hæ uirtutes, fides & spes, & hæ uirtutes, fides & spes gignunt læticiam in corde, iuxta illa dicta: Iustificati fide pacem habemus. Item pax Dei custodiat corda uestra. Huc pertinet regula Paulina scripta ad Thessalonicenses: Semper gaudete, incessanter orate, in omnibus gratias agite. Vt autem hæc fides accendatur in cordibus nostris, necesse est nosse Euangelium de remissione peccatorum, & de reconciliatione propter Mediatorem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum. Hunc intuetur fides, & scit per eum nos duci ad æternum Patrem, scit hunc Mediatorem umbraculum esse, quo tegimur, ne horrenda ira Dei extinguamur, & ne Diaboli rabiem suam exercere in nos possint, ut cupiunt, scit iuuari & seruari Ecclesiam per hunc Mediatorem filium Dei. Hæc fiducia Mediatoris præluceat omnibus alijs actionibus, ut sæpẽ copiosẽ dicitur.

Fides non est sine Euãgelio

Reiectio alienarum interpretationum libri.

Omitto longas recitationes, quomodo hic liber alienis interpretationibus obscuratus sit. Alij physicam enarrationem quæsiuerunt: Alij fanaticas, quasi liber damnet coniugia, gubernationes, labores necessarios in Ecclesia, politia & Oeconomia, & iusserunt deseri uocationem. Hæc deliramenta Monachorum reijcienda esse initiõ moneri necesse est. Non damnat Salomon creaturas Dei, nec uocationem, imõ iubet his reuerenter & ordine uti, sed damnat in humano corde peruersionem ordinis, quod ita mouetur spectaculis euentuum, ut dubitet de prouidentia. Cũm autem falsæ interpretationes huius libri magnam caliginem offuderint doctrinæ Euangelij, utile est iuniores de simplici sententia commonefieri.

Salomon dubitatione mederi uult, quam inde Monachi falsò extruũt.

Sparsa est in Ecclesiam falsa interpretatio dicti, Nemo scit an amore uel odio dignus sit. Id dictum contra huius libri sententiam enarratur. Semper dubites an Deo placeas, cũm tamen Salomon huic dubitationi mederi uelit. Non dubitant Ieremias uel alij credentes se placere Deo, etiamsi uident conflagrare patriam, & se in exilium abduci, Hoc ipsum enim uult Salomon, de uoluntate Dei ex eius uerbo, non ex secundis aut aduersis euentibus in hac uita iudicandum esse. Hæc de Argumento dixisse satis est.

CAPVT I.

VERBA Ecclesiastæ filij Dauid Regis Ierusalem.

Cur Salomon se nominet regem & Ecclesiasten.

IN Titulo nominat se Salomon & Regem, & Ecclesiasten, id est, concionatorem, qua appellatione significat ad officium principum pertinere ut curent rectẽ doceri Ecclesias, sicut in Psalmo dicitur: Et nunc Reges intelligite. Item:

Aperite

Aperite portas principes uestras. Item, In conueniendo reges & populos in unum ut seruiant domino. Hunc dulcem uersiculum sæpè cogitare oportebat & principes & populos: Quia utrisq; præcipitur, ut conueniant, id est, tueantur communem congregationem & ministerium uocis diuinæ, & discant ueram doctrinam, & uero consensu Deum inuocent & doctrinam conseruare studeant: Huius autem pij consensus Reges debent esse duces & autores, Ideò hîc quoq; Salomon se concionatorem nominat, significans se uelle autorem esse pij consensus in Ecclesia & custodem ueræ doctrinæ.

VANITAS uanitatum, & omnia uanitas. Quid habet homo amplius de uniuerso labore suo.

Primùm scias non hoc dici, res esse malas, sed sententia in Genesi firmissimè retinenda est. Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant ualdè bona, id est, ordinata ipsius sapientia & bonitate, congruentia ad ipsius sapientiam, placentia ipsi, & condita ad usus placentes ipsi & conseruantes naturam. Hanc interpretationem benè meminisse initiò oportet. Et Genes. loquitur de rebus conditis & manentibus in suo ordine, sed Salomon loquitur de negocijs humanis. Ac diserte inquit, sub sole, ut significet se non comprehendere uanitatis appellatione Deum, uerbum Dei & ministeria quæcunq;, quæ reguntur uerbo Dei. Nam hæc quoq; cùm suum ordinem retinent, sunt res bonæ. Sed hîc de ordinis deprauatione dicitur, id est, loquitur de rebus & negocijs collatis ad cor humanum, quod miscet conturbationes ordinis. Ideò dicit: *OMNIA SVNT VANA*, quæ sub Sole sunt, id est, negocia, humana sunt breuia, fugacia, instabilia, ærumnosa, non adferentia perpetuam quietem cordi, non uoluptates non diuitiæ, non sapientia & uirtus humana, non gloria, non magnitudo imperij. His rebus & negocijs omnibus miscentur multæ magnæ miseriæ propter hominum imbecillitatem. Sed sola Dei misericordia agnita in promissionib. adfert firmam & perpetuam tranquillitatem & lætitiam in cordibus.

Salomon non res damnat et ordinem, sed ordinis deprauationem.

Dixi autem initiò hunc librum consolationem esse. Ideò pars altera propositionis querela est, quæ recitat miserias, & affirmat, non posse acquiescere animos in rebus seu negocijs humanis. Non igitur anteferantur res aut euentus uerbo Dei. Itaq; Antithesis additur, quæ est altera pars propositionis & summa operis, Gubernet mentes uerbum Dei, qualescunq; sunt euentus in negocijs, Ita acquiescent in Deo, sicut & Paulus præcipit, Gubernet corda uestra pax Dei &c.

Non anteferantur res & euentus uerbo Dei.

ORITVR Sol & occidit, & ad locum suum redit, omnia flumina intrant Mare &c.

Postea addit similitudinem sumtam à motibus Solis & aquarum, cuius accommodatio prudenter consideretur. Tantùm enim proponitur tanquam imago instabilitatis & reuolutionis similium miseriarum in negocijs humanis, & significat eas miserias nec consilio nec sapientia humana impediri posse. Vt cùm fuissent magni tumultus & crebræ seditiones in republica Romana sub Cos. & Tribunis, postea expetita est Monarchia, & redierunt tamen similes miseriæ. Ita in Israël, cùm in Aristocratia ante regnum magnæ calamitates accidissent, populus uoluit regnum constitui, ac sperabat mutata forma Reipublicæ feliciorem statum fore, sed aliquantò pòst secutæ sunt maiores dilacerati-

Similitudo à gyrationib. solis & aquæ quomodo ad cursum miseriarum humanarum sit accommodanda.

ones. Cũm igitur inſtabilia ſint humana,& non adferant quietem,fac neceſſaria & acquieſcas in Deo. Simpliciſſima igitur accommodatio ſimilitudinis hęc eſt: Sicut Sol & aqua habent aſſiduas circumgyrationes & reuoluuntur,ita humana negocia unã cum miſerijs quæ admixtæ ſunt, reuoluuntur, nec conſilio aut ſapientia humana impediri ærumnæ in uniuerſum poſſunt. In priuatis & in publicis negocijs ſubinde alia conſilia tentamus ad efficiendum ſtatum meliorem,& tamen redeunt ſimiles miſeriæ. In hanc ſententiam dicit: *NIHIL NOVI SVB SOLE*,& poſtea addit cauſam, *PERVERSI DIFFICVLTER CORRIGVNTVR, ET STVLTORVM INFINITVS EST NVMERVS*,id eſt, nulla ſapientia humana prohibere aut uitare poteſt omnes lapſus & triſtes caſus. Quia hæc natura eſt imbecilla & ſtulta,ideõ qualia acciderunt antea,talia omnib.ætatibus & poſtea accident in genere humano. Ex hac declaratione intelligi poteſt,hãc narrationem in textu ad querelam pertinere,id eſt, deſcriptionem eſſe miſeriarum humanarum ſimili modo recurrentium, ſicut & Thucydides inquit:Similia accidere donec maneat eadem hominum natura, aliâs aliquantõ mitius, aliâs aliquantõ atrocius ut ferunt circumſtantiæ. Neceſſaria eſt autem hæc conſideratio ut præmoniti præparemus nos ad ferendos aduerſus caſus,& ſciamus ã Deo petendum auxilium & in eo acquieſcendum, qui calamitates & Eccleſiæ & priuatim inuocantibus mitigat, & non accendit totam iram ſuam. Obiter autem obſeruent hîc ſtudioſi dicta,quę affirmant, Terram ſtare,& Solem moueri. Cæteras Phyſicas diſputationes omitto.

Terra ſtat,Sol mouetur.

EGO Eccleſiaſtes fui Rex in Ieruſalem &c.

Salomon non de Phyſica conſideratione loquitur.ſed conſiliorum & euentuum in actionibus humanis.

Primùm hîc ſcias Salomonem non loqui de Phyſica conſideratione, in qua ſi fiat ſobriẽ animaduerſio ordinis & artis in opificio mundi,illuſtria teſtimonia de Deo & de prouidentia oſtendit. Sed loquitur Salomon de Sapientia,id eſt,de conſideratione conſiliorum, actionum & euentuum in gubernatione humana,politica uel œconomica. Ideõ expreſſè dicit,ſe conſideraſſe ea quæ ſunt ſub Sole,id eſt,conſilia & euentus actionum humanarum, ut Pericles, Demoſthenes,Cicero,ſunt ſapientes gubernatores. De tali ſapientia hîc loquitur Salomon,hanc ipſam ſapientiam ſeu deliberationes in gubernatione,nominat malam afflictionem, & addit hominibus ã Deo datam eſſe. Hæc uidentur abſurda, ſed primùm diſcernantur uocatio,& ipſa Periclis uel Ciceronis ſapientia ſeu gubernatio. Vocatio bona eſt, & ã Deo ordinata, ſed illa ſapientia rectrix in Pericle,eſt afflictio mala dupliciter. Primùm quãm ſæpẽ errat in conſilijs,deinde quia etiam bonis conſilijs ſæpẽ non reſpondent euentus. Eſt igitur afflictio,id eſt,pœna ſeu cruciatus, ſicut Demoſthenes inquit,Se malle recta ad mortem ire,quàm ad ſummos honores, ſi retexere uitam liceret: & Aeſchines ait,Gaudere ſe ã gubernatione uelut ã rabioſa cane liberatum eſſe. Deniq; omnes prudentes Patresfamilias & gubernatores, ſentiunt plenam eſſe gubernationem non tantùm curarum, ſed etiam impedimentorum, errorum, triſtium euentuum, quæ omnia ualdè cruciant animos. Hinc illa poëmata ficta ſunt de Prometheo affixo ad Caucaſum, de Siſypho ſaxum uoluente & ſimilia.

Sapientia rectrix in impijs eſt afflictio mala dupliciter.

Demoſthenes, Æſchines.

Sed cur dicit,ã Deo hanc afflictionem datam eſſe? Reſpondeo: Generaliter uerum eſt, Deum uelle pœnam, nequaquãm tamen inde ſequitur Deum cauſam eſſe peccati. Vult puniri Neronem,nec tamen ipſe impellit eum ad illa

tetra

tetra scelera,sed sinit eum ruere.Ita hîc plana responsio est,Deus sinit errare gubernatores, sinit accidere impedimenta & tristes euentus, ut puniat humanam temeritatem. Item, ut commonefaciat aliquos,ne obsequantur cupiditatibus, ambitioni aut curiositati,sed ut mentes in uocatione regantur uerbo Dei,& intra eas metas contineantur, petant & expectent secundos euentus à Deo, & in tristibus euentibus Deo obtemperent. Iosias infert bellum Aegyptio non necessarium.Pericles mouet bellum inquietudine animi et πολυπραγμοσύνῃ.Marius ambitione.Hi errant in consilijs. Sæpè uerò etiam bonis consilijs non respondent euentus, ut Israëlitæ sæpè infeliciter pugnant etiam in causa iustissima, ut cùm uincuntur à Beniamitis,quia Deus uolebat utroscp puniri. Vult etiam docere, ne confisi nostra sapientia aut potentia moueamus res non necessarias. Item,ut in necessarijs simus humiles, fateamur nos pœnam meritos esse. Item, fide petamus & expectemus bonos euentus à Deo. Item ut Deo obtemperemus etiam cùm nos punit,nec dat euentus quales optamus. In hanc sententiam inquit hanc afflictionem diuinitus impositam esse generi humano,quia communis miseria est, quæ tanquam pœna comitatur prauitatem naturæ & multa peccata.

LOCVTVS sum in corde meo &c. Mens mea contemplata est multa sapienter &c. Eò quòd in multa sapientia, multa sit indignatio,& qui addit scientiam,addit & dolorem.

Vt suprà dictum est, non loquitur Salomon de Physica consideratione ordinis in opificio mundi, aut cognitione uerbi Dei,sed loquitur de consideratione consiliorum,actionum & euentuum humanorum,in quibus cernimus uitam plenam esse confusionum, errorum,uiciorum & calamitatum. Sapientiores & uersati in gubernatione propius cernunt præsentia mala,& multos tetros casus futuros ex præsentibus ratiocinantur. Ideò magno dolore excruciantur propter præsentes & futuras miserias, & quidem semel ortis mutationibus sequi maiores confusiones, ut moto bello à Pericle, secuta sunt excidia pènè omnium magnarum urbium in Græcia. Et nimis uerum est, quod dicit Pindarus: Facilè est ciuitatem mouere cuiuis, sed in tranquillum sistere solius Dei est. *Consilia humana plena sunt errorum & calamitatum.*

Hactenus querela recitata est in primo capite, ac nondum addita est consolatio,quæ postea sequitur. Est autem hæc summa. Videmus magnas in uita confusiones esse,magna errata &multos tristes euentus.Ideò non possumus acquiescere in ipsis rebus, non parit tranquillitatem ipsa rerum confusio, necp tamen propter has miserias à Deo deficiendum est,sed ei obediendum patienter, & ab ipso expectanda defensio & liberatio, & in ipso fide acquiescendum est iuxta uerbum ipsius.Hęc est summa non solùm huius capitis,sed etiam uniuersi libri,congruens cùm his dictis: Subditus esto Deo & ora eum. Item,lacta curam tuam in Deum & ipse te sustentabit. Hæc consolatio postea in capite tertio, & deinceps addetur. *Confusiones non pariunt tranquillitatẽ in animis nec tamen propterea deficiendũ est à Deo.*

CAPVT II.

DIXI ergo in corde meo, Vadam & adfluam delicijs, & fruar bonis, Et vidi quòd hoc quoq; esset vanitas.

Themistocles,

Salomon non improbat uoluptates sed modum quærendi reprehendit.

THemistocles, Lucullus & multi alij tandem se uoluptatibus dediderunt pertæsi Reipublicæ propter multas inutiles contentiones, & ingratitudinem hominum. Ita ab extremis ad extrema delabuntur homines, pertæsi laborum deinde uoluptatibus effuse indulgent. Hunc modum quærendæ tranquillitatis hîc etiam nominat uanitatem, nec est rerum reprehensio, imō Deus ipse immensa bonitate multis dulcissimis uoluptatibus hanc uitam condiuit. Ac utendum est cibo, potu & alijs rebus diuinitus conditis iuxta diuinam ordinationem, cum inuocatione & gratiarum actione: Sed uanitas est uelle in his acquiescere, cùm in Deo sit acquiescendum.

Præterea & his uoluptatibus multi dolores admixti sunt, ut in poëmatis multæ sunt querelæ. Ouidius inquit, Vsq; adeō nulla est sincera uoluptas, solicitumq; aliquid lætis interuenit. Et Plautus, Statin parua res est uoluptatum in uita præterquàm quod molestum est. Item, uoluptati mœror comes consequitur. Ita hîc dicit: Risum intellexi esse stulticiam, id est, uoluptates corporis nec diuturnas nec integras esse. Nec procul alia sententia quæratur. Sed significat non posse homines acquiescere in uoluptatibus corporis, nec frangi debere, ut deficiant à Deo, cùm uoluptates impediuntur aut eripiuntur, sicut suprà monuit, non deficiendum esse à Deo propter tristes euentus & confusiones gubernationis, sed Deo patienter obediendum esse, & ab ipso expectanda bona.

MAGNIFICAVI opera mea, ædificaui mihi domos & plantaui vineas &c.

Sequitur querela de alia uicina uoluptate, id est, de magnificentia & splẽdore in uita, & de curiositate inquisitionis multarum rerum. Nam & hæc cupiditas non est leuis carnificina, cùm omissis necessarijs, magna cura & magno labore non necessaria inquiruntur.

POSSEDI seruos & ancillas, multamq; familiam &c.

Inquisitio facultatum, doctrinæ, bona est, sed in his non est collocanda tranquillitas.

Addit & alia negocia, ut diligentiam augendæ rei familiaris, quæ interdum est irrita, sæpẽ magna patrimonia posteris pernicioſa sunt. De his omnib. de inquisitione doctrinæ, de facultatibus ut suprà, monet res bonas esse, & uocationi seruiendum esse, necessaria discenda, rem familiarem quærendam, sed ita, ne existimemus nos tranquillitatem in his negocijs inuenturos esse. Multæ enim accedunt inutiles occupationes, multa errata. Nec conficiamur curis & dolore, cùm non respondent euentus nostris conatibus aut spei, sed patienter toleremus uoluntatem Dei, & necessaria faciamus.

Hanc conclusionem textus ipse ponit inquiens: *TRANQVILLITAS DE MANV DEI EST.* Item, *DEVS DAT HOMINI PLACENTI SAPIENTIAM ET LÆTICIAM, PECCATORI VERO AFFLICTIONEM.* Non igitur res, non inquisitionem doctrinæ improbat, sed uult suę quemq; uocationi parere, & nos in Deo acquiescere, siue procedant labores, siue non procedant, non deseramus uocationes, non irascamur Deo, etiamsi non pariter diteſcimus. Non deserantur studia necessaria, etiamsi non omnia inuenire possumus, nec rerum cognitio tollit mortem, aut alias plerasq; miserias, ut hîc inquit: *MORITVR DOCTVS VT INDOCTVS.* Narrat ea quæ fieri nostris oculis cernimus, & uult, ne propter tales euentus deseratur uocatio. Aristoteles fuit doctus, & mortuus est exul. Imō dicunt eum dolore extinctum esse, quōd causam inuenire non potuit

fluxuum

fluxuum & refluxuum Euripi. Omnia igitur ad regulam sæpè traditam referantur, utamur rebus, ut sunt ordinatæ, seruiamus in gubernatione Politica, quæramus rem familiarem, discamus necessaria, & Deum agnoscamus, qui hęc omnia ordinauit, & ei gratias agamus pro omnibus istis donis, & si quid secùs accidit, patienter uoluntatem eius toleremus, & in eo acquiescamus, ut sępè iam dictum est: Subditus esto Deo & ora eum.

CAPVT III.

IN tertio capite, iam expressè post querelas addit conclusionem & asseuerationem. *CVNCTA FECIT DEVS BONA SVO TEMPORE*, id est, rerum usus, ut à Deo ordinatus est, est bonus & est felix suo tempore, id est, cùm utimur rebus iuxta ordinationem Dei, & Deo iuuante, iuxta illud: Nō potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum desuper. Ideo postea longum Catalogum addit, *OMNIA TEMPVS HABENT*, id est, non est humani consilij sine uocatione & sine auxilio Dei eligere tempora felicia. Brutus, Cicero, Hircius, Pansa cogitant restitui posse ueterem statum Reipublicæ Romanæ, & falluntur, & semper hoc modo multi decepti sunt, & decipientur. Sed procedunt negocia cùm obtemperamus uocationi, & quidem iuuante Deo, & tamen aliâs magis aliâs minus difficulter. Huc pertinet dictum Psalmi: Commenda Deo uiam tuam & ipse faciet.

Rerum usus à Deo ordinatus est, & felix est Deo adiuuante.

ET dedit mundum in cor eorum. Sed homo non potest inuenire opus quod facit Dominus, nec initium nec finem.

Id est, Deus res ita condidit, ut corda suauiter eis frui deberent, & celebrare autorem & habere tranquillitatem in Deo, dedit cibos, uoluptates, diuitias, artes, imperia, uirtutem, sed hominibus fit usus insuauis, quia habent uagas cupiditates, miscent uanas solicitudines propter diffidentiam, appetunt noua & mouent res non necessarias, sicut breuissimè dixit & significantissimè Ieremias, Cor hominis peruersum & ærumnosum. Antonius adeptus est florentissimā partem imperij, sed natura inquieta cùm appetit totum imperium accersit sibi exitium. Bellerophontes Pegaso uehitur initiò ad res utiles gerendas, postea factus elatior, cùm uellet altius ad Iouis colloquium uehi, narratur à Pegaso excussus esse. Contra hæc mala debebant homines manere in uocatione, & fide acquiescere in Deo, & hoc facere, inquit Salomon, *EST DONVM DEI*. Sequitur ergo in Textu:

Manere in uocatione & acquiescere in Deo donum Dei est.

Antonius.

Bellerophontes.

NON EST melius homini, quàm lætari & benefacere vitæ suæ. Omnis enim homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

Hæc uerba non dicuntur μιμηλικῶς in persona Helluonis, sed sunt asseueratio rectè docentis pertinens ad institutam conclusionem, quæ approbat rerum usum, ut à Deo ordinatus est, & hunc usum ait felicem & suauem esse Deo iuuante, iubet igitur uti rebus iuxta ordinationem Dei, & ostendit unde petendum sit, ut sit usus felix, & ubi acquiescendum sit. Fides intueatur Deum, faciat officia uocationis, petat & expectet à Deo auxilium & successus, & perferat incommoda, & quatenus labor est felix, sciat eum à Deo iuuari & gubernari & ei gratias agat.

Asseueratio approbans rerum usum, ut est à Deo ordinatus.

Hæc

Hæc est sententia uerborum. Qui uidet bonum de labore suo, Dei donum est. Approbat & postulat laborem, & dicit, iuuante Deo felicem & grà-tum esse, Hæc sententia congruit cum toto Psalmo, Nisi Dominus ædificauerit domum &c. Sicut Sagittæ in manu potentis, ita filij fortium. Talis fuit gu-
Iosaphat. bernatio Iosaphat, quæ quancp̃ & ipsa offensiones aliquas habuit, tamen ma-gna ex parte salutaris & felix fuit iuuante Deo, & acquieuit ipse in Deo. Econ-
Achas. trà gubernatio Achas inquieta, infelix fuit, cùm ipse esset sine fide, & multa hu-mana sapientia extra uocationem infeliciter conaretur.

OMNIA opera, quæ facit Deus, firma sunt.

Commoratur in superiore sententia, Humana consilia sine Deo sunt in-
Dei opera salutaria & felicia sunt. felicia, ut Gubernatio Achaz, Agesilai. Econtrà Dei opera firma sunt, id est, salutaria, felicia, procedentia, etiamsi diabolus uarijs modis impedire conatur, ut Dauidis prælia felicia sunt, gubernatio Iosaphat salutaris est.

Præcipuè uerò obseruandum est Epiphonema, *HÆC FACIT DEVS, VT TIMEATVR.* Hæc particula de timore Dei aliquoties repetita in hoc libro ostendit, Salomonem non inanes querelas recitare more Philoso-phico, aut sicut in poëmatis dicitur: Dũ loquimur fugerit inuida ętas, carpe di-
Salomon in querelis de cõfusionibus docet timorem et fidem. em quàm minimum credula postero; Sed tradere regulam uitæ maximè neces-sariam, circumdare nobis metas uocationis, damnare fiduciam nostri, curiosita-tem & alias errantes cupiditates, & monstrare uoluntatem Dei, docere timo-rem & fidem. Deus ideò punit Lysandrum, Agesilaum, Brutum, Antonium & alios innumerabiles, quia mouent res non necessarias uel curiositate uel ambi-tione, punit Alexandrum, quia factus insolentior interficit amicos, uult coli ut Deus. Hæ pœnæ delinquentium, & econtrà gubernatio salutaris inuocantium Deum, admonent nos de Timore Dei, & docet nos Deus his ipsis exemplis, ne fiducia nostri ruamus extra uocationem, nec indulgeamus nostræ curiositati & nostris cupiditatibus, sed ut agnoscamus infirmitatem nostram, timeamus Deum, obtemperemus ipsius mandatis, fide petamus & expectemus auxilium à Deo, & in ipso acquiescamus.

QVOD factum est, ipsum permanet.

Loquitur Salomon de euentibus, & illustrat sententiam, Humana consi-
Quæ gubernantur diuinitus eueniunt. lia cùm non gubernantur diuinitus, sunt irrita, ut Antonius frustra conatur oc-cupare Monarchiam, sed uincit Augustus. Nec potest impediri humanis consi-lijs Augustus, Quia Deus hunc euentum gubernat. De talibus euentibus loqui tur, cùm ait: Quod factum est ipsum permanet, id est, ea quæ Deus agit & iu-uat, eueniunt, & prorsus congruit hęc doctrina cum communi regula: Nisi Do-minus ædificauerit domum &c. Item, Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum de cœlo. Item, sine me nihil potestis facere.

EA quæ futura sunt, iam fuerunt.

Id est, ea quę euentura sunt, eueniunt, quia à Deo multò antè decreta sunt.
Euentus decreti sunt diuinitus. Cyrus erit Rex, nec potest ab Astyage interfici, quia multò antè hoc decretum est. Hæc enarratio simplex, est natiua sententia textus, sæpè autem dictum est, multas admonitiones in hac doctrina contineri. Cùm humani conatus sine Deo irriti sint, tantùm facias mandata diuinitus, & petas, ut ipse te regat & ad-iuuet, uult enim adiuuare seruientes in uocatione, & inuocantes ipsum. Sicut Psalmus inquit: Commenda Deo uiam tuam, & ipse faciet.

Iustum

IVSTVM & impium iudicabit Deus.

Rursus sequuntur exempla miseriarum humanarum & confusionum, Multa fiunt iniustè etiam in gubernatione non Tyrannica, quia nec inspicere omnia negocia boni possunt,& multa geruntur per homines negligentes,multa per improbos obtemperantes prauis affectibus, interea tamen Deus seruat utcunq; politicum ordinem, & suo tempore iudicat. *Multa fiunt iniustè etiam in non tyrannica gubernatione.*

DIXI in corde meo de filijs hominum.

Addit in fine generalem querelam, de confusione uitæ humanæ in externa specie, Dicit uideri similem interitum pecudum & hominum. In hoc loco interpretes multum sudârunt,Dixerunt in persona hominis Epicurei hæc recitari, Sed Salomon de externa specie loquitur. Si tantùm oculi & ratio humana consulerentur sine uerbo Dei, uidetur hæc uita hominum in tanta confusione casu regi, & homines esse uelut agmen formicarum, & conteri perinde ut conteruntur agmina formicarum, & contra hanc speciem postea monebit opponendum esse uerbum Dei. *Spectaculo interitus pecudum et brutorum Salomon opponit uerbum Dei.*

CAPVT IIII.

VERTI me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub Sole geruntur, & lacrimas innocentum.

INitiò capitis 4. redit ad iniurias, quæ sunt insigne exemplum confusionis in uita humana.Ac si consolatio in Euangelio non proposita esset,uera esset uox, Optimum non nasci. *Iniuriæ sunt exemplũ confusionis in uita.*

RVRSVS contemplatus sum omnes labores hominum patere inuidiæ.

Aliud exemplum de Inuidia. Hæc quoq; magnum impedimentum est necessariarum & utilium actionum in uita, ut Scipionem inuidi retrahunt ex Africa. *Inuidia.*

STVLTVS complicat manus suas & comedit carnes suas.

Addit alia exempla de ignauo. Item de auaro, Et in uituperatione auari ingreditur in locum de laude societatis: & monet necessariam uitæ esse consociationem hominum, officiorum, artium, opificum & ordinum, Omnes ordines mutuis auxilijs indigent, & singuli homines referre suos labores debent ad communem consociationem,tueri congregationem, cauere ne fiant dissipationes,iuxta illa dicta:Bonum est conseruatiuum, congregatiuum & communicatiuum sui. Econtrà, Malum est dissipatiuum & destructiuum sui, Sed homo πλεονεκτικὸς suæ utilitati uult consulere,etiam cum pernicie communi. Id malum uituperat. *Ignauia. Auaritia. Bonum. Malum.*

MELIOR est pauper sapiens rege sene & stulto.

Aliud exemplum de Ambitiosis & inquietis in imperio. Inquieti in imperijs etiam multa sine necessitate turbant, ac postea plectuntur, ut Saul, Eurystheus & alij innumerabiles. *Ambitio inquietudo in imperijs.*

CAPVT V.

CVSTODI pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua vt audias.

Præcepta de ueris Dei cultibus.

HIc redit ad præcepta, & initiò discernit ueros cultus Dei ab hypocritis, & reuocat nos ab externa specie confusionum humanarum, ad agnitionem Dei, ad considerationem mandatorum & promissionum diuinarum. Ac manifestè refutantur huius Capitis testimonio inepti, qui hunc librum Salomonis somniârunt prophanum uel Epicureum sermonem esse.

Præcipuus cultus est audire uerbum Dei.

Ac principiò docet præcipuum cultum esse audire uerbum Dei, id est, mandata & promissiones, & in uera fide obedire uerbo Dei, Sicut Ieremiæ 7. ijsdem uerbis præcipitur. Non præcepi eis de holocaustis, sed hoc præcepi eis: Audite uocem meam, & ero uobis Deus, & eritis mihi populus. Tota igitur doctrina Primi præcepti hîc cogitanda est. Nec sine causa facit mentionem domus Dei. Monet enim ut quæratur doctrina in Ecclesia & uero ministerio, & audiamus docentem Ecclesiam, sicut alibi dicitur. Nisi uitula mea arassent non inuenissent. Et Deut. 17. Venies ad Sacerdotem, & hi doceant te iuxta Legem Dei, ubi expressè coniungit Legem & Doctores.

Mentione domus Dei indicat Ecclesiam.

HOC melius est quàm stultorum victimæ.

Ceremoniæ solæ non sunt cultus Dei.

Multi solas ceremonias somniant esse cultum Dei, sicut Ethnici colentes Deum gestibus, sicut nominat Plato, Horum stultitia manifesta est, Quia Lex dicit: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Alij cùm non agnoscant non sufficere ceremonias, postulant externam disciplinam operum moralium, ut Pharisæi, sed nec disciplina sine pœnitentia & fide est cultus Dei, ut Matth. 5. dicitur: Nisi iustitia uestra abundabit supra Pharisæorum iusticiam &c. Oportet autem accedere in corde pœnitentiam & fidem accipientem remissionem peccatorum propter Mediatorem, De his discriminibus hîc concionatur Salomon, Vult primùm corda regi uerbo Dei, timore & fide.

Semper autem usitatum fuit cumulare sacrificia, & uarios cultus comminisci, atq; ita à uoce Dei discesserunt Ethnici, Pharisæi, Monachi. Hanc audaciam hominis damnat & adfirmat tetrum peccatum esse, etiamsi homines hanc superstitionem putant esse excellentem uirtutem. Ideò addit, *NESCIVNT QVANTVM FACIANT MALI.*

NE sis velox ad loquendum aut proferendum sermonem.

Nihil docendum aut faciendum contra uerbum Dei.

Antea iussit nos audire, discere, deliberare ex uerbo Dei, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis uerbum tuum, Hîc addit consequens eius sententiæ, Cùm audiendum sit uerbum Dei, sequitur prohibitio, ne quid doceas, adfirmes, facias contra uerbum Dei, ut Ethnici, Pharisæi, Papę, Monachi, finxerunt cultus & numina contra uerbum Dei. Samosatenus, Arius, audacissimè finxerunt dogmata contra uerbum Dei, Sic in facto Absalon. Antonius & multi alij mouerunt imperia sine uocatione & contra uerbum Dei. Iosias quanquam uir sanctus, tamen lapsus est, mouens bellum non necessarium. Itaq; dictum Salomonis concionatur omnibus hominibus, ut audiant uerbum Dei, nihil adfirment in Ecclesia, quòd non est à Deo traditum, Non moueant imperia sine uocatione & sine necessitate. Sic dicit Petrus, Qui loquitur, loquatur oracula Dei, scilicet in docendo, & qui administrat, administret tanquam ex uirtute, quam suppeditat Deus, id est, maneat intra metas uocationis, quam Deus adiuuat, qui non uult iuuare sua curiositate tentantes aliena à uocatione, iuxta illud, Commenda Deo uiam tuam & ipse faciet. Hæc dicta Petri prorsus cum hoc loco Salomonis congruunt.

Addit

Addit autem comminationem Salomon, *DEVS IN COELO EST*, id est, est inspector, iudex & uindex. Psalm. 32. Videt omnes filios hominum, intelligit omnia opera eorum. Item, Reddet unicuiq; iuxta opera eorum.

MVLTAS curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenitur stulticia.

Differunt cura laboris, cura de exitu, & cura extra uocationem. Cura laboris seueriſſimè præcipitur Rom. 12. Qui præest, sit diligens. 1. Corinth. 4. Hoc requiritur in ministerio, ut fidelis sit. Est autem adfectata negligentia similis perfidiæ. Laudanda est igitur cura Dauidis, cùm tempora & loca opportuna dimicationi præuidet, ut Alexander dicebat Parmenioni: An putas me dormire potuisse, priusquàm constituissem, quomodo instructuri simus aciem? Petere autem à DEO felicem exitum prælij Dauid solet, & hanc curam Deo commendat. *Cura laboris.* *Alexander ad Parmenionem.*

Econtrà uerò utroq; modo peccatur, cùm stulta persuasione propter uires aut fortunam aliquis sibi certam uictoriam promittit, ut Pompeius, aut cùm diffidentia excruciatur, ut Aratus. Talem curam hîc reprehendit Salomon, quę angitur de exitu. *Cura de exitu.*

Est & hæc cura reprehendenda, mouere non necessaria, aliena à uocatione. Hæc est περιεργαμοσύνη sæpè prohibita, ut apud Paulum: Propria agite. Et apud Petrum: Non sitis ἀλλοτριοεπίσκοποι. Hæc duo genera curarum inutilia sunt, & frustra excruciant mentes. Ideò hîc additur, *TALES CVRAS PARERE MVLTA SOMNIA.* Etsi autem sic enarrant, quòd multas anxietates animi pariant, tamen opinor hoc significari, curas ipsas, quæ prohibitæ sunt, inania somnia esse: περιεργαμοσύνη Cassij & Bruti, de constituendo pulcro statu Reipub. erat tantùm uanissimum somnium. Huc pertinet dictum: μάταιοι μάταια λογίζονται διὰ ἐπιθυμίαν. Regula autem de curis ista teneatur: Commenda Deo uiam tuam, & ipse faciet. Prior pars præcipit de cura laboris in uocatione & de fide, Altera pars addit promissionem, ipse faciet. *Cura extra uocationem.*

VOX stulti in multiloquio.

Sæpè hanc admonitionem repetit, ne temerè pronuncient homines de dogmatibus & in deliberationibus, sed rectè & diu consideratis fontibus & ueris causis, Ac manifestum est, sæpè errare præcipites & multa iudicantes. Ideò cap. 10. Prouerb. inquit, *IN MVLTILOQVIO NON DEERIT PECCATVM.* Et extant similes admonitiones plurimæ, quæ prohibent garrulitatem, præcipitantiam iudiciorum, & similia uicia. *Sæpè errant præcipites multa iudicantes.*

SI quid vouisti Deo, non moreris reddere.

Temeritati linguæ addit exemplum de uotis, sciamus autem simul alia multa complectenda esse, iuramenta, pacta, sponsiones, iudicia de doctrina, deliberationes. Nam in his omnibus opus est uitare præcipitantiam & temeritatem, & mox additur grauissima admonitio de prouidentia. Quia temeritas illa est propria securi pectoris, quod non curat iudicium Dei, & uel admiratione propriæ sapientiæ, uel æmulatione, uel alijs cupiditatibus incitatur, ut turbet dogmata, aut moueat non mouenda. Sit infixa animis hæc admonitio de prouidentia, & confirmetur assensio in nobis exemplis pœnarum omnium quæ legimus, *Votorum nomine quæ sint complectenda.*

gimus, & quæ quotidiè cernimus, & opponatur uox diuina, quæ concionatur de prouidentia, & cuius exempla in pœnis cernimus, stultæ securitati, & dubitationi humanæ, & omnibus opinionibus Epicureis & Cyclopicis.

Coram Angelo.

Filius Dei sæpè nominatur Angelus & qua de re.

Vsitatum est Patribus & Prophetis Filium Dei, nominare Angelum, quia sciunt hunc Dominum, Ecclesiæ promissum, nuncium esse mirandi decreti de liberatione generis humani. Sic & Iacob nominat eum Angelum, & addit descriptionem, quæ discernit eum à creatis Angelis. Quia inquit: Benedicat uobis Angelus, qui liberauit me ex omnibus malis. Adfirmat ergo hunc Angelum omnipotentem esse, liberantem à peccato & à morte, & facit eius mentionem, Quia propriè scit hunc esse Dominum & custodem Ecclesiæ.

SI videris calumnias egenorum & violenta iudicia.

Propter iniurias non est dubitandum de prouidentia. Diogenes de Harpalo.

Mox addit admonitionem, ne propterea dubitetur de prouidentia, Quia multæ iniuriæ permittuntur, ut Diogenes dicebat, Harpalum dicere uiuum testimonium contra Deos, quòd in magnis uoluptatibus post multa scelera uiuebat. Huic obiectioni respondendum est ex ipsa experientia, Quanquam aliquandiu permittuntur iniuriæ, tamen sequuntur pœnæ, & Deus regulam seruat, quæ est neruus disciplinæ, Atrocia delicta etiam in hac uita puniuntur atrocibus pœnis, iuxta illa dicta: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Væ qui spolias, quia spoliaberis. Ideò Salomon mox addit comminationem, & dicit reliquos esse alios IVDICES, à quibus puniantur illi qui iniusta fecerũt, ut Augustus punit Antonium. Et insignis descriptio Regis hîc obseruanda est, cùm ait, *SVPER OMNES EST REX IN TERRA AD CVLTVRAM AGRORVM*, ubi discernit Regem à Tyranno, Tyrannus dissipat & uastat, Bonus Princeps fouet societatem, & tuetur culturam terræ, Ecclesiæ, artium & omnium rerum bonarum.

Discrimen Regis & Tyranni.

AVARVS non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.

Conciones contra Auariciam.

Postea sequuntur longæ conciones uituperantes Auariciam, & repetit sententiam suprà positam, quæ iubet uti rebus iuxta ordinationem Dei, cibo, potu, coniugio, & seruire uocationi bona conscientia & fide, Euentus uerò, qui non sunt in potestate nostra, commendare Deo, sicut sæpè monuit, & subinde repetendum est dictum, Commenda Deo uiam tuam & ipse faciet.

CAPVT VI.

ETIAMSI quis celebris est, tamen hoc scitur, quòd homo sit, & non potest certare cum eo quod est potentius.

Propter dissimilitudinem euentuum non abijcienda est uocatio.

IN fine sexti capitis ponit sententiam, quæ regat nos, ut officia uocationis faciamus, nec abijciamus uocationem propter dissimilitudinem euentuum, sic enim ait: Quisquis homo nominatur, non potest certare cum eo, quod est potentius, id est, non potest euentus gubernare, & sequitur, *SVNT ENIM INANIA VERBA*, Id est, Hæ curæ & imaginationes inanes sunt, & nihil prosunt homini. Noster textus inquit. Quid necesse est homini maiora se quærere, sed lectio Ebræa tantùm inquit. Nihil prosunt homini, Monent autem ut dixi, ut consideremus, quæ curæ ad nos pertineant, quæ non pertine-

pertineant ad nos, ſicut ſuprā tres gradus fecimus, curam laboris iuxta uocationem, hæc ad nos pertinet, aliæ ſunt curæ de euentu. Item de rebus alijs extra uocationem. Hæ non pertinent ad nos.

CAPVT VII.

IGNORAT homo quid ſibi proſit in hac vita in diebus vanitatis.

LOquitur autem, de rebus ſub Sole, hoc eſt, de Euentibus in hac mortali uita proſperis & aduerſis. Ioſeph putat ſibi nocere uenditionem & profuit, Ideo ſequitur, Nec poteſt ſcire homo futura ſub Sole, id eſt, quid ſit futurum poſt res proſperas aut aduerſas. Dauid ex ſumma calamitate reducitur in regnum, Saul ex ſumma gloria ruit in exitium &c. Iubet igitur Deo obtemperare in proſperis & aduerſis rebus, & ipſi commendare exitus, non fiducia proſperitatis iniuſta aut non neceſſaria tentare, nec frangi aduerſitate ac deficere à Deo, ſed meminiſſe regulam Iob, Etiamſi occiderit me, ſperabo in eum. *De euentibus proſperis & aduerſis.*

MELIVS eſt nomen bonum, quàm vnguenta prectoſa.

Hîc coaceruat multas ſententias, quarum aliæ hortantur ad agendum, aliæ ad patientiam, aliæ conſolantur egentes, aliæ adflictos, ut in ſingulis, quō referendæ ſunt, oſtendam. Prima de bono nomine ſeu gloria eſt adhortatio ad agendum. Dictum eſt autem alibi, quid, rectè loquendo, ſit gloria ſeu bonum nomen coram iudicio humano. Eſt enim adprobatio conſcientiæ noſtræ rectè iudicantis, & aliorum rectē iudicantium, ut Scipio liberans ſponſam alterius, habet gloriam, id eſt, ipſius conſcientia manet illæſa, habet & adprobationem aliorum rectē iudicantium. Thraſo non habet gloriam, quia nec ipſe rectè iudicat, arrogans ſibi falſa, Nec alij qui mentiuntur adſentando, Deus autem utrunq; præcipit, & ut recta faciamus, & ut rectē facta adprobemus, iuxta illud, Non dicas falſum teſtimonium. Vult noticiam uirtutum extare, & ut agnoſcamus qualis ipſe ſit, & ut ſit rectrix uitæ, Et ut conſpici diſcrimen uirtutum & uiciorum poſſit, uult Deus humanis iudicijs quoq; puniri ſcelera: Vult & rectè facta adprobari propter duas cauſas, ut diſcrimen uirtutum & uiciorum ſit conſpectius, & ut alij exemplis erudiantur. Vult igitur famoſos eijci ex ſocietate, tribui uerō honeſtum locum in ſocietate illis, quorum mores ſunt ſine infamia. *Bonum nomen ſeu gloria rectè loquendo quid ſit.*

Cùm igitur talis adprobatio ſit ſancita diuinitus, & ſit res bona, manifeſtum eſt hanc gloriam adpetendam eſſe, & quidem mandatum Dei eſt, ut ſcandala uitemus, ut Paulus inquit: Omnia ad gloriam Dei facite, & non ſitis ſcandalo Eccleſiæ. Et benē dixit Auguſtinus: Bona conſcientia mihi opus eſt propter Deum, Bona fama propter proximum. Alibi dixit, Melius eſt nomen bonum, quām diuitiæ multæ. Ibi gradus oſtendit, docet famam anteferendam eſſe facultatibus & diuitijs. Sponſor potius amittat facultates quām famam. Hîc dulcior eſt admonitio, *BONA FAMA EST MELIOR BALSAMO*, id eſt, ut Balſamum ſanat & recreat corpora, ita bona fama magna leuatio eſt cordi, Et econtrā mala fama horribilis carnificina eſt. Sic in Prouerbijs dicitur: Bona fama pinguefacit oſſa. Et Pindarus inquit: Non aqua tepida ſic reficit oſſa defatigata ſicut gloria. Et Thucydides: Seni honos eſt *Gloria eſt adpetenda.*

Discernenda sunt gloria ap probationis humanæ & gloria iusticiæ coram Deo.

alimentum. Hæc dextrē intelligantur, & discernantur gloria conscientiæ & adprobationis humanæ, & gloria iusticiæ coram Deo, de qua alibi dicitur. Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Alibi uerò loquitur de adprobatione conscientiæ. Hæc est gloriatio nostra, incolumitas conscientiæ nostræ. Item: Probet opus suum unusquisq; & sic habebit gloriam apud sese, non apud alios, id est, examinet sua facta, quę si rectē facta sunt, habebis adprobationem tuæ conscientiæ, quæ est gloria de qua diximus, Non hoc ages quod faciunt plurimi, ut crescas obtrectatione aliorum uel adplausu multitudinis.

MELIOR est dies mortis, quàm dies natiuitatis.

Consolatio pertinens ad credentes.

Hoc dictum consolatio est. Fit autem collatio non simpliciter uitæ & mortis, sed calamitatum & liberationis, quæ tamen fide agnoscenda est, Et in Ecclesia hoc dictum nec obscurum, nec ambiguum est de credentibus. Congruit enim cum illo dicto Apocal. 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur, Et talia dicta sunt testimonia de futura uita, sicut Prouerb. 14. inquit: Spem retinet iustus in morte sua. Et Iob, Etiamsi occidet me, sperabo in eo. Nec quæram alias interpretationes, nec addam illa Ethnica, Optimum non nasci, aut quàm celerrimē aboleri. Hæc aliena sunt à doctrina Ecclesiæ.

MELIVS est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.

Collatio rerū secundarum & ærumnarū

Hæc dicta congruunt cum notissimis sententijs, Luxuriant animi rebus plerunq; secundis. Item: Sedit populus manducare, & surrexit ludere. Item: bonum mihi quòd humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Item: Vexatio dat intellectum. In rebus secundis fiunt homines negligentiores, minus cogitant de ira Dei, & minus expetunt auxilium Dei, deinde fiunt & insolentiores, confidunt sua industria, sua potentia, & facilē impelluntur à Diabolo. Ideo ex illo fastigio postea ruunt in magnas calamitates, iuxta illud: Tolluntur in altum, ut lapsu grauiore ruant. Econtrà ærumnæ sunt commonefactiones de nostra infirmitate, & de petendo auxilio Dei, & sunt frenum multarū cupiditatum. Ideo Ecclesia subiecta est cruci, ut sæpē dicitur alibi de causis calamitatum Ecclesiæ, & de uera consolatione.

Lætitia stultorum non est diuturna.

In fine harum sententiarum significat Salomon, nequaquam diuturnam esse hanc lætitiam stultorum, citò eos ex securitate, & insolentia ruere in Tragicas calamitates, ut Saul, Dauid, Crœsus, Xerxes, Alexander, Pompeius, Cæsar, Antonius, & alij innumerabiles oppressi sunt tristissimis casibus, ut exempla iræ Dei conspiciantur, & cæteros commonefaciant de pœnitentia, de timore Dei, & de inuocatione. Seruat enim regulam Deus, Abominatio est coram Deo, quidquid est sublime coram hominibus. Item, disperdit superbos mente cordis sui. Itaq; de breuitate lætitiæ stultorum inquit Salomon, talem esse, qualis est sonitus spinarum ardentium quæ citò conflagrant.

CALVMNIA conturbat sapientem, & perdit cor beneficum.

Calumniæ detestatio.

Detestatio est calumniæ, ut manifestum est in omni gubernatione nocentissimam pestem esse calumniam, ut Palamedes, Miltiades, Aristides, Cimon, Themistocles, optimē meriti calumnijs oppressi sunt. Nec rara, nec obscura sunt huius mali exempla, & fontes noti sunt. Homines natura superbi sunt,

sunt, alij magis, alij minus, Ideo alienæ gloriæ inuident, & ut eam extenuent, sophismata quærunt ad deprauanda aliorum consilia & facta. Hæc sophistica deprauatio nominatur Calumnia. Est autem multò nocentior in Ecclesia, ubi quæruntur Sophismata & cauillationes ad eludendam ueritatem simplicẽ, & ad deprauationem eorum, quæ rectè tradita sunt. Constat autem diuinitus præcipi in secundo præcepto, ne corrumpatur ueritas doctrinę. Item de cæteris negocijs, Non dicas falsum testimonium. Hæc præcepta confirment nos, ut Sophisticen & calumnias detestemur & fugiamus.

Calumnia in Ecclesia multò nocentior.

MELIOR est finis consilij, quàm initium.

Generaliter monet, finem in deliberationibus prospiciendum esse, quasi dicat, Melius est finem consilij prospicere quàm initium, iuxta illud: Quidquid agas, prudenter agas, & respice finem. Aut sit hæc simplex enarratio, Intelligatur dictum Salomonis de bonis & honestis consilijs, In his melior est finis duobus modis: Primùm constantia uoluntatis in re honesta perficienda, deinde & euentu. Multi θρασύδειλοι sunt fortes initiò in docendo, in bellis mouendis, in tumultuando, Postea leui momento fracti confessionem abijciunt, deserunt aciem &c. Postulat igitur in hoc dicto, In bonis consilijs perseuerantiam, sicut in Euangelio dicitur: Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit. Præterea & euentu causa honesta melior est, Quanquam enim multa aduersa patienda sunt, tamen uincit tandem causa honesta.

Finis consiliorum honestorum melior duobus modis.

MELIOR est patiens arrogante.

Superbia fons est impatientiæ, cupiditatis uindictæ & contentionis, ut in Prouerbijs dicitur: Inter superbos est contentio. Hinc magnæ dissensiones in imperijs & in Ecclesia oriuntur, ut quia Alcibiades, & Coriolanus impatienter ferunt iniurias, inferunt bella patriæ. Camillus, Fabius, Scipio tolerant iniurias. Notus est uersus, Non ponebat enim rumores ante salutem. De hac mansuetudine & tolerantia dictum est, Beati mites, quia possidebunt terram. Item: Prouerb. 16. Melior est patiens expugnatore urbium. Ideo & sequens sententia inquit, Non sis uelox ad irascendum, Quia ira in sinu stulti quiescit. Et plurimæ sunt traditæ admonitiones in omnibus scriptis de moderatione iræ.

Superbia fons est impatientiæ.

NE dicas, cur priora tempora meliora fuerunt?

Hæc admonitio etiam de patientia concionatur. Vt enim Thucydides inquit de imperijs, ita fit propemodum in tota uita, ἀεὶ τὸ παρὸν βαρύ. Semper præsens status molestior est, propius enim sentiuntur præsentia incommoda. Ideo & aliorum tempora laudamus, & alium statum expetimus. Tenenda est autem Regula, Humiliamini sub potenti manu Dei, id est, non fremite aduersus Deum, obedite patienter in ferendis ijs oneribus, quæ Deus suo cuique loco, & tempore imponit, sicut inquit Iob: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Habent sua incommoda, quælibet tempora. Est felicior gubernatio Dauidis, quàm Ezechiæ, & tamen habuit suas calamitates. Et Ezechiæ suæ ætatis mala ferenda sunt. Et sapientia est aduersa rectè ferre, nec augere stulta curatione, iuxta admonitionem, μὴ τὸ κακὸν ἰῶ κακῷ. Huc pertinet regula sæpè repetita: Subditus esto Deo, & ora eum, Et notus sit uersus Pythagoræ:

Aduersa quouis tempore sapienter ferenda sunt.

ὧν ἂν μοίραν ἔχῃς, ταύτην φέρε, μηδ' ἀγανάκτει.

BONA est sapientia cum hæreditate, & melior, quàm videre Solem, id est, quàm vita ipsa. Protegit Sapientia, protegit & pecunia. Sed doctrina sapientiæ quiddam melius est, quia dat vitam.

Officia uocationis facienda sunt & euentus debet commendari Deo.

Occurrit obiectioni. Cùm antea dixerit, Sapientiam esse adflictionem, quia sæpè falluntur homines, & sæpè non respondent euentus bonis consilijs, uidetur deterrere homines à cura discendi, & gubernandi. Imò inquit, præcipio ut discatis, gubernetis Ecclesiam, communem societatem, Oeconomias, quæratis facultates, Nam & hi labores, & res ipsæ, pax, facultates, sunt res bonæ, sed euentus Deo commendetur, sicut sæpè iam dictum est, facias uocationis officia, & euentus Deo commenda. Ideo mox addit, Considera opera Dei, quia nemo potest directum facere, id quod curuum fecit, id est, Humana diligentia, non potest omnia mala uel cauere, uel sanare, nec propterea abijcienda est gubernatio, sed Deo obediendum in uocatione, & hæc dulcissima consolatio tenenda, quam Paulus proponit: Non inanis est labor uester in Domino.

In aduersis uerò mens non fremat contra Deum. Eôdem pertinet sequens consolatio. *IN DIE BONA FRVERE BONIS*, id est, cùm euentus sunt secundi, age Deo gratias, & eo bono utaris, nec confidito rebus secundis, nec hac stulta fiducia elatus premito alios aut moueas non mouenda, ut faciunt Xerxes, Pompeius & alij multi, sed sis modestus, præpares te ad ferenda aduersa, Quia mox erunt uices.

Deus uult esse uices in rebus humanis, ne quæramus inconcessa.

Addit autem causam, Quare Deus uelit has uices esse, ne, inquit, homines inueniant aliud, id est, ne sua curiositate in rebus secundis quærant inconcessa, Sicut Bellerophontes elatus rebus secundis, Pegaso uult intra cœlum ferri. Sed simus modesti, & maneamus intra metas uocationis, & reprimamur metu pœnæ, quæ sequitur insolentiam, iniusticiam, neglectionem uocationis &c.

Proponit etiam consolationes in rebus aduersis, Ne homines aliud inueniant, id est, ne confugiant ad inconcessa auxilia, sicut Saul consulit mulierem Magicam, Et imperatores Constantinopolitani attraxerunt Turcas: Sed petamus & expectemus à Deo auxilium, & utamur remedijs ab ipso ordinatis. Nec obscurum est, ualdè multa peccare homines, cùm mederi aduersis conantur, inconcessis remedijs.

IVSTVS perit in sua iusticia, & impius viuit diu in malicia.

Duæ regulæ quæ uidentur discrepare.

Duæ regulæ sunt, quæ, etsi uidentur discrepare, tamen ueræ sunt, & non discrepant, cùm suus cuiq; locus tribuitur. Altera est prorsus politica: Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis in hac uita, iuxta illud: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Hæc ita regulariter fiunt in toto genere humano, siue lapsus maneat in impietate, siue conuertatur ad Deum, etsi conuersis mitigantur pœnæ. Quanq; autem nemo est sine delictis, tamen qui non polluti sunt atrocibus sceleribus, non incidunt in tales Tragicos casus, ut Augusti exitus placidus est.

I. Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis.

II. Ecclesia est subiecta cruci.

Altera regula est, Ecclesia subiecta est cruci, ut Abel, Ieremias, Baptista, Apostoli & Martyres, interficiuntur. Hæc sunt singularia non pertinentia ad illud politicum iudicium. Scit Ecclesia alias esse causas necis Abel, & alias necis Absalonis, Sed homines sine doctrina Ecclesiæ turbantur his exemplis, ut dubitent de prouidentia. Econtrà uerò sciamus illustre testimonium prouidentiæ

dentiæ esse, illos ipsos regulares & ordinarios exitus homicidarum. Deindè de Sanctis testimonia præsentiæ DEI manifestiora habemus, Paulus antea reuocauit mortuos in uitam, fuit igitur curæ Deo, & erit etiamsi à Nerone interficitur.

NON sis nimis iustus nec nimis sapiens, ne facias vastitatem.

Non dubium est Salomonem loqui de iusticia politica, & gubernatrice huius externæ uitæ, & ad hanc perspicua est accommodatio huius dicti, & ualdè utile præceptum est. Iusticia uersatur in medio inter negligentiam & crudelitatem, Nimia seueritas fit crudelitas, ut fuit in Aureliano, Nimia indulgentia, quæ non punit atrocia delicta, confirmat facinorosos, qualis fuit in Arcadio. Sed gubernator salutaris, ut Augustus uidet medium, quòd habet probabilem rationem. Id medium hæc admonitio Salomonis iubet quæri, & uincat bonitas. Nec subtilissimè quæratur medium, sicut & in Deo misericordia superat iudicium. Diligenter autem & comminatio obseruanda est, quam addit, Ne facias uastationem, Nimia seueritas facit uastationem, Multi sanabiles sine necessitate interficiuntur, Multi boni fugiunt gubernationem. *Nimia iusticia, id est, seueritas fit crudelitas.*

Mox addit similem admonitionem de Sapientia, Non sis nimis sapiens: ut nimia seueritas fit crudelitas, ita nimia Sapientia, hoc est nimia subtilitas, fit cauillatrix, rixosa, πολυπραγμονική, sophistica, ἀνιλογική, ut dicit Menander, Leges bonæ sunt, sed si quis eas nimis subtiliter interpretatur, fit Sycophanta, ut qui pactus 30. dierum inducias, noctu populatus est agros. Imperator est dominus Mediolani, Rex Gallicus subtilitatem inuenire potest, qua dicat ad se pertinere Mediolanum. Plena est uita talium exemplorum, & inde oriri bella & uastitates manifestum est. Ideò multæ extant admonitiones de fugienda illa cauillatrice Sapientia. Et Agesilaus dixit: τὸ λίαν δίκαιον πρόφασις ἔξι. *Nimia sapientia fit subtilitas cauillatrix.*

NE sis nimis impius, nec sis stultus, ne moriaris, non tuo ipsius tempore.

Hæc admonitio cohæret cum proxima quæ loquitur de altero extremo, scilicet de negligentia, Non toleret Magistratus atrocia & enormia delicta, non taceat fidelis doctor de rebus necessarijs & de Idolomania, non deuores camelos, colato culice. Ac atrocem pœnam negligentiæ proponit: *NE MORIARIS NON TVO TEMPORE*, Id est, Ne si negligenter rexeris tuos mores, & nimiùm laxaueris frenos cupiditatibus, Deus te puniat uel per Magistratus uel alijs modis, sicut ipse Dauid ruit in pœnas nimiùm sibi indulgens. *De altero extremo, de negligentia.*

Cùm autem uelit quæri medium postea addit, Quis sit ille, qui medium cernit Deo monstrante, & consilia eius ac manum regente, scilicet Timens Deum. Ita monet sine timore Dei, sine inuocatione, sine auxilio diuino, non esse felicem gubernationem, iuxta illa dicta: Nisi Dominus custodierit. Item: Commenda Deo uiam tuam, & ipse faciet. *Medium tenet timens Deum.*

BONVM quod apprehenderis in hoc & in illo, non dimittat manus tua. Timens Deum euadet ex omnibus illis.

Cùm seueritas est bona, exerceas eam, rursus cùm lenitas prodest, utaris lenitate. Iubet mediocritatem negocijs seu circumstantijs conuenientem quæri, ut aliâs *Mediocritas quærenda est conueniens rebus seu negocijs.*

ut aliâs duriores, aliâs leniores sint, ut Medicus alijs dat alia pharmaca. Fabius uidet quando pugnandum sit, quando non sit pugnandum. Saul stulto zelo interficit Gabaonitas, Iosue pepercit eis.

Obseruanda est autem emphasis in uerbo apprehendere. Significat enim quærendam esse ueram causam uel seuerè uel leniter agendi, sicut Paulus inquit, Vnusquisq; certus sit in sua sententia. Bonum quod apprehenderis, id est, cùm re deliberata inuenerit conscientia ueram rationem, cui firmiter assentiendum est, illa ratio anteferatur iracundiæ, & alijs affectibus. Sed dicat aliquis, quomodo potest inueniri illa mediocritas seu uirtus conueniens circumstantię. Respondet, *TIMENS DEVM EVADET EX HIS OMNIBVS*, id est, eliget meliorem sententiam, Quia timens Deum intuetur Legem diuinam, & simul regitur Spiritu sancto, & petit sua consilia gubernari, moderatur impetus, uult consulere Ecclesiæ & publicæ saluti, non gerit morem priuato dolori & priuatis cupiditatibus.

Timens Deum eliget meliorẽ sententiam.

SAPIENTIA magis confortat sapientem, quàm decem Principes in ciuitate.

Generalis admonitio est, quæ significat bona consilia & moderationem antecellere uiribus, gubernator melius munitus est diligẽtia in cauendis periculis, moderatione in frenandis affectibus, inuocatione Dei, quàm si magna præsidia & magnos exercitus sibi circumdet, ut Alexander Pheræus interfectus est à coniuge & eius fratribus, etiamsi noctu inter præsidia in turri cubabat, quo ascendendum erat per scalas. Pater Alexandri in publica pompa spectantibus Principibus & satellitibus interfectus est. Iulius in Senatu suo interfectus est, & sunt innumerabilia exempla, Sed Principes mitiores & tranquilliorem gubernationem & placidos exitus habuerunt, ut Iosaphat, Augustus, Theodosius.

Bona consilia antecellunt uiribus.

NON est homo iustus in terra, qui quanquam bona facit, non etiam peccet.

Politica sententia est, non de peccato hærente in natura, sed de erratis & lapsibus externis, Etiam iusti & benemerentes tamen aliquando peccant, non in eadem actione, sed in diuersis. Bonus & salutaris Princeps est Dauid, & plerunq; rectè facit, & tamen multa negligit, imò ruit pernicioſè rapta amici coniuge & marito interfecto, uiro sancto & forti. Iosias bonus & salutaris princeps, tamen errat moto bello non necessario. Ita nec iusti sunt sine aliquibus lapsibus. Huc Theognidis uersus accommodetur: ἀυτὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς πόπε μοὶ κακὸς ἄλλοπε ἐσθλός. Item Euripides: ὁ πολλὰ πράσσων πολλὰ καὶ ἁμαρτάνει.

Iusti etiam & benemerentes errãt aliquando.

Hinc & descriptiones sumuntur bonorum & malorum gubernatorum. Bonus gubernator est, qui studium habet rectè faciendi, & plerunq; rectè facit, etiamsi aliquando cessat. Ita fuerunt boni Principes, Dauid, Iosias, Augustus. Sed malus gubernator est, qui non habet studium rectè faciendi, & plerunq; scelerate facit, etiamsi aliquando rectè facit, ut Cambyses. Sumitur igitur discrimen à perpetua uoluntate seu προαιρέσει. Sicut & Paulus hanc metam constituit, Hoc requiritur, fideles ut simus. Agnoscamus autem in talibus admonitionibus ingentem infirmitatem nostram, metuamus & insidias Diaboli, & assiduè petamus, ut & regat nos Deus, & sanet errata nostra, Sicut Petrus præcipit: Vigilate, quia aduersarius uester circumit.

Non

CAPVT VII.

NON omnibus sermonibus accommoda cor tuum.

Admonitio est de obtrectationibus, ne uel ipsi simus obtrectatores, uel frangamur obtrectatione seu calumnijs. Est autem obtectatio contraria ueritati & candori, rectè facta aut excusabilia deprauans, aut propter aliqua errata de rectè facientibus serens prauam opinionem. Adeóq; multi delectantur obtrectatione, ut Pindarus dicit, Sermones maledicos obsonium esse. Hoc uicium prohibetur in præcepto Octauo, Non dicas falsum testimonium. Et in Leuitico, Non sis susurro in populis. Suprà autem dictum est de iudicio conscientiæ & de fama, Etsi autem utriusq; conseruatio curanda est, tamen prior sit cura, ne conscientia fiat saucia, postea expetatur & bona fama, ut inquit Augustinus: Bona conscientia mihi opus est propter Deum, Bona fama propter proximum. Et quia multi sunt obtrectatores, non propterea nimiùm doleamus, si qui non iudicant candidè, sed consolemur nos testimonio conscientiæ, sicut Paulus inquit: Hæc est gloriatio nostra, testimonium conscientiæ nostræ, Item, Probet unusquisq; opus suum, & sic apud sese gloriam habebit, & non pendebit ex alio. Salomon hoc loco iubet eos minus irasci obtrectationibus, quia nos ipsi sæpè eodem modo peccamus. Recitat enim Salomon communia hominum uicia.

De obtrectationibus.

Obtrectatio quid sit?

CVNCTA tentaui in sapientia, Dixi, sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me.

Postea in textu sequitur repetitio. Negat ab hominibus omnes errores prospici & caueri posse, & manifestum est, magnos & tristes lapsus esse summorum & sapientissimorum hominum. In hac querela commonefacti de nostra infirmitate, petamus nos regi à Deo, ut sæpè dictum est: Scio Domine, quòd non est hominis uia eius. Item, Commenda Deo uiam tuam, & ipse faciet.

Non omnes errores prospici & caueri possunt.

INVENI amariorem morte mulierem, quæ laqueus est venatorum &c.

Postea de mulieribus loquitur, Quandocunq; enim recitantur infirmitates & calamitates nostræ, in eo Catalogo partem aliquam occupant ipsarum mulierum morbi, & furores in uiris, qui propter mulieres magnas calamitates sibi & alijs accersunt, ut Samson, Dauid, Paris, & alij innumerabiles.

DEVS fecit hominem rectum, sed ipse quærit multas deliberationes.

Non principaliter de Creatione loquitur, sed de modo actionum, quem Deus hominibus rectum proposuit, id est, Deus instituit ordinem, quo comedas, bibas, sis maritus, seruias in uocatione certa, & maneas intra metas tuæ uocationis. Sed homo quærit uarias deliberationes. Dauid habebat suas coniuges forma & uirtute præstantes, & tamen appetit alienam. Antonius habet magnum imperium, sed appetit Monarchiam. Has errantes cupiditates, & hallucinantem sapientiam taxat, ut Pericles, Demosthenes, Brutus, Cicero, & alij multi sapientiæ specie labuntur.

De modo actionum, quem Deus homini tribuit.

Nec malè accommodatur dictum ad doctrinas. Deus dedit homini certum doctrinæ genus, & intra eas metas uult coërceri mentes nostras, sed hominum ingenia uagabunda quærunt alias opiniones, & delectantur uarietate imaginationum tanquam ludis. Hoc ingens malum seueriſſimè taxatur multis locis, ut apud Ieremiam: Hoc præcepi, audite me.

CAPVT

CAPVT VIII.

SAPIENTIA hominis est lumen vultus, & pertinax erit dignus odio.

Sapientia in delectu faciendorum & omittendorũ.

ETsi generale dictum est, Sapientia adfert hilaritatem, quia bona conscientia tranquilla est. Mala uerò est horribilis carnificina, & comitantur eam aliæ pœnæ externę, ut tandem opprimuntur Tyranni: Tamen uidetur hîc propriè dici adhuc de materia proximi capitis, Sapientia, id est, dijudicatio & delectus, ubi prosit seueritas, ubi prosit lenitas, ubi sit præliandum, ubi sit cedendum, adfert lætitiam, Sed peruicax, id est, durus, qui non audit rectè monentes, sed suæ iracundiæ morem gerit, perdit sese & alios. Sicut Periclis & Demosthenis pertinacia fuit exitiosa toti Græciæ.

EGO os regis obseruo & verba iuramenti Dei.

Præcipitur obedientia erga Deum & Magistratum.

Hæc sententia ualdè digna est cõsideratione, & memoria, & quidem perspicuè ostendit hunc librum non docere ocium Monasticum, ut multi insulsè interpretati sunt, Sed hîc deducit hominem ad omnes necessarias actiones, & ad multa difficilia & periculosa certamina, & ne sit licentia, circumdat uitæ hominis metas, & ordinat obedientiam. Iubet obseruare OS, id est, mandata Regis, & addit restrictionem: Et uerba iuramenti Dei, id est, Legem Dei. Nominat enim & alibi Legem iuramentum, quia Deus iureiurando sanxit promissiones & comminationes. Igitur non dubium est puniri scelera, sed mitigantur pœnæ agentibus pœnitentiam. Nam id quoq; in iuramento comprehenditur. Sic sit ordinata obedientia, Primùm uoci diuinæ obediamus, quam & os regis sonare debet. Deindè & regi mandanti non pugnantia cum uoce diuina. Hæc congruunt ad Regulam: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.

Iam considera qualis meta circumdata sit homini, Non sit licentia, quę indulgeat omnibus cupiditatibus, nec sit ne sit πολυπραγμοσύνη, sed facias mandata diuinitus, & officia uocationis, in quam à Rege collocatus es, non ruas curiositate, ambitione, uel quacunq; cupiditate ad alia negocia. Additum est igitur in textu.

NON festines recedere à facie eius, id est, non discedas à vocatione, non turbes ordinem, non rapias dominationem, Nec stes in opere malo, id est, non facias ea quæ scis prohiberi Lege.

Dicta de pœnis inobedientiæ.

Postea sequuntur dicta de pœnis, ubi in fine dicit: *NON ERIT EVASIO*, Suprà uerò inquit, *QVIA OMNE QVOD VOLVERIT, FACIET REX*, scilicet Deo defendente legitima imperia. Loquitur enim de legitima potestate, seu legitimo ordine, quem Deus tuetur, sicut Rom. 13. dicitur: Qui potestati resistunt, pœnam habebunt. Hæc doctrina aliâs sæpè repetita est.

QVI custodit præceptum, non ruet in pœnas, Tempus & iudicium intelligit cor sapiens, quia cuiuslibet negocij tempus & iudicium veniet. Sed magna est calamitas hominis nescientis præterita & futura. Nec habet homo potestatem suæ vitæ, nec habet potestatem suæ mortis, & non est euasio in bello, & non liberabit impietas impium.

Hæc continua oratio de pœnis concionatur, & hanc generalem regulam tradit,

tradit, Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis etiam in hac uita, ut homicidia, periuria, adulteria, inceſtæ libidines, rapinæ, & ſimilia, ut ſcriptum eſt, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Econtrà promittit tranquilliorem uitam modeſtis, Qui cuſtodit præceptum, non ruet in pœnas.

Deinde occurrit tacitæ obiectioni Salomon. Quia enim differuntur pœnæ, confirmatur in multis audacia. Huic ſtultæ imaginationi & ſecuritati opponit ſequentia dicta. Imò inquit, *SAPIENS INTELLIGIT TEMPVS ET IVDICIVM*, id eſt, ſcit pœnas ſuo tempore uenturas eſſe etiamſi aliquantiſper differantur, & ſcit cuiuslibet negocij uenturum eſſe iudicium, id eſt, non eſt Cyclopicus, non contemnit prouidentiam, ſed ſcit ueriſſimam eſſe comminationem diuinam quæ recitatur Pſal. 61. Reddes unicuiq; iuxta opera ſua, & Pſal. 57. Vtiq; eſt Deus iudicans in terra, Et lex naturæ & experientia eandem doctrinam etiam Ethnicis oſtenderunt, iuxta illa dicta: Ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Item, Θεὸς ὁσίδε δικάζει. Item, Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus. Item, Tarditatem pœnæ grauitate ſupplicij compenſat. *Pœnæ etſi differuntur tamẽ ſequuntur.*

Deinde uerba quæ ſequuntur, continent deteſtationem illius Cyclopicæ ſecuritatis. Magna calamitas eſt, inquit, homines nec præterita curare, nec futura, id eſt, Omnibus temporibus uidemus horrenda ſpectacula pœnarum, & tamen tam atrocia exempla rident multi, De talibus præteritis pœnis uidelicet & exemplis loquitur. *Deteſtatio Cyclopicæ ſecuritatis.*

Poſtea addit expreſſam comminationem. Venient, inquit, pœnæ, quas nullo modo poteris impedire aut arcere. Homo non habet in poteſtate ſua uitam aut mortem, id eſt, non poteſt retinere uitam aut arcere mortem, cùm Deus eum pœnis opprimit, Non eſt euaſio, inquit, in bello, Et nequaquam erit impunita impietas. Hæc dicta non indigent alia enarratione, ſed adſentiamur uoci diuinæ minitanti pœnam omnibus qui non agunt pœnitentiam, ſicut inquit Dominus Lucæ 13. Niſi pœnitentiam agetis, omnes ſimiliter peribitis. Hæc fulmina nequaquam ſciamus eſſe inanem ſonitum, ſed uerè expaueſcamus cogitatione & metu præſentium & æternarum pœnarum, & ad Deum conuertamur, frenemus iniuſtos impetus, & oremus regi à Deo &c.

Interdum dominatur homo homini in malum ſuum.

Antea perſpicuè poſita eſt adſeueratio de prouidentia, expreſſè dictum eſt puniri delicta. Nunc addit obiectiones, quas refutat admixtis querelis. Cõtrà inquit, Videmus ſceleratos ſæpè florere opibus & potentia, iuſtos opprimi & interfici, Hæc iniuſticia non toleraretur, ſi eſſet prouidentia. Hanc notiſſimam obiectionem & hîc recitat, & hoc modo refutat, Quanquam ſæpè florent ſcelerati, ſæpè opprimuntur iuſti, tamen certiſſimum eſt, tandem & hos iniuſtos daturos eſſe pœnas, & melius fore iuſtis. Hanc ſolutionem recitat & Dauid Pſalmo 56. Vidi impium exaltatum ut cedros Libani, præterij, & ecce non erat. Salus autem iuſtorum à Domino. Dominatur aliquantiſper Saul, qui pellit Dauidem, interficit Sacerdotes, Herodes Baptiſtam, Nero Paulum, ſed aliquantò pòſt hi Tyranni in hac uita manifeſtis pœnis opprimuntur. *Refutatur obiectio contra prouidentiam de impijs florentibus.*

Sed dicat aliquis, quid hoc prodeſt bonis interfectis? Hæc quæſtio excruciat homines, Id quoq; Salomon hîc deplorat, Quia humana ratio cauſas ignorat, quare uniuerſaliter tantis ærumnis natura ſubiecta ſit, Sed doctrina *Quantum de pœnis intelligat humana ratio.*

Ecclesiæ monstrat causam, scilicet peccatum in omnibus. Interea tamen suus locus est politicę iusticiæ, & non prodest sceleratis sceleratè facere, quia tamen certum est eos puniri, & ibi exemplum prouidentiæ Dei conspicitur. Ita una pars obiectionis ratione iudicari potest, ut etiam in poëmatis dicitur. Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

De bonis calamitosis quid fiat, non intelligit humana ratio.

Altera pars obiectionis, quid de bonis fiat, non iudicatur humana sapientia, Sed in uerbo Dei proposita est ipsis liberatio, in qua fide acquiescendum est. Abel, Baptista, norunt Deum esse iustum, & expectant futuram Ecclesiæ liberationem & salutem, de qua testificatur resurrectio filij Dei, & aliorum sanctorum, & alia miracula in Ecclesia. Ideo & alibi inquit Salomon, Iusto spes est in morte. Et Iob inquit: Etiamsi occidet me, sperabo in eum. Sic Ecclesia respondet ad illam obiectionem.

Solutio querelæ de securitate, & audacia ex dilatione pœnarum.

Sed quia differuntur pœnæ, crescit in hominibus securitas & audacia. Hanc querelam & hîc intexit Salomon, quia non citò fit decretum contra mala facta, æstuant hominum corda ad sceleratè faciendum. Huic querelæ rursus addit solutionem & adseuerationem. Etiamsi diu tolerantur scelerati, tamen scio, quod erit bonum timentibus Deum, qui timent à facie eius, & non erit bonum impio nec prolongabuntur dies eius, sed sicut umbra transibunt qui non timent faciem eius. Docet igitur Salomon, ne offensi illa inæqualitate in hac uita deficiamus à Deo, sed acquiescamus in uerbo Dei, quod promittit liberationem, & salutem iustis, pœnæ uerò denunciantur impijs, & uerbo & exemplis manifestis. Ideo de pœnis multa extant dicta etiam apud Poëtas, ut apud Claudianum.

Sæpè mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu,
Nam cùm dispositi spectabam fœdera Mundi,
Præscriptosq́ maris fines anniq́ meatus,
Et lucis noctisq́ vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno iusserit igne
Compleri, Solemq́ suo, porrexerit vndis
Littora, tellurem medio librauerit axe.
Sed cùm res hominum tanta caligine volui
Aspicerem, lætosq́ diu florere nocentes,
Vexariq́ pios, rursus labefacta cadebat
Religio, causæq́ viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ semina currere motu
Adfirmat, magnumq́ nouas per inane figuras
Fortuna non arte regi, quæ numina sensu
Ambiguo vel nulla putat vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum
Absoluitq́ Deos, iam non ad culmina rerum
Iniustos creuisse queror, Tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Sunt

CAPVT IX.

SVNT iusti quibus mala accidunt.

Immoratur institutæ concioni de prouidentia, & repetit doctrinam, in qua est asseueratio: Non propterea negandam esse prouidentiam, etiamsi pœnæ sceleratorum differuntur, aut iusti in hac uita premuntur. Ac uera refutatio est obiectionis, restare aliud iudiciū, in quo nō momentanea compensatio fiet, sed æterna. Hanc refutationem comprehendit, cum iubet timere Deum, & ponit asseuerationem, *BENE ERIT TIMENTIBVS DEVM.* Sed quod quærit humana sapientia causas, quare iusti sæpē duriter premantur & mali floreant, uanitas est, id est irritus labor, quia hoc consilium Dei non inuenitur acie humanæ mentis, sed Ecclesiæ patefactæ sunt causæ in genere propter quas cruci subiecta est, ut suo loco dicitur.

Prouidentia non tollitur calamitatibus iustorum.

Iubet igitur Salomon, omissa hac inquisitione humanæ rationis, manere in timore Dei & præsentibus donis Dei iuxta præcepta uti, cibo, potu, uocatione politica, œconomica. Hæc est summa longæ narrationis in hoc ipso capite. Excruciat enim hæc quæstio omnes homines, & multi quia uident res secundas malorum & res aduersas iustorum, cogitant non esse prouidentiam sed excellens robur fidei est his spectaculis non frangi, ac retinere ueram agnitionem Dei, & expectare iudicium. Eadem concio copiosē recitatur in Psalmo 36. Noli æmulari. Et studiosi considerent, ubi poëtæ aut alij scriptores in hanc materiam ingrediantur, ut sæpē fit, Interdum recitant dubitationes, interdum asseuerationes, ut, Discite iusticiam moniti, & non spernere diuos. Et Aristoteles in Rhetoricis recitat Stesichori dictum. Neminem afficias iniuria. Quia cicadæ canent hoc in campis, id est, pauperes oppressi in suis agris sonant has querelas & mouent Deum, ut puniat Tyrannos.

Non frangi calamitatibus excellens est robur fidei.

CAPVT IX.

SVNT iusti & sapientes & opera eorum in manu Dei sunt, & amorem & odium nescit homo in omnibus quæ sunt coram ipso. Omnia eueniunt similiter omnibus, iusto, malo, bono, & mundo, sicut in mundo offerenti, & non offerenti. Sicut euenit bono, sic euenit peccatori. Sicut euenit periuro, sic euenit timenti ius iurandum. Hoc est pessimum omnium, quæ sub sole fiunt, Quod similes sunt euentus. Ideò corda hominum implentur malicia, & stulticia manet in cordibus eorum in omni uita, donec moriuntur.

ETsi peregrinis interpretationibus hæc pars textus obscurata est, tamen manifestum est repeti querelam de hac externa specie, quę multos mouet, ut negent prouidentiam propter res secundas malorum & res aduersas iustorum. Salomon autem ideò concionatur de hac externa specie, ut nos ab ea abducat, ne ex his euentibus iudicemus: Sed firmissima fide amplectamur uocem diuinam, quæ affirmat, quæ facienda sint, & expectandum esse iudicium. Hæc est simplicissima sententia Salomonis, qui expressē damnat hîc furores negantium prouidentiam, quia dicit stulticiam esse exitialem illis ipsis, qui propter hæc spectacula seu externam speciem deficiunt à Deo.

Repetitio querelæ de externa specie aduersante prouidentiæ.

Constituta hac simplicissima sententia, iam refutanda est interpretatio Monachorum, sparsa in Ecclesiam de hoc dicto: *NEMO SCIT AN AMORE VEL ODIO DIGNVS SIT.* Monachi non uident hoc

dictum admonitionem esse, ne de prouidentia ex rebus secundis aut aduersis iudicetur, sed transferunt dictum ad dubitationem conscientiæ quærentis de remissione peccatorum, de qua asseuerandum est ex uoce Euangelij, non ex euentibus. Manifestum est autem Monachos malè detorquere hoc dictum ad dubitationem. Quia certè fatendum est, delinquentes contra conscientiam, scire se in odio esse. Dauid rapiens coniugem alterius, scit se facere scelus, cui Deus horribiliter irascitur. Quanquam autem concedunt Monachi, in delictis contra conscientiam sciri iram Dei, tamen postea dicunt de conuersis semper dubitandum esse, An sit in gratia.

Monachorum imaginatio de dubitatione delet Euangeliũ & est impia.

Sciendum est autem certissimè, & hanc imaginationem Monachorum falsam & impiam esse, & esse deletionem Euangelij. Quia hæc est uox externa & immota Euangelij, ut agentes pœnitentiam fide statuant uerè sibi remitti peccata, & se recipi in gratiam propter Mediatorem, & eluctentur ex dubitatione, iuxta illud Ephes. 3. Per quem audemus accedere in fiducia per fidem Christi. Item ad Ebræ: Habentes talem pontificem, accedamus ad thronum gratiæ cum fiducia.

Vtrunq; certissimum est Deum irasci peccatis & misereri credentium.

Ac sciendum est oportere certitudinem in utraq; parte esse. Dauid rapiens coniugem alterius, certò sciat Deum horribiliter irasci, sicut uerissimum est. Et ostenditur hæc ira in concione Nathan & tristissimis pœnis. Postea Dauid, audita absolutione in conuersione, repugnet dubitationi & statuat se rursus uerissimè recipi in gratiam, & hac assensione & fide se etiam in exilio & summis doloribus sustentet.

De peccatis ignorantiæ responsio.

Sed obijciunt Monachi, imò habent & sancti peccata ignorantiæ, Ideò non affirment se placere Deo. Respondeo: Vtrunq; fateantur sancti, se habere peccata ignorantiæ & alios morbos multos, sicut inquit Dauid, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, & tamen se placere Deo propter Mediatorem fide, & tectam esse immunditiem à Mediatore, sicut scriptum est: Nulla nunc damnatio est his qui in Christo Iesu ambulant. Item, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Hæc consolatio est propria uox Euangelij.

Monachorum error de dubitatione ex ignoratione discriminis Legis & Euangelij.

Sed Monachi non intelligentes discrimen Legis & Euangelij, tenebras in Ecclesiam inuexerunt, Postea hoc dictum Salomonis detorserunt ad sua deliramenta, cũm Salomon hoc tantùm agat, Ne ex specie externa iudicemus, & quidem deducat nos ad uerbum Dei. Dauid ne se quidem audita absolutione iudicet abiectum esse, etiamsi est in magnis pœnis, & euentus iram Dei ostendit, sed non ex euentu, uerùm ex uerbo Dei iudicare debet. Multò minus ex specie externa de alijs iudicet, Pereunt eodem modo Saul & Ionathas, nec discernere hos euentus humana sapientia potest, sed doctrina Ecclesiæ discernit. Exitus Saul congruit cum regula, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Exitus Ionathæ habet alias causas, Quia Deus antea testatus est, Ionathan sibi placere, sed sciunt Ionathas & Dauid causas, quare Ecclesia cruci subiecta sit.

QVID igitur eligendum est? In uiuente spes est, Et melior est canis uiuus Leone mortuo.

Antea

Antea recitata est querela, quòd iustis & iniustis similia eueniant, Hæc confusio turbat mentes, & languefacit uoluntatem rectè agendi. Opponit ergo huic offensioni præceptum. Imò inquit, Necesse est tamen Deo obedire, & à quæstione exorsus est. Quid igitur eligendum est? Est ne eligendus labor, cùm non respondeant præmia? Respondet Salomon. Est omnino uocationi obtemperandum, & euentus Deo commendandi sunt, ut suprà sæpè dictum est. Commenda Deo uiam tuam, & ipse faciet. At non poteris esse felix prælíator qualis fuit Asa. Non potes esse Dux similis Scipioni, Sis igitur similis Fabio, modò seruias tuo loco fideliter, sicut Paulus inquit: Hoc requiritur, fidelis ut sit quisq; . Sufficientia uerò nostra ex Deo est. Inquit igitur Salomon: In uiuente spes est, id est, Viuens agat aliquid iuxta uocationem. Et melior est uiuus Canis Leone mortuo, id est, etiamsi non potes esse Leo, sis mediocris Catulus. Quid iam quærimus Leones, Heroicos Duces & gubernatores, quales illi ueteres fuerunt Gedeon, Samson, Dauid? Vtamur nostris, qui etiamsi non sunt illis similes, ut Leones, sunt tamen uelut Catuli, Aliquid suo loco agant, & orent Deum, ut faciat eos uasa misericordiæ. In hac sententia diu commoratur Salomon. Dicit mortuos iam discessisse ab huius uitæ gubernatione, præsentibus utendum esse, & iubet uocationi parere, & acquiescere in Deo fide, & bona conscientia, qualescunq; sint euentus.

Vocationi obtemperandum est, & euentus sunt commendãdi Deo.

VADE comede in lætitia panem tuum, Quia Deo placent opera tua.

Id est, quæ facis iuxta uocationem, sicut postea dicit. Hæc est pars in uita & labore tuo quem tibi dedit Deus.

Et postea. *OMNE QVOD INVENIT MANVS TVA, FORTITER FACITO.* Hoc dictum diligenter obseruandum est, quod quidem satis perspicuè ostendit, non doceri à Salomone desertionem societatis communis aut negociorum, aut ocium Monachorum, sed proponi grauissimam doctrinam & consolationem. Iubet nos studiosè obtemperare uocationi & euentus Deo commendare, & quidem fidelitatem & diligentiam postulat, cùm hîc ait. Fortiter operare. Et addit consolationem dulcissimam. Pij sciant talem cursum iuxta uocationem DEO placere, & gubernari diuinitus, quanquam multa incidunt impedimenta, multæ offensiones. Mox autem alia obiectio additur.

Opera uocationis sedulò facienda sunt & placent Deo.

QVID prodest laborare, cùm non sit velocium cursus nec fortium victoria.

Respondeo, Volo ut labores, & tamen uolo homines non confidere propria sapientia & fortitudine, non mouere res non necessarias fiducia propriæ sapientiæ aut fortitudinis: Sed petere & expectare auxilium à DEO, & quaelescunq; sunt euentus, non deficere à Deo, nec fremere aduersus eum, sed agnoscere nostram infirmitatem. Simile dictum est illi: Scio Domine, Non est hominis uia eius. Item: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi datum sit ei de cœlo. Hæc dicta de euentibus loquuntur, ut suo loco dictum est, non hoc uolunt, prorsus nullam esse libertatem in ipsa electione uoluntatis.

Non confidendum est propria sapientia aut uiribus, sed Deo.

TEMPVS & casus valent in omnibus.

Congruit cum dicto. Nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborat qui ædificat eam. Nam hoc uult, tunc demùm felices esse conatus, quando Deus eos adiuuat, dat felix momentum & regit euentus. Non enim intelligantur tempus & casus Epicureo more. Sed reprehendit Salomon fiduciam nostrarum uirium & nostræ sapientiæ, quæ imaginatur sufficere humanam diligentiam sine Deo. Ac mox addit uicinam admonitionem Salomon de nostra infirmitate, *NESCIT HOMO FINEM SVVM, SED VELVT PISCIS CAPITVR*, id est, Homines sæpè falsis persuasionibus & stulta spe incitati somniant bonos euentus, cùm tamen in medio cursu magnis calamitatibus opprimantur, ut accidit Mario, Pompeio, Iulio & alijs innumerabilibus erumpentibus extra uocationem, Huc pertinent communia dicta, Omnia sunt hominum tenui pendentia filo, Et subito casu quæ ualuêre ruunt. Item: μάταιοι διὰ ἐπιθυμίας μάταια λογίζονται. Repetendum est ergo dictum sæpissimè iam recitatum. Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Id est, Facias necessaria iuxta uocationem, & petas te iuuari à Deo memor tuæ infirmitatis.

Tempus & casus in Salomone non intellida sunt Epicureo more.

VIR pauper & sapiens liberabit vrbem, & vnus peccator multa bona perdet.

Valdè prodest considerare in uita, ut suprà quoq; dictum est, Duo esse hominum genera, Alij sunt uasa iræ, Alij uasa misericordiæ. Vasa iræ sunt homines infelices, qui sibi & alijs exitio sunt, etsi interdum magni & sapientes sunt, Sicut Solon inquit, Euerti Respublicas à magnis & excellentibus ingenijs. Ita erant uasa iræ Achas, Sedechias, & Romæ Catilina, Antonius & multi alij, & in Ecclesia Samosatenus, Arius, Manichęus & multi alij perniciosi doctores. De talibus omnibus inquit. Vnus peccator, multa bona perdet, πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.

Duo genera hominum. Vasa iræ.

Sed uasa misericordiæ sunt homines, quorum cursus salutaris est ipsis & alijs, ut Samuel, Dauid, Ieremias. Ac propriè talis Vir pauper in ciuitate, ut ipse scribit, fuit Ieremias, qui, quanquam ei plurimi non obtemperabant, tamen in illa tanta confusione præcipuè seruauit Ecclesiam. Hoc discrimine considerato, oremus Deum assiduis gemitibus singuli, ut faciat nos uasa misericordiæ, nec sinat nos fieri pestes te ἀλάστορας generis humani, sicut clamãt Prophetæ in Psalmo: Respice seruos tuos, & dirige opus manuum nostrarum. Et Esaias: Tu Domine Pater noster es, Nos lutum tuum, tu formas nos, Opera manuum tuarum sumus, ne irascaris ualdè.

Vasa misericordiæ.

Simul autem monet hoc dictum, Bona consilia à paucioribus audiri, & multitudini placere deteriora consilia. Ideò inquit: Sapientia pauperis contemta est. Verba sapientum audiuntur à silentibus, id est, non furentibus aliqua cupiditate, sed quærentibus ueritatem, & ea quæ sunt salutaria. Alibi uerò inquit Salomon: Melius est occurrere ursæ, quæ amisit catulos suos, quàm fatuo in stulticia sua, id est, occupato aliqua cupiditate, aut fascinato stulta persuasione aduersari difficilimum est.

Multitudini deteriora placent.

CAPVT X.

MVSCÆ venenatæ corrumpunt suauia vnguenta, *Id est:*

Bona consilia, bona doctrina, artes rectè constitutę quotidiè corrumpuntur per

tur per ardeliones, qui facilius audiuntur in aulis & in populo, quàm homines modesti & pauperes, rectè docentes, aut salutaria consulentes.

Ardeliones corrumpunt artes & consilia bona.

PAVLISPER melior est stulticia quàm sapientia & gloria.

Congruit cum dicto: Non ponebat enim rumores ante salutem. Fabius paulisper stultus esse existimatur, sed postea euentus ostendit, eius consilia fuisse salutaria, & congruit quod sequitur: *SAPIENTVM CORDA IN DEXTRA MANV ESSE*, id est, firmius teneri, ne obtemperent iracundiæ, dolori, ambitioni. *STVLTORVM CORDA SVNT IN SINISTRA*, id est, infirmius tenentur, ruunt quò ira, cupiditas gloriæ, dolor aut alij cœci affectus impellunt. Et regula traditur de proprietate, uniuersaliter coniuncta cum falsa persuasione sapientiæ, uidelicet quòd omnes sint arrogantes, sese admirentur, & alios despiciant ac iudicent fatuos esse, sicut Epicurei & Hypocritæ iudicant insanire Apostolos. Pompeius iudicat errare dissuasores belli.

Consilia sapientum firma sunt, stultorum infirma.

SI præualuerit impetus potentioris super te, locum tuum ne relinquas.
Nam Sanatio faciet cessare magnos peccatores.

Id est, Etiamsi aliquantisper uincunt inuidi aut Sycophantæ, aut gloriosi Thrasones: tamen non moueatur rectè faciens, ut deserat suam stationem propter peruersitatem iudiciorum aut dolorem. Bonus & fidelis pastor non moueatur calumnijs aut uulgi clamoribus, ut deserat Ecclesiam, aut sese immutet & inflectat ad iniqua iudicia. Quia interea tamen multa sanare poterit.

Propter inuidos & Sycophantas non est deserenda uocatio.

Sequitur deindè querela, deplorans hoc commune malum, quòd sæpè regnant stulti & mali, ut gratior est in aula assentator alludens ad affectus Domini, quàm sapiens & fidelis consiliarius, iuxta uersus:

Deploratio q̃ sæpè regnant stulti & mali.

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,
πράττει δὲ ἄριστα κόλαξ, ὁ συκοφάντης δεύτερος.

QVI fodit foueam, incidit in eam.

Superiori querelę respondent hæc dicta sequentia de pœnis, quæ monent tristes esse exitus malorum consiliorum, iuxta regulam sæpè repetitam, Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis in hac uita. Item: Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur uobis. Ita hîc dicit: Qui fodit foueam, incidit in eam, & congruit hoc prouerbium cum usitatis dictis: ἡ δὲ κακὴ βούλη τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Item.

Exitus malorũ cõsiliorum recidunt in autores.

τεύχων ὡς ἑτέρῳ τὶ, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

QVI diruit sepem, mordebit eum coluber.

Hæc peculiaris pœna est eorum qui Respublicas mutant, siue πολυπραγμοσύνῃ, siue alijs causis non probandis. Plerunq; petulantia illorum ipsorum, quibus laxauerunt frenos, opprimuntur & ipsi duces, sicut Iulium interficiunt sui commilitones, & sæpè accidit illud ipsum, quod de Iulio pronunciatum est. Men' seruasse, ut essent qui me perderent. Significat autem sepes politiam mediocriter constitutam. Colubri sunt, qui licentia abutuntur alieno labore parta libertate.

Pœna turbantium politias.

QVI transfert lapides, affligetur ab eis.

Figura sermonis usitata est: Tansferre lapides, pro eo, quod est mutare leges & formam Reipublicæ. Congruit cum sententia proxima, Mutans for-

Mutans leges exercebitur magnis periculis.

mam Reipublicæ, exercebitur magnis periculis, siue mutet diuinitus, siue humana πλυπραγμοσύνῃ seu ambitione, sed tunc exitus deteriores sunt, ut Bruti, Cassij, Antonij. Et semper sit in conspectu Pindari dictum: Facile est mouere ciuitatem, sed rursus in tranquillum sistere, solius Dei.

Figura sequens generalior est: Qui secat ligna, uulnerabitur ab eis. Qui format seu dolat uaria ingenia populi uel discipulorum, ut concionatores & doctores, plerunq; uulneratur à suis auditoribus.

SICVT ferrum hebetatum non nisi magno labore rursus acuitur, ita magnæ diligentiæ comes est sapientia.

Præceptum de diligentia in operibus uocationis.

Præceptum est de diligentia in agendo & in perferendis multis difficultatibus, sicut dicitur, παθήματα μαθήματα. Taxat autem ignauos in quacunq; uocatione, & postulat uigilantiam, curam, laborem & seriam intentionem, sicut in multis alijs dictis præcipitur. Christus uituperat seruum ignauum, qui suo talento nihil lucratus erat, & multæ sunt admonitiones de diligentia in omnibus scriptis, iuxta illud:

Nil nisi magno vita labore dedit mortalibus.

Item Epicharmus, τῷ πόνῳ πωλοῦσιν πάντα ἡμῖν ἀγαθὰ θεοί. Hesiodus, μελετᾶ δὲ πέργον ὀφέλλει.

Sit autem diligens intentio in officia uocationis, & in res necessarias, non sit πλυπραγμοσύνη, uaria tentans extra uocationem, sicut inutiles canes uenatici non sequuntur unam feram, sed subinde auertuntur ad alia. Et notum est dictum Senecæ: Necessaria ignoramus, quia non necessaria discimus.

CALVMNIATOR similis est serpenti, qui clàm mordet.

Calumnia est sæua pestis.

Congruit cum dicto superiori, Calumnia conturbat sapientem, & necat robur cordis eius. Est omnino sæua pestis calumnia, & fax est magnarum dissensionum, unde postea confusiones religionum, bella, & uastitates oriuntur. Ideò & in Moyse præceptum est: Non sis susurro in populo. Ita hîc totum hoc genus calumniatorum & obtrectatorum taxatur.

VERBA oris sapientis gratia.

Discrimen inter sapientes consiliarios et stultos.

Discernit sapientes consiliarios & doctores à stultis qui habent persuasionem sapientiæ, cùm tamen desipiant, quia non dirigunt consilia ad ueram normam, sed ad suos uel aliorum cœcos adfectus, sicut Mardonius Xerxi bellum suadet, uel sicut Pompeius habuit instigatores. Hos ait ignorare, quid antea acciderit, id est, tales non curant exempla priorum, qui stultis consilijs aut perniciosa doctrina se & alios euerterunt, nec prospiciunt uenturas pœnas.

LABOR stultorum affligit eos, quia nesciunt viam ad vrbem.

Peruersè sapientes causa sunt multorũ malorum.

Id est, Illi peruersè sapientes multa frustra moliuntur, multa conantur reformare, & sibi & alijs accersunt multos tristes casus, nec norunt hominum sensus, nec considerant momenta negociorum, nec uident quid necesse sit agere. Hæc comprehendit, cùm ait, *NESCIVNT VIAM AD VRBEM, SEV AD AVLAM*, Sicut describitur pastor cui recens in aula fuerat speculum donatum, in quo, cùm se contemplatus esset, admiratione formæ suæ factus est insolentior, & postea in pœnas incidit, De quo dicit Franciscus Petrarcha:

Æternùm gemat ille miser, pastoribus aulæ
Qui primus mala dona dedit.

Væ

VÆ terræ cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt.

Querela de gubernatoribus non idoneis.

Perspicua sententia est, nec tantùm loquitur de his qui ætate pueri sunt, sed etiam de senibus, qui semper in ocio & uoluptatib. uixerunt, nec doctrina, nec usu uitæ & communibus ærumnis facti sunt cautiores. Et ubi gubernatores præcipuè quærunt uoluptates corporis, ibi negliguntur Iurisdictio, gubernatio disciplinæ, exercitia militaria. Tales sunt Sponsi Penelopes fruges consumere nati. Contrarius est uersus quem ex Hesiodo citat Polybius: ἀλακιδαὶ πολέμῳ κεχαρκότες ἦτε δαιτί.

CAPVT XI.

MITTE panem tuum super aquas &c.

Confirmatio præcedentiũ de prouidentia in hoc capite.

TOtum hoc caput lumen est huius libri. Ostendit enim, in his concionibus institutam esse confirmationem sententiæ de prouidentia, & refutationem argumentorum, quibus homines natura mouentur, ut de prouidentia dubitẽt. Sit igitur prima sententia, quæ hîc in fine ponitur: De his omnibus abducet te Deus in iudicium. Expressè affirmat, Deum & iudicare & iudicaturum esse hominum facta, & hanc asseuerationem in fine repetet, cum hac concione: Deum time, & mandata eius serua.

Quid faciendum in confusionibus uitæ.

Constituta hac sententia, quòd & iudicaturus sit Deus, & quòd ei iuxta mandata obediendum sit, iam accedunt consolationes. Cùm dubitat animus, quid faciam? uideo multos labores esse irritos, multos ingratos, uideo accersiodia & ærumnas, deseram ne uitæ societatem, & abdam me in aliquas solitudines, ac sequar illud uetus dictum, λάθε βιώσας? Nequaquam. Sed ut suprà dixit, Fortiter facias laborem, quem Deus tibi attribuit, Ita hîc inquit, Mandata eius serua, Euentus uerò commendes Deo, nec frangaris dolore, si incidant aduersa sed in his Deo obedias, & fide retineas animi tranquillitatem, inuocationem & spem. Scias te placere Deo in illa obedientia, labores tuos non fore prorsus irritos, etiamsi interdum sæuę tempestates orientur. Vt, Moisi gubernationem turbant multi ingentes tumultus. Dauidi mouet seditionem filius. Hæc ita fieri sciamus, & non abijciamus spem, pacem cordium, inuocationem, & officia nobis mandata, & dictum sæpè repetitum cogitemus: Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum & ipse faciet. Et illud Pauli: Labor uester non erit inanis in Domino. Et Psal. 1. Folium eius non defluet. Hanc totam doctrinam & consolationem in uita ualdè necessariam esse omnes intelligunt, quæ quidem ideò diuinitus traditur, quia ratio hac confusione offenditur, & dubitat de prouidentia & de auxilio Dei. Hæc est enarratio huius totius capitis, Imò totius libri.

Opera gubernationis aliquibus prosunt.

Et hîc de operibus gubernationis dicit: *MITTE PANEM TVVM SVPER AQVAS*, id est, doctor spargat doctrinam in populo, ut si spargeret escas in aquam piscibus excipiendas, uel si mitteret frumentum in alia loca. Gubernator labores spargat eodem modo. Etsi enim aliquid peribit, tamen aliquib. proderunt hi labores, & utilitas apud posteros conspicietur. Fuit ærumnosa gubernatio Ieremiæ, at profuit tamen uniuersæ posteritati. Donec occasio est, facito officia uocationis, sicut & Paulus iubet tempus redimi, quia dies mali sint, id est, iubet uti occasione, quia in tantis miserijs sæpè bona consilia impediuntur.

Si

SI nubes fuerint plenæ, effundent imbrem.

Euentus non sunt in nostra potestate & sapienter ferendi sunt.

Postea miscentur in textu consolationes & admonitiones. Si nubes fuerint plenę, effundent imbrem, i.e. non sunt in tua potestate euētus, sed sapienter feras ea quę pro tempore fiunt. Euenient aliâs alia, aliâs pluit, aliâs est serenitas. Nubes plenæ erant tempore Moisi, id est, uenerat tempus educendi populum ex Aegypto, Rursus alio modo nubes plenæ erant tempore Ieremiæ, id est, peccata cumulata erant quæ adferebant imbrem & exilium huic populo. Et postquam accidit euentus, factum infectum fieri non potest.

Quò cadit arbor, ibi iacet, id congruit cum ueteri uersu:

οὐ πότε γὰρ δύναται τὸ τετυγμένον εἶναι ἄτυκτον.

Significat euentus non esse in nostra potestate & sapienter ferendos esse, In hac sententia etiam deinceps commoratur. Qui prius uult habere certos & circumscriptos euentus, nihil aget, Ideò dicit: Qui obseruat uentum, non seminat &c.

Euentus præsciri non possunt.

Addit deinde admonitionem, nec præsciri posse omnes euentus, sicut & apud Herodotum dicitur antiquum dictū esse, μὴ ἅμα ἀρχῇ πᾶν τέλος καταφαίνεσθαι. Et sapientissimè proponitur hîc imago fœtus, sicut nescimus, quomodo in aluo matris formemur, sic gubernatio multorum euentuum prospici non potest, Et hîc addenda est consolatio, sicut in hac ipsa imagine uidemus Deo curæ esse fœtum, seruari matrem grauidam, dari uitam nascenti in utero, creari alimentum in uberibus, mirabiliter aperiri iuncturas cùm partus editur: ita sciamus & reliquam uitam Deo curæ esse, iuxta illa dicta: In ipso sumus, uiuimus & mouemur. Item, ipse est uita tua & longitudo dierum tuorum, Et in multis magnis periculis seruat genus humanum sine causis secundis, sicut dicitur: Omnes capilli capitis uestri numerati sunt.

MANE seminato semen tuum & vespere &c.

Admonitiones & consolationes cum concione de morte et iudicio.

Repetit priores admonitiones & consolationes, & intexit concionem de morte & de iudicio. Non frangaris animo, etiamsi quæ aduersationes impediunt, tu tamen facito officia uocationis. Mane & uespere seminato semen tuum, id est, redimito tempus, ut Paulus inquit: *QVIA DIES MALI SVNT*, id est, cùm sint magna impedimenta, uos sitis intenti in occasiones benè merendi, iuuandæ Ecclesiæ, propagandæ doctrinæ &c.

Deinde consolatio additur, *DVLCE EST LVMEN, LÆTARE IN ADOLESCENTIA TVA*, id est, donec Deus concedit, reuerenter utaris ipsius donis, cùm aufert, patienter ei obedias, & in ipso acquiescito, sicut Paulus inquit: Pax Dei habitet in cordibus uestris. Item: Iram Domini portabo, & cùm sedebo in tenebris, DOMINVS Lux mea est.

CAPVT XII.

MEMENTO creatoris tui.

IN rebus secundis & aduersis memento creatoris tui, obtemperes ei, & in eo acquiescito, & fide iuxta ipsius promissiones, quas immensa bonitate propter me-

pter mediatorem Ecclesię tradidit, scias uerissimē exaudire eum inuocantes, & uolentes ei obedire, & horribiliter punire contumaces. Ideo repetit commonefactionem de iudicio, & addit mentionem senectæ & mortis, ut hoc argumento confirmet adseuerationem de prouidentia, & hortetur nos ad timorem Dei, ad fidem & ad obedientiam. Ne securus contemnas Deum, quia morbi & mors ostendunt nostram imbecillitatem. Etiamsi es ebrius indulgentia fortunæ, & magnas spes habes, tamen hæc somnia subitō excutiet hora mortis. Et si contemsisti Deum in iudicio, rues in æternam iram, & in æternas pœnas. Hanc commonefactionem de morte & de iudicio proponit, ut nos retrahat ą carnali securitate, & à dubitationibus ad considerationem prouidentiæ, ad timorem Dei, ad fidem, & ad obedientiam.

Est autem descriptio senectæ figurata, quam apparet ex natura ipsa & Physicis signis sumtam esse. Sed non omnes Metaphoræ planè intelliguntur.

ANTEquam Sol & Luna & stellæ obscurabantur.

Id est, senibus aspectus totius naturæ hebetior & tristior est.

ET redit nubes post pluuiam.

Id est, subinde nouæ miseriæ, nouæ calamitates ueniunt, cūm præterijt aliquod malum, uenit aliud. Sicut in querela Homerica dicitur: ὣς μοὶ δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ ἀιεί. *Subinde nouæ miseriæ ueniunt.*

Item: φόβος τὸ γῆρας, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον. Time senectam, non enim uenit sola.

TREMVNT custodes domus.

Id est, manus, Quia Nerui, tendines & ligamenta fiunt languidiora seu flaccida. *Metaphoræ Physicæ accōmodatæ corpori humano.*

NVTANT uiri fortes.

Id est, Crura & tibiæ.

OCIOSÆ erunt molentes & pauciores.

Id est, Dentes erunt imbecilliores & excident.

CAligabunt uidentes per foramina.

Id est, oculi erunt hebetiores.

CLAUdentur ostia.

Id est, Labra arefient & erunt flaccida.

Surgent ad uocem uolucris.

Id est, Somnus erit breuior, & facilē cantu Galli excitantur senes.

INclinatæ sunt filiæ carminis.

Id est, uel aures fiunt surdæ, uel uocis organa corrugantur. Quia in senibus & minus est spirituum cordis, & pulmo & trachea uel frigida humiditate, uel siccitate fiunt debiliores.

EXcelsa formidabunt in uia.

Id est, Caput erit tremulum uertigine.

Florebit amygdalus.

Id est, accedet canicies, ut in amygdalis.

ONerantur Locustæ.

Id est, incuruantur scapulæ & coxæ, id est, senes incedunt curui. Et figura extantium scapularum, & coxæ & spinæ dorsi incuruæ similis est locustæ.

ET perit uoluptas.

Id est,

Id est, fastidia sunt & nauseæ cibi, potus & aliarum uoluptatum, Quia uirtus est languefacta, fit mala coctio, parum boni sanguinis & spirituum, exigua nutritio &c. Postea de interioribus loquitur.

ANTEquam rumpatur funiculus argenteus.

Intelligo neruos & τένοντας, ligamenta, sunt enim nerui similes albis filis. Et cũm sint instrumenta sensus & motus, præcipuam uim habent in corpore humano.

ET decurrat fons aureus.

Id est, cor, quod est fons & scaturigo omniũ uirtutum, & uiuifici caloris.

CONteretur hydria super fontem.

Id est, uena super epar. Cùm enim duos fontes seu duas scaturigines nominauerit, uisum est concinnẽ fontem aureum intelligi cor. Quia auri similitudo magis congruit ad cor, & ad spiritus. Postea Hydria sit caua uena, quæ sanguinem haurit ex epate, & in totum corpus effundit, & uerissimẽ est nutrix & canalis totius corporis. Et consentaneum est, Salomonem hîc non omisisse opificium uenarum, quod in nutricatione præcipuam affert utilitatem, & miranda arte & prouidentia in totum corpus distributum est, ut omnibus partibus aduehatur nutrimentum.

Cisternam planè intelligo uentriculum. Quia uocabulum significat profundam cauitatem, & gyri super uentriculum significant uicinas partes, scilicet intestina, quæ collocata sunt tanquam gyri seu orbes, & μεσεντέριον penè speciem rotæ efficit, cui implicita sunt intestina.

Hanc mentionem senectæ & mortis inseruit, ut lectores de futuro iudicio commonefaciat, sicut mox repetit hanc sententiam: Cuncta adducet Deus in iudicium, uultq; cogitatione iudicij confirmari fidem de prouidentia, & excitari timorem Dei, inuocationem & curam rectè faciendi. Quia metus æternæ iræ & abiectionis & horrendi cruciatus in tota æternitate duraturi, non est segnis monitor menti non prophanæ, & ad hanc summam refert totam concionem.

DEVM time, & mandata eius obserua, hoc est præcipuum omnibus hominibus.

Totus cultus Dei, & tota obedientia erga Deum.

Complectitur autem totum cultum & totam obedientiam, & deducit nos ad hunc uerum Deum, qui se patefecit in hoc populo Israël, & tradidit ei promissiones & legem, illustribus & non fallentibus testimonijs, hunc Deum uult agnosci, audiri, inuocari, coli iuxta hanc ipsam uocem, quam tradidit, & proponit summam normam, quæ debet esse rectrix omnium deliberationum & actionum: Intuere Deum & ipsius doctrinam, & ab hac norma non discedito, & scias, discedentem sine ulla dubitatione ruiturum esse in tenebras, laqueos Diaboli & tristissimas pœnas, referas omnia consilia & omnes actiones ad hunc finem, ut Deo præstes obedientiam, & eum celebres. Hanc regulam etiam in iudicandis omnibus doctrinis teneas, considera quæ disputationes, quæ doctrinæ, qui sermones dissentiant à uerbo Dei, aut non prosint ad alendum timorem Dei in mentibus, & confirmandam fidem, & semper sunt, fuerunt & erunt multæ Epicureæ & multæ ociosæ opiniones, & multi Idolorum cultus. Hæc omnia summa uigilantia iudicanda & uitanda sunt. Ad hanc summam refert conciones in hoc libro, quæ quidem & summa est uniuersæ doctri-

ſæ doctrinę in Eccleſia, iuxta illa dicta: Beati qui audiunt uerbum Dei, & cuſtodiunt. Item, totus Pſalmus: Beati immaculati in uia, qui ambulant in Lege Domini. Item, Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus.

Ad hanc eandem ſummam refert Salomon & ſuas conciones.

Faciam igitur exemplo Salomonis, & argumentum ac ſummam huius libri in fine rurſus recitabo. Vult in hoc libro Salomon principaliter proponere aſſeuerationem de prouidentia. Deindè uerò refutare obiectiones, quæ contra prouidentiam opponuntur. Cùm enim multæ & magnæ ſint in uita confuſiones, & magna ſit impiorũ multitudo, & pauci ſint Deum rectè agnoſcentes & timentes, & impij floreant gloria & opibus, pij ſint ærumnoſi, et multi interficiantur à peſſimis, & gubernatio fidelis parum proficiat, uidentur omnia caſu ferri. *Repetitio argumenti & ſumma totius libri.*

Ad hanc obiectionem reſpondet Salomon, etſi magna ex parte talis eſt confuſio, Tamen tu regaris uerbo Dei, & retineas ſententiam de prouidentia firma fide, nec propter hæc ſcandala deficias à Deo, nec abijcias timorem Dei, & fiduciam acquieſcentem in Deo, nec deſeras uocationem tuam, & illis confuſionibus hæc duo ordinata opponito. Veniet iudicium, in quo Deus tollet hanc confuſionem, & omnes impij abijcientur in æternas pœnas, & iuſtis benè erit. Iam quoq; in hac uita Deus moderatur confuſiones, punit atrocia ſcelera, nec ſinit gubernationem prorſus irritam eſſe, colligit ſibi æternam Eccleſiam, ſeruat aliquas politias & œconomias. Imò hoc ipſum teſtimonium eſt præſentiæ Dei, quòd, cùm tanta ſit infirmitas naturæ hominum, tanti, tam ſæui multorum furores, uidemus tamen mirabiliter ſeruari Eccleſiam Dei, et aliqua eius hoſpitia. Obiectio igitur de confuſionibus eſt fallacia à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter. *Reſponſio de confuſionibus in uita.*

Multa fiunt inordinatè in hac vita,
Ergo omnia & ſemper ſunt inordinata.

Neganda eſt conſequentia. Nam prorſus tolletur hæc confuſio tandem, & in hac uita multa fiunt ordinatè. Tota machina mundi pulcerrimè ordinata eſt, figura & ſitus cœli, aëris, aquæ, & terræ, motus ſiderum, uices temporum, fœcundatio terræ, & nutricatio corporis humani, conſeruatio ſpecierum, generatio, noticiæ regulares in mente, conſeruatio ſocietatis, pœnæ atrocium ſcelerum.

Hæc ordinata & regularia opponenda ſunt confuſionibus. Sed multò magis ipſa reuelatio diuina, qua editum eſt uerbum, Lex, comminationes, Euangelium & promiſſiones, opponenda eſt omnibus ſpectaculis, quæ incurrunt in oculos, & firmiter retinenda eſt fides, & in fide ſeruiendum uocationi. Rectè facito, quia diſcrimen erit æternum in uenturo iudicio, etiamſi aliquantiſper differuntur pœnæ. Fac officia uocationis, etiamſi multi labores erunt inanes & ingrati, at aliquando proficies, aderit Deus laboranti & inuocanti ipſum. Hac fide ſpargito doctrinam & labores, ut panem in aquas. Hac fide & ſpe lenias dolorem. Ita prohibet deſperationem & fiduciam noſtri, & docet, fide in Deo acquieſcendum eſſe. Nec poteris in uita aliter mederi doloribus, etiamſi contra- *Ordinata & regularia opponenda ſunt confuſionibus.*

ria tentes, aut deseras uitæ societatem. Non uitantur miseriæ humano consilio, sed tantùm cùm acquiescunt corda fide in Deo.

Ad hanc summam recitationes de uarijs negocijs & euentibus suprà positæ accommodandæ sunt, & subindè adiunguntur responsiones, in quibus opponit uerbum Dei, & ordinatos euentus, pœnas atrocium scelerum, quæ sunt testimonia uenturi iudicij, & ipsam mentionem iudicij toties repetitam. Prodest autem in qualibet materia considerare, quod sit consilium, quæ uoluntas scriptoris, & ad quem finem instituta sit oratio.

Liber Salomonis doctrina est de prouidentia & consolatio.

Sciamus igitur, hūc librum principaliter doctrinam esse de prouidentia. Deindè consolationem contra uarias confusiones uitæ, ne propter eas de prouidentia dubitemus, nec abijciamus curam rectè faciendi, et communes labores uitæ, nec deseramus uocationem. Et consolationis loci ducuntur à necessario, à possibili, & ab utili, præmijs & pœnis.

Locus consolationis à necessario.

A Necessario, quia necesse est Deo obedire. Et firmissimè retinenda est hæc asseueratio: Genus humanum à Deo conditum esse. Et quanquam accesserunt multæ tristes confusiones, tamen nos ab eo seruari, & labores ab eo ordinatos esse, ipsum inspectorem, iudicem et adiutorem esse firmissimè statuamus. Ideò sæpè repetit hæc dicta: Deum timeto, quia omnia adducet Deus in iudicium, bona & mala, etiam arcana.

Alter locus consolationis à possibili.

Argumenta sunt à Possibili: Etsi magnæ confusiones, & in multis gubernatio est inutilis, ut inquit: Curua non possunt fieri recta, & sæpè etiam iusti laburtur: Tamen Deus non sinet labores uocationum prorsus irritos esse, aderit inuocanti, ut hîc dicitur: Sparge panem uelut in aquas, quia inuenies eum. Manè & uesperi seminato &c.

Deniq; sæpè repetita est hæc consolatio, & hîc & alibi. Vt apud Paulum. Non erit labor uester inanis in Domino. Et in Psalmo 1. Folium eius non defluet.

Et ad locum à possibili pertinent remedia dolorum. Ignescunt iræ, ac duris dolor ossibus ardet Pericli, & similibus, quòd consilia pulcerrimè cogitata de defensione patriæ non procedunt. Sed Ieremias acquiescit in Deo, etiam cùm res sunt aduersæ habet hæc remedia Ieremias, quòd scit, Deo obediendum esse, & Deum mirabiliter seruaturum esse Ecclesiam, ut apud Esaiam dicitur: Ego gestabo uos, etiam in senecta. Item: Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.

Tertius locus consolationis ab Vtili.

Tertius locus est ab Vtili, præmijs & à pœnis, discerni pœnas atrocium scelerum etiam in hac uita, & tamen post hanc uitam Ecclesia ornabitur æternis bonis, & impij abijcientur in æternos cruciatus. Hîc igitur tertius locus est in hoc libro, scilicet comminatio, quæ denunciat pœnas omnibus peccantibus, non solùm extra Ecclesiam, sed etiam in Ecclesia, ut inquit: Scio, quòd benè erit timentibus Deum, & non benè erit impio.

Vniuersa doctrina referenda ad timorē Dei & obedientiam.

Hos esse principales locos huius libri certum est. Postea multa dicta de communibus euentibus, & de multis uirtutibus miscentur. Sed uniuersa doctrina refertur ad hoc caput: *DEVM TIME, ET MANDATA EIVS OBSERVA*, ubi totum cultum, timorem, fidem & bona opera complectitur. Et ita profuturæ sunt huius libri admonitiones, cùm adiungitur doctrina fidei, de uero Deo, de conuersione seu pœnitentia, de agnitione Filij Dei, de iu-

de iuſticia fidei,& de noua obedientia. Concionatur enim auditoribus in uera Eccleſia, quibus Deus ſe patefecit, & promiſſiones tradidit. Atq; ita placent Deo opera uocationis, & hi labores uitæ fiunt cultus Dei, cùm fides prælucet, qua coram Deo propter Filium redemtorem iuſti reputamur, & hac ipſa fide petitur gubernatio & auxilium à Deo,ſicut Dominus inquit: Sine me nihil poteſtis facere. Item:Quantò magis Pater ueſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus. Et cùm fides regit labores, ſimul refert eos ad gloriam Dei. Eſt enim cultus Dei opus à Deo mandatum, factum fiducia filij Dei, cuius finis principalis eſt,ut hæc obedientia Deo præſtet honorem, & oſtendat, nos hunc uerum Deum inuocare, qui ſe in Eccleſia patefecit. Hæc fides etiam affert pacem cordi, quia ſubijcit nos Deo, ſtatuit Deum adeſſe adiutorem & liberatorem,de qua Paulus dicit:Pax Dei ſuperans omnia conſilia mentis humanæ,cuſtodiat corda ueſtra.

Cultus Dei quid ſit.

Cùm autem uariæ ſententiæ in has conciones ſparſæ ſint,prudentia adhibeatur in iudicando diſcrimine earum. Ac in uniuerſum in omnibus ſcriptis quæ continent ſententias,genera diſtingui neceſſe eſt. In ſacris libris alia dicta ſunt Legalia,alia Euangelica, alia Dogmatica, alia Conſolatoria, alia ſimpliciter Narrationes de euentibus, ſeu bonis ſeu malis.

Varia dicta in ſcriptis ſententiarum.

Legale eſt, ut in hoc libro ſæpè repetitum præceptum de uocatione: Sedulò facito labores, quos tibi Deus dedit. Et ad præcepta adiungantur commi-nationes, ut hîc: Non benè erit impio.

Legalia dicta.

Euangelica ſunt, ut: Qui credit in Filium, habet uitam æternam, Et huc referantur alia dicta de fide, de inuocatione & de conſolationibus, quæ paſſim ſparſæ ſunt in diuinis concionibus,ut:Petite & accipietis. Quantò magis Pater ueſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus. Et in hoc libro: Qui uidet bonum de labore ſuo, donum Dei eſt. Etſi enim obſcurius de fide loquitur, tamen ſignificat, petendum & expectandum eſſe auxilium, Sicut Pſalmus inquit: Commenda Deo uiam tuam, & ſpera in eum,& ipſe faciet. Congruit & cum hoc dicto:Non erit labor ueſter inanis in Domino.

Euangelica dicta.

Alia ſunt dogmatica,ut de eſſentia Dei,de prouidentia,de uoluntate Dei, de iudicio. Vt,Alium Deum præter me neſcias, nec eſt alius Deus. Item in hoc libro: Manifeſta & occulta iudicabit Deus.

Dogmatica.

Conſolatoria referantur ad Euangelica,ut,Propè eſt Deus his,qui tribulato ſunt corde. Item:Inuoca me in die tribulationis,& ego eripiam te.

Conſolatoria.

Narrationes de Euentibus ſunt, ut in hoc libro multæ ſunt: Moritur doctus ut indoctus. Curua non fiunt recta. Non eſt iuſtus in terra, qui cùm rectè facit,non etiam peccet. Et prudenter diſcernenda ſunt dicta,quæ continent deciſiones et promiſſiones,à narrationibus,ut:Fortuna quem nimiùm fouet,ſtultum facit, Vel:Luxuriant animi rebus plerunq; ſecundis. Et in hoc libro: Vidi in loco iuſticiæ iniquitatem. Tales narrationes non approbant mala,ſed oſtendunt, ut moniti conſideremus ea, & ſimus intenti ad cauendum, ſicut Medicus recenſet & deſcribit morbos. Hæc dixi de generibus Sententiarum in libris Propheticis & Apoſtolicis.

Narrationes de Euentibus.

Iam conſiderentur & Philoſophicæ ſententiæ. In his non ſunt Euangeli-

In Philoſophicis dictis non

sunt sententiæ Euangelicæ et dogmaticæ.

cæ & Dogmaticæ. Sed sunt aut Legales, aut Narrationes de euentibus, ut: λαῷ μὴ πίσθνε, πρλύξοπ ὅδιμ ὅμιλ.

Discrimen igitur sententiarum, quales sunt Hesiodi, Phocylidis, Theognidis,& earum quæ in sacris libris continentur,sit in conspectu. Et sæpè narrationes prophanæ aliter accipiendæ sunt, aliter narrationes in sacris libris. Vt,aliud dicitur in hoc uersu: Vitam regit fortuna,non sapientia. Aliud in dicto Salomonis: Non est fortium cursus, neq; sapientum panis &c. Quia Salomon præcipit, ut regularia faciamus, conuenientia mandatis diuinis,& prohibet humanam curiositatem,quæ sui fiducia mouet res extra uocationem. Prohibet etiam fiduciam nostri in operibus uocationis, & uult peti auxilium Dei, & nos obtemperare Deo,siue respondeant euentus,siue non respondeant.Confirmat igitur Salomon sententiam de prouidentia. Sed in illo prophano dicto: Vitam regit fortuna non sapientia,aliud dicitur.

Discrimen inter dicta Philosophica & Ecclesiastica, & collatio atq; explicatio quorundã.

Extat dictum in uita Pomponij Attici: Sui cuiq; mores fortunam faciunt.Hoc dictum uidetur discrepare ab alia regula: Multæ tribulationes iustorum.Sed conciliatio hæc est. Alterum est politica regula, congruens cum his dictis:Atrocia scelera puniuntur atrocibus pœnis in hac uita.Item: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Contrà uerò placidior cursus uitæ est hominum, qui modestè uiuunt. Sed in Ecclesia exceptio est, ubi quanquam Deus multis infirmis parcit, tamen aliquos duriter exercet. Et rectè institutis notæ sunt causæ, quare Ecclesia magis prematur, quàm cæteri homines. Oportet enim nos similes fieri imaginis filij Dei.

Sententia Prophetica dicit: Maledictus qui confidit in homine. Id congruit cum dicto: Neruus atq; artus esse sapientiæ illud Epicharmion: μέμνησο ἄπιστε῀ν.Sic & Plato monet,ne spes nobis à fortuna,aut ab hominum coniunctionibus pendeant: Sed nihil dicit de fiducia Dei.

Verba Platonis in Epitaphio.

Verba Platonis,in Epitaphio posita, reddidit Cicero hoc modo: Nam cui uiro ex se ipso apta sunt omnia, quæ ad beatè uiuendum ferunt, nec suspensa aliorum aut bono casu, aut contrario, huic optimè uiuendi ratio comparata est. Rectè monet, ne pendeant spes à fortuna, aut ab hominum coniunctionibus.Sed quòd deducit nos ad nostras uirtutes,nõ satis est. Oportebat enim nos ad Deum deduci,quia multa accidunt homini, ubi uirtus humana sine auxilio Dei succumbit. Hîc,etiam cùm destituunt nos humana consilia omnia, se uult agnosci & inuocari Deus,& pollicetur auxilium. Et res ipsa ostendit,inuocantibus mitigari calamitates, sicut dictum est: Propè est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Item, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Item, Si peccata uestra erunt sicut coccinum, eritis candidi sicut nix &c.

Pugnare uidentur & hoc Ennianum: Fortibus est fortuna uiris data. Et hoc Salomonis: Non est fortium cursus. Sed uera conciliatio est. Alterum taxat ignauos.Alterum damnat fiduciam nostrę uirtutis,et neglectionem Dei, & tamen uerum est,Dauidem,cùm uincit Goliath,non esse ociosum,non ignauum,non incautum.

Hoc modo prudenter considerandum est in dictis,ad quæ genera referenda sint. Et quia sententiæ plerunq; sunt communes regulæ uitæ, prodest multas habere familiariter notas,& quia sunt monitrices in uita,et quia gignunt argumenta

gumenta seu confirmationes & refutationes in omnibus causis,& addunt orationi grauitatem, cùm in loco & uerecundè intexuntur.

Considerandæ sunt etiam personarum discrimina,& hyperbolę. Nero dicit: Ferrum tuetur Principem. Respondet Seneca: Melius Fides. Item: Græcum illud: πάντα ἀνθρώπων μανιώδη ἔιναι. Hæc Hyperbole nequaquam transferatur ad ea quæ sunt ordinata diuinitus, ad uocem Euangelij, ad confessionem Sanctorum, ad officia legitima gubernationis, educationis institutiones. Talis & hæc hyperbole est: Nulla fides pietasq; uiris qui castra sequuntur. Item: Fata regunt homines, certa stant omnia lege. Hæc dicta necesse est corrigi erudita & uera interpretatione. *Personarum discrimina & Hyperbolæ considerandæ sunt.*

ARGVMENTVM IN ECCLESIASTEN, REPETITVM ANNO M. D. LIIII.

CONSILIA scribentium seu intentionem necesse est in legendo considerare, id est, Cogitandum est quid scriptor uoluerit agere, an doctrinam de Propositione aliqua tradat, an uerò præcipiat agi aliquid, seu an Consolatio instituatur, & in summa prospiciendus est finis scripti quid uelit scriptor auferre aut facere lectorem. Ideò & in Rhetoricis libellis genera discernuntur, didascalicon & deliberatiuum. Hæc distributio est commonefactio de considerando consilio seu intentione scribentis, seu de fine Orationis. *Consilia scribentium consideranda.*

Primùm igitur de libro Salomonis, cui titulus est, Ecclesiastes, hoc dico, principalem partem esse doctrinam, uidelicet, asseuerationem de prouidentia, hoc est, de hoc articulo fidei, quòd Deus uerè sit Iudex rectè & secùs factorum, ac uelit nos recta facere, & facientes recta iuxta uerbum & uocationem ipsi commendare euentus, etiamsi multi magni labores uidentur esse irriti, ut labores Ieremiæ, quanquam non impediunt excidium patriæ, tamen sunt salutares. Rursus etiam iubet certò statuere Deum puniturum esse non rectè facientes, etiamsi interdum differuntur pœnæ. *Principalis doctrina in Ecclesiaste assueratio est de prouidentia.*

Hæc asseueratio de prouidentia est principalis pars libri. Quia uerò turbatur assensio de prouidentia horribilibus confusionibus uitæ humanæ, uidelicet quòd multi labores, ac plerique magna specie sapientiæ suscepti, sed sine mandato, aliqui etiam suscepti iuxta mandata & uocationem uidentur irriti. Item Ecclesia subiecta est cruci,& iusti affliguntur, iniusti uerò regnant, tenent imperia & opes, ut Turci & alij: Recitat Salomon hæc argumenta turbantia assensionem de prouidentia,& opponit asseurationem, quæ habet testimonium uerbi Dei, quod uult Salomon omnibus spectaculis, quæ in oculos incurrunt, anteferri. *Assensio de prouidentia horribiliter turbatur.*

Hoc doctrinæ fundamento iacto, addit deinde Regulam uitæ, obedias uerbo Dei, iuxta uocationem, nec ab eo discedas propter speciosa rationis consilia, aut propter res secundas aut aduersas. Deo autem commendes euentus. Vt propter speciosum consilium discedunt à uerbo & uocatione Israëlitæ cùm petunt Regem, & uolunt in hac politia diuinitus constituta nouam formam sua sapientia constituere. Discedit à uerbo Dei, constituens nouum cultum, Ieroboam, quia nolebat uideri se non esse parem regi Iuda &c. Multò magis di- *Regula tradita in Salomone, manendum esse intra uocationem.*

scedunt à uocatione Marius, Catilina, Antonius, qui motis seditionibus regna constituere conantur. Discedunt à uerbo Dei fracti rebus aduersis Pontifices, Menelaus, Alcimus & alij Maccabæorum temporibus, & nunc multi mouentur potentia & gloria regni Turcici & Pontificij, ut deficiant à uero Deo.

Obediendum esse Deo & illi cõmendandos esse euentus.

Tenenda est igitur regula hîc sæpè repetita. Obedias uerbo Dei, & ipsi commendes euentus, quia certò Deus iudicaturus est. Hæc regula & alibi sæpè repetita est, ut Psalm. 37. Commenda Deo uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Hac regula constituta sequuntur deinde consolationes.

Etiamsi magnæ sunt confusiones generis humani. Maxima est multitudo impiorum, & iniusti tenent imperia, iusti opprimuntur, & plurima consilia hominum sine Deo sunt inutilia. Imò & labores piorum in tanta contumacia impiæ multitudinis & fugacitate uitæ uidentur esse irriti, & aliquantisper benè constitutæ Ecclesiæ & ciuitates citò turbantur: Tamen non discedas à regula, Obtemperes Deo, & in ipso læteris, nec abijcias mandatos labores & ordinem à Deo institutum.

Asseueratio de prouidentia quas regulas pariat.

Hæ consolationes sæpè repetuntur, sed sunt extructæ supra assenerationem de prouidentia & de uenturo iudicio, ut cap. 3. dicit: Iustum & impium iudicabit Deus. Et cap. ult. Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium. Et cap. 11. Pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Ad hoc fundamentum adiungitur præceptum cap. ult. Deum time, & mandata eius obserua, hoc faciat omnis homo. Et de laboribus mandatis inquit cap. 9. Quicquid potest facere manus tua omnibus uiribus facito. Item capit. 11. Mitte panem tuum super aquas transeuntes, tamen inuenies eum. Sicut Paulus inquit, Labor uester non est inanis in Domino. Adduntur & consolationes ut in Deo acquiescamus & lætemur, cùm quidem multa aduersa impediant necessarios & utiles labores. Cap. 9. Vade & comede in lætitia panem tuum, quia DEO placent opera tua.

Hæ uitæ regulæ & consolationes semper sint in conspectu, nec turbetur assensio de prouidentia uarijs spectaculis, quæ non congruunt cum ordine, ut cùm iusti opprimuntur, florent impij etc. nec abijciantur mandati labores propterea quòd multa impedimenta occurrunt.

Hoc scriptum assenerationis est de prouidentia.

Est igitur principaliter hoc scriptum δογμαλικὸν siue διδασκαλικὸν, uidelicet assenerationis de prouidentia confirmans pios contra Epicureas & Academicas opiniones. Deindè adduntur præcepta seu regulæ uitæ & consolationes, hæc reipsa summa est huius scripti.

CAPVT I.

VERBA Ecclesiastæ filij Dauid regis Hierusalem.

Ecclesiasten quare se uocet Salomon.

IN titulo nominat se Salomon & Regem & Ecclesiasten, id est, Concionatorem, qua appellatione significat ad officium principum pertinere, ut curent rectè doceri Ecclesias, sicut in Psalmo dicitur: Et nunc Reges intelligite. Item: Aperite portas principes uestras. Item, in conueniendo populos & Reges in unum, ut seruiant Domino. Hunc dulcem uersiculum sæpè cogitare oportebat & Principes & populos, quia utrisq; præcipitur ut conueniant, id est, tueantur communem congregationem & ministerium uocis diuinæ, & discant ueram doctri-

doctrinam, & uero consensu Deum inuocent, & doctrinam conseruare studeant. Huius autem pij consensus Reges debent esse duces & autores. Ideò hîc quoq; Salomon se Concionatorem nominat, significans se uelle autorem esse pij consensus in Ecclesia, & custodem ueræ doctrinæ.

VANITAS vanitatum & omnia vanitas, quid habet homo amplius de labore suo quo laborat sub Sole.

Initiò ponit obiectionem contra asseuerationem de prouidentia, quasi dicat, quæ potest esse prouidentia, cùm labores hominum pariter uel irriti uel infelices sint bonorum & malorum. Non enim loquitur Salomon de rebus ipsis à DEO conditis & manentibus in suo ordine, cum ait, Omnia sunt uanitas: Sed de humanis laboribus, uidelicet consilijs, affectibus & conatibus, Ideò expressius inquit: Quid homo lucratur suo labore. Item, Quo laborat sub Sole. *Initiò posita obiectio contra asseuerationem de prouidentia.*

Nequaquam igitur comprehendit uanitatis appellatione Deum, uerbum Dei & ministeria quatenus reguntur uerbo Dei, Nec Creaturas ipsas à Deo conditas. Nam retinenda est sententia dicti in Genesi, Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant ualdè bona. Sed loquitur hoc loco Salomon de laboribus sub Sole, id est, in hac ærumnosa hominum uita, in qua homines aut errant consilijs & affectibus, & multa frustra conantur, & miserias cumulant, sicut in fabula dicitur de Asino, de quo sunt uersus: *Vanitatis appellatione Salomon quid comprehendat.*

Sis asinus quemcunq; asinum fors aspera fecit:
Qui placidè sortem ferre scit, ille sapit:

Aut bonis rebus & ministerijs diuinis inutiliter miscentur humana consilia & humani affectus. Vt bonæ res sunt quærere uictum, regere œconomias, politias, Ecclesias, tamen quantum inutilium curarum & malorum affectuum miscent homines. Saul conatur traducere regnum ad suos posteros. Dauid sperat se regnum traditurum esse Absoloni. Hæ cogitationes longè secùs cadunt.

Multò magis falluntur spes & consilia impiorum quanquàm speciosa, ut Pompeius, Cato, Marcellus, sperant uictoriam in causa (ut putant) iusta, Sicut dicunt, Causa iubet superos melior sperare secundos. Brutus & Cassius cogitant, interfecto Cæsare ueterem formam Reipub. se instauraturos esse. Antonius cogitat, se oppresso Augusto Monarcham forè. Deniq; de irritis conatibus hominum sæpissimè citantur dicta: μάταιοι μάταια λογίζονται δι' ἐπιθυμίας. Item, Scio Domine non est hominis uia eius, id est, solis humanis consilijs & uiribus nulla uocatio felix est. Item, Nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborat qui ædificauerit eam. Item: οὐδεὶς ἀνθρώπῳ ὄξιμ ἅπαντα σοφός. Item, Heu pectora quantum cœcæ noctis habent, & infrà in hoc libro: Stultorum infinitus est numerus. *Impij multò magis falluntur in consilijs.*

Inde igitur argumentantur, cùm tantæ sint confusiones, impij dominentur, pij opprimantur, iusta consilia impediantur, quæ potest esse prouidentia. Huic obiectioni postea respondebo, Imò inquit, sequitur iudicium, etiamsi nunc confusio ordinis esse uidetur, ideò mandatis Dei obtemperato, & scias non omnes labores in ministerijs diuinis irritos fore: Sicut & Paulus inquit: Non erit labor uester inanis in Domino. *Obiectioni quomodo respondeat Salomon.*

ORITVR *Sol & occidit, & ad locum ſuum redit.*

Prius incoauit ſeu querelam de negocijs humanis, ſiue obiectionem contra aſſeuerationem de prouidentia, quòd labores humani pariter ſint irriti, bonorum & malorum, uita ipſa eſt incerta, & fugax, Alexander, Iulius, in curſu maximarum rerum opprimuntur, non ſunt durabilia imperia optimè conſtituta. Poſt Cyrum mox ſecuta Tyrannis Cambyſis, defectio Babylonis, poſt Darium bello Xerxis afflicta tota Aſia. Deniq; ſæpè repetuntur querelæ.

Magna momento ruunt. Item,
Summisq; negatum eſt
Stare diu, nimioq; graues ſub pondere lapſus.

Similitudo de ſolis motu, quæ eſt imago inſtabilitatis.

Propter hanc inſtabilitatem rerum humanarum, & uarias confuſiones, dixit initiò, negocia ſub ſole uanitatem eſſe, id eſt, & fugacia, & plena confuſionum, Nunc addit ſimilitudinem ſumtam à motibus Solis, & aquarum, cuius accommodatio prudenter conſideretur, Tantum enim proponitur, tanquam imago inſtabilitatis et reuolutionis ſimilium miſeriarum in negocijs humanis, & ſignificat eas miſerias nec conſilio nec ſapientia humana impediri poſſe, ut cùm fuiſſent magni tumultus, & crebræ ſeditiones in Repub. Romana ſub Conſulibus & Tribunis, poſtea expetita eſt Monarchia, & redierunt tamen ſimiles miſeriæ. Ita in Iſraël, cùm in Ariſtocratia, ante regnum magnæ calamitates accidiſſent, populus uoluit Regem certum conſtitui, ac ſperabat mutata forma reipub. feliciorem ſtatum fore. Sed aliquantò pòſt ſecutæ ſunt triſtiores dilacerationes.

Similitudinis accommodatio.

Simpliciſſima igitur accommodatio ſimilitudinis hæc eſt, Sicut Sol & aqua habent aſſiduas circumgirationes, & reuoluuntur, ita humana negocia unà cùm miſerijs, quæ admixtæ ſunt reuoluntur, nec conſilio aut ſapientia humana impediri ærumnæ in uniuerſum poſſunt.

In priuatis & publicis negocijs, ſubinde alia conſilia tentantur, ad afferendum ſtatum meliorem, & tamen redeunt ſimiles miſeriæ. In hanc ſententiam dicit nihil noui ſub Sole, id eſt, redeunt ſimiles cupiditates, ſimilia conſilia, ſimiles euentus, bellorum cauſæ, bella, & calamitoſi exitus, Sicut Thucydides inquit: Donec talis erit hominum natura, accident ſimilia, aliâs minus, aliâs atrocius.

Multa fiunt, quorum cauſæ prouideri non poſſunt.

Inquit igitur, cunctæ res ſunt difficiles, id eſt, multa fiunt, quorum cauſæ prouideri non poſſunt, Cur uincitur Pompeius, in cauſa ut uidetur meliore. Item difficilima eſt gubernatio, cùm maxima multitudo nolit emendari, ideò dicit, peruerſi, non poſſunt corrigi legibus, uigilantia, & ſeueritate gubernatorum.

Obiectiones contra prouidentiam quas poſtea diluet.

Hæc tota oratio & querela eſt de miſerijs humanis, & obiectio contra prouidentiam, poſtea uerò tradet refutationem, & conſolationem.

Refutatio communis hæc eſt, ſecuturum eſſe iudicium, conſolatio uerò, ſingulos pro uocatione debere mandatis diuinis obtemperare, eosq; labores non omnino fore irritos, etiamſi multa aduerſa accidunt, Tenendam eſſe regulam, Commenda Deo uiam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet.

Terram ſtare & Solem mo-

Obiter obſeruent hîc ſtudioſi teſtimonia, quæ affirmant terram ſtare & Solem moueri, prodeſt enim habere etiam diuina teſtimonia, contra abſurdas opinio-

opiniones eorum, qui ludentes, labefactant communem physicorum doctrinam. Cæteras physicas disputationes hîc omitto.

ueri testimonia hîc recitantur.

EGO Ecclesiastes fui Rex, & cogitaui quærere sapienter, de omnibus quæ fiunt sub Sole.

Congruit initiò dicere, de consideratione, Quia enim uidemus dissimiles euentus, mouemur, ut quæramus de prouidentia, Nec loquitur Salomon de consideratione physica, quæ ostendit illustria testimonia prouidentiæ diuinæ, & tanquam uestigia Dei in tota rerum natura, quia impossibile est, casu existere, & manere pulcerrimum ordinem, in positu, ornato, & motu corporum mundi, & noticijs naturalibus, & conseruatione specierum, & distributione ad diuersos usus.

Naturam impossibile est casu extitisse.

De his testimonijs concionatur Paulus, Rom. 2. & Act. 1. & 17. Sed loquitur Salomon de consideratione consiliorum, actionum, & euentuum in gubernatione politica, & œconomica, Ideò expressè dicit se considerasse, ea quæ fiunt sub Sole, actiones & euentus humanorum consiliorum, ut Pericles, Demosthenes, Cicero, sunt sapientes gubernatores, & tamen horum specioſa consilia habent tetros euentus, quia antea dixit, Cunctę res sunt difficiles, nec potest homo eas explicare sermone, id est, omnes deliberationes sunt difficiles, quia plerumq; utrinq; pericula occurrunt. Nec humana sapientia prospicit omnia. Et postea dicitur, sapientia sæpè fallit, cùm inquit, stultorum non est numerus, seu errata sunt innumerabilia.

Nominat autem Salomon, hanc ipsam sapientiam seu deliberationes malam afflictionem, et ait hominibus, à Deo datam esse. Hęc uidentur absurda, sed primùm discernatur uocatio, seu ordo diuinus, & hominum infirmitas seu caligo, & dubitationes.

Malam afflictionem Salomon sapientiam humanam cur uocet.

Ordo est, ut coniugium, iudicia, magistratus, quæ res suo genere bonæ sunt, quatenus ordinatæ sunt à Deo, & ordo non turbatur hominum uicijs & furoribus, Sed sapiẽtia Dei rectrix est. In Pericle est mala afflictio, id est, cruciatus, qui est malum pœnę, sicut usitatè loquimur. Est autem cruciatus dupliciter, quia dubitatio & error cruciant homines, ut Pompeium cruciat primùm dubitatio, deindè error, cùm uidit calamitosum exitum. Sæpè errant etiam sapientes Gubernatores, sæpè peccant ambitione, ut Perdiccas post Alexandrum, sæpè falsa specie iuris, ut Brutus, sępè πλυπραγμοσύνῃ & inquietudine animorũ, ut Pericles, sæpè ira, ut Marius: Deindè etiam bonis consilijs sępè non respondent euentus, ut cùm Israëlitæ dimicarent cum tribu Beniamin: Deniq; omnes patresfamilias, omnes gubernatores, experiuntur plenam esse gubernationem non solùm curarum, sed etiam impedimentorum, erratorum, tristium euentuum, quæ omnia ualdè cruciant animos.

Res ordinatæ à Deo bonæ sunt.

Has ærumnas omnes, simul complectitur Salomon, cùm ait, hanc sapientiam rectricem esse malam afflictionem. Hinc sunt poëtica figmenta de Prometheo, qui dicitur affixus Caucaso. Et de Sisypho uoluente saxum, & similia.

Poëtica figmenta de Prometheo unde sint.

Demosthenes inquit, se si retexenda esset uita, malle ad certam mortem ire, quàm ad summos honores in Repub. Et Aeschines inquit, Lætari se liberatum esse à gubernatione Reipub. ac si liberatus esset à rabiosa cane.

Sed cur dicit, à Deo hanc afflictionem datam esse homini, ut gubernatio

sit plena

Afflictionem datam esse à DEO cur dicat.

sit plena ærumnarum & errorum: Respondeo. Generaliter uerum est, Deum uelle pœnam, seu conuersionis causa, seu ad ultimam destructionem, sed tamen inde non sequitur Deum causam esse peccatorum, aut uelle, uel adiuuare peccata, quæ sunt media ad pœnam, uel ultimam destructionem.

Deus non est autor peccati.

Deus seruat ordinem suum, inter errata gubernatorum, ut seruat politiam Israël, etiamsi aliquantisper turbant ordinem, Saul, Absalon & similes. Fit autem Dauidi gubernatio ærumnosior, quia uel alij turbant eum, uel etiam ipse suo lapsu, causa est impedimentorum. Quia autem uult DEVS homines puniri, seu conuersionis causa, seu propter ultimam destructionem, non prohibet media, quæ ab humana imbecillitate, & à furoribus Diabolorum oriuntur, non oriuntur à Deo, Et gubernator qui experitur impedimenta magis dolet, quàm homo priuatus, Vt magis dolet Dauid, quàm homo priuatus. Quanquam publicæ calamitates, etiam priuatos attingunt, ut in Solonis uersu dicitur, Intrant in thalamos, publica damna, tuos. Sed tamen plerunq; plus periculi, & miseriarū sustinent summi gubernatores, ut dicitur: βίος ἰδιότων ἄριστος, Vita priuatorum optima. Item λάθε βιώσας, Maneas in uita priuata. Item.

Deus punit aut conuersionis causa aut ultimæ destructionis.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq; summos
Fulmina montes.

Item, ὄγκος δὲ μεγάλος πῶμα γίγνεται μέγα. Fastus magni lapsus fit magnus. Item, Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat. Et apud Euripidem Oedipus inquit, Ego qui Reges antecellui sapientia, nunc exeo ex patria uelut umbra. Inquit igitur Salomon in magna sapientia, est magna indignatio, id est, in consideratione confusionum humanarum, quæ fit sine cognitione uoluntatis Dei, & sine fiducia auxilij diuini, sequitur magnus dolor, ut Pompeius, Cato, feruntur nescientes causas ruinæ suæ, cùm existiment se iustam defensionem suscepisse, & Cato non cedit fortunæ, sed humanis consilijs uult continuare bellum, & magis sese, & Rempub. affligere.

In consideratione confusionum humanarum quæ fit sine cogitatione uoluntatis Dei est magna indignatio.

Sic sæpissimè homines cùm consilijs humanis fatales calamitates, uincere conantur, nec uolunt cedere Deo, & sine uocatione sua, & necessarijs causis tumultuari pergunt, cumulant tantùm calamitates, & sibi & alijs, ut Zedechias, Turnus. Ideò dictum est, μὴ παίζειν τὴν τύχην, non premito fortunam. Item μὴ κακὸν ἰῶ κακῷ, Ne malum sanato malo.

Dicit igitur hîc, Qui addit scientiam, id est, considerationem, & correctiones sine agnitione uoluntatis Dei, & sine fiducia auxilij diuini, addit dolorem, scilicet magis dolebit fremens aduersus Deum, & attrahens maiora mala, non profuturis consilijs, ut reges Iudaici uarijs practicis frustra se muniunt, cùm aliâs cum Babylonijs fœdera fecerunt, aliâs cum Aegyptijs, aliâs cum Syriacis.

De quibus consilijs loquatur Salomon.

De talibus consilijs in gubernatione loquitur Salomon, quæ magna ex parte à πολυπραγμοσύνῃ & cupiditatibus hominum oriuntur, non loquitur de consideratione physica, in qua plurima sunt illustria testimonia prouidentiæ, bonitatis, & præsentiæ Dei.

II. CAPVT.

Vt in primo capite generalis querela recitata est, quòd multa fiant contra re-

tra regulam, quæ turbant assensionem de prouidentia. Ita in secundo capite specialiter enumerat multa uitæ genera, & tandem in tertio Capite addit spectaculum, in quo est maxima confusio, quòd similis sit interitus hominum & pecorum. Ita prius dixit, sapientes & insipientes similiter mori &c.

In secundo capite de qua re agat Salomon.

In his dictis sciamus Salomonem loqui de spectaculis, quæ incurrunt in oculos tanquam μιμηλικῶς seu recitatiuè commemorantem argumenta, quæ turbant assensionem de prouidentia, non iam loquitur de iudicio secuturo, de quo postea dicit. Fuit excellens sapientia Palamedis, Theramenis, Socratis, Pompeij, Iulij, Ciceronis, & tamen habent tragicos exitus, sicut multi quibus stultitia fuit exitio. Fuerat cautior Demades quàm Demosthenes, & tamen interfectus est, cùm quidem in conspectu eius primùm filij essent interfecti, Sicut dicitur: Vetula Vulpes uix capitur, sed capitur tamen.

FINIS.

OCN 1394762518

legatur 16 p

ium phibentis· quia dixit michi
oīa quecūq; feci· Cū uenissent
ergo ad illū samaritani· rogaue
runt eum ut ibi maneret· Et
mansit ibi duos dies· Et multo
plures crediderunt propt̄ sermo
nem eius· & mulieri dicebant·
Quia iā non propt̄ tuā loque
lam credimus· ipsi enim audiu
mus & scimus· quia hic ē uere sal
uator mundi· Post duos aut̄
dies exiit inde· & abiit in galile
am· Ipse enim ihs testimoniū
phibuit· quia ppheta in sua
patria honorē n̄ habet· Cum
ergo uenisset in galileā· excepe
runt eū galilei· cū oīa ui
dissent que fecerat hierosolymis
ihs· cū uenisset a iudea in galileā·
Post hec· Erat dies festus iudeoꝝ·
& ascendit ihs hierosolymā· Est aut̄
hierosolymis probatica piscina·
que cognominabat̄ hebraice beth
saida· quinq; porticus habens· In
his iacebat multitudo magna
languentiū· ceco; claudorum·
aridoꝝ· expectantiū aquē motū·
Angelus aut̄ dn̄i secundum tempus
descendebat in piscinā· & mo
uebatur aqua· Et qui prior de-
scendendisset in piscinā post mo
tionem aque· sanus fiebat a
quacūq; detinebat̄ infirmitate·
Erat aut̄ quidā homo ibi tri
ginta & octo annos habens in
infirmitate sua· hunc cum